240.209
M53
v.8





THEOLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

EX TRACTATIBUS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS,

ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM

EUROPÆ CATHOLICÆ,

UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS,

UNICE CONFLATUS,

Plurimis annotantibus presbyteris
ad docendos levitas pascendosve populos altè positis.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS OCTAVUS.

28 vol. Prix : 138 fr.

DE TRINITATE. — DE CULTU SANCTORUM. — DES BEATIFICATIONS ET CANONISATIONS. — DE ADVENTU CHRISTI. — DE MYSTERIIS CHRISTI. — DE DEVOTIONE ERGA SACROSANCTUM COR JESU. — DE INCARNATIONE.

PARISIIS,

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1852

Ref
BR60
.T44
1939
v.8

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM

QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

EDITORES.

Præambula, annotationes et appendices ad tractatum de SS. Trinitate.

WITASSIUS.

Tractatus de Sacrosanctâ Trinitate.

LEIBNITZIUS.

Defensio Trinitatis per nova reperta logica.— Duæ Epistolæ ad Loeflerum, de Trinitate et definitionibus mathematicis circa Deum, spiritus, etc. — Remarques sur le livre d'un antitrinitaire anglais touchant la Trinité.

PERRONE.

Tractatus de Cultu Sanctorum.

BEAUDEAU.

Analyse de l'ouvrage du pape Benoît XIV sur les Béatifications et Canonisations.

THOMASSINUS.

De Adventu Christi.

BILLUART.

De Mysteriis Christi et Beatissimæ Virginis.

DE GALLIFFET. — PERRONE.

Appendix de Devotione in sacrum Cor Jesu et Mariæ.

EDITORES.

Compendium tractatûs de Incarnatione.

INDEX RERUM.

WITASSII VITA.

Witassius, Gallicè Witasse (Carolus), in Diœcesi Noviodunensi natus, in vico dicto Chauny, Parisiis theologiam ex cathedrâ docebat, cùm prodiit bulla *Unigenitus*. Cui licet debitum obsequium non usque præstiterit, Jansenianos errores minimè redolent pleraque ipsius opera. Tractatus de *Trinitate* et *Incarnatione* eximiâ potissimùm enitent doctrinæ puritate, necnon vi ratiocinii styloque rebus theologicis convenientissimo. Dedit præterea varias de Paschali solemnitate epistolas tractatusque de *Pœnitentiâ*, de *Ordine*, de *Eucharistiâ*, et de *Attributis* divinis, in quibus pauca reprehendenda sunt, multa verò laudanda. Ei falsò attribuitur à nonnullis tractatus de *Confirmatione*, cujus auctor est pater Oratorianus. Witassii opera multoties, tum in Gallià, tum in extraneis regnis, typis demandata sunt. Nullus de Trinitate rectiùs sagaciùsque scripsisse videtur.

Witassius Parisiis obiit anno 1716

TRACTATUS
DE SANCTISSIMA TRINITATE.

Prima dissertatio prævia.

DE QUIBUSDAM VOCIBUS QUÆ IN PRÆSENTI TRACTATU SÆPIUS RECURRUNT.

Operæ pretium esse duximus nonnulla diligentiùs hìc exponere, atque explicare vocabula, quorum frequentissimus jam ab ipso limine usus est, et quæ tamen aut non omninò, aut obiter tantùm, aut in extremâ tantùm tractatûs parte ab ipso auctore definiuntur. Vocabula porrò illa hæc potissimùm sunt : *Essentia, natura, substantia, persona, suppositum, subsistentia, processio, generatio, relatio*, etc. ; de quibus nunc paucis dicendum.

1° Igitur *essentia* alicujus rei est ratio ejus constitutiva, seu id quo constituitur, id quo est. Cùm autem res quælibet per quasdam proprietates constituatur, essentia rursùm, et quidem planiùs, definiri potest : Complexio proprietatum, sive attributorum, quibus res aliqua talis potiùs quàm talis constituitur, id est, quibus carere nequit, quin aut nulla omninò, aut certè alia sit ; verbi gratiâ, essentia hominis est anima rationalis hypostaticè unita corpori, omnibus organis ad vitam necessariis instructo ; his enim positis, homo intelligitur ; sublatis verò, jam concipi nequit.

Quod autem apud Latinos essentia, id apud Græcos οὐσία vulgò significat. Attamen οὐσία quandoque pro substantiâ sumitur : hinc duæ illæ IV seculo tam celebratæ voces : ὁμοούσιος et ὁμοιούσιος, sumpserunt originem. Prior, quæ idem sonat ac *consubstantialis*, à Patribus Nicænis Symbolo inserta est, ad præcludendam Arianis omnem elabendi ac tergiversandi viam, et absque ullâ ambiguitate definiendum Filium unius et ejusdem esse cum Patre substantiæ. Posterior *similem in substantiâ* significat, et in prioris locum invecta est à pluribus, quibus ὁμοούσιος displicebat, sive, ut aiebant, eò quòd in Scripturis non extaret, ac in Paulo Samosateno à Patribus Antiochenis anno 272 damnata fuisset, sive potiùs quòd singulari ejus vi et energiâ omnes Arianorum artes eliderentur.

2° *Natura* maximè affinis est essentiæ, atque adeò cum illâ sæpissimè confunditur. Id tamen inter utramque discriminis est, quòd natura, præter attributa quæ alicujus rei essentiam constituunt, accidentalia insuper attributa complectitur, quæ communia sunt toti speciei ad quam res illa pertinet. Nimirùm præter animam rationalem, hypostaticè unitam corpori omnibus organis ad vitam necessariis instructo, natura hominis etiam alia quædam, quæ humanæ communia sunt speciei, v. g., duos pedes, duos oculos, includit ; nemo enim non intelligit non ad essentiam quidem, sed ad hominis

naturam pertinere, ut duos oculos duosque pedes habeat. At verò cùm Deus sit ens omni ex parte necessarium, nullaque accidentia admittat, in divinis essentia et natura idem sonant, et promiscuè accipiuntur. Ad exprimendum quod latinè natura dicitur, Græci vocem φύσις, ut plurimùm, usurpant; qui quidem φύσεως sensus, inter alios plures, germanus vulgatusque inprimis esse videtur.

3° *Substantiæ* nomen duplici modo accipi potest, in concreto nimirùm, ut aiunt, vel in abstracto. Substantia in concreto ens illud designat quod in se subsistit, id est, ens existens non independenter quidem ab omni causâ, sed independenter à subjecto cui inhæreat et à quo recipiatur; v. g., nummus aureus est substantia, quia, ut existat, non indiget subjecto cui inhæreat. Substantia in abstracto significat illud, quodcumque sit, cui inhærere intelliguntur proprietates alicujus substantiæ prioris generis; v. g., substantia nummi aurei est illud in quo soliditas, color, forma, cæteræ denique hujus nummi proprietates, recipiuntur. Undè liquet substantiam sic acceptam nihil aliud esse quàm id quod vices gerit subjecti, seu fulcimenti, respectu proprietatum alicujus rei. Hinc substantia generatim ab essentiâ et naturâ plurimùm discrepat; res enim quælibet, sive modus, sive substantia sit, suam habet essentiam et naturam; non item verò de substantiâ, quæ solis entibus in se subsistentibus competit. Imò verò ex præcedentibus definitionibus apertum omnibus est non eamdem omninò, vel in entibus quæ per se subsistunt, vim et significationem inesse substantiæ, quàm vocibus essentiæ et naturæ. Cùm tamen substantia plerùmque sit præcipua naturæ et essentiæ pars, non rarò fit ut unum pro altero nomen in sermonem veniat, præsertim ubi de Deo quæstio est, cujus omnes proprietates cum substantiâ simplicissimâ, absque reali distinctione, identificantur.

Substantia autem est vel *incompleta*, vel *completa*. Prior est illa quæ non est sui juris, quia videlicet venit in compositionem alterius, quâ veluti terminatur, cuique tribuuntur ipsius operationes et affectiones; v. g., corpus humanum est substantia incompleta; venit enim in compositionem hominis, cui tribui solent quæcumque in corpore peraguntur; adeòque si vulnus accipit corpus Petri, Petrus ipse dicitur vulneratus; item sacratissima Christi humanitas est substantia incompleta, quia, licet in se perfectissima sit, non est tamen sui juris, sed Verbi æterni dominio subjacet. Substantia completa, quæ etiam quandoque dicitur *totalis*, vel *ultimò terminata*, ea intelligitur quæ est sui juris, seu suî suarumque operationum et affectionum domina; sic liber est substantia completa; quidquid enim in ipso accidit, de illo prædicatur. Si substantia completa rationis est expers, dicitur *suppositum*, ut agnus, liber, etc.; si verò rationalis, vocatur *persona*. Indè manifestè apparet quis sit illius effati sensus : *Actiones sunt suppositorum*, aut *personarum*; significat enim actiones sive affectiones non substantiis incompletis, quæ in compositionem veniunt alicujus personæ vel suppositi, sed ipsi personæ vel supposito tribuendas esse.

4° Ex dictis jam habetur satis accurata *personæ* notio. Definiri autem potest : Substantia intelligens et sui juris. Idcircò, ut substantia sit persona, duo tantùm ipsi necessaria sunt, nempe ratio et dominium suarum operationum et affectionum. Porrò quòd in creatis substantia sit domina suarum affectionum et operationum, non est specialis quædam perfectio et modificatio; sed ad id satis est, ut alteri substantiæ non sit conjuncta, quâ compleatur, terminetur et in genere subsistendi perficiatur. Et hinc est cur sæpiùs à philosophis et theologis persona definiatur, substantia intelligens, alteri non communicata, quæ illam perficiat. Quæ definitio à nostrâ non differt, nisi quia non tam id quod immediatè constituit personam, scilicet suarum operationum dominium, quàm conditionem sine quâ haberi non posset jus et dominium istud, exprimit. Verùm in divinis longè aliter se res habet. Si enim ad personam constituendam satis esset ut substantia alteri non conjungeretur, tunc divina substantia ipsa esset persona; siquidem nulli alteri substantiæ conjuncta est, quâ terminetur. Quapropter persona divina aliquam perfectionem, præter substantiam ipsam formaliter sumptam, includit. Quænam autem sit illa perfectio infrà patebit.

Ex dictis facile est intelligere quæ sit *personalitatis* natura. Enimverò personalitas est ratio constitutiva personæ, seu id ex quo persona habet ut sit persona; sive etiam ille existendi modus quo fit ut substantia intelligens sit sui juris. Cùm igitur, prout modò diximus, substantia creata juris sui est quoties alteri non est conjuncta, in creaturis personalitas non est aliqua perfectio à substantiâ, nec vir-

tualiter quidem, distincta, sed mera negatio unionis cum aliâ substantiâ. In Deo autem, ob rationem contrariam, personalitas est aliqua perfectio, non equidem superaddita substantiæ, sed ab ipsâ virtualiter distincta, seu interna quædam modificatio illam quasi terminans.

A personalitate vix distinguitur *subsistentia*, quæ ideò indiscriminatim cum ipsâ plerùmque usurpatur. In eo tamen ambæ differunt, quòd subsistentia quandoque ad significandam rationem constitutivam suppositi adhibeatur, nunquàm verò personalitas, quæ in usum non venit, nisi ubi de personis quæstio est.

Latinâ cum voce, *persona*, grammaticè præsertim spectatâ, non mediocri affinitate conjuncta est vox Græca, πρόσωπον: libentiùs verò theologi et philosophi vocabulo, ὑπόστασις, utuntur, utpote quod accuratiùs exprimit ideam quam ipsi personæ affingere amant; primariò enim præ se fert ideam subsistentiæ, deinde, per extensionem, significat ens in se et independenter à subjecto alio subsistens, ut suppositum, personam. Equidem « magnâ animorum « contentione, ut ait Montagnus post Turnelium, « disputatum olim fuit de significatione vocis « hujus, ὑπόστασις, et quidem tantâ, ut indè ex « parte ortum fuerit grave illud ac luctuosum « dissidium Antiochenum, versùs an. Christi « 360, quo tota Occidentis et Orientis commota « et turbata fuit Ecclesia; aliis cum Meletio « tres ὑποστάσεις, aliis cum Paulino unam ad- « mittentibus. Meletio adhærebant SS. Basilius « et Gregorius uterque, Nazianzenus et Nysse- « nus, aliique Orientales; Paulinum verò « sequebantur SS. Athanasius et Epiphanius, « aliique Occidentales. Eò verò usque exarsit « hoc dissidium inter catholicos præsules, ut « sibi mutuò hæresis notam affingerent; qui « enim unam ὑπόστασιν admittebant, ii Sabellii « partes fovere; qui verò tres, ii Arii errorem « promovere accusabantur. At de solâ vocis « significatione, non de substantiâ dogmatis « movebatur controversia: qui enim in Deo « tres dicebant esse ὑποστάσεις, per ὑπόστασιν « intelligebant personam (sive subsistentiam); « et qui unam dicebant ὑπόστασιν, per ὑπόστασιν « intelligebant naturam (sive substantiam). « Quibus ex utrâque parte auditis, dissidium « illud in concilio Alexandrino an. 362 à S. « Athanasio compositum fuit. Non tamen om- « ninò extincta ac consepulta fuit controversia; « recruduit enim tempore Damasi S. Pontifi- « cis; de quâ S. Hieronymus consulens Dama- « sum Papam, sic loquitur, epist. 14, aliàs 57: « *Decernite, obsecro, si placet; non timebo tres* « ὑποστάσεις *dicere..... quamobrem obtestor bea-* « *titudinem tuam per Crucifixum, mundi salutem,* « *per* ὁμοούσιον *Trinitatem, ut mihi epistolis tuis,* « *sive tacendarum, sive dicendarum* ὑποστάσεων « *detur auctoritas.* Ita vir sanctus ac doctus « suam erga sedem Apostolicam reverentiam « et obedientiam testabatur. Tandem significa- « tio vocis, ὑπόστασις, fixa et determinata fuit « pro denotandâ personâ (sive subsistentiâ); « quem sensum invertere ac mutare nemini « ampliùs licet. » Quæst. 10, art. 1.

5° Pauca admodùm dicenda nobis sunt de *processione* et *generatione*, de quibus auctor fusiùs in suo loco. Sufficit ut hìc indigitemus quid his vocabulis intelligatur. Porrò processio, quæ græcè προβολὴ dicitur, generatim spectata, est origo unius rei ab aliâ, undè in divinis significat unam personam ab aliâ, tanquàm à principio, originem ducere. Varii sunt modi quibus res una ab aliâ ducere originem potest, inter quos primum locum obtinet generatio, quæ proinde species quædam est processionis. Duplici autem sensu accipi potest generatio, activè scilicet et passivè. Generatio activa est actio vi cujus ens aliquod vivens ex suâ substantiâ, alterum producit, item vivens et naturâ simile sibi. Undè ad generationem propriè dictam requiritur 1° ut generans sit vivens, et erumpat in actum; non sufficit autem ut passivè sese habeat, quia generatio est actio vitalis, non eo tantùm sensu quòd vitam communicet, sed eo etiam sensu quòd eliciatur à principio vitaliter producente. Hinc à verâ generatione excluduntur tùm propagatio metallorum in terræ visceribus, tùm productio Evæ ex costâ Adami; 2° ut generantis substantia, et cum eâ vita naturaque similes, generato communicentur; cujus conditionis defectu primi hominis productio generatio non est; 3° ut in ipsâ generantis actione reperiatur ratio cur ille quem generat ipsi naturâ similis sit, id est, ut ex nativâ hujus actionis virtute proveniat similitudo naturæ quæ inter genitorem et genitum existit; hæc altera causa est cur Eva ab Adamo genita dici nequeat. Generatio passiva ex dictis facilè intelligitur; est enim quidam procedendi modus, vi cujus ex ipsâ entis alicujus viventis substantiâ ens aliud vivens et naturâ simile ducit originem.

6° *Relatio*, de quâ nunc dicendum, si generatim spectatur, definiri potest: *Respectus unius rei ad aliam.* Duplex autem distinguitur, impropriè dicta et propriè dicta. Prior est ea

quæ existit inter duo entia quorum unum dare quidem potest occasionem de altero cogitandi, sed non necessariò, id est, quorum unum non necessariò supponit alterum, atque adeò nonnisi accidentaliter ad illius cognitionem ducit. Talis est ea quæ existit inter duos homines ejusdem formæ aut staturæ, vel inter diem et noctem. Posterior est ea quæ existit inter duo entia quorum unum ita alterum supponit, ut ad illius cognitionem necessariò ducat, seu quæ ita indivulsè colligantur, ut unum sine altero cogitari nequeat. Talis est ea quæ existit inter patrem et filium, inter dominum et servum. Entia autem sic inter se connexa, *correlata* dicuntur, et sibi invicem *opposita*. In omni relatione tria sunt sedulò distinguenda, *subjectum, terminus* et *fundamentum*. Subjectum est res quæ refertur ad aliam; terminus est illa res ad quam subjectum refertur; fundamentum est ratio propter quam subjectum refertur ad terminum. Itaque in relatione quæ existit inter causam et effectum, subjectum est effectus, terminus est causa, fundamentum est productio effectûs per causam. Fundamentum potest esse 1° *accidentale* vel *essentiale*. Accidentale dicitur, quando stabat in potestate illius ex duobus correlatis à quo positum est, illud non ponere. Hujusmodi est fundamentum relationis creaturæ ad Creatorem; Deus enim in creando liber omninò extitit. Essentiale autem nuncupatur, quando ita fluit ex naturâ correlatorum, ut ab eo ponendo nequaquàm abstinere potuerint. Tale est fundamentum relationis luminis ad solem. 2° *Intrinsecum* vel *extrinsecum*. Prius est illud quod ita intimum correlatis est, ut ipsam eorum substantiam afficiat; undè quandoque *substantiale* dicitur. Tale est fundamentum relationis Dei Patris et Filii, ut ex dicendis patebit. Posterius illud est quod ipsam correlatorum substantiam non afficit. Istiusmodi est fundamentum relationis, quæ servum inter et dominum invenitur. 3° *Transiens* et *immanens*. Transiens est, quando actio per quam ponitur statim transit et evanescit; immanens verò, quando actio per quam ponitur constanter permanet. Pro vario autem fundamenti genere, ipsa relatio vocatur *accidentalis* vel *essentialis, intrinseca* vel *extrinseca, transiens* vel *immanens*. 4° Tandem occurrit nomen, *Trinitas*, de quo nec omninò tacere possumus, nec fusè disputare debemus. Magister Sententiarum dist. 24, post S. Isidor. Orig. c. 4, vocabulum istud significare *trium unitatem* existimat; quem postea plurimi theologi secuti sunt. Hanc verò etymologiam non probat doctissimus Petavius. « Ratione caret omni, « inquit, lib. 8, cap. 9, n. 2, etymon illud « vocabuli, *Trinitas;* nihilòque plausibilius est, « quàm si dicam: *Humanitas est humana unitas*, « *benignitas, benigna unitas; bonitas, bona unitas*, « Redeundum igitur est ad id quod paulò ante « monstravi, trinitatem prorsùs idem esse ac « Græcam τριάδα, vel Latinam *ternionem*, aut « *ternarium;* nec illo vocabulo propriè ac per « se significari unitatem naturæ, sed ex acci- « denti; quippe tres personas directâ notione « significat, sive tres qui unus Deus sunt, non « quà unum sunt, sed quà numerabiles sunt. « Quidquid sit, certum est hâc ipsâ voce nunc « significari trium personarum in unâ divinâ « naturâ existentiam. Re quidem verâ ad id « significandum aptior nulla inveniri posset. « Idcircò frequenti in usu posita videtur jam à « prioribus Ecclesiæ seculis. Eruditi vulgò « sentiunt eam, à S. Theophilo Antiocheno, « sub finem II seculi, primò sub Græcâ formâ « usurpatam, mox ad Latinam defluxisse. Sat « verisimile est huic adhibendæ dedisse locum « ista S. Joan. 1 Epist. cap. 5, v. 7, verba: « *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater,* « *Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum* « *sunt*, in quibus, non quoad sonum quidem « syllabarum, sed quoad sensum certè reperi- « tur. Cùm igitur nihil, nisi quod in divinis « Scripturis continetur, exprimat, tantâ insu- « per seculorum serie, tot SS. Patrum atque « conciliorum, totius denique Ecclesiæ catholi- « cæ usu comprobata et consecrata sit, eam cri- « minari et repudiare, ut plurimi faciunt Pro- « testantes, nemo potest, nisi summæ temerita- « tis ac pertinaciæ haberi velit. » (Editores.)

Secunda dissertatio prævia.

DE INCOMPREHENSIBILITATE AUGUSTISSIMI SS. TRINITATIS MYSTERII NEQUAQUAM MIRANDA.

Quandoquidem in tractatu de SS. Trinitate habentur plurima quæ rationi non impervia tantùm sint, sed primo etiam intuitu pugnantia videantur, antequàm ad rem veniamus, diligentiùs probandum nobis est, tùm SS. Patrum auctoritate; tùm ipso coruscante lumine naturali ad divinam essentiam intimè pertinere, ut hominum, imò etiam angelorum et naturarum quàrumlibet intelligendi vim fugiat atque transcendat. Postquàm enim jam à principio humanæ rationi vividè inculcatum fuerit, vel potiùs ipsa suis disquisitionibus exploratum

habuerit atque perspectum, majestatem Dei augustissimam lucem habitare inaccessibilem, et adorandis, ut ita dicam, mysteriis obvolutam in reconditissimis penetralibus secum residere, non ampliùs mirum ipsi videbitur, quòd tantam altitudinem gloriæ et divitiarum perscrutari nefas sit, inevitabile fidei jugum, mitior ac modestior effectu, minùs exhorresceret, suam demùm tenuitatem infirmitatemque planè sciens, breviorem intuendæ veritatis atque tutiorem viam humilitatem et docilitatem esse faciliùs intelliget. De hâc autem quæstione luculenter admodùm, pro more suo, fusèque disputat doctissimus P. Thomassinus, in tribus primis capitibus eximii tractatûs de SS. Trinitate; undè nihil nos lectoribus gratius utiliusque facere posse arbitramur, quàm si tria hæc capita, longiusculè quidem, hìc excerpta describamus:

CAPUT PRIMUM.

Si quæ nobis incomprehensibilia et impossibilia videntur esse, potest Deus facere, multò magis esse ut unum illum trinumque esse tantò minùs illi pugnet, quantò magis repugnat nobis. Ex Patribus primùm Græcis.

« Unam esse trinamque Deitatis substantiam, vel eo ipso quòd supra fidem, supra mentem est, credi æquius est, cùm Deitatis id proprium, id singulare decus sit, ut incomprehensibilis et inenarrabilis, et unisibi nota sit. Etsi ergo hoc arcanum supra rationem sit, nihil tamen rationi accommodatius est, quàm ut homines, quibus ne terrena quidem satis explorata sunt, qui ne seipsos quidem satis perspectos habent, veræ summæque Divinitatis intelligentiam ipsi uni permittant, sibi fidem et reverentiam vindicent. Ita interpretatur Athanasius illa Christi apud Joannem verba: *Nemo cognoscit Patrem, nisi Filius; aut Filium, nisi Pater.* « Mirum « igitur est, impios ista nefaria audere garrire, « cùm et homines sint, et quæ in terrâ sunt, « nequeant explicare. Sed quid dico, quæ in ter« râ sunt? imò vel sua ipsorum nobis exponant, « videantque num satis explorate investigare « queant, quæ ipsorum naturæ sunt. » Complectitur hæc eadem fidei, obsequii et reverentiæ conditio, naturas etiam illas creatas homine superiores, angelos, Cherubimos, Seraphimos, ut unius Trinæque majestatis præsentiam revereri et contremiscere magis se posse testentur, quàm intueri; laudare magis, quàm penetrare; indicare, quàm explicare. Ita enim apud Isaiam describuntur, eodem auctore et interprete Athanasio: « Quid enim propin« quius Cherubinis et Seraphinis? illi non « obtuentur hanc majestatem, aut in pedibus « erectos se tenent, imò ne faciem quidem nu« dam relinquunt; sed, eâ obvelatâ, gloriam « majestatemque Dei labiis nunquàm cessanti« bus extollunt, nihil aliud quàm divinam et « ineffabilem naturam triplici titulo sanctitatis « glorificantes. » Et mox: « In eo enim ipso, « quo amplissima ista animantia tertiò proferunt « glorificationem, dùm aiunt: *Sanctus, Sanctus,* « *Sanctus,* triplici numero tres perfectas, abso« lutas, integras personas ostendunt, quemad« modùm sub unicâ voce, *Dominus,* unam sub« stantiam declarant. »

« Cùm ne toto quidem tot seculorum decursu quidquid est, aut fuit usquàm hominum potuerit orbis hujus corporei naturam et causas pervestigare, ut Salomon, ut ipsa rerum experientia contestatur, ecquis tam perfrictæ frontis fuerit homuncio, qui accuratam Divinitatis notitiam sibi ausit arrogare? Consultissimè ergo Paulus monuit, teste Athanasio, Epist. ad Serap., ut amplum nobis, et optandum ducamus, de Deo scire, quòd sit, non quomodò sit: « Et universitatem omnis ævi « dedit in mentes eorum, ut non inveniret ho« mo hoc opus, quod fecit ab initio usque ad « finem. Quid igitur, quùm nequeant ista expli« care, etiam ea esse negabunt? certè nega« bunt, tam est illis corrupta mens. Rectè igitur « hæc illis dicas: O stulti et ubique audaces, « cur non potiùs desinitis curiosè rimari de « sanctâ Trinitate, ac fidei acquiescitis, et hæc « esse creditis, maximè quùm ad eam rem ma« gistrum Apostolum dicentem habeatis? Pri« mùm credere, » etc.

« Ne assumptæ quidem à Verbo humanitatis sacramenta pervadere et mentis suæ acumine explorare quisquam potuit, etsi per illa se Deus nostræ tenuitati accommodaverit: quid ergo de summo ipso divinæ amplitudinis fastigio sentiendum nobis, aut sperandum superest, nisi ut intelligamus fide nobis opus esse ad res divinas utcumque attingendas: eâ, inquam, fide, quæ in impossibili possibilitatem speret et amplectatur: « Non enim fides de re evidenti « concepta, fides dici poterit; sed « fides est, « quæ in impossibili possibilitatem, et robur « in imbecillitate, et patibile in impatibilitate, « et corruptionem in incorruptibilitate, et mor« tale in immortalitate, et in parvitate magni« tudinem credit, ἀλλ' ἐστὶ πίστις ἡ τὸ ἀδύνατον « ἐν δυνάμει πιστεύουσα.

« Unâ maximè professione ad res divinas

fide primùm et potissimùm attingendi, docet Basilius distare Christianos à gentilibus et Judæis, quinimò et ab hæreticis; nec enim hæretici à Judæis et gentilibus magnoperè distant, in iis certè quæ ad divinissimam Trinitatem spectant. Quid enim Judæos primùm, quid postea gentiles absterruit, ne disseminatam à Christo et ab Apostolis unius et trinæ divinitatis religionem, tot vaticiniis, tot miraculis, tot martyriis testificatam amplexarentur, nisi superba quædam contumacia non credendi quod non caperent? quid hæreticos à castris Ecclesiæ avulsit, et ad Judæos, vel gentiles traduxit, ut vel cum illis tres in Deo personas esse posse negarent, vel cum his Filium à Patre non genitum, sed creatum, atque adeò creaturis connumerandum adorarent, nisi ecclesiasticæ de his fidei fastidium et aversatio? Sic ergo Basilius homiliâ 27 contra Sabellianos et Arianos : « Pugnat « Judaismus cum Gentilismo, et uterque cum « Christianismo. Quemadmodùm Ægyptii et « Assyrii, inter se hostiliter dissidebant, et « utrique Israeli infensi erant. Ut in malitiâ « deprehendimus, et audaciam pariter ac timiditatem inter se pugnare, et nihilominùs « ambas à rectâ animi fortitudine dissidere. » Et infra : « Postquàm enim callidissimus ad « nocendum diabolus Christianorum à gentilibus ac Judæis abalienationem, et quod ad « illorum appellationem mox hostile quiddam « spiramus, animadvertit; nostro utrisque imposito nomine, Judaicam iterùm negationem, « ac gentilem multorum deorum cultum introducere conatur. Illi namque cùm Unigenitum opus ac facturam Dei esse dicunt, et « illum nihilominùs adorant, divinoque honore « afficiunt, apertè Gentilismum, creaturæ servientes, et non Deo, introducunt. Isti verò « Deum ex Deo negantes, et nomine quidem « Filium confitentes, re ipsâ verò ac veritate « substantiam illius reprobantes, Judaismum « denuò renovant. »

« Cùm Ecclesiæ de Trinitate fidem sugillaret Eunomius, seque ingenitum, se Deum comprehendisse stultissimè venditaret, sic illum retundebat Nyssenus, orat. 10 contra ipsum : « Qui igitur se jactat eorum quæ sunt naturam « adeptum esse, nobis primùm formicæ naturam declaret. Deinde potentiam illam quæ « omnem intellectum superat, physicè tractet. « Quòd si brevissimæ formicæ cognitionem « nondùm in naturâ consecutus est, quomodò « eum qui in seipso omnem complectitur creatu-« turam, comprehensivâ ratione se complexum « esse gloriabundus jactitat? »

« Rursùs idem alibi docet Deum id esse, non quod intelligitur, sed quod creditur; nominari autem, non ex ejus propriâ quâpiam naturæ dote, sed ex operationibus et beneficiis in nos suis : « Sed Deus quidem est per seipsum « quod quidem unquàm esse creditus est : no-« minatur autem ab his qui invocant, non ipsum « quod est; ineffabilis enim est natura ejus « qui verè est : sed ex his quæ operari et efficere in vitâ nostrâ creditus est, cognòmina habet, « quale et hoc ipsum quod in promptu dicitur. « Cùm enim Deum ipsum dicimus, inspectorem, « et exploratorem, et absconditorum perspicacem cognitorem commentantes vocamus. »

« An ejus propriam capiemus naturam, cujus Scriptura affirmat ne vestigium quidem capi posse, ne beneficia, ne judicia quidem; etsi per hæc ille se ad nos quodammodò dejiciat? Ne guttulam quidem tanti boni capimus, quid ipsum fontem? Audiendus hìc Cyrillus Hierosolymitanus episcopus, catechesi 6 : « Totius « boni fons maximus et perennis, beneficiorum « quasi quoddam flumen, lumen æternum sine « fine coruscans, vis inexpugnabilis, ad nostras « infirmitates se demittens et accommodans : « cujus ne nomen quidem audire sustinemus. « *An vestigium Domini reperies*, ait Job, *aut ad « extrema pervenies, quæ fecit Omnipotens?* Si « extrema et minima Dei opera non comprehenduntur, is qui omnia fecit comprehen-« deturne? *Oculus non vidit, et auris non audi-« vit, et in cor hominis non ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Si quæ præparavit « Deus, nostris nequeunt mentibus comprehendi, eumne qui præparavit, animo com-« prehendere possumus? *O altitudo divitiarum « et sapientiæ Dei, quàm inscrutabilia judicia « ejus, et impervestigabiles viæ ejus*, ait Apostolus! « Si judicia et viæ investigari et comprehendi « non possunt, ipsene comprehendetur? »

« Non modò fide certissimum est, sed etiam ratione tantò nobis certiùs videri debet, Deum ejusmodi naturam esse, cui non pugnet et unam simul esse et trinam, simplicissimè, inquam, unam, et verissimè trinam, quantò certissimum et indubitatissimum est, Deum incomparabiliter eminere supra id omne quod utcumque capi à nobis potest. Utcumque enim Deus vel in veteri Testamento per umbras, vel in novo per assumptam carnem visendum se præbuit, meræ fuerunt illæ condescensiones : uti est, ne angeli quidem, ne angelorum

quidem primates illum quantus quantus est viderunt; vel ejus essentiam quanta quanta sibi est enarrârunt, sed gloriam et laudes; soli sibi quippe notus est unus trinusque; à beatis etsi verè videatur, non quantus maximus est videtur, non comprehenditur; nos verò nunc ne angelis quidem videndis pares aliquando fuimus, nedùm ei vivendo, aut plenè intelligendo, ad cujus conspectum ipsi præstringuntur angeli. Ita philosophabatur Chrysostomus in Evang. Joan. homil. 14 : « Quomodò « autem sit Deus, ipse novit solus, quod per « prophetam significavit : *Ego visiones multipli-* « *cavi, et in manibus prophetarum assimilatus* « *sum* (hoc est, condescendi, συγκατέβην), *non* « *tamen id quod eram, me ostendi.* Cùm enim « ejus Filius verâ carne acceptâ venturus esset « in mundum, multò ante sanctos viros ad « divinæ substantiæ visionem exercuit, ita « ut videre poterant. Nam id quod est Deus, « non modò prophetæ non viderunt, sed ne- « que angeli, neque archangeli. Sed si eos « percontaberis, nihil ab his de Dei substantiâ « audies, sed tantùm referentes : *Gloria in* « *altissimis Deo, et in terrâ pax, in hominibus* « *bona voluntas.* Si Cherubin et Seraphin, san- « ctificationis laudem audiet, plenum esse « cœlum et terram gloriâ ejus. Si supernas « virtutes, tibi item respondebunt, sibi unum « opus esse, ut Deum laudent : *Laudate eum,* « inquit, *omnes virtutes ejus.* Solus autem ipsum « videt Filius et Spiritus sanctus. Quòd si « omnis natura creata est, quânam ratione « increatum videre poterit? Nam si incorpo- « ream virtutem, quamvis genitam, non possu- « mus manifestè conspicari, et hoc sæpenu- « merò in angelis ostensum est, multò minùs « incorpoream, et ingenitam substantiam. Qua- « re Paulus : *Quem,* inquit, *vidit nemo homi-* « *num, neque videre potest.* » Ex quibus illud quoque concluditur, Dei substantiam Deo soli Patri Filioque ita perspectam esse, ut nulli præter ipsum ita accuratè perspecta sit. « Sic, « ait ibidem Chrysostomus, multi Deum cogno- « scimus, non tamen ipsam substantiam, qua- « lis est, nisi solus ejus Unigenitus, qui certam « notionem, visumque, et comprehensionem « habet, qualem Filium de Patre habere par « est. *Sicut* enim *cognoscit me Pater,* inquit, « *et ego cognosco Patrem.* »

« Hanc esse germanam et summam fidelium philosophiam alibi argumentatur Chrysostomus, ut de Deo amplissimè et magnificentissimè sentiant; posse illum quæ impossibilia, vel sunt, vel nobis videntur, ne dubitent quidem; atque adeò multò minùs esse ejus substantiam ad nostræ mentis angustias circumscriptam, quàm potentiam ejus. Si potest enim facere, quæ nulla creata mens potest capere, quantò magis esse? Eâ de Dei naturâ fide et credulitate nostrâ nihil vel Deo honorificentius fingi potest, nihil nobis compendiosius ad ejus in nos gratiam et benevolentiam promerendam. Denique eâ fide sanctiùs religiosiùsque coli Deum, quàm ullis operibus bonis, fidenter pronuntiat Chrysostomus, ut jam mirum non sit, si Christiani jam inde ab exordio uno maximè delectati sunt fidelium nomine. « Hoc ipsum porrò generosissimi est « animi, et philosophicæ sententiæ, et subli- « mis cogitationis (verba sunt Chrysostomi, « hom. 8 in Epist. ad Rom.). Etenim nec fu- « rem esse, nec parricidam vel cujuslibet esse « possit : at credere quòd impossibilia possit « Deus, hoc verò magni admodùm animi indi- « get, et magnoperè erga illum affecti. Etenim « germanæ charitatis hoc signum est. Siquidem « et Deum quoque honorat quisquis illius man- « data implet : multò verò meliùs hic, qui fide « philosophatur. Ille enim ei obedit; hic autem « convenientem de eo opinionem accipit, eum- « que glorificat, admiratur vehementiùs ipsâ « operum demonstratione. Illa ergo gloriatio « ejus est qui rectè aliquod factum præstiterit. « Hæc autem Deum ipsum glorificat, ac quanta « est, tota ipsius est; gloriatur enim ob hoc « quòd magna quædam de eo concipiat, quæ « quidem in illius gloriam redundant. »

« Id mox probat ibidem Chrysostomus exemplo Abrahæ, qui contra spem in spem credidit, ut ait Paulus, eoque id consecutus est, ut Pater fidelium omnium habeatur, et consummatissimæ virtutis ac religionis exemplum. Eo enim animi sui magnitudinem et immensam pietatis vim prodidit : sicut ex adverso, qui Dei potentiam ad ingenii sui modum coarctat, is et impietatem suam prodit, et stultitiam : « Ve- « rùm *ad promissionem Dei* (Abraham) *non hæ-* « *sitavit ob incredulitatem,* neque enim demon- « strationem dedit, neque signum fecit Deus; « sed verba erant nuda solùm, promittentia ea « quæ natura non pollicebatur; sed tamen *non* « *hæsitavit,* inquit. Non dixit illum non incre- « dulum fuisse; sed, *non hæsitavisse,* hoc est, « ne animo quidem suspenso, ancipiti ac dubio « fuisse; porrò autem quòd tot ei impedimenta « existerent, inde edocemur, ut innumera « etiam, quæ impossibilia quidem videantur,

« promittat Deus, nec ea admittat qui audierit, « eam imbecillitatem non ab ipsarum rerum « nasci ingenio, sed ab ejus stultitiâ, qui non « admittit. Sed *robustus factus est fide*. Vide « Pauli philosophiam. »

« Arcana ergo Dei indagare, ac diffidere, an tam stupenda sit et incomprehensibilis ejus vel potentia, vel natura, id verò et injuriosum illi est, et nobis criminosum. « Igitur ipsum hoc « tam curiosè indagare, est peccare. Quòd si « quoties inferiora, hæc curiosè nimis perscru- « tamur, inquirimusque, Deum minimè glorifi- « camus, multò magis quoties Domini ortum « supervacaneâ curiositate inquirimus, tanquàm « qui injuriam inferamus, extrema patiemur. »

« Igitur exigui semper et infirmi argumentum est animi incredulitas; nihil enim magnum, nihil excelsum sapere potest : ne de Deo quidem, ne de eo quidem quod in Deo summum et excelsissimum est, Dei ipsius essentiâ. Si qui igitur nostram nobis credulitatem probro dent, jure merito jubet Chrysostomus, ut nos multò fidentiùs illos, ut infirmos, ut pusillanimes, ut hebetes sugillemus : « Est igitur in- « credulitas mentis infirmæ, pusillæ ac miseræ. « Quamobrem quoties nobis nonnulli creduli- « tatem vitio vertent, illis contra vitio vertamus « incredulitatem, ut miseris, pusillanimibus, « insipientibus, infirmis, et asinis nihilò meliùs « habentibus. Quemadmodùm enim credulitas « animi est magni ac sublimis, ita incredulitas « animi est exilis, ratione maximè carentis, et « ad pecudum amentiam depressi. »

« Nec est quòd longè quæsitam suspicetur quis hanc nostram de incomprehensibilitate Dei disputationem. Jam enim patuit illos ipsos Eunomianos, qui catholicum de Trinitate dogma acerrimè oppugnabant, eò insaniæ provectos esse, ut Deum à se comprehendi jactarent. Esse enim illum ingenitum, unde et Filium, qui utique genitus est, Deum esse, et consubstantialem ingenito Deo esse posse negabant. Illis ergo si satis persuasum fuisset incomprehensibilem esse Dei naturam atque substantiam, non tantoperè exarsissent adversùs antiquissimam Ecclesiæ fidem de Deitate unâ simul et trinâ. Hùc spectant quinque illæ Chrysostomi Homiliæ de incomprehensibili Dei naturâ. Eo quippe uno cardine vertebatur tota inter Eunomianos, sive Arianos controversia. Si comprehendi enim potest Deus, vicêre Ariani, nec imperari cuiquam potest, ut credat summè unum et verè tria idem esse. Si comprehendi non potest Deus, ne id quidem detrectare possunt Ariani, quin tria unum esse credatur, etsi minimè comprehendatur. Ex quo rursùs liquet, quàm non immeritò paulò ante Chrysostomus eos pronuntiaret hebetes prorsùs et obtusos ac vecordes esse, qui nostram nobis objectabant credulitatem; quæ ubi de Deo agitur, laudi potiùs vertenda fuisset. Quid enim obtusius aut insulsius esse potest, quàm non capere, et naturam Dei, quæ, qualis, quantaque sit, à nobis capi non posse, et inde id effici, ut fide adiri debeat, et religione?

« Hinc rursùs ibidem Chrysostomus argumentatur : Si ex Scripturis, si ex communi hominum sensu, si ex naturæ ipsius nostræ præjudicio, et præsensione, ipsa Dei scientia, ipsa sapientia, si administratio ejus et providentia comprehendi non potest, quid substantia, quid natura intima, quid Verbi, quid Filii ejus generatio? « *Magnus Dominus*, dicat, *et magna* « *virtus ejus, et scientiæ ejus non est numerus;* « id est, nulla est comprehensio. Heus tu, quid « ais? Sapientia Dei comprehendi non potest « à prophetâ, et substantia comprehendi à nobis « potest? Nonne istud perspicua sit insania? « Magnitudo ejus nullo describitur fine, et tu « substantiam describere audes, satisque com- « plecti animo posse opinaris? Hæc eadem cùm « Isaias pro suo nobilissimæ philosophiæ stu- « dio contemplaretur : *Generationem*, dicebat, « *ejus quis enarrabit?* non, quis enarrat? sed, « *quis enarrabit?* ut omnem posteri temporis « rationem secluderet. » Hom. 26 de Incomp. Et paulò post : « Videamus an Paulus, vas « illud electionis, cognoverit, utpote quia gra- « tiâ ampliore potiretur. Omninò hic est, qui « illa refert : *Ex parte cognoscimus, et ex parte* « *prophetamus*. Nec eo loco solùm, sed etiam « alibi, non de substantiâ, sed de sapientiâ « ipse quoque disserens eâ quæ in providentiâ « versetur, non de illâ universali, quâ angelis, « archangelis, ac omnibus supernis virtutibus « providetur : sed de eâ providentiæ parte, « quâ hominibus terræ incolis consulitur, ac « de ejus ipsius parte, nec tamen totam eam « scrutatur, quâ sol oritur, quâ animæ inspi- « rantur, quâ corpora effinguntur, quâ morta- « les aluntur, quâ universus mundus conti- « netur : sed hæc omnia omittens, et particu- « lam quamdam divinæ providentiæ inquirens, « quâ scilicet Judæos neglexerit, gentiles autem « nothos receperit, amplexus sit : et ad hanc « ipsam particulam, veluti ad mare immensum « et gurgitem prærultum inspiciens, conturbatur, « deficit, et recedit, illicò voce magnâ exclamat.

« *O altitudo divitiarum et sapientiæ et scien-*
« *tiæ Dei! quàm inscrutabilia sunt judicia ejus!* »

« Cùm Paulus autem dicat Deum nunc à nobis ex parte cognosci, monet Chrysostomus non ita capi id debere, quasi naturæ divinæ partem aliquam noverimus, reliquam ignoremus, cùm ea natura sit simplicissima, et partium exors; sed quòd Deum esse sciamus, quid sit, nesciamus: « Deum igitur ipsum ex « parte cognoscit, non tamen ita ex parte, ut « partem substantiæ noverit, partem ignoret, « cùm Deus natura simplicissima sit; sed quòd « esse quidem Deum procul dubio nôrit; quid « autem substantiæ sit, omninò ignoret. » Nec valdè dissimilem esse angelorum sortem confirmat, ut qui Deum laudent magis, quàm explorent; ejus lucem non ferant, indulgentiam quâ sese eorum modulo accommodat, vix ferant: « Audiamus igitur angelos ipsos, non quòd de « divinâ substantiâ illi disputent inter sese, « atque disceptent: sed quid? glorificant, ado- « rant, et modulos triumphales secretosque « assiduè referunt summo cum timore. Alii « *gloriam in excelsis Deo* modulantur; alii, hoc « est, Seraphim: *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* « concinunt: et suos avertunt oculos, cùm ne « condescensum quidem et indulgentiam Dei « valeant tolerare. »

« Multis ille postea insectatur insolentissimam hæreticorum audaciam, qui homines se et cinerem et umbram esse gnari, non aliter sibi Deum notum esse aiebant, quàm ipse sibi notus esset: « Quod nemo unquàm dicere ausus, « ipsi se ita Deum nôsse, quemadmodùm Deus « ipse se novit, asserunt. » Summam et insaniam et impietatem ea quidem jactantia redolet; atqui non Eunomianorum ea est propria, sed eorum omnium communis, qui catholico de Trinitate dogmati adversantur; nec aliâ de causâ adversantur, quàm quia id ipsi quidem nec capiunt, nec capere se posse sperant: quippe qui præceptum illud animo et præjudicatum habeant, nec facere, nec esse posse Deum, adeòque nec Ecclesiæ suæ revelare, vel Scripturis suis consignare posse, quod capere et intelligere ipsi non possint. Hoc porrò præjudicio quid excogitari potest vel insulsius, vel non dico à pietate, sed à communi hominum sensu alienius? Apertissimæ frequentissimæque sunt Scripturarum voces, quæ Patrem, quæ Filium Deum, quæ unum Deum prædicant: apertissima est harum vocum, *Pater, Filius, Deus, unus,* intelligentia: hæc Ecclesiæ prædicatio et fides, et Ecclesia ipsa ita prædicans orbem terrarum universum occupavit tanto cœlestium testimoniorum robore et splendore, ut ne ipsi quidem Eunomiani id possent aut non videre, aut dissimulare. Unum ergo illud erat quod eos ab hâc Ecclesiæ fide alienaret, stultissimum et absurdissimum quo imbuti erant præjudicium, nec eam esse posse Dei naturam, nec eam Dei de suâ ipsius naturâ testificationem, cui capiendæ et intelligendæ essent impares.

« Juvat et illud ex Chrysostomo et Isaiâ repetere de Seraphinis, qui throno Dei magis quàm Deo ipsi astantes, alas prætendebant, ut facies suas obvelarent, intolerabili illâ luce præstricti, quanquàm illa visio mera esset Dei condescensio, et Dei ad creatas mentes se attemperantis indulgentia. Nec Isaias tantùm ita testatur, sed ipsum genus humanum consentit, ipsa cujuslibet hominis ratione præditi conscientia vociferatur, Dei summi naturam et amplitudinem infinito quodam intervallo naturas omnes creatas post se relinquere: « Dic, « quæso, quamobrem alas prætendunt, inquit « Chrysost. ibid., hom. 3, et suas operiunt fa- « cies? quid aliud dixeris causæ, quàm splen- « dorem procursantem è solio illo, et fulgur « prosiliens ferre nequire? quanquàm non « ipsam meram videbant lucem, nec ipsam sin- « ceram substantiam: sed quæ videbant, conde- « scensus erant et indulgentia. Quid nomen « hoc, *condescensus,* significat? Cùm Deus non ut « est, se ostendit; sed quoad videre is potest, « qui aspectum hujusmodi meruit, eatenùs fir- « mitate videntis suam repræsentationem me- « titur ac temperat, condescendere illum tan- « tisper dicimus: et ejusmodi rem condescen- « sum nominamus et indulgentiam. Constat et « illa condescensum fuisse verbis ipsius pro- « phetæ. *Vidi Dominum,* inquit, *sedentem.* At « Deus non sedet, corporis enim hic habitus. »

« Qui verò, ut pergit Chrysostomus, homines Deum comprehendant, vel capiant, ut ipse sibi est, cùm ne hominum quidem præstantissimus, & omnibus ingenii, eruditionis, sanctimoniæ præsidiis munitus, Danielem dico, angeli conspectum tolerare potuerit, ut auctor et testis ipsemet est? « Sed cur de beatâ illâ « substantiâ loquor, quando ne angeli quidem « substantiam homo videre liberè valeat? Quod « ut ita esse intelligatis, hominem vobis in me- « dium ducam, Deo immortali familiarem, et « plurimùm confidentem audentemque cum « sapientiâ et religione, cum justitiâ, cæteris- « que virtutum officiis, sanctum Danielem. »

« Nec Danielis tantùm hìc testimonio utemur, sed ipsius humani generis, cùm nemo sit qui non exhorreat et contremiscat ad cœlestis cujuslibet intelligentiæ præsentiam. Ita juvat enim hìc ubique naturam ipsam et hominum omnium consensionem adhibere, velut certissimè suffragantem nostris in hoc negotio Scripturis. Ut intelligant aliquando tandem novatores quicumque, non posse se à fide et Ecclesiâ catholicâ deviare, quin confestim ab ipsâ ratione suâ et à sensu ac judicio hominum omnium communi aberrent. Ita quippe experimur, quod supra nos addocebat Chrysostomus, etsi hæretici insanâ ingenii sui et acuminis fiduciâ et ostentatione abhorrere se fingant à fidelium credulitate, maximè in unius et trini Dei dogmate, totum tamen contra esse, vel ipsius hominum universæ gentis assensu. In hanc enim credulitatem consensit et conspiravit tandem humanum genus omne, invictissimè intimèque persuasum ex ipsius naturæ magisterio, summa quæque de Deo præsumi et æstimari debere; infinitâ quâdam intercapedine eminere illum supra omnes creatas mentes et intelligentias: ne Deum quidem illum esse posse, si talis, vel tantus esset, qualem, vel quantum illum capere potest homuncio, qui ne seipsum quidem, nec ullius vel vilissimæ rei naturam capit. Non capiunt fideles, quomodò et simplicissimè unus sit Deus, et verissimè tamen in personis trinus, sed credunt: quòd verò ejusmodi natura sit Deus, quam creata nulla capere mens et comprehendere possit, id verò non credunt tantùm, sed certissimè capiunt, et intelligunt evidentissimè; soli hæretici id nec credunt nec capiunt, hominum proinde jure merito stolidissimi habendi, si Chrysostomum audimus.

« Ne angelorum quidem nomina omnium, vel diversa castra explorata satis habemus; quanta est ergo Eunomianorum et Arianorum fatuitas, qui Dominum ipsum se comprehendisse venditant, cujus ne servos quidem cognitos habent: « Animadvertite hæreticorum amentiam, quæso, inquit ibid. Chrysost. hom. 4; « servorum ipsorum nomina ignoramus, et « tamen substantiam Domini ipsius exquirunt, « contenduntque comprehendere. » Denique paulò minùs ab angelis minuti cùm simus, ut loquitur Scriptura, eorum tamen substantiam haud exquisitè novimus. Nostros ipsi animos parùm novimus; quid sint, aut quomodò corporibus infusi et illigati sint, parùm novimus: quanta ergo eorum dementia, qui Dei notitiam sibi tribuebant tantam, quantam Deo ipsi? « Minuisti eum paulò minùs ab angelis. Ve« rumtamen etsi parùm discriminis est, tamen « quia interest aliquid, nescimus exquisitè an« gelorum substantiam; nec si summè philoso« phabimur, comperire unquàm quid sit pote« rimus. Sed cur de angelis loquor, quando ne « ipsius quidem animi nostri substantiam satis « novimus, imò nullatenùs attingere valemus? « Sin illi nôsse contendunt, percontare quid« nam substantiæ sit animus, numquid ignis, « num aer, num spiritus, num ventus? nihil « ex his esse dicent: hæc enim omnia corpo« rea sunt; ille incorporeus est. Tamen qui « angelos nesciunt, qui suos animos ignorant, « iidem Dominum et conditorem omnium re« rum scire exquisitè contendunt. » Ibid. hom. 5.

Dei naturam se scire, nec unam trinamque esse posse mentiuntur hæretici, et eo ipso illàm se nescire docent, cùm ea sit Dei natura, ut scientiam omnem exsuperet. Dei naturam se nescire profitentur fideles, et ipsi affirmanti quòd trinus et unus sit, ultrò se credere; et eo vel maximè illam sciunt, non Scripturâ tantùm foris, sed naturâ ipsâ intùs addocente, Deum cuicumque scientiæ præcellere et eminere. Ita vulgi fidelium ignorantia hæreticorum argutiis et disputationibus peritior est, cùm Dei id singulare sit decus, et præcellentiæ insigne, quòd modestè nesciendo sciatur, protervè sciendo nesciatur: « Quid sit autem « substantia, ait Chrysost. in psal. 138, eadem « enim rursùs dicam, et quonam modo sit ejus « majestas et magnificentia, et quisnam sit « modus eorum quæ dicta sunt, ignorat: sed « ea ipsa ignoratio est argumentum cognitio« nis; etiamsi sit mirabile quod dictum est. « Nam mare quoque quantum sit, ignoramus, « et tamen propter hoc ipsum mare maximè no« vimus, quòd ejus modum nesciamus. Si quis au« tem dicat se nôsse ejus quantitatem, is est qui « id ignorat maximè. Est igitur professio cogni« tionis, quæ arguit inscientiam; et est ignora« tio, quæ nobis fert testimonium de scientiâ. »

« Hæc eadem omnia et plura forsan alia edisseruit Chrysostomus, homiliis maximè illis quinque in hæc verba Isaïæ: *Vidi Dominum*, et in homiliâ *In Seraphim*, ex quâ hoc unum delibo de illâ Seraphinorum consternatione ad Dei præsentiam. Ut enim prior illa Dei nescientia ab eximiâ quâdam scientiâ proficiscebatur, sic et huic consternationi summa quædam exultatio permixta erat, et ineffabilis voluptas. Quantæ enim voluptatis est, Deum ut-

cumque scire, utcumque videre, qui ad plenum, uti est, sciri et videri non potest ? Deum ex parte nôsse, qui sibi soli omninò notus est? « Verumtamen nemo cùm stuporem et consternationem audit, tristem aliquem illis ingenerari timorem arbitretur ; siquidem huic « consternationi immensa quædam voluptas « est admixta. »

Ita ergo jactantia illa, quâ inaniter gestiunt, qui nihil se de Deo credere gaudent, nisi quod capiunt, non lætitia, non gloria est, sed insania, et suî cæca venditatio ; et ex adverso Catholici, cùm de Deo plura credunt quàm capiunt, cùm ejus amplitudini supra suam ipsorum, supra cujuscumque creaturæ imbecillitatem assentiuntur, applaudunt, et congratulantur, arcanâ quâdam et sobriâ, sed suavissimâ voluptate perfunduntur.

« Huic Chrysostomi doctrinæ ita succinebat, et eadem premebat adversùs Arianos argumenta Isidorus Pelusiota l. 3, epist. 386 : « Si « sanctus Daniel, angelum conspicatus, atque « ex conspecti pulchritudine admiratione perculsus, in terram pronus cecidit, spectaculi « videlicet novitate attonitus, quamnam tandem « excusationem habituri sunt, qui Patri et Filio « arbitros ac sequestros se præbere audent, naturamque, omnem sermonis facultatem superantem, sermonibus superare aggrediuntur. »

« Audi et Epiphanium de insanâ Anomæorum in rebus divinis dijudicandis suî fiduciâ, hæres. 76, n. 4 : « Qui quidem omnes tantam « ad cæcitatem insolentiamque provecti sunt, « ut illud vulgò jactarent : Tam perspicuè « Deum novi, ac tantam illius notitiam sum « consecutus, ut ne me ipsum quidem meliùs « quàm Deum noverim. » Et rursùm inferiùs : « Memini hoc ab illis usurpari solitum : Deum « se non fidei modò intelligentiâ, sed perinde « animo concipere, ac quilibet aspectabilia ista ac « tractabilia cognoscit : ut puta si quis lapidem, « aut lignum, aut alterius materiæ instrumentum capiat. Ita quidem audax ille ac temerarius « loquitur : Tam Deum intelligo, quàm meipsum; « imò tam meipsum non novi, quàm Deum. »

« Cùm urgebantur autem, quo tandem possent modo Deum dilucidè cognoscere, cùm in terrestrium etiam rerum naturâ et proprietatibus cæcutirent, respondebant corporea hæc cùm sint, minùs percipi à mentibus nostris posse, quibus contra obvius et notissimus esset Deus, quo nihil infacetius dici poterat, et quotidianæ omnium hominum experientiæ infestius, qui de rebus materialibus qualemcumque per sensus notitiam hauriunt, in spiritalibus autem angelicisque substantiis, imò et in animis ipsis suis dignoscendis hebetes cæcique prorsùs sunt. « Hæc cùm illis objiciuntur, ut ab illius sectatoribus audire me« mini, ad sophistica quædam commenta, ca« villationesque sese convertunt, et ex illius « præscripto ita respondent : Hæc omnia cor« porea sunt, nec à nobis percipi possunt ; « Deum verò, qui hæc ipsa condidit manifestè « cujusmodi sit, quove modo, ac qualis, quis« ve sit intelligimus. Quis hæc sine risu possit « audire ? Est enim longè illud sanè stultissi« mum, summum illum et incomparabilem opi« ficem, qui nullo sermone declarari potest, « scire se, atque accuratè percepisse profiteri. »

« Nec ab his dissidet Dionysius Areopagita, qui Deum à nobis intelligi ait esse substantiam, mentem, unitatem supra omnes substantias, mentes, unitates, infinitâ quâdam intercapedine evectam ; substantiarum, mentium, unitatum omnium causam et originem, adeòque ipsis inaccessam ; ut quæ omnium causa sit, ipsâ verò nihil omnium sit : « Eâdem planè « ratione veritatis supra substantias, inquit « de div. Nomin. c. 1, n. 1, est illa supersub« stantialis infinitas ; et supra mentes illa su« pra mentem unitas ; et omnibus ratiocina« tionibus inscrutabile est illud supra ratiocinationem unum ; omnique verbo ineffabile « est illud supra verbum bonum ; unitas effe« ctrix universæ unitatis, et substantia supra « substantiam, et mens non cadens sub intelli« gentiam, ratio non effabilis ratione, intelli« gentiâ nomineque vacans, nullius rei similitudinem habens : quæ quidem causa est ut omnia « sint, ipsa verò non est, ut quæ quiescit extra « omnia quæ sunt, quemadmodùm etiam ipsa « de se propriè scitèque hæc effari potest. »

« Nec enim intelligi à nobis possunt, nisi quæ sunt, et intelligibilia sunt : at Deus est supra ipsum esse et intelligere : « Quemque « nec mente concipere, nec oratione proloqui « valemus, neque visu quomodolibet intueri, « eò quòd sit omnibus exemptus, et eminenter « ignotus, ut qui simul omnes omnium cogni« tionum essentialium, virtutumque termina« tiones superessentialiter in semetipso antici« pârit, cunctis cœlestibus intelligentiis emi« nentior incomprehensâ virtute collocatus. « Etenim cùm notiones omnes sint entitatum, « et ad entitates terminentur, is qui omni en« titate sublimior est, omnem quoque effugit « cognitionem. » Ideòque etsi unus dicatur à

nobis Deus, et trinus, et bonus, et sapiens, et jure dicatur; ideò ejusmodi nominibus designatur, quòd in ea nobis præiverint litteræ sacræ, vel religiosæ sanctorum Patrum traditiones; cùm aliàs Deus sit supra hæc omnia, supra unum, supra tria, supra bonitatem et sapientiam. Quorsùm ergo de his contendere, et non totos incumbere Scripturarum traditionumque avitarum auctoritati, cùm Deum natura ipsa et insita nobis ratio dictet esse supra id omne, quod vel cogitare de ipso, vel dicere possumus : et tutius esse nihil, quàm acquiescere iis quæ de illo nobis affirmant, quæ ab ipso manârunt Scripturæ, Scripturarumque fidissimæ interpretes traditiones Patrum : « Unum illud, ignotum, supra sub-« stantiam, seipso bonum, quod est, trinam, « inquam, unitatem, simul-Deum, simul-bo-« num, neque verbis eloqui, neque cogitando « assequi valemus. »

« Inde est quòd non aliàs unquàm magis propriè de Deo cogitat quisquam, aut loquitur, quàm cùm negando potiùs et auferendo id facit, quàm affirmando, aut apponendo. « Laudant « ipsum propriissimè ex rerum omnium abla-« tione; hoc ex beatissimâ illâ cum Deo unio-« ne supra naturam verè per illuminationem « eruditæ; ut Deus omnium quidem rerum « causa sit, ipse verò nihil earum existat, sed « ab omnibus sit superessentialiter exemptus. »

« Ex effectis enim tantùm Deus à nobis intelligitur : in seipso autem quid sit, nec mente, nec linguâ attingi potest. « Divina enim « omnia, etiam illa quæ non apparuerunt, so-« lis participationibus cognoscuntur : porrò « ipsa, cujusmodi in suo principio suâque sede « propriâ existant, nullus sensus attingit, nul-« la natura nullaque cognitio penetrat. » Filium et Spiritum sanctum à Patre manare, affirmant sacræ litteræ : id tenemus : qui id fiat, nec scire nobis datur nec eloqui : « Rursùm à Scripturis sacris accepimus, « Patrem quidem esse originem in divinis, « Jesum verò et Spiritum sanctum, quasi Dei « prolem, vel, si dictu fas sit, quasi germina « divina, floresve ac lumina supersubstantialia « existere : quonam autem pacto sese habeant, « neque eloqui, neque intelligere valemus. »

« Iis consentiunt, quæ habet idem Dionysius in ipso mysticæ suæ Theologiæ vestibulo, supra Deitatem, supra Unitatem, et supra Trinitatem esse verè Deum, ut à nobis hæc capiuntur : spectari eum certiùs in caligine, quàm in splendore; in negationibus, quàm in affirmationibus; in ablationibus, quàm in positionibus; imò tum meliusculè eum dici, cùm supra et negationes et affirmationes, supra ablationes et positiones quascumque constituitur : et quando in eo intelligimus non pugnare negationibus affirmationes. Quæ cùm ita sint, cùm ita dictet antiquissima theologia, cùm philosophia ipsa Platonica ita docere, ita sentire et fari præcipiat, cùm innatum ipsum rationis lumen, et inscripta à Deo conscientia ita magnificentissimè de Deo sentire nos cogat, unde et ita senserunt Platonici, quis jam neget tam in Deo cohærere et coalescere posse unum et tria, quàm affirmationes et negationes? « Tri-« nitas supernaturalis, inquit mystic. Theol., « c. 1, et supraquàm divina et supraquàm « bona theosophiæ Christianorum præses, « dirige nos ad mysticorum oraculorum plus « quàm indemonstrabile, et plusquàm lu-« cens summum fastigium, ubi simplicia, et « absoluta, et immutabilia theologiæ myste-« ria aperiuntur in caligine plus quàm lucente « silentii arcana docentis, quæ in obscuritate « tenebricosissimâ plusquàm clarissimè su-« perlucet, et in omnimodâ intangibilitate « atque invisibilitate, præpulchris splendoribus « mentes oculis captas superadimplet. Hæc « quidem mea sint vota. » Et infra : « Cùm « oporteret in eâ, ut omnium causâ, omnes « entium affirmationes statuere, ac de eâ affir-« mare, quin illas ipsas omnes de eâ magis « propriè negare, tanquàm supra omnia super-« existente, nec existimare negationes affir-« mationibus esse contrarias; sed ipsam, multò « priorem et superiorem privationibus, esse « supra omnem et ablationem et positionem. »

« Postremò ex eodem Dionysio, ibid. c. 4, ubi de Deo verba facimus, tanta est negationum, non licentia, sed proprietas, ut ea etiam de eo negentur, quæ summam quamdam præ se ferre videntur perfectionem, et quæ illi in sacris Codicibus adscribuntur; quanquàm eadem rursùs illi utique tribuenda sint, cùm et de eo loqui plerùmque necesse sit, nec aptiùs aut religiosiùs id fieri possit, quàm si Scripturis ipsis ab eo dictatis sermones omnes nostri conformentur. Itaque verissimè in Deo et bonitas est et sapientia, et paternitas et filiatio : quando hæc ipsemet de se ipso in Scripturis affirmavit; et hæc omnia tamen rursùs de eo negantur, prout ea non nisi demissè et humiliter à nobis intelliguntur, et ei non conveniunt, nisi eminentissimâ quâdam et inenarrabili ratione, ut omnium causæ et

principio, ut super omnia incomparabiliter eminenti. Hæc cùm ita sint, et non philosophorum ac theologorum tantùm omnium consensione firmentur, sed ipso etiam naturæ instinctu sensuque intimo et stupore, quem naturæ medullis Deus ipse inseruit, quis ausit jam cum Arianis insanire et dicere, Deum se comprehendisse, vel tam notum habere, quàm ipse sibi notus est, vel satis perspectam sibi esse ejus naturam, ut negare possit verè Patrem esse, vel Filium, etsi in Scripturis id dicitur, aut verè unum Trinumque esse, etsi in ejus trinæ unitatis nomine baptizari nos jubeant evangelicæ præceptiones? » Neque ve- « ritas est Deus, prosequitur ibid. Dionysius, « neque regnum, neque sapientia, nec unum, « nec unitas, neque divinitas, neque bonitas, « neque spiritus est, ut nos spiritum cognosci- « mus: nec est filiatio, neque paternitas, nec « aliud quidquam eorum, quæ nobis, aut ulli « eorum qui sunt, cognita sunt; neque aliquid « eorum quæ non sunt, neque quæ sunt; « neque quæ sunt eam cognoscunt, quatenùs « est, nec ipsa cognoscit quæ sunt quatenùs « sunt: » Et paulò post: « Nec est ejus in « universum positio, nec ablatio: imò cùm « eorum, quæ post ipsam sunt, positiones et « ablationes facimus, ipsam neque ponimus, « neque tollimus, quia supra omnem positio- « nem est perfecta; et singularis omnium causa, « et supra omnem ablationem exsuperatio om- « nium simpliciter abstracta, et ultra omnia. »

CAPUT II.

De eodem ex Patribus Latinis, posse Deum ea facere, et multò magis esse, quæ nobis impossibilia videntur: adeòque nec pugnare, ut credatur à nobis Unus esse et Trinus.

« Naturas ipsas corporeas Ambrosius voluntatis divinæ potissimùm præcepto docet consistere; nec necesse esse, ut alias præterea rerum quarumlibet causas et rationes scrutemur. Ut sint enim, et ejusmodi sint, satis causæ esse in jussione divinâ. Cur terra ponderibus librata suis, supra ipsum inane et instabile, stabilis et plena persistat, in causâ est Dei voluntas. Ita Scripturæ affirmant, ita sana et sobria philosophia, ita ipsa, si fari licet, experientia. Quis enim satis solidas comminisci potuit rationes ullas alias? Ergo si terrena hæc substantia, utcumque eam perscrutemur, ad Dei voluntatem referenda est, quid divina ipsa natura? an nostris argumentationibus subjicienda erit, vel potiùs talis existimanda, qualem se ipsa nobis prædicavit per Scripturas, per Ecclesias Scripturarum custodes, et interpretes? « Neque enim creatura legem tri- « buit, sed accepit, et servat acceptam. Non « ergo quòd in medio sit terra, quasi æquâ « lance suspenditur, sed quia majestas Dei « voluntatis suæ eam lege constringit, ut supra « instabile atque inane stabilis perseveret. Si- « cut David quoque propheta testatur, dicens « *Fundavit terram super firmitatem ejus: non* « *inclinabitur in seculum seculi.* Non utique hìc « quasi tantùmmodò artifex Deus, sed quasi « omnipotens prædicatur, qui non centro quo- « dam terram, sed præcepti sui suspenderit fir- « mamento, nec eam sinat inclinari. » Et paulò post: « Ego tamen qui profundum majestatis « ejus, et artis excellentiam non queo compre- « hendere, non disputatoriis me liberamentis « committo atque mensuris; sed omnia reposita « in ejus existimo potestate, quòd voluntas ejus « fundamentum sit universorum, et propter eum « adhuc mundus hic maneat. » Hexam. l. 1.

« Et infra, l. 2, de situ cœlorum et elementorum disputans, ubi aliqua naturæ ipsi corporum repugnare videntur, et aliquid impossibilitatis præ se ferre: « Audi verba Dei, *fiat*, « dicit. Jubentis est, non æstimantis. Imperat « naturæ, non possibilitati obtemperat, non « mensuras colligit, non pondus examinat. Vo- « luntas ejus mensura rerum est; sermo ejus fi- « nis est operis. » Et paulò post: « Quomodò jubet « quod scit secundùm elementorum rationem es- « se contrarium? Sed cùm sermo ejus ortus natu- « ræ sit, jure usurpat dare legem naturæ qui ori- « ginem dedit. « Et rursùs paulò inferiùs: « *Om-* « *nia quæcumque voluit fecit.* Quid enim difficile ei, « cui velle, fecisse est? Fluitat igitur illis impos- « sibilitatis ratio, cùm de Deo disputant, cui verè « dicitur: Quia impossibile tibi nihil est. » Denique non multò post: « Hærere aquam cùm « labitur, rursùmque redire in superiora sine « ullo repagulo, impossibile habetur; sed quid « impossibile ei, qui dedit posse quibus voluit? »

« At disertè idem Ambrosius libro de Fide contra Arianos, cap. 56, ex ipsâ naturæ divinæ incomprehensibili et incomparabili majestate declarat, non esse quòd quisquam abhorreat ab eâ vel Scripturâ, vel Ecclesiæ fide, quæ Filium Patri æqualem et coævum prædicat; quæ Deum unum trinumque affirmat; cùm assentiatur natura ipsa et ratio, Deum eò æstimari quòd inæstimabilis sit; quòd quantus qualisque sit, nec mente concipi possit: quòd nulli præterea naturæ assi-

milari, vel comparari possit; quòd metuendo magis quàm quærendo sciatur: « Cujus voce « descriptum est: *Cui me comparabitis?* ac « proinde Deus, cui assimilari nihil potest, « sufficiat credi, quod ipse sentitur; quem « ipse credi se voluit, non indicari. » Et infra: « Quippe cùm constet lumen illud quod Deus « est æstimari, comprehendi et definiri non « posse. Nec verè aliquid ex his quæ in hoc « mundo sunt majestati divinæ comparari, « quia nihil de omnibus istis quæ videntur aut « dicuntur secundùm id quod Deus est, con- « dignâ similitudine æstimari potest; quippe « cùm ipsis intellectibus et sensibus major « sit. Idem præmonuit ut divinitatem substan- « tiæ crederes, et verum Filium de vero Patre « cognosceres. De qualitate autem rei requirere « non deberes, quia quale aut quantum sit, scire « non possis. Hoc enim prophetæ, hoc Apostoli « prædicârunt. » Et rursùs: « Denique pro cap- « tu, pro viribus, pro fide nostrâ intueamur, « Deus quid sit, et videamus an ei aliquid pos- « sit comparari. Certè hic est, de quo et cùm « dicitur, non potest dici. Cùm æstimatur non « potest æstimari. Cùm comparatur non po- « test comparari. Cùm definitur ipsâ suâ de- « finitione crescit. Qui cœlum manu suâ operit, « pugno omnem ambitum mundi claudit. Quem « totum omnia nesciunt, et metuendo sciunt. »

« Ex quibus perspicuum est, etsi non sta- tim Deo ascribenda sint quæ impossibilia nobis videntur, cùm multa id genus merè commentitia esse possint, non debere tamen cordatum quemquam ac religiosum abhorrere ab eâ de Deo fide amplectendâ, quæ in Scripturis, quæ paternis traditionibus, quæ constantissi- mis Apostolorum et Ecclesiarum prædicationi- bus fundata et toto orbe receptissima est; etsi non occurrat illa animis nostris, nisi cum imagine quâdam impossibilitatis. Ut enim potentia, ita et essentia divina ultra limites et angustias mentium quarumlibet creatarum indubitatis- simè et latissimè exporrigitur: ut ei non possint inconcessa et impossibilia esse, quæ nobis sunt. His sanè adstipulabatur Hilarius, de Trinit. l. 1, ubi germanæ in Deum pieta- tis hæc fundamenta adstruebat, ut nihil dig- num Deo arbitraremur, quàm eum ultra intelli- gentias omnes nostras protendi, etiamsi in infinitam quamdam amplitudinem cogitatio se nostra extendat: « His igitur religiosissimis de « Deo opinionibus veri studio detentus animus « delectabatur. Neque enim aliud quid dignum « esse Deo arbitrabatur, quàm ita eum ultra « intelligentias rerum esse: ut in quantum se « ad aliquem præsumptæ licet opinionis mo- « dum mens infinita protenderet, in tantum « omnem persequentis se naturæ infinitatem « infinitas immoderatæ æternitatis excederet. » Et aliquantò post: « His itaque piæ opinionis « atque doctrinæ studiis animus imbutus, in « secessu quodam ac speculâ pulcherrimæ hu- « jus sententiæ requiescebat; non sibi relictum « quicquam aliud à naturâ suâ intelligens, in « quo majus officium præstare Conditori suo « minusve posset, quàm ut tantum eum esse « intelligeret, quantus et intelligi non potest, « et potest credi. »

« Plebeiis pusillisque semper animis familiare est, suo modulo omnia æstimare; quod non capiunt non credere, supra seipsos nunquàm assurgere; res divinas ad se potiùs de- primere, quàm ut ipsi ad eas connitantur. At contra qui ingenio valent, qui celso sunt animo, ad ulterius semper aliquid pro virili eluctantur; et quæ necdùm capiunt, fide complectuntur, eis assuescunt, atque ita tan- dem id assequuntur, ut ea intelligere et me- reantur et possint. Grandescit enim et conva- lescit, ampliaturque animus jugi ad summa nisu suo et consuetudine. Idem aliquantò post Hilarius: « Ratio communium opinionum con- « silii cœlestis incapax, hoc solùm putet in « naturâ rerum esse, quod aut intra se intel- « ligat, aut præstare possit ex sese. Dei autem « virtutes secundùm magnificentiam æternæ « potestatis, non sensu, sed fidei infinitate « pendebat, ut Deum in principio apud Deum « esse, et Verbum carnem factum habitâsse « in nobis, non idcircò non crederet, quia « non intelligeret; sed idcircò se meminisset « intelligere posse, si crederet. »

« Hæc ipsa ex Hilario eximia est et summa quædam scientia de Deo, scire quòd sciri non possit: scire quòd nec ignorari possit, nec sciri; scire quòd credendo et adorando maxi- mè sciendus, intelligendus et colendus sit. « Perfecta scientia est, sic Deum scire, ut « licet non ignorabilem, tamen inenarrabilem « scias. Credendus est, intelligendus est, ado- « randus est, et his officiis eloquendus est. » Solatio mox ait ille id et sibi esse, et nobis esse debere, quòd et angeli ipsi incomprehen- sibilem Verbi ex Patre nativitatem non usque- quàque assequantur: quòdque ne nostram quidem ipsi nativitatem intelligamus. Si in nos- trâ enim et intelligendâ et dicendâ caligamus et hebescimus, quid in divinâ? Filios procreat

homo sibi consubstantiales ; qui id fiat, an capit, an intelligit ? sensum, cor, oculos proli suæ affigit, an intelligit quomodò id fiat, quomodò id faciat ? Si tam mira hæc est humana generatio, ut et imperscrutabilis ipsi sit homini, quid divina ? « Et si quis fortè intelligentiæ « suæ imputabit generationis hujus sacramen- « tum non posse se consequi, cùm tamen et « Pater sit absolutè intellectus et Filius, majore « istud dolore à me audiet ignorari. Ego ne- « scio, non requiro, et consolabor me tamen. « Archangeli nesciunt, angeli non audierunt, « secula non tenent, propheta non sentit, « Apostolus non interrogavit, Filius ipse non « edidit. Cesset dolor querelarum. Non te, « quisquis es qui hæc requiris, revoco in ex- « celsum ; non in amplitudinem tendo, non « deduco in profundum : nonne æquanimiter « ignorabis Creatoris nativitatem, ignorans « originem creaturæ ? Hoc saltem requiro, « sentisne te genitum, et quæ ex te generan- « tur intelligis ? » Et statim ibidem : « Non « quæro sensum unde hauseris, vitam unde « sortitus sis, intelligentiam unde adeptus sis, « quale sit quod in te est, odor, visus, sen- « sus, auditus ? Certè nemo quod facit, ne- « scit ; quæro unde ista iis quos generes in- « dulgeas, qualiter sensum inseras, oculos « accendas, cor affigas. Hæc si potes, enarra. « Habes ergo quæ nescis, et tribuis quæ non « intelligis ; æquanimiter imperitus in tuis, « insolenter in Dei rebus ignarus. »

« Piè tamen quærendum illud divinæ generationis arcanum, quod non inveniri tantùm, sed et quæri profectus sit, voluptas et sanctitas sit. Quæ summa enim et incomprehensa sunt, non datur quidem assequi, sed sequi datur, et in eo ipso plus utilitatis, plus suavitatis, plus dignitatis et sanctitatis consequi, quàm reliquis in omnibus assequendis. « In- « cipe, procurre, persiste, et si non per- « venturum sciam, et gratulor tamen profec- « turum. Qui enim piè infinita persequitur, « etsi non contingat aliquando, tamen pro- « ficiet prodeundo. »

« Joannes ipse, qui de Verbi generatione æternâ scripsit, etsi eam non pervadere, non pervidere, sed delibare tantùm et summatim attingere potuerit, amplius id sibi duxit, quàm mortuos resuscitare. « Quærite et intelligite, « prosequitur Hilarius ; circumspicite utrùm « mirabilius fuerit mortuos excitâsse, an im- « perito scientiam doctrinæ istius intimâsse. « Ait enim : *In principio erat Verbum.* » Permirum et stupendum illud quidem est, reviviscere mortuos ; at non paulò forsan amplius est, piscatores in hæc divina arcana oculos inferre, ut invisibilia videant, et inenarrabilia narrent, et humani generis imperitissimam etiam multitudinem doceant, et insuefaciant de Deo ita magnificè sentire, ut et possit, et sit, quòd creatis omnibus mentibus impossibile videatur ipsum esse, vel posse.

« Hoc enimverò est quod ait Apostolus, infirmum et stultum Dei fortius et sapientius esse hominibus. Unum tria esse, tria et unum idem esse, hoc credi stultum, hoc insanum esse stultis et insanis videtur hominibus, ultra modum tenuissimi sui ingenii nihil sapientibus, nihil credentibus, cùm ex adverso si quid saperent, quotidianis experimentis addiscerent, paucissimas esse res in hoc toto terrarum orbe, quæ non eorum captum superent. Quantæ ergo infirmitatis, quantæ stultitiæ est, vilissimas quasque naturas earumque causas impervias et ignotas sibi esse experiri, et de divinâ tamen naturâ diffidere et inficiari, si quid ignotum sibi et impervium affirmetur ? « *Quia quod infirmum est Dei, for-* « *tius est hominibus ; et quod stultum est Dei, sa-* « *pientius est hominibus.* Omnis itaque infideli- « tas stultitia est, quia imperfecti sensûs sui « usa sapientia, dùm omnia infirmitatis suæ « opinione moderatur, putat effici non posse, « quod non sapit. Causa enim infidelitatis de « sententiâ est infirmitatis ; dùm gestum esse « quis non putat, quod geri non posse defi- « nîat. » Quinimò summæ apud homines specimen sapientiæ esse debet, ut de Creatore sapiant, quæ vires, captum et acumen superant cujuscumque creaturæ. « Ergo *quidquid* « *pereuntibus stultitia est, hoc iis qui salvantur,* « *Dei virtus est*, quia nihil naturalis sensûs in- « firmitate moderantur, sed divinæ potestatis « efficientiam secundùm infinitatem cœlestis « virtutis expendunt. Et idcircò *sapientiam* « *sapientium, et intelligentiam intelligentium* « *Deus improbat*, quia per opinionem stultitiæ « humanæ credentibus salus tribuitur : dùm « et infideles quæ extra sensum suum sunt, « stulta esse decernunt, et fideles potestati ac « virtuti Dei omnia largiendæ sibi salutis suæ « sacramenta permittunt. »

« Abjiciendi ergo sunt humani sensus affectusque omnes, ut de Deo prout æquum est sapiamus : ut ipsâ Dei de seipso sapientiâ imbuamur ; sentiamus quod sentit, sapiamus de ipso quod sapit ipse, quod docet, quod pro-

nuntiat, sui sibi conscius, supra omnes naturarum leges provectus. « Assumenda autem « nobis est stultitia, ut sapientiam sumamus : « non impudentiæ sensu, sed naturæ nostræ « conscientiâ : ut quod cogitationis terrenæ « ratio non concipit, id nobis rursùm ratio « divinæ virtutis insinuet. Cùm enim reco- « gnitâ stultitiæ nostræ intelligentiâ, imperi- « tiam naturalis in nobis imprudentiæ sense- « rimus, tum per divinæ sapientiæ prudentiam « ad Dei sapientiam imbuimur, cùm sine modo « virtutes Dei ac potestatem metiamur, na- « turæ Dominum non intra naturales leges « cohibeamus, cùm hoc solum de Deo benè « credi intelligamus, ad quod de se creden- « dum ipse sibi nobiscum et testis et auctor « existit. » Tria et unum idem esse, naturæ legibus repugnat : at ex Hilario, l. 9, « non « subjacet naturæ legibus, à quo legem om- « nis natura sortitur : neque in aliquo infirmi- « tate aut demutatione efficiendi detinetur, « qui extra modum est potestatis, secundùm « Domini dictum : *Pater, possibilia tibi sunt* « *omnia.* Ut quantùm sensus humanus non ca- « pit, tantùm Deus possit. »

« Interrogaverat Marcella Hieronymum, « quæ « sint illa apud Paulum, *quæ nec oculus vidit,* « *nec auris audivit, nec in cor hominis ascende-* « *runt, quæ præparavit Deus his qui diligunt* « *eum.* » In his certè vix ambigere quisquam possit, quin sit arduus ille intuitus summæ Unitatis, quæ nihilominùs Trinitas sit. Vide autem ut absolutè respondeat Hieronymus : « Brevis responsio est, non debere nos quærere « quid sit illud, *quod nec oculus vidit, nec auris* « *audivit, nec in cor hominis ascendit.* Si enim « ignoratur, quomodò sciri potest? Quod pro- « mittitur in futuro, non cernitur in præsenti. « Spes enim quæ videtur, non est spes, sed « jam certa possessio : quomodò si velit quis- « piam dicere : Ostende mihi quod invisibile « est; loquere quod audiri non potest; expone « quod cogitatio non comprehendit humana. »

« Libet hìc attexere quod narrat Gennadius in Catalogo virorum illustrium de beato Ephrem diacono, quid ab eo consilii datum sit Paulino presbytero, acris viro ingenii, et divinorum infatigato scrutatori : « Huic obiturus beatus « Ephrem astanti sibi dixisse fertur : *Vide,* « *Pauline, ne te submittas cogitationibus tuis, sed* « *cùm te ad purum comprehendisse putaveris* « *Dominum, crede nec intellexisse.* Præsenserat « enim illud ex studiis, vel sermonibus ejus, « nova investigare, et immensum intellectum « tenere; unde eum frequenter *Bardazenem* « *novellum* vocabat. »

« A Fulgentio quoque illud animadversum est, ubi mens humana supra se surgere enititur, tum eam ad Creatoris, ad beatæ Trinitatis substantiam properare; at illicò invia ejus adita occurrere; propterea quòd tam necesse est illam supra id omne esse quod sapimus, quàm supra id omne quod sumus : « Quoties « humanæ conditionis infirmitas semetipsam « protinùs cognitura, fines molitur aliquatenùs « suæ parvitatis excedere, atque cœlestis illu- « minationis prægnata conceptu, Conditoris « sui ac Redemptoris inquisitionem cœperit « parturire; sola, quantùm arbitror, immuta- « bilis illa sempiternitas Trinitatis reperietur « incomprehensibilitatis digna miraculo, quæ « sic excedit omne quod cogitare vel sapere « possumus, sicut superat omne quod sumus. » Fulgent. l. 2 ad Trasim. c. 1.

« Cùm anima nostra nec extra se, nec supra se sit, sed intima sibi et præsentissima sit, quanta quanta est, videre tamen et ad unguem noscere semetipsam non potest. Ecquid ergo noscet ipsam summæ Trinitatis substantiam, infinito quodam intervallo supra naturas omnes creatas eminentem? « Ut cùm naturæ « suæ investigationem, inquit Fulgentius ibi- « dem, quæ extra se non est, et intimam sibi « cerneret et occultam, ita ut tamen supra se « non sit, atque in se sit, totum se, sicut est, « vestigare non possit : eò magis pavescens « admiransque supernæ infinitatis magnitudi- « nem, omnes intelligentiæ terminos exceden- « tem, cujus *pax*, sicut Paulus dicit, *superat* « *omnem intellectum,* cujus etiam *judicia abyssus* « *multa* : solo se ad cognitionem Altissimi « humilitatis ascensu respiceret provehi, à « quo superbæ cogitationis casu quondam me- « ruit segregari. »

« Sibi uni nota est illa Unitas trina, illa Trinitas una, propterea quòd naturæ consentanea est scientia, et pariter vel finita, vel infinita. « Ibi autem est plena suî cognitio, ubi non est « naturalis ulla discretio : immensus namque « ab immenso plenè cognoscitur, et scientiæ « infinitas manet, ubi substantia finem ullum « omninò non habet : nec scientiæ terminus « ab aliquâ creaturâ contingi ullo modo po- « test, ubi quod immensum est, nullatenùs « terminatur. »

« Chrysologus negat Deum fore, si omnipotens non sit; negat omnipotentem fore, si quid sit quod non possit : si non possit gene

rare Filium et æternitate et substantiâ sibi parem. Ergo cùm Deum esse et omnipotentem esse, non Scriptura tantùm, sed rerum natura, et conscientia animæ prædicet, non potest jure quisquam resilire ab eâ fide, quæ jam ubique terrarum propagata est de nativitate Filii Deo Patri consubstantialis. Si enim negatur posse Deum suammet ipsam et substantiam et æternitatem Filio communicare, jam ergo negatur omnipotens esse, et eo negando et natura et conscientia animæ rationalis sibi ipsi adversatur. « Semper ergo Filium fuisse credas, ait Chrysolog. serm. 62, « ne Patrem semper non fuisse blasphemes. « Sed dicis : *Si genuit, quomodò semper habuit? « si semper habuit, quomodò genuit?* Qui interrogas, fidem denegas, quam fateris : *Credo,* « dixisti ; si credis, unde venit : *Quomodò?* « quomodò sermo dubitantis est, non credentis. *Credo,* dixisti, *in Deum Patrem omnipotentem;* si est quod non potest, omnipotens « non est. » Idem rursùs alibi solâ fide et credulitate quærendum nobis esse Deum ita admonet, ut qui jam Deus non esset, si tantus esset duntaxat, quantum intelligere homo, vel creata mens quælibet posset. Idem Chrysolog., serm. 131 : « Sæpè diximus quòd Deus corporeis oculis non videtur, quòd Divinitas « non clauditur mente carnali, quòd humana « ratio rerum non capit Conditorem, sed Deum « sola fides attingit, credulitas sentit tota; nec « quantus est, sed quia est, hominis quantuscumque est intuetur aspectus. Denique Moyses, qui de servo in amicum, de homine « promovetur in Deum, Dei faciem quærit, « sed non invenit; petit, sed non accipit; et « ut posteriora tantùm Dei videat, admonetur; quatenùs homo Deum quærat sequi, non « præcedere. »

« A quibus non dissonant ista sancti Maximi Taurinensis in homiliâ de Expositione Symboli, ubi profitemur credere nos in Deum Patrem omnipotentem. Omnipotentem esse palàm facit et rerum natura, et ingenita conscientia. Quisquis ergo reliquam complexus est christianam fidem, non potest ille tergiversari, ne Deum Patrem verè Patrem credat, et Filii non degeneris Patrem : ne si hinc resiliat, et fieri id non posse dicat, jam professam omnipotentis Dei fidem ejuret : « Credendus sine dubio est Deus Pater omnipotens, cujus sic virtus sentitur, ut quantitas « ejus et qualitas ignoretur. Esse enim illius « et posse non discutiendo assequimur, sed « credendo. Quem autem credere debeamus, « edocet nos Redemptoris nostri auctoritas, « dicentis : *Qui credit in me et in eum qui me « misit, habet vitam æternam.* Et alibi : *Creditis « in Deum, et in me credite.* Plus est, fratres, « quod fidei oculis intuemur, quàm sensus « possit videre carnalis. *Creditis,* inquit, *in « Deum Patrem omnipotentem.* In Deo natura « innascibilis, in Patre Unigeniti veritas, in « Omnipotente plenitudo virtutis ostenditur. « Est namque per ingenitam Deitatem Omnipotens, et per omnipotentiam Pater. Nec disquirendum qualiter sit Pater, quia qualiter Deus « sit aut Omnipotens, non potest comprehendi. »

« Non desperat Bernardus, quin comprehendi possit Deus, si modò audiamus Paulum, qui comprehendi illum hortatur cum omnibus sanctis. Nec enim aliter comprehendi à nobis potest, quàm sanctitate. Nec curiositate, non audaci perscrutatione, non totâ mentis acie, aut perspicacitate, sed sanctitate, et mentis religiosâ sobrietate ; quæ, comperto Deum unum trinumque toto orbe præd cari, nec sine divino numine toto terrarum orbe convaluisse, et in dies magis magisque invalescere, et barbaras quasque gentes perdomare eam religionem, quæ ita prædicat, incunctanter assentitur, nec controversiam omnipotenti Deo facit de potestatis suæ finibus, ut ne vel facere extra se, vel esse in semetipso possit, nisi quod humana mens approbari, et credi posse duxerit. Quæ christianæ fidei et Ecclesiæ subinde accedunt novæ gentes, eæ de Deo sapiunt sapientiùs, saniùs, sanctiùsque, quàm Ariani, quàm hæretici omnes consubstantialis Trinitatis adversarii. Ubi enim semel sentiunt christianæ fidei et prædicationi assentiendum sibi esse, tunc et aspirante divinâ gratiâ et naturæ ipsius magisterio intùs personante, confitentur, nullos prorsùs divinæ essentiæ et omnipotentiæ fines præscribi debere, nedùm angustos illos fines, quos humana mens identidem experitur, et præscriptos esse suæ intelligentiæ, et arctissimos esse. « Novimus hæc. Num ideò et arbitramur « nos comprehendisse? Non ea disputatio comprehendit, sed sanctitas : si quo modo tamen « comprehendi potest, quod incomprehensibile est. At nisi posset, non dixisset Apostolus : *Ut comprehendamus cum omnibus sanctis.* « Sancti igitur comprehendunt. Quæris, *quomodò?* Si sanctus es, comprehendisti et « nôsti : si non es, esto, et tuo experimento « scies. »

« Nec ea quæ hìc à nobis disputata sunt ex Græcis, Latinisque Patribus prohibent, quin summa illa Trinitatis substantia, quæ à christianis fidelibus creditur, intelligatur etiam saltem à paucis. Id enim disertè affirmat Augustinus de Genes. ad litt. l. 7, c. 3, 4 : « Nos enim credimus Dei naturam atque substantiam, quæ in Trinitate creditur à multis, « intelligitur à paucis, omninò esse incommutabilem. » Expressè, ut vides, pronuntiat à paucis saltem intelligi, et non tantùm credi unius trinæque Deitatis essentiam. Et quidem dupliciter id mihi videtur posse intelligi. Primùm quidem ut sint, qui evidentissimè ex Scripturis validissimèque demonstrare possint, esse unius et individuæ Deitatis tres consortes et consubstantiales personas Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum : cùm reliqua turba fidelium, in Scripturis minùs versata, id non possit, et idipsum tamen credat, Ecclesiæ catholicæ ineluctabili incumbens auctoritati ita docenti, ita Scripturas, ita Symbolum, ita ipsam Baptismi nostri formulam interpretanti. Ad id genus intelligentiæ et demonstrationis ex Scripturis pertinent libri de Trinitate ab Augustino operosissimè et fortissimè elaborati, totâque Scripturarum mole adversùs Arianos communiti.

« Altera verò et magis propria intelligendi ratio, et non solùm credendi, quam de aliquo fidei dogmate fideles saltem aliqui complectuntur, ea est, quæ, adminiculante auctoritate Scripturarum, rationibus manifestis, certis, inconcussis, et non probabilibus tantùm, probat quod proponit. Illud enim demùm est, non credere, non opinari, sed intelligere, ubi perspicuæ, necessariæ et indubitatissimæ rationes in medium afferuntur. Id conatus est perficere Augustinus prolixissimè in libro de verâ Religione, quod ad personam Verbi pertinebat, ut infra dicemus. Eo sensu capiendum est, quod jam non semel inculcaverunt nobis sancti Patres, fide perveniri ad intellectum; fide mundandos esse mentis oculos et mores nostros, ut tunc denique lucem et intelligentiam divinorum assequi et ferre possimus. Utrolibet autem modo velit Augustinus trinæ in Deo unitatis arcanum à quibusdam intelligi, non ideò infirmari possunt, quæ hactenùs nobis edisseruerunt sancti Patres de ejus incomprehensibili majestate. Nam et ad hanc intelligentiam perveniunt paucissimi, maximè ad posteriorem : et qui eò perveniunt, raris et beatis momentis illâ luce fruuntur, et mox ad inferiora, suæque tenuitatis magni consentanea revolvuntur.

CAPUT III.

x sanctis Patribus demonstratur, de sanctissimâ Trinitate non tam demonstrationes et intelligentias nobis suppetere, quàm earum conatus et rudimenta quædam. De unitatis summæ ineffabili magnitudine, quæ proindè Trinitas est. Ex Patribus Latinis.

« Contexta est, ut vides, materia hæc superioribus capitibus. Illam autem ordiri aptissimè posse nobis videmur ab eodem Augustino, quem paulò ante de intelligentiâ Trinitatis audiebamus. Rursùs ergo ille præclarissimè quàm paucis illa concessa sit, ita declarat : « Trinitatem omnipotentem quis intelligit? Et « quis non loquitur eam, si tamen eam? Rara « anima, quæ cùm de illâ loquitur, sciat quid « loquatur. Et contendunt et dimicant, et nemo « sine pace vidit istam visionem. » Quod ait sine pace nulli obtingere istam visionem, sive intelligentiam, id vult, ut reor, si quæ sint hìc argumentationes, minimè contentiosas illas esse debere, quòd Deitas non disputatione, non contentione, sed sanctitate, pietate, pace animi et modestiâ ac verecundiâ propiùs adeatur, certiùs et evidentiùs demonstretur. Ne illud quidem audendum, aut conandum, ut demonstretur, quòd nostrum sit illam revereri, colere, adorare; ejus sit, sese ubi, quibus et quantùm dignabitur, demonstrare.

« Eò spectat, quod statim subjicit Augustinus, præstabilius esse, ut imagine quâpiam Trinitatis mens nostra pascatur et oblectetur, quantùmque inter illam et suî imaginem intersit, advertat; ita enim sese probanti, sese exercenti, sese purganti menti nostræ forsan interlucebit aliquid strictim purissimæ et divinissimæ illius lucis. Imago autem Augustino illa videtur accommodatissima Trinitatis, quæ tria hæc complectitur, *esse, nôsse, velle.* Hæc enim et tria sunt, et unum sunt; et distincta, et inseparabilia sunt; et discreta sunt, et mutuò sibi insunt. Est quippe quisque nostrùm sciens et volens; scit esse se, et velle; vult esse se et scire. Hæc cogitanti intermicabit forsan vita quædam simplicissima et summè una, in quâ unum idemque incommutabiliter sit esse, scire et velle; cùm in nobis hæc non ita valdè unum sint, nec incommutabilia omninò sint, nec tribus personis distributa sint; sed uni et essentiæ et personæ coalita. Est ergo hæc imago Trinitatis, non Trinitas. Esset autem

Trinitas divina, si et incommutabiliter una atque indivisa esset, et in tres tamen personas distributa. Audiendus sic Augustinus, ut tum ex eo plusculùm lucis postea exsculpamus : « Vellem, ut hæc tria cogitarent homines in « seipsis. Longè aliud sunt ista tria, quàm illa « Trinitas ; sed dico ubi se exerceant et pro- « bent, et sentiant quàm longè aliud sunt. « Dico autem hæc tria, *esse, nôsse, velle.* Sum « enim, et novi, et volo ; sum sciens et volens ; « et scio esse me et velle ; et volo esse, et sci- « re. In his igitur tribus quàm sit inseparabilis « vita, et una vita, et una mens, et una essen- « tia, quàm denique inseparabilis distinctio, et « tamen distinctio, videat qui potest. Certè « coram se est, attendat in se et videat et dicat « mihi. Sed cùm invenerit in his aliquid et « dixerit, non jam se putet invenisse illud « quod supra ista est ; incommutabile, quod est « incommutabiliter, et scit incommutabiliter, « et vult incommutabiliter ; et utrùm propter « tria hæc et ibi Trinitas ; an in singulis hæc « tria, aut terna singulorum sint, an utrumque « miris modis simpliciter et multipliciter, infi- « nito in sesibi fine, quod est, et sibi notum est, « et sibi sufficit incommutabiliter idipsum, « copiosâ unitatis magnitudine, quis facilè co- « gitaverit? quis ullo modo dixerit? quis quo- « libet modo temerè pronuntiaverit?

« In eâ Trinitatis imagine videtur moras trahere, et deliciari sanctus Pater ; et hæsitare magis, quàm affirmare ; et intervidere tandem magis, quàm videre unitatem illam cujus copiosâ magnitudine tria hæc contineantur, nullo ex unitate Trinitatis dispendio, nullo ex Trinitate unitatis detrimento. Nec enim minutum, aut angustum quid est summa unitas, quæ in summo omnium vertice sedet, sed amplissimum, immensum, infinitum, spatiosissimo sinu suo complectens et arctissimo unitatis et simplicitatis nodo constringens quidquid est divinorum. Hæc perstringit tantùm sanctus Pater, et tribus illis verbis, *copiosâ unitatis magnitudine*, rem indicat magis, quàm declarat ; quòd in tantum arcanum irrumpere nefas sit ; suspicere, revereri, et adgaudere fas sit. An ergo ita Trinitas unitati concilianda sit, quòd unitatis omnium entium principis et originis, ea sit amplitudo, ea magnitudo, ea infinitas simplicissima, ut et Trinitatem personarum in se constringat ; « quis facilè cogitaverit? ait Augustinus : quis « ullo modo dixerit? quis quolibet modo te- « merè pronuntiaverit? »

« Quando ad incommutabilem Dei veritatem vel ad hanc unitatem copiosissimæ magnitudinis mens nostra gradatim consurgit, non potest ibi diu consistere ; præstringitur, caligat, quando venit, ut ait alibi Augustinus, ad id quod est sub ictu trepidantis aspectûs : videt, et protinùs aufugit quod viderat. Ita certè intelligitur et videtur, si quando videri et intelligi potest beatissima et opulentissima unitas, simplicissima et fœcundissima, una et trina. Non tantò minùs una, quantò magis fœcunda, sed tantò fœcundior, quantò magis una ; cùm omnibus conveniat, unitatem numeros ex se omnes effundere : et tantò vim quamque potentiorem ac fœcundiorem esse, quantò fuerit magis una, et in sese collecta. Debilitatur enim potestas quæcumque, ipsâ suî dispersione, ac dissipatione in plura.

« Hæc unius et trinæ Deitatis fides adeò non gentiles plerosque offendebat, aut à christianæ Ecclesiæ societate alienabat, ut potiùs primùm obstupefaceret, deinde in suî admirationem et amorem adduceret, cùm nihil prædicaretur nisi magnum, summum, stupendum, fide et impensissimo cultu dignum, de uno summo Deo, de ipsius intra sese etiam fœcunditate, de ipsius cum suâ prole inenarrabili unitate, de summi parentis ejusque prolis mutuâ charitate, de charitatis hujus mutuæ sanctitate, de summâ et inenarrabili summæ Deitatis unitate, quæ totam hanc fœcunditatem suam intra se constringeret. Nihil hîc erat quod non menti cuilibet rationali et intelligenti blandiretur, et jure merito plausibile videretur ; si vel maximè mens humana hactenùs variis erroribus et superstitionibus delusa et fatigata fuisse spectetur, quando hæc fidei prædicatio orbi cœpit illucescere. Non tam numina, quàm portenta quædam colebat universa propemodùm gens humana, quando Christus et Apostoli hos illi cœperunt castioris et sublimioris religionis radios aspergere. Et plures hactenùs coluerat deos et falsos, impuros vilesque. Repugnabat animæ ipsa natura et innata lux rationis tam profanis superstitionibus. Itaque etsi consuetudinis æstu abrepta plures in aperto deos veneraretur, unum tamen summum esse ne ambigebat quidem, qui cæteros genuisset ; et ita genuisset, ita regeret, ut unus ipse in suo summo vertice et solus esset. Minoribus his diis quanta flagitiorum probra et dedecora affinxisset, non poetica tantùm, sed et publica civitatum templorumque superstitio, ni-

hil attinet dicere. Ab his flagitiis flagitiosisque figmentis non poterat non intùs abhorrere mens hominis, ratione utentis. Quis enim in diis laudâsset, quæ in hominibus detestanda, extremisque pœnis animadvertenda confitebatur? Ergo ubi Christi et Apostolorum Apostolicorumque virorum prædicatio orbem terrarum personare cœpit, tunc intellexit genus humanum per eam se sibi reddi, hæc eadem placita de Deo jamdiù conscientiam suam sibi occinuisse, ita semper se in animo intùs suo sensisse, unum esse summum Deum, summæ sapientiæ, summæ sanctitudinis illum esse, imò et sapientiam ipsam et sanctitudinem ipsum esse; fœcunditatem illi suam constare debere, sed ipsi parem, ipso dignam, atque adeò non posse sobolem ejus nisi sapientiam, nisi sanctitatem ipsam esse : ita et unum esse Deum, nec improlem tamen, vel solitarium ipsum esse. Ita perspicuum est animæ ipsius naturam et rationem insitam suffragari tunc visam esse evangelicæ doctrinæ, quæ ea orbi universo dogmata aspergebat, quorum ipsa in suo sinu summam jam inde abortu suo prægestabat.

« Etsi enim hærebat animus in hujus simplicissimæ unitatis concordiâ cum suâ fœcunditate, duo erant, quæ eam levarent difficultatem, et omnem aliquando tandem abstergerent dubitationem. Primum erat in ipsius evangelicæ prædicationis miraculis, sive miracula capias, quæ vulgò ita dicuntur, sive mira et stupenda probitatis, pietatis et virtutum omnium documenta, ipsis cœlestibus ostentis mirabiliora, antea penè inaudita, tunc creberrima et ipsis etiam de plebe hominibus familiaria, utique non sine summi Numinis afflatu. Secundum erat ingenita quoque illa omnium animis persuasio, esse quod divinum est supra mentes, supra intelligentias nostras; cùmque cætera omnia christianæ prædicationis capita mirifi è consentirent cum ratione et conscientiâ ipsâ nostrâ, si unum esset, aut alterum, quod dissonare videretur, id quoque consentire rationi, ut esset in Deo, quod nostram imbecillitatem superaret; fidei ergo et religioni id dandum esse, ut esse amplius aliquid et mirificentius crederetur Deus optimus maximus, quàm quod humana imbecillitas capere posset.

« Hæc mihi præfanda visa sunt luculentissimo Augustini de his ipsis testimonio, in epistolâ 42 ad Madaureos paganos datâ, quibus hæc ipsa eadem explanabat : « Est quiddam « invisibile, ex quo creatore principio sunt « omnia quæ videmus, summum, æternum, « incommutabile, et nulli effabiie nisi tantùm « sibi. Est quiddam quo se ipsa summitas ma- « jestatis narrat et prædicat, non impar gi- « gnenti atque narranti Verbum, quo ille qui « Verbum gignit, ostenditur. Est quædam « sanctitas omnium quæ sanctè fiunt sanctifi- « catrix, ipsius incommutabilis Verbi per quod « narratur illud principium, et ipsius principii « quod pari se Verbo narrat, inseparabilis et « indivisa communio. Quis autem hoc totum « quod non dicendo dicere conatus sum, et « dicendo non dicere, quis hoc possit serenis- « simâ et sincerissimâ mente contueri, eoque « contuitu beatitudinem ducere, atque in id « quod intuetur deficiens quodammodò se obli- « visci, et pergere in illud cujus visio nobis « invisibilis est, quod immortalitate est indui, « et obtinere æternam salutem, per quam me « salutare dignamini? Quis hoc possit, nisi « qui omnes superbiæ suæ toros inanes, pec- « cata sua confitens complanaverit, seque sub- « straverit mitem atque humilem ad excipien- « dum Deum doctorem? »

« Non temerè conjicimus quæ hìc Madaurensibus ab Augustino per Epistolam exponebantur de uno et trino summoque Deo, eadem et ipsum et reliquos Patres coram concionari solitos fuisse ad gentiles in Ecclesiæ christianæ gremium invitandos, et id genus concionibus totum orbem terrarum ad Christum et ad Deum vivum et verum aggregatum tandem fuisse. Quo se enim gentiles adversùs ista clypeo tegere, quo obtentu ab his placitis declinare poterant? Unum Deum colendum et natura vociferabatur, et assentiebantur philosophi poetæque omnes, et ipsa interior conscientia succinebat. Plures in deitate unâ personas esse posse non facilè negare poterant, quos vel ipsa sua prior plurium deorum superstitio in id inclinaverat et insuefecerat. Non eò execranda erat idololatria, quòd Deo summo et vero fœcunditatem et sobolem ipsi non disparem, ipso dignam assignaret, sed quòd deos alios illi aggregaret spurcos, flagitiosos, scelerum et bellorum incentores. Quàm ab horum fide et cultu abhorret ratio sana, tam ea lubens plaudit uni summoque Deo, summè sapienti, et sapientiæ genitori, summè sancto, et sanctitatis origini : nec aliter sobolescenti, quàm ut sapientiam gignat, et sanctitatem, charitatem ex se fundat : hâc geminâ sobole suâ, si ita fari licet, gaudeat et fruatur, eamque ità secum in inaccessur-

quemdam suæ unitatis verticem recolligat. Quid erat, quæso te, quod huic prædicationi objectarent gentiles, quod non lubentissimè amplecterentur, quod non gentilitiæ suæ olim impietati anteponerent?

« Nec enim erat, quò se converterent, nisi ut in absurdissimâ et sceleratissimâ idololatriâ suâ perseverarent, aut christianæ huic doctrinæ accederent, aut suam sibi quisque sectam effingerent. Idololatriæ illos jamdiù suæ tædebat, ut quæ ubique rationi ipsi et humanitati inimica esset, tum ob deorum horrenda quædam portenta, tum ob atrocissima flagitia, non inulta tantùm, sed et in deos consecrata. Ut singuli suam sibi religionem et sectam aliquam sanctiorem verioremque comminiscerentur, id ne fieri quidem poterat. Nam ut opifices, agricolæ, plebeii quique, mulierculæ, juvenes, pueri, etiam plerique ingenio hebetes et obtusi sua sibi commentarentur de Deo, de animæ immortalitate, de æternâ salute, de moribus regendis placita, rursùs dicam, id ne fieri quidem poterat. Et quid hoc monstri fuisset, tot religiones, tot Numinis summi cultus esse, tot morum leges discrepantes, quot homines sunt, quantùmvis imbecilli et absurdi? An sapientùm, an philosophorum se magisterio commisissent? At quorum demùm philosophorum? qui ne ipsi quidem ab idolorum cultu se abstinuissent, qui ne concordare quidem inter sese ipsi potuissent; qui alii alia, et nonnulli absurdissima de Deo, de animâ, de moribus decreta excogitâssent, quæ tuerentur pauci ipsorum aliqui, reliqui omnes oppugnarent. Ita ergo tunc summi Numinis providentia concluserat genus humanum, ita undique coarctaverat, ita vias alias omnes sepserat, ut non posset ferè, nisi ad apostolicæ et christianæ Ecclesiæ castra confugere. Huic exteriori rerum dispositioni si addas, quæ non semel jam præstruximus de mirâ quâdam consensione animæ et conscientiæ omnium ratione utentium cum evangelicâ prædicatione de supremi Dei unitate simplicissimâ, de fœcunditate et intra et extra ipsum sese effundente, de copiosâ et incomprehensibili ejus unitatis magnitudine, et sapientiâ et sanctitate ab eo manante, et supra humanam quamcumque intelligentiam constitutâ, hæc, inquam, si addas, et seriò expendas, videbis genus humanum ita intùs forisque oppugnatum, non potuisse non in deditionem venire, et sese totum Deo committere.

« Nec dicas ad Judæos recurri potuisse, qui et Deum unum revererentur, et idola contemnerent, et castis essent moribus. Et illi enim subinde ad idola delapsi fuerant, et gentium conversionem adeò non in votis habebant, adeò non curabant aut promovebant, ut eam potiùs abhorrerent: quo vel ipso indignos se confitebantur, quibus se gentilitas aggregaret. Adde quòd tanta erat Judæorum paucitas, tantæ eorum et regionis et gentis angustiæ, ut innumerabilem ethnicorum toto orbe multitudinem in eorum societatem influere et coaptari posse extra fidem esset. Adde rursùm quòd illam gentem totam uni Jerosolymitano templo ita affixerat Deus et legislator Moyses, ut non dico orbem terrarum, sed ne paulò vastiorem quidem regionem posset tota illa religio complecti. Singulis enim ter anno quolibet adeundum erat, et muneribus prosequendum templum illud. Denique non multò post templum illud ipsum diruerunt et solo æquârunt Romani, ut prædixerat, ut sanxerat Christus ipse, novæ conditor religionis cœlo allapsus, qui et gentiles omnes ad se potentissimè traxit, omnes invictissimè ad hanc fidem traduxit, se ut crederent et summum Deum et Dei summi sapientiam esse; et summæ sanctitudinis fontem esse, et in se inhabitare totam Divinitatis plenitudinem: quod necesse fuisset, ut ad plenitudinem Divinitatis in humanos artus delapsam plenitudo omnium gentium concurreret. Lux ipsa veritatis et sapientiæ certissimè approbat, sed et approbat experientia totius humani generis, et perspicua ejus ad Christum conversio. In Christo, inquam, inhabitare corporaliter omnem plenitudinem Divinitatis, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, ipsissimam Unitatem, Veritatem, Charitatem probat, et invictissimè probat per suam ipsam fidem plenitudo generis humani ita ad Deum, ita ad Christum conversa, et converti latiùs latiùsque in dies perseverans. Scitè ergo Ambrosius de Fide l. 3, c. 6 : « Ergo unum regnum et « una Divinitas. Unam Divinitatem lex probavit, quæ dicit unum Deum. Probavit et Apostolus dicendo de Christo : *In quo habitat « omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Si « enim juxta Apostolum plenitudo omnis corporaliter Divinitatis in Christo est, aut unius « Divinitatis Patrem et Filium fatebuntur : « aut si Patris et Filii Divinitatem cupiunt se« parare, cùm omnem plenitudinem Divini« tatis corporaliter Filius habeat, quid est

« quòd Patri æstimant amplius adscribendum, « cum amplius nihil sit plenitudine, et pleni- « tudo perfectio sit? Ergo una Divinitas. »

« Illud enimverò permirum est, quòd cùm tot sectæ aliæ emerserint, sive ante, sive post Christum, sive extra ejus Ecclesiam, sive ex ipsâ ejus Ecclesiâ deficientes, et omnes in id potissimùm conspirârint, ut multitudinem humani generis ad se pellicerent, et humano ingenio blandirentur, nulli tamen earum ex sententiâ res processit, omnes debilitatæ, fractæ, extinctæ tandem fuêre, vel ad summas angustias deductæ. Una ex adverso Christi Religio viguit, vigetque, et floret toto orbe, omnes nationes complexa, tametsi non pauca habeat humano sensui infestissima in speciem : *Unum trinumque esse Deum; hominem Deumque esse Christum; cruci affixum fuisse Christum; ipsum eumdem immortalitatis et æternæ beatitudinis largitorem.* Nimirùm quantùmcumque ab his primùm abhorreat mens humana, ubi tamen humilitatis, et modestiæ, et sapientiæ afflatu quodam cœlesti donari afficique incipit; ubi seriò perpendit non prædicari sibi in his nisi fidem et cultum summæ et ineffabilis unitatis, sapientiæ, charitatis, fœcundissimæ Unitatis, ex quâ fluat Sapientia et Charitas ipsa, quæ ad homines defluat, quò et eos ad quoddam summæ Unitatis, Sapientiæ et Charitatis consortium trahat, et ita Divinitatis pro suo modo consortes faciat, ipsos sibi singulos reddat, universos conciliet et conglutinet, omnes sibi obsequentes jam hinc pios, sanctos et beatos præstet; ubi hæc, inquam, seriò advertit mens humana, ubi sapit, ubi gustat, non facilè potest ab his tam castis et suavibus illecebris resilire. Illud ergo est quod humani generis universitatem ad unius et trinæ Deitatis fidem et charitatem perduxit.

« Eò peccâsse famosos hæreticorum duces ait sanctus Leo papa, serm. 4 in Nativ., quòd unitati magnitudinem, magnitudini unitatem copulare noluerunt. « Arius sempiternam at- « que incommutabilem Deitatem, quam in « Trinitatis unitate non vidit, in Patris essen- « tiâ non negavit. » Ad Patrem ergo solum Arius restrinxit unitatem Deitatis, quam pro magnitudine suâ ad totam Trinitatem dilatare debuerat. Macedonius ad Filium duntaxat, non ad Spiritum sanctum unitatem paternæ divinitatis ampliavit; atque ita ejus amplitudinem coarctavit. « A lumine veritatis alienus di- « vinitatem sancti Spiritûs non recepit : sed « in Patre et Filio unam potentiam et eamdem « confessus est esse naturam. » Sabellius denique « unitatem substantiæ in Patre, et Filio, « et Spiritu sancto inseparabilem sentit; » sed eò erravit, quòd « singularitati dedit, quod « æqualitati tribuere debuit, » trium distinctarum personarum. Unum ergo fuit eorum flagitium quòd cùm omnes sentirent unitatis amplitudinem et Divinitatem, illi tamen limites et angustias nescio quas, certè à summâ Divinitate alienissimas affinxerunt, ut non posset nisi unam personam complecti, aut saltem nonnisi duas. Quocirca rursùs serm. 8 ait idem pontifex sensisse Arium, quàm non posset ab unitate Patris Filius segregari, unde et illum quoque Deum dixit, sed minorem, stultissimè sanè, « cùm gradus in verâ Divini- « tate esse non possit, quoniam quidquid Deo « minus est, Deus non est. » Sabellius è contra intelligens non posse esse nisi unum Deum, eumque sibi coæqualem, « quia non poterat « unitatem Deitatis intelligere, nisi in unitate « personæ, » eumdem asseruit Patrem atque Filium.

« In hos ergo errorum scopulos illi omnes impegerunt, propter unam fidei suæ jejunitatem, propter unam tenuitatem ingenii sui, propter degeneris cujusdam philosophiæ pusillitatem. Si qua enim illos vel fidei, vel ingenii, vel philosophiæ celsitudo animâsset, vel credidissent, vel etiam intellexissent, non iis finibus arctandam et circumscribendam esse primi principii unitatem, quâ divinius vel in Deo ipso esse nihil potest, atque unitatem cujuslibet hominis, vel angeli, vel creaturæ demùm cujuscumque intellectualis, ut plures non possit amplissimo suæ simplicitatis ambitu personas complecti quàm unam. Tres personas illâ simplicissimâ unitate contineri fideles credunt omnes, pauci intelligunt, ut supra aiebat Augustinus; sed vel in iis qui id credunt tantùm, incredibilis quædam nihilominùs animi magnitudo deprehenditur. Nec enim ita crederent, nisi intelligerent Deo et essentiam et potentiam et unitatem competere tantam, quantam ipse solus capere potest; et quantum nos ipsi quodammodò capimus, dùm ejus infinitæ de seipso intelligentiæ assentimur et adhærescimus. Ad hanc et fidei, et religionis, et intelligentiæ amplitudinem non assurgunt hæreses, humani ingenii angustiis tenebrisque magis delectantur. »

His sat luculenter, ut putamus, prælibatis, loquatur nunc clarissimus noster Witassius.

(Editores.)

Præfatio.

Mysterium aggrecimur, quod omnium primum, idemque maximum et altissimum esse meritò dicitur. Et omnium quidem profectò primum est. Cùm enim alia quoddam agnoscant initium suî, certoque à tempore sint, et on esse omninò potuerint, hoc contra immutabile et æternum est. Neque verò illâ suâ tantùm æternitate superat et antecedit, sed etiam plerorumque principium et origo est. Cætera enim ferè aut in Dei verbi incarnatione posita sunt, aut ab ipsâ suspensa. Cùm itaque incarnatio ipsa in sanctissimâ Trinitate fundetur, quis non intelligit eadem ex hoc veluti fœcundo mysteriorum fonte profluere?

Hinc nullum mysterium est, quod eo priùs credendum occurrat. Cùm enim primus ad religionem gradus sit Deum nôsse, qui unus est simul et trinus; quòd quidem ille sit, ac proinde unus, id neminem, saltem qui animo attendere voluerit, latet: ut enim ait Apostolus Rom. 1, 20: *Invisibilia.... ipsius* (Dei).... *per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.* Ad divinam verò usque Trinitatem ratio non assurgit. Quapropter oportet, ut qui ad Deum accedit, is primo statim in limine se totum fidei tradat, et Deo qualis est revelanti mentem subjiciat. Ideò ergo sapienter voluit Deus, ut inde etiam oriretur proprium ac nobile christianæ religionis ab iis quæ toto orbe sparsæ sunt, discrimen; ut nempe, quo ab illis secernitur, hoc ipso easdem longo post se intervallo relinquat. Nimirùm aliæ aut verum Deum ignorant, aut quà unus est tantùm nôrunt. At nos id habemus eximium et singulare, quòd supra omne naturæ lumen ab ipso auctore evecti, trinum etiam agnoscamus ac veneremur.

Eò autem major est hujus mysterii dignitas quòd, cùm reliqua imperfectî quid habeant, istud nihil nisi purum ac defecatum, nihil nisi augustum ac majestate plenum, nihil denique nisi grave ac divinum includat. Sed quò divinius, eò quoque altius est. Cùm enim Deus sit verè Deus absconditus, lucemque inhabitet inaccessibilem, ad ipsum sanè pervenire nullus potest, nisi quem Deus ipse transtulerit in admirabile lumen suum.

An non ergo deploranda est eorum cæcitas, aut damnanda potiùs temeritas, qui cùm se ipsi non capiant, Deum tamen capere volunt; quidquid autem non capiunt, id perfractè et impudenter negare non pertimescunt? Socinianos potissimùm intelligo ex Calvinianis oriundos, dignam his parentibus, hoc est, pessimam progeniem, qui nomine quidem Christiani, re autem ipsâ Antichristi sunt. Sed, quod maximè dolendum est, Antichristi id genus multi facti sunt; sermo enim illorum ut cancer serpit; utinam ultra non proficiant!

Atque isti sunt hostes quos hìc præsertim impugnandos habemus. Cùm enim præcipua hujus mysterii controversia sit de Christi divinitate, quam illi de medio tollere totis viribus conantur, nostræ profectò religionis erit, eos pro virili parte confodere ac profligare, qui non impium minùs, quàm acre, Servatori ac Domino nostro bellum indixerunt.

Verùm ut ad argumentum nostrum veniamus, nullum est, teste Augustino lib. 1 de Trinit. num. 5, in quo aut periculosiùs erretur, aut laboriosiùs aliquid quæratur, aut fructuosiùs aliquid inveniatur. Sed ut futuri operis nostri summa quædam delineetur in antecessum, quidquid à nobis de sanctissimâ Trinitate dicendum est, id decem omninò quæstionibus comprehendemus.

I. Dicemus de sanctissimæ Trinitatis mysterii notitiâ.

II. De variis erroribus, quibus impugnatum est.

III. De divinarum personarum distinctione ac numero.

IV. De earumdem consubstantialitate

V. De divinis processionibus.

VI. De divinarum personarum proprietatibus ac relationibus.

VII. De notionibus.

VIII. De iis quæ personis divinis communia sunt.

IX. De singulis speciatim personis.

X. De certis vocibus ac loquendi formulis in hoc mysterio explicando usitatis.

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

Quæstio prima.

De sanctissimæ Trinitatis mysterii notitiâ.

Duo hìc investigabimus : primum, an solâ ratione duce cognosci ac probari possit hoc mysterium ; alterum, an quâlibet tandem viâ illud idem Judæis ac gentilibus, saltem quibusdam, notum fuerit.

ARTICULUS PRIMUS.

An hoc mysterium solâ ratione duce cognosci ac probari possit.

Notanda. — Observandum est, 1° mysterium sanctissimæ Trinitatis esse tres in unâ naturâ personas inter se æquales, quarum prima secundam et utraque simul tertiam producat. 2° Posse aliquid probari duobus modis ; positivè scilicet ac negativè. Positivè quidem, cùm ex ipsis rei visceribus ac principiis aut ex aliis necessariò et propriè connexis probatio eruitur. Negativè autem, cùm ab iis, quæ contra objiciuntur, aliquid vindicatur. Id autem minùs accuratè probari dicitur. 3° Aliquid positivè probari posse iterùm dupliciter ; verosimili nempe ac plausibili duntaxat conjecturâ ; aut certâ et evidenti ratione, quod quidem *demonstrationis* nomine scholæ insigniunt. 4° Cùm quæritur an hoc mysterium ratio assequi possit, duplici item sensu controversiam hanc intelligi et institui posse, seclusâ nimirùm, aut positâ fide. Cùm enim fieri posset ut, quæ aliàs fortè nunquàm venirent in mentem probando huic mysterio idonea, superveniens fidei lumen ea detegeret, consequens est paulò diversam esse de utroque statu disputandi rationem (1).

Iis positis, jam duntaxat disseremus de positivo probandi genere. Quod enim solvi queant omnia, quæ opponuntur, illud quæst. III patebit, ubi ex professo tres esse in uno Deo personas astruemus.

Variæ opiniones.

Tres autem sunt de re propositâ sententiæ : Prima, quæ asserit hoc mysterium solâ ratione duce et citra ullum fidei auxilium posse probari ac demonstrari ; secunda, quæ id fieri posse affirmat, sed positâ et prælucente fide ; tertia, quæ utrumque respuit. Prima est Claudiani Mamerti ; secunda, Petri Abaelardi, Raymundi Lullii, et quorumdam fortè aliorum ; tertia, omnium vulgò theologorum.

1° Itaque Claudianus Mamertus, Ecclesiæ Viennensis V seculo presbyter, non tantùm docuit hoc mysterium solius rationis ope deprehendi et demonstrari posse, sed illud etiam reipsà à Platone solâ ingenii vi deprehensum et demonstratum fuisse existimavit. Libro enim 2 de Statu animæ cap. 7, id disertè pronuntiat : « Plato, inquit, unum « Deum et tres in divinitate personas laudabili ausu, mirabili ingenio, inimitabili eloquio quæsivit, invenit, prodidit ;... et..... « indivisam Trinitatem non solùm ita credi « oportere docuit, sed etiam convicit. » Hæc habentur tom. 6 Bibliot. Patrum, Lugd. edit. pag. 1062, col. 2. 2° Petrus Abaelardus, vir XII seculo famosus, tantùm sibi sumpsisse fertur, ut unâ ingenii sui subtilitate et philosophiâ fretus, altissima quæque fidei mysteria pervadere se et evincere posse gloriaretur ; de quo S. Bernardus epist. 190, tom. 2 edit. Bened. pag. 644. 3° Raymundus Lullius XIII seculo pari confidentiâ idem sibi arrogavit, cùm in eo libro quem de articulis fidei inscripsit, tum in alio de demonstratione æquiparantiæ (hoc autem est peculiare demonstrationis genus, sic dictum quòd ab æqualibus et similibus ducatur). Eâ innixus ille, arbitratus est se tam certò tamque perspicuè probare posse hoc mysterium, nullus ut gentilis aut Mahumetanus dissentire posset (1). 4° Hoc ip-

(1) Vide Theologiæ Cursûs tom. 9, dissert. 1, cap. 2, col. 15 et seq.

(1) Raymundus Lullius « tertium quoddam « genus demonstrationis distinctum à demonstratione à priori et à posteriori excogitavit, « quod vocat demonstrationem *æquiparantiæ*, « quòd fit ab æqualibus, id est, à propositionibus quæ æquales sunt in evidentiâ et certitudine..... A Gersonio refertur.... methodum ac doctrinam Lullii judicio sacræ Facultatis Parisiensis è scholis eliminatam fuisse..... Plura de illo Lullio vide apud Vasquesium, 1 part., disput. 133, cap. 4. » Ita Turnelius, tract. de SS. Trinitate, quæst. 1, art. 1. Lullius lapidibus obrutus est à Mahumetanis,

sum fieri posse senserunt, Ricardus Victorinus lib. 1 de Trin. cap. 4; lib. 3, cap. 5, et lib. 9, cap. 1; necnon Henricus Gandavensis quodl. 8, quæst. 18; hic quidem Raymundi Lullii, ille Abaelardi æqualis; sed uterque longè majoris, quàm alii, pietatis et doctrinæ. Eò certè ambo propendent, atque ita de ipsis statuit Vasquez, 1 parte, disp. 133, cap. 1. Ricardi tamen dicta benigniorem in partem interpretatur S. Thomas, 1 parte quæst. 82, art. 1.

Assertio I: — Non potest solius rationis ope, citra fidei auxilium, demonstrari mysterium sanctissimæ Trinitatis.

Argumenta. — Id firmabimus 1° Scripturarum testimoniis; 2° quorumdam è Patribus auctoritate, ne pluribus in re constanti frustra abutamur; 3° nonnullis è ratione ipsâ petitis momentis.

Probatur itaque 1° multis Scripturæ locis, quorum alia generatim ostendunt altiora esse fidei nostræ mysteria, quàm ut ratione attingi aut pervadi queant; alia speciatim id evincunt de sanctissimâ Trinitate.

Prioris generis sunt ista: Prov. 25, 27: *Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloriâ.* Eccli. 3, 22: *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris.* 1 Cor. 2, 6, de christianæ religionis mysteriis loquens Apostolus: *Sapientiam autem,* inquit, *loquimur inter perfectos, sapientiam verò non hujus seculi, neque principum hujus seculi qui destruuntur* (hoc est philosophorum); *sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.* Ibid. vers. 11: *Quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* 2 Cor. 10, 4: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Ephes. 1, 16: *Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus.... det vobis spiritum sapientiæ et revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri,* etc. Hebr. 11, 1: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Posterioris verò generis sunt hæc: Isaiæ 53, 8: *Generationem ejus quis enarrabit* (1)? Matth. 11, 27: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Quod quidem apertè indicat hoc mysterium adeò supra captum humanum esse, ut nonnisi revelatione divinâ innotescere possit.

Ibid. cap. 16, 17, postquàm Petrus à Christo interrogatus præclaram ipsius divinitatis confessionem edidisset, aiens: *Tu es Filius Dei vivi;* sic contra Christus: *Beatus es,* inquit, *Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Quibus verbis iterùm manifestè docuit ejusmodi notitiam non ex carne et sanguine, hoc est, humanâ mente et ratione, sed ex solâ cœlesti revelatione posse proficisci.

Probatur 2° sanctorum Ecclesiæ doctorum auctoritate.

1° Enim Athanasius in illud Christi: *Omnia mihi tradita sunt à Patre,* tom. 1, edit. Bened. pag. 107, num. 6, Arianos insectans, qui cuncta ratione metientes, sanctissimam Trinitatem velut cum eâ non cohærentem impugnabant: « Quid igitur, inquit, impii « his de rebus quas scrutari nefas est, effu- « tire non verentur? Illi, inquam, qui et ho- « mines sunt, nec vel ipsam rerum terre- « strium naturam possunt evolvere. Sed quid « dico rerum terrestrium? imò quæ vel ipsos « spectant, ipsi explicent nobis; num videli- « cet suam ipsorum naturam percipere queant. « Temerarii certè illi, » etc. Sic et in epist. 1 ad Serap. ibid. pag. 166: « O stulti, inquit, « atque ad omnia audaces et præcipites! quare « non potiùs sanctam Trinitatem curiosè scru- « tari desinitis, eamque esse duntaxat creditis, « magistrum Apostolum hâc in re imitati, cu- « jus hæc sunt verba: Credere enim oportet, » etc. Vide et epist. 2. 2° S. Hilarius lib. 2 de Trinitate, num. 5: « Verborum, inquit, in « eodem argumento significantiam rei ipsius « natura consumit, sensûs contemplationem « imperspicabile lumen obcæcat, intelligentiæ « capacitatem quidquid fine nullo continetur « excedit. » Num. 9: « Nescio, inquit, non « requiro, et consolabor me tamen. » Et post

quibus religionem christianam evangelizabat, an. 1315. (Editores.)

(1) Quamvis plurimi non theologi duntaxat, sed etiam SS. Patres hunc Isaiæ versum de æternâ Verbi generatione intelligant, multò probabilius est illum de filiis intelligendum esse, quos per mortem Christus erat genituros, adeò ut sensus sit: Quis enarrabit, seu numerabit, quos generabit filios? Id manifestum faciunt versus sequentes, inter quos decimus, in quo eodem sensu dicitur: *Si posuerit animam suam, videbit semen longævum.* Hæc observatio item applicari debet aliis hujus tractatûs locis, in quibus auctor eumdem versum eodem sensu accipit. (Ed.)

nonnulla ignorationis humanæ in rebus obviis exempla, hæc addit : « Si potes, enarra. Habes « ergo quæ nescis, et tribuis quæ non intelli- « gis, æquanimiter imperitus in tuis, insolen- « ter in Dei rebus ignarus. » Num. autem 12 : « Æstuo, inquit...., hebesco, et undè inci- « piam nescio. » 3° Ambrosius lib. 1 de fide ad Gratianum, cap. 10 : « Impossibile est, in- « quit, generationis Verbi divini scire secretum: « mens deficit, vox silet, » etc. 4° S. Hieronymus lib. 18 in Isaiam statim ab initio : « Non « dico, inquit, de mysterio Trinitatis, cujus « recta confessio est ignoratio scientiæ. » 5° Augustinus lib. 15 de Trinitate cap. 6, num. 9 : « Quis, inquit, disputandi modus? quæ- « nam tandem vis intelligendi atque potentia, « quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitatio- « nis ostendet.... quomodò sit Trinitas? » etc. Sic et alibi non semel. 6° Auctor sermonis de Symbolo ad catechumenos, apud eumdem Augustinum, de mysterio sanctissimæ Trinitatis disputans: « Cæterùm, inquit, illud quod est, « ineffabile est, nec verbis angelicis explicari « potest; quantò magis humanis? »

Adjunge auctorem Expositionis fidei apud Justinum; Dionysium, vulgò Areopagitam, de divinis Nominibus, cap. 2 et ultimo; Fulgentium lib. 2 ad Trasimundum cap. 1; Anselmum in Monologio, cap. 62; Bernardum lib. 5 de Consideratione, cap. 8; Magistrum Sententiarum lib. 1, dist. 2; S. Thomam ibidem, et in Summâ, quæst. 32, etc.

Probatur 3° pluribus è ratione ductis momentis. 1. Ab experientiâ petitur. Quamvis enim ante Christum innumerabiles extiterint excellenti ingenio philosophi, qui in naturâ Dei investigandâ studiosissimè versati sunt, nullus tamen repertus est, qui ipsum ut naturâ unum, sic et personis trinum esse deprehenderit, aut etiam fuerit suspicatus, ut mox evincetur.

II. Ex naturâ ipsâ fidei. Debet enim esse proprium quoddam fidei objectum. Si quod autem est id genus, maximè Trinitatis mysterium. Atqui fides per se obscura est, non evidens, utpote argumentum non apparentium, Ergo, etc. (1).

(1) Unanimi quidem voce SS. Patres et theologi docent ad fidei rationem essentiamque pertinere *intrinsecam* objecti ejus obscuritatem, Apostolo Hebr. 11 dicente : *Est fides..... argumentum non apparentium,* id est, demonstratio rerum quæ non videntur; « at non iti- « dem concordant, inquit theologus Tarantasiensis in opere nuper scripto, cui titulus : « *Concordia rationis et fidei,* cap. 2, art. 2, n. 7, « in definiendâ visione quæ rationem fidei « tollit. Quod ut intelligas, memineris veli- « mus..... rem duplici modo ab intellectu « videri, aut directè et per se, et dicitur sim- « pliciter *visa, intellecta,* aut non per se, sed « per aliud cognitum, et dicitur *scita.* Utram- « que visionem fidei oppositam esse docet An- « gelicus, meritumque ac rationem illius non « minùs scientiâ quàm *intellectu,* seu *intuitione,* « tolli; ex quo colligit existentiam Dei, *et alia* « *hujusmodi, quæ per rationem naturalem nota* « *possunt esse de Deo, ut dicitur Rom.* 1, *non* « *esse articulos fidei, sed præambula ad articu-* « *los..... nihil tamen prohibere illud quod se-* « *cundùm se demonstrabile est et scibile, ab ali-* « *quo accipi ut credibile, qui demonstrationem* « *non capit,* 1 q. 2, art. 2, ad 1. Angelicum « sequuntur nobilissimi ex ejus discipulis, « Estius, Gotti, Gonetus, Billuartus, Conten- « sonius, etc. Contra, S. Bonaventura, cui « adhærent plurimi Scotistæ, aliique theologi « nullius scholæ, tenet, *scientiam quæ non sit* « *comprehensionis (id est, visionis directæ et* « *intuitivæ), sed per manuductionem ratiocinii,* « *posse simul stare cum fide, licet non sit secun-* « *dùm idem fides et scientia.* Hanc autem ratio- « nem affert non spernendam : *Quia scientia* « *manuductione ratiocinationis, licet aliquam* « *certitudinem faciat et evidentiam circa divina;* « *illa tamen certitudo et evidentia non est omninò* « *clara, quamdiù sumus in viâ.* Hinc cum Ri- « chardo à S. Victore docet, *eum non desinere* « *fidem habere Dei unius creatoris omnium, qui* « *ex rationibus necessariis incipiat ipsum idem* « *nôsse,* lib. 3, dist. 24, q. 3. Tertia quodam- « modò est sententia L. Berti statuentis *objec-* « *tum materiale fidei esse omnem veritatem à* « *Deo revelatam, quæ, si inevidens sit, et exce-* « *dat sensum humanamque rationem, cujusmodi* « *est Trinitatis mysterium, est fidei objectum* « *necessariò ac per se, quia nisi revelatum esset,* « *non posset à nobis extorquere certum et con-* « *stantem assensum; si autem sit aliundè evi-* « *dens,..... est objectum fidei tantùm per acci-* « *dens, et in quantum ei præstatur assensus pro-* « *pter auctoritatem Dei revelantis, cùm tamen* « *firmissimè ea veritas per naturalem quoque* « *philosophiam comparetur et attingatur.* Colli- « ges inde hoc unum inter theologos certum « esse, fidem eliminari apertâ objecti intui- « tione. »

Hæc theologus Tarantasiensis; ex quibus sponte fluit non inconcussam esse secundam auctoris probationem, quæ etiam penitùs evanescet, si vera esse demonstretur sententia S. Bonaventuræ aut L. Berti; porrò utraque hæc sententia multò probabilior, ne quid amplius dicamus, sancti Thomæ opinione apparet. Nihil enim obstare videtur quin easdem veritates, quas ratio demonstrat, ipsâ insuper Dei revelantis auctoritate credat vir philosophus : nam ad id satis est ut divinam hanc revelationem tanquàm motivum ex sese, seclusâ etiam ratione, sufficiens illis veritatibus adhærendi, habeat; in quo ne minimam quidem repu-

III. Ex naturæ legibus, quas solas novimus fidei lumine destituti. Illarum enim prima est: Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Secunda est : Ubi unica est

natura, ibi unicam esse subsistentiam; et ubi plures sunt personæ, ibi plures esse naturas. Tertia : Formas pro subjectis multiplicari. Quarta : Filium à Patre pendere, eoque posteriorem esse. Quinta : Terminum voluntatis, ab intellectûs termino non produci. At ista omnia in Trinitatis mysterio locum non habent. Quomodò ergo philosophus, solo naturali lumine innixus, deprehendet tres esse personas uni eidemque naturæ identificatas, et tamen inter se distinctas; unam esse naturam, triplicem verò subsistentiam; tres esse personas, quarum unaquæque est Deus, nec tamen tres Deos; Filium divinum à Patre non pendere (1), eique esse coæternum; Spiritum sanctum à Verbo procedere? etc. Profectò nedùm ratio mysterium hoc ipsi detegeret, obstaret ipsa potiùs quominùs agnosceretur. Et verò persæpè olim obstitit; nec acriores hodiè Trinitas hostes habet, quàm qui rationem audiendam esse contendunt.

IV. E S. Thomâ, idque firmissimum. Nempe duplex est duntaxat demonstrationis genus, à priori seu per causam, et à posteriori seu per effectus (2). At neutro modo adstrui potest mysterium sanctissimæ Trinitatis; et quidem non à priori seu per causam, cùm sanctissima Trinitas, utpote Deus ipse, nullam causam agnoscat; sed nec potest à posteriori, seu per effectus, id est, creaturas. Eatenùs enim tantùm per eas cognosci ac demonstrari potest Deus, quatenùs earum est causa. Atqui Deus non est causa creaturarum, quatenùs est trinus, sed quatenùs est unus. Est enim earum causa quatenùs omnipotens. At omnipotentia ad naturam ipsam divinam pertinet, quæ una est, et quatenùs est una; non verò spectat ad personarum distinctionem. Non enim unaquæque persona propriam habet ac distinctam omnipotentiam; imò, juxta commune effatum, opera sanctissimæ Trinitatis ad extrà sunt indivisa. Ergo nullus est effectus singulis proprius, per quem demonstrari illæ queant.

Objectiones. — Objicies 1° : Sunt quædam naturali lumine nota et indubitata, quæ in notitiam mysterii Trinitatis deducere possunt. 1° Deum intelligentiâ et voluntate esse præditum. 2° Quicumque vult aut intelligit, aliquam actionem producere, et hâc ipsâ actione terminum quemdam immanentem. 3° Utrumque terminum à principio suo esse distinctum; quod enim producitur, non potest esse idem cum eo à quo producitur; aliàs idem se ipsum produceret. 4° Hos terminos in Deo non posse esse mera accidentia (nihil enim est in Deo imperfecti); sed esse debere aliquid per sese subsistens. 5° Non posse esse nisi unam in Deo naturam, et quidquid in Deo est, Deum ipsum esse. Atqui ex iis consequitur mysterium sanctissimæ Trinitatis. Hinc enim facilè quis colligere potest, 1° Deum, cùm intelligit, hâc actione suâ producere Verbum, et dùm vult, alterum item voluntatis suæ terminum, quem nos Spiritum sanctum nominamus. 2° Hos duos intellectus et voluntatis Dei terminos esse à principio suo distinctos. 3° Utrumque esse quid per se subsistens. 4° Cùm uterque in Deo sit, unam eamdemque inter se et cum principio suo naturam habere. Ergo, etc.

Respondeo philosophum fidei lumine destitutum hâc viâ nunquàm venturum in notitiam sanctissimæ Trinitatis : 1° quia fortè non admitteret, etiam in rebus creatis, quæcumque modò proposita sunt, utpote falsa, aut saltem dubia; 2° quia, etiamsi in rebus creatis ea agnosceret, non continuò eadem transferret ad Deum, sed contra; 3° denique quia nec ista sufficiunt ad cognoscendum sanctissimæ Trinitatis mysterium. 1° Igitur ne in ipsis quidem rebus creatis certa sunt et indubitata quæ modò afferebantur, ac præsertim 2 et 3 caput. Quamvis enim nonnulli philosophi existiment facultates intelligendi et volendi earumque actiones et terminos esse inter se et à naturâ intelligente distincta, multi contra reclamant, hæc omnia esse quid reipsà unum et idem

gnantiæ umbram deprehendere possumus. (Ed.)

(1) In divinis Filius à Patre non pendet, quasi ei subjiciatur, et sub ejus sit arbitrio; sed ab eo pendet tanquàm à principio, undè ex omni manat æternitate. (Ed.)

(2) Præter demonstrationes à priori et à posteriori, philosophi et theologi vulgò distinguunt demonstrationem à simultaneo, seu ab ideâ; quâ per ideam et notionem alicujus rei quædam ipsius proprietas demonstratur. Hujus generis sunt omnes ferè geometricæ demonstrationes, v. g., illa quâ trianguli demonstrantur proprietates. Ut igitur firmum sit quartum istud auctoris argumentum, demonstratio à simultaneo duabus aliis in majore adjicienda est, et postea in minore probandum rationem sibi relictam ex ideâ Dei Trinitatem inferre non posse : porrò id posterius eo solo indubitatum haberi debet, quòd nullum fortassis in totâ Religione sit dogma quo magis offendatur ratio, et in quo intricatioribus difficultatum ambagibus implicetur, quàm in SS. Trinitatis mysterio, adeò ut humana mens, revelationis etiam irradiata fulgore, vix sese à circumfusis undique expediat obscuritatibus, nedùm ad hujus mysterii demonstrationem pertingere valeat. (Ed.)

asserentes. Deinde etiam illi ipsi qui ejusmodi terminos actionum mentis et voluntatis ab ipsis distinctos admittunt, illi, inquam, ipsi, saltem plerique, confitentur non necesse esse ut quicumque intelligit, is terminum ejusmodi, seu verbum, aut speciem expressam effingat. Multi enim sunt theologi qui in visione seu intellectione beatificâ, nullam id genus speciem agnoscant. Ergo caducum est istius demonstrationis fundamentum in ipsis etiam rebus creatis.

2° Etsi philosophus iste forsan hæc omnia agnosceret in creatis rebus, non idcircò hæc eadem ad Deum transferret : imò quominùs ea transferret ad Deum non pauca impedirent. Nempe obstaret illicò summa Dei simplicitas nemini non nota, quæ omnem istam facultatum, actionum et terminorum distinctionem ac congeriem respuere ipsi videretur. Et verò facultates et actiones ejusmodi in Deo non distinguuntur; cur ergo terminos solâ ratione duce distingueret? Sed concedamus sanè ipsum divinæ simplicitatis notione non retardatum eò pervenisse, ut facultates quidem et actiones istas non esse distinguendas cerneret, sed suspicaretur tamen terminos distingui oportere; tot profectò statim incommoda sese ipsi offerrent, ut procul dubio continuò resiliret. Quid enim de ejusmodi terminorum naturâ apud se statueret? An diceret mera esse accidentia? minimè : id enim non patitur naturæ divinæ perfectio. An ergo substantias? multiplex igitur ipsi foret in Deo admittenda substantia; quod ratio ipsa refugit. Verùm esto id primâ fronte non ita ipsi videatur absurdum : quid de his postmodùm substantiis pronuntiaret? angustiæ enim sunt undique. An censebit eas esse creatas? Neutiquàm sanè : nihil enim est in Deo creatum. Deinde verò, cùm Deus semper ac necessariò velit et intelligat, et infinita sit in eo utraque vis, illæ substantiæ deberent esse necessariæ, æternæ, infinitæ. Quid ergo? an judicabit eas esse reipsà necessarias, æternas et infinitas? Nequaquàm : inde enim sequeretur multiplicem esse Deum. At ratio ipsa apertè docet plures Deos esse non posse. Nihil itaque haberet is philosophus quod de iis terminis statueret. Cùm ergo in bivio positus perspiceret eos debere esse aut accidentia, aut substantias, et neutrum tamen de iis dici posse, retrocederet profectò, et ejusmodi terminos procul à Deo ablegaret.

Sed fingamus iterùm ejusmodi philosophum solâ ingenii vi eò usque evehi, ut subodoret ir terminos illos subsistentes per sese solâ subsistentiâ, non autem naturâ esse distinguendos (quod fidem omnem superat, cùm nullum sit ejus generis in rerum naturâ exemplum), fingamus tamen ipsum id subodorari; quid exinde fieret? Eò sanè delaberetur, ut infinitos ejusmodi terminos ac innumerabiles in Deo personas invehendas esse cerneret. Si enim prima persona, quia intelligit et vult, duplicem personam producit, cur secunda, quæ pariter intelligit et vult, alias non produceret? cur non item tertia, et sic in infinitum? At istud iterùm absurdum est.

Cùm ergo tot incommoda, tot hinc et inde pugnantia ante ipsius oculos obversarentur, nec ex his laqueis sese expedire posset, non dubium est quin is fractus et deterritus, ejusmodi terminos intellectûs et voluntatis in Deo nunquàm admitteret.

3° Quantumvis ex his scopulis solâ philosophiâ fretus emergeret, non ideò assecutus foret mysterium sanctissimæ Trinitatis, quale est. Neque enim ista sufficiunt ut innotescat. Hâc enim viâ non deprehenderet Verbum divinum esse Filium, et quidem solum; ipsum à Patre non pendere; eumdem esse Spiritu sancto origine priorem, et ipsius principium, etc.

Ergo eò redeundum est nobis, ut fateamur solius rationis beneficio mysterium hoc, quale est, demonstrari non posse.

Objicies 2° : Id potest per creaturas demonstrari, cum quo necessariam habent illæ connexionem. Atqui creaturæ necessariam habent cum sanctissimâ Trinitate connexionem; quippe quæ ab ipsâ profluant. Ergo, etc. — Distinguo majorem : Connexionem ratione notam, concedo; ignotam, nego. At sanè nota non est lumine naturali hæc connexio. Nempe creaturæ omnipotentiam quidem Dei postulant ut sint, non verò personarum distinctionem. Certè si una esset in Deo persona, perinde ab ipsâ produci possent.

Objicies 3° : Ea est boni natura ut sese diffundere et communicare amet; atque adeò boni infiniti, qualis est Deus, debet esse infinita quædam communicatio. At non potest esse talis communicatio infinita ad extra; creaturæ enim conditio infinita esse non potest. Ergo debet ea esse ad intra; et quidem in intellectu et voluntate, cùm utraque facultas sit infinita. Atqui hoc posito statim cognoscitur mysterium sanctissimæ Trinitatis. Ergo, etc.— Distinguo

sequelam majoris : Infiniti boni debet esse quædam communicatio infinita, quoad modum operandi, concedo ; infinita quoad rem, subdistinguo : Et id ratione non innotescit, concedo ; secus, nego. Itaque philosophus solo rationis suæ præsidio innixus, nullam unquàm ad intra communicationem seu productionem in Deo admitteret, iis de causis quas supra memoravimus; admitteret autem infinitam ad extra; non quidem quoad rem, id enim non fert creaturæ natura ; sed quoad operandi modum, quia nempe infinitâ vi utitur et, ut ita dicam, indiget Deus ad creandum. Cæterùm philosopho videretur id ad honorem Dei pertinere, quòd nullum habeat et habere possit parem.

Objicies 4° : Quidquid est perfectionis, illud est in Deo admittendum. At producere sibi simile, est aliqua perfectio. Ergo. — Distinguo minorem : Est aliqua perfectio in rebus creatis, concedo; in Deo, subdistinguo : Et id solâ fide compertum est, concedo; secus, nego. Si in physicis hæreamus, perfectio quidem est in rebus creatis sibi simile posse producere, sed imperfectionem maximam includens, nempe naturam finitam et interitui obnoxiam : generatio enim ei tantùm usui est, ut nempe natura propagetur ac multiplicetur. Cùm ergo omnis imperfectionis umbra à Deo removenda sit, philosophus hoc momento innixus, generationem in Deo nunquàm agnosceret.

Instabis : At Deus ipse, Isaïæ 66, 9, ex eo quòd aliis generationem tribuat, se quoque gignere posse colligit : *Numquid ego,* inquit, *qui alios parere facio, ipse non pariam ?.... si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?* Ergo ab eâ quæ rebus creatis inest generandi vi ad divinam generandi facultatem recta ac legitima est consecutio. — Distinguo consequentiam : Recta est et legitima consecutio solâ fide comperta, concedo; ratione nota, nego. Itaque 1° philosophus gentilis hoc Scripturæ oraculum flocci faceret. 2° Reipsà locus iste non de æternâ Verbi divini generatione intelligendus est, sed de mirabili christianæ religionis propagatione. 3° Si demus de æternâ generandi facultate, quæ Deo inest, illum accipi oportere, recta quidem est consecutio; sed quæ soli fidei, non autem rationi pateat.

Objicies 5° : Demonstrari potest christianam religionem, quæ mysterium sanctissimæ Trinitatis agnoscit, esse veram ac planè divinam. Ergo simul demonstrabitur illud idem sanctissimæ Trinitatis mysterium. — Distinguo consequens : Demonstratione extrinsecâ et alienâ, concedo; intrinsecâ aut propriâ, nego. Non ergo quærimus an generatim religio christiana demonstrari possit ; sed an sit speciale quoddam demonstrationis genus, quo demonstrari possit mysterium sanctissimæ Trinitatis.

Objicies 6° : Vel demonstratur mysterium illud esse possibile, vel demonstratur impossibile. Atqui dubio procul non demonstratur impossibile. — Nego majorem. Neutrum enim demonstrari potest.

Instabis : Inter duo contradictoria non datur ullum medium. Atqui possibile et impossibile sunt duo contradictoria. — Respondeo possibile quidem et impossibile esse duo contradictoria, quia scilicet opponuntur ut ens et non ens ; sed demonstrari possibile et demonstrari impossibile non esse duo contradictoria, quia utrumque positivum est. Atque adeò reipsà mysterium sanctissimæ Trinitatis aut possibile est aut impossibile, cùm nullum inter ista medium assignari queat ; sed inter demonstrari possibile et demonstrari impossibile, potest aliquod medium assignari, nempe nullatenùs demonstrari.

Assertio II. — Demonstrari non potest mysterium hoc, etiam positâ fide. Probatur iisdem, quæ supra, momentis. 1° Enim Scripturæ significant hoc mysterium solâ revelationis viâ cognosci posse. 2° Antiqui Patres à nobis non ita pridem laudati, quamvis non eis deesset fidei lumen, se tamen hoc mysterium, nec mente comprehendere, nec ratione demonstrare posse confessi sunt. 3° Ex allatis ibidem rationibus prima et postrema idem de utroque statu conficiunt. Ac prima quidem ab experientiâ petita. Ex quo enim in orbe obtinet christiana religio, multi profectò in hoc mysterium incubuerunt ; neque tamen ullus hactenùs fuit, qui rationem suppeditaverit, quâ demonstrari possit. Ergo experientiâ constat illud non posse demonstrari ratione. Imò experientia etiam docuit inter omnia religionis christianæ capita, nullum esse quod aut irrisioni patuerit magis, aut magis fuerit offensioni, quàm sanctissimæ Trinitatis mysterium, cùm iis proponebatur, qui soli rationi adhærebant, philosophis nimirùm. Sic apud Lucianum in dialogo qui Philopatris inscribitur, cùm Triephon quidam Christiani personam sustinens, omnes sanctissimæ Trinitatis personas recensuisset et statim addidisset : « Hunc « existima Deum ; » tum ethnicus irridens,

« Non, inquit, intelligo quid dicas, unum tria, « tria unum. » Hinc Origenes Hom. 15 in Exodum : « Quàm tortuosum, inquit, quàm difficile, « quàm inextricabile videtur hoc esse infideli- « bus! » Denique Lactantius testatur l. 4 Instit. c. 29, plurimos, quibus alioqui satis probabatur christiana religio, hoc uno deterritos in pristino errore perseverâsse : « Hæc asseveratio, in- « quit, plerosque in maximum impingit erro- « rem, quibus cùm probabilia videantur esse « quæ dicimus, in hoc uno labare nos arbi- « trantur, quòd alterum.... Deum fateamur, » etc.

Sed hìc etiam valet postrema ratio à nobis supra adducta. Cùm enim duplex sit tantùm demonstrationis genus, à priori videlicet seu per causam, et à posteriori seu per effectus, fides nec ullam aperit sanctissimæ Trinitatis causam quâ probari possit, nec ullum detegit effectum qui non à Deo, quatenùs unus est, proficiscatur. Imò verò fides id firmat, quod ratio jam docebat, nullam esse posse Dei causam, et omnia à Deo, quatenùs omnipotens est, non autem quatenùs trinus est, profluere.

Ergo ratione nullatenùs demonstrari potest mysterium sanctissimæ Trinitatis : imò ne id quidem tentandum est. Ut enim egregiè observat S. Thomas supra, qui id nititur, is dupliciter fidei derogat : 1° quòd ejus dignitatem deprimat, utpote quæ sit de rebus supra omnem rationem positis; 2° quòd eam infidelium despectui et irrisioni objiciat; spernunt, quam vident non satis firmis rationibus fulciri, et dùm putant nos iis duntaxat inniti, ab amplectendâ religione retrahuntur. Quæ igitur fidei sunt, inquit, non sunt tentanda probare, nisi per auctoritatem, iis qui auctoritatem suscipiunt; apud alios verò sufficit defendere non esse impossibile quod prædicat fides. Hinc Bernardus contra Abaelardum supra : « Dùm « paratus est, inquit, de omnibus reddere ra- « tionem, etiam quæ sunt supra rationem, et « contra rationem præsumit et contra fidem. « Quid enim magis contra rationem, quàm « ratione rationem conari transcendere? et « quid magis contra fidem, quàm credere « nolle, quidquid non possit ratione attin- « gere? »

Accedit auctoritas gravissima sacræ Facultatis Parisiensis, quæ olim doctrinam et methodum Lullii proscripsit, et è scholis eliminandam esse censuit, cujus rei testis est omni exceptione major Joannes Gersonius in tractatu de Examine doctrinarum, et epist. 2 ad Bartholomæum fratrem Cartusianum.

Objicies cum Lullio : In Deo debet esse bonificativum, bonificabile et bonificans. Atqui bonificativum ejusmodi est Pater, bonificabile est Filius, et bonificans est Spiritus sanctus. Ergo ex eo patet tres esse in Deo admittendas personas. — Respondeo hanc esse non minùs frivolam quàm barbaram hujus mysterii probandi rationem. Ut enim satis liquet, id supponit quod in quæstione est. Deinde verò cum ipsâ fide non cohæret; inde enim sequitur Spiritum sanctum à Filio non procedere; bonificans enim à bonificabili non profluit.

Assertio III. — Ne probabiliter quidem ratione adstrui potest hoc mysterium.

Probatur. Quia ratio nunquàm efficiet ut duo hæc non pugnare videantur, quòd nempe unus sit tantùm Deus, et tamen tres sint personæ, quarum unaquæque sit Deus. Cùm ergo ratio viam quâ ista concilientur ostendere nequeat, probabile ac plausibile nunquàm ipsa faciet sanctissimæ Trinitatis mysterium.

Assertio IV. — Positâ semel fide nonnullæ in rebus creatis imagines reperiri possunt, quæ mysterium sanctissimæ Trinitatis aliquatenùs adumbrent, et animum ei jam fide adhærentem in assensu sistant.

Probatur exemplo sanctorum Patrum, qui multas id genus attulerunt sive duarum sive trium simul personarum imagines. 1° Solis, radii, ac splendoris ex ambobus emicantis. Lactantius eâ comparatione utitur, ut et Athanasius orat. 4 contra Arianos. 2° Fontis, rivi et fluminis ex utroque profluentis. Ita Dionysius Alexandrinus, et Athanasius in Epist. de illius mente; Augustinus de Fide et Symbolo, cap. 9, num. 17. 3° Radicis, trunci, et rami in eâdem arbore. Ita Tertullianus adversùs Praxeam, et Augustinus supra. 4° Trium lucernarum in eodem cubiculo positarum, quæ unum idemque lumen effundunt. Ita Gregorius Nazianzenus orat. 5 de Theologiâ. 5° Ignis, splendoris, caloris, quæ cùm sint tria, unum tamen sunt lumen. Ita auctor sermonis de Symbolo ad catechumenos, apud Augustinum, et ipse ibid. 6° Intelligentiæ, voluntatis et memoriæ in unâ eâdemque animâ. Ita Augustinus lib. contra sermonem Arianorum; lib. 14 de Trinit. cap. 8; et alibi frequentissimè. Alias etiam allegant plures; sed istæ sufficiant.

Objicies : At si in rebus creatis sunt quædam

Trinitatis imagines, in ipsius notitiam deducere possunt, quod tamen supra negatum est. — Distinguo : Si sint imagines perfectæ, concedo; si adumbratæ tantùm nec accuratæ, nego. Porrò nemo est qui non intelligat quantùm istæ imagines à divinâ Trinitate abscedant. Hinc Hilarius lib. 1 de Trinit. num 19 : « Si « qua verò nos de naturâ Dei tractantes com- « parationum exempla afferemus, nemo ea « existimet absolutæ in se rationis perfectio- « nem continere ; comparatio enim terreno- « rum ad Deum nulla est..... Omnis igitur « comparatio homini potiùs utilis habeatur, « quàm Deo apta; quia intelligentiam magis « significet, quàm expleat. » Idem observat Gregorius Nazianzenus orat. 37, et Augustinus post ipsum supra.

ARTICULUS II.

An mysterium sanctissimæ Trinitatis Judæis et gentilibus, saltem quibusdam, ante Christum notum fuerit.

Sociniani, ut eam, quæ in Ecclesiâ obtinet, de Trinitate fidem convellant, et impietati suæ colorem quærant, novum hoc esse dogma contendunt, cujus nullum sit sive in novo sive in veteri Testamento vestigium. Alii ex heterodoxis eidem faventes impietati, idem de veteri Testamento prætexunt, ut dogmatis hujus, si non veritatem, saltem necessitatem elevent. Nempe, aiunt : Si esset hic fidei articulus fundamentalis, dubio procul Judæis fuisset revelatus. Atqui iis nunquàm innotuit mysterium sanctissimæ Trinitatis. Ergo quantumvis vera sit Ecclesiæ de hoc mysterio doctrina, ea tamen non est ad salutem necessaria.

Contra inter orthodoxos fuerunt nonnulli qui existimaverint non solùm Judæis, sed etiam gentilibus quibusdam, olim mysterium hoc notum fuisse. Ita de Platone existimavit Claudianus Mamertus, quod supra monuimus; sic de aliis alii.

Ut duo hæc extrema vitentur, esto

SECTIO I.

An Judæis olim fuerit notum mysterium sanctissimæ Trinitatis

Tres Judæorum ordines secerni queunt. 1° Patriarcharum, Prophetarum, et aliorum in eâ gente insignium virorum ; 2° scribarum et legis doctorum ; 3° vulgi. De singulis dicemus.

ASSERTIO I. — Judæis olim revelatum est mysterium sanctissimæ Trinitatis.

Probatur 1° iis omnibus veteris Testamenti testimoniis, quæ III et IV quæstione afferemus ex professo, ut divinam Trinitatem, Christique et Spiritûs sancti divinitatem adstruamus (1). Probatur 2° auctoritate S. Basilii asserentis lib. 5 contra Eunomium, Hebræis olim Dei Filium cognitum fuisse, et ut Deum ab iis fuisse adoratum. Probatur 3° aliorum, quos modò allegabimus, Patrum consensu. Probatur 4° ratione. Judæi nempe æternam salutem consequi potuerunt, et reverà plures ex iis consecuti sunt. Atqui nemo unquàm est salutem assecutus sine fide in Christum : *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, Act. 4, 12. Fides autem in Christum supponit (2) notitiam sanctissimæ Trinitatis, cùm Christus sit secunda sanctissimæ Trinitatis persona incarnata. Ergo.

(1) Vide opus cui titulus : *De rectâ Christianorum in eo quod mysterium divinæ Trinitatis attinet Sententiâ*. Auctor, Joan. Lami, ecclesiasticæ historiæ professor, lib. 3, c. 7 et 8, non indigna quæ legantur habet de Judæorum traditionibus, ex quibus plurimæ temporum injuriâ perierunt, deque paraphrasibus apud eos admissis. Item lib. 6, cap. 2, ostendit in novo Testamento sæpiùs mentionem de Spiritu sancto, tanquàm de re Judæis notissimâ, fieri. (Ed.)

(2) Fides in Christum, qualis ad salutem erat ante incarnationem necessaria, nequaquàm supponit notitiam SS. Trinitatis. Nam SS. Patres et omnes ferè theologi unanimi ore conclamant ante Christi adventum sufficientem fuisse fidem implicitam, videlicet quæ Christum, non expressè ut Deum, sed ut mediatorem qualemcumque apprehenderet. Imò verò non panci sunt qui, post S. Chrysostomum, hom. 36, aliàs 37, in Matth., et S. Thomam 2-2, q. 2, art. 7 et 8, arbitrentur plures ethnicos, qui ex primævâ revelatione cognitum verum Deum pro suo captu colebant, de divinâ ejus providentiâ aliqualem à peccato liberationem sperantes, salutem fuisse adeptos, absque ullâ distinctiori fide mediatoris. Vide Cursûs completi Theol. tom. 9, col. 96-98.

Ipse etiam auctor paulò inferiùs se refellit. Nam assertionibus 3 et 4 probat ignotum Judæorum vulgo Trinitatis fuisse mysterium, nullamque ejus notitiam plerisque vel scribis et doctoribus affuisse; in solvendâ autem objectione plerosque Judæos fatetur implicitam fidem habuisse, quæ sufficeret ad salutem ; ergo fides quæ ad salutem requiritur non includit cognitionem SS. Trinitatis. Non satis igitur sibi concordat Witasse. Neque sibi blandiatur, quasi implicita fides notitiam item implicitam includat. Cognitio quidem confusa quandoque vel subobscura, implicita verò neutiquàm dici potest. Quis enim cognitionem

Assertio II. — Patriarchæ, Prophetæ aliique viri insignes mysterium SS. Trinitatis noverunt.

Probatur 1° Scripturæ auctoritate. Matth. 13, 17 : *Amen dico vobis,* inquit Christus, *quia multi Prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt ; et audire quæ auditis, et non audierunt.* Joan. 8, 56 : *Abraham pater vester,* inquit iterùm Christus, *exultavit ut videret diem meum ; vidit, et gavisus est.* Hoc enim vehemens Christi videndi desiderium ipsis à Deo afflatum satis arguit instillatam simul ipsis fuisse ejus notitiam. At ipse secunda est persona sanctissimæ Trinitatis. Ergo.

Probatur 2° Patrum testimoniis. Origenes hom. 3 in Josue, de Judæis loquens, asserit ipsis contigisse scientiam Trinitatis, non integrè et perfectè, sed ex parte, quia dispensatio carnis in Christo nondùm fuerat impleta. Ambrosius lib. 1 de Cain et Abel, cap. 8, pronuntiat Abrahamo notam fuisse Trinitatem, idque colligit ex Christi verbis mox allatis. Epiphanius hæresi 5, idem statuit de Adamo, Patriarchis et Prophetis. « Una Trini-« tas, inquit, semper in illâ singulari divinitate « nuntiata creditaque ab aliis est qui cæteris « antecellerent, cujusmodi Prophetæ atque « eximiâ sanctitate præditi homines fuerunt. » Augustinus hoc ipsum de Abrahamo censet lib. 2 contra Maximinum Arianum, num. 7, cùm nempe Gen. 18, tres vidit et unum adoravit. Cyrillus Alexandrinus lib. 1 contra Julianum, de Abraham affirmat, ipsum non tantùm cognovisse, quòd Deus unus sit, sed quòd in sanctissimâ atque consubstantiali Trinitate concipiatur unius incorruptæ naturæ perfectio et complementum.

Theodoretus serm. 2 de curatione Græcarum affectionum, de veteribus Judæis loquens: « Trinitatis, inquit, dogmata ne tum quidem « venturis in posterum Deus penitùs occulta-« vit, perfectioris theologiæ quasi semina quæ-« dam dispergens. Ideò singulariter quidem « sub unius nomine legem sancit, obscurè « tamen Trinitatem indicat : *Audi, Israel,* « *Dominus Deus tuus, Dominus unus est* ; et « unitatem docet, et Trinitatem significat. »

Probatur 3° ratione. Ut enim postea evincemus, Patriarchæ et Prophetæ tum divinarum personarum distinctionem, tum Christi et Spiritûs sancti divinitatem nobis in veteri Testamento tradiderunt. Atqui dubio procul id noverant quod scribebant et annuntiabant. Ergo.

Assertio III. — Quædam esse potuit olim in aliquibus scribis et doctoribus Judæorum levis et obscura notitia distinctionis duarum saltem personarum sanctissimæ Trinitatis ; sed in plerisque nulla fuit.

Probatur 1° quia multa veteris Testamenti loca, quæ Messiam pollicentur, eadem ipsius divinitatem simul significant. Non potuit ergo fieri, quin illi, cùm sacris codicibus totos se darent, eam obscurè saltem perciperent. At Messias alius futurus erat à Deo, à quo erat mittendus : et tamen Deus unus est. Ergo plures in unâ Dei naturâ personas esse intelligebant.

Probatur 2° ex Philone, qui cùm inter Judæos doctissimus esset, variis in locis Deum distinguit, et ipsius Verbum, Λόγος : quod quidem Verbum censet esse illum qui frequenter apparuit veteribus Patriarchis, et *Deus* appellatur ; v. g., in lib. de Agriculturâ pag. 195 edit. Paris. an. 1640, in lib. de Somniis, pag. 593 et 594, etc. Ibid. ipsum vocat *primogenitum Dei Filium ;* libro autem 2 Allegor. statuit hoc ipsum esse superius omninò mundo, et antiquius creaturis omnibus ; in lib. de mundi Opificio docet ab ipso creatum mundum ; denique in lib. de Confusione linguarum, hoc idem Verbum dicit esse æternam Dei imaginem. Atqui hoc sine dubio hauserat Philo ex Scripturâ, et eâ quæ vigebat apud eruditiores traditione. Ergo.

Probatur 3° ex chaldaïcis Paraphrasibus, quæ ex iisdem principiis eamdem doctrinam tradunt. 1° Enim Verbum divinum distinguunt à Deo à quo procedit ; 2° personam esse significant ; 3° ipsum Deo æquale statuunt ; 4° putant esse illum Deum qui veteribus Patriarchis videndum se præbuit, uno verbo, planè ut Philo Judæus ; 5° denique ipsum venturum fuisse confitentur ad homines servandos. Sic 1° Gen. 3, 8, Scriptura habet : *Et audierunt vocem Domini Dei* ; Targum autem Onkelos et Jonathan : *Et audierunt vocem Verbi Domini Dei.* 2° Ibid. v. 9, Scriptura : *Et Deus vocavit Adamum ;* Targum autem Jerosolymitanum : *Et Verbum Domini vocavit Adamum*, etc. Sic Osee 1, 7 : *Et servabo eos per Jehovam Deum ipsorum* ; Targum autem Jonathan : *Et servabo*

nuncupare ausit eam quæ objectum circa quod versatur minimè percipiens, eatenùs tantùm attingit, quatenùs generatim credit quidquid à Deo revelatum sit, vel ab Ecclesiâ aliquâ teneatur ? (Ed.)

cos per Verbum Dei Domini sui. 3° Gen. 20, 3, Scriptura : *Et venit Deus ad Abimelech ;* Targum verò Onkelos : *Et venit Verbum à facie Dei ad Abimelech.* 4° Psal. 110, 1, Scriptura : *Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis ;* Targum autem in Psalmos, quod quidem hodiè non extat, testibus Galatino lib. 3, cap. 28, et Paulo Fagio ad cap. 5 Deut. sic habebat : *Dixit Dominus Verbo suo : Sede à dextris meis.*

Probatur 4° : Apostoli (v. g., Paulus in Epist. ad Hebr.) Christi divinitatem probant ex quibusdam Scripturæ locis, quæ juxta obviam litteræ speciem de alio quàm de Christo intelliguntur. Argumentum ergo non petunt ex eo litterali sensu quem verba primâ fronte præ se ferunt, nullius enim foret roboris. Ergo ex alio, sive litterali sive mystico, apud Judæos saltem doctiores recepto ; aliàs ipsum disputationis principium petiissent, et nihil omninò effecissent. Ergo tenuis saltem et subobscura ejus rei apud illos traditio vigebat.

Quòd autem plerique tamen Trinitatis mysterium et Christi divinitatem ignorarent, duo sunt argumenta. Primum petitur ex Matth. 22, 41, ubi sic habetur : *Congregatis autem Pharisæis interrogavit eos Jesus dicens : Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei : David. Ait illis : Quomodò ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens : Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodò filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere verbum ; neque ausus fuit quisquam ex illâ die eum amplius interrogare.* Ex his enim patet ejusmodi Pharisæos nullam Messiæ divinitatem agnovisse. Secundum petitur ex antiquissimis quibusque Judæorum doctorum libris, in quibus Messiam, ut vulgarem duntaxat hominem, depingunt ; quod etiamnùm apud totam illam gentem creditur. De quo vide Buxtorfium in Synagogâ Judaicâ, et Huetium in Demonst. evang.

ASSERTIO IV. — Judæorum vulgo ignotum erat mysterium sanctissimæ Trinitatis.

Probatur 1° ex Scripturis. Cùm enim Christus se Messiam expectatum, et Deum se esse significaret, Judæi, quòd se Deum diceret indignati, eum lapidibus obruere et interficere voluerunt, Joan. 5, 18 : *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solùm solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Ibid. cap. 10, 33 : *Responderunt ei Judæi : De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemiâ, et quia tu, homo cùm sis, facis te ipsum Deum.* Ergo non noverant Messiam, quem à Deo expectabant Deum quoque ipsum futurum esse.

Probatur 2° ex Patribus. Irenæus lib. 4, cap. 17 : « Propter hoc, inquit, Judæi excesserunt à Deo, Verbum Dei non recipientes, « sed putantes per se ipsum Patrem sine Verbo, « id est, sine Filio, posse cognoscere ; Deum « nescientes eum qui in figurâ locutus est « humanâ ad Abraham, » etc. Tertullianus adversùs Praxeam, cap. 31, ideò Trinitatis fidem novi Testamenti propriam esse definit : « Quæ est, inquit, substantia novi Testamenti « statuens legem et Prophetas usque ad Joannem, si non exinde Pater et Filius et Spiritus sanctus tres crediti, unum Deum sistunt? « Sic Deus voluit novare sacramentum ut « novè unus crederetur per Filium et Spiritum, ut coram jam Deus in suis propriis « nominibus et personis cognosceretur, qui « et retrò per Filium et Spiritum prædicatus « non intelligebatur. » Eusebius lib. 4 Demonst. evang. cap. 1, asserit Judæos à Messiâ sibi promisso excidisse, neque divinitatem ejus cognovisse. Libro autem 1° contra Marcellum Ancyranum, cap. 1, p. 3, asserit Trinitatis mysterium, nec à Mose nec à prophetis esse disertè Judæis revelatum, sed à solo demùm Christo discipulis suis, eâque fide non minùs christianam Ecclesiam à Synagogâ Judaicâ secerni, quàm unius et veri Dei notione ipsa Synagoga à paganis distingueretur. Hilarius, lib. 8 de Trinit., « hoc, inquit, Ecclesia intelligit, hoc Synagoga non credit, hoc « philosophia non sapit, » etc. S. Gregorius Nazianzenus, orat. 37 : « Accessio fidei facta « est, inquit, quia in veteri Testamento Pater « apertè prædicabatur, Filius verò obscuriùs ; « in novo Filius perspicuè annuntiatur. » Basilius Magnus, lib. 2 contra Eunomium, eò commendat hujus mysterii dignitatem, quòd illius notitiâ ac fide Christiani, ut à gentilibus, sic etiam à Judæis secernantur. Epiphanius supra, iis solis inter Judæos eam cognitionem tribuit, qui cæteris antecellerent. Eumdem vide hæresi 74, num. 10, et in Ancorato. Theodoretus supra similiter statuit vulgo ignotum fuisse hoc mysterium ; cujus quidem rationem illam affert, quam modò allegabimus. Adde Gregorium Nyssenum in lib. de Imagine Dei ; Basilium Seleuciensem in orat. de Mose :

Chrysostomum homil. 5 de incomprehensibili naturâ Dei; Isidorum Pelusiotam, epist. 143 lib. 2, etc.

Objicies : Ipsa Judaica plebs æternam salutem consequi potuit. Atqui, ut supra notatum est, eam consequi non poterat sine fide in Christum; quæ quidem aliquam supponit sanctissimæ Trinitatis notionem. Ergo. Distinguo minorem : Sine fide implicitâ, concedo; explicitâ, nego. Fides explicita ea est, quæ id, circa quod versatur, distinctè ac enucleatè cognoscit et credit; implicita, quæ illud duntaxat attingit sub generali quâdam et involutâ ratione, quatenùs nempe à religionis ejusdem antistitibus et Ecclesiâ tenetur. Prima non semper necessaria fuit (1); secunda Judæis affuit.

Quæres quibus de causis ita cum Judæis egerit Deus, nec ipsis hoc mysterium apertiùs revelaverit. Respondeo juxta sanctos Patres multis de causis id à Deo esse factum. Ac 1° quidem, quòd cùm antiqua lex veræ religionis esset duntaxat veluti rudimentum, satis foret tunc Judæorum animos ab idololatriâ avocare, et ad unius Dei cognitionem transferre. Ita Eusebius contra Marcell. Ancyr. lib. 1, cap. 1.

2° Ne iidem Judæi ad idololatriam ex sese propensi, ex eo plures deos colendi occasionem captarent. Ita Eusebius idem de Theol. eccles. lib. 2, cap. 20, pag. 134; Chrysostomus hom. 5 de incomprehensibili Dei naturâ; Isidorus Pelusiota supra, et Theodoretus libro mox laudato : « Cùm in Ægypto, inquit, diutissimè versati essent Judæi, multorumque ibi deorum cultum ritu Ægyptiaco didicissent, sapientissimus Deus neque illis manifestè omninò Trinitatis mysterium tradidit, ne ex eo multitudinis deorum occasionem sumerent, ad impietatem Ægyptiorum propendentes. »

3° Quòd perfectior notitia divinitatis Christo et legi novæ, utpote nobiliori, servanda esset. Ita Tertullianus supra.

Sectio II.

Angentilibus, saltem quibusdam, notum fuerit mysterium sanctissimæ Trinitatis.

Non de infidelium vulgo, sed de Zoroastre, Mercurio Trismegisto, Sibyllâ, Platone, et Aristotele difficultas cietur; iis enim è nostris nonnulli putant mysterium sanctissimæ Trinitatis innotuisse.

Assertio I. — Inter gentiles ne philosophi quidem mysterium hoc cognoverunt,

Probatur 1° ex Scripturis, ac præsertim Apostolo Paulo, qui disertè affirmat supra, mysteria christianæ religionis esse quidem sapientiam, sed non hujus seculi, neque principum hujus seculi.

Probatur 2° testimonio Patrum : 1° enim Origènes lib. 1 de Principiis, cap. 3, notat, quidquid de Deo et Verbo philosophi disseruerint, ipsis certè non innotuisse Spiritum sanctum. 2° Idem etiam animadvertit Didymus Alexandrinus in opere de Spiritu sancto, quod laudat Augustinus infra à nobis memorandus. 3° Hilarius supra : « Hoc, inquit, « philosophia non sapit. » 4° S. Augustinus in illa magorum cum Mose contendentium verba : *Digitus Dei hic est :* « Commendatur, inquit, « fortassè Trinitas, et quod verum est, summi « philosophi gentium, quantùm in eorum litteris indagatur, sine Spiritu sancto philosophati sunt, quamvis de Patre et Filio non « tacuerint. Quod etiam Didymus in libro suo « meminit, quem scripsit de Spiritu sancto. » 5° Cyrillus Alexandrinus lib. 8 contra Julianum, pag. 276 : « Scimus, inquit, homines « mundanæ sapientiæ fastu sanè quàm elatos « ac tumidos hæc subtiliter quidem indigitâsse, non tamen omninò citra errorem. Non « enim eis lux veritatis illuxit, » etc. 6° Auctor Glossæ ordinariæ in cap. 8 Exodi, in eamdem sententiam ait magos defecisse in tertio signo, id est, in notitiâ tertiæ personæ, scilicet Spiritûs sancti. Unde S. Thomas, quæst. 32, art. 1, ad 1 : « Illi, inquit, dicuntur defecisse in tertio signo, id est, in cognitione tertiæ personæ, quia à bonitate, « quæ Spiritui sancto appropriatur, deviaverunt, dùm cognoscentes Deum, non sicut « Deum glorificaverunt, ut dicitur, ad Rom. 1. »

Probatur 3° ratione. Si enim philosophi Trinitatis mysterium novissent, docuissent, et scriptis suis consignâssent, non ita offensioni fuisset aut irrisioni, cùm à Christianis propositum est. Atqui, ut supra ostendimus, nullum tamen fuit christianæ religionis caput, quod magis offensioni aut irrisioni fuerit. Ergo ea non erat summorum philosophorum,

(1) Hic supponere videtur auctor fidem explicitam SS. Trinitatis omninò nunc esse necessariam. Ita quidem sentiunt communiùs theologi; at non planè certa est hæc doctrina, ut infra dicemus. Vide annotationem in quæst 4, sect. 5. (Ed.)

qui ubique admirationi erant, doctrina (1).

Objectiones

Objicies 1° : Zoroastres Bactrianus, qui Semiramidis fuisse æqualis dicitur, sic habet in Magicis : *Omnia perfecit Pater, et menti tradidit secundæ, quam primam vocat omne genus hominum.* Ergo duas saltem priores sanctissimæ Trinitatis personas ille noverat.

Respondeo hoc opus esse Zoroastri suppositum, et quidem post Christi tempora, et ex hæreticorum quorumdam aut Platonicorum officinâ prodiisse, quod dudùm observârunt eruditi, Petavius inprimis lib. 1 de Trinit. cap. 2. Certè Porphyrius in vitâ Plotini tradit ab hæreticis libros fuisse Zoroastri suppositos.

Objicies 2° Mercurium Trismegistum scriptorem antiquissimum, utpote juxta vulgarem opinionem Mose non recentiorem, cujus hæc est celebratissima sententia ex Pæmandro desumpta : *Monas genuit Monadem, et in se suum reflexit ardorem.* — Respondeo hoc opus esse supposititium : quod jam pridem evicerunt Petavius suprà, et Casaubonus, exercitat. 1 contra Baronium, cap. 10. Vide et Marshamum seculo X, pag. 244. Galenus sanè olim animadverterat lib. 6 de simplic. medicam., plures etiam medicinæ libros sub hujus Mercurii nomine, sed falsò; circumferri. Is profectò ex quo deprompta sunt, quæ modò nobis opponebantur, partim è Scripturis, etiam novi Testamenti, partim è Platonicorum placitis consarcinatus est; quod argumento est illius auctorem, quisquis ille fuerit, post Apostolos vixisse.

Objicies 3° : Sibylla Erythræa in carmine acrosticho prædicat Jesum Christum, Dei Filium, Salvatorem ; quod etiam Augustinus refert lib. 18 de Civit. Dei, cap. 23; ergo. — Respondeo hæc Sibyllina carmina non majoris esse, quàm supradicta opera, auctoritatis et ætatis ; sub initium enim secundi seculi cusa sunt, et falsò Sybillis attributa, quod à doctis pluribus jam demonstratum est, et ex professo disputatur ubi de divini Verbi Incarnatione.

Objicies 4° : Plato non solùm duo passim distinguit, Deum et ipsius Verbum seu mentem, sed etiam tria, iisque divinitatem tribuit. Verbum autem *principii* ac *opificis* et *ducis* nomine vulgò donat, ab eoque conditum fuisse mundum docet; illud idem æternum esse statuit, et ejusdem cum summo Deo naturæ; denique ab ipso genitum esse pronuntiat. Nempe epist. 2 ad Dionys., quam Eusebius refert lib. 11 Præparat. evang. cap. 20, et alii benè multi ex antiquis : « Dicendum est « igitur tibi, inquit, nunc per ænigmata quæ« dam..... Est autem ita. Circa omnium regem « cuncta sunt ; ipsius gratiâ omnia ; ipse pul« chrorum omnium causa ; circa secundum « secunda ; tertia circa tertium. » Epist. 6 ad Hermiam, Erastum et Corisoum : « Testando, « inquit, Deum rerum omnium ducem, quæ « sunt et quæ futura sunt, ac ducis et prin« cipii patrem Dominum. » In Philebo, secundum illud à primo omnium principium, mentem regiam vocat, animam imperatoriam, progeniem ejus causæ, quæ causa dicitur omnium, et ejusdem cum ipso generis, συγγένης: in 6 autem de Republicâ, boni ipsius filium. In Timæo tandem, divinum illud exemplar æternum esse definit.

Distinguo majorem : Tria distinguit et enumerat Plato, quibus divinitatem ascribit (1) diversam, concedo ; unam et eamdem, nego. Ergo de Platonis sententiâ inter ipsos ejus veteres discipulos gravissima concertatio est; sed plerique tamen consentiunt tres ab ipso admissos deos, quorum unus esset omnium summus et omnium causa ; secundus verò minor, à primo factus et creatus, nempe mens aliqua eximia, per quam cætera condita sint ; tertius denique à secundo pariter creatus, qui esset mundi anima. En Trinitas Platonica, quæ quantùm ab adorandâ, quam agnoscimus, Trinitate distet, omnes intelligunt. Ne verò gratis hoc dicere videamur, Macrobius lib. 1 in Somnium Scipionis, cap. 14, Platonis mentem sic exponit : « Deus, inquit, qui prima causa.... est,.... « unus omnium origo est; hic superabun« danti majestatis fœcunditate de se mentem « creavit ; hæc mens, quæ νοῦς vocatur,.... « animam de se creat : .... anima partem, « quam intuetur, induitur, ac paulatim re« grediente respectu in fabricam corporum, « in corpoream ipsa degenerat. » Plotinus

(1) Vide supra laudatum opus Joan. Lami lib. 3, cap. 3 et 4.

(1) Legantur quæ de Platonis doctrinâ circa divinam naturam egregiè scripserunt tum Bergierus, Diction. theol. verbis *Platonismus*, præsertim art. 1, et *Trinitas Platonica*, præcipuè art. 1; tum P. Baltus, societatis Jesu, in libro Gallico, cui titulum fecit : *Défense des SS. Pères accusés de Platonisme*, passim, sed inprimis lib. 4, cap. 19, et lib. 3, cap. 1 tum P. Petavius lib. 1 de Trin. c. 1. (Ed.)

Enneade 5, lib. 1, cap. 3 et seq., mentem ait juxta Platonis sententiam esse supremo ente minorem, et mente illâ animam. Idem cap. 8 asserit juxta Platonem animam à mente illâ esse factam cap. 13, eam non esse perfectam, si cum mente (secundo principio) conferatur. Eusebius supra, licet Platoni favere velit : « Hæc Platonis verba, inquit, qui explicandam « philosophi mentem suscepêre, ad primum « Deum secundumque principium referunt, « necnon ad tertium, quam mundi animam « Deumque tertium ipsi quoque appellare so- « lent. » Cyrillus lib. 3 in Julianum : « Plato, « inquit, unum quidem opificem esse definit « eum qui causa est omnium, quem et mundo « sese applicuisse dicit. Ante hunc porrò Deum « alterum constitisse, nempe boni ideam; ad « hæc tertium insuper principium excogitavit, « quod ordine et naturâ prioribus illis inferius, « quam etiam omnium quæ sunt, animam ap- « pellat. » Libro autem 8 : « Cùm tres primi- « genias hypostases statuant (philosophi Plato- « nici), inquit,... atque interdùm ipsi triadis « usurpent vocabulum, Christianorum suffra- « gantur sententiis, nec ad eam rem quidquam « eis deesset, si consubstantialitatis vocabulum « accommodare vellent tribus hypostasibus, ut « etiam una intelligeretur natura divinitatis. » Augustinus lib. 13 de Civit. Dei, cap. 16 et 17, eosdem divinitatis diversos gradus juxta Platonicorum placita recenset. Meritò itaque idem Cyrillus lib. 1 in Julianum, et S. Thomas, Platonem affirmant in eo dogmate Ario præivisse.

Instabis : At iidem illi Patres aliique non pauci Platonis doctrinam in cœlum usque extollunt, cùm adversùs gentiles aut Arianos disputant (1).

Distinguo : Ut ostendant hinc quidem gentilibus Christianorum dogmata non esse respuenda tanquàm absurda et ab omni fide aliena; illinc verò hæreticos de Verbo pejus etiam sentire, quàm philosophi ipsi sensissent, concedo; quòd putent ab iis Trinitatem fuisse accuratè expressam, nego. Cùm ergo gentiles vulgò christianam religionem irriderent tanquàm absurdam et omni fide indignam, quando cum iis agunt Patres, doctrinam Platonis qui apud omnes admirationi erat, passim ostentant, velut ad nostra dogmata accedentem, eamque similitudinem, quantùm possunt, exaggerant; quando verò cum hæreticis dimicant, eamdem venditant tanquàm hæreticorum impietate tolerabiliorem. Ea mens Patrum fuit, nec quidquam aliud unquàm illi sibi voluerunt.

Objicies 5° : Aristoteles, lib. 1 de Cœlo, textu 2, testatur veteres numero ternario coluisse et honorâsse Deum. Ergo noverant illi Trinitatem — Distinguo antecedens : Numero ternario in precibus et sacrificiis usurpato, concedo; in ipso nomine admisso, nego Non igitur in Deo Trinitatem constituebant, sed cùm numero ternario quamdam perfectionem inesse censerent, ipsum ad sacrificia et preces adhibebant.

Assertio II. — Si quid philosophi de Deo dixerunt ipsiusque Verbo, quod ad Ecclesiæ fidem accedere videatur, id aut ex sacris sive veteris sive novi Testamenti libris, aut ex Judæorum et Christianorum colloquiis hauserunt (1).

Probatur auctoritate veterum. 1° Enim Justinus apologiâ, quæ Secunda inscribitur, disertè docet Platonem, quæ de Deo dixit præclarè, ea ex Mose habuisse. 2° Clemens Alexandrinus lib. 5 Strom. id speciatim pronuntiat de illis, quæ Plato in epist. ad Hermiam, Erastum et Coriseum à nobis mox memoratâ, de duplici principio disserit. 3° Eusebius lib. 11 Præpar. evang. supra, idem de Platone judicat. 4° Theodoretus serm. 2 contra Græcos, hoc ipsum de Platonicis tradit. 5° Augustinus lib. 2 de Doctrinâ christianâ cap. 28, et lib. 7 Confess. cap. 9, de eorumdem Platonicorum libris loquens, « ibi legi, inquit, « *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud* « *Deum, et Deus erat Verbum, omnia per ipsum* « *facta sunt*, etc. »

Et verò Amelius, vir olim inter Platonicos magni nominis, non solùm Joannis Evangelium legerat, sed et Evangelistæ excellentissimam de Verbo Dei doctrinam admirabatur, testibus Eusebio et Theodoreto supra.

Neque dicas Platonis ætate nondùm fuisse in Græcam linguam versos Mosis et Prophetarum libros. Nam aut per interpretes, quod iis contineretur, acceperat, aut certè ex colloquiis Judæorum aliorumve qui Judæos frequentârant. Veteres scilicet philosophi multùm diuque peregrinabantur. Non mirum itaque si alterutrâ viâ ejusmodi res discere potuerint.

(1) Vide memoratum opus P. Balti, lib. 3, cap. 1, lib. 4, cap. 9, et alibi. (Ed.)

(1) Vide P. Balti opus citatum, lib. 4, cap. 21, et alibi passim ; Bergierum, verbis citatis, et Joan. Lami, lib 3, capp. 1, 2, 5, 9, 10, lib. 2, à cap. 10 usque ad libri finem. (Ed.)

Quæstio secunda.

De variis erroribus quibus impugnatum fuit mysterium sanctissimæ Trinitatis.

De hoc mysterio fides catholica est, « Ut « unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in « unitate veneremur, neque confundentes per- « sonas, neque substantiam separantes. » Itaque duplici tantùm modo impeti potest, personas nempe confundendo, aut separando naturam. Quàmplurimi autem alterutro aut utroque quondàm circa hanc fidem naufragati sunt; quod paucis est exponendum.

ARTICULUS I.

Quinam olim sanctissimæ Trinitatis personas confuderint.

Plures recensentur, qui in hoc errore versati sunt.

Ac 1° quidem Simon Magus ex apostolicâ historiâ notissimus, atque ut omnium hæreticorum, sic omnium ferè hæreseon princeps. Ut enim refert S. Irenæus lib. 1 adversùs hæres. cap. 20, et post ipsum Theodoretus lib. 1 hæret. Fabul. et alii non pauci, docuit « se- « metipsum esse qui inter Judæos quidem « quasi Filius apparuerit; in Samariâ autem « quasi Pater descenderit; in reliquis verò « gentibus quasi Spiritus sanctus adventaverit. » Rem paulò aliter, sed eodem sensu, narrat Augustinus de Hæres. cap 1, juxta veteres editiones, quod è novâ expunctum est (1). Itaque Simon in se uno totam Trinitatem constituebat. Aliter tamen aliquando philosophabatur. Sed in hæreticis, et præsertim in hæreticorum omnium antesignano, constantiam quis requirat?

2° Valentinus, vir quidem non mediocris ingenii, doctrinæ et eloquentiæ, sed qui cùm episcopatu, quem ambierat (2) excidisset, in hæresim præceps actus, peculiaris ac pestiferæ sectæ architectus, circa annum Christi 140 extitit. Is autem inter alia asseruit, totam Trinitatem esse passam, teste Athanasio lib. 2 contra Apollinarem. Attamen vulgò Dei ac Verbi non tantùm personas, sed etiam naturas sejungebat, ut postea videbimus.

(1) Hæc habebant veteres editiones, scilicet Simonem dixisse *se in monte Sinâ legem Moysi in Patris personâ dedisse Judæis, tempore Tiberii in Filii personâ putativè apparuisse, postea se in linguis igneis Spiritum sanctum super Apostolos venisse.* (Ed.)

(2) Vide Tertullianum lib. adversùs Valentinianos, c. 4.

3° Anonymi quidam medio seculo II (non alii fortè à Simonis et Valentini discipulis) quos non semel perstringit Justinus Martyr, v. g., in Apologiâ, quæ Secunda inscribitur : « Qui « Filium Patrem esse dicunt, inquit, compe- « riuntur neque Patrem scire, » etc. Eosdem percellit in Dialogo cum Tryphone.

4° Montanistæ, non quidem omnes, sed nonnulli ignobiliores, qui peculiari nomine Cataphryges et Cata-Æschinem (1) nuncupati sunt; Montanum enim et plerosque ejus asseclas rectè de Trinitate sensisse observant Epiphanius hær. 48, cap. 1; Philastrius cap. 49, et alii; idque ex Tertulliano satis colligitur, qui Montanista factus, personas divinas nedùm confunderet, adversùs eos scripsit qui confundebant. Ergo propria hæc impietas fuit Cataphrygum, et eorum qui Æschinem sectabantur. Unde Tertullianus idem de Præscript. hæret. cap. ult.: « Privatam blasphemiam, « inquit, illi qui sunt Cata-Æschinem, hanc « habent quâ adjiciunt etiam hoc, ut dicant « Christum esse Filium et Patrem. » Ex quo occasionem sumpserunt Hieronymus, epist. 54 ad Marcellam; Socrates lib. 1 Hist. cap. 23; Sozomenus lib. 2, cap. 18; Nicephorus lib. 4, cap. 22, et alii, ut nullâ distinctione notatâ eum errorem Montanistis tribuerent; sed hanc distinctionem eruditè observavit Theodoretus lib. 3 hæret. Fab. cap. 2; et post ipsum è recentioribus Valesius in notis ad Socrat.; Bullus sect. 2, pag. 65; Tillemontius, etc.

5° Praxeas, qui sub finem seculi II, paulò post exortam hæresim Montanistarum vixit, et nemini notus non est : de quo Tertullianus ad calcem libri de Præscript. hæret. : « Sed « post hos omnes, inquit, etiam Praxeas qui- « dam hæresim introduxit, quam Victorinus « corroborare curavit. Hic Deum Patrem om- « nipotentem Jesum Christum esse dixit, hunc « crucifixum passumque contendit. » Contra Praxeam Tertullianus idem singularem conscripsit librum. Vide insuper Augustinum de Hæres. cap. 41.

6° Hermogenes quidam, quem Augustinus cum Praxeâ conjungit, et à quo dicti sunt hæretici Hermogeniani.

7° Nonnulli ab Origene lib. 8 contra Celsum pag. 387, memorati, qui affirmabant « quòd « Servator sit ille universorum Deus; » quo nomine passim appellatur apud veteres æternus Pater.

(1) Æschines quidam erat Montani discipulus, Athenis oriundus. (Ed.)

8° Epigonus et Cleomenes ejus discipulus, quos Noeto, à nobis mox appellando, præivisse perhibet Theodoretus lib. 3 hæret. Fab. cap. 3.

9° Noetus ex Smyrnâ juxta Theodoretum supra oriundus, ut autem Epiphanio placet hæresi 57, ex Ephesinâ urbe, qui teste Augustino de Hæres. cap. 36, « dicebat Christum « eumdem ipsum esse Patrem et Spiritum « sanctum. » is ineunte tertio seculo docere cœpit. Cùm autem errorem, quem spargebat, primò revocavisset et postea fuisset ad vomitum reversus, non solùm ab Ecclesiâ ejectus fuit, sed etiam post mortem sepulturâ privatus. Contra hunc scripsit Hippolytus Martyr, quem vide, et præterea Augustinum cap. 41. Ab eo nomen accepêre Noetiani; sed qui seculo V vix in Africâ, eodem teste Augustino, noti erant.

10° Sabellius è Lybiâ et Pentapoli oriundus, atque, ut Zonaras refert, Ptolemaidis in eâ regione episcopus, qui in istâ disseminandâ lue tantam sibi famam peperit, ut hæc hæresis exinde Sabellianismus vocari cœperit, et qui eam amplexati sunt, vix alio deinceps quàm Sabellianorum nomine innotuerint. Cùm autem turbas in Ægypto excitâsset, res tota delata est ad Dionysium Alexandrinum præsulem, qui non solùm epistolam eâ de re scripsit anno 257 ad Sixtum summum pontificem, sed etiam Sabellium in synodo damnavit; de quo adeundi sunt Eusebius lib. 7 Hist. cap. 6; Epiphanius hæres. 62; Philastrius cap. 54; Augustinus cap. 41; Theodoretus lib. 2, cap. 9; Zonaras, etc. Sentiebat ille non esse tres in Deo personas subsistentes ac distinctas, sed Deum modò ut Patrem, modò ut Filium, modò ut Spiritum sanctum apparere. Ut Patrem, legis antiquæ latorem fuisse; ut Filium, esse incarnatum, ut Spiritum sanctum, in Apostolos descendisse. Proinde sola personarum nomina pro variis officiis et effectibus distinguebat. Sententiam autem suam illustrabat exemplo solis, in quo tria, quæ tamen eadem sunt, observantur, figura nimirùm rotunda, illuminandi vis, et calefaciendi facultas. Primum Patri, secundum Filio, tertium Spiritui sancto respondere affirmabat. Extat speciale Sabellianorum genus apud auctorem qui legitur tom. 10 Spicilegii pag. 74.

11° Paulus Samosatenus, de quo alibi plenius dicetur. Huic enim Athanasius lib. 2 contra Apollinarium de salutari Adventu Christi, eumdem cum Sabellio errorem ascribit. Sed in eo non mediocris est difficultas. Samosatenus enim Christum esse merum hominem, atque adeò merum hominem esse cruci affixum; at Sabellius contra non modò Verbum, sed etiam Patrem esse passum arbitrabatur. Ista igitur sententiæ communio non de Christo intelligenda est, sed de solâ Trinitate, in quâ plures fortè Samosatenus non distinguebat personas, perinde ac Sabellius.

12° Priscillianistæ, quorum parens fuit Priscillianus, qui apud Hispanos Gnosticorum sordes et Manichæorum deliria renovavit. Orosius in Commonitorio ad Augustinum tom. 8, pag. 608, de eo loquens : « Trinitatem « inquit, solo verbo loquebatur. Nam unionem « absque ullâ existentiâ aut proprietate asserebat..... Patrem et Filium et Spiritum sanctum, hunc esse unum Christum dicebat. » Unde Augustinus ipse Orosio respondens, ibid. pag. 613 : « Priscillianus, inquit, Sabellianum « antiquum dogma restituit. » Postea verò in libro de Hæres. idem sanctus doctor : « Priscillianistæ, inquit, cap. 70...., de Christo « Sabellianam sectam tenent, eumdem ipsum « esse dicentes, non solùm Filium, sed etiam « Patrem, et Spiritum sanctum. »

Mitto recentiores.

Atque hi omnes communi vocabulo à Latinis Patripassiani vocati sunt, quòd nempe Patri divino mortem ac passionem, quæ propria Christi fuit, affingerent. Id autem est pervulgatum eorum nomen apud Cyprianum epist. 73; Marium Victorinum lib. 1 contra Arium; Philastrium de hæresibus; Athanasium in libro de Synodis; Augustinum de Hæresibus cap. 41, et alios.

Verùm antequàm manum tollimus, observandum est quosdam extitisse, qui Verbum aut Spiritum sanctum cum Patre confuderint. Sed ii commodiùs infra speciatim à nobis commemorandi sunt.

ARTICULUS II

Quinam personarum sanctissimæ Trinitatis substantias separaverint.

Divinarum sanctissimæ Trinitatis personarum substantias separare, est earumdem negare consubstantialitatem. Itaque expendemus 1° quinam trium simul personarum consubstantialitatem sustulerint; 2° quinam ex professo secundæ personæ seu Christi divinitatem atque ejus cum Patre æterno consubstantialitatem impetierint; 3° denique quinam

tertiæ seu Spiritui sancto bellum eam ob rem indixerint.

Sectio I.

Quinam trium simul personarum consubstantialitatem sustulerint.

Prætermittentur hìc à nobis veteres illi hæretici christiano nomine indigni, qui plures deos, sed ad sanctissimam Trinitatem propriè non pertinentes, admiserunt; cujus generis triginta confinxit Valentinus supra memoratus ex Tertulliano contra Praxeam cap. 3; multos, sed quo numero incertum, Prodicus infandæ Adamitarum sectæ conditor, ex eodem ibidem; duos Cerdo Marcionis magister, ex eodem lib. 1 contra Marcionem, cap. 2; totidem Marcion, alterum bonum, alterum malum, ex eodem ibidem cap. 15; tres Syneros ejus discipulus, ex Rhodone apud Eusebium lib. 5, cap. 13; duos Apelles, alter ejusdem Marcionis assecla, sed peculiaris sectæ princeps; tres Peratæ à Theodoreto memorati lib. 1 hæret. Fab. cap. 19 : quorum omnium figmenta referre et confutare alterius operæ est.

Quocirca eos duntaxat recensebimus, qui nominatim Patri, Filio et Spiritui sancto distinctam divinitatem, aut varios divinitatis gradus, aut diversas divinitatis partes, uno verbo discrepantem naturam tribuerint. Hoc in ordine occurrunt.

1° Manichæi. Quamvis illi verbo tenùs confiterentur Patrem et Filium et Spiritum sanctum non dispari naturâ copulatos esse, ut videre est apud Augustinum lib. contra Epistolam Fundamenti, cap. 7, num. 8, imò Faustus Manichæorum coryphæus eorum nomine hanc fidei professionem edat initio libri 20 apud eumdem : (« Nos, inquit, Patris qui- « dem omnipotentis, et Christi Filii ejus, et « Spiritûs sancti unum idemque sub triplici « appellatione colimus numen ») ; attamen eò illudere volebant catholicis ; unam enim duntaxat agnoscebant generali quâdam ac communi ratione, qualis est una omnium hominum natura, et qualem esse unam omnium deorum suorum naturam pagani prædicabant, ut colligitur ex eodem Augustino, ibid. cap. 10 ; sed reipsà diversam in tribus personis naturam esse statuebant. Unde et varias eis assignabant sedes. Nam Faustus idem supra, cap. 2, post præclaram istam fidei confessionem : « Sed Patrem quidem ipsum, inquit, lucem « incolere credimus summam ac principalem, « quam Paulus aliàs inaccessibilem vocat ; Fi- « lium verò... in sole..... necnon et Spiritûs « sancti, qui est majestas tertia, aeris hunc « omnem ambitum sedem fatemur ac diverso- « rium. » Manichæi porrò medio circiter seculo III eruperunt.

2° Quidam eodem tempore ignoti, sed quos refellit Dionysius Alexandrinus in epist. contra Sabellium, apud Athanasium in lib. de Decretis synodi Nicænæ. Duas enim asseverat in Ægypto tunc hæreses viguisse planè oppositas, Sabellii unam, quæ personas confundebat ; alteram aliorum, quæ contra ex iis tres Deos efficiebat, singularum hypostases seu naturas à se invicem dividendo. « Deinceps, inquit, « adversùs eos similiter dicam, qui dividunt « et secant et evertunt religiosissimum dogma « Ecclesiæ Dei, monarchiam in tres quasdam « virtutes partientes, et divisas hypostases, ac « deitates tres..... qui ex diametro, ut sic di- « cam, pugnant cum Sabellii placitis. Hic enim « blasphemat, Filium ipsum asserens esse Pa- « trem, et è converso Patrem esse Filium. At « isti tres quodam modo Deos prædicant, dùm « sanctam monadem dividunt in tres hyposta- « ses peregrinas, à se invicem planè separa- « tas, » etc.

3° Donatus schismatis Donatistarum auctor, de quo Augustinus in lib. de Hæres. cap. 69 : « Extant, inquit, scripta ejus, ubi apparet « eum non catholicam de Trinitate habuisse « sententiam ; sed quamvis ejusdem substan- « tiæ (communis scilicet), minorem tamen « Patre Filium, et minorem Filio putâsse « Spiritum sanctum. »

4° Extiterunt eâdem ætate, hoc est, seculo IV, plures qui multipliciter eamdem sanctissimæ Trinitatis naturam sciderint. 1° Enim Hilarius lib. 6 dè Trinit. quosdam commemorat, qui divinitatem ut substantiam quamdam communem spectabant, cujus partem obtineat Pater, aliam Filius, aliam Spiritus sanctus ; atque hos impugnat in libro contra Auxentium. 2° Gregorius Nazianzenus orat. 1, tres distinguit opiniones sanctissimæ Trinitati adversas : primam Sabellii, qui atheismum ; secundam Arii, qui Judaismum ; tertiam aliorum, qui naturam divinam separando, polytheismum inducebant. 3° Basilius epist. 70 ad episc. Galliæ et Italiæ refert ævo suo fuisse plurimos, eosque præpotentes, qui profiterentur unum esse supremum Deum, nempe Patrem ; minorem Filium ; Spiritum verò sanctum esse creaturam. 4° Augustinus de Hæres. cap. 74 : « Est « alia (hæresis), inquit, quæ triformem sic as-

« serit Deum, ut quædam pars ejus sit Pater, « quædam Filius, quædam Spiritus sanctus. « Hoc est, quòd Dei unius partes, quæ istam « faciunt Trinitatem, velut ex his tribus parti- « bus compleatur Deus; nec sit perfectus in se « ipso, vel Pater, vel Filius, vel Spiritus san- « ctus. »

5° Metangismonitæ ab Augustino memorati cap. 58, dicentes sic esse in Patre Filium, quomodò vas in vase, quasi duo corpora carnaliter opinantes; ita ut Filius intret in Patrem, quasi vas minus in majus, unde hic error tale nomen accepit.

6° Apollinarius insignis per id tempus Ecclesiæ catholicæ primùm vindex, dein hæreticus. Gregorius enim Nazianzenus epist. 1 ad Cledonium, affirmat eum Trinitatem ex magno, majori et maximo conflâsse.

7° Vigilantius sanctarum reliquiarum osor. Commentarius enim in Boetium de Trinitate, qui Bedæ adscribitur, et inter ejus opera extat, asserit illum tres Deos admisisse.

8° Tritheitæ, quorum signifer fuit Joannes Philoponus, non incelebris VI seculo grammaticus ac philosophus, sed temerarius ac pessimus certè theologus. Ii porrò de naturâ divinâ idem quod de humanâ statuentes, aiebant unam esse in tribus personis naturam communem, sed in singulis numero divisam. Eorum sanè doctrinam ita exhibet Nicephorus lib. 18 Hist. cap. 49 : « Tres, inquit, personas dicunt, « ipsam nimirùm sanctissimam Trinitatem; « tres autem numero substantias et naturas « per omnia similes secundùm deitatem. » Hinc Tritheitæ nuncupati sunt, quòd reverà tres deos inveherent. « Quamvis illi, ut idem « observat, tres deos aut tres deitates omninò « dicere tergiversarentur. »

9° Roscelinus XI seculo, tres personæ, inquiebat, sunt tres res, sicut tres Angeli. Ex S. Anselmo de Incarnat. cap. 1. Vide tamen : namque contra alii Roscelinum Sabellianismi insimulant.

10° Abbas Joachim, is cujus doctrina in concilio Lateranensi sub Innocentio III, cap. 2, proscripta est. Statuebat autem ille inter cætera tres personas solâ collectione esse Deum unum, sicut plurimi cives sunt unus populus. Per sese ergo nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum esse Deum, sed ex iis simul junctis Deum coalescere. Proinde nullam in iis agnoscebat naturam communem, quæ eadem esset; sed in singulis aliquam peculiarem, in Patre quidem generantem, in Filio genitam ac distinctam, in Spiritu sancto procedentem ex utroque. Ex tribus autem his peculiaribus naturis in unum conflatis Deum efficiebat· iis non absimilis, quos jamjam num. 4° ex Augustino recensuimus.

11° Anonymus quidam Gallus, de quo Benedictus Aretius in Hist.

12° His omnibus addere liceat quemdam recentiorem, Faydit scilicet, qui in theologiæ scholasticæ ejusque principum contumeliam de sanctissimâ Trinitate scribens, in hâc litterarum sacrarum luce asserere non dubitavit, tres esse numero naturas in tribus sanctissimæ Trinitatis personis, generantem unam, alteram genitam, tertiam ex utrâque manantem, eo ferè modo quo triplex est in tribus hominibus natura; proinde tres deos posse legitimè à nobis dici; sed tamen posse etiam dici unam esse in tribus personis naturam, quia una eademque est in Patre sine principio, in Filio autem producta, in Spiritu denique sancto reproducta. Ita ille, qui paradoxis omnibus suis hoc fundamentum esse voluit; quod animus horret.

Sectio II.

Quinam secundæ personæ seu Christi divinitatem impetierint, et ipsius cum æterno Patre consubstantialitatem violaverint.

Duo possunt secerni hæreticorum genera ad institutum nostrum spectantia. Alii enim Verbi ipsius divini consubstantialitatem impugnârunt, aientes illud à Patre creatum esse; alii Christi divinitatem propriè impetiverunt, rati merum eum fuisse hominem, nec ullam factam esse Dei cum humanâ naturâ hypostaticam unionem. Quanquàm verò ii ad eam theologiæ partem, quæ de incarnatione est, pertinere videantur, attamen cùm reipsà Christus sit Verbum caro factum, et pleraque utriusque disputationis capita eòdem recidant, utrosque simul consociabimus, ut major inde lux, et plenior dissertatio fiat.

Quocirca Christi seu Verbi divinitatem violârunt

1° Simon Magus, de quo jam verba facta sunt. Is enim est Æonum deinceps famosorum inventor. Inter eos porrò Verbum quinto loco reponebat, longè à primo dissitum, Patre videlicet æterno, quem Bythum seu profundum nominabat, idemque Verbum è silentio ejusdem Bythi prodiisse comminiscebatur. Itaque juxta ipsius pestilentem doctrinam, Verbum Deo inferius erat, nec erat æternum. De iis

consule Eusebium in Marcell. lib. 4, cap. 9; Gregorium Nazianzenum orat. 23 et 44; Nicetam et Eliam in eumdem; Pearsonium in Ignatianis; Bullum lib. 3, cap. 1; Tillemontium de Simoniacis. Vide etiam Bergierum, Dict. Theol. verbo *Valentiniani*.

2° Cerinthus, magni inter veteres hæreticos nominis. Is autem non solùm eadem quæ Simon de Æonibus et Verbo statuebat, sed etiam Jesum Dominum esse merum hominem ex Mariâ et Joseph prognatum, ut docet Irenæus lib. 1, cap. 25; Epiphanius hæres. 28; Augustinus cap. 9, etc. Porrò Jesum inter et Christum discrimen ille constituebat. Aiebat, enim, postquàm Jesus baptizatus esset, in eum descendisse Christum, unum ex Æonibus; et hunc ipsum Christum, paulò antequàm pateretur Jesus, ab eo discessisse, et in cœlum ad æternum Patrem revolâsse. Contra hunc Cerinthum beatus Joannes evangelista conscripsisse dicitur, cùm ab Iræneo lib. 3, cap. 11, tùm ab Hieronymo in Viris illustribus, cap. 9. Inde est quòd, quùm Cerinthus Verbi æternitatem et Christi divinitatem negaret, utramque studiosiùs asserat sanctus Evangelista (1).

3° Ebionitæ, sic ab Ebione eorum principe nominati (1). Illi quippe, longè apertiùs quàm cæteri omnes Christum esse merum hominem ex Joseph et Mariâ communi more ortum profitebantur; quod aiunt Irenæus lib. 3, cap. 24; Eusebius hb. 6, cap. 17, etc. Eos cum Cerinthianis veteres conjungunt, et adversùs utrosque scriptum esse à beato Joanne Evangelium affirmant, Hieronymus supra; Augustinus cap. 10; Mercator in Nestorium, etc.

4° Carpocrates, Gnosticorum dux præcipuus, vir impurus ac flagitiosus, de quo Irenæus lib. 1, cap. 24: « Carpocrates, inquit, « et qui ab eo,... dicunt... Jesum... è Joseph « natum, et qui similis reliquis hominibus « fuerit, » etc. Post ipsum verò Augustinus cap. 7, « Hic, inquit, Jesum hominem tan- « tummodò, et de utroque sexu natum putâsse « perhibetur, sed accepisse talem animam, « quâ sciret ea quæ superna essent, atque « nuntiaret. » Is porrò ineunte seculo II virus suum spargebat.

5° Valentinus, à nobis jam appellatus. Iste enim in Verbum divinum et Christum impius fuit. 1° Enim ille docuit Patrem æternum, cùm infinitis retrò ævis in maximâ et altissimâ quiete jacuisset, è silentio tandem genuisse Verbum, ab ipso tam distans, ut Patrem ignoraret; quod discimus ex Irenæo cap. 1; Tertulliano cap. 7; Theodoreto lib. 1, cap. 7, etc. 2° Ut testatur Athanasius, orat. 2, Christum ejusdem esse cum Angelis substantiæ definiebat (2).

6° Theodotus quidam Bysantinus et coriarius, qui cùm in persecutione Christum ejurâsset, ut se ipse excusaret, dicere cœpit se non Deo injuriam irrogâsse, sed homini, Christo videlicet, cujus deinceps divinitatem totis viribus oppugnavit. Sed ejus impietas à Victore pontifice statim repressa est circa finem II seculi. Consule Tertullianum de Præscript. cap. 53; Theodoretum lib. 1 hæret.

(1) « Disputant critici, ait Turnelius, quæst. « 1, art. 4, de ætate quâ ille (Cerinthus) vixit, « an ab ipso Apostolorum ævo, an secundo « duntaxat seculo, tempore Adriani imperato- « ris. S. Irenæus, lib. 3, cap. 5, et post eum « Eusebius, lib. 3 Hist. cap. 38, et lib. 4, « cap. 4, atque Theodoretus, lib. 2 hæret. « Fabul., narrant quosdam ex Polycarpo audi- « visse Joan. Apostolum Ephesi ex balneo ubi « Cerinthum viderat, protinùs aufugisse. *Fu- « giamus*, inquit, *ne balneum corruat, in quo « Cerinthus est, veritatis inimicus*. S. verò Hie- « ronymus, lib. de Script. eccles., testatur « S. Joannem suum Evangelium datâ operâ « contra Cerinthum scripsisse, atque de divi- « nitate Verbi et Christi studiosiùs idcircò « tractâsse. Addit S. Epiphanius, hær. 28, « n. 2, Cerinthum eum ipsum esse qui Apo- « stolorum tempore tumultum excitavit, cùm « Jacobus cæterique Apostoli litteras Antio- « chiam scripserunt. Cerinthus igitur, si his « auctoribus fides, Apostolis coævus fuit.

« Nihilominùs tamen Tertullianus, lib. de « Præscrip. cap. 48, ait Cerinthum post Carpo- « cratem erupisse. Idem refert S. Epiphanius, « hær. 28, n. 4. Porrò Carpocrates, referente « S. Irenæo, apud Eusebium lib. 4, cap. 7, « eodem cum Valentino tempore vixit; Valen- « tinus autem, teste Tertulliano, lib. de Præ- « scrip. cap. 30, *Antonini fermè principatu erupit*. « S. Clemens Alex. lib. 7 Stromatum, scribit « hæreseon auctorem inferiùs circa Adriani « tempora dogmata sua disseminâsse. Quin et « S. Ignatius, qui omnes sui temporis hære- « ses recenset, de Cerintho nullam habet men- « tionem, quòd nempe nondùm ætate suâ, id « est, primo labente seculo, exortus ille fuis- « set. » Ita doctissimus Theologus. Priorem eruditi opinionem communiùs sequuntur. (Ed.)

(1) Critici plures de Ebione quæstiones agitant, quarum præcipuæ sunt: 1° an verè extiterit, 2° quo tempore. Vide Bergierum, Dict. Theol. verbo *Ebionitæ*, ubi diversas opiniones exponit. (Ed.)

(2) Vide Bergierum, Dict. Theol. verbo *Valentiniani*. Vir doctissimus Valentinianorum errores fusiùs proponit. Dein breviter subjicit quæ contra ipsos scripsit S. Irenæus. (Ed.)

Fab. cap. 4; Eusebium lib. 5, cap. 28, etc.

7° Theodotus alter argentarius et prioris hujus discipulus, cujus meminit Eusebius lib. 5, cap. 28.

8° Artemas seu Artemon, qui Theodoti errorem paulò ante damnatum renovans, magistro longè celebrior evasit: quod ex Eusebio lib. 5, cap. 28; Epiphanio hæres. 65; Theodoreto lib. 2, cap. 4, etc., compertum est.

9° Beryllus, episcopus Bostrensis, qui, ut ex Eusebii lib. 6, cap. 33, et Gennadio Dogm. eccles. cap 3, colligitur, initio III seculi asseruit Christum ante incarnationem non extitisse ullatenùs, nec Deum fuisse antequàm ex Mariâ virgine prodiret; imò nec tunc in ipso, aliter quàm in prophetis, Deum habitâsse. Ipsum ab errore Origenes revocavit.

10° Quidam III circiter seculo medio, qui Christum Filium Dei creaturam esse definiebant, quosque acriter confutat Dionysius Alexandrinus in epistolâ jam laudatâ adversùs Sabellianos: « Blasphemia est, inquit, non « vulgaris, sed maxima, si Dominum dicas « quodammodò manufactum. Si enim factus « est Filius, erat igitur quando ille non « erat, » etc. Sic diu ante Arium extiterunt, qui sentirent fuisse quando non erat Filius Dei.

11° Paulus Samosatenus, sic dictus quòd è Samosatis in Syriâ Euphratesiâ originem duceret. Hic circa annum Christi 260, præsul Antiochenus factus, ut vitâ solutiore, ita multiplici errore infamis evasit. 1° Enim de Trinitate idem quod Sabellius sensit, omnemque divinarum personarum distinctionem sustulit. Hilarius de Synod., Epiphanius hæres. 65, etc. 2° Verbum tamen aliquod Dei admisit, sed eo duntaxat tempore ab ipso prolatum ac productum, cùm aliquid ad extra operandum fuit. Ita Epiphanius ibid.; Marius Mercator tom. 2, paginâ 128; Philastrius cap. 64, etc. 3° Qui præcipuus error ejus fuit, Christum purum hominem fuisse docuit. Eusebius lib. 7, cap. 28 et seqq.

Contra ipsum duo saltem Antiochiæ habita sunt concilia; primum anno 264, cui Helenus Tarsensis, Gregorius Thaumaturgus, aliique plures eximiæ sanctitatis et doctrinæ episcopi affuerunt. His omnibus, partim errores sibi objectos dissimulans ac negans, partim emendationem promittens, imposuit Paulus. Itaque re infectâ discessum est. Secundum anno 270 coactum est, cui interfuerunt octoginta episcopi: præfuit autem Helenus Tarsensis. Tum verò Paulus dùm Patribus iterùm variis artibus illudere vellet, impietatis ab eloquentissimo viro Malchione, ejusdem Ecclesiæ presbytero convictus, non solùm damnatus est, sed etiam è sede exturbatus. Quæ historia legitur apud Eusebium supra; Hieronymum in Viris illustribus, cap. 71; Athanasium et Hilarium de Synodis; Theodoretum, etc.

12° Ariani, qui cæteros audaciâ, factione et potentiâ longè superârunt.

Horum nefandus parens Arius fuit, è Lybiâ quidem oriundus, presbyter autem Alexandrinus, qui cùm esset vultu gravi ac modesto, ingenio vafro ac versipelli, singulari in philosophiâ usu, nec mediocri facundiâ, totus ad illud, quod mente concepisset, virus afflandum à naturâ et ab arte factus esse videbatur. Etverò quam pestem evomuit, dici non potest, quot præsulibus, presbyteris, virginibus, aliisque minoris notæ hominibus inspirârit; ita ut, Hieronymo teste, aliquando ingemuerit orbis christianus, miratusque fuerit se esse factum Arianum. Hic itaque, ut erat novarum rerum avidus, ei primùm schismati adhæsit, quod in Ægypto Meletius adversùs Petrum Alexandrinum conflaverat; eâque de causâ Ecclesiâ pulsus fuit. Sed postmodùm susceptus est, et ecclesiæ cuidam Alexandrinæ nomine Baucalensi præpositus, diram in Christum hæresim effudit, sub anno Christi 317. Atque ea quidem in concilio centum episcoporum ab Alexandro, qui Petro successerat, coacto, statim confixa est. Sed restingui incendium non potuit. Itaque Constantinus imperator Osium, magnæ auctoritatis virum et episcopum Cordubensem, Alexandriam misit ut ista sedaret. Sed cùm nihil promovisset, anno tandem 325 Nicæna synodus, omnium œcumenicarum prima, habita est, in quâ Ario damnato ejusque libris combustis, Christi divinitas, quam ille negabat, asserta est; primùm ad eam exprimendam symbolo vox ὁμοουσίου, seu *consubstantialis*, inserta. Hujus autem concilii magna pars Athanasius fuit, tunc ecclesiæ Alexandrinæ diaconus, postea verò archipræsul, quo nullum unquàm illustriorem vindicem habuit Ecclesia

Ut autem pateat, in quo posita esset hæc hæresis Arii ejusque asseclarum, 1° illi solum Patrem, verum esse Deum, solumque immutabilem et æternum profitebantur. Addebant ipsum quidem semper Deum extitisse, sed non semper fuisse Patrem. 2° Filium contrà non

Deum, sed creaturam, cæteris quidem nobilio rem, sed ex nihilo, seu, ut loqui amabant, ex non extantibus, factam esse statuebant; proindè tempus fuisse cùm Filius non esset. Ipsum tamen esse Verbum Dei confitebantur, sed externum, et ab ipso tùm prolatum cùm mundus condendus fuit; cæterùm Patri omninò dissimile, et ab ipsius naturâ longè sejunctum, adeò ut nec Patrem nec se cognosceret; ad hæc eumdem Filium mutationi ex sese obnoxium esse; denique non naturâ, sed gratiâ Dei Filium. Hæc constant ex epistolâ 8 Athanasii ad Ægypti et Lybiæ episcopos; ex ejusdem libro de Synodis, et orat. 1 contra Arianos, ubi ipsamet Arii verba recitat. 3° In tribus insuper capitibus consensêre. 1° Enim omnem lapidem moverunt, ut synodi Nicænæ auctoritatem elevarent; 2° nihil non moliti sunt, ut ὁμοούσιον abrogârint; 3° tandem in Athanasium velut manu factâ conspirârunt, rati se nullo negotio de fide catholicâ triumphaturos, si fortissimum ejus defensorem sustulissent. Et quidem in vexandis synodo Nicænâ, ὁμοουσίου voce, et Athanasio, omnes Ariani perseverârunt; sed cùm recensita mox à nobis Arii doctrina nimis cruda esset, nec eam ferre possent aures christianæ; ut blasphemiæ tam apertæ invidiam à se deonerarent, eam emollire plerique cœperunt. Ex quo triplex Arianorum factio coaluit.

Primi sunt meri Ariani, qui antiquis ac primigeniis sectæ placitis constanter adhærescentes, omni pudore deposito, Filium esse Patri dissimilem, græcè ἀνόμοιον contendere perstiterunt. Partis hujus duces exiterunt Aetius et Eunomius; hinc ab illis dicti sunt Eunomiani et Aetiani, à dogmate verò Anomœi. Eunomius autem præterea dicitur Verbum Dei non pro personâ peculiari, sed pro qualitate habuisse; quam in rem allegatur Augustini testimonium.

Secundi sunt Semi-Ariani, qui eò usque progressi sunt, ut dicerent Filium esse per omnia, adeòque substantiâ, Patri similem, ὁμοιούσιον: eumdem ex ipsâ substantiâ Patris genitum, et quidem ab omni æternitate: imò nec eum, verbo tenùs saltem, Deum appellare dubitaverunt. Vide professionem fidei ab ipsis editam in concilio Antiocheno, anno 341, et plerasque alias consequentes; Hilarium fragmento 10; Augustinum lib. 6 de Trinit. cap. 1; ubi, « Arius dixisse fertur, inquit, si Filius « est, natus est; si natus est, erat tempus « quando non erat Filius.... Posteriores Ariani « abjecerunt istam sententiam, fassique sunt « non ex tempore cœpisse Dei Filium, » etc. Sed de Semi-Arianis quæstio est non levis, an omnes reipsà hæresim Arianam profiterentur. Istorum porrò antesignanus fuit Basilius Ancyranus, vir doctus, nec exiguæ per eam ætatem auctoritatis.

Tertii inter utrosque medii, qui hinc quidem ab Anomœis, illinc à Semi-Arianis, dissidentes, Filium esse Patri similem, ὁμοίον, pronuntiabant, nec in quo posita esset ea similitudo exponi volebant (1). Eorum princeps fuit Acacius, Cæsariensis episcopus, qui, cùm Semi-Arianis diu adjunctus fuisset, ab iis tandem odio Cyrilli Hierosolymitani recessit.

Tripartitam hanc Arianorum divisionem videre est apud Epiphanium hæres. 73 et 74; Rufinum lib. 1 Hist. cap. 25; et ex Athanasio, Hilario, Socrate ac Sozomeno colligere.

Non persequemur cætera quæ ad Arianos spectant, innumerabiles synodos, infinitas fidei formulas, vim, dolos, calumnias, cædes, potentiam, etc.; hæc enim utpote prolixioris operæ, ab historiâ ecclesiasticâ repetenda sunt. Nonnulla duntaxat postmodùm attingemus, quæ ad fidei dogma pertinent.

13° Marcellus, Ancyranus præsul, vir per id ævi dubiæ fidei. Ab Eusebio enim Cæsariensi dicitur sensisse ante Beatam Mariam virginem non fuisse Dei Filium.

14° Photinus, Syrmiensis episcopus, hujus Marcelli discipulus, qui, ut perhibet Marius Victorinus lib. 2 contra Arium, à Mariâ cœpisse Christum docuit. « In Christo itaque, ut « ait S. Leo, serm. 4, de Nativ. Christi, cap. 5, « verum et substantiæ nostræ confessus est « hominem; sed eumdem Deum de Deo, ante « omnia secula genitum esse non credidit. » Ob istam impietatem post varias tergiversationes à Basilio Ancyrano Semi-Arianorum principe in Syrmiensi synodo è sede dejectus est Photinus.

15° Michael Servetus, ab Arragoniâ hispanus medicus, qui septem de Trinitate libros hoc nefando titulo scripsit: De Erroribus Trinitatis, quibus postmodùm addidit alios de Tri-

(1) Dicebant Filium « similem non in naturâ, « sed in aliâ quâdam ratione. Nimirùm sicut sta- « tuarii seu sculptores hominum viventium effi- « gies ac simulacra in eorum similitudinem effin- « gunt, quæ naturâ et substantiâ diversa et « dissimilia, et externâ duntaxat repræsenta- « tione, seu externis lineamentis, sunt similia, « sic Pater similem sibi Filium procreavit, non « divinitate ac æternitate parem et æqualem. » Turnel., quæst. 1, art. 4. (Ed.)

nitate dialogos duos; utrosque majori impietate et audaciâ, quàm eruditione aut facundiâ insignes. In iis autem ille sanctissimam Trinitatem simul et Christum impugnat, huic abrogans divinitatem, ab illâ verò tollens omnem personarum distinctionem. Propter detestabiles istos errores vivus, agente Calvino, unà cum libris suis, Genevæ combustus est anno 1553.

Socium impietatis habuit Valentinum Gentilem, qui apud Helvetios supplicio pariter est addictus. Cùm autem morti proximus esset, publicè professus est se in susceptâ sententiâ persistere, et cùm tot alii sint Christi martyres, se primum Patris æterni, quem solum Deum agnoscebat, martyrem fore.

16° Sociniani eorum insistentes vestigiis, sic dicti à Lælio et Fausto Socinis, sed ab hoc potissimùm qui execrandæ sectæ caput fuit. Primus igitur è Socinis Lælius fuit, nobilis Senensis, ex familiâ apud jurisconsultos notissimâ. Hic cùm Ecclesiæ jugum excussisset, seque Calvinianis tradidisset, ex eorum principiis ultra progrediendum esse ratus, novam sibi religionis formam finxit, quâ Trinitatis et Incarnationis mysteria funditùs evertebat. Cùm autem, ut isti operi liberiùs vacaret, in Poloniam secessisset, inde cum aliquot è suis asseclis expulsus est edicto regio. Itaque post varias peregrinationes Tiguri tandem anno vitæ 37, Christi autem 1562, moritur, omnibus scriptis suis Fausto Socino, fratris sui filio, adhuc juveni, sed eâdem doctrinâ jam imbuto, relictis. Faustus ergo, auditâ patrui morte, Helvetios statim petiit, et relictæ sibi librariæ supellectilis compos factus, quam impietatem velut hæreditario jure acceperat, eamdem augere, perpolire et spargere deinceps voluit. Quocirca, cùm in Italiam rediisset anno circiter vitæ 23, et duodecim annos apud Etruriæ ducem non mediocri in gratiâ versatus fuisset, dimissâ aulâ principis, Basileam se contulit, ubi per triennium libris incumbens, impium exaravit opus de Jesu Christo Servatore circa annum 1578, in quo Christi divinitatem subruere totis viribus nititur. Tum in Transylvaniam accitus à Georgio Blandratâ, pravis iisdem opinionibus jam infecto, et apud hujus regionis principem potentissimo, varias, cum Francisco Davide cæterà sibi consentiente, de quibusdam capitibus acerrimas concertationes habuit. Cùm autem illìc per aliquod temporis spatium mansisset, in Poloniam concessit, ubi plures invenit impietatis socios. Sed cùm eos in omnia suæ doctrinæ placita pertrahere non potuisset, et ibi viginti quinque annos disputando, scribendo, peregrinando consumpsisset, post varia pericula tandem anno Christi 1604 in ignobili vico apud quemdam ex amicis, nobilem Polonum, diem extremum obiit. Ejus opera in duos tomos tributa post ipsius mortem excusa sunt. Atque hinc appellati sunt Sociniani, seu fratres Poloni, qui ex parvis initiis, in immensum ferè jam creverunt, et varias insident septentrionalis orbis plagas.

Affirmant porrò illi 1° quidem nullam esse, quam cæteri Christiani venerantur, Trinitatem. Unum enim Deum esse, et unicam ipsius personam, non multiplicem; in quo cum Sabellianis conveniunt. 2° Patrem æternum solum esse hunc verum Deum, solum æternum et immutabilem; quod ab Arianis hauserunt. 3° Christum esse merum hominem, qui ante Beatam virginem nullatenùs extiterit, in quo ipsis, cum Cerintho, Ebione, Paulo Samosateno et Photino, convenit. 4° Eumdem tamen ad humani generis salutem à Deo fuisse missum et legatum: proinde totius Ecclesiæ caput constitutum; sed nullam pro nobis satisfactionem obtulisse. 5° Hunc ipsum Christum ob egregias virtutes et præclara merita, à supremo Deo, minorem Deum esse factum. Putant enim illi Dei nomen non naturæ, sed honoris et potestatis esse; nec absurdum esse, si plures eo sensu dii admittantur. Quocirca statuunt Christum esse Deum, dignitate scilicet et auctoritate, sed à summo pendentem eique obnoxium. Sed gravis inter eos est controversia, an invocari possit, ac debeat, Socino ac plurimis ex eodem grege id asserentibus, Francisco autem Davide et aliis contra reclamantibus. 6° Denique definiunt Spiritum sanctum non esse personam verè divinam ac distinctam, sed Dei duntaxat virtutem et efficaciam.

Contra nefariam hanc hæresim scripserunt è nostris plures: Petavius in suis de Trinitate libris; illustrissimus episcopus Meldensis, Bossuetius, etc.; ex heterodoxis autem Zanchius, Placæus, Bullus, Hoornebek, etc., quos adeat qui plura in eo genere nôsse voluerit.

17° Spinosa, vir omnis expers religionis et verè atheus, eòque dignus qui in istam societatem veniret, et omnibus à nobis recensitis hactenùs coronidem imponeret. Adversùs Christum autem impietatem suam aperuit in tractatu theologico-politico, ut et adversùs Spiritum sanctum in Miscellaneis: sed mirum

non est eum pro Deo non habuisse Christum, qui omnem prorsùs sustulit divinitatem.

Sectio III.

Quinam adversùs Spiritûs sancti divinitatem et consubstantialitatem pugnaverint.

Ut ab antiquissimis ordiamur, iisque reliquos attexamus, inter hos Spiritûs sancti adversarios numerantur:

1° Sadducæi, de quibus Lucas, Act. 23, 8 : *Sadducæi enim*, inquit, *dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum.* Ex quo Epiphanius hæres. 14, Gregorius Nazianzenus orat. 37, et Philastrius in Dositheo colligunt ab ipsis negatum esse Spiritum sanctum. Sed non videtur is locus ad Spiritum sanctum propriè pertinere; et Sadducæi non modò Spiritum sanctum inficiabantur, sed etiam nullum omninò spiritum agnoscebant. Cæterùm de sanctissimâ Trinitate in eâdem quâ Judæi opinione versabantur, ab illis eò tantùm dissidentes, quòd Deum corporeum esse arbitrarentur.

2° Simon Magus, qui Spiritum sanctum cò usque depressit, ut hoc nomine scortum suum, Helenam, insigniret; quod Epiphanius in Simonis hæresi testatur.

3° Valentinus, sæpè à nobis appellatus. Teste enim Athanasio supra, Spiritum sanctum naturâ suâ ab Angelis non differre statuebat. Hunc, ni fallor, intelligit Origenes lib. 2 de Principiis, cap. 7.

3° Montanistæ quidem recentiores. Ab iis enim Montanum pro Spiritu sancto habitum fuisse, gravissimi auctores perhibent. Hieronymus in libello de Hæresibus; Augustinus; Theodoretus lib. 3, cap. 2; quos secutus est Nicephorus lib. 4, cap. 22; quod etiam ex Eusebio lib. 5, cap. 44, erui potest.

5° Tertullianus, quem, ut Petavius observat. lib. 1 de Trinit. cap. 14, num. 2, nonnulli incusant quasi nempe Spiritum sanctum cum Filio permiscuerit, eò quòd Spiritûs nomen ei frequenter attribuat. Sed id infirmum est; et alibi evincemus Tertullianum de sanctissimâ Trinitate rectè sensisse.

6° Novatianus, siquidem ille est auctor libri de Trinitate, qui inter opera Tertulliani legitur. Hunc enim scriptorem, velut secum sentientem, venditabant olim Pneumatomachi Constantinopolitani, opus illud beato martyri Cypriano tribuentes; quod discimus ex Rufino in Apol. pro Origene tom. 9 Hieronymi pag. 131. Sed de hâc re vide Petavium, lib. 1 de Trinit. cap. 14, num. 7; et Bullum sect. 2, cap. 10, num. 4.

7° Sabelliani quidam. Ex iis enim nonnullos fuisse, qui Spiritum sanctum prorsùs inficiarentur, et Trinitatem ex solo Patre ac Filio constituerent, affirmat ignotus scriptor, qui seculo V vixisse existimatur, tom. 10 Spicilegii.

8° Manichæus qui se pro Spiritu sancto jactabat, ut refert Augustinus contra Epistolam Manichæi, cap. 6.

9° Lactantius, qui ab Hieronymo in Comment. in Epist. ad Galat. cap. 4, v. 6, in crimen vocatur, quòd Spiritum sanctum modò cum Patre, modò cum Filio confundat.

10° Eunomius, quem supra notavimus fuisse Anomæorum ducem. Hic enim, teste Gregorio Nysseno, Orat. 1 in ipsum, in ordinem creaturarum Spiritum sanctum redegit; quod non mirabitur, quisquis meminerit nullum eo fuisse Christi divinitatis capitaliorem inimicum. Etverò Arianos perperàm de Spiritu sancto, ut et de Filio, sensisse observat Athanasius, epist. 1 ad Serapionem. Hujusmodi hæreticos Spiritûs sancti adversarios, tropicos vocat ibid. pag. 659, tom. 1, etc.

11° Macedonius, episcopus Constantinopolitanus ex Semi-Arianorum factione, omnium, qui Spiritum sanctum inpugnavêre, longè celeberrimus; qui eam ob rem in secundo concilio œcumenico damnatus, et episcopatu spoliatus est. Hujus discipuli Macedoniani nuncupati sunt, et Pneumatomachi, quòd scilicet Spiritui sancto bellum indixissent. De quibus Augustinum vide cap. 52 de Hæresibus; Socratem ac Sozomenum, et reliquos historiæ ecclesiasticæ scriptores.

12° Urbicus Potentinus, cujus meminit auctor Dialogorum, qui sub Athanasii nomine editi sunt. Is nimirùm aiebat, « Hunc Spiri- « tum sanctum esse Patrem aut Filium, aut « certè facturam. »

13° Sociniani, qui, ut non ita pridem monuimus, decernunt Spiritum sanctum non esse peculiarem personam, sed Dei duntaxat vim, afflatum et efficientiam

14° Spinosa, qui agmen hoc claudet. In Miscellaneis quippe tradit Spiritum nihil aliud esse quàm divini animi affectum (1).

(1) « Hæc sunt varia atque diversa errorum « portenta, quibus dæmon augustissimum « Trinitatis mysterium vel à primis seculis « convellere, ac nascentem Ecclesiam disturbare tentavit : verùm inani et incasso co- « natu : est enim illa supra firmam petram

Quæstio tertia.

De divinarum personarum distinctione ac numero.

Hujusce quæstionis duo erunt articuli : in 1° disputabimus an sint in Deo plures personæ; in 2° quot sint.

ARTICULUS I.

An plures sint in Deo personæ distinctæ.

Controversia est an sint in Deo plures personæ, eæque inter se realiter distinctæ, in unâ eâdemque divinâ naturâ, Pater nimirùm, Filius et Spiritus sanctus. Quâ in parte dimicabimus adversùs Judæos, Sabellianos ac Socinianos. 1° Enim Judæi unum quidem Deum agnoscunt, sed plures in eo personas aut ignorant aut rejiciunt. 2° Sabelliani eorumque socii olim plures quidem profitebantur in Deo esse personas, sed nomine tenùs, non reipsà distinctas. 3° Sociniani idèm cum Judæis hâc in parte sentiunt.

Contra Judæos veteri Testamento, contra cæteros novo etiam pugnabimus. Sed ad pleniorem hujusce quæstionis confirmationem, attexenda sunt quæ de Trinitate mox generatim, ac postea de singulis personis speciatim disseremus.

Assertio.—Sunt plures in Deo, eæque non nomine tantùm, sed reipsà distinctæ personæ.

Argumenta.—Hoc Ecclesiæ dogma Scripturarum solummodò auctoritate jam fulciemus, cætera postmodùm adjecturi. Probatur igitur 1° ex sacris veteris Testamenti codicibus, qui non levia ad id conficiendum momenta nobis suppeditant, præsertim si conjungantur simul.

« ædificata, *adversùs* quam *portæ inferi non « prævalebunt*, Marc. 16, 18. *Hæ dæmonis ar- « tes*, ait Eusebius, lib. 4 Hist. cap. 7, loquens de « tot diversis ac contrariis hæresibus, quas « statim à primis Ecclesiæ exordiis dæmon « suscitavit, *hæ dæmonis artes nequaquàm in « diuturnum tempus ei processêre, quippe cùm « Veritas ipsa se ipsam adstrueret et commenda- « ret, progressuque temporis clariùs in dies elu- « cesceret. Et adversariorum quidem inventa à « semetipsis confutata confestim extincta sunt; « aliis super alias exorientibus sectis, cùm prio- « res assiduè diffluerent, et in multiplices ac « multiformes errorum species vario quæque mo- « do evanescerent. Catholica autem Ecclesia, « quæ sola vera est, semperque suî similis et « constans, novis quotidiè incrementis augeba- « tur, gravitate, sinceritate ac libertate, mo- « destiâ denique et sanctitate vitæ cujusdam « philosophiæ divinæ, omnium oculos, non Græ- « corum modò, verùm etiam barbarorum per- « stringens. » Turnel., quæst. 1, art 4. (Ed.)

Genesis enim cap. 1, sic habet Moyses : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, seu ut hebraicè legitur : *In principio creavit Elohim*, אלהים, plurali numero. At verbo, *creavit*, unum esse Deum ; voce autem *Elohim*, אלהים, sine dubio plures in eo personas significare voluit (1). Ibid. vers. 26, Deus hominem creaturus, *Faciamus*, inquit plurali iterùm numero, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Versu autem 27 : *Et creavit Deus hominem*, inquit Moyses, *ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum*. Quæ verba expendens Theodoretus quæst. 19 in Gen. : « Cùm dixit, *Faciamus*, numerum ex- « pressit personarum, cùm dixit, *ad imagi- « nem*, eamdem naturam ostendit (2). » Ibid.

(1) P. Petavius, lib. 2 de Trinitate, cap. 7, n. 3, probabilius existimat nihil in istâ voce, *Elohim*, verbo, *creavit*, applicatâ, inesse mysterii, nec validam inde probationem exsurgere. Juxta ipsum, non infrequens apud Hebræos mos erat numerum pluralem pro singulari usurpari. (Ed.)

(2) Præiverat Tertullianus, lib. contra Praxeam c. 12, aut potiùs omnium ferè Patrum veneranda series. Vide P. Petavium, lib. 2, c. 7. Hunc locum præ cæteris illustrat Faustinus, quem citare juvat. « Non est, in- « quit, unius personæ dicere : *Faciamus ad « imaginem et similitudinem nostram*, sed neque « diversæ deitatis. Nam pluralitas horum ver- « borum, id est, *faciamus*, et *nostram*, Patris et « Filii personas significat. Quòd autem sin- « gulariter imaginem dicit, una deitas, una « virtus utriusque personæ manifestatur. Si « creatura est Christus, quomodò in opere Deo « consors adhibetur ? Ad ipsum enim dicitur : « *Faciamus*. Si non est verus Filius, quomodò « illi cum Patre imago est.? Adoptivus filius « non habet imaginem adoptantis... Hoc in « loco nulla discretio est imaginis, ubi Patris « et Filii una imago perhibetur. Non enim di- « xit : *Faciamus ad imagines nostras*, sed, *ad « imaginem nostram*. Et ne fortè stupidâ mente, « ô quisquis ille es hæreticus, usurpares etiam « de unâ personâ dici potuisse, *faciamus*,... « subsequitur : *Et fecit Deus hominem; ad « imaginem Dei fecit eum*. Quæ coram in luce « posita sunt, si quis non videt, cæcus est. « Nonne apertissimum est quòd jam tunc Spi- « ritus sanctus per Moysen evangelica sacra- « menta tractabat, dicens Deum et Deum, « non tamen duos deos, quia una imago est « Patris et Spiritûs sancti ? Quàm prospectè « omnia edita sunt ! Deum et Deum sacra Scri- « ptura pronuntiat, ut Sabellium excluderet « defendentem Patris et Filii unam esse per « sonam : et ne duos deos introduceret, inter « verba quibus pluralis significatio persona- « rum est, unam imaginem inseruit... Quid « agis, impietas Ariana ? Si creatura Christus « est, quomodò creaturæ et Creatori una « imago est? Sed ne iterùm Arius, sub occa- « sione personarum, diversitates induceret na- « turarum, diversitas naturæ non admittit « unius formæ communionem. » (Ed.)

cap. 3, 22, Deus (hebraicè *Jehovah*, יהוה, quod nomen maxime proprium est Dei) Adamum, qui cum Deo similitudinem affectaverat, irridens : *Ecce,* inquit, *Adam sicut unus ex nobis* : quo sanè plures personas insinuavit; numerum enim perspicuè demonstrant hæc verba : *Sicut unus ex nobis ;* absurdum quippe foret unam ac singularem personam de seipsâ solâ ita loqui ; quod quivis intelligit. Quis enim non ineptus dicat, *sicut unus ex me?* Is ergo locus nullam videtur pati exceptionem. Ibid. cap. 11, 7, cùm Deus vellet insanos turris Babylonicæ structores plectere, pluralem etiam numerum usurpat : *Venite,* inquit, *descendamus, et confundamus ibi linguam eorum.*

Isaias cap. 6, 8 : *Et audivi vocem Domini dicentis : Quem mittam, et quis ibit nobis? Et dixi : Ecce ego; mitte me.* Unus ergo est Dominus, qui dicit, qui mittit ; et plures tamen sunt, quorum nomine et jussu it Propheta. At nomine Dei duntaxat prædicabant Prophetæ. Ergo.

Quocirca id, quod statuimus, præ se ferunt Scripturæ verba. Sed gravis insuper accedit ratio, quæ ad ea sic accipienda propemodùm nos compellit.

Dicant enim Judæi, si plures non sunt in Deo personæ, cur pluralem numerum ipse Moyses et Prophetæ tantoperè frequentent? nulla enim alia necessitas eos, ut id facerent, adigebat. Vox enim *Elohim*, אלהים, singularem habet *Elohah*, אלה, in Scripturis usitatum ; quòd si ea non placebat, ad manum erat nomen *Jehovah*, יהוה; suppetebant et alia, quibus alibi sæpè Deus exprimitur. Cur non dixit Deus, *Fiat homo*, ut antea, *Fiat lux?* Cur cùm dixisset, *Descendam*, postea mutatâ loquendi ratione, ait, *Descendamus?* præsertim cùm aliunde res ista periculo plena videretur. Noverant scriptores sacri non modò Deum esse unum, sed id, eo præsertim tempore, esse omnibus commendandum; noverant Judæorum animos in idololatriam maximè propensos; non ignorabant impios ex ejusmodi loquendi formulâ occasionem captare posse ad fingendam aut adstruendam deorum multitudinem. Cùm ergo hinc nulla necessitas ita loquendi incumberet, illinc summum immineret periculum, profectò gravis omninò causa subesse debuit, cur nihilominùs ita locuti fuerint. Quæ autem illa tanti momenti causa? Ea, quam aperimus, obvia, et quæ nemini non in mentem statim venit. Pluralis enim numeri vera, legitima et ordinaria causa est pluralitas et numerus personarum. Quis autem ambigat veram fictitiæ, ordinariam insolitæ, legitimam alienæ, naturalem longè arcessitæ esse anteponendam; et ridiculum esse, qui aliter judicet? Etverò hujus argumenti vim ipsi Judæi, quantùmvis obtusi, senserunt. Rabbi enim Huna, suo in Genesim minori commentario, fatetur hanc loquendi rationem extraordinariam esse, et nisi Deus ipse ita locutus esset, nemini ita loqui fas fore. Addunt Moysen, cùm à Deo afflatus ita scribere juberetur, manum ac stylum sustinuisse, et ab ipso esse sciscitatum cur hunc pluralem numerum adhiberi imperaret, sed Deo nihilominùs, ut scribere pergeret volenti, tandem obtemperâsse; quæ in Talmude, codice Megillah cap. 7, et alibi leguntur; atque adeò confitentur quoddam in eo mysterium latuisse. Quodnam autem illud erit reconditum mysterium, nisi illud quod prædicamus sanctissimæ Trinitatis?

Probatur 2° variis è novo Fœdere depromptis testimoniis, quæ plures personas divinas nobis commonstrant. 1° Ex historiâ baptismatis Christi petitur, Matth. 3, 13 ; Marc. 1, 10; Luc 3, 22. 2° E formulâ baptismi à Christo instituti, Matth. 28, 19. 3° E promissione Spiritûs sancti, Joan. 14, 16. 4° Ex ejusdem Joan. Epist. 1, cap. 5, 7.

Sed isthæc à nobis postmodùm ex professo, ut par est, illustrabuntur.

Objectiones.

Objicies 1° cum Judæis, quos Sociniani sequuntur : Triplici aliâ ratione possunt hæ Scripturæ locutiones exponi. 1° Deum, cùm ait, *Faciamus, descendamus,* etc., hominum more induci ad opus sese accingentem. Ita veteres Judæi apud Basilium hom. 9 in Exameron, et Theodoretum quæst. 19 in Genes. Ita Marcellus Ancyranus eis consentiens apud Euseb. lib. 4 contra ipsum, cap. 15. Ita Rabbi Manasses in Conciliatore ; ita denique Socinus in hæc verba.

2° Deum hìc principum ac illustrium virorum ritu, pluralem de se numerum usurpare. Ita inter Judæos Saadias Haggaon, et inter Socinianos Volkelius lib. 5 de verâ Relig. cap. 9 ; cujus quidem consuetudinis multa allegant exempla. Sic enim, v. g., Genes. 29, 27, Laban Jacobum alloquens, eique Rachelem promittens : *Hanc,* inquit, *dabo tibi,* hebraicè autem *dabimus.* Job 18, 3, Baldad Suhi-

tes ; *Quare*, inquit, *reputati sumus ut jumenta?*

3° Deum illìc Angelos alloqui. Ita antiqui Judæi apud Justinum in dialogo cum Tryphone; Tertullianum contra Praxeam cap. 12; Basilium supra ; Ambrosium lib. 6 in Exameron, cap. 7, et Chrysostomum hom. 8 in Genes.; Philo lib. de Fugitivis, et de mundi Opificio ; ita tandem Rabbi Maimonides lib. 2 ; More Nebochim, cap. 6, et Aben Ezra apud Manassem in Conciliatore. Ergo ex iis non necessariò consequitur plures esse in Deo personas.

Nego antecedens. Hæc enim tria Judæorum effugia nullo negotio præcludi possunt. Ac primum quidem. Nam 1°, ut ait Basilius, quis est faber qui nullis sociis adjutus inter suæ artis instrumenta desidens, sibi ipse admurmuret, dicens : *Faciamus gladium.* 2° Si quis ita se adhortaretur, non aliâ profectò de causâ id faceret, quàm ut veternum excuteret, seque ipse excitaret. At Deus hisce opus non habet. 3° Denique ejusmodi loquendi formulæ ac pluralis numeri eadem ubique ratio esse debet. At responsio hæc aptari non potest huic loco : *Sicut unus ex nobis.* Ergo.

Secundum nulli quoque usui esse potest. 1° Enim falsum est, ut notat etiam Aben-Ezra Judæorum doctor insignis, hanc consuetudinem tunc obtinuisse. Nemo enim in Scripturis plurali numero utitur, nisi cùm plures ipsi adjuncti sunt ; sic Laban nomine totius familiæ, sic Baldad de se et sociis qui Jobum inviserant, loquebantur. Hunc autem postea morem ambitio ac superbia induxit. Certè Abimelech, Pharao, aliique reges apud Moysen singulari semper utuntur. Deus ipse eodem passim utitur. Ergo. Deinde, cùm idem ubique sit sermonis tenor, huic effugio invictum obicem ponunt hæ voces : *Sicut unus ex nobis.*

Tertium, quod cæteris tolerabilius videri fortè posset, nullum pariter habet locum. 1° Enim quæ personæ illìc inducuntur, eæ sunt paris gradûs ac majestatis. Ista quippe (*creavit Elohim,* אלהים : *Faciamus hominem; sicut unus ex nobis*), æqualitatem profectò arguunt ; ut et hoc, *Ad imaginem nostram.* At Angeli Deo sunt longè inferiores. Ergo, etc. 2° Moyses Deum solùm commemorat ; de Angelis autem ne verbum quidem facit. Non potest itaque, nisi absurdè, fingi Deum cum Angelis loquentem exhibere. Qui enim personas inducit secum invicem colloquentes, nisi ineptus est, quænam illæ sint priùs monet. De Angelis porrò essentne saltem, nihil indicaverat. 3° An Deus Angelos in mundi fabricationis consortium advocavit ? nequaquàm. Quinimò sibi soli adscribit hoc opus, et indignè fert si quis ei socium aut consiliarium adsciscat. Isaiæ 40, 12 : *Quis*, inquit, *mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit?..... Quis adjuvit Spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit ?..... Cum quo iniit consilium?* etc. Cap 42, 5 : *Hæc dicit Dominus Deus, creans cœlos et extendens eos.* Cap. 44, 24 : *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, et nullus mecum.* 4° Deus idem soli sibi vindicat hominis creationem, eique uni illam Moyses et prophetæ tribuunt ; Gen. 1, 2 : *Creavit Deus hominem.* Cap. 5, 1 : *In die quâ creavit Deus hominem* Malach. 2, 10 : *Numquid non Pater unus omnium nostrûm? Numquid non Deus unus creavit nos?* Vers. 15 : *Nonne unus fecit?* 5° Una est eorum imago ad quam homo creatus est. Atqui una non est Dei et Angelorum imago aut natura. Deinde verò homo non dicitur creatus ad imaginem Dei et Angelorum ; sed ubique solùm ad imaginem Dei, Gen. 1, 27 ; 5, 1, etc. 6° Cùm dixit Deus : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, ad eam similitudinem respexit, quam Adam ejusque uxor affectaverant. Atqui illi cum Deo non cum Angelis similitudinem affectaverant. Evæ enim dixerat serpens : *Scit enim Deus quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii.* Præterea verò non ita se deprimeret Deus, ut Angelos alloquens diceret : *Sicut unus ex nobis* ; hæc enim parem omninò dignitatem sonant. 7° Idem ait : *Descendamus et confundamus linguam eorum;* qui reipsà descendit, et hominum linguam confudit. Atqui id soli Deo ibidem attribuitur. 8° Denique Prophetæ non Angelorum, sed solius Dei nomine loquuntur ; neque ab Angelis, sed ab uno Deo mittuntur. Proinde cùm dixit Deus apud Isaiam : *Quis ibit nobis?* non de Angelis, sed de se uno loquebatur. Equidem legimus Deum aliquando cum Angelis colloquium ac veluti concilium habuisse, v. g., Job. 1, 6; 3 Reg. 22, 10; Isaiæ, 6, etc., sed in minoris momenti negotiis, quæ ad eorum ministerium pertinent. Præterea verò iis in locis disertè ac nominatim exprimuntur. At in Genesi de iis ne mentio quidem injicitur. Ergo immeritò ad eos supra memorata referrentur.

Objicies 2° : Sunt etiam inter Christianos qui hæc Scripturæ loca aliter interpretentur,

divinarumque personarum numerum ex iis elici efficaciter non posse sentiant, ex nostris Bonfrerius in cap. 1 Genes. vers. 1; Maldonatus in cap. 1 Luc. vers. 25; Simonius epist. 6, tom. 2; ex heterodoxis autem Calvinus in hæc loca, Castalio et alii. — Distinguo : Sunt pauci, iique recentiores, aut hæretici, aut ingenii saltem liberioris ac minùs considerati, concedo; multi, iique antiquiores, et rationis aut traditionis tenaciores, nego. Hujusmodi enim locis divinarum personarum numerum adversùs Judæos rectè demonstrari, perpetua fuit Ecclesiæ et omnium Ecclesiæ doctorum ab Apostolorum et Christi ævo sententia. Iisdem Hebræos urgent ac premunt Justinus in Dialogo cum Tryphone; Theophilus Antioch., lib. 2 ad Autolycum; Irenæus lib. 3, cap. 11; Tertullianus contra Praxeam, cap. 12, 13, 16; Novatianus de Trinit., cap. 2; synodus Antiochena adversùs Paulum Samosat.; Athanasius lib. contra Gentes; Gregorius Nyssenus lib. de Testimoniis adversùs Judæos; Basilius lib. 5 contra Eunomium, et hom. 9 in Exameron; Cyrillus Hierosol. catechesi 10; Ambrosius lib. 6 in Exameron, cap. 7; Epiphanius initio Panarii, et in Ancorato; Chrysostomus hom. 8 in Genes.; Augustinus lib. 1 de Trinit., cap. 7, et lib. 11 de Genesi ad litteram, cap. 39; Cyrillus Alexandrinus lib. 3 in Julianum; Theodoretus quæst. 19 in Genes.; Petrus Chrysologus serm. 131; Faustinus tom. 4 Biblioth. Patrum, et alii deinceps innumerabiles. Id autem adeò apud omnes olim invaluerat, ut ab episcopis extra omnem suspicionem aliàs non positis, in concilio Syrmiensi dictum anathema fuerit iis qui ejusmodi Scripturæ loca aliter exponerent. His autem vetustioribus accessêre inter recentiores Martinus Raymundi in Pugione fidei; Galatinus de Arcanis lib. 2; Petavius lib. 2 de Trinit. cap. 7. Quid quòd vel inter ipsos Calvinianos ac Lutheranos non pauci reperiantur, qui hoc argumentum usurpent? Nimirùm Drusius de Elohim; Zanchius de tribus Elohim; Hoornebek lib. 5 adversùs Judæos, cap. 2; Ludovicus Capellus in dissertatione de eodem nomine Elohim; Hunnius, qui etiam propterea palàm ac publicè Calvinum Judaismi postulavit. Atque hæc quidem notâsse operæ pretium fuit, cùm ut scripta nostra tot virorum consensu et auctoritate firmentur, tum ut Socinianorum impietas patefiat, qui malunt ad Judæos quàm ad Christianos sese adjungere, denique ut eorum temeritas manifesta sit, qui totâ antiquitate, totque longè doctissimis viris se putant doctiores.

ARTICULUS II.

Quot sint in Deo personæ.

ASSERTIO. — Tres sunt in Deo personæ.

Argumenta. — Duplicis generis momenta hìc usurpabimus; alia enim ex Scripturis, alia ex traditione depromentur.

Probatur itaque 1° ex Scripturis cùm veteris tum novi Testamenti. Ut in recensendis ex veteri Testamento locis gradatim procedamus, primò illa loca ex eo proferemus, quæ duas saltem personas indicant, deinde quæ tres.

Primi ordinis ista sunt : Genesis 19, 24 : *Igitur Dominus,* inquit Moyses, *pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem à Domino.* Ibi enim duplex persona exprimitur, quarum utraque Dominus sit, seu *Jehovah,* יהוה, ut hebraicus codex habet (1).

Nec dicas cum Judæis, eo nihil aliud significari, quàm quòd Deus à se ipso pluerit; aut cum Socinianis illìc Dei omnipotentiam indicari, non personarum distinctionem. Nisi enim vim adhibeas verbis, aliquid sanè ampliùs ea arguunt. Cur enim Moyses addidisset, *à seipso?* An non omnipotentia Dei citra id satis intelligeretur? Ergo, cùm frustra hæ voces adjectæ non fuerint, mysterium illæ nobis indicant.

Nec adjicias cum iisdem Judæis nomen proprium sæpè repeti solere ex hebraicæ linguæ proprietate, et pronominis loco usurpari, ut Genes. 14, 23 : *Dixitque Lamech :..... Audite vocem meam, uxores Lamech;* pro, *uxores meæ.* 3 Reg. 1, 33 : *Dixit ad eos* (rex David) : *Tollite vobiscum servos domini vestri.* Nam qui vel mediocriter mentem advertere voluerint, il utriusque locutionis discrimen nullo negotio, sed facilè omninò percipient. Nihil enim obest quominùs, cùm personarum loquentium mutatio fit, idem nomen repetatur. Sic priori in

(1) « Ita S. Justinus Dial. cum Tryphone; S. « Irenæus lib. 3, c. 6; Patres primi concilii « Antioch., in synodicâ contra Paulum Samo- « satenum Epistolâ; S. Athanasius lib. contra « Sabellii gregales; S. Hilarius lib. 4 de Tri- « nitate, denique et ipsa prima Syrmiensis « contra Photinum Formula, quam S. Hilarius « lib. de Synodis exponit, ubi anathema dicit « iis qui verba ista : *Faciamus hominem,* et : « *Pluit Dominus à Domino,* non intelligunt de « Patre et Filio, sed contendunt sensum illo- « rum esse, Deum pluviam illam ignis et sul- « phuris à seipso misisse. » Turnelius quæst 4, art. 1, arg. 2. (Ed).

loco duo sunt commata : primum est Moysis tanquàm historici, quæ dicta sint, narrantis ; secundum ipsius Lamech, qui nomen suum usurpat, ut uxores suas ad attentionem excitet, et auctoritatis ergo ; sic et in posteriori. At in eo quem attulimus loco idem est orationis filum, et idem omninò loquitur. Ergo non potuit ritè dicere : *Dominus pluit à Domino*, nisi personarum distinctionem arguere voluerit : esset enim inutilis illa et planè nugatoria repetitio.

Psalmo 44, 7 : *Sedes tua, Deus, in seculum seculi ; virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Nempe sermonem suum ibi Propheta ad regem Messiam dirigit ; eum autem appellat *Deum ;* vox enim illa, *Deus*, vocativo in casu est. Porrò alter etiam adjungitur, qui pari ratione *Deus* dicitur, et à quo Messias unctus esse dicitur. Ergo duo hìc enumerantur, quorum unusquisque est Deus.

Nec dicas cum Judæis et Socinianis Salomonem hîc intelligi. Nam primò non potest ille vocari *Deus*. Deinde verò de Messiâ psalmum hunc accipi oportere res ipsa clamat, et veteres Judæi senserunt, ut Paulus arguit Hebr. 1, 8, et constat insuper ex Origene lib. 1, pag. 43 contra Celsum.

Nec addas nomen hoc *Deus* vocandi casu non exprimi. Græcè enim haberi Θεὸς ; non, Θεὲ. 1° Enim id sensus postulat. 2° Aquila, Judæorum proselytus, verterat olim Θεὲ. 3° Frequenter loco vocativi in psalmis nominativus ponitur. Psalmo 109, 1 : *Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis.* Hic enim duæ personæ distinguuntur inter se æquales, et pariter *Domini* nomine insignitæ. Hæc autem verba de Messiâ esse dicta veteres Judæi agnoscebant, et Christus indicat Matth. 22, 44. Osee 1, 7, Deus promittens Judæis Salvatorem : *Et domui Juda miserebor*, inquit, *et salvabo eos in Domino Deo suo.* Ergo mittendus à Deo Servator et ipse quoque Judæorum Deus est. Idem conficiunt quæ de variis Dei in veteri Testamento apparitionibus referuntur. Constat enim æternum Patrem sese veteribus patriarchis videndum non præbuisse. Proinde qui apparuit, alter ab ipso est. Sed is qui apparuit ubique *Deus* dicitur et *Jehovah*, יהוה, eaque ipsi tribuuntur quæ nonnisi in Deum competere queant. Ergo.

Secundi ordinis testimonia quæ tres simul personas præ se ferunt, ista sunt : Psal. 32, 6 ; *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Ibi enim commemorantur Dominus seu Pater, Verbum seu Filius, et Spiritus sanctus, à quibus mundus conditus fuerit (1). Numerorum cap. 6, v. 23, 24 et 25 : *Benedicat tibi Dominus : ..... ostendat Dominus faciem suam ;..... convertat Dominus*, etc. (2). Isaiæ 6, 3 : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus*, etc. : hæc enim trina Dei repetitio, sive in solemnibus benedictionibus, sive in Dei laudibus facta, non obscurè Deum ipsum esse trinum innuebat (3).

(1) « Hæc et id genus alia, inquit doctissimus Petavius, lib. 2, c. 7, n. 14, Christianis facilè persuadent, quòd ne aliter quidem fas sit interpretari ; ad Judæorum autem et similium hæreticorum convincendam pervicaciam, haud satis valida sunt. » (Ed.)

(2) Non firma admodùm videtur hæc probatio ; fieri enim posset, ut unius et ejusdem personæ esset nomen, quod ita repeteretur ; nec ejusmodi repetitiones insolitæ sunt, præsertim in divinis antiqui Testamenti libris. (Ed.)

(3) « *Specialia adversùs Juæcos.*

« Licet ea quæ hucusque deduximus ex veteri Testamento, vim habeant etiam contra Judæos qui illud admittunt, quia tamen dicunt nos alieno sensu illud interpretari, ut hoc ipsis effugium præcludatur, contra ipsos sic arguo : Judæi tenentur agnoscere nos sano et legitimo sensu S. Scripturas veteris Testamenti interpretari, si antiquiores Rabbini ante Christianismum natum eodem sensu ac nos illas fuerint interpretati ; atqui sic est : ergo. Major videtur necessariò ab ipsis concedenda ; sicut enim nobis, ut præoccupatis et partibus, nolunt assentiri, ita nec nos ipsis ; seligantur ergo judices partium liberi, quales sunt ex suâ gente et religione doctores, qui ante Christianos Scripturas sciscitati et interpretati sunt. Et sanè si his fidem detrectent, cui adhibebunt? S. Scripturæ ipsi fortè? Sed de ipso ejus sensu inter nos et ipsos litigatur. Adde quòd si antiquiores et primates legis Mosaicæ doctores in hoc præcipuo religionis mysterio errâssent, Synagoga totaque gens Judaica manifestissimum subiisset erroris capitalis in fide periculum, quod omninò alienum videtur ab hâc singulari providentiâ ac benevolentiâ, quâ Deus gentem hanc nimiùm infelicem prosècutus est.

« Probatur itaque minor ex Galatino in opere cui titulus : *De Arcanis catholicæ veritatis*, lib. 2, c. 1. 1° Rabbi Simeon Joahi filius, in libro qui Zohac dicitur, super hæc verba Deuter. 6 : *Audi, Israel, Dominus Deus noster Deus unus est*, vel, ut habet textus Hebraicus, *Deus, Deus noster, Deus unus est*, sic loquitur : « Ait Rabbi Ibar : *Audi, Israel, Deus,* « qui est principium omnium rerum, Antiquus « est antiquorum, hortus radicum et omnium « rerum perfectio, et dicitur Pater. *Deus noster*, profunditas fluminum et fons scientiarum, quæ procedunt ab illo Patre, et Filius « vocatur. *Deus*, hic est Spiritus sanctus, *qui* « *à duobus procedit*, et vocatur *Mensura vocis.*

Sed hæc lucem et robur accipient ex iis quæ de Filio et Spiritu sancto speciatim ex veteri Testamento ad quæstionem IV disputabimus.

« *Unus est*, et unum cum alio concludit et col- « ligat; neque enim unus ab alio divîdi potest, « et propterea ait : *Congrega, Israel, hunc « Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum*, « eamque fac unam essentiam unamque sub- « stantiam, quia quidquid est in uno est in « alio; totus fuit, et totus est, totusque erit. » Ait ibidem idem Rabbi Simeon : « Hoc arca- « num Filii non revelabitur unicuique quous- « que venerit Messias, quia tunc, ut dicit « Isaias, *repleta erit terra scientiâ Dei, sicut « aquæ maris operientes.* » Quibus sanè verbis nihil luculentius, nihil expressius, nec ab ipsis doctoribus catholicis proferri potest ad firmandam veritatem religionis nostræ. Dicit autem, Messiâ duntaxat adveniente, hoc mysterium omnibus propalandum, propter propensionem populi Judaici ad idololatriam, qui conceptis tribus personis in unâ essentiâ, adduci potuisset ut tres deos adoraret.

« 2° Idem Rabbi Simeon hæc verba Isaiæ 6 : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum*, sic interpretatur Hebraicè : « *Sanctus*, « hic est Pater; *sanctus*, hic est Filius; *san- « ctus*, hic est Spiritus sanctus. »

« 3° Rabbi Jonathas Usielis filius, in paraphrasi Chaldaicâ, eumdem textum sic interpretatur : *Sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus sanctus.*

« 4° Idem Jonathas hæc verba psalmi 109 : *Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis*, sic legit Chaldaicè : *Dixit Domino Verbo suo.* Verum quidem est quòd non sic legatur modò in paraphrasi Chaldaicâ Jonathæ, eò quòd eam corruperint recentiores Judæi; sed ita se legisse asserit Galatinus in vetustissimo exemplari, *quâ tempestate Judæi ex toto regno Neapolitano jussu regis Catholici expellerentur.* Idem asserit Lyranus, ante conversionem Judæus, et in Judæorum libris versatissimus, super illud citati psalmi 109; et tandem in alio libro Judæorum qui dicitur : *Collectio sententiarum*, habetur quòd Targum, id est, Chaldaica translatio, Jonathæ ben Usiel, sic exponat : *Dixit Deus Verbo suo : Sede ad dexteram meam.*

« 5° Christus ipse volens probare suam divinitatem Judæis ex illo psalmi 109 : *Dixit Dominus*, etc., sic alloquitur Judæos Matth. 22 : *Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei : David. Ait illis : Quomodò ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodò filius ejus est? Et nemo*, prosequitur Evangelista, *poterat ei respondere verbum.* Ex quo Pharisæorum silentio manifestè patet constantem et indubitatam fuisse tunc apud Judæos opinionem, hunc psalmum esse à Davide compositum, et hæc ejus allata verba de Messiâ, seu Christo, fuisse dicta. Quod et pro indubitato supponit Petrus Act. 2, probans ex eisdem verbis divinitatem Christi, nullo Judæorum contradicente, licet nunc utrumque negent; porrò, hoc supposito, te-

Ex novo Testamento. — Cùm infinita propemodùm sint in novo Testamento loca, quibus sanctissima Trinitas probari potest, ut necessarius nostræ disputationi modus adhibeatur, ex iis quatuor duntaxat seligemus insigniora : ac primum quidem ex historiâ baptismi Christi; secundum ex baptismatis ab ipso instituti formulâ; tertium ex promissione Spiritûs sancti ab ipso paulò ante mortem factâ; quartum denique ex consentienti divinarum personarum in fidei nostræ gratiam testimonio.

Ex historiâ baptismatis Christi. — Refertur illa Matth. 3, 13; Marc. 1, 10; Luc. 3, 22. In eâ autem tres personæ distinctæ commemorantur; ac 1° quidem Christus à Joanne baptizatus; 2° Pater de ipso aiens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; 3° Spiritus sanctus, de quo sic habetur : *Et descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba, in ipsum.*

Ad hoc respondent Sociniani, duplicem tantùm hìc designari personam, Patris videlicet, et Christi, qui *Filius* appellatur *dilectus*, sed non idcircò proprius, naturalis et consubstantialis. *Spiritûs* autem *sancti* nomine non intelligi personam aliquam, sed Dei virtutem, efficaciam et gratiam, quæ in Christum è cœlo delapsa sit, non quidem impetu, ut in Apostolos; sed leniter, columbarum more; sic enim illi interpretantur hæc verba, *sicut columba* : negant quippe ullam columbæ speciem fuisse tunc visam.

Sed facilè refelluntur. Vim enim manifestam Scripturis faciunt. Nam 1°, quod pertinet ad Christum, hìc quidem de Filii qualitate, quæ ipsi competit, disputandi non est locus; attamen æterni Patris verba satis arguunt Christum singulari omninò ratione dici *Filium*, et aliâ planè quàm cæteri omnes. At tunc in turbâ multi profectò erant filii adoptivi, inprimis autem Joannes Baptista, quo nullus major inter homines natus fuerat. Ergo Christus, ut à reliquis secernatur, Filius est proprius et naturalis, ex ipsâ Patris substantiâ, seu, ut dicitur Psalmo 109, *ex ipsius utero genitus.* Hinc tanta in sermone Patris æterni emphasis : *Hic est*, inquit, *Filius meus*, id est, unicus, id est, verè Filius, id est, naturalis; *filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; id est, in quem ipse me totum transfudi; græcè,

nentur Judæi agnoscere in Deo plures personas distinctas, utpote unam alteri associatam, et sedentem ad dexteram alterius. » Billuart, dissert. proœmial. art. 2. (Ed.)

ὁ ἀγαπητὸς cum articulo; cujus rei vim nôrunt istius linguæ periti. Ergo non eâdem, quâ reliqui, ratione, Dei Filius est.

Quod autem spectat ad Spiritum sanctum, quis non videt illum tanquàm peculiarem personam recenseri? 1° Enim eodem modo commemoratur, quo Pater et Filius. At hi ut personæ distinctæ referuntur. Ergo et Spiritus sanctus. 2° Christus dicitur vidisse Spiritum sanctum descendentem : *Vidit spiritum Dei descendentem*, inquit Matthæus; atque adeò visibiliter descendit. Quis autem dicat gratiam Dei visibiliter descendere? 3° Nonnisi absurdè dici potest gratiam et donum Dei speciem aliquam corporalem assumpsisse : hoc enim personis proprium est, nec qualitatibus ullatenùs convenit. Ergo.

Equidem inficiantur Sociniani ullam columbæ speciem tunc apparuisse; sed impudenter ac ridiculè. Quid enim in Scripturis expressius? Siccine verò ipsas ad libitum contorquere fas est? Si hoc licet, quid stabit immotum? Sed hæc licentia necessaria erat ut nova religio fingeretur.

At, inquiunt illi, si ex eo quòd Spiritus sanctus sub unius columbæ specie apparuerit, consequitur ipsum esse unam ac peculiarem personam; pari jure, ex eo quòd sub specie plurium linguarum ignearum in Apostolos descenderit, colligere licebit plures esse Spiritûs sancti personas. Verùm nemo non videt puerilem esse hanc et viro serio ac gravi indignam objectiunculam. Nam ex eo quòd Spiritus sanctus formam corporalem induerit, inde quidem rectè colligimus ipsum esse aliquam personam; nam personarum id proprium est ac singulare; sic Christus assumpsit formam servi; sic Angeli sub hominum specie se videndos olim præbuerunt. Nemo autem, nisi amens, dixerit qualitates et accidentia hujusmodi formas induere. Sed non colligimus ipsum esse unam personam, ex eo quòd una columba fuerit; sicut nec colligere licet plures esse Spiritûs sancti personas, ex eo quòd sub plurium linguarum specie illapsus fuerit in Apostolos. Sive enim una species sit, sive multiplex, hoc perinde est; quemadmodùm sive una sit, sive multiplex imago alicujus hominis, unus tamen per sese est homo. Unam speciem assumit Spiritus sanctus, cùm in unum descendit; multiplicem cùm in multos; quanquàm pro suâ sapientiâ suoque arbitrio in his agere aliter potest. Sed de hoc plus satis.

Ex formulâ baptismatis à Christo instituti. — Secundus itaque locus depromitur ex Matt. c. 28, v. 19, ubi Apostolos alloquens Christus : *Euntes ergo*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti.* Ibi, ut patet, tres personæ numerantur, sed omnium tamen unum nomen, seu natura et auctoritas esse significatur. Unde Faustinus adversùs Arianos : « Et benè, inquit, quod unum nomen posuit, dicens : *In nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti*, ut una principalis auctoritas crederetur indivisibilis et perfectæ Trinitatis. »

Respondent Sociniani, 1° quidem ex hoc loco non posse adstrui Spiritûs sancti personam; 2° nec posse inde colligi Filii et Spiritûs sancti cum Patre æqualitatem : baptizari enim in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti, nihil aliud esse quàm baptizari baptismo Patris et Filii et Spiritûs sancti; nomen quippe ibi pro re ipsâ, hoc est, baptismo, accipi. In baptismate porrò intervenire Patrem, ut qui ipsum institui voluerit; Filium, ut qui illud prædicaverit; Spiritum autem sanctum, ut Dei virtutem et efficaciam, quâ ablui credimus qui baptizantur.

Sed hæc facilè refelluntur. Quod enim pertinet primò ad Spiritum sanctum, quis non sentit eo ipso, quo dari dicitur in ejus nomine baptismus, apertè significari ipsum esse personam, non verò tantùm Dei efficaciam? Quis enim nisi insulsè dicat, quòd in nomine alicujus efficaciæ baptizemur? Deinde cùm in formulâ baptismatis Spiritus sanctus ex æquo recenseatur cum Patre et Filio, tam debet esse peculiaris persona ab utroque distincta, quàm ipse Filius sit distinctus à Patre. Denique Act. 19, 3, in eodem baptismatis negotio persona Spiritûs sancti luculenter exprimitur. Cùm enim Paulus quosdam Joannis discipulos interrogâsset, an Spiritum sanctum accepissent, *illi*, inquit Lucas, *dixerunt ad eum : Sed neque si Spiritus sanctus est audivimus. Ille verò ait : In quo ergo baptizati estis?* Verba hæc sanè personam arguunt. Aliunde verò Joannis discipuli non ignorabant aliquam esse Dei virtutem et efficaciam. Ergo, cùm ignorarent Spiritum sanctum, non est ille mera Dei efficacia aut virtus.

At, inquiunt Sociniani, dicimur baptizari seu ablui Spiritu sancto. Atqui non abluimur personâ aliquâ, sed Dei gratiâ et charitate. Ergo Spiritus sanctus non est persona, sed mera Dei virtus et efficacia seu qualitas nobis indita.

Quasi verò non dicamur etiam in baptismate induere Dominum Jesum Christum. An ideò nec ipse persona erit? Scilicet acuti illi philosophi non distinguunt duplex causæ genus, quod vel tirones ipsi in scholis nôrunt, alterius quidem efficientis, alterius autem formalis. Spiritus sanctus causa est efficiens, quâ abluimur; charitas et gratia causa formalis. Utramque conjungit Joannes Baptista, Matth. 3, 11: *Ego quidem,* inquit, *baptizo vos in aquâ in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est: ..... ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.*

Jam verò quod spectat ad caput 2 Sociniane responsionis, seu ad æqualitatem Patris et Filii et Spiritûs sancti, 1° si bonâ fide agere et non tricari volumus, eam profectò repræsentat formula baptismatis. Non enim diceret Christus: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti,* nisi una eademque esset trium auctoritas. 2° Paulus Apostolus 1 Cor. 1, 13, manifestè indicat nos in nullius creaturæ nomine baptizari. Cùm enim illi scinderentur in varias partes; et alii quidem jactarent se esse Pauli, alii Cephæ, alii Apollo, *Numquid in nomine Pauli,* inquit, *baptizati estis?* Cùm ergo non minùs in nomine Filii et Spiritûs sancti, quàm Patris baptizemur, non possunt illi in creaturarum ordinem redigi, nec minùs uterque est Deus quàm Pater. 3° Tandem baptismus ad solum Deum potest pertinere; in eo enim fœdus aliquod initur inter ipsius auctorem et hominem; hinc quippe gratia datur, quæ abluat, ab auctore; illinc verò homo se totum ipsi devovet, cultumque, fidem et obsequium spondet. At utrumque solius Dei est; solius enim Dei est 1° largiri gratiam et peccata dimittere; Isaiæ 43, 25: *Ego sum,* inquit, *ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.* 2° Soli Deo nos devovere debemus, ut ipsemet Christus docet Matth. 4, 10: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Hinc etiam Paulus supra, Corinthios arguebat, quòd hujus, vel illius apostoli se dicerent. Atqui utrumque non minùs Filio et Spiritui sancto convenit, quàm Patri. 1° Enim tanquàm gratiæ auctores ambo nominantur. Et Christus quidem Joan. 1, 12: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Spiritus sanctus autem unà cum Christo 1 Cor. 6, 11: *Et hæc quidam fuistis,* inquit Apostolus; *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.* 2° Nos utrique pariter devovemus, Christo, ut passim legitur, et constat ex Apostolo supra, Corinthios reprehendente; Spiritui autem sancto, cui idcircò in cordibus nostris templum construere nos, dùm baptizamur, ait idem Apostolus, ibidem cap. 6, 19: *An nescitis,* inquit, *quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti?* Ergo uterque pari jure est Deus unà cum Patre.

At instant Sociniani. Israelitæ, 1 Cor. 10, 2, dicuntur in Moyse esse baptizati: *Omnes,* inquit Apostolus, *in Moyse baptizati sunt in nube et in mari*; et tamen Moyses non erat Deus. Ergo licet in nomine Christi ac Spiritûs sancti baptizemur, non idcircò divinitas est illis adscribenda. Sed latum est discrimen inter utramque locutionem; dicuntur enim Judæi in Moyse baptizati, quia per Moysen, seu Moyse duce, baptizati sunt nube et mari; sed aliud est, ubi de baptismo gratiæ et de fide cultuque supremo agitur, in alicujus nomine baptizari; id enim fieri non potest quin ille summam, hoc est, divinam auctoritatem habeat. Etverò, cùm dicimur baptizari in nomine Patris, nonne id ipsius auctoritatem supremam sonat? Ergo cùm simili ratione baptizemur in nomine Filii et Spiritûs sancti, eamdem illi quoque auctoritatem habere censendi sunt.

Ex promissione Spiritûs sancti à Christo factâ. — Tertius locus ducitur ex cap. 14 Evang. Joan. 16, ubi consolans Christus discipulos paulò ante mortem suam: *Ego,* inquit, *rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis..... Spiritum veritatis.* Capite autem 15, 26: *Cùm autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* In eo autem loco expressa et diserta fit trium simul personarum mentio, Filii rogantis, Patris rogati, et Spiritûs sancti tanquàm ab utroque missi. Qui verò mittitur, ab iis distinguitur qui mittunt, sicut qui rogat, ab eo qui rogatur.

Respondent Sociniani, nedùm hoc testimonio Christi et Spiritûs sancti divinitas probetur, eam contra iisdem verbis everti. Qui enim rogat, inquiunt, non est Deus. At Christus rogat. Deinde qui mittitur, idem non potest esse Deus; inferior enim est iis à quibus mittitur. At Spiritus sanctus mittitur. Ergo neuter est Deus. Sed ista infirma ac vana sunt. 1° Enim quòd Christus rogaverit Patrem, id non officit ipsius divinitati Nimi-

rùm Christus ex duplici naturâ constat : homo enim est simul ac Deus; rogat autem ut homo, quatenùs est mediator Dei et hominum; sed quatenùs est Deus, eadem omnia habet quæ Pater; Joan. 16, 15 : *Omnia*, inquit, *quæcumque habet Pater, mea sunt.* Quocirca oratio Christi unam fidei nostræ partem adstruit, sed alteram non destruit. 2° Cùm dicitur mitti Spiritus sanctus, id non servitutem aliquam, aut inferiorem conditionem arguit, sed originem; non enim mittitur ut servus, sed ut Deus procedens ab illo à quo mittitur.

Ex consentiente divinarum personarum testimonio. — Quartus, isque admodùm vexatus locus in Joannis 1 Epistolâ 5, 7, legitur in hunc modum : *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt.* Versu autem 8 : *Et tres sunt qui testimonium dant in terrâ, spiritus, et aqua et sanguis; et hi tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* Illic Patris, Verbi et Spiritûs sancti distinctio perspicuè demonstratur; dicuntur enim esse tres. At ex alterâ parte eorumdem etiam consubstantialitas adstruitur; dicuntur enim esse unum quid inter se. Ergo eximius is locus brevi verborum summâ nostram omnem de Trinitate fidem complectitur. Hinc nihil non moliuntur Sociniani, ut ipsius auctoritatem elevent, ac sententiam aliò detorqueant.

Duo itaque reponunt, 1° expungendam videri priorem hujus loci partem, ex quâ argumentum depromimus, cùm probabilissimum sit eam non esse Joannis Apostoli, sed ipsius Epistolæ progressu temporis esse assutam; 2° etsi de hujus loci sinceritate constaret, inde tamen, nec personarum distinctionem, nec earum consubstantialitatem erui posse.

Primum responsionis suæ caput probant pluribus momentis; primum petitur ab orientalibus Ecclesiis, ad quas usque error penetrare non potuit, quæque versum hunc 7 non agnoscunt, ut constat ex syriacis, arabicis et æthiopicis codicibus, qui in Bibliis polyglottis excusi sunt. Ergo, etc. Secundum è silentio Patrum et scriptorum ecclesiasticorum. Nullus enim est ad V usque seculum medium, qui hæc verba commemoraverit, et plerique etiam postea omiserunt. Quod autem est observatione dignissimum, 1° inter eos multi adversùs Arianos acriter et diu conflixêre, v. g., Athanasius, Hilarius, Gregorius Nazianzenus, Didymus, Chrysostomus, S. Leo, etc. Quis autem sibi persuadeat tot ac tantos scriptores in sacris codicibus exercitatissimos, et in catholicæ fidei causam adeò intentos, hunc versiculum, qui tanti roboris est, prætermissuros fuisse, si ipsum habuissent? id enim incredibile prorsùs est. Atqui siluerunt tamen. Ergo, etc. 2° Ex iis nonnulli, v. g., S. Ambrosius de Spiritu sancto, lib. 1, cap. 6, num. 77; et Augustinus lib. 2 contra Maximinum Arianum, cap. 22, posterioris hujus loci partis mentionem faciunt, ubi nimirùm de spiritu, aquâ et sanguine; cùmque hæc tria dicantur esse quid unum, aut eo utuntur ad demonstrandam Arianis divinarum personarum unitatem, aut contra eo utentibus Arianis respondent, id divinarum personarum consubstantialitati non officere. Quocirca non omisissent eâ occasione priorem ejusmodi loci partem, quæ ad propositum suum longè commodissima extitisset. At tacent tamen. Ergo, etc. 3° Hieronymus in emendandos codices Testamenti novi ex professo et summâ diligentiâ incubuit. Atqui, cùm recenseret Epistolam 1 Joannis, hunc versiculum præteriit. Ergo. 4° Alii in epistolam hanc deditâ operâ commentarios scripserunt, v. g., Beda et Œcumenius. Atqui priorem similiter partem transmittunt, posteriorem verò interpretantur. Ergo eorum omnium ævo hic versiculus in sacris codicibus non legebatur, aut saltem non habebatur ut genuinus.

Tertium è codicibus manuscriptis tum latinis tum græcis. Deest enim 1° in omnibus græcis paulò vetustioribus; deerat in iis quos versaverat Erasmus; in Vaticanis et Barberinis, quos habebant sacrorum codicum correctores sub Clemente VIII; in septem ex iis quos Robertus Stephanus consuluerat; deest etiam in codice Alexandrino longè vetustissimo, ut et in tribus è Regiâ bibliothecâ, in aliis quinque ex Colbertinâ, in tribus Anglicanis, et aliis passim. 2° Abest à latinis primæ antiquitatis, ut observârunt viri docti in his versati ac fide dignissimi.

Quartum desumitur ex plurimis editionibus antiquis, quas Sandius enumerat, et in quibus ista Joannis verba desiderantur. Hâc verò in parte nonnullos è Catholicis habent Sociniani sibi, licet non eodem animo, consentientes. Erasmus enim in duabus prioribus, quas adornavit, novi Testamenti editionibus, has voces expunxerat, græcorum aliquot manuscriptorum auctoritate fretus. Sed cùm eam ob rem apud plerosque malè audiisset,

quasi Arianorum fautor, easdem postea ex Anglicano codice in tertiam restituit. De quo videndus est Stunica in Erasmum : ipsemet Erasmus in Apolog. adversùs ipsum ; Theodorus Beza, etc. Neque tamen eo deterritus est famosus auctor Historiæ criticæ veteris ac novi Testamenti, Richardus Simon, quominùs in eamdem sententiam descenderet, quam variis in locis non prodidit modò, sed etiam omni ope fulcire studuit, nimirùm in Historiâ criticâ textûs novi Testamenti, cap. 18 ; in Historiâ versionum ejusdem, cap. 9 ; postremò in Dissertatione de variis novi Testamenti codicibus manuscriptis, pag. 13 et 80. Ad easdem partes non illubenter accessit Joannes Clericus, inter heterodoxos scriptor non minimi nominis, parte 3 Artis criticæ, sect. 1, cap. 14, pag. 307, et in quæstionibus Hieronymianis, cap. 9, pag. 340.

Omnes ergo illi in rejiciendo hoc versiculo tanquàm subdititio consentiunt ; sed cùm assignanda via est, quâ in sacros codices postea irrepserit, inter eos non convenit. Erasmus enim hujus suppositionis auctorem fuisse S. Hieronymum putat. Quippe sub hujus nomine circumfertur quidam Prologus in canonicas Epistolas, in quo declamatio instituitur adversùs eos, qui in codicibus suis hæc verba prætermittebant. Socinus in Commentariis ad hanc Joannis Epistolam, Erasmi vestigiis insistit, nec obscurè sanctum hunc doctorem fraudis incusat, quasi contra communem omnium exemplarium fidem voces istas ex aliquo fortè codice descriptas in suos et Ecclesiæ latinæ codices transtulerit.

At verò his consultior et eruditior nuperus criticus, omnem fraudis suspicionem ab Hieronymo longè removet, ipsique Prologum mox memoratum abjudicat. Arbitratur autem verba illa versûs 7, cùm initio instar scholii cujusdam ab aliquo fuissent ad oram codicis sui apposita, deinceps ex scriptorum vitio è margine in textum ipsum esse inserta ; quam conjecturam firmat ex codice quodam Regiæ bibliothecæ quingentorum circiter annorum, in quo è regione istius versiculi : *Tres sunt qui testimonium dant in terrâ, spiritus et aqua et sanguis*, scriptum reperitur græcè, id est, *Spiritus sanctus, Pater, et ipse suî ipsius*, αὐτὸς ἑαυτοῦ, seu Filius, ut ipse explicat. Cùm igitur ad hunc modum scripta primò fuissent in margine hæc verba : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus*, ea postmodùm amanuensium incuriâ in Scripturæ ipsius corpus existimat transiisse. Jam verò corruptelam hanc à Latinis incœpisse statuit, et ab ipsis ad Græcos manâsse. Sed de tempore non satis ipse sibi constat. In Historiâ enim textûs cap. 18, adversùs Erasmum contendit, antiquiorem eam esse. At in Dissertatione de manuscriptis, illam contra in posteriora tempora rejicit. Asserit enim, cùm latina gens Orienti dominaretur, in græcam linguam versos esse latinæ Vulgatæ codices, in quibus erat iste versiculus, et ab eo tempore in Græcos pervasisse. Hanc autem conjecturam firmat ex fragmento quodam ejusmodi versionis, tempore concilii Lateranensis sub Innocentio III factæ, inter conciliorum acta à Labbæo publicâ luce donatô. Joannes Clericus huic Historiæ criticæ auctori adhæret.

Itaque hæc sunt primæ Socinianorum responsionis fundamenta.

Secunda verò ipsorum exceptio est, quantumvis iste versiculus ab omnibus genuinus esse crederetur, ex eo non posse probari personarum divinarum distinctionem, nec earumdem consubstantialitatem. Ac 1° quidem non posse illinc extundi personarum distinctionem, cùm una eademque persona Patris hoc testimonium perhibere potuerit, tam per se, quàm per virtutes à se emissas, Verbum scilicet, et Spiritum sanctum. 2° Nec posse inde colligi consubstantialitatem ; quia nempe similis est trium è cœlo testium unitas, ei quæ pariter dicitur trium è terrâ testium. Atqui unitas trium è terrâ testium, spiritûs nimirùm, aquæ et sanguinis, non est unitas naturæ, sed consensûs duntaxat. Ergo pari ratione Pater, Verbum, et Spiritus sanctus non unitatem naturæ, sed tantùm consensûs habebunt.

Verùm duplex ista responsio nullo negotio revincitur. Ac prima quidem de textûs sinceritate. Quamvis enim fateamur partem negantem nonnihil habere quod primâ fronte mentem commoveat, attamen si res utrinque bonâ fide expendatur, longè potiora haud dubiè videbuntur partis affirmantis argumenta ; quæ profectò ejusmodi sunt, nullus ut candidi animi vir, nostro quidem judicio, hærere possit. 1° Enim hunc versiculum 7 Joannis esse agnoscunt omnes Ecclesiæ tum latinæ tum græcæ. De latinis constat. De græcis confitetur auctor Historiæ criticæ, cap. 18, supra allegato ; quod etiam ex earum lectionario patet. Jam verò hæ Ecclesiæ simul junctæ

cæteras omnes numero et auctoritate longè superant. Ergo jam hinc ruit primum Socinianorum momentum ex orientalibus Ecclesiis depromptum ; quanquàm ex aliquot duntaxat manuscriptis de istarum usu judicium ferri legitimè non potest, sicut ex aliquibus manuscriptis, sive græcis sive latinis, à quibus is versiculus abest, immeritò quis colligeret eum nec à Latinis nec à Græcis usurpari. 2° Etsi multi sunt sancti Patres ac veteres scriptores, qui versiculum hunc datâ occasione non commemoraverint, attamen alii extant qui ipsum allegaverunt. Quis autem nescit argumenta, ut aiunt, positiva negativis præponderare ? Ne quis autem putet eos, à quibus allegatus est, aut recentiores, aut exiguæ auctoritatis, aut numero paucos esse, verba hæc Joannis laudant, primò Tertullianus. Contra Praxeam enim cap. 25 : « Connexus Patris in Filio, inquit, et Filii in Paracleto tres efficit cohærentes, ... *qui tres unum sint, non unus ;* quomodò dictum est : *Ego et Pater unum sumus.* » Duo hîc Scripturæ loca Tertullianus attingit ; primum ex Epistolâ Joannis, cujus etiam in verbis vim facit ; alterum ex Evangelio, quod laudat. Secundò Cyprianus, qui Tertullianum ubique tanquàm magistrum consectatur, eadem usurpat lib. de Unitate Ecclesiæ, sic aiens : « Dicit Dominus : *Ego et Pater unum sumus ;* et iterùm, de Patre et Filio, et Spiritu sancto scriptum est : *Et hi tres unum sunt.* » Ubi tria diligenter observanda sunt. 1° Enim hinc firmatur quod de Tertulliano diximus. 2° Ne quis opinetur S. Cyprianum ante oculos duntaxat habuisse posteriorem illius quem excutimus loci partem, quam nonnulli de Patre, et Filio, et Spiritu sancto explicuêre, sanctus ille martyr ait nominatim : « De Patre, et Filio et Spiritu sancto scriptum est : *Et hi tres unum sunt ;* » non ait autem : « De Patre, et Filio et Spiritu sancto, intelligitur quod scriptum est : *Et hi tres unum sunt.* » Si enim posteriorem hanc tantùm partem legisset in Scripturis, non dixisset scriptum esse de tribus personis : *Et hi tres unum sunt*, sed de spiritu, aquâ et sanguine. Quanquàm autem quod scriptum fuisset de his, potuisset de tribus personis intélligi, certè aliud omninò est aliquid de aliquo certo in loco scribi, aliud de eo intelligi. 3° Ne ullum superesse dubium possit, S. Fulgentius, ex eâdem gente oriundus, conceptis verbis asserit Cyprianum in codicibus suis habuisse priorem, quam expendimus, Epistolæ Joannis partem, et in eo quem attulimus loco ad illam respexisse. Nimirùm respons. ad object. X Arianorum : « In Patre ergo, inquit, et Filio, et Spiritu sancto unitatem substantiæ accipimus, personas confundere non audemus. Beatus enim Joannes Apostolus testatur dicens : *Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus : et hi tres unum sunt :* quod etiam beatissimus martyr Cyprianus in epist. de Unitate Ecclesiæ, testatur dicens : Qui pacem Christi.... rumpit, adversùs Christum facit. Atque ut unam Ecclesiam unius Dei esse monstraret, hæc confestim testimonia de Scripturis inseruit : *Dicit Dominus : Ego et Pater unum sumus ;* et iterùm de Patre, et Filio, et Spiritu sancto scriptum : *Et hi tres unum sunt.* »

Quæ cùm ita sint, nemo ambigere jam potest II et III seculo versiculum hunc 7 in sacris codicibus apud Afros saltem extitisse. Imò verò, inquit auctor Hist. criticæ, Cyprianus ibi ad solam hujus loci posteriorem partem, id est, versiculum 8 respexit. Quia enim, quæ de spiritu, aquâ et sanguine dicta sunt, ea ad Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum applicabat, dicere non est veritus de his personis esse scriptum, quod scriptum erat de spiritu, aquâ et sanguine. Certè id docet Facundus lib. 1 pro defensione trium capitulorum, cap. 3. Cùm enim ipse in codice suo nihil aliud legeret, quàm quod de spiritu, aquâ et sanguine habetur, hisce nominibus contendit, tres divinas personas intelligi oportere ; in spiritu Patrem, in aquâ Spiritum sanctum, in sanguine Filium ; quod ubi fusè probavit, sic sententiam suam concludit, beati Cypriani auctoritate : « Quod Joannis Apostoli testimonium, inquit, beatus Cyprianus Carthaginensis antistes et martyr in epistolâ, sive libro quem de Trinitate (unitate) scripsit, de Patre et Filio, et Spiritu sancto dictum intelligit. » Ergo, teste Facundo, ex eâdem etiam natione, S. Cyprianus ad postremam duntaxat illius, quem agitamus, loci partem respexit.

Respondeo non esse hîc audiendum Facundum, qui sui codicis errore deceptus, de Cypriano perperàm judicavit. 1° Enim longè major est apud omnes et debet esse Fulgentii, utpote antiquioris et sanctioris, auctoritas, quàm Facundi. At Facundus cum Fulgentio pugnat. Ergo. 2° Si beatus Cyprianus ad postremam hanc partem solùm spectâsset, non breviter dixisset : « De Patre, et Filio, et Spi-

« ritu sancto scriptum est : *Et hi tres unum* « *sunt* : » sed id latè explicuisset, cùm illud statim non veniat in mentem, et longo verborum circuitu egeat ut intelligatur. Etverò Facundus ipse ut hoc ipsum patefaciat, prolixâ oratione utitur. Ergo non eadem Cypriani mens fuit, quæ Facundi. 3° Cyprianus ordinem in Scripturis notatum saltem observâsset; proinde si *spiritûs* nomine Patrem, *aquæ* vocabulo Spiritum sanctum, et *sanguine* Filium designare voluisset, non dixisset utique : *De Patre et Filio et Spiritu sancto scriptum est;* sed: *De Patre et Spiritu sancto et Filio scriptum est;* quem ordinem ipse Facundus servat. Ergo cùm prioris partis, hoc est, versûs 7 ordinem, non posterioris, seu versûs 8, teneat, haud dubiè priorem ante oculos habuit, cùm id, quod allegavimus, scripsit (1). Sed de Cypriano satis; ad reliquos pergamus.

(1) « Quod magis urgere videtur, verba ista versiculi 8 : *Et hi tres unum sunt,* in codicibus numero pluribus et quidem vetustioribus non extant : quomodò igitur ad ea oculos intendere potuit S. Cyprianus? Id verò ita esse constat auctoritate ac testimonio concilii Lateranensis IV sub Innocentio III an. 1215, multisque aliis momentis quæ refert Hesselius theologus Lovan. comment. in 1 Epist. S. Joan., ad vers. 8, c. 5, cujus hæc verba sunt : « Con- « cilium Lateran..... can. 2 ostendit codices « suo tempore sic habuisse, sicuti nunc legi- « mus. Admonet nihilominùs diligenter, eò « quòd abbas quidam, nomine Joachim, do- « cuerit non esse veram unitatem trium per- « sonarum, sed eas sic dici unum, sicut illi « quorum est una voluntas : utebatur autem « argumento ex hoc loco sumpto, quia vide- « licet sicut de Patre, et Filio, et Spiritu « sancto scriptum est quòd tres unum sint, « sic eodem loco, de spiritu, aquâ et sangui- « ne, quòd tres unum sint; proinde autem « addit concilium : *Sicut in quibusdam codici-* « *bus legitur,* satis indicans illud : *Et hi tres* « *unum sunt,* non in omnibus codicibus, spi- « ritui, aquæ et sanguini additum reperiri. « S. quoque Thomas, exponens decretalem « jam dictam concilii Later., opusc. 24, « *tres* « *sunt,* ait, *qui testimonium dant in terrâ,* scilicet « *spiritus, aqua et sanguis;* in quibusdam libris « additur : *Et hi tres unum sunt,* sed hoc in « veris exemplaribus non habetur, sed in qui- « busdam libris dicitur esse appositum ab hæ- « reticis Arianis, ad pervertendum sanum in- « tellectum auctoritatis præmissæ de unitate « essentiali trium personarum. » Hæc S. Tho- « mas..... Vidi ego, pergit Hesselius, tria ve- « tusta Missalia, unum scriptum, duo impres- « sa, in quibus etiam hæc particula deerat, « quemadmodùm et in exemplari quodam, « quod extat Lovanii in biblioth. eccles. S. « Petri, altero item quod ibidem in abbatiâ « S. Gertrudis asservatur, ex quibus omnibus « hæc videtur esse vera hujus loci lectio : « *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in* « *cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi* « *tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium* « *dant in terrâ, spiritus, aqua et sanguis,* aut « potiùs, ut codex quidam apud nos in biblioth. « eccles. S. Petri habet : *Tres sunt qui testimo-* « *nium dant in terrâ, spiritus, aqua et sanguis.* « *Et tres sunt qui testimonium dant in cœlo,* « *Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres* « *unum sunt.* » Jam observaverat Hesselius dicta verba versûs 8 omitti ab auctore libri contra Varimadum diaconum Arianum, sive ille fuerit Idacius Clarus, sive Vigilius Tapsensis; omitti pariter ab auctore epist. 1 sub nomine Hygini S. Pontificis.

« His ex Hesselio momentis addi debet, 1° doctores Lovan. testari se quindecim codices lustrâsse, in quibus clausula hæc versûs 8 : *Et hi tres unum sunt,* non legebatur; 2° idem de multis codicibus fateri Lucam Burgensem in suis Correctionibus Romanis. 3° Ariam Montanum clausulam illam inseruisse nec in Græco, nec in Latino textu Bibl. Polyglott. Philippi II; 4° nec etiam Cassiodoro dictam clausulam cognitam fuisse.

« Jam verò si verba ista : *Et hi tres unum sunt,* vel, *in unum sunt,* non exstabant olim in versu 8, quomodò Tertullianus, quomodò S. Cyprianus alludere ad ea potuerunt, et per allegoriam ea transferre ad Patrem, Filium et Spiritum sanctum? » Turnel. quæst. 4, art. 1. (Ed.)

3° Itaque Idacius Clarus, sive senior, qui IV seculo vixit, sive junior qui V florait; quidquid sit, alteruter lib. 1 de Trinit. (quod enim opus à multis Athanasii, ab aliis Vigilii Tapsensis esse creditur, illud alterutrius Idacii esse sentiunt doctissimi monachi Benedictini), Idacius, inquam, alteruter Hispanus lib. 1 de Trinit. et alibi, hunc laudat Joannis locum; ex quo liquet eum ab Hispanis codicibus non abfuisse.

4° Eugenius Carthaginensis præsul eodem seculo V desinente, in solemni fidei professione quam episcoporum 400 nomine Hunerico regi Vandalorum Ariano obtulit, quæque refertur à Victore Vitensi lib. 3 : « Et ut adhuc, « inquit, luce clariùs unius divinitatis esse « cum Patre et Filio Spiritum sanctum docea- « mus, Joannis Evangelistæ testimonio com- « probatur; ait namque : *Tres sunt qui testi-* « *monium perhibent in cœlo, Pater, Verbum et* « *Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.* » Sic ille; cujus testimonii vis ut manifestiùs innotescat, notandum est 1° hanc fidei formulam conditam fuisse, teste Gennadio Massiliensi de Scriptoribus ecclesiasticis, cum consensu omnium Africæ, Mauritaniæ et Sardiniæ atque Corsicæ episcoporum et confessorum numero 400; atque adeò has voces Joannis in istarum omnium provinciarum codicibus extitisse; 2° hunc versiculum ab ipsis ex professo, ut longè certissimum et validissimum proferri;

quod ipsius fidem mirificè confirmat; 3° ab ipsis adduci contra Arianos, et Ariano principi offerri, quod argumento est hos sanctos præsules non timuisse ne ab ipsis in dubium revocaretur. Ergo ex hoc loco jure colligimus indubitatam fuisse tunc hujus loci apud omnes lectionem.

5° Vigilius Tapsensis eodem seculo lib. 1 contra Varimadum Arianum cap. 5 (si tamen is auctor ab Idacio diversus est) : « Joannes, « inquit, Evangelista ait.... ad Parthos : *Tres « sunt.... qui testimonium perhibent in cœlo* : « *Pater, Verbum, et Spiritus sanctus; et hi tres « unum sunt.* »

6° S. Fulgentius seculo sequenti variis in locis eamdem Joannis sententiam allegat : 1° nimirùm in libro de Trinitate, cap. 4; 2° in opere contra Pintam episcopum Arianum; 3° tandem in responsione ad X object. Arianorum; quo in loco tria iterùm observabimus; 1° à sancto doctore hunc versiculum proferri tanquàm ubique receptum; 2° ab eo adduci contra Arianos, ut indubitatum; 3° Fulgentium non paucis post oblatam ab Eugenio fidei professionem annis in iisdem regionibus scripsisse; quod indicat Arianos nullam adversùs hunc Joannis locum exceptionem attulisse. Eam enim dubio procul commemorâsset ac diluisset.

7° Auctor Prologi in Epist. canonicas, qui aut Hieronymus est, ut vulgata præferunt exemplaria, aut VII saltem seculo recentior non est, cùm VIII ac IX passim inter alias Hieronymi præfationes recenseretur; hic, inquam, auctor, de isto Joannis Epistolæ loco verba faciens : « In quâ, inquit, ab infidelibus « translatoribus multùm erratum esse fidei « veritate comperimus, trium tantùm vocabu- « la, hoc est, *aquæ, sanguinis* et *spiritûs* in suâ « editione ponentibus, et *Patris, Verbique ac « Spiritûs sancti testimonium* omittentibus; in « quo maximè et fides catholica roboratur, et « Patris, et Filii et Spiritûs sancti una divini- « tatis substantia comprobatur. » Quocirca ex hoc auctore discimus, 1° jam tum in multis codicibus hunc locum non comparuisse, sed latinis tantùm è græco translatis; atque adeò in græcis contra, plerisque saltem, legi consuevisse; 2° hoc fuisse infidelium translatorum incuriâ et oscitantiâ factum; 3° graves eâ de re querelas à Catholicis eâ jam ætate fuisse institutas.

8° Auctor epistolarum primis pontificibus affictarum, qui seculo saltem VIII vivebat, in Hygino istas Joannis Epistolæ voces, ut verbum Dei ab Apostolo scriptum usurpat.

9° Græcus et antiquus auctor Disputationis cum Ario, quæ Athanasio à pluribus attributa est, et tomo III ejus operum legitur, hæc eadem Joannis verba contra Arianos profert. Ergo ea apud Græcos, non minùs quàm apud Latinos, erant tunc receptissima.

Alios omittimus recentiores, quòd isti sufficiant ad compensandum aliorum silentium. Ubi enim de facto aliquo controversia est, quis non intelligit probatæ fidei testes loquentes innumeris tacentibus esse anteponendos? Sic non tantùm in fumos abit secundum Socinianæ opinionis argumentum, sed etiam assertio nostra mirum in modum roboratur.

3° Codicum, sive latinorum, sive græcorum, numero et auctoritate longè superiores sumus. Ut enim à Latinis ordiamur, 1° monachi Benedictini, ejusmodi rerum peritissimi, testantur in annot. ad Prolog. Hieronymi in epist. canon., hunc quidem versiculum desiderari in multis exemplaribus vetustissimis, sed in aliis non paucioribus reperiri, ac præsertim in perantiquo Corbeiensi : ubi etiam hanc in rem Athanasii et Fulgentii auctoritas allegatur. 2° Auctor ipse Historiæ criticæ codicem laudat 800 annorum, in quo hæc verba inveneris. 3° Lovanienses, qui infinitam propemodùm codicum multitudinem consuluêre, ad ornandam et accurandam Vulgatæ editionem, easdem voces in omnibus, si quindecim excipias, habuêre (1). 4° Correctorium Bibliæ quod circa X seculum editum est, et in bibliothecâ Sorbonicâ asservatur, ad hunc Joannis Epistolæ locum : « Hic, inquit, corrupti sunt quidam « libri Græcorum, ut ait beatus Hieronymus, « qui hoc capitulum non habent, in quo ma- « ximè fides catholica roboratur. » Atque adeò per id ævi in omnibus latinis versiculus iste passim legebatur. 5° Legebatur etiam in iis quos ad manum habuêre Tertullianus, Cyprianus, Eugenius et 400 præsules ipsi adjuncti, Fulgentius, etc. At nulli afferri possunt manuscripti codices his antiquiores. Ergo (2).

(1) « Lovanienses testantur quinque duntaxat reperta, in quibus versus ille 7 non legitur; quantùm verò spectat v. 8, de testibus terrestribus, iidem theologi observant in quindecim codicibus manuscriptis verba ista : *Et hi tres unum sunt*, non reperiri; unde clarè infertur in iisdem quindecim et fortè pluribus aliis versum 7 extare. » Montagnus, quæst. 3. (Ed.)

(2) « His addi potest auctor omni major exceptione; cujus testimonio res tota conficitur,

Quod autem pertinet ad Græcos, 1° Amelotus Oratorii presbyter affirmat hæc verba extitisse in Vaticano codice omnium vetustissimo. 2° Theodorus Beza, qui optimæ notæ codices se habuisse gloriatur, hæc eadem in illis reperit. 3° Calvinus perhibet ætate suâ in melioribus et emendatioribus græcis codicibus affuisse : qui duo testes nec possunt nec debent esse Socino suspecti. 4° Ex sexdecim exemplaribus venerandæ antiquitatis, quibus usus est Robertus Stephanus (1), septem duntaxat erant in quibus desideraretur is versiculus. 5° Erasmus, cùm nonnullis codicibus deceptus hunc versiculum omisisset, postea eumdem restituit ex codice Anglicano longè antiquissimo. 6° Ximenius cardinalis qui undequàque exemplaria omnium vetustissima, ac præsertim ex bibliothecâ Vaticanâ, conquisierat, hanc Joannis sententiam ex eorum fide edidit. 7° Auctor Correctorii biblici, ex bibliothecâ Sorbonicâ modò laudati, satis apertè arguit in plerisque vulgò codicibus græcis comparuisse, dùm notat abfuisse tantùm à quibusdam. 8° Auctor Prologi in Epist. canon. Hieronymo attributi idem manifestè supponit, dùm solos reprehendit latinos translatores, quòd hæc verba omitterent. 9° Eadem legit auctor græcus Disputationis cum Ario, quæ à pluribus seculis Athanasio adscribitur. Ergo non solùm falsò aiunt hunc versiculum ab omnibus græcis codicibus abfuisse, sed etiam verisimillimum est in longè pluribus occurrere.

4° Hunc ipsum exhibent primæ omnium editiones sacrarum Scripturarum, quas diligenter enumerat Joannes Pearsonius in notis ad Cypriani librum de Ecclesiæ Unitate.

5° Eumdem postulat orationis in Joannis Epistolâ series. Ac 1° quidem particula *et*, quæ primam partem cum secundâ conjungit. 2° Hæ voces, *in terrâ;* ad id enim referuntur quod priùs de cœlo dictum fuerat, et oppositionem quamdam sonant. At omnis oppositio tollitur, si prius membrum sustuleris. 3° Ad hanc eamdem cœli et terræ testimoniorum oppositionem, respicere videtur Apostolus, cùm statim subdit : *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* Ergo cùm omnia posito versu 7 optimè cohæreant, eo autem omisso, contra, quis non videt non in hanc, sed in illam potiùs partem esse inclinandum?

6° Denique cùm is versiculus in sacros codices irrepere et ex iis excidere potuerit, ac de alterutro disputetur, ea sanè pars amplectenda est, quæ vero similior est, et probabilioribus conjecturis innititur. Atqui futiles sunt Socinianorum et nuperi critici conjecturæ; nihil verò contra plausibilius est eâ ratione quam assignant, qui arbitrantur excidisse. Ergo nemo est qui circa id anceps hærere debeat. Futiles, inquam, sunt Socinianorum et nuperi critici conjecturæ.

Cassiodorum intelligo, qui VI Ecclesiæ seculo floruit. Opus ille adornavit cui titulus : *Cassiodori senatoris complexiones in Epistolas et Acta Apostolorum et Apocal.* Diù latuit codex ille manu exaratus, donec à clarissimo viro D. Maffei è tenebris ac pulvere bibliothecæ capituli Veronensis, ubi consepultus jacebat, eductus fuit, ac Florentiæ typis excusus an. 1721. Porrò in eo opere Cassiodorus summarium recensens cap. 5 Epist. 1 S. Joannis, versùs 7 apertam habet mentionem. En verba : *Qui Deum Jesum credit, ex Deo Patre natus est : iste sine dubitatione fidelis est, et qui diligit Genitorem, amat eum qui ex Deo natus est Christus.... Cui rei testificantur in terrâ tria mysteria, aqua, sanguis et spiritus, quæ in passione Domini leguntur impleta; in cœlo autem Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, et hi tres unus est Deus.* Ergo in codicibus manuscriptis quibus utebatur Cassiodorus V et VI seculo (quinto enim seculo, natus post an. 463, dùm in vivis fuit, ac labente seculo sexto, an. 562, de Paschali computo adhuc scribebat), in codicibus, inquam, hujus ætatis, extabat versus 7, de quo hìc agimus.

« Neque verò est quòd suspicetur quis ita loqui Cassiodorum, per allegoriam ad versum 8. Namque primò ne umbra quidem extat allegoricæ interpretationis in hocce Cassiodori sermone ; 2° quia absonum planè videtur, ut in brevi summario allegorica interpretatio proferatur ; 3° quia utrumque versum separatim, et tanquàm genuinum S. Joannis textum laudat, et unum opponit alteri : *In terrâ..... in cœlo autem* ; 4° denique quia Cassiodorus nihil de suo adjicit, sed tantùm summatim redigit doctrinam S. Joannis.

« Nec est etiam quòd aliquis opponat, quo tempore florebat Cassiodorus, jam corruptos fuisse manuscriptos codices sacrorum Bibliorum, atque fortè in manus Cassiodori devenisse unum ex his depravatis codicibus, in quibus versus ille 7 piâ alicujus fraude insertus jam fuerat. Namque ipsemet Cassiodorus testatur lib. Institutionum divinarum cap. 3, et in præfatione ejusdem operis, codices sacros quos potuit antiquiores et emendatiores undequàque collegisse ; eos summâ curâ et diligentiâ tum inter se, tum ad fidem antiquorum manuscriptorum contulisse, emendâsse; in nullo tamen ex his vetustissimis codicibus versiculum nostrum deesse usquàm observavit Cassiodorus. Quâ igitur fronte posset quis fidem, veritatem ac sinceritatem hujus versùs in dubium et suspicionem adducere? » Montagnus, quæst. 3. (Ed.)

(1) « Robertus Stephanus notat septem duntaxat exemplaria, in quibus non quidem integer versus desideratur, sed tantùm sine his verbis : *In cœlo.* » Montagnus, ibidem. (Ed.)

Quòd enim 1 Sociuus fraudis arguit Hieronymum, id sanè indignum est et inficetum. 1° Quippe sancti hujus doctoris fides, integritas et sanctitas supra omnem hujusmodi suspicionem posita est. 2° Tertullianus et Cyprianus Hieronymo antiquiores eadem verba habuêre 3° Tandem id, quo innituntur, fundamentum caducum est; à doctis enim non censetur Hieronymi esse Prologus ille, quem allegant.

2° Quod divinat criticus additionis hujus originem ab eo quod affert scholio esse repetendam, id non minùs absurdum est. 1° Enim codex ille regius, in quo scholion extat, est 500 duntaxat annorum. At verba ista apud Joannem longè ante 500 annos, tum in græcâ tum in latinâ Ecclesiâ, usurpata sunt. 2° Barbarum est ejusmodi scholion, nec intelligitur quid sibi velint hæ voces, *ipse suî ipsius,* seu ut græcè est, αὐτὸς ἑαυτοῦ. Quis autem sibi persuadeat ab homine barbaro et inepto quidquam id genus fuisse acceptum? 3° In hoc scholio non idem est ordo divinarum personarum, qui legitur in primâ parte testimonii Joannis. Ergo unum ex altero originem non ducit.

3° Quod idem postea criticus conjecit, verba hæc apud Græcos ab eo tantùm tempore obtinuisse, quo Latini in Oriente imperârunt, et è versione à Latinis factâ ad Græcos transiisse, id multis quoque nominibus respuendum est. 1° Enim, ut observavimus, longè ante hæc tempora, hoc est, ante XII et XIII seculum hæc Joannis sententia cùm Latinis tum Græcis notissima erat. 2° Hæc versio, cujus specimen exhibet editio conciliorum, tempore concilii Lateranensis facta, fatente ipso critico, barbara et mendosa est. Ejusmodi autem non sunt codices græci in quibus occurrit hic versiculus. 3° Eâ ætate Græci à Latinis sic erant alienati, ut probabile non sit eos ad latinorum codicum normam codices suos exigere voluisse.

Superest ergo ut dicamus hunc versiculum, cùm in primigenio Joannis exemplari foret, è multis postea codicibus excidisse. Sed quâ ratione id acciderit non constat. Sunt enim aliqui inter eruditos qui putent ab Arianis ea verba fuisse è sacris codicibus erasa, cujusmodi scelus non semel à sanctis Patribus ipsis est exprobratum. Vide Fromundum et Bezam, quibus aliquâ ex parte suffragari videntur auctor Prologi toties à nobis appellati, S. Thomas et Ximenius (1).

Sed id incredibile est, 1° quia fraudem illicò detexissent sancti illi Patres, qui adversùs Arianos tam acriter pugnaverunt; 2° quia, ut suos codices corrupissent, non potuissent

codices, ait Turnelius, quæst. 4, art. 1, seu exemplaria tum veteris, tum novi Testamenti, manu exarata; alia quæ omnium penè fidelium manibus quotidiè tererentur, oculis legerentur, memoriâ discerentur; alia quæ reconderentur in forulis bibliothecarum; et priora quidem multò difficiliùs corrumpi ac violari potuissent, propter frequentem ac quotidianum usum, ac promptam, si quis fuisset, violatoris pœnam. Ad fidem manuscriptorum codicum, quos traditio et perpetuus fidelium usus incorruptos servavit, exacti fuêre libri sacri nostræ Vulgatæ editionis, ac prælo subinde commissi, cùm inventa est, seculo nempe XV, ars typographiæ. Alia verò exemplaria, quæ in angulis bibliothecarum recondebantur, longè faciliùs fraudi ac corruptelæ patebant exscriptorum, sive ex negligentiâ, sive ex malitiâ, nempe ut posteros fallerent specie vetustatis: quo casu codices manuscripti qui numero, antiquitate et auctoritate cæteros vincunt, præferendi sunt, tanquàm magis probati ac castigati, et posteriores ad eorum fidem et normam corrigendi.

« 2° Non improbabili conjecturâ dici potest in nonnullis codicibus versum 7 cap. 5 Epist. 1 S. Joannis desiderari vitio et incuriâ exscriptoris qui cùm textum descripsisset usque ad hæc verba : *Quoniam tres sunt qui testimonium dant,* errante oculo, transivit ad versum 8, ubi eadem verba repetuntur, atque ita versum 7 ex incuriâ prætermisit. Lapsus ille, seu error manûs et oculorum, non est infrequens in iis qui aliena describunt, cùm nullo ferè interposito intervallo, eadem verba repetuntur, ut reverà est in versibus 7 et 8; cujus lapsûs exempla proferunt doctissimi Benedictini, in suis ad Prologum S. Hieronymi in Epistolas canonicas Observationibus.

« 3° Non immeritò supponi potest versum illum ab Arianis, in iis quos potuerunt codicibus, expunctum de industriâ fuisse, quòd eo se maximè premi intelligerent. Quod quidem fraudis ac perfidiæ vitium sæpiùs ipsis exprobrat S. Ambrosius, l. 2 de Fide, c. 15, n. 335, et l. 5, c. 16, n. 193, sed præsertim l. 3 de Spiritu sancto, c. 10, initio, ubi conqueritur Arianos locum istum: *Quoniam Deus spiritus est,* de suis codicibus delevisse. « Atque utinam, « inquit, de vestris et non etiam de Ecclesiæ « codicibus tolleretis! Eo enim tempore quo « impiæ infidelitatis Auxentius Mediolanensem « Ecclesiam armis exercituque occupaverat, « vel à Valente atque Ursatio, nutantibus sa- « cerdotibus suis, incursabatur Ecclesia Syr- « miensis, falsum hoc et sacrilegium vestrum « in ecclesiasticis codicibus deprehensum est. « Et fortassè hoc etiam in Oriente fecistis. Et « litteras quidem potuistis abolere; sed fidem « non potuistis auferre. » Hæc S. Ambrosius. S. Hieronymus in Prologo ad Epistolas canonicas, eamdem querimoniam instituit adversùs Arianos, occasione versûs de quo loquimur. Quin et Socrates adulteratæ ab hæreticis Scripturæ exemplum profert ex hâc ipsâ 1 Epist. S. Joannis, c. 4, v. 2, ubi dicitur: *In*

(1) « 1° Duplicis generis distingui possunt

sanè eos adulterare quos Catholici habebant; 3° quia non est alia hujus loci, quàm tot aliorum ipsos jugulantium ratio, quæ tamen intacta reliquerunt. Quocirca unum illud superest ut id smanuensium vitio, propter eorumdem verborum repetitionem, acciderit; qui lapsus non est infrequens, ut iis notum est, qui exscriptores nórunt. Itaque cùm antiquus Epistolæ Joannis scriptor ad eas versiculi septimi voces pervenisset, *Tres sunt qui testimonium dant,* errante oculo ac manu ad easdem voces, quæ versu 8 repetuntur, imprudens transiit; quo factum est, ut exinde Patris et Filii et Spiritûs sancti in cœlo testimonium ex eo codice exciderit, ac deinceps in aliis omnibus qui ex ipso descripti sunt. Sic error ad plures manavit. De quo vide omninò doctissimos monachos Benedictinos in annotat. ad Hieronymi Prologum. Ibi enim non modò Hieronymum eumdem allegant in capite 3 Jeremiæ de exscriptoribus conquerentem, quòd quæ 2° dicebantur omitterent; sed etiam insigne hujusmodi lapsûs exemplum proferunt ex Josue capite 21. Cùm enim versibus 35, 36, 37, eadem sermonis clausula sit, videlicet ista: *Civitates quatuor, cum suburbanis suis;* hâc verborum similitûdine decepti librarii, versum 36 prætermisêre; quo factum est ut non solùm in veracioribus latinæ editionis exemplaribus, sed etiam in plerisque codicibus hebraicis desit; quod eruditi non ignorant. Extat tamen in antiquissimo exemplari hebraico, quod bibliotheca Sorbonica recondit. Hoc autem semel posito, jam liquet cur is versiculus à pluribus olim sanctis Patribus usurpatus non fuerit.

Verùm hæc de primâ Socinianorum responsione satis. Jam quoad secundam, res multò expeditior est. 1° Enim, quod aiunt unam eamdemque personam posse triplici modo testimonium dicere, id quidem verum est; sed una tantùm eademque persona erit, non verò tres. Atqui tres isthic disertè memorantur. Deinde verò adversarii confitentur Patrem et Filium esse distinctas personas; quidni igitur idem erit de Spiritu sancto, qui non aliter esse testis perhibetur quàm Pater et Filius? 2° Quod addunt Patrem et Filium et Spiritum sanctum eâdem ratione dici quid unum, quâ paulò post spiritus, et aqua, et sanguis, id quidem aquiore animo ferri posset, si eodem modo Joannes de utrisque loqueretur. At non ita est. De Patre enim, et Filio, et Spiritu sancto pronuntiat quòd sint unum; de spiritu verò, aquâ et sanguine, quòd sint in unum, ut græcè habetur; seu, quòd in unum idemque consentiant ac conspirent (1).

Probatur 2° traditionis auctoritate, quam hâc in parte non spernunt pro more suo Socciniani. Eam itaque afferamus, sed ita tamen, ut duntaxat delibemus quod plenius ac copiosiùs posthæc, ubi de Filio et Spiritu sancto exposituri sumus.

1° Igitur sacrosanctam divinarum personarum Trinitatem in unâ eâdemque naturâ adstruemus ex nonnullis antiquorum Patrum testimoniis. Justinus in Apologiâ, quæ Secunda inscribitur, «Hunc, inquit (Patrem), et qui «ab eo venit..... Filium, et Spiritum sanctum «colimus et adoramus, cum ratione et veri«tate venerantes.» Athenagoras in Legatione pro Christianis: «Quis non miretur, inquit, «cùm audit nos, qui Deum Patrem prædica«mus, et Deum Filium, et Spiritum sanctum «... atheos vocari?» Tertullianus de Pudicitiâ cap. 21: «Est, inquit, Trinitas unius divini«tatis Pater et Filius et Spiritus sanctus.» Clemens Alexandrinus ad Pædagogi calcem Deo gratias agens: «Soli, inquit, Patri et Fi«lio, Filio et Patri, unà cum sancto Spiritu, «per omnia uni,..... gloria nunc et in secula «seculorum, Amen.» Hippolytus martyr sic librum suum adversùs Noetum inscribit: *De Deo trino et uno, et de mysterio incarnationis contra hæresim Noeti.* Cyprianus, de Unitate Ecclesiæ, c. 4: «De Patre et Filio et Spiritu «sancto scriptum est, inquit: *Hi tres unum «sunt.*» Epistolâ verò ad Jubaianum, de eo qui ab hæreticis baptizatus erat: «Si peccato«rum, inquit, remissam consecutus est, ... «templum Dei factus est. Quæro cujus Dei? «Si creatoris, non potuit, qui in eum non «credidit; si Christi, nec hujus fieri potest «templum qui negat Deum Christum; si «Spiritûs sancti, cùm tres unum sint, quo«modò Spiritus sanctus placatus ei esse po«test, qui aut Patris aut Filii inimicus est?» Dionysius Alexandrinus, apud Basilium lib. de Spiritu sancto, cap. 29: «Si ex eo quòd,

hoc cognoscitur Spíritus Dei: omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est; quem locum ab Arianis expunctum fuisse observat.» (Ed.)

(1) «Adde quòd, ut supra notatum est, postrema ista verba: *Et hi tres unum sunt,* in benè multis codicibus manuscriptis vetustioribus desiderentur: quomodò igitur unitas, de quâ versu 7, intelligi posset de unitate de quâ versu 8?» Montagnus, quæst. 3. (Ed.)

« inquit, tres sunt personæ, divisas esse di-« cunt; tres sunt, etiamsi nolint, aut divinam « Trinitatem prorsùs è medio tollant. » Gregorius Thaumaturgus in Professione fidei, de Patre, Filio et Spiritu sancto loquens : « Tri-« nitas, inquit, perfecta est, quæ gloriâ et « æternitate ac regno atque imperio non divi-« ditur atque abalienatur. »

Omittimus recentiores, quòd de iis nulla lis esse possit. Nulli enim dubium est quin IV seculo ab omnibus Catholicis, hinc divinarum personarum distinctio, illinc earumdem consubstantialitas, et apertissimè prædicata et disertissimè asserta fuerit.

2° Eamdem in unâ naturâ trium personarum distinctionem demonstrant luculenter generaliora quædam argumenta. Ac primum quidem ex baptismi ritu desumptum; in eo quippe trium personarum distincta mentio semper facta est, et olim ad eam exprimendam, trina etiam immersio est adhibita. Secundum ex Ecclesiæ judicio. Quotquot enim ab Ecclesiæ incunabulis personas confuderunt aut substantiam diviserunt, ii statim ab ipsâ tanquàm hæretici proscripti et explosi sunt. Tertium sumitur ex eo quòd IV seculo, cùm Arius hanc fidem temerare ausus esset, omnes Ecclesiæ Patres ad traditionem semper provocaverint : v. g., Athanasius, Basilius, et alii quos alibi sigillatim appellabimus.

Objectiones.— *Ex Scripturis.*

Objicies itaque : Christus perspicuè indicat se eâ ratione unum quid esse cum Patre, quâ Christiani unum sunt inter se, Joan. 17, 11 : *Ut sint unum, sicut et nos,* inquit. Atqui Christiani non sunt naturâ quid unum inter se. Ergo, etc.— Distinguo majorem : Eâ ratione, sed non omni, concedo (1); eâdem, omni ex parte, nego. Pater ergo et Filius duplici ratione sunt inter se quid unum, naturâ videlicet et voluntatis consensione. De hoc autem postremo unitatis modo duntaxat loquitur Christus, non de primo, qui in homines non cadit nec cadere potest. Porrò nemini non compertum est comparationes ac similitudines ad vivum non esse resecandas. Sic Matth. 5, 48 : *Estote ergo,* inquit Christus, *vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* An verò quisquam ex eo colligat homines ad divinam usque perfectionem pertingere posse?

Instabis. In Scripturis Deus ubique unus prædicatur. Ergo. — Distinguo antecedens : Unus naturâ, concedo; unus ex omni parte, nego.

Ex Traditione.— Objicies : Si tres in uno Deo personas agnovissent et venerati essent primi Christiani, cùm illi gentilibus deorum multitudinem exprobrarent, haud dubiè probrum in ipsos retorsissent ethnici. Atqui hoc nunquàm factum esse legitur. Ergo. 2° Si istud apud Christianos dogma obtinuisset, non potuissent *athei* vocari. Atqui veteres Christiani passim ut athei à gentilibus traducebantur. Ergo. 3° Hoc ipsum dogma irrisissent philosophi, qui Deum esse unum intelligebant. Atqui nulla ejus rei mentio reperitur. Ergo. — Respondeo 1° mirum non fore, si nihil ejusmodi extaret apud veteres. Quis enim nescit olim apud Christianos in more positum fuisse, ut religionis nostræ mysteria summo studio exteros celarent? quâ de re alibi. Respondeo 2° hæc, contra quàm putant illi, reipsà in historiæ ecclesiasticæ monumentis legi. 1° Enim Celsus, epicureus philosophus, id objecerat inter reliqua Christianis, quòd deorum multitudinem irriderent, et ipsi nihilominùs adorarent Deum et Christum. Origenes verò lib. 8 adversùs ipsum, in eo totus est ut hancce objectionem diluat. Eam porrò diluit, aiens Christum et ipsius Patrem unicum esse Deum, quia una eademque est Dei et Verbi ipsius natura. Sic etiam Praxeas quondàm ex Ecclesiæ catholicæ de Trinitate doctrinâ consequens esse affirmabat ut tres deos haberemus; quod falsissimum esse Tertullianus demonstrat, quia videlicet Trinitas est unius ejusdemque divinitatis. Idem constat ex Lactantio supra à nobis memorato. Ergo. 2° Athenagoras conqueritur de ethnicis, qui atheos vocabant Christianos, à quibus Pater et Filius et Spiritus sanctus pro numine colebantur. 3° Denique ex Luciani Dialogo, qui Philopatris inscribitur, liquet Trinitatis my-

(1) Auctor majorem distinguit, quasi objectio sic posita esset : Christus postulat ut discipuli sui eâdem ratione unum sint inter se, quâ Pater et Filius; atqui homines unum naturâ esse non possunt; ergo nec Pater et Filius naturâ unum sunt. Si ita proponeretur objectio, respondendum esset : Christus postulat ut discipuli sui eâdem ratione unum sint inter se, quâ Pater et Filius, quoad fieri potest, concedo; eâdem prorsùs ratione, nego. Cùm igitur impossibile est ut unum sint naturâ, vult tantùm ut sint unum voluntate, charitate, concordiâ et consensu. Ita ferè S. Athanasius, 4 Serm. contra Arianos, cujus verba apud Billuartum habentur, Diss. proœm. art. 2. At verò si eâ formâ proponatur objectio, quâ hîcin auctore, responderi debet : Distinguo majorem : Eâ ratione, sed non solâ, concedo; eâdem ratione, et quidem solâ, nego. Ratio aperta est. (Ed.)

sterium apud philosophos irrisum fuisse. Ergo, nedùm ex his colligere possint Sociniani novam esse ac recentiorem, quam profitemur, de sanctissimâ Trinitate fidem, ex iisdem contra luce clariùs patet, non aliam primis illis temporibus in Ecclesiâ fuisse, quàm nostris sententiam.

Ex ratione.— Cùm Sociniani hanc regulam constituant, omnia videlicet religionis capita ad rationis amussim esse exigenda, et in dialecticæ tricis versatissimi sint, è duobus istis fontibus innumeras adversùs sanctissimæ Trinitatis mysterium objectiones depromunt; de quo inprimis videri potest Joannes Crellius, non exigui inter eos nominis scriptor, de uno Deo Patre. Ut autem in iis referendis ordinem, quem ipsi non servant, teneamus, proponentur à nobis, 1° quæ generatim ex unius naturæ divinæ et trium simul personarum apparente pugnâ et contradictione repetuntur; 2° quæ speciatim è naturæ divinæ unitate; 3° quæ ex trium personarum distinctione.

Objicies itaque 1° : Illud non est ab homine rationis compote admittendum, quod evidentem in se pugnam et manifestam contradictionem involvit. Atqui tale est mysterium sanctissimæ Trinitatis. Si enim tres sunt personæ à se invicem realiter distinctæ, non distinctæ verò à naturâ divinâ, 1° Deus erit unus simul et non unus seu trinus; 2° res eadem erit simul una, scilicet natura, et plures personæ : 3° res iterùm eadem communicabitur simul et non communicabitur; communicabitur enim quatenùs natura; non communicabitur autem quatenùs persona. Atqui hæc contradictoria sunt. — Nego minorem. Ad probationem distinguo majorem : Deus erit simul unus et trinus, etc., sub diverso respectu, concedo; sub eodem respectu, nego. Contradictio igitur, ut loquuntur scholæ, est de eodem sub eodem respectu; contra autem hìc diversus ac varius respectus occurrit. 1° Enim Deus quidem unus est simul et trinus; sed unus naturâ, trinus personis. 2° Res eadem est una simul natura, et tres personæ; sed una natura, quatenùs absoluta est; tres verò personæ, quatenùs relativa. 3° Communicatur et non communicatur, simili ratione : communicatur enim, quatenùs est absoluta; non communicatur autem, quatenùs est relativa. Ergo ne ulla quidem est pugnæ et contradictionis umbra. Et verò in rebus creatis multa id genus cernuntur : homo enim, v. g., ratiocinatur, quatenùs habet animam intelligentem; non ratiocinatur autem, sed sentit, quatenùs est animal.

Instabis 1° : At natura et persona, seu personalitas ac substantia non distinguuntur. Ergo non potest esse Deus naturâ unus, quin persona pariter unica sit. — Distinguo antecedens : Non distinguuntur realiter, concedo; virtualiter (1), nego. At distinctio virtualis ad id satis est, quia æquivalet reali. Nempe Deus est in omni genere infinitus. Duplex est autem rerum genus, absolutarum videlicet et relativarum. Absolutæ porrò communicari possunt; non autem relativæ, quia oppositionem secum important. Quapropter Deus idem utrumque perfectionis genus includere debet. Non mirum itaque, si per naturam absolutam unus sit, per hypostases autem relativas trinus; si eadem res quatenùs absoluta una sit, quatenùs relativa multiplex; si quatenùs absoluta communicetur, quatenùs autem relativa non communicetur. Imò Deus non esset, si alterutrum ipsi deesset.

Instabis 2° : At mera hæc est petitio principii, quæ ferri non potest. —Nego (2) utram-

(1) In Deo personæ non sunt res aliqua, cujuscumque tandem sit generis, divinæ naturæ, seu substantiæ, ab extrinseco superaddita, et eo sensu dicitur naturam seu substantiam et personam non realiter à se invicem distingui. Verùm notio personæ aliquid aliud includit, quàm quod ipsamet substantiæ notio. Porrò autem illud aliquid est inenarrabilis quidam divinæ substantiæ existendi modus, proindeque ipsi intrinsecus et essentialis. Idipsum est quod intelligunt theologi, ubi personam in Deo, non realiter, sed virtualiter à substantiâ distingui pronuntiant. Unde manifestè apparet virtualem personæ à substantiâ distinctionem, non in solâ cogitatione mentis existere, sed certum in ipsâ divinâ naturâ et substantiâ habere fundamentum. (Ed.)

(2) « Si disserendi magistrum Aristotelem legisset, inquit P. Petavius, l. 3, c. 9, n. 16, aut verò intellexisset Crellius (cujus est hæc objectio), sciret hanc argumentandi labem nunquàm ab eo committi qui respondet, ac thesi patrocinatur, sed ab eo solo qui contra thesim disputat. Nam..... cùm genus vitiosæ illius probationis sit *non probare quod est probandum*, manifestum est in eum solum istam cadere, cujus sunt probandi argumentandique partes, non in alterum, qui quod proposuit explicat ac tuetur. » (Imò verò ipse hoc) « in vitium incurrit non rarò Crellius, et adeò omnibus in argumentis ac syllogismis quibus dogma catholicum ac vetustissimam Ecclesiæ fidem impugnat. Cùm enim iidem illi qui Trinitatis mysterium ex christianâ regulâ præscriptoque defendunt, unà illud asseverent, supra omnem naturæ usum, modum et exemplum esse, quæ de illo tradita sunt, ut, exempli causâ, Filium esse unum Deum cum Patre

que antecedentis partem. 1° Enim non est mera petitio principii : scilicet quòd respondemus, id et ratione modò et supra Scripturæ ac traditionis auctoritate firmavimus. 2° Principii petitio ferri quidem non potest in arguente, sed inepta non est in respondente, cùm is contra principiis suis inhærere debeat. Nimirùm non eadem est Ecclesiæ et hæreticorum conditio : Ecclesia enim possessionis antiquæ jure gaudet; quod à majoribus accepit, illud tenet ac defendit. Satis itaque ei posset esse, quòd exturbari è doctrinâ suâ nequeat; aliorum est probare falsum illud esse quod profitetur. Verùm ad has angustias redacta non est; non solùm enim non evincitur, sed ipsa perduelles revincit.

Objicies 2° : Ubi una natura est, ibi non possunt esse plures personæ; hoc est enim receptissimum apud omnes pronuntiatum : *Quæcumque sunt eadem uni tertio, hæc eadem sunt inter se.* Ergo, si personæ divinæ sunt quid unum et idem cum naturâ, non possunt à se invicem distingui.—Nego antecedens (1).

et Spiritu sancto, hoc est, unam esse numero trium essentiam, personas verò tres esse, totidem distinctas proprietatibus, Crellius, ut illam trinitatis professionem argumentando convellat, nullo alio *medio*, ut vocant, utitur, nisi eorum aliquo quæ in thesi nostrâ et quæstione versantur : ac vel ita colligit : Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus; igitur tres sunt dii. Ineptè prorsùs; hoc enim ipsum habet illa quam contra disputat thesis, ita singillatim unumquemque esse Deum, ut non sint tres dii. Aut ita, Deum hunc, quocum unum sunt tres illi, hoc est, essentiam divinam, trinum esse in personis, proinde singulos esse trinos in personis. Atqui istud ipsum propositum erat à nobis, sic unam quamdam rem esse cum naturâ divinâ personas singulas, ut tamen latiùs pateat natura quàm persona, hoc est, ut singuli Deus sint, non tamen unus sit alter. Aut ita denique concludit : *Quæ sunt eadem cum uno tertio, eadem sunt inter se;* igitur personæ tres eædem sunt inter se, quia sunt idem cum essentiâ. Cùm tamen in eodem, quod evertendum cœpit ille, dogmate, id invenerit, non propterea easdem inter se personas esse, quòd idem sint cum essentiâ, quid est aliud petere quod initio propositum erat, si hoc non est? »

Ad idem porrò scopulum offendunt quotquot dogma catholicum de Trinitate impugnant, ut facilè perspicere est. Quod enim Catholici ex Scripturis et traditione acceptum venerantur, id absque ullâ probatione falsum supponunt adversarii, et contrarium velut principium statuunt, unde suam argumentationem ordiantur. (Ed.)

(1) Circa hujus objectionis solutionem plurima sunt notanda : 1° quidem licet, antecedens absolutè negari possit, ob nimiam suam extensionem et generalitatem, rectiùs tamen dis-

Ad probationem et vulgare axioma distinguo : Sunt eadem inter se in rebus creatis, concedo; etiam in Deo, subdistinguo : Quæcumque sunt eadem uni tertio incommunicabili,

tingueretur, quippe quod sub aliquo saltem respectu verum est. 2° Prima auctoris distinctio futilis videtur; sive enim de divinis, sive agatur de creatis, quæ verè et prorsùs eadem sunt cum tertio, sunt pariter eadem inter se; proindeque si inter se non sint eadem, id venit ex eo quòd non sint prorsùs eadem cum tertio, non verò quòd de divinis quæstio sit. 3° Idem ferè dicendum de subdistinctione proximè sequenti. Theologi quidem ita vulgo distinguunt; at si diligenter attendatur, hujusce distinctionis vitium statim sese prodet. Sive enim tertium sit communicabile, vel, ut alii dicunt, virtualiter multiplex, sive non, certè quæ cum eo sub omni respectu erunt eadem, erunt pariter eadem inter se. 4° Vulgare effatum : *Ex nihilo nihil fit*, sensum aliquem habet quo verum sit, etiam relativè ad Deum : significat enim nihil fieri ex nihilo, tanquàm ex causâ, sive efficiente, sive instrumentali, sive materiali, sive formali, etc.; et eo sensu nunc in scholis accipitur, licet apud paganos, qui creationem ignorabant alio plerùmque sensu usurparetur. His positis, sic objectioni respondendum putamus : Ubi una natura est, ibi non possunt esse plures personæ; distinguo antecedens : in creatis, concedo; in divinis, nego. Enimverò cùm substantiæ creatæ finitæ sint et circumscriptæ, unicâ subsistentiâ et personalitate penitùs veluti exhauriuntur; substantia autem divina, quæ infinita est, tribus subsistentiis et personalitatibus constituendis sufficiens prorsùs est.

Ad probationem et vulgare axioma, item distinguo : Quæ sunt eadem uni tertio sub omni respectu, sunt pariter eadem inter se; concedo; quæ sunt sub aliquo duntaxat respectu eadem uni tertio, sunt eadem inter se, subdistinguo : Sunt eadem sub eo respectu quo identificantur cum tertio, concedo; sub omni respectu et simpliciter, nego. Porrò personæ divinæ non omninò et sub omni respectu cum naturâ seu substantiâ divinâ eædem sunt, ut jam notavimus; identificantur quidem quoad ipsam substantiam formaliter sumptam, et ideò sunt consubstantiales; non autem omninò identificantur sub ratione personalitatum; adeòque tres sunt numero.

At, instat Crellius, unius et ejusdem rei plures esse non possunt formæ ejusdem rationis : ergo ubi una natura est, ibi non possunt plures esse personæ, nec in Deo quidem. — Respondeo : Distinguo antecedens : « Unius et ejusdem rei plures non possunt esse formæ adæquatæ et ejusdem omninò rationis, seu muneris et officii, concedo; formæ inadæquatæ, nec ejusdem omninò rationis, seu muneris et officii, nego. Fatemur itaque unius et ejusdem rei plures esse non posse formas adæquatas et ejusdem planè rationis, muneris et officii, quarum una nihil omninò faciat quàm quod altera; v. g., unius et ejusdem rei plures existentiæ omninò inutiles forent; item admitti non possunt unius hominis plures rationalitates, unius quantitatis plures longitu-

concedo; communicabili, iterùm subdistinguo : Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, penès illud tertium, concedo; ex omni parte, nego.

Respondeo itaque 1°, philosophica ejusmodi effata de rebus creatis intelligi oportere, non de Deo, qui alterius est ordinis. Sic an non vulgatum etiam est apud philosophos istud : *E nihilo nihil fit?* et tamen quis Christianus dubitat hunc mundum è nihilo fuisse à Deo conditum? Ergo pariter aliud axioma ad Deum non potest transferri. Respondeo 2°, si transferatur ad Deum, ita esse explicandum : Quæcumque sunt eadem uni tertio incommunicabili, sunt eadem inter se; non verò quæ sunt eadem uni tertio communicabili. Namque si tertium illud, in quo eadem sunt, communicabile sit, non erunt idcircò illa eadem inter se. Ita Petrus et Paulus sunt quid idem in humanâ naturâ, sed quia natura humana communicabilis est multis, inde non sequitur Petrum et Paulum inter se non distingui. Porrò, sicut natura humana communicabilis est, quia est universalis; ita natura divina communicabilis est, etsi quadamtenùs singularis, quia infinita est. Eo autem ipso quo communicatur, eo, inquam, ipso postulat distinctionem. Distinctio enim esse debet inter eum qui producendo illam communicat, et illum cui per productionem illa communicatur; aliàs idem se ipsum produceret. Respondeo 3°, quæ sunt eadem uni tertio, etiam communicabili, esse eadem inter se penès illud tertium, non verò penès aliud in quo eadem non sunt. Proinde Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt quid unum et idem penès naturam in quâ conveniunt, non verò sunt eadem penès hypostasim, quâ parte opponuntur et inter se differunt; sic Petrus et Paulus, qui in humanâ naturâ conveniunt, sunt idem specie homo, et nihilominùs penès differentiam numericam discrepant.

dines unius parietis plures albedines, nisi fortè secundùm partes diversas. At non ita est de divinis subsistentiis, seu personalitatibus; non una et eadem omninò est illarum ratio, non idem officium. Licet enim conveniant tres illæ subsistentiæ in ratione communi ac quasi genericâ subsistentiæ, differunt tamen ab invicem, ac diversum est uniuscujusque officium. Subsistentia, v. g., Patris, Patrem constituit ac distinguit à Filio; et vice versâ, subsistentia Filii constituit Filium in ratione Filii, eumque à Patre distinguit. Quo posito, ruit penitùs miserum illud Crellii sophisma. » Hæc Turnelius, quæst. 4, art. 1, unde postrema hæc instantia extracta est. (Ed.)

Instabis 1° : Si una sit in Deo natura, non possunt admitti tres personæ, quarum unaquæque sit Deus, quin legitima sit hæc ratiocinatio : Pater est Deus; Filius est Deus; ergo Pater est Filius, et vicissim. Proinde ex eo quòd sit una natura, consequens est non posse admitti tres personas, quin simul evertantur.

Nego majorem. Quamvis enim unaquæque persona sit Deus, inde non sequitur legitimum esse supradictum ratiocinium. Vitiosum enim est, utpote cujus medius terminus bis particulariter sumitur. Nullus enim est vel tiro, qui ignoret medium terminum, ut vocatur, debere distribui, hoc est, juxta omnem amplitudinem suam accipi; alioqui licet tres videantur esse duntaxat termini, quatuor tamen reipsà sunt : v. g., in hoc syllogismo : Petrus est homo; Paulus est homo; ergo Petrus est Paulus; legitima non est consecutio, quia videlicet homo in duabus primis propositionibus non sumitur adæquatè et secundùm omnem suam extensionem. Petrus enim non est omnis homo, sed homo quidam ac singularis. Pari ratione cùm dicitur de divinis personis : Pater est Deus; Filius est Deus; vox illa *Deus* non adæquatè et juxta suam omnem extensionem usurpatur. Pater enim non est omnis persona, quæ sit Deus, sed peculiaris quædam et distincta. *Deus* ergo illic supponit, ut loquuntur dialectici, pro unâ singulari personâ, et ad ipsam restringitur. Quocirca syllogismi id genus expositorii non valent, ubi medius terminus est aliquid commune pluribus, quod ita uni competat ut alterum non excludat.

Instabis 2° : Ipsa Dei notio includit duo; ac primum quidem quòd unus sit, alterum verò quòd per sese subsistat. Ergo unica subsistentia seu personalitas in eo est. — Distinguo antecedens : Alterum quod subsistat unâ vel multiplici subsistentiâ, concedo; unicâ, nego. Quapropter, qui concipit Deum, eum quidem concipit ut subsistentem, sed generatim tantùm et confusè. An verò una sit, an contra multiplex subsistentia, distinctè non capit; id autem ex fide discimus

Instabis 3° : Nomen *Dei* personam sonat; est enim nomen concretum, ut loqui amant logici, quod non tantùm formam, sed etiam subjectum significat. Proinde *Deus* est idem quod *habens divinitatem*. Atqui Deus est unus. Ergo una quoque in Deo persona est. — Distinguo majorem : Nomen *Dei* personam sonat confusè, concedo; clarè et enucleatè, nego.

Nomina enim concreta ac substantiva distinctiùs exprimunt formam quàm subjectum, licet utrumque simul complectantur; inde est quòd plurali numero non efferantur, nisi forma ipsa multiplicetur, licet fortè multiplicentur subjecta. Sic dicitur unus Deus, quia una divina natura est; quamvis aliunde tres sint, qui divinâ illâ naturâ prædîti esse credantur.

Instabis 4° : Hæc est naturæ divinæ maximè propria dos, quòd sit singularis. Ergo pluribus personis communis esse non potest. — Distinguo antecedens : Quod sit singularis, id est, una, non multiplex, concedo : id est, non communicabilis, nego.

Objicies 3° : Non possunt admitti tres personæ, quarum unaquæque sit Deus, quin simul admittantur tres dii. Atqui non solùm Scriptura, sed etiam ratio ipsa docet plures deos non esse. Ergo, etc. — Distinguo majorem : Quin admittantur tres dii, si in his personis sit divisa et multiplex deitas, concedo; si una et prorsùs indivisa, nego. Ita ubi tres sunt personæ, quarum unaquæque est homo, ibi tres homines sunt, quia in tribus non una eademque numero est humanitas. At in Deo tres personæ unam eamdemque naturam habent. Ergo non debent dici tres dii. Cujus rei ratio est, quam modò diximus : nomina enim substantiva et concreta, non pro subjectorum, sed pro formarum numero duntaxat pluraliter efferuntur. Quanquàm quid dialecticæ spinis adhærescimus, dùm aperta suppetit auctoritas Scripturarum, quæ Deum ubique unum prædicant, et tres tamen enumerant personas, quarum unaquæque est Deus? Hoc cuilibet Christiano sufficiat. Ut enim ait Tertullianus de Præscript. hæret. cap. 8 : « Nobis curiositate opus non est post Jesum Christum, « nec inquisitione post Evangelium. » Hinc cùm Praxeas olim hoc ipsum Catholicis objiceret, Tertullianus idem, cap. 18 adversùs ipsum : « Non periclitatur Scriptura, inquit, ut illi de « tuâ argumentatione succurras, ne sibi contraria videatur. Habet rationem, et cùm « unicum Deum statuit, et cùm duos Patrem « et Filium ostendit; et sufficit sibi. »

Instabis 1° : Formæ pro numero subjectorum multiplicantur; sic tot sunt humanæ naturæ, quot sunt ejus subjecta. Ergo non potest esse triplex persona divina, quin triplex sit divinitas. — Distinguo antecedens (1) : Multiplicantur in rebus creatis, concedo; in Deo, nego. Discriminis causa est, quòd in rebus creatis formæ finitæ sint, atque adeò multiplicari queant. At in Deo natura infinita est. Proinde una in omnibus personis esse debet.

Instabis 2° : Persona, juxta Boetium et omnes philosophos ac theologos, nihil aliud est quàm naturæ rationalis individua substantia. Ergo, ubi tres sunt personæ, ibi tres substantias individuas esse oportet. Proinde triplex est in Deo substantia, si in eo triplex sit persona. — Distinguo antec. : Individua substantia, id est, subsistentia individualis aut individuum subsistens, conc.; id est, substantia, ut vulgò accipitur, subdist., in rebus creatis, concedo; generatim et in divinis, nego. Isthæc itaque personæ definitio, vel est personæ in abstracto seu personalitatis, vel in concreto, id est, subjecti habentis personalitatem; si primum, *substantia* latinè idem est quod græcè *hypostasis* seu *subsistentia;* si secundum, *individua substantia* idem est quod *individuum subsistens.* Non potest verò substantia vulgari notione accipi. Cùm enim

(1) Non ad vivum planè auctoris responsio resecare videtur. Alia itaque difficultatis solutio præbenda est; quæ ut faciliùs intelligatur, notare juvat nomine *formæ* hìc significari id quod subjectum aliquod constituit, sive ipsius rationem constitutivam. Ratio autem constitutiva est remota vel proxima; remota quidem, si remotè duntaxat concurrit ad subjecti constitutionem; proxima verò, si ultimò illud perficit et terminat. His præhabitis, distinguo antecedens : Formæ proximæ, quæ etiam directæ, immediatæ et ultimæ nuncupari possunt, pro numero subjectorum multiplicantur, concedo; formæ etiam remotæ, seu indirectæ et mediatæ, subdistinguo : In rebus creatis, esto; in Deo, nego. Certum quidem est formas ultimas et immediatas pro numero subjectorum multiplicari; hujusmodi enim formis subjecta non constituuntur et perficiuntur modò, sed etiam à se invicem distinguuntur; unde natum est istud effatum : *Principium constitutivum est etiam distinctivum*; porrò à se invicem distingui non possent, si eædem ipsis inessent formæ. Damus etiam in creatis rebus formas vel remotas et mediatas pro numero subjectorum multiplicari, nam cùm tam angusti sint rerum creatarum limites, tanta inopia, nil mirum si res una et eadem constituendis etiam remotè pluribus subjectis sit impar; at ubi de inexhausto Entis fonte quæstio est, quid repugnantiæ in eo deprehendi potest, quòd natura infinita tribus simul subjectis communicetur? Jam verò immediata et ultima forma personæ in Deo est personalitas, ipsa autem divinitas est tantùm forma remota et mediata; ergo licet tres sint personæ, non sequitur triplicem esse debere divinitatem. E contra est in allato naturæ humanæ exemplo; cùm enim humana natura proxima sit et immediatè hominis forma, pro hominum numero necesse est ut multiplicetur. (Ed.)

substantia et natura sint quid unum et idem, res eadem bis in ejusmodi definitione reperiretur. Porrò triplex est in Deo subsistentia, tres sunt subsistentes, licet non sint tres substantiæ. Equidem in rebus creatis, ubicumque est triplex subsistentia, ibi triplex quoque substantia, seu natura est. At divina humanis non sunt metienda.

Instabis 3° : At *personæ* nomen substantiam saltem sonat. Ergo, cùm nomina substantiva plurali numero non efferantur, quin formæ ipsæ multiplicentur, si tres sint personæ, tres pariter substantiæ agnoscendæ sunt. — Distinguo antecedens : Nomen *personæ* substantiam sonat ex obliquo, concedo ; rectà, nego. Itaque nomen *personæ* propriè ac per se pro formâ habet personalitatem ; est enim *persona* idem quod *habens personalitatem ;* quia verò personalitas est ultimum naturæ rationalis complementum, ex obliquo naturam ac substantiam significat. Ergo, cùm nomina substantiva plurali numero efferuntur, eæ duntaxat formæ multiplicantur, quæ nominibus illis propriè et directè efferuntur; adeòque tres sunt personalitates, non verò tres substantiæ.

Instabis 4° : Si, quia Pater est persona divina, et Filius persona divina, itemque Spiritus sanctus, inde sequitur tres personas esse, pari jure consequens erit tres esse deos, cùm eorum unusquisque sit Deus. — Nego consequentiam et paritatem. Cujus quidem responsionis ratio est, quòd in Patre, et Filio, et Spiritu sancto personalitas multiplex sit, non verò multiplex divinitas. Ut enim modò notabamus, nomina ejusmodi plurali numero non efferuntur, nisi cùm formæ ipsæ multiplicantur.

Instabis 5° : Si tres sunt personæ quarum unaquæque est Deus, quælibet persona poterit dici trina ex personis ; nam Deus est trinus in personis. — Nego sequelam. Ad probationem distinguo : Trinus est in personis Deus, quatenùs confusè concipitur et sumitur adæquatè, seu quatenùs tres personas complectitur, concedo ; quatenùs pro peculiari personâ sumitur, nego. Vitiosum rursùs est argumentum, quia mutatur suppositio et significatio vocis *Dei*.

Instabis 6° : Si natura divina ex tribus personis constet, Deus erit velut aggregatum quoddam per accidens. Deus enim ex entibus perfectis constabit. Atqui id absurdum est. — Nego sequelam majoris. Aggregatum enim per accidens vocatur illud quod ex entibus perfectis nullam naturâ suâ necessitudinem ac connexionem habentibus coalescit. At talis non est Deus; singulæ enim personæ naturâ suâ sibi intimè conjunctæ sunt.

Instabis 7° : Si tres sunt personæ in Deo, eæ profectò infinitæ sunt ; nihil enim est in Deo, quod non sit infinitum. Atqui non potest esse multiplex persona infinita. Namque, ubi agitur de Dei unitate, theologi ex eo probant non posse esse multiplicem Deum, quòd nempe Deus sit infinitus. Porrò, si multi essent, quilibet non posset esse infinitus. Vel enim quilibet haberet aliquam perfectionem sibi propriam, vel non ; si haberet, alii non essent infiniti, utpote quibus deesset illa perfectio ; si non haberet, ab aliis non distingueretur. Unde eliciunt theologi deorum multitudinem planè impossibilem esse. At si ex infinitate Dei consequens est non posse esse plures deos, ex infinitate personæ divinæ eodem jure sequetur non posse esse plures in Deo personas. Ergo non potest esse multiplex persona. — Nego minorem (1). Ad probationem, nego paritatem. Namque ex infinitate Dei consequens est non posse esse plures deos, quia nempe unus non includeret alterius perfectionem. At ex infinitate personæ non sequitur non posse plures esse personas, quia licet inter se distinguantur, nulla tamen perfectio est in unâ personâ, quam altera non contineat. Fons autem discriminis istius est, quòd inter plures deos nihil esset reipsà commune, in quo identificarentur ; imò à sese invicem forent secreti ac sejuncti, ut plures homines. Equidem in aliquâ naturâ communi per mentem seu in specie convenirent ; sed unitas speciei et ratio communis, quæ est per mentem, non tollit rerum ipsarum omnimodam et absolutam distinctionem. Unus ergo reverà Deus alterius perfectionem non includeret.

(1) Simpliciùs et accuratiùs forsitan responderetur : Distinguo majorem : Si tres sunt personæ in Deo, eæ profectò infinitæ sunt, eâdem scilicet infinitate, tribus simul communi, concedo ; infinitate diversâ atque distinctâ, nego. Non enim tria sunt infinita distincta, sed unicum est absolutum infinitum, tribus personis commune, nempe natura divina. Distinguo pariter minorem : Non potest esse multiplex persona infinita, distinctâ nimirùm infinitate, concedo ; eâdem communi infinitate, nego. At verò longè aliter dicendum est de multiplici Deo. Cùm enim, ex dictis, nomina substantiva et concreta distinctiùs exprimant formam quàm subjectum, cùmque forma Dei sit divinitas, Deus multiplicari nequit, quin ipsa divinitas, atque adeò infinitum absolutum, simul multiplicetur. (Ed.)

At non ita est de personis divinis; singulæ enim sunt quid idem cum essentiâ divinâ, quæ vicissim est quid idem cum singulis personis; atque adeò nulla perfectio est in singulis personis, quæ eadem non insit naturæ; at naturam eamdem singuli habent, ac per consequens unaquæque persona omnem habet, etiam aliarum personarum, perfectionem. Id fit, ut postea declarabimus, per admirabilem et reciprocam divinarum personarum in se invicem inexistentiam et circuminsessionem. Pater enim est in Filio, et Filius in Patre, et Spiritus sanctus in utroque, et uterque in Spiritu sancto; quod alibi ex professo adstruemus.

Instabis 8°: Quælibet persona divina propriam sibi habet perfectionem aliquam relativam, quâ constituitur et ab aliis distinguitur; v. g., Pater paternitatem, etc. Atqui hancce perfectionem non continet altera, v. g. secunda; aliàs Filius esset Pater, necà Patre distingueretur. Ergo, ut unus Deus alterius perfectionem non includeret, sic una persona alterius perfectionem non includit. — Distinguo minorem: Hanc Patris relativam perfectionem non continet Filius formaliter, quatenùs relativa est, concedo; identicè, id est, quatenùs cum essentiâ divinâ identificatur, nego. Hæ ergo perfectiones relativæ identificantur cum naturâ divinâ. Itaque cùm tota natura divina singulis personis insit, non potest fieri quin omnes istæ perfectiones hâc ratione ipsis simul insint.

Instabis 9°: At præstat habere hanc perfectionem formaliter, quàm identicè. Ergo formaliter habere eam, est aliqua perfectio quâ caret altera persona. — Nego majorem. Utrumque enim paris est perfectionis. Neque verò necesse est, ut qui Deus est, is quolibet modo omnes habeat perfectiones. Satis est si eas habeat ut haberi postulant. Duplex est perfectionum genus, quod, ubi de Deo ejusque proprietatibus, fusiùs tractatum est; aliæ enim sunt simpliciter simplices, quæ meliores sunt ipsæ quàm non ipsæ, nec æqualem ab eodem subjecto perfectionem excludunt; aliæ secundùm quid duntaxat simplices, quæ nimirùm aut imperfectionem includunt, aut æquali perfectioni opponuntur. Priores habet Deus formaliter; posteriores autem satis est si habeat identicè, virtualiter, aut eminenter. Neque enim aliud ipsæ naturâ suâ poscunt aut patiuntur. Jam verò perfectiones relativæ postremo hoc genere continentur.

Instabis 10°: At si Filius habet paternitatem, dici poterit Pater. Sed hoc ferri non potest. Ergo. — Distinguo majorem: Si habeat formaliter, concedo; identicè, nego. Pater ergo est, non qui per identificationem cum naturâ divinâ paternitatem habet, sed qui illam habet formaliter, quatenùs relativa est. Talis autem est sola prima persona. Neque enim secunda potest illam habere hoc modo, cùm filiationem habeat illi contra oppositam; ad infinitatem igitur personæ satis est et requiritur, ut unaquæque habeat aliarum perfectiones identicè; non autem ut habeat formaliter. Quin ea est relationum sibi invicem oppositarum natura, ut sese mutuò ab iisdem subjectis eâ ratione excludant.

Quaestio quarta.

De sanctissimæ Trinitatis consubstantialitate.

Quandoquidem probatum est tres esse personas, Patrem, Filium et Spiritum sanctum, consequens est ut hîc indagemus, an illæ eamdem naturam divinam habeant, et unaquæque verè sit Deus.

ARTICULUS I.

An Pater æternus per sese sit Deus.

Fuerunt olim quidam hæretici, ut alibi observavimus, quæst. 2, art. 2, sect. 1, n. 4, qui divinitatem spectaverunt ut totum quoddam ex variis et distinctis partibus constans, quarum una esset Pater, alia Filius, alia Spiritus sanctus. Proinde juxta illos Pater ex sese non erat Deus, ut nec Filius, nec Spiritus sanctus, sed ex his tribus Deus coalescebat. Idem ferè sensit abbas Joachim, qui aiebat Deum exurgere ex trium personarum collectione, ut populus ex plurium civium multitudine conflatur.

Assertio. — Pater est per se Deus.

Probatur 1° ex Scripturis. Psalmo 88, 27, Deus Pater de Christo olim futuro loquens, *Ipse*, inquit, *invocabit me; Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ.* Joan. 1, 1: *Et Verbum*, inquit Evangelista, *erat apud Deum* (Patrem). Ibid. cap. 17, 3: *Hæc est vita æterna*, inquit Christus, *ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Ibid. cap. 20, 17: *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* 1 Corint. 8, 6: *Nobis*, in-

quit Paulus, *unus Deus, Pater, ex quo omnia et nos in illum, et unus Dominus Jesus Christus*, etc. 2 Cor. 5, 2: *Gratia vobis et pax*, inquit, *à Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.*

Probatur 2° ex concilio Lateranensi sub Innocentio III can. 2. Ibi enim postquàm exposita est abbatis Joachimi mens ac sententia, qualem eam descripsimus, eaque damnata : « Nos, inquit summus pontifex, sacro approbante concilio, credimus et confitemur..... « quòd una quædam summa res est (nempe « divinitas), quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, tres simul personæ, ac sigillatim quælibet earumdem, et « ideò solummodò Trinitas est, non quaternitas, quia quælibet trium personarum est illa « res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina. »

Probatur 3° ratione. Necesse enim est ut quælibet persona sanctissimæ Trinitatis naturam habeat infinitam, vel finitam. At non potest dici habere finitam. Si enim quælibet persona sanctissimæ Trinitatis finita esset, ex tribus simul junctis nunquàm coalesceret Deus; fieri enim non potest ut è tribus finitis efflorescat infinitum. Itaque superest ut quælibet habeat infinitam. Atqui si habeat infinitam, eo ipso est Deus. Ergo.

Objicies : Si tres sint in Deo personæ et una natura, quaternitas erit, non Trinitas. Atqui non est quaternitas in Deo. Ergo. Distinguo majorem : Et una natura ab his personis distincta, concedo; non distincta, nego. Porrò, ut synodus Lateranensis pronuntiat, natura illa est simul Pater, Filius et Spiritus sanctus, et sigillatim unusquisque; atque adeò inde ab iis non distinguitur.

Instabis : At debet illa distingui; principium enim est ipsius paternitatis. Atqui principium distinguitur ab eo cujus principium est. Ergo. Distinguo majorem : Est principium virtuale paternitatis, quæ ab ipsâ, ut à radice proprietas, fluit, concedo; principium reale, à quo paternitas producatur, nego. Duplex est principium : aliud est virtuale et emanationis; aliud reale et productionis. Principium quidem reale et productionis distinguitur ab eo quod ab ipso procedit, ut Pater à Filio. At principium virtuale et emanationis non distinguitur ab eo quod ab ipso fluit. Nôrunt enim ipsi philosophi proprietates quæ ab essentiâ fluere cogitantur, ab ipsâ non idcircò realiter distingui; talis est paternitas in Deo; est enim attributum Dei relativum, quod à naturâ divinâ fluit, perinde ac attributa absoluta, quæ certè à naturâ realiter non distinguuntur.

ARTICULUS II.

An Filius sit verè Deus, et Patri consubstantialis.

Jam olim monuimus præcipuam hanc fore operis nostri partem. Cùm enim Christi divinitas religionis christianæ veluti cardo sit, in quo tota vertitur, atque id intelligens diabolus ab ipso christiani nominis principio innumeros hæreticos effuderit ex orco ad impugnandam hanc salutis nostræ arcem; nos certè totis contra viribus eniti decet, ut non solùm istam animæ anchoram firmam ac tutam retineamus, sed etiam omnes inimicorum Christi impressiones frangamus. Quod ut, quàm diligentissimè simul et brevissimè fieri potest, exequamur, observandum est,

1° Quamvis de Verbi et Christi divinitate diversa quæstio institui queat, nos de utroque simul capite acturos esse, propterea quòd una eademque Verbi et Christi persona sit.

2° Distingui posse tres hæreticorum qui Christi divinitatem evertere studuerint, ordines. 1° Eorum, qui ipsum nullatenùs ante Mariam virginem extitisse docuerunt, quales fuêre Cerinthiani, Ebionitæ, Paulianistæ, Photiniani, hodièque sunt omnium perditissimi ac perniciosissimi Sociniani. 2° Arianorum, qui etsi pariter Christum esse Deum negarent, ipsum tamen Dei Verbum esse fatebantur, per quod omnia facta sunt. Contendebant enim Deum, cùm rerum universitatem condere vellet, priùs Verbum creâsse, à quo deinceps cætera crearentur. 3° Semi-Arianorum, quorumdam saltem, qui in subruendâ Christi divinitate utrisque consentientes, Christum nihilominùs ut Dei Verbum ab omni æternitate extitisse sentiebant.

3° Triplex esse præsertim Socinianorum impietatis caput. 1° Enim, ut jamjam dicemus, inficiantur Christum ullatenùs fuisse antequàm de beatâ Mariâ virgine oriretur. 2° Quod ex priori dogmate consequens est, negant ipsum Patri æterno consubstantialem, naturâque divinâ præditum esse. 3° Contendunt tamen *Deum* appellari posse, quòd ipsi Pater æternus summam in omnes creaturas auctoritatem ac potestatem concesserit; proinde supremo honore ac cultu eumdem non modò affici posse, sed etiam oportere. In his autem non modò Scripturas sibi favere, sed etiam priorum seculorum Patres ante sy-

nodum Nicænum sibi patrocinari gloriantur.

4° Arminianos è Calviniano grege esse, qui Christi quidem divinitatem agnoscant; sed hunc tamen fidei articulum inter eos qui saluti necessarii sint, non reponant.

Quocirca ut accuratam de tanti momenti controversiâ disputationem instituamus, et rerum ordinem simul teneamus, hunc articulum in quinque sectiones partiemur. In I adversùs Socinianos ex Scripturis demonstrabimus Christum ante Mariam virginem extitisse. In II adversùs Arianos ipsius æternitatem ex iisdem fontibus adstruemus. In III adversùs utrosque, et speciatim contra Semi-Arianos, ostendemus ex eorumdem sacrorum codicum auctoritate, ipsum esse verè Deum et æterno Patri consubstantialem. In IV probabimus hanc fuisse omnium ab incunabulis christianæ religionis Patrum doctrinam. In V contra Arminianos evincemus hunc articulum è præcipuis christianæ religionis et saluti omninò necessariis esse.

Sectio I.

An Christus ante Beatam Mariam virginem extiterit.

Duplex est in Christo natura, divina scilicet et humana. Certum est autem Christum penès naturam humanam ante Beatam Mariam virginem non fuisse : sed quæritur an non penès alteram longè potiorem extiterit, antequàm ex ipsâ nasceretur.

Assertio. — Christus penès aliquam suî partem et naturam potiorem extitit antequàm ex Mariâ virgine oriretur.

Probatur variis Scripturæ testimoniis, quæ perspicuitatis gratiâ in duas classes distribuemus. 1° Itaque ea afferemus, quæ evincunt quidem Christum ante Mariam virginem extitisse, sed nullum temporis articulum fixum habent. 2° Alia attexemus quæ certam temporis notam præ se ferunt, quo longè ante Mariam extitisse monstratur.

§ 1. *Argumenta primi generis, quæ indefinitè probant ante Beatam Mariam virginem extitisse Christum.*

Ex omnibus quæ Scriptura ad id probandum sufficit, argumentis, duo tantùm seligemus brevitatis causâ: primum ex Christi è cœlo in terram descensu incarnationis ergo; alterum ex ejusdem incarnationis descriptione depromptum.

Argumentum primum, ex Christi descensu in terram incarnationis causâ. — Pluribus in locis Christus dicitur è cœlo in terram descendisse, ut humanum genus repararet. Joan. 3, 13 : *Nemo*, inquit ipse Christus, *ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Ibid. vers. 30, Joannes Baptista se Christo longè inferiorem agnoscens : *Illum*, inquit; *oportet crescere, me autem minui. Qui desursùm venit* (Christus), *super omnes est, qui est de terrâ* (ut ipse Joannes), *de terrâ est, et de terrâ loquitur; qui de cœlo venit, super omnes est.* Ibid. cap. 6, 32, de se Christus : *Non Moyses*, inquit, *dedit vobis panem* (1) *de cœlo* (manna), *sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum; panis enim Dei est, qui de cœlo descendit.* Ibid. vers. 38 : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Ibid. vers. 51 : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.* Ibid. vers. 63 : *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat priùs.* Ibid. cap. 8, 42 : *Ego ex Deo processi, et veni in mundum, neque enim à me ipso veni, sed ille me misit.* Ibid. cap. 16, 28 : *Exivi à Patre, et veni in mundum, iterùm relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Ibid. cap. 17, 18 : *Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum.* 1 Cor. 15, 47 : *Primus homo de terrâ terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis* (2). Ephes. 4, 8 : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem..... Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes cœlos.* 1 Joan. 4, 2 : *In hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* 2 Joan. vers. 7 : *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem*, etc.

Hìc non tantùm innuitur, sed etiam conceptis verbis dicitur Christus in cœlo priùs fuisse, et è cœlo, ubi erat priùs, descendisse. Unde sic arguimus : Christus in terrâ fuit, simul atque in utero beatæ Virginis conceptus est. Atqui priùs in cœlo fuerat, et è cœlo in terram descendit. Ergo Christus existebat penès aliquam suî partem, antequàm è Mariâ virgine carnem acciperet. Idem dic de ejus missione et adventu in mundum :

(1) « Id est, panis quem dedit vobis Moyses, seu manna, non erat propriè de cœlo, sed dicitur panis cœli, quia in aere factus est, sumpto cœlo pro aere, ut cùm dicimus, *volucres cœli.* » Ita Menochius. Manna igitur erat duntaxat figura veri panis cœlestis. (Ed.)

(2) Is non videtur esse germanus Apostoli sensus : probabilius est hìc agi de Christi ad inferos post mortem descensu. (Ed.)

prius enim est esse, quàm mitti aut venire. Missus est autem in mundum, et venit in carnem. Ergo existebat, antequàm in mundo et in carne esset. Existebat autem in cœlo. Nam dicitur exiisse à Patre seu paternâ domo, quæ cœlum est, et eò redire per ascensionem unde venerat. At per ascensionem, in cœlum et Patris æterni sedem ivit. Ergo priùs apud Patrem in cœlo fuerat.

Ad hæc argumenta, quæ videntur omni exceptione majora, Sociniani tria reponunt : 1° Enim aiunt Christum quidem priùs in cœlo fuisse, quàm eò redivivus ascenderet, sed in cœlo fuisse mente et cogitatione. Ita Socinus ad cap. 6 Joannis : « Esse in cœlo, inquit, est « res cœlestes probè tenere, sive eas tanquàm « præsentes intueri : quæ omnia Filio homi- « nis.... citra ullam naturam seu essentiam « divinam optimè convenire possunt, ut certè « conveniunt. » Vult itaque Christum dici « fuisse in cœlo, antequàm post resurrectio- « nem eò ascenderet, quia jam ante illud « tempus in cœlo, non solùm mente et cogi- « tatione perpetuò versabatur, verùm etiam « omnia cœlestia, id est, arcana quæque divi- « nissima, et ipsa omnia quæ in cœlo sunt et « fiunt, adeò cognita et perspecta habebat, ut « ea tanquàm præsentia intueretur, et ita, « quamvis in terris degens, in ipso tamen cœlo « commorari dici posset. » Sic quippe loquitur in responsione ad parænesim Andreæ Volani.

2° « Christum è cœlo venisse prædicatur, « quòd nempe homo planè cœlestis ac divinus « fuerit, singulari originis ratione, sanctitate « ac munere. » Ita auctores Catecheseos Polonicæ sect. 4, cap. 1, et ante eos idem Socinus in eâdem responsione ad Volanum.

3° Denique fingunt Christum, antequàm munus suum obiret, et Evangelium prædicare inciperet, in cœlos à Deo reipsà fuisse evectum, ut uberrimâ rerum cœlestium cognitione imbueretur (quod Apostolo Paulo postea quoque contigit), et postquàm ibi aliquandiù commoratus esset, è cœlo descendisse, ut hanc rerum divinarum notitiam cum hominibus communicaret; atque adeò nihil obesse quominùs propriè dicatur Christus in cœlo fuisse jam ante mortem suam, et è cœlo descendisse. Ita Socinus et auctores catecheseos supra, Volkelius et alii passim.

Sed hæc tria commenta, quæ mutuâ inter et pugnâ jam corruunt, facilè refelluntur. Ac primum quidem (quòd nempe cùm Christus toties inculcat se in cœlo priùs fuisse, quàm in terram descenderet aut post resurrectionem eò rediret, his præsertim verbis : *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat priùs*, id sit de metaphoricâ, non de reali in cœlo existentiâ intelligendum), hoc, inquam, primum facilè confutatur, idque multifariàm. 1° Enim negari non potest hanc esse nativam ac propriam hujus verbi, *erat*, significationem, ut nimirùm non metaphoricam, sed realem ac permanentem existentiam sonet; neque ullus est ab affectu privato, aut præconceptis opinionibus liber, qui Scripturas illic statim ac suâ sponte non ita interpretetur. Quod cùm ita sit, manifestam vim inferunt Sociniani, cùm eas in metaphoricos sensus detorquent. Hoc autem si semel licet, quid erit deinceps in Scripturis tam apertum quod non simili modo eludi possit? 2° Non tantùm hæc est verbi istius, *erat*, nativa significatio, sed etiam in eo genere sola. Nullus enim è Scripturis afferri potest locus, in quo persona quædam alicubi esse aut fuisse dicatur, quam de reali existentiâ accipi non oporteat. 3° Observandum est Christum præterito tempore usum esse et dixisse, *ubi erat priùs*, non verò præsens tempus usurpâsse, nec dixisse, *ubi est jam*. Hoc autem metaphoricam illam, quam Sociniani somniant, in cœlo existentiam excludit. Si enim Christus ideò solùm dixit se in cœlo fuisse, quòd ibi mente et cogitatione versaretur, dicere sanè debuit, *ascendentem ubi jam est*, quandoquidem hâc ratione cœlo semper adesset, et ibi eo, quo loquebatur, temporis puncto sic versaretur. Cur ergo dixit, *ubi erat priùs?* Eâ enim loquendi ratione aliquid præteritum arguit, quod jam ampliùs eodem modo non esset. 4° Cùm in terrâ positus Christus sic loquebatur, triplicem omninò statum designabat : primum in cœlo, cùm antea apud Patrem esset, necdùm in terram descendisset; secundum præsentem, cùm in terris degebat; tertium futurum, cùm ad Patrem in cœlum rediisset. Primum opponit secundo, et cum tertio confert. Hæc autem in nostrâ sententiâ optimè cohærent. Christus enim, antequàm in terram veniret, apud Patrem reipsà in cœlo fuerat, oculis hominum non patens; deinde verò carne assumptâ, se iisdem videndum præbuit; denique post resurrectionem se iterùm è conspectu hominum subduxit, dùm in cœlum ad Patrem ascendit. At in doctrinâ Socinianorum, nulla ejusmodi statuum diversitas apparet. 5° Ut jamjam nota-

bamus, Christus primum statum opponit secundo; vox enim illa, *priùs*, aliquod discrimen notat ejus temporis, quo apud Patrem in cœlo fuerat, et illius, quo jam apud homines in terrâ degebat. At ejusmodi oppositio et distinctio locum non habet in opinione Socinianorum. 6° Indicat Christus se priùs in cœlo fuisse, ut post ascensionem suam ibi iterùm futurus erat; est enim manifesta utriusque temporis comparatio. At Christus post ascensionem in cœlo futurus erat reali et propriè dictâ existentiâ. Ergo et priùs ibi fuerat. 7° Verba illa, *ascendentem ubi erat priùs*, priorem aliquem è cœlo descensum postulant. At nunquàm è cœlo descendit Christus mente et cogitatione. Ergo hæc non de metaphoricâ, sed de reali existentiâ interpretanda sunt. Etverò liquet contortam hanc Evangelii expositionem in subsidium desperatæ causæ unicè excogitatam fuisse.

Secundum huic non absimile de metaphorico Christi è cœlis descensu (quasi nimirùm propterea tantùm è cœlo descendisse affirmetur, quòd originis ratione, sanctitate, doctrinâ ac munere vir planè divinus et cœlestis extiterit), hoc, inquam, secundum, non minori facilitate falsi convincitur. 1° Enim si Christus reipsà in cœlo fuit, antequàm carnem assumeret è cœlo, dubio procul, reverà descendit; non autem metaphoricè, quomodò intelligunt Sociniani. Atqui hoc jamjam demonstravimus. 2° Christi descensus è cœlo et ejusdem in cœlum ascensus in Scripturis passim conjunguntur ac componuntur; sunt itaque ejusdem naturæ ac conditionis. Atqui reipsà Christus è morte redivivus in cœlum ascendit. Ergo reipsà pariter in terram descendit. 3° Quòd Christus de cœlo propriè locutus fuerit, cùm dixit se è cœlo descendisse, id liquet non solùm ex eo quòd id his verbis toties inculcare voluerit, sed etiam ex Judæorum offensione, quæ ex ejusmodi verbis enata est. Cùm enim id tam frequenter repetiisset Christus, ut se verum Filium Dei naturæque suæ dignitatem ac majestatem ostenderet, Judæi grave scandalum passi sunt : *Nonne*, inquiunt cap. 6 Joan. 42, *hic est filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? Quomodò ergo dicit hic, quia de cœlo descendi?* Judæi itaque Christi verba de vero è cœlis descensu ceperant; proinde illa hunc sensum præ se ferunt, eòque magis quòd Christus id cernens, eorum mentem non correxerit, imò verò perrexerit ea sibi tribuere quæ Deo propria sunt. Versu enim 43 statim : *Nemo*, inquit, *potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum; et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Versu autem 47 : *Qui credit in me, habet vitam æternam*, etc. Si Judæorum hic error fuit, an eum Christus pro suâ benignitate non sustulisset? an contra confirmâsset?

Tertium de Christi in cœlum raptu paulò antequàm munus suum obire inciperet, ut cœlestium arcanorum notitiâ imbueretur, pluribus de causis stare non potest. 1° Enim fictitius est hic raptus, nec ullum aut in Scripturis, aut in antiquitate fundamentum habet. Hunc enim raptum primi omnium hominum Sociniani è cerebro suo confinxerunt. Et sanè memorabilem hanc historiam, cui tota Christi doctrinæ veritas inniteretur, nunquàm omisissent Evangelistæ, qui alia plurima longè minoris momenti commemorant. 2° Observatione illud dignissimum est, quòd nempe cùm infinitis in locis Christus è cœlo descendisse dicatur, nunquàm tamen in cœlum dicatur ante mortem ascendisse, cùm ejusmodi raptus et ascensus longè potiori ratione referendus fuisset; tum quia ascensus contigisset propter nobilissimam causam, nempe cœlestium rerum scientiam; tum quia ejusmodi ascensus ipsius doctrinæ veluti basis foret; tum quia denique descensus ex ascensu satis intelligeretur, non contra. Certè Paulus raptum suum in cœlos memorat, non verò suum è cœlo descensum, quòd id super vacaneum esset. Cur ergo descensûs Christi è cœlo frequenter mentio fit, nulla autem ascensûs, qui prior esse debuit? nullam profectò hujus rei causam idoneam afferre possunt Sociniani. At apud nos ratio in promptu est, quòd nempe eò non ascendisset ante mortem, sed inde ad carnem assumendam descendisset. 3° Notandum etiam est Christum non dixisse : *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem quò jam ascendit;* sed, *ubi erat priùs.* Quid ita? quia nimirùm eò nondùm ascenderat, sed ibi ab omni ævo fuerat, antequàm in terram descenderet. Etverò Christus illic omne ævum, ut ita dicam, suum, in tres partes dividit : 1° fuit apud Patrem in cœlo; 2° in terris; 3° iterùm futurus erat in cœlo apud Patrem. Proinde quamdiù in terris mortalem vitam egit, in cœlos non ascendit. 4° Nulla necessitas fuit ut ad cœlum ascenderet Christus. Quam enim Sociniani allegant, ea futilis est; quasi verò Deus non potuisset Christo in terrâ degenti, quantùm libuisset,

imperiri rerum cœlestium notitiam. 5° Denique, quod decretorium est, hic ascensus Christi in cœlum, antequàm munus suum inchoaret, directâ fronte pugnat cum Scripturis, quæ conceptis verbis asseverant Christum, nonnisi semel in cœlos ascendisse, idque post peractam morte suâ generis humani redemptionem. Paulus enim ad Hebræos cap. 9, ut doceat à Christo veteres legis Mosaicæ figuras impletas esse, cum ipso comparans summum pontificem Judæorum, et cum ipsius morte antiqua sacrificia, et Sancta sanctorum cum cœlo, sic loquitur : *In priori quidem tabernaculo*, inquit vers. 6 et 7, *semper introibant sacerdotes,... in secundo autem* (sic appellat Sancta sanctorum) *semel in anno solus pontifex, non sine sanguine : Christus autem*, inquit versu 11, *assistens pontifex futurorum bonorum.... per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ redemptione inventa.* Et versu 24, *non in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum; sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*, etc. Ergo, quemadmodùm summus pontifex Judæorum semel duntaxat quotannis introibat in Sancta sanctorum, nec sine sanguine victimarum jam fuso; nec ei licebat alio quovis nomine in ea ingredi; ita Christus semel tantùm ascendit in cœlum, idque cùm per proprium sanguinem Deum hominibus iratum jam placâsset; nec unquàm aliàs in cœlum ascendit.

Objicies 1°, ad firmandam, quam commenti sunt, metaphoricam Christi in cœlis existentiam, illud Matth. 6, 20 : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo; .... ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum;* necnon et illud Philipp. 3, 20 : *Nostra autem conversatio in cœlis est.* Hæc enim metaphoricè intelliguntur. Ergo pariter cùm Christus dixit, *ascendentem ubi erat priùs*, eoque significavit se in cœlo fuisse, id metaphoricè accipi potest. — Nego consequentiam et paritatem. Alia enim cordis, alia personæ est ratio. Pes enim cordis amor est; atque adeò cor ibi esse dicitur, quò amor abiit; et hæc metaphorica locutio usitata est. At de personis, quæ per sese in loco sunt, alia omninò ratio est. Nec enim dicuntur esse aut fuisse alicubi, nisi ibi verè ac propriè sint aut extiterint. Discriminis autem causa est, quòd nullus error oriri possit, cùm dicitur ibi cor esse, ubi amor ipsius est; notum enim est aliunde cor in amante reipsà esse. At infiniti in sermonem humanum errores, innumeræ ambages ac fraudes inveherentur, si de personis dicere fas esset, ibi eas esse, ubi affectus earum habitat, et ibi non esse, ubi non amant esse. Jam verò non loquimur, nisi ut intelligamur; is enim unicus est sermonis humani finis.

Objiciunt 2°, ad roborandum responsionis suæ caput alterum de descensu metaphorico è cœlis. Plures sunt in Scripturis similes locutiones. Jacobus scilicet Apostolus Epistolæ suæ cap. 1, 17 : *Omne*, inquit, *datum optimum, et omne donum perfectum desursùm est, descendens à Patre luminum*, et cap. 3, 15 : *Non est ista sapientia desursùm descendens, sed terrena.* Sic et Joannes Apoc. 21, 2 : *Vidi*, inquit, *sanctam civitatem, Jerusalem novam, descendentem de cœlo à Deo.* Atqui ista dicuntur metaphoricè è cœlo descendere, quòd à Deo singulari ratione proficiscantur, et cœlestia ac divina sint. Ergo similiter Christus dici potest è cœlo descendisse, quòd vir planè divinus ac cœlestis extiterit.—Nego consequentiam et paritatem; cujus discriminis eadem est ratio quam modò protulimus. Exempla enim quæ adducuntur, rerum sunt quæ per se non moventur, qualitatum videlicet, donorum spiritualium, ac civitatum. At perspicuum est res, quæ per sese non moventur propriè, posse metaphorico quodam sensu dici descendere de cœlo, quòd à Deo auctore procedant, quia nimirùm in hisce locutionibus nullum est errandi periculum. At de personis non idem est. Quare nullum ejusmodi exemplum proferri potest. Nullus enim est in Scripturis, qui quantùmvis excellens, dicatur è cœlo descendisse, nisi priùs in cœlo fuerit. At Christus persona est. Dicitur autem sæpiùs è cœlo descendisse in terram. Ergo priùs in cœlo fuerat.

Instant 1° : Dici potuit Christus è cœlo descendisse, quòd solius Dei virtute in utero Beatæ Virginis formatus fuerit.—Nego antecedens. Nam Adamus habuit eâ ex parte quiddam amplius : totus enim è manibus Dei prodiit; cùm ad effingendum Christi corpus Beata Virgo aliquid contulerit. An verò idcircò dicitur Adamus è cœlo descendisse? nequaquàm. Imò verò, quando Christo comparatur, dicitur esse terrenus, Christus autem cœlestis : *Primus homo*, inquit Paulus supra, *de terrâ terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Ergo non eâ de causâ Christus esse dicitur de cœlo, quòd à Deo citra ullam viri operam profectus sit.

Instant 2° : At mirabilis fuit et supra naturæ leges Christi conceptio. Atqui is dici potest è cœlo descendisse cujus conceptio mirabilis fuit, et supra ordinarias naturæ leges. Ergo.— Nego minorem. Nam conceptio Isaac et Joannis Baptistæ supra naturæ leges pariter fuit et grande miraculum ; an verò propterea dicuntur è cœlo descendisse? Imò Joannes se cum Christo conferens, quâ par erat modestiâ confitetur se quidem esse è terrâ, sed Christum è cœlo venisse : *Qui est de terrâ,* inquit Joann. 3, 30, *de terrâ est, et de terrâ loquitur, qui de cœlo venit super omnes est.*

Instant 3° : Christus dici potuit è cœlo esse, quòd omnibus Spiritûs sancti donis cumulatus fuerit. Ergo. — Nego antecedens. Nam Joannes Baptista, teste Angelo Luc. 1, 15, Spiritu sancto repletus est adhuc ex utero matris suæ ; et tamen ipse de terrâ se esse agnovit.

Instant 4° : Saltem habitâ ratione muneris sui, quod totum cœleste fuit, Christus potuit è cœlo dici. Ergo. — Nego antecedens. Aliud enim est quoddam munus è cœlo esse, aliud personam, cui munus illud divinitùs concessum est, è cœlo dici descendere. Prophetæ enim veteres, Joannes Baptista, Apostoli, munus habebant à Deo sibi creditum ; quis autem unquàm dixit eos è cœlo descendisse?

Quæ cùm ita sint, si purus homo Christus fuit, nihil habuit vel quoad animam vel quoad corpus, vel quoad gratiam, vel quoad munus, propter quod dici potuerit è cœlo venisse in terram. At id tamen de eo frequenter dicitur. Ergo reipsà in cœlo fuerat, antequàm in terrâ carnem assumeret.

Objiciunt 3°, in gratiam tertiæ suæ responsionis, et prioris illius, quem excogitârunt, Christi in cœlum ante mortem ascensûs, illud ipsius Christi Joan. 3, 11, Nicodemum alloquentis : *Amen, amen, dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis et non creditis, quomodò si dixero vobis cœlestia credetis? Et nemo ascendit in cœlum* (græcè ἀναβέβηκεν præterito tempore), *nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Ergo, inquiunt auctores catecheseos Socinianæ, Christus jam tum in cœlum ascenderat (1).

(1) Sensus esse videtur : Præ cæteris mihi fides debetur cœlestia prædicanti : nemo enim in cœlo fuit, ut ea quæ ibi fiunt comperta habeat ; ego autem, filius hominis, fui in cœlo, siquidem de cœlo descendi ; imò verò, licet in terris conversans, tamen sum adhuc in cœlo. Contextura quidem sermonis postulabat tantùm ut Christus ostenderet neminem in cœlo unquàm fuisse ; at verbo, *ascendit*, uti potuit, tum quia cœlum locus est in supernis regionibus positus, tum præsertim quia nemo ex hominibus esse possit in cœlo, nisi priùs illùc ascenderit. Quanquàm dici etiam cum quibusdam posset filium hominis, à primo suæ conceptionis instanti, in cœlum ascendisse, sive per communicationem idiomatum, sive per visionem intuitivam, quod Socinianis minimè faveret ; cùm enim communicatio idiomatum et visio intuitiva nullam in Christo interruptionem passæ sint, in eorum sententiâ explicari nequaquàm possent hæc verba : *Descendit de cœlo.* (Ed.)

Nego consequentiam. Est enim hoc in loco quædam ellipsis, seu verborum reticentia, necessariò admittenda. Cùm enim dixit Christus : *Nemo ascendit in cœlum,* subaudiri ac suppleri voluit, *aut quæ in cœlo sunt, novit.* Hoc enim ipsi propositum erat, ostendere videlicet res cœlestes, ne doctoribus quidem Judæorum esse perspectas ; eas autem sibi soli patere ; aliud ergo dixit, aliud intelligi voluit. Postea autem rectè addidit : *Nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Quæ postrema verba divinitatem ejus probant. Si enim Christus cùm in terrâ degebat et loquebatur, in cœlo nihilominùs erat, immensitate divinâ præditus fuit. Quapropter hæc est loci istius sententia : Nemo ascendit in cœlum, neque res cœlestes novit ; sed eas solus ille novit, qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui etiamnùm est in cœlo. Similis est locus Proverb. 30, 4. Salomon enim ut probet neminem esse qui cœlestia arcana comperta haberet, *Quis,* inquit, *ascendit in cœlum, atque descendit?* Utrumque enim aut alterutrum necessarium esse demonstrat, ut cuipiam cœli secreta pateant. Cùm ergo neutrum ulli homini contigisset, inde colligit nullum ejusmodi hominem esse. Sic etiam Christus, ex eo quòd nemo ascendisset in cœlum, intelligi voluit res cœlestes nemini esse compertas, sibi autem compertas esse quòd è cœlo descendisset et in cœlo adhuc esset.

Instant 1° : Moyses Christi figura fuit. At Moyses, antequàm legem ferret, in montem ascendit et cum Deo versatus est. Ergo ut veritas typo respondeat, debuit Christus in cœlum ascendere, et cum Deo aliquandiù versari, antequàm legem novam prædicaret.— Distinguo majorem ; Christi figura fuit habitâ ratione officii, legislator enim et mediator fuit, alterum excellentiorem adumbrans, concedo ; in omnibus, nego. Alioquin ut Moses linguæ tardioris et oves in pascua duxit, bis per quadraginta dies jejunavit, bis in montem ascen-

dit, antequàm legem Judæis daret, et binas tabulas à Deo accepit; sic Christus et balbus, et pastor esse, et bis cœlum ante Evangelii prædicationem ascendere debuisset, etc., quod ne ipsi quidem admittunt Sociniani.

Instant 2° : Non est discipulus supra magistrum. At Paulus in cœlum raptus est. Ergo Christus ejus Magister eò quoque rapi debuit. — Nego consequentiam. Imò ex hoc exemplo evincere possumus Christum non fuisse simili ratione in cœlos raptum. 1° Enim quia Paulus eò raptus fuerat, usitatam ac naturalem loquendi rationem secutus, refert se eò raptum esse. At Christus nunquàm ait se in cœlum ascendisse, semper autem contra è cœlo descendisse. Ergo Christum inter et Paulum discrimen aliquod fuit. Quodnam autem? nisi quòd reipsà Paulus, cùm in terris degeret, singulari Dei beneficio ac favore in cœlum raptus fuerit; Christus autem contra, cùm in cœlo tanquàm in suâ sede esset, inde in mundum humani generis causâ descenderit. 2° Etiamsi raptus sit Paulus in cœlum, nunquàm propterea dicit se è cœlo exivisse, et venisse in mundum, nunquàm è cœlo se descendisse ad homines pronuntiat. Quorsùm, quæso? Quia videlicet nemo potest ita loqui, nisi priùs in cœlo quàm in terrâ fuerit. 3° Denique dicimus Paulum in cœlos raptum, quia id Scripturæ perhibent, et de Christo idem negamus, quia non perhibent, et longè potiore de causâ idem de ipso perhibuissent.

Instant 3° : Illud Scripturæ tacuerunt de Christo, quòd nullos eo tempore discipulos haberet, nec opus esset ut de cœlesti suo munere cuiquam fidem faceret. Ita Socinus. — Respondeo hoc absurdissimum esse. Quasi verò Evangelistæ ea omnia reticeant quæ gesta sunt antequàm Christus munus inchoaret, et discipulos haberet. An non ipsius conceptionem, nativitatem, circumcisionem, in Ægyptum profectionem diligenter referunt, et alia quæ longè minoris momenti esse videbantur? Cur ergo quod inprimis necessarium erat ad auctoritatem Christi stabiliendam, illud omnes velut ex compacto prætermiserunt, nisi quòd ascensus ille fictitius omninò sit, et sine ullo fundamento à Socinianis excogitatus?

Instant 4°, ac præsertim Smalcius de Verbi Incarnatione, cap. 8, ut Epistolæ ad Hebræos, Christum semel in cœlum ascendisse pronuntiantis, locum eludant, et contendunt ibi sermonem esse de ascensu Christi in cœlum, quatenùs sacerdos fuit, vel cum sacrificio; quod non obstat quominùs aliâ de causâ et alio respectu in cœlum antea jam ascendisset. — Respondeo hoc effugium vanum esse. Comparat enim Apostolus Christum cum summo Judæorum pontifice, et cœli penetralia cum Sanctis sanctorum. Porrò summus pontifex Judæorum semel duntaxat in anno in Sancta sanctorum ingrediebatur, idque post sacrificium, nec antea aliâ quâlibet de causâ, aut alio quovis respectu in eadem Sancta ingredi ipsi licebat. Ergo Christus semel duntaxat in cœlum ascendit, idque post mortem suam, nec antea in cœlum aliâ de causâ introivit. Uno verbo antequàm Christus in cruce sacrificium offerret, vel sacerdos jam erat, vel non erat; si non erat, non poterat in cœlum introire, quandoquidem nefas erat non sacerdotibus in Sancta sanctorum ingredi; si sacerdos erat, non poterat eò ingredi sine sanguine victimæ in atrio jam oblatæ; aliàs veritas cum typo non congrueret. Ergo.

Objiciunt 4°, ad elevandam nostri prioris argumenti vim : Qui dicitur è cœlo descendisse, est Filius hominis seu Christus homo. Atqui Christus homo in cœlo non extiterat, antequàm in terrâ esset. Ergo quòd affirmetur Christus è cœlo descendisse, inde confici non potest eum in cœlo fuisse, priusquàm in terrâ carnem humanam acciperet. — Distinguo majorem : Est Christus homo, sed non quatenùs homo, concedo : quatenùs homo, nego. Scilicet Christus persona una est ex duabus naturis constans; atque adeò ipsi rectè tribuitur, quod secundùm utramque aut alterutram ei convenit. Denominationes enim, ut loquuntur, sunt suppositorum; sic dicimus Paulum, gentium Apostolum, fuisse olim Ecclesiæ persecutorem, non quòd persecutor fuerit quatenùs Apostolus, aut eo tempore quo vocari cœpit Paulus; sed quòd talis extiterit antequàm ad apostoli dignitatem eveheretur, aut Pauli nomen assumeret. Quia ergo uni eidemque Paulo duo ista conveniunt penès diversam vitæ partem considerato, quòd Ecclesiæ persecutor fuerit et Apostolus, idem et persecutor et Apostolus fuisse pronuntiatur. Sed hæc faciliora sunt quàm ut nos morentur.

Instant : Atqui Christus loquitur de suâ carne. Sermonem enim habet de eo pane qui dat vitam æternam : *Qui manducat me*, inquit versu 58, *et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de cœlo descendit.* Atqui panis ille est

caro Christi, de quâ paulò ante dixerat : *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ.* At caro Christi in cœlo non fuerat. Ergo hæc locutio priorem in cœlo existentiam non arguit. — Distinguo minorem (1) : Panis ille, qui dat vitam mundo, et à Christo promittitur, est caro Christi, concedo ; panis ille qui dat vitam æternam, et à Patre jam datus erat, nego. Merum itaque sophisma est. Nam Christus duo dixit sedulò animadvertenda et distinguenda. 1° Enim personam suam seque ipsum *panem* appellavit ; sed simul addidit hunc panem esse jam à Patre hominibus datum. *Non Moyses,* inquit versu 32, *dedit vobis panem de cœlo ; sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum..... Ego sum panis vitæ.* Postea verò subjecit se insuper daturum carnem suam in cibum ac panem : *Panis quem ego dabo,* inquit versu 52, *caro mea est pro mundi vitâ.* Nomen ergo *panis* et supposito Christi, et ejus carni tribuitur ; sed, quod observatione dignissimum est, nunquàm ait panem esse de cœlo descendentem, nisi cùm de se, hoc est, supposito suo, loquitur ; nunquàm ait carnem suam è cœlo descendisse. Quid ita, obsecro ? Quia nempe illa ex terrâ, ipse autem è cœlo, secundùm naturam potiorem, originem trahebat. In isto itaque argumento quatuor sunt termini. Vox enim *panis* in unâ propositione pro personâ Christi, in alterâ pro ipsius carne supponit, ut logici loquuntur.

Objiciunt 5°, ad infringendum posterioris argumenti ex Christi in mundum missione et adventu petiti robur, missionem illam et adventum non esse certum prioris existentiæ signum. Nam, inquiunt, sicut Christus se dicit à Patre missum in mundum, ita in mundum discipulos suos misit, Joan. 17, 18. *Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum.* Et sicut de se dixit, cap. 16, 28 : *Exivi à Patre et veni in mundum ; iterùm relinquo mundum et vado ad Patrem ;* ita Joannes de pseudoprophetis loquens : *Multi,* inquit, *pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Atqui nemo hinc jure colligat aut Christi discipulos aut pseudoprophetas priùs alicubi extra mundum extitisse. Ergo nec de Christo hoc colligi potest. — Nego minorem et consequentiam. Nam Christi discipuli, cùm à mundo seorsim extitissent, in mundum à Christo missi sunt ; et pseudoprophetæ ab Evangelistâ memorati extra mundum etiam fuerant, antequàm in mundum exirent. Si quæras, ubinam ? apud Christum et in Ecclesiâ. Scilicet Christus solet se ac suos à mundo sejungere, Joan. cap. 17, v. 9 : *Non pro mundo rogo,* inquit, *sed pro his quos dedisti mihi ;* v. 14 : *Mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo ;* v. 16 : *De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo.* Quocirca rectè dicit Christus se eos misisse in mundum ; rectè etiam Evangelista pseudoprophetas illos, Cerinthianos nempe et Ebionitas hæreticos, in mundum exiisse. Paulò enim ante dixerat, cap. 2, 19 : *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis :* quia nimirùm discipuli priùs apud Christum, et pseudoprophetæ priùs in Ecclesiâ fuerant. Ut igitur comparationem nunc urgeamus, quemadmodùm qui à Christo missi sunt in mundum discipuli, priùs apud Christum fuerant, et qui in mundum exierunt pseudoprophetæ, priùs in Ecclesiâ fuerant ; ita Christus non potuit dicere se è cœlo et à Patre exivisse ac venisse in mundum, quin priùs in cœlo apud Patrem fuisset ; quod contendimus. Hæc itaque comparatio nedùm causæ nostræ obsit, eam adjuvat potiùs et illustrat. Etverò *exire* duos terminos poscit, unum à quo, alterum ad quem ; is enim qui exit, ab eo loco in quo erat, in alterum in quo nondùm, certâ saltem ratione, erat, subit. Duos porrò motus designat Christus his ver-

(1) Quosdam fortassis reperire est, quibus non arrideat auctoris distinctio, eò quòd non de duplici pane in 6 S. Joannis capite, nempe de pane à Patre jam dato ac veluti per fidem manducando, et pane à Christo promisso, videlicet carne suâ, sed de unico, qui caro Christi est, agi existiment. Hi proinde censent Christum, ubi loquitur de pane, ad carnem suam saltem alludere, neque se ipsum dicere panem, nisi respectu Eucharistiæ, in quâ caro ipsius manducanda proponitur ; at quoties panem illum dicit è cœlo descendisse, arbitrantur eum non ad carnem suam propriè respicere, sed ad divinam suam personam, quæ verè descendit de cœlo, et assumendo carnem, talem ipsi virtutem infudit, ut vitam mundo præberet, adeò ut hic sensus efflorescat : *Ego sum panis vitæ,* nempe per carnem meam, quæ *verè est cibus ;* et iterùm : *Hic est panis de cœlo descendens,* non quòd è cœlo propriè descenderit, sed quòd omnis ejus virtus è cœlo mecum descendisse meritò dici potest, cùm ex ipsius unione fluat cum meâ divinitate, quæ de sursùm venit, sive etiam quòd *ego,* qui *è cœlo descendi,* hic panis ipse sum per carnem meam. Sic igitur in eâ sententiâ solvi potest difficultas : Distinguo minorem : Panis ille est caro Christi, sed nonnisi impropriè dicitur è cœlo descendisse, nimirùm sive quia virtutem suam habeat ex divinâ personâ, quæ de cœlo descendit, sive quia Filius Dei, qui descendit de cœlo, hic panis ipse est, concedo ; et propriè dicitur è cœlo descendisse, nego. Satis patet ex dictis responsio. (Ed.)

bis : *Exivi à Patre, et veni in mundum ; iterùm relinquo mundum, et vado ad Patrem* ; primum è paternâ domo in mundum; secundum è mundo ad Patrem, seu in cœlum. Ergo prioris terminus à quo, est cœlum ; et terminus ad quem, est mundus ; posterioris autem contra terminus à quo, est mundus ; et terminus ad quem est cœlum, quò post ascensionem reversurus erat. Quocirca priùs in cœlo fuerat, quàm veniret in mundum ; sicut priùs fuit in mundo, quàm post resurrectionem in cœlum regressus est ; et quemadmodùm reipsà in cœlum ascendit post resurrectionem ; ita de cœlo reipsà descendit ad incarnationem peragendam ; quo nihil esse potest luculentius aut firmius. Omnis enim perit inter utrumque motum et orationis Christi duplex membrum comparatio et oppositio, si reipsà Christus è cœlo non exivit in mundum incarnationis gratiâ, sicut postea è mundo exivit in cœlum glorificationis suæ causâ.

Objicies : Descensus non potest Deo, nisi metaphoricè, competere. Ergo. — Distinguo antecedens : Descensus, quatenùs est motus, concedo ; quatenùs est mutatio saltem statûs, nego. Itaque non dicimus Christum propriè descendisse è cœlo, quòd cœlum reliquerit, ut in terram veniret ; sed eo tantùm sensu, quòd vera ac propriè dicta fuerit statûs distinctio ; ita ut, cùm in cœlo priùs fuisset ut Deus sine carne, postea cum carne in terrâ apparuerit.

Argumentum II, ex incarnationis descriptione. — Multiplex est in Scripturis locus in quo describitur quâ ratione Verbum divinum humanam carnem induerit.

Ex Joannis Evangelii capite I. — Primus et omnium illustrissimus est Joannis Evangelii capite 1, ubi sic legitur, versu 1 : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Versu 3 : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est.* Versu 9 : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Versu 10 : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* Versu 14 : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*

Quibus quidem verbis beatus Apostolus describit versu 1, Verbi divini æternitatem, ipsius ab æterno Patre distinctionem, ac denique divinitatem ; versu 3, potentiam, quâ omnia creavit ; versu 9, summam ejus in homines liberalitatem ac munificentiam ; versu 10, mundi, qui factorem suum non agnovit, cæcitatem, versu autem 14, Verbi ejusdem incarnationem.

Ex quo sic argumentamur : Qui cùm in principio Verbum divinum esset in æterni Patris sinu manens et ab ipso distinctum, et perinde ac ipse Pater, Deus, per quem mundus creatus est, postea carnem induit, is profectò extitit antequàm carnem assumeret. Atqui talis est ex Joanne Apostolo Christus. Ergo.

Hoc tam diserto Joannis testimonio mirificè anguntur et constringuntur Sociniani. Itaque ut ab eo sese expediant, nullum non lapidem movent. Confitentur ergo ineluctabile quidem hoc telum fore, si Joannis verba, eo quo diximus modo, reddenda et intelligenda essent ; sed contendunt ea longè aliter et verti et accipi non solùm posse, sed etiam debere. Quocirca hunc Apostoli locum ita interpretantur. Versu 1, *In principio ;* id est, inquiunt, initio Evangelii, quod à Joannis Baptistæ prædicatione repetendum est. Ibidem, *Erat Verbum ;* hoc est, inquiunt, Christus homo, qui metaphoricè *Verbum Dei* dicitur, quòd Dei voluntatis interpres fuerit. Ibidem, *Et Verbum erat apud Deum ;* id est, inquiunt, soli Deo notus erat Christus ; nondùm enim hominibus sese manifestare cœperat. Ibidem, *Et Deus erat Verbum ;* hoc est, inquiunt : Deus minor et à supremo pendens ; Deus non naturâ, sed gratiâ et auctoritate ipsi à Patre in res omnes concessâ. Versu 3, *Omnia per ipsum facta sunt ;* hoc est, inquiunt, omnia quæ ad Evangelium ac reformationem generis humani spectant. Ibidem, *Et sine ipso factum est nihil quod factum est ;* hoc est, inquiunt, et sine Christo nihil ad hoc Ecclesiæ formandæ opus pertinens, vel ab Apostolis, post ipsius mortem peractum est ; ut dixit Joan. 15, 1 : *Sine me nihil potestis facere.* Versu 9, *Erat lux vera ;* id est, inquiunt, Evangelii sui prædicatione. Versu 10, *In mundo erat ;* hoc est, inquiunt, in terrâ et orbe terrarum. Ibidem, *Et mundus per ipsum factus est ;* id est, inquiunt, mundus novus ac spiritalis, novaque illa creatura, de quâ non semel loquitur Paulus ; non verò mundus è cœlo terràque constans. Ibidem, *Et mundus eum non cognovit ;* hoc est, homines cæci ac mali. Versu 14, *Et Verbum caro factum est ;* id est, inquiunt : Et Christus, licet talis ac tantus esset, nonnisi homo infirmus fuit. Græcè enim est ἐγένετο, quod non *factum est*, sed *fuit*, vertendum esse affirmant.

Hæc est Expositio Socini tom. 1, pag. 77, auctorum Catecheseos Polonicæ de personâ Christi, cap. 1, pag. 54, 74, 96, etc. Schlichthingii contra Meisnerum; Smalcii homil. 2 in 1 Joan. evang. caput, etc.

Sed hæc facilè expugnatur atque evertitur, idque cùm generalibus, tùm specialibus argumentis.

Ac 1° quidem generalibus argumentis, iisque non paucis. 1° Enim nemo non videt nostram interpretationem per sese fluere, et ubique propriæ verborum significationis tenacem esse, ex quâ suâ sponte enascitur. At Sociniana contra violenta est et detorta. Obvios enim et nativos vocum sensus fugit; et avios, alienos, metaphoricosque consectatur. Quod et ipsi non diffitentur Sociniani. Namque Socinus in præfatione Expositionis suæ non dissimulat se nova, inaudita, imò et multis fortassè suspecta dicturum. Quod cùm ita sit, quis dubitet utra sit interpretatio alteri præferenda? Nobis igitur dicere hìc licet quod olim Tertullianus aiebat adversùs Hermogenem, non absimili modo Scripturas torquentem, cap. 19, de Catholicis: « Nos, inquiebat, unicuique vocabulo proprietatem « suam vindicamus; » de hæreticis verò cap. 27: « Hæ sunt, inquiebat, argutiæ et subtilitates hæreticorum, simplicitatem communium « verborum torquentes in quæstionem. » 2° Juxta nostram expositionem, Joannes Apostolus, in historiâ texendâ rerum ordinem, ut par erat, servavit. 1° Enim descripsit Verbi divini naturam et originem; postea mundi creationem; tum ipsius in omnes homines ab isto tempore munificentiam; postremò denique tanquàm omnium beneficiorum cumulum ad eosdem homines liberandos, ejusdem Verbi divini incarnationem novissimis temporibus. At, juxta Socinianos, Joannes omnia sus deque vertit. Volunt enim illi Christum, 1° merum hominem fuisse; 2° eum jam ex mulicre factum et natum, in Verbum et interpretem voluntatis Dei ab eo esse electum; 3° ipsum eo tempore lucem hominum esse cœpisse, quo Evangelium annuntiare cœpit; 4° ab eodem postea omnia esse facta quæ ad Ecclesiam pertinent. Hìc est rerum ordo juxta Socinianos. An eum servavit Evangelista? nullatenùs. Imò verò, si Socinianos audimus, quod primo loco narrare debuit, illud ultimo dixit; quod secundo, hoc primo posuit; quod tertio esse oportebat, id quarto retulit; tandem quod quarto, hoc tertio loco scripsit. Quis unquàm in ullo sacro vel profano scriptore talem historiæ perturbationem vidit? Siccine verò Joannes Evangelista Christi historiam exorsus esset? absit. Non solùm enim sapiens scriptor, sed etiam afflatus fuit à Deo. Proinde in ipsum tam immane vitium non cadit. At necessariò in ipsum cadit, si semel admittatur Socinianorum expositio. Ergo hæc ut absurda et Apostolo Joanne prorsùs indigna, explodenda est. 3° Negari non potest Joannem ita inchoâsse Evangelium suum, ut præ se ferat Christi divinitatem; hinc tot Arianorum et Socinianorum conatus, ut ipsius verba aliò detorqueant. Etverò omnes ubique gentium Catholici iis verbis inducti sunt ut Christum esse verum Deum crederent. Quis autem sibi persuadeat Joannem, aut potiùs Deum, ita Evangelium hoc scribi voluisse, ut omnes, etiam quàm maximè pios, in errorem gravissimum conjiceret? Id sanè incredibile est, et à Dei bonitate ac sapientiâ alienum. Ergo, cùm ita scribi voluerit Evangelium, voluit et Christum ab omnibus ut Deum haberi. 4° Notandum est Joannem ab episcopis Ecclesiæ catholicæ rogatum ita scripsisse adversùs Cerinthum et Ebionem, qui docebant, ut hodiè Sociniani, Christum ante Mariam virginem non extitisse. Ergo hoc Evangelii exordium ejusmodi impietatem convellit: atque adeò stare non potest cum hoc loco Socinianorum sententia. Itaque si consentanea loqui et agere voluerint, Joannis Evangelium rejiciant oportet, quod olim Ebionitæ fecerunt.

2° Specialibus argumentis singula ejusdem Socinianæ expositionis capita impetuntur. — 1° Enim quod fingunt vocem hanc, *in principio*, non de æternitate aut mundi exordiis, sed de initio Evangelii esse intelligendam, id consistere nullatenùs potest: quandoquidem ea vox absolutè posita in Scripturis aut æternitatem, aut rerum universitatis exordia constanter et ubique significat. Sic cùm dicitur Gen. 1, 1: *In principio creavit Deus cœlum et terram;* Psal 101, 26: *Initio tu, Domine, terram fundâsti;* Matth. 19, 4: *Qui fecit hominem ab initio;* ibidem, versu 8: *Ab initio non fuit sic;* Joan. 8, 44, de diabolo: *Ille homicida erat ab initio;* Joan. Epist. 1, cap. 3, 8: *Ab initio diabolus peccat;* hæc de mundi principio accipienda sunt; de æternitate autem ista, Isaiæ 43, 13: *Ab initio,* inquit Deus, *ego ipse.* Et Mich. 5, 2: *Egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Quæ cùm ita sint, vox eadem nequit aliter hoc loco intelligi. Deinde

verò absurdum foret eam interpretari de exordio Evangelii. Quid enim? *In principio erat Verbum*, idem erit quod, initio prædicationis Evangelii Christus existebat? An aliquid insultius fingi potest? Dignam profectò Joanne sententiam? O egregiam observationem! Christum videlicet extitisse cùm triginta annos natus prædicare cœpit Evangelium, aut ad illud prædicandum sese accingebat! Quasi verò prædicare potuerit non existens, et quòd tunc existeret, cùm prædicabat, notari oporteret. An non ridenda foret ejus scriptoris ineptia, qui bellum Mithridaticum descripturus, sic historiam inchoaret: *Initio belli Mithridatici erat Mithridates?* Quis ergo furor, quæ impietas est Socinianorum, qui sacro scriptori tribuere non verentur, quod in profano ferre ipsi non possent? — 2° Quod addunt nomen hoc, *Verbum*, metaphoricè accipi debere, et non naturam Christi, sed ipsius munus designare, nec enim Christum esse naturâ suâ Verbum Dei, sed officio tantùm, quòd Dei voluntatem hominibus declaraverit, id multis momentis refellitur. 1° Enim si nomen hoc ab officio repeteretur, quicumque est alterius voluntatis interpres aut legatus, aut præco, is ipsius *Verbum* dici posset, et *Verbi Dei* nomine insigniri potuisset quilibet Propheta et quivis Apostolus, cùm ii voluntatem Dei hominibus ex officio suo patefecerint. At primùm sine exemplo est. Præterea verò nullus unquàm propheta, nullus Apostolus *Verbum Dei* appellatus est, sed solus Christus. Ergo hoc nomen non ab ejusmodi officio, sed à naturâ desumptum est. 2° Joannes idem, Apoc. 19, 13, apertè indicat hoc nomen esse Christo naturale ac proprium: *Vocatur*, inquit, *nomen ejus, Verbum Dei.* Ergo hoc ipsi peculiare est. At singulare non esset, si ab ejusmodi officio duceretur, cùm illud plerisque commune, aliquatenùs saltem, fuerit. 3° Cùm nullus unquàm propheta, ac ne Christus quidem ipse, *Verbi Dei* nomine hactenùs vocatus esset, quis sibi persuadeat Evangelistam eâ voce inauditâ velut ex abrupto, in ipsis Evangelii sui exordiis uti voluisse, si ea non propria et naturalis, sed metaphorica et figurata fuisset, præsertim cùm adesset alia vulgaris, nempe Christi? 4° Quod diligenter est notandum, Joannes in hoc uno Evangelii loco Christum hoc nomine appellat, ubi nimirùm docet illum in principio fuisse apud Deum, et Deum esse; idque priusquàm doceat ipsum carnem esse factum. Ex quo autem caro factum est, nunquàm hoc nomen ei deinceps tribuit, sed *Jesum* aut *Christum* semper vocat. Quid ita, obsecro? Sociniani certè causam hujus rei dicere non possunt, cùm juxta eos Christus nonnisi postquàm caro factus est, Dei Verbum esse cœperit. At aperta est juxta Catholicos hujusce locutionis ratio. *Verbi* enim *Dei* vox Filium Dei propriè significat quatenùs ab æterno Patre procedit et in ipso manet; *Christi* autem nomen divinæ simul et humanæ naturæ conjunctionem sonat. — 3° Quod somniârunt has voces: *Et Verbum erat apud Deum*, idem esse quod: Et verbum soli Deo notum erat, id ridiculum est. Quod enim hujusce locutionis tali sensu usurpatæ exemplum proferri potest? An verò cùm persona aliqua apud aliam esse aut fuisse dicitur, id significat eam alteri notam esse aut fuisse? quis unquàm id fando audiit? — 4° Quod comminiscuntur, Verbum seu Christum illîc *Deum* nominari, non quòd naturâ Deus sit, ut Pater æternus, sed ob concessam ipsi in res omnes auctoritatem, id non modò falsum, sed impium est. Illîc enim dicitur *Deus*, quomodò Pater. Præterea illi tribuuntur ibidem quæ soli Deo conveniunt, mundi creatio, etc. Denique tam, *Deus*, ibi naturæ nomen est, quàm *caro*. Atqui *caro* naturam corpoream significat. Ergo. — 5° Verbum ἐγένετο non idem est quod ἦν, seu *fuit*. 1° Enim cùm Verbum describeret Joannes, verbum substantivum, ἦν, *erat*, septies aut octies usurpaverat; ubi autem venit ad carnis assumptionem, illud mutat, atque altero utitur, nempe ἐγένετο. Quorsùm hæc mutatio, si idem sensus foret? Obmutescunt adversarii; at nos causam aperimus, quòd nimirùm mutatio statûs describatur. Principio enim Evangelista notat quid per sese Verbum sit; deinde subdit, quid pro nobis sit factum, caro videlicet. 2° Juxta Socinianos, Christus caro et homo primùm fuit; postea autem caro ista, seu homo ille, in Verbum Dei evasit; proinde, si idem, quod ipsi, sensisset Evangelista, debuisset hunc ordinem servare, et dicere Christum carnem primùm factum fuisse, deinde factum esse Verbum, atque adeò verbum substantivum primò usurpare, deinde aliud. At contra Joannes. Ergo non eadem ipsius, quæ Socinianorum mens fuit. Jam verò appositè ad sententiam nostram locutus est; profitemur enim in principio fuisse apud Deum, et Deum reipsà esse; simul autem addimus ipsum pro nobis postea carnem esse factum. Ergo à nobis est,

non ab adversariis nostris, Joannes. 3° Hic et alibi, cùm Christus dicitur Deus aut Dei Verbum, Scriptura semper usurpat verbum substantivum *est, erat, fuit,* ἐστὶ aut ἦν, nunquàm verò istud, ἐγένετο. Contra autem ubi de ejus secundùm carnem nativitate et origine sermo est, vulgò adhibet verbum hoc, ἐγένετο. quod *factum esse* significat; v. g., ad Rom. 1, 3; ad Gal. 4, 4; ad Philipp. 2, 7. Quâ de causâ? dicerenon possunt adversarii. At nos statim respondemus, quia videlicet naturâ suâ Deus est ac semper fuit, et aliquando factus est homo. Quis autem credat sine consilio id discriminis à Spiritu sancto esse tam diligenter observatum?

Objiciunt 1°, ad fulciendam interpretationis suæ partem primam. Vox *principii* apud Joannem intelligi debet pro subjectâ materiâ. Atqui subjecta materia Evangelium erat. Ergo de principio Evangelii Joannes loquitur. — Distinguo majorem : Pro subjectâ materiâ illius loci, hoc est, primi capitis Evangelii, concedo; pro subjectâ materiâ totius deinceps operis, nego. In toto igitur Evangelii opere historiam Christi prædicationis texit Joannes; sed in primo capite, antequàm eò accedat, duplicem ejus originem describendam esse duxit adversùs Cerinthum et Ebionem; primam quidem æternam ex Patre; alteram temporalem ex Beatâ Virgine.

Objiciunt 2°, ad stabiliendam nominis *Verbi Dei* metaphoricam significationem: Tam Christus metaphoricè dici potest *Verbum Dei,* quòd Dei voluntatem hominibus declaraverit, quàm Aaron dicitur *os Moysis,* Exodi 4, 16, quòd ipsius esset interpres, et Joannes Baptista Matth. 3, 3, appellatur *vox clamantis in deserto* (1). Atqui, etc. Ergo, etc. — Nego majorem et paritatem. Discriminis autem ratio duplex est; ac prima quidem ex usu Scripturæ repetenda; secunda autem è rebus ipsis. *Os* enim dici potest alterius, qui pro ipso loquitur, quia os loquitur. At *verbum* dici non potest, qui pro altero verba facit, quia verbum verba non facit; *vox* autem, *clamantis,* idem est, quod, *vox clamans;* quocirca res ipsæ non sunt similes.

Objiciunt 3°, ut insulsam hujusce locutionis, *E. Verbum erat apud Deum,* expositionem suam confirment: Christus Lucæ 2, 52, dicitur profecisse sapientiâ, ætate ac gratiâ apud Deum et homines, quia in dies ista magis ac magis innotescebant. Ergo pariter dici potuit Verbum esse apud Deum, quòd soli Deo notum esset. — Nego consequentiam et paritatem. Aliud enim est dici simpliciter apud aliquem esse; aliud cum addito : hoc enim metaphoricè dicitur; illud propriè duntaxat. Itaque, juxta communem loquendi morem, potest aliquis dici esse in magnâ gratiâ apud aliquem, quod metaphoricè intelligitur; sed nunquàm aliquis simpliciter dicitur apud alterum esse aut fuisse, nisi verè ac propriè apud eum sit aut fuerit. Hinc patet Evangelistam rectè dixisse de Christo, quòd nempe cresceret sapientiâ apud Deum et homines, hoc est, tam Dei quàm hominum judicio majora in dies sapientiæ daret argumenta; sed non potuit Joannes dicere : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum;* nisi reverà apud Deum à principio existeret. Etverò Joannes duplicem hic Verbi statum aperit : 1° enim ait ipsum in principio fuisse apud Deum; 2° carne assumptâ habitâsse in nobis seu apud homines. Atqui hoc postremum propriè intelligitur. Ergo et primum.

Objiciunt 4°, ad roborandam verbi ἐγένετο novam versionem : Vox illa non semper significat *factum esse,* sed sæpè nihil aliud sonat quàm *esse.* Sic eodem hoc Joannis cap. 1. versu 6, ubi latinè est : *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes;* græcè est, ἐγένετο. Sic Lucæ 1, 5, ubi legimus : *Fuit in diebus Herodis regis Judææ sacerdos quidam, nomine Zacharias;* græcè etiam est, ἐγένετο. Ergo nihil obstat quominùs similiter pro, *Et Verbum caro factum est,* dicatur : Et Verbum caro, seu homo erat. — Nego consequentiam. Non enim argumentum ducimus præcisè è generali hujus verbi notione. Fatemur enim verbum hoc duo significare posse, nimirùm *esse,* et *factum esse;* sed ipsum hâc ultimâ significatione accipi illic oportere demonstramus : 1° ex eo quòd, cùm Joannes hactenùs verbum substantivum usurpâsset, ad hunc locum veniens, illud non sine consilio sanè in hoc alterum commutaverit; 2° ex evangelicæ narrationis ordine; 3° ex perpetuo Scripturæ usu. Cùm enim Christus appellatur *Deus,* semper *Deus esse* dicitur; nunquàm verò dicitur *Deus factus esse;* contra autem vulgò dicitur *homo factus;* quâ de causâ, nisi quia est per se Deus, nec factus est un-

(1) Nequaquàm Joannes Baptista *vox* nuncupatur; declarat tantùm Evangelista hunc ipsum esse quem prænuntiabat Isaias, quando dicit : *Vox* (audietur) *clamantis in deserto,* etc. Eodem ipse sensu Joannes dixit c. 1, v. 23 : *Ego vox clamantis in deserto,* id est : Ego sum ille quem sibi audire videbatur Isaias, quando prophetabat : *Vox* (audietur) *clamantis,* etc. (Ed.)

quàm Deus, quod delirant Sociniani? Cùm autem esset Deus, pro nobis factus est homo.

Objiciunt 5°, contra nostrum argumentum : Posset dici Verbum factum fuisse caro, etiamsi antea non extitisset. Ergo, etc. — Nego antecedens. Quod enim aliud fit, priùs sit oportet.

Instant 1° : Adamus Gen. 2, 7, dicitur factus esse in animam viventem. Atqui antea non erat. Ergo pariter potuit Verbum Dei antea non esse, et tamen dici *caro factum*. — Distinguo minorem : Adamus antea non erat secundùm se totum, concedo; secundùm eam partem quæ animari cœpit et secundùm quam dicitur factus in animam viventem, nego. Itaque jam Adamus existebat secundùm corpus; cùm autem Deus insufflâsset in faciem ejus spiraculum vitæ, factus esse dicitur in animam viventem, seu animal vivens. Quapropter hoc exemplum nobis favet.

Instant 2° : Verbum non potuit fieri caro, seu homo, quin Verbum Dei esse desierit; nihil enim fieri potest, quin desinat esse quod priùs erat; et cùm una res fit altera, id fit per mutationem et conversionem in alteram. Atqui absurdum est Verbum Dei, et Verbum et Deum esse desiisse. Ergo Verbum Dei nunquàm factum est caro. — Nego majorem. Ad probationem, nego rursùs majorem. Quando enim una res fit altera, id fieri potest non tantùm per conversionem istius rei in alteram; sed etiam per accessionem novæ alicujus rei. Ita Cicero factus est consul accessione novæ dignitatis, nec tamen Cicero esse desiit; sic marmor fit Mercurius accessione novæ formæ, nec idcircò desinit esse marmor. Pari ergo ratione Verbum cùm esset Deus, naturam humanam assumendo factum est homo, quod non erat; et tamen Deus, quod erat, semper mansit.

Instant 3° : At si Verbum caro factum est novæ naturæ accessione, mutationi obnoxium fuit; non potest enim illud citra mutationem aliquam cogitari. Atqui. — Nego majorem. Ad probationem distinguo : Non potest cogitari citra mutationem ex parte naturæ humanæ, concedo : ex parte Verbi divini, nego (1). Mutatio et motus unum et idem sunt; motus autem non contingit, nisi cùm aut aliquid amittitur, aut intrinsecum quid acquiritur, aut actio per aliquem conatum elicitur. At nihil eorum in Verbum divinum cecidit, cùm caro factum est; non enim amisit quod habebat; non acquisivit aliquid intrinsecum, quod non haberet; nec in opus aut actionem per conatum erupit; sed naturam alienam simpliciter terminare incœpit. Omnis ergo mutatio ex parte naturæ illius se tenet, quæ cùm non esset, creata est, et ad novam dignitatem evecta.

Instant 4° : At aliud est assumere carnem, aliud fieri carnem; hoc enim ultimum sine mutatione et conversione esse non potest. Atqui Verbum non dicitur assumpsisse carnem, sed caro factum esse. — Distinguo majorem : Aliud est generatim, concedo; hoc loco, nego. Hoc enim in loco *caro* idem est quod *homo*, ut passim in Scripturis. Verbum itaque dicitur caro factum, quòd assumptione carnis factum sit homo.

Instant 5° : Verbum non potuit, cùm Deus esset, caro fieri, quin duplex in Christo persona fuerit. Atqui in Christo duplex persona non est. Ergo. — Nego majorem. Duæ enim naturæ in unam personam coaluêre.

Instant 6° : Si Verbum caro factum est, Pater et Spiritus sanctus simul incarnati sunt. Atqui. Ergo. — Nego majorem. Unio enim non facta est in naturâ divinâ, quæ communis est tribus personis, sed in hypostasi Verbi propriâ.

Instant 7° : Opera Trinitatis ad extra toti Trinitati communia sunt, juxta vulgare pronuntiatum. Atqui incarnatio est aliquid ad extra. — Distinguo majorem : Opera propriè dicta, quæ à potentiâ divinâ proficiscuntur; concedo; impropriè dicta, quæ à personalitate unicuique propriâ procedunt; nego. At naturæ humanæ per Verbum hypostatica terminatio, non est opus propriè dictum, sed à Verbi propriâ hypostasi procedit. Duo ergo sunt in incarnatione : primum est naturæ humanæ productio; ea autem cùm opus sit, toti Trinitati communis fuit; alterum ejusdem naturæ hypostatica terminatio; atque hæc personalitati Verbi peculiaris est. Sed ista ad eam theologiæ partem, quæ de incarnatione agit, specialiter pertinent.

Ex epistolâ primâ Joannis. — Secundus locus desumitur ex eodem apostolo Joanne epist. 1, cap. 1, 1, ubi de incarnato Verbo sic loquitur : *Quod fuit ab initio*, inquit, *quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis.* Sic ibi de Verbo

(1) Vide Theol. Curs. compl. t. 9, col. 56, etc. Ibidem habentur luculentæ subsequentium objectionum solutiones. (Ed.)

Dei, quod *Verbum vitæ* appellat, et *vitam* (substantialem nimirùm ut in Evang. cap. 1, 4). Affirmat autem ipsum cùm fuisset ab initio apud Patrem, id est, ab æterno (idcircò enim ipsum *vitam æternam* appellat), affirmat, inquam, ipsum se postea manifestâsse et hominibus apparuisse. Proinde Christus, quatenùs Verbum, priùs existebat, quàm carnem indutus, in terrâ extiterit.

Ex epistolâ ad Philippenses. — Tertius qui utrique instar luculenti commentarii esse potest, ex apostolo Paulo petitur, Philip. 2, 5, ubi sic habet : *Hoc,* inquit, *sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Illic enim Paulus apertè docet Christum fuisse priùs in formâ seu naturâ Dei, postea autem accepisse formam servi, cùm in similitudinem hominum factus est. Ergo priùs erat, quàm formam seu naturam humanam acciperet. Sed de hoc alibi ex professo.

§ 2. *Argumenta secundi generis, quæ certum temporis articulum designant, quo Christus ante assumptam ex Beatâ Virgine carnem extiterit.*

Argumentum primum, è Joannis Baptistæ tempore petitum. — Notum est omnibus Joannem Baptistam sex mensibus fuisse Christo natu majorem. At idem tamen Joannes conceptis verbis asserit Christum se priorem fuisse, ut refert Joannes Evangelista cap. 1, 15 : *Joannes,* inquit, *testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens : Hic erat quem dixi, qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.* Unde sic argumentamur : Si Christus fuit Joanne Baptistâ antiquior, idem certè extitit antequàm carnem assumeret. Atqui reipsà Christus fuit Joanne Baptistâ antiquior. Idem enim Joannes testatur Christum ante se factum esse, hoc est, ante se positum esse, sibi præpositum esse, pluris factum esse; quia ipso prior erat. Ergo, etc.

Respondent Sociniani hoc postremum, *quia prior me erat,* de dignitate, non de existentiâ intelligi oportere, Sed refellitur hæc responsio duplici ex capite.— 1° Enim Joannes duo simul ait; ac 1° quidem clamat Christum ante se factum esse, quod de dignitate accipitur; 2° alterum adjungit tanquàm hujus primi dicti causam, quòd nempe Christus se prior foret. Ergo hoc postremum de dignitate intelligi non potest; alioqui idem probâsset per idem, quod est absurdum. — 2° Verbum illud, *erat,* quo Joannes utitur, de solâ existentiæ, ut ita dicam, prioritate potest intelligi. Hoc enim aliquid præteritum sonat. Proinde si Joannes de dignitate loqui voluisset, omninò dicendum erat : *Quia prior me est.* Non dixit autem; imò dignitatem ab antiquitate distinguens, et utramque ut effectum et causam opponens : *Ante me factus est,* inquit tempore præsenti, seu major me est, *quia prior me erat.*

Objiciunt : At versu 30, ubi eadem sententia repetitur, Christus appellatur VIR : *Post me,* inquit, *venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat.* Proinde de Christo homine loquebatur. Atqui Christus ut homo, non erat ante Joannem. Ergo is locus de majori antiquitate accipi non debet. — Distinguo majorem : Appellatur *vir,* quia vir reverà erat, concedo; quia vir tantùm erat, atque id de eo, quatenùs vir erat, intelligitur, nego. Virum ergo monstrabat Joannes, sed ipsius æternam originem ex aliâ parte simul indicabat. Hoc itaque unam fidei nostræ partem adstruit, alteram non destruit, imò confirmat magis.

Argumentum II, è tempore Prophetarum. — In demonstrandâ Christi existentiæ antiquitate gradatim versùs mundi exordia progrediemur, donec ad ipsius æternitatem probandam veniamus. Illinc à Joanne Baptistâ ad Prophetas ipso vetustiores transimus : *Lex enim et Prophetæ,* ut ait Christus, *usque ad Joannem.* Porrò de Prophetis sic loquitur Petrus Epist. 1, cap. 1, 10 : *De quâ salute* (animarum), inquit, *exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futurâ in vobis gratiâ prophetaverunt; scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuntians eas, quæ in Christo sunt, passiones, et posteriores glorias.* Unde sic argumentamur : Christus extitit antequàm è Mariâ virgine carnem assumeret, si extitit tempore Prophetarum. Atqui Christus eo tempore extitit. Extitit enim eo tempore quo ejus spiritus existebat. Atqui spiritus Christi existebat tempore Prophetarum et in ipsis Prophetis; ergo.

Respondet Socinus eo in loco *spiritum Christi* vocari, spiritum qui Prophetis suggerebat, quæ pertinent ad Christum. — Responsio refellitur. 1° Enim si *spiritus Christi* eâ tantùm de causâ diceretur, quòd suggesserit quæ pertinebant ad Christum, bis idem sine ullâ necessitate aut utilitate, imò cum maxime

erroris periculo (si vera esset adversariorum sententia) Apostolus dixisset. Statim enim subjungit : *Prænuntians eas, quæ in Christo sunt, passiones, et posteriores glorias.* Absit autem à Spiritu sancto, ut lectores in errorem gravissimum præcipites agere, membrorum ejusmodi distinctione, et Christi antiquitatis mendaci significatione voluerit. 2° Si spiritus, quo Prophetæ afflabantur, dici potest *spiritus Christi*, quòd ea prædicerent quæ pertinent ad Christum, potuit quoque eâdem ratione dici fuisse in prophetis spiritus apostolorum, quia de apostolis vaticinati sunt; quod exemplo caret et absurdum est. Quin etiam poterit dici in Prophetis et Apostolis fuisse spiritus Antichristi, quòd nempe utrique Antichristo futuro locuti sint. Atqui hoc impium est quod lingua etiam pronuntiare horret.

Objiciunt 1° : Joannis Epist. 1, cap. 4, 6, *spiritus veritatis* dicitur, qui suggerit veritatem. Ergo pariter dici potest *spiritus Christi*, qui de Christo vaticinatur. — Nego consequentiam et paritatem. Discrimen est quòd Christus persona sit ; veritas non item. Quo in genere falluntur perpetuò Sociniani. Veritas itaque, cùm persona intelligens non sit, in se non habet spiritum ; sed ab aliquo spiritu proficiscitur ; unde *spiritus veritatis* meritò ille nominatur, qui suggerit veritatem. At Christus, cùm persona sit intelligentiâ propriâ prædita, habet in se spiritum proprium. Proinde spiritus Christi non potest esse alius quàm qui ipsi inest. Quocirca si spiritus Christi extitit tempore Prophetarum, Christus eodem tempore extiterit necesse est. Quo enim tempore spiritus alicujus personæ existit, eodem persona illa existit, saltem ex illâ parte. Ejus enim, quod penitùs non sit, nullus spiritus esse potest.

Objiciunt 2° : Joannes epistolâ eâdem et eodem capite 4, vers. 2 et 3, monet jam ætate suâ in mundo extitisse spiritum Antichristi. Atqui nondùm prodierat Antichristus ; nec hactenùs prodiit. Ergo potest dici spiritum alicujus personæ eo tempore esse quo nondùm ipsa existit. — Distinguo minorem : Nondùm prodierat Antichristus, qui sub mundi finem venturus est, concedo ; alter, nego. Scilicet Joannes ibidem *Antichristum* nominat quemlibet hæreticum, qui Christo bellum indicit, quales eo tempore plurimi erant. Hinc cap. 2, 28 : *Filioli*, inquit, *novissima hora est ; et sicut audistis quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt.... Ex nobis prodierunt ; sed non erant ex nobis.* Et cap. 4, 3 : *Omnis spiritus*, inquit, *qui solvit Jesum, ... hic est Antichristus.* Hinc igitur nedùm debilitetur nostrum argumentum, nihil est quo fulciri validiùs queat ; spiritus enim illorum Antichristorum non dicuntur extitisse, nisi cùm iidem Antichristi existebant.

Argumentum III, è tempore Moysis. Hoc argumentum depromitur ex Epistolâ 1 ad Cor. 10, 9, ubi Apostolus docet Christum jam extitisse cùm populus Israeliticus sub Moyse in deserto peregrinaretur : sic enim loquitur : *Neque tentemus Christum*, inquit, *sicut et quidam eorum* (Israelitarum) *tentaverunt, et à serpentibus perierunt.* Ex quo sic colligimus : Is longè ante Mariam virginem extitit, quem Israelitæ in deserto sub Moyse tentârunt. Ergo jam tum existebat Christus, atque adeò longè ante Mariam virginem.

Ad hunc locum multiplex est responsio Socinianorum. Prima est eorum qui in posteriore orationis membro subaudiri volunt nomen *Dei*, quem Israelitæ tentârint, hoc modo : *Neque tentemus Christum, sicut et quidam eorum tentaverunt Deum.* Ita auctores Cateches. Socin. pag. 93 : « Nihil prohibet, inquiunt, quominùs *Deus* subaudiatur, cujus nomen ideò « reticere potuit Apostolus, quia ex historiâ « satis notum esset, quisnam fuisset tentatus. » Secunda est ipsius Socini, qui concedit quidem *Christi* nomen intelligi in posteriore orationis membro, ut in primo exprimitur ; sed simul contendit Paulum de Moyse loqui, quem Israelitæ in deserto sæpiùs tentârunt ; proinde Moysen nomine *Christi* hìc indicari ; adeò ut Apostoli sensus iste sit : *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt Christum suum.* Tertia est ejusdem Socini, qui affirmat rectè dici potuisse Israelitas tentâsse Christum, quia tentaverunt Moysen, qui Christi figura erat. Quarta est Ruari qui in notis ad Catechesim Polonicam, asserit legi in eo loco non debere *Christum*, Χριστὸν ; sed *Dominum*, Κύριον ; hoc nimirùm modo : *Neque tentemus Dominum*, Κύριον, *sicut quidam eorum tentaverunt* : quo semel posito, nulla superest difficultas, ut quidem ille opinatur.

Ita illi, qui varias in partes divisi, tot effugia non quærerent, nisi hoc loco se admodùm premi et ad extremas angustias redigi intelligerent ; sed non effugient.

Prima enim responsio, quæ in posteriore orationis membro *Dei* nomen subaudiendum esse definit, absurda est. 1° Enim ea lex est humani sermonis eaque consuetudo, ut ejus-

modi locutionibus, qui in primo membro exprimitur, idem in secundo intelligatur. Itaque cùm primùm dixerit Apostolus : *Neque tentemus Christum*, et postea addit : *Sicut et quidam eorum tentaverunt*, nihil aliud subaudiri potest quàm pronomen αὐτὸν, *illum*, quod et in quibusdam codicibus reperitur. Sic Joan. 8, *Abraham*, inquit Christus, *exultavit ut videret diem meum : vidit et gavisus est*, non exprimitur quid viderit ; sed subauditur *diem meum :* quod nomen non est repetitum. Sic Deut. 6, 16 : *Non tentabis Dominum Deum tuum*, inquit Deus ipse, *sicut tentâsti in loco tentationis ;* ibi enim posteriorem orationis partem ad eum, cujus nomen paulò ante expressum fuerat, scilicet *Dominum Deum*, sine ullâ ejusdem nominis repetitione referri manifestum est ; quod insuper infinitis aliis exemplis confirmari posset. 2° Particula illa, *et*, sicut in Syriacis codicibus est, apertè denuntiat eumdem esse, qui in primâ et secundâ orationis parte designatur. 3° Tandem, si de Deo loqui volebat Apostolus, cur eum non nominâsset ?

Secunda, quæ fatetur quidem in posteriore sermonis membro *Christum* subaudiri oportere, sed hunc Christum esse Moysen decernit, non minùs insulsa est. 1° Enim in veteri Testamento nullibi Moyses *Christi* nomine videtur donari ; cur ergo Paulus novo isto nomine voluisset intelligi Moysen, quod nemo intelligere potuisset ? 2° In novo saltem Testamento ea vox absolutè posita, ut hìc sumitur, de nullo alio quàm de Jesu Servatore dicitur. Ergo hìc *Jesus* intelligitur. 3° Si quis semel concedat in posteriore locutionis apostolicæ parte, pronomen αὐτὸν, seu *illum*, subaudiri oportere, illud profectò non potest ad alium Christum referri, quàm qui in priore exprimitur. Sed qui in priore exprimitur, is est Christus Jesus. Ergo. 4° Particula, *et*, eumdem esse utrobique Christum indicat, ut omnibus liquet. 5° *Deus* quidem sæpè in Scripturis legitur ab Israelitis tentatus, nunquàm verò Moyses. Nempe illi contra Moysen murmurabant et jurgabantur ; sed solùm tentabant Deum. Hinc Moyses ipse utrumque distinguens Exod. 17, 2 : *Quid jurgamini*, inquit, *contra me ? cur tentatis Dominum ?* et versu 7 dicitur juxta Hebræum codicem vocâsse Moyses locum illum *Massah*, מסה *et Meribah* מריבה, id est, *tentationem et jurgium, propter jurgium filiorum Israel, et quia tentaverunt Dominum dicentes : Estne Dominus in nobis, an non ?* Hinc Deut. 6, 16 : *Non tentabis*, inquit Deus ipse, *Dominum Deum tuum, sicut tentâsti in loco tentationis.* Sic Psal. 94, 9 : *Sicut in irritatione secundùm diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, et viderunt opera mea.* Cùm igitur nullibi Moyses dicatur ab Israelitis tentatus, non potuit Paulus Moysen intelligere, cùm ait : *Neque tentemus Christum, sicut et quidam eorum tentaverunt.*

Tertia, quæ confitetur in posteriore orationis membro Christum Dominum reverà quidem intelligi ; sed ipsum ab Israelitis tentatum typicè duntaxat dici asserit, quia nempe ab Israelitis tentatus est Moyses, qui Christi typus erat, hæc, inquam, responsio, cæteris est ineptior. 1° Enim, ut modò observabamus, nunquàm ab Israelitis Moyses tentatus esse legitur ; ac proinde ex illâ parte peccat. 2° Si, quia Moyses Christi typus fuit, ideò posset dici Christus tentatus cùm Moyses tentatus est, quidquid Moysi aliisque Christi typis convenit, id posset Christo rectè adscribi et de ipso dici ; atque adeò dici posset Christus in Ægypto natus, ex aquis extractus, in domo Pharaonis educatus ; posset dici occidisse Ægyptium, etc. Quis autem non videt hoc fore ridiculum, et ab omni, cùm sermonis humani, tùm Scripturarum consuetudine abhorrere ?

Quarta denique, quæ loco nominis *Christi*, Χριστοῦ, nomen *Domini*, Κυρίου, reponi jubet, et falsa est et inutilis. Ac 1° quidem falsa est. Omnes enim codices vetustissimi, syrus, arabs, latinus, græcus, ut et antiqui Patres, Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, etc. *Christum* habent, non *Dominum*. 2° Inutilis est. Etiamsi enim Apostolus dixisset : *Neque tentemus Dominum, sicut et quidam eorum tentaverunt*, nobis perinde esset. Nemo enim nescit *Domini* nomen Christo, ut proprium, in novo Fœdere attribui. Proinde quocumque tandem modo locus iste legeretur, de Christo semper intelligendus foret.

Objicies 1°, in gratiam hujus quartæ expositionis : Epiphanius hæresi 42, hunc locum memorans, ait, ipsum à Marcione esse corruptum, qui pro τὸν Κύριον, *Dominum*, substituerit τὸν Χριστὸν : et Lincolniensis codex in Bibliis polyglottis etiamnum τὸν Κύριον habet, non verò τὸν Χρίστον. Ergo primæva isthæc Apostoli lectio fuit. — Nego consequentiam. Hinc enim tantùm consequens est, nonnullos codices, et inter alios Epiphanium, ita legisse, reliquis omnibus reclamantibus, quorum numerus et auctoritas longè major est. Deinde

verò, ut jamjam notabamus, nihil refert *Dominumne* legas an *Christum*, cùm utrumque nomen nostro Servatori in novo Fœdere proprium sit. Cæterùm dubitari non potest quin Epiphanius errore codicis sui deceptus sit, cùm nostram lectionem Marcioni, velut auctori, adscripsit. Ea enim extat in syriacâ versione, quæ Marcione est antiquior; extabat eadem pariter in aliis omnium Ecclesiarum codicibus Marcione vetustioribus, è quibus nostri profluxerunt. Etverò quis putet Catholicos universos, ut Marcionis corruptelam admitterent, in id conspirare voluisse, ut suos sacrarum litterarum codices adulterare non vererentur?

Instabis : Codex Alexandrinus, qui omnium antiquissimus est, hunc locum ita concipit : *Neque tentemus Deum, sicut et quidam eorum tentaverunt*, nec de Christo aut Domino nostro ullam mentionem facit. — Respondeo non tantam esse hujus codicis auctoritatem, ut omnibus aliis codicibus et cunctis interpretibus antiquis præponi mereatur. Fons verò erroris fuit, quòd exscriptor, cùm non intelligeret quo sensu Christus dici posset tentatus ab Israelitis, *Deum* ipsius loco substituendum esse perspicuitatis gratiâ, temerè judicaverit,

Objicies : *Christus* est nomen hominis, qui tunc non extabat. — Distinguo antecedens : Non extabat quatenùs homo, concedo; alterâ ex parte, nego. *Christus* itaque hîc ponitur pro Filio Dei, qui postea in plenitudine temporis assumptâ humanâ naturâ dictus est *Filius hominis*. Synecdoche ergo est in Scripturis usitatissima; de quo vide Bullum sect. 1, pag. 22 Defensionis fidei Nicænæ.

Argumentum IV, è tempore Abraham. — Joannis capite 8, cùm sæpè dixisset Christus se vitam æternam daturum discipulis suis, his verbis offensi Judæi, *nunc cognovimus*, inquiunt vers. 52, *quia dæmonium habes : Abraham mortuus est et prophetæ, et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est?* Respondit Jesus versu 56 : *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum; vidit, et gavisus est. Dixerunt ergo Judæi ad eum : Quinquaginta annos nondùm habes, et Abraham vidisti? Dixit eis Jesus : Amen, amen dico vobis, antequàm Abraham fieret, ego sum.* Ex quibus postremis verbis sic argumentamur : Christus extitit ante Beatam Virginem, si extitit antequàm Abraham fieret. Atqui. Ergo, etc.

Hic locus mirificè torquet adversarios. Quocirca, ut ab eo se extricent, triplicem expositionem commenti sunt. Prima est Socini, quam non sine sudore multo ac multis ad Deum fusis precibus se adinvenisse scribit. Sic ergo verti verba Christi imperat : Amen, amen dico vobis, antequàm Abraham fiat id quod ipsius nomen significat, id est, pater multarum gentium, Gen. 17, 5, seu antequàm multitudo gentium ad fidem vocetur et convertatur, dico vobis quòd ego sum. Secunda est auctorum Catech. Socin., qui eodem modo interpretantur has voces : *Antequàm Abraham fieret*, sed in istis, *Ego sum*, ellipsim esse contendunt, ita ut subaudiatur, *Lux mundi*, proinde hæc est juxta eos verborum Christi sententia : Antequàm Abraham fiat id quod ipsius nomen significat, ego sum lux mundi. Tertia est aliorum qui Grotium secuti, hæc verba, *Ego sum*, de decreto divino et prædestinatione intelligunt hoc sensu : Antequàm Abraham fieret, ego sum in mente ac decretis Dei.

Prima responsio refellitur 1°, quia, ut patet, contorta et violenta est, quod etiam satis arguit multus ille Socini sudor, totque, si ipsi fides est, fusæ ad Deum preces. Quid enim tanto sudore opus fuit, si ea interpretatio obvia ac nativa esset? 2° Quia in hoc Christi et Judæorum colloquio de ipsâ Abrahami personâ, non de nominis ejus significatione agebatur; imò de hâc significatione ne cogitabant quidem Judæi. 3° Quia Christus ad propositum non fuisset locutus. Hoc enim ipsi objecerant Judæi : *Quinquaginta annos nondùm habes, et Abraham vidisti?* Quærebant igitur an se Abrahamo antiquiorem esse diceret. Cùm itaque Christus respondeat : *Antequàm Abraham fieret, ego sum*, id de eâdem antiquitate intelligatur oportet. 4° An jusjurandum adhibuisset Christus, ut diceret de se ipso, quod ex æquo omnibus ejus auditoribus conveniebat, et de ipsis pariter eodemque jure dici poterat? Quotquot enim illîc aderant, ii existebant antequàm gentes ad fidem vocarentur et converterentur. Atqui rem illic sibi peculiarem et supra communem fidem positam exprimere volebat Christus, et ejus idcircò veritatem jurejurando firmavit. Ergo de existentiæ suæ antiquitate verba ibi faciebat Christus.

Secunda responsio iisdem incommodis laborat, et præterea ellypsim invehit à nullo Judæorum intelligendam, à nullo Christiano-

rum intellectam. Enimverò quæstio non erat an Christus esset lux mundi, sed simpliciter an ante Abrahamum extitisset. In eo erat difficultas; hanc debuit solvere Christus, ac sanè voluit. Ergo hâc de re, non de aliâ, locutus est.

Tertia responsio perabsurda est. Illic enim id sibi tribuit ut aliquid eximium ac sibi proprium. At quòd esset Christus in mente ac decretis Dei antequàm fieret Abraham, id adeò non est eximium ac Christo proprium, ut omnibus hominibus ex æquo non competat. Nullus enim homo est qui in mente ac decretis Dei non extiterit antequàm in lucem prodiret Abraham. 2° Si hoc sensu verba Christi intelligenda sint, Judæis non tam respondit Christus, quàm illusit; quod ab ipsius bonitate longè alienum est. Etverò Judæi duo hæc conciliare non poterant, quòd nempe Christus Abraham vidisset, et tamen quinquaginta annos nondùm esset natus. Huic Judæorum objectioni, quæ de verâ ac reali existentiâ erat, satisfacere debuit Christus; proinde de reali hâc existentiâ sermonem habuit.

Objicies : Si Christus de reali existentiâ loqui voluit, dicere debuit : *Antequàm Abraham fieret, ego eram.* Atqui hoc non dixit, sed : *Ego sum.* — Nego majorem; utrumque enim perinde est, imò verbum præsentis temporis est aptius altero ad designandam durationem illam, quæ semper una eademque est, seu æternitatem. Sic Psal. 89, 2, David eamdem locutionis formulam ad Deum applicat : *Priusquàm montes fierent,* inquit, *aut formaretur terra et orbis, à seculo et usque in seculum tu es Deus.* Similem vide Prov. 8, 25, græcè; et Isaiæ 43, 13 hebraicè. Nempe æternitas est duratio semper præsens, non interrupta, non fluens.

Argumentum V, è tempore veterum patriarcharum, et ex apparitionibus Dei, quæ in Scripturis narrantur. — Deus in Scripturis sæpè legitur veteribus patriarchis, Adamo, v. g., Abrahamo, Jacobo, Moysi et Josue apparuisse. Quæstio verò est an Deus esset reipsà, an sub ejus nomine Angelus, tum si Deus, an Deus Pater, an Deus Filius, an Deus Spiritus sanctus.

Jam verò apud Socinianos, quibuscum hîc potissimùm dimicamus, 1° constat Deum Patrem non eum esse qui tam frequenter memoratur se videndum hominibus præbuisse. Et certè qui se conspicuum toties fecit, is non semel *Angelus Dei* nuncupatur, seu ejus legatus, nuntius et interpres. Jam verò Pater æternus non posset ita nominari. 2° Indubitatum pariter est, non fuisse Spiritum sanctum. Nempe qui apparuit, is persæpè dicitur *Deus,* et persona quædam haud dubiè fuit. Negant autem Sociniani Spiritum sanctum esse personam, et ullibi in Scripturis *Deum* fuisse appellatum. Quapropter si, qui veteribus Patriarchis visus est, is reipsà fuit Deus, hunc esse oportet Filium Dei, qui postmodùm carne assumptâ dictus est *Christus.*

Tota ergo cum Socinianis eâ de re controversia eò redit, an Deus verè tunc apparuerit (quod nos contendimus), an merus duntaxat et creatus Angelus (quod illi affirmant). At facilè evincemus Deum apparuisse; ex quo sic argumentamur : Is extitit longè ante B. Virginem, qui veteribus Patriarchis apparuit. At, qui veteribus Patriarchis apparuit, is est Christus. Qui enim apparuit, is verè est Deus. At non apparuit Deus Pater nec Spiritus sanctus. Ergo. — Minor posterioris syllogismi in dubium, ut monuimus, non revocatur : proinde sola major ejusdem syllogismi propositio nobis incumbit probanda, quòd nimirùm Deus tunc apparuerit. Eam autem demonstrabimus, 1° Scripturarum auctoritate; 2° veterum consensione Judæorum; 3° Patrum traditione; 4° denique ratione.

Probatur itaque 1° ex Scripturis. Genesis nempe initio, postquàm Moyses retulit historiam creationis mundi et primi hominis Adami, duplicem apparitionem Dei eidem Adamo factam eodem sermonis tenore subjungit, ac primam quidem statim ab Adamo condito, cùm ei Deus obtulit tanquàm domino ac regi brutas omnes animantes, cap. 2, 19 : *Formatis igitur,* inquit, *Dominus Deus* (hebraicè *Jehovah,* יהוה) *de humo cunctis animantibus terræ et universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea;* alteram verò statim ab Adami peccato. Narrat enim venisse tunc Deum, et Adamum contra pudore suffusum fugisse; cap. 3, 8 : *Cùm audissent,* inquit, *vocem Domini (Jehovah), deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam et uxor ejus :.... vocavitque Dominus Deus Adam et dixit ei : Ubi es?* Postmodùm verò addit consequentia, Deum videlicet, cùm Adamum irrideret, qui cum ipso similitudinem affectaverat, dixisse : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est;* et dehinc cùm eumdem è paradiso ejecisset, in paradisi aditu collocâsse Cherubim cum flammeo et versatili gladio,

ad custodiendam viam ligni vitæ. Ibidem, cap. 18, altera apparitio longè celeberrima describitur Abrahamo facta. Versu enim 1 et 2, narrat Deum cùm plectere vellet Sodomitas, duobus Angelis stipatum in terram descendisse, et sub humanâ specie Abrahamo se videndum præbuisse. *Apparuit autem ei Dominus*, inquit, *in convalle Mambre :.... cùmque elevâsset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum,.... et adoravit in terram.* Versu autem 3 refert rem summâ considerationc dignam, Abrahamum videlicet, cùm tres vidisset, unum tamen duntaxat adorando compellâsse (1), haud dubiè illum qui versu 1 *Dominus* (*Jehovah*), dictus fuerat, quòd divinâ præ aliis majestate emineret: hæc sunt Moysis verba. *Et dixit* (Abraham) : *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum.* Cùm autem postea commemorâsset quâ ratione eos convivio exceperat Abraham, subdit duos quidem Angelos Sodomam abiisse; sed Dominum cum Abraham substitisse; cùmque inter colloquendum aperuisset ei futuram mox civitatis istius eversionem, Abrahamum enixè à Deo postulâsse, ne justos cum impiis perderet, atque istud ipsi Deum promisisse : *Converteruntque se inde*, inquit, versu 22, *et abierunt Sodomam, Abraham verò adhuc stabat coram Domino* (*Jehovah*), *et appropinquans ait : Numquid perdes justum cum impio?.... Non est hoc tuum qui judicas omnem terram* (hebraicè, *qui judex es universæ terræ*); *nequaquàm facies judicium hoc.* Sedcùm nullus præter Lot in eâ civitate justus esset, pergit Moyses, et memorat quâ ratione Domino in locum suum abeunte, et duobus Angelis Sodomam profectis, ea subversa sit. Versu 33 : *Abiitque Dominus, postquàm cessavit loqui ad Abraham.* Capite autem 19, 1 : *Veneruntque duo Angeli Sodomam*, inquit, etc. Versu autem 24 : *Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem à Domino.*

Ibidem, cap. 22, 12, alia commemoratur, cùm idem Abraham immolaturus esset filium suum : *Et ecce Angelus Domini*, inquit Moyses, *clamavit de cœlo, dicens..... Nunc cognovi quòd times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me.*

Ibidem, cap. 28, alia refertur Jacobo in Mesopotamiam eunti facta ; versu 12 : *Viditque in somnis*, inquit Moyses, *scalam stantem super terram..... Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum* (*Jehovah*) *innixum scalæ, dicentem sibi : Ego sum Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac; terram in quâ dormis, tibi dabo et semini tuo.* Versu 16 : *Cùmque evigilâsset Jacob de somno, ait : Verè Dominus* (*Jehovah*) *est in loco isto.* Versu 20 : *Vovit etiam votum, dicens : Si fuerit Deus mecum..... erit mihi Dominus* (*Jehovah*) *in Deum* Capite 31, 11, Jacob ipse referens hanc historiam, *Angelum Dei* nominat, qui priùs *Jehovah* fuerat vocatus. *Dixit Angelus Dei ad me in somnis..... Ego sum Deus Bethel, ubi..... votum vovisti mihi.*

Exodi cap. 3, eadem loquendi ratio occurrit. Moyses enim narrans factam sibi in rubo apparitionem, 1° *Angelum Dei* (*Jehovah*) mox *Deum* (*Jehovah*) nominat. Versu 2 : *Apparuitque ei Dominus*, inquit, (hebraicè *Angelus Jehovæ*) *in flammâ ignis de medio rubi..... Dixit ergo Moyses : Vadam..... Cernens autem Dominus* (*Jehovah*) *quòd pergeret ad videndum,... ait... Ego sum Deus patris tui Deus Abraham, et Deus Isaac et Deus Jacob..... Veni, et mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israel, de Ægypto... Ait Moyses : Si dixerint mihi : Quod est nomen ejus? quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen : Ego sum qui sum... Hoc nomen mihi est in æternum.*

Ibidem, cap. 19 et 20, describit Moyses quo ritu legem à Deo in monte Sinâ acceperit, et quæ essent Decalogi capita. Itaque cap. 19, v. 3 : *Moyses autem*, inquit, *ascendit ad Deum, vocavitque eum Dominus* (*Jehovah*) *de monte, et ait : ..... Hæc dices domui Jacob : ..... Si audieritis vocem meam,..... eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra.* Versu 20 : *Descenditque Dominus* (*Jehovah*) *super montem Sinai.* Capite autem 20, 1 : *Locutus est Dominus cunctos sermones hos : Ego sum Dominus* (*Jehovah*) *Deus tuus. ..... non habebis deos alienos coram me.*

Ibidem, cap. 33, cùm Deus præ tædio duræ Israelitarum cervicis, eos ampliùs ducere ipse nollet, ait loco suo deinceps Angelum se missurum, sed cùm eum rogâsset Moyses ne id faceret, in ejus precibus acquiescit : *Vade*, inquit versu 1,..... *mittam præcursorem tui Angelum : ..... non enim ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es, ne fortè perdam te in viâ.* Versu 15 : *Et ait Moyses : Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto.* Versu 17 : *Dixit autem Dominus ad Moysen : Et verbum istud, quod locutus es, faciam.*

(1) Vide Bibl. sacr. Latin. et Gallic., etc., auct. D. Claire, in hunc locum.

Denique Josue cap. 5, mentio fit apparitionis, quæ ipsi contigit : *Eo*, inquit v. 21, *tempore, ait Dominus (Jehovah) ad Josue : Fac tibi cultros lapideos.* Versu 13 : *Cùm autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos suos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait : Noster es, an adversariorum? qui respondit : Nequaquàm; sed sum princeps exercitûs Domini; et nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram, et adorans ait : Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? Solve*, inquit, *calceamentum tuum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, sanctus est.*

Et hæ quidem præcipuæ sunt, quæ memorantur in veteri Testamento, Dei apparitiones, veteribus Patriarchis factæ; ex quibus facile est demonstrare Deum ipsum sub assumptâ formâ visum esse.

1° Enim qui apparuit, is passim (*Jehovah*, יהוה) nuncupatur. Atqui illud nomen maximè Dei proprium est, omnibus fatentibus. Ergo is verè Deus erat. Quis enim putet merum et creatum Angelum voluisse sibi vindicare nomen Dei augustissimum ac maximè proprium? Et certè Paulus ad Hebr. cap. 1, Christum Angelis esse longè excellentiorem demonstrat, eò quòd *Filius Dei* vocatur : *Tantò*, inquit versu 4, *melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit.* At longè excellentiori nomine donati Angeli erunt, si sub specie humanâ *Jehovæ* dicti sint. Ergo hoc magnifico ac divino nomine nunquàm reipsà sunt Angeli decorati. — 2° Qui apparuit Adamo, idem est Deus à quo creatus fuerat, perinde ac mundus; est enim idem sermonis tenor; solus Deus in his omnibus locis memoratur; de Angelis autem ne verbum quidem extat. At solus Deus creavit mundum ac hominem finxit; neutrum autem in Angelos competit. — 3° Is Adamo videndum se dedit, cum quo similitudinem Adamus affectaverat. Atqui Adamus Deo similis esse voluerat. — 4° Qui Adamum è paradiso expulit, is videtur esse Cherubim dominus. At solus Deus est Cherubim dominus. — 5° Qui ubique ab Angelis distinguitur, non potest in Angelorum numero recenseri. Atqui Dominus, qui apparuit Abrahæ Gen. 18, ubique ab Angelis distinguitur; et Abraham, qui tres vidit, unum duntaxat adoravit, ut Ambrosius notat lib. 1 de Abraham, cap. 5. Ergo. — 6° Solus Deus est judex universæ terræ. At qui apparuit Abrahamo, is ab ipso ut judex universæ terræ agnoscitur. Etverò ex historiâ ipsâ liquet Abrahamum, cùm in tertio certas agnovisset divinæ majestatis notas, cum ipso tanquàm omnium arbitro egisse, ut, si fieri posset, ruinam Pentapoleos remoraretur. — 7° Deus, quem timebat et adorabat Abraham, is verus est Deus. Atqui is obstitit quominùs immolaret Isaac. — 8° In eâ, quæ facta est Jacobo, apparitione, Deus ab Angelis suis secernitur, et vovet pius ille Patriarcha se deinceps pro Deo habiturum eum, qui sibi apparuerat. At profectò Angelum pro Deo habere nolebat Jacob. — 9° Deus Abraham, Isaac et Jacob, verus est Deus. Atqui Deus Abraham, Isaac et Jacob cum Moyse loquebatur, dùm ipsum in Ægyptum mitteret. — 10° Solus Deus est *ille qui est*, hoc enim nomen sibi esse proprium et singulare declarat. Sed qui visus est à Moyse, testatur se esse *eum qui est.* Unde etiam vox *Jehovah* deducta est. — 11° Qui pactum iniit cum populo Israelitico, eumque sibi dicavit in peculium ex cunctis gentibus terræ, is verus est Deus. Atqui idem ipse in monte Sinâ allocutus esse Moysen fertur. Ergo. — 12° Is, qui solus adorandus est, cui soli serviendum, et præter quem nullus alius Deus habendus, is verus est Deus. Sed idem ille Moysi ibidem apparuit. Ergo. — 13° Qui minabatur fore ut loco suo deinceps mitteret Angelum ut præesset populo Israel, non erat ipse Angelus. Atqui hoc in peccati pœnam intentabat, et Moysi minabatur, qui ducebat Israel et Moysi conspiciendum se præbebat. Ergo is non Angelus, sed Deus fuit.—14° Qui divinos honores sibi tribui patiebatur, is Angelus non erat. At qui veteribus Patriarchis se contuendum dedit, is passim divinos sibi honores exhiberi tulit. — 15° Christus ipse Matth. 22, 32, disertè testatur Deum ipsum fuisse qui dixerit Moysi : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob. De resurrectione autem mortuorum*, inquit, *non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. Non est Deus mortuorum, sed viventium.* — 16° Joan. 8, 36, Christus idem ait se ab Abrahamo visum : *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit, et gavisus est* (1). — 17° Paulus non aliâ de causâ 1 Cor. 10, 9,

(1) Non germana hæc est istius loci interpretatio. Sensus est, Abraham exultavisse ut videret diem Christi, id est, tempus adventûs ejus, eoque viso, gavisum esse; scilicet Abraham didicerat Messiam advenisse, sive

affirmat Christum ab Israelitis fuisse tentatum.

Quocirca ex Scripturis 1° perspicuum est Deum ipsum veteribus Patriarchis apparuisse.

Probatur 2° consensione antiquorum Judæorum, quorum hæc constans fides fuit. — 1° Enim auctor libri *Sapientiæ*, qui apud nos quidem sacer et canonicus, apud Socinianos autem testis saltem esse debet Judæorum sententiæ, isque omni exceptione major, de eo loquens Angelo, qui Moysi sæpè apparuit, et Ægyptiorum primogenitos internecione delevit per noctem, cap. 18, 14 : *Cùm quietum silentium*, inquit, *contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus,..... in mediam exterminii terram prosilivit,... et stans replevit omnia morte, et usque ad cœlum attingebat, stans in terrâ.* Ibi quippe manifestè designat Verbum Dei. Ipsum autem esse Deum non minùs apertè indicat : quandoquidem ei omnipotentiam, et immensitatem, et regalem in cœlo sedem attribuit. — 2° Septuaginta interpretes Ezech. 1, 24 (ubi sic legimus : *Et audiebam..... quasi sonum sublimis Dei*), ita habent : *Et audiebam..... vocem Verbi Dei.* — 3° Philo Judæus eâdem doctrinâ (1) imbutus, conceptis verbis asserit, 1° Deum qui apparuisse dicitur Adamo, fuisse Verbum Dei; l. b. de Somniis; 2° Dominum, qui pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem, idem Dei Verbum extitisse; ibid. 3° Eum Angelum, qui populo Israelitico in deserto præfuit, non alium habendum esse ab hoc Dei Verbo, primogenito Filio, per quem hunc mundum regit et gubernat; in lib. de Agriculturâ, de quo supra. — 4° Chaldæi paraphrastæ idem senserunt. Genesis enim 3, 8, loco horum verborum : *Audiverunt vocem Domini Dei*, Targum Onkelos et Targum Jonathan habent : *Audiverunt vocem Verbi Domini Dei.* Ibidem, versu 9, pro : *Vocavitque Dominus Deus Adam*, scribunt : *Et Verbum Domini vocavit Adamum.* Vide et Gen. 29, 20. — 5° Trypho Judæus cum Justino Martyre colloquens, pariter asserit duos simul affuisse in apparitione Moysi factâ in rubo ardente, Deum scilicet et Angelum; et Angelum quidem in ignis flammâ apparuisse; Deum autem, in Angelo nempe, cum Moyse fuisse collocutum. — 6° Moses Gerundensis docet, quoties Angelus aliquis in sacris Scripturis appellatur *Jehovah*, non Angelum merum, sed cui affuerit Verbum Dei, intelligi. — 7° Tandem hoc de veteribus Judæis perhibent eruditi, Andreas Masius in Josue; Grotius in cap. 1 Joannis; Bullus in Defensione fidei Nicænæ, sect. 1, pag. 16.

Probatur 3° unanimi consensione priscorum Ecclesiæ Patrum, qui in variis ac longè dissitis à se invicem locis positi, in id sanè non conspirâssent, nisi hoc ipsum ab Apostolis et viris apostolicis Ecclesiarum suarum fundatoribus accepissent. Verbum porrò ac Filium Dei veteribus illis Patriarchis apparuisse, in eoque futuræ quondàm incarnationi veluti præludere voluisse docent. Justinus in Dialogo cum Tryphone, pag. 275, 277, 280, 281, 282. Theophilus Antiochenus lib. 2 ad Autolycum, pag. 100 : « Filius, inquit, assumens personam Patris et Domini universorum, venit in paradisum sub personâ Dei, et colloquebatur cum Adamo. » Irenæus lib. 4, cap. 11 : « Qui igitur à Prophetis adorabatur « Deus vivus, hic est vivorum Deus, et Verbum ejus, qui et locutus est Moysi, » etc. Vide et cap. 12, 26 et 37. Clemens Alexandrinus lib. 1 Pædag. cap. 7, ait pædagogum (Christum nempe) apparuisse Abrahamo, visum fuisse Jacobo et cum eo luctatum, denique Moysi se manifestâsse.

Tertullianus contra Judæos cap. 9 : « Qui « ad Moysen loquebatur, ipse erat Dei Filius, « qui et semper videbatur. » Vide etiam lib. 2 contra Marcionem, cap. 27; lib. 3, cap. 6; et lib. contra Praxeam cap. 14 et 16; Origenes in Celsum lib. 3 et 6; Novatianus de Trinit. cap. 25, 26 et 27; Patres synodi Antiochenæ in epist. synod. adversùs Paulum Samosat.; Eusebius Historiæ lib. 1, cap. 2; Athanasius Orat. 4 contra Arianos; Hilarius lib. 4 et 12 de Trinitate; præsules synodi Syrmiensis, qui et anathema dicunt iis qui illud confessi non fuerint; Basilius lib. 2 contra Eunomium; Gregorius Nazianzenus Orat. 49; Gregorius Nyssenus apud Euthymium; Cyrillus Hierosolymitanus cateches. 10 et 14; Philastrius hæresi 84; Ambrosius lib. 1 de Fide cap. 5; Chrysostomus in cap. 7 ad Hebræos; Augustinus lib. contra Adimant. cap. 9, et epist. 99, 111, 112; Cyrillus Alexandrinus lib. 12 Thesauri; Leo Magnus epist. 17; Theodoretus

per revelationem immediatam, sive per angelorum nuntia, sive etiam per justorum animas, quæ ad ipsum post Christi nativitatem descenderant. (Ed.)

(1) Vide opus supra laudatum Joan. Lami de rectâ christ. in eo quod myst. divin. Trinit. attinet Sententiâ, lib. 3, c. 8. Item ibid. lege luculenta quædam de Paraphrastis Chaldæis. (Ed.)

quæst. 68 in Gen. et 5 in Exod.; Prudentius in Apotheosi; Isidorus in lib. de Naturâ Dei, et *quis non?*

Probatur 4° ratione. Vel enim Deus apparuit, vel Angelus tanquàm ejus legatus. At legatus Dei non fuit. Quis enim unquàm legatus aliter locutus est de rege à quo missus sit, quàm in tertiâ personâ, *Hæc dicit rex?* Legatus enim nomine quidem regis loquitur; sed quæ regi propria sunt, insolenter non usurpat. Cujus etiam illustre testimonium extat apud Prophetas, apud quos nimirùm hæc solemnis formula est: *Hæc dicit Dominus.* Imò in apparitionibus Angeli se pariter missos esse profitentur. Absit ergo ut putemus Angelum sibi et nomen Dei proprium, et cuncta, quæ Deo maximè peculiaria sunt, tribuisse, et ita fuisse locutum quasi ipse Deus esset. Nimirùm Deus est zelotes, et gloriam suam cum alio non communicat.

Objiciunt 1°: Ex Epistolâ ad Hebræos, cap. 13, constat Abrahamum nonnisi Angelos convivio accepisse. Sic enim loquitur Apostolus vers. 2: *Hospitalitatem,* inquit, *nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.* Ergo Deus ipse Abrahamo non apparuit.

Nego consequentiam. Unum enim memorat Apostolus quod verum est; alterum verò tacet quidem, sed non negat; quanquàm non tam ad Abrahami fortè, qui solùm convivio, quàm ad Loti, qui etiam hospitio Angelos exceperat, historiam respicit Apostolus. Lot porrò non Deum, sed Angelos duntaxat hospitio excepit.

Instabis: At ibi Paulus commendare voluit hospitalitatem. Ergo si Deus ipse fuisset, ad laudem virtutis tantò majorem, id non omisisset Apostolus. — Distinguo antecedens: Commendare voluit ab iis rebus, quæ in usum adhuc venire poterant, concedo; quæ in usum venire non poterant, nego (1). Commendare ergo voluit hospitalitatem ab eo ingenti bono et honore, qui olim ex hospitalitate in quosdam redundàsset, et in ipsos, quos alloquebatur, redundare adhuc fortè poterat. Christus verò aut Deus hospitio excipi non potest; id autem in Angelis locum habere posset. Quapropter prudentissimè Paulus in exemplum, non Deum, sed Angelos attulit.

Objiciunt 2°: Qui Moysi in rubo apparuit, is à Stephano Act. cap. 7, v. 30 et 35, *Angelus* dicitur: *Expletis,* inquit, *annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.* Quin etiam ibidem à Deo distinguitur. — Distinguo antecedens: Angelus magni consilii qui ipse Filius Dei est, concedo; creatus et inferior, subdistinguo: in quo esset Dei Filius, concedo; merus, nego. Duplici itaque modo potest locus iste exponi: vel ita ut Filius Dei à Stephano vocetur *Angelus* quomodò et alibi, quia nempe erat missus à Patre, ut sub formâ hominis assumptâ appareret, *Angelus* enim nomen est officii, non naturæ; vel ita ut Angelus reverà inferior et creatus appareret, sed in eo tamen Filius Dei esset per assistentiam ac præsentiam singularem. Posterior autem hæc interpretatio magis arridet. Putamus itaque Filium Dei, cùm apparere tunc voluit, Angelum assumpsisse: huic autem Angelo corporis formam circumdedisse, ita ut Angelus immediatè, Filius autem Dei mediatè appareret. In Angelo loquebatur Filius Dei, quia nempe efformabat in Angeli mente eas notiones rerum quas Moysi innotescere volebat, et in corpore Angeli voces idoneas ad conceptus exprimendos. Quocirca Angelo corporis formâ induto, velut organo et instrumento utebatur. Rem verò ita esse Scriptura satis apertè significat. 1° Enim Exodi 3, Moyses apparitionem sibi factam descripturus versu 2 indicat Angelum Dei fuisse, qui sibi apparuerit. Vers. autem 4, 5, 6, etc. Deum

(1) Non planè ad persuadendum efficax esse videtur, quod dicit auctor, S. Paulum, ut hospitalitatem commendet, de iis loqui quæ in usum venire poterant. Etenim non tam ad usum ipsum intendit, quàm ad pretium in quo posita sit apud Deum hospitalitas: porrò sive Angeli ab hominibus recepti fuerint, sive ipse Dominus Angelorum, pariter constat magnâ in laude apud Deum hospitalitatem haberi. Præterea minùs rectè, nostro quidem judicio, asseritur fieri non posse ut quis Deum aut Christum hospitio recipiat. Non enim videmus cur omninò negaretur fides pluribus sanctorum historiis, quæ hoc ipsis contigisse narrant. Id equidem rarò evenire debet; at verò itane frequenter sub veteri Testamento fieri solebat? Sed quid tandem causæ fuit, cur Angelos potiùs quàm Filium Dei appellaret Apostolus? quemadmodùm tutius, ita et convenientius forsitan esset, ingenuè fateri hujus rei nos latere causam. Si tamen aliquam assignare fas est rationem, dici potest, S. Paulum in receptam vulgatamque fortassis apud Judæos opinionem offendere, absque ullâ necessitate, noluisse, et easdem voces usurpásse quibus priores scriptores sacri usi fuerant, atque adeò non exclusum ab ipso fuisse Filium Dei, siquidem omnes nôrunt Angelorum nomen non naturæ tantummodò esse, sed etiam quandoque ministerii, ipsumque Dei Filium magni consilii Angelum sæpiùs vocari. (Ed.)

ipsum fuisse, qui secum sit collocutus. 2° Ejusdem libri capite 23, 20 : *Ecce ego*, inquit Deus Moysi, *mittam Angelum meum, qui præcedat te..... Observa eum,..... quia non dimittet cùm peccaveris, et est nomen meum in illo.* Hæc autem phrasis hebraica est, quâ se Filius Dei Moysen alloquens, in isto Angelo futurum esse denuntiat. 3° Stephanus in eo, qui objicitur, loco utrumque insinuat. Postquàm enim dixit Angelum apparuisse, ita subdit versu 31 : *Moyses autem videns admiratus est visum, et accedente illo ut consideraret, facta est ad eum vox Domini, dicens : Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob.* Angelus ergo apparuit; sed in eo Deus ipse loquebatur. 4° Ea veterum Judæorum opinio fuit, ut discimus ex Philone in Expositione Decalogi; et ex Tryphone supra. 5° Hoc idem senserunt sancti Ecclesiæ doctores, Clemens Alexandrinus et Athanasius supra; Hieronymus in cap. 3 ad Galatas; Augustinus lib. 2 contra Maximinum, sub finem; Fulgentius contra Maximum.

Objiciunt 3° : Qui in Sinâ legem Moysi dedit, hunc Angelum duntaxat extitisse ex multis Scripturæ locis haud dubiè colligitur. 1° Enim idem Stephanus Act. 7, 38, de Moyse loquens : *Hic est,* inquit, *qui fuit in Ecclesiâ in solitudine cum Angelo qui loquebatur ei in monte Sina.* Versu autem 53, de lege : *Qui accepistis,* inquit, *legem in dispositione Angelorum, et non custodistis.* 2° Paulus Apostolus eodem sensu ad Gal. 3, 19 : *Quid igitur lex?* inquit, *propter transgressiones posita est,.... ordinata per Angelos in manu mediatoris.* 3° Idem ad Hebr. 2, 2, legem veterem cum novâ componens : *Si enim,* inquit, *qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus,..... quomodò nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Quod et Josephus agnoscit lib. 15 Originum : « Cùm « nos, inquit, dogmatum potissima et sanctis- « simam legum partem per Angelos à Deo ac- « ceperimus. » Ergo Deus ipse hanc Moysi non dedit, nec ipsi in monte Sina apparuit.

Respondeo cum Angelo Deum ipsum apparuisse, aut potiùs in eo fuisse locutum ac visum. Quòd enim Deus præsens fuerit et locutus sit, illud jam supra satis demonstravimus; aderat autem stipatus Angelis. Hinc Moyses Deut. 33, 2 : *Dominus,* inquit, *de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia, in dexterâ ejus ignea lex.* Ibi, ut patet, Deus ab Angelis distinguitur et cum Angelis affuisse memoratur. Sic et David Psal. 67, 18 : *Currus Dei,* inquit, *decem millibus multiplex millia lætantium : Dominus in eis, in Sinâ, in sancto.* Proinde Deus ipse in medio Angelorum erat, cùm antiqua lex Moysi tradita est. Negari igitur non potest à Deo datam esse veterem legem. Dicitur tamen lex illa, *factus per Angelos sermo,* et *ordinata per Angelos,* quia scilicet Angeli formâ corporis, quæ videbatur, amicti erant, et sonos ipsi edebant; sed iis ceu instrumentis utebatur Deus.

Objiciunt 4° : Auctor Epistolæ ad Hebræos eò Evangelium præfert legi, quòd hæc per Angelos, illud per Dominum, nempe Christum, fuerit promulgatum; quod non solùm cap. 2°, supra, docet, sed etiam 1°, his verbis versu 1 : *Multifariàm multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.* Ergo, inquiunt, Deus qui multis olim modis nobis locutus fuerat per Prophetas, novissimis demùm temporibus locutus est per Filium. Novissimum autem tempus est tempus Evangelii. Proinde ante istud tempus nunquàm locutus fuerat Filius Dei, aut Deus per Filium suum; alioquin non rectè Apostolus utrumque tempus opponeret, si in utroque apparuerit et locutus fuerit Filius Dei, aut Deus per Filium.

Distinguo antecedens : Novissimè locutus nobis est per Filium personaliter nobiscum loquentem et humano more versantem, concedo; secus, nego. Hanc difficultatem sibi proponit Ludovicus de Tenâ, vir eruditissimus, in cap. 1 Epist. ad Hebr. difficult. 2, § 2, et eam sic solvit : « Paulus, inquit, tantummodò « ponit discrimen inter ultimam apparitionem « Filii Dei et priores veteris Testamenti, quia « istæ fiebant in creaturâ corporali, non hy- « postaticè unitâ Filio Dei, et ita medio sup- « posito creato corporeo, imò et angelico, lo- « quebatur Filius Dei. At verò in illâ appari- « tione Verbi incarnati, de quâ asserit, *novis- « simè locutus est nobis per Filium,* non mediat « aliquod suppositum creatum, neque corpo- « reum, neque angelicum; sed Verbum divi- « num immediatè immediatione suppositi lo- « quebatur hominibus. Neque obstat quòd hîc « fuerit media natura humana, quia hæc « caruit proprio supposito, et immediatè fuit « unita supposito Verbi. Et hîc est legitimus « sensus horum verborum, et ita manet rectè « explicata Apostoli contrapositio et excellen- « tia Evangelii supra legem veterem. » Quâ quidem in responsione viri doctissimi, quæ

profectò solida est et menti Patrum consentanea, licet pro scholæ more, non ita elegantibus verbis expressa sit, lubenter acquiescimus.

Objiciunt 5° : At qui apparuit, sæpenumerò vocatur *Angelus*. Ergo non erat Deus. — Distinguo antecedens : Angelus ab officio, concedo ; naturâ, subdistinguo : In quo Deus esset, concedo ; secùs, nego. Itaque, ut jam monuimus, et Patres notant, *Angelus* officii nomen est, non naturæ ; quapropter illud nomen licet specialiter tribuatur beatis illis spiritibus, quos *Angelos* appellamus, potest aliis etiam tribui ; proinde Filio Dei, quòd Patris inter homines nuntius fuerit. Ita Malachiæ 3, 1, Joannes Baptista *Angeli* nomine designatur : *Ecce ego*, inquit Deus, *mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam*. Et versu 2 Christus ipse : *Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vox quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis*. Capite autem 2, 7, de quovis sacerdote loquens : *Angelus Domini exercituum est*, inquit. Quocirca nihil est cur ipse Filius Dei in his Scripturæ locis illo nomine donatus non fuerit. Quòd si Angelus minor fuit et creatus, in eo per præsentiam singularem existebat Deus.

Objiciunt 6° : Potest dici Angelus merus in memoratis supra apparitionibus locutus fuisse, quasi ipse Deus esset, quia nempe verba Dei recitabat. Ergo hinc erui non potest Deum ipsum tunc locutum esse. — Nego antecedens. Nunquàm enim sic loquuntur vel in novo Fœdere Angeli, vel in veteri Prophetæ, nisi præmissâ aliquâ præfatione, quâ indicant se Dei, à quo missi sunt, verba mox esse relaturos. At nulla in his apparitionibus ejusmodi præfatio est. 2° Qui apparet *Jehovah*, יהוה, appellatur. 3° Ii quibus apparet cum ipso ut vero Deo, agunt et loquuntur. Ergo Deus ipse apparebat et loquebatur.

Objiciunt 7° : Aliquando fit ut, qui personam alterius agit, eo, quo ipsa, modo, sine ullâ admonitione loquatur ; sic qui in scenâ regis personam sustinet, ut rex ipse loquitur. — Respondeo id quidem in eo casu verum esse ; sed absit ut sentiamus aut dicamus Deum olim per Angelos histrioniam exercere voluisse, aut auctorem legis veteris Deum histricum extitisse ; hoc vel cogitare nefas est, et mirum profectò est eò usque adductos fuisse Socinianos.

Argumentum VI, è tempore creationis munai. — Non unus est Scripturarum locus, qui Christo mundi creationem adscribat. 1° Enim Psal. 32, 6 : *Verbo Domini*, inquit David, *cœli firmati sunt*. 2° Joannes Evang. 1, 1 : *In principio*, inquit, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*. Versu 3 : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est*. Versu 10 : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit*. 3° Paulus 1 Cor. 8, 5 : *Etsi sunt*, inquit, *qui dicantur dii, sive in cœlo sive in terrâ..... nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia et nos in illum, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum*. 4° Idem Apostolus Coloss. 1, 15 : *Primogenitus*, inquit, *omnis creaturæ quoniam in ipso condita sunt universa* (græcè, *creata sunt*) *in cœlis et in terrâ, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates ; omnia per ipsum et in ipso creata sunt ; et ipse est ante omnes ; et omnia in ipso constant*. 5° Hebr. 1, 2 : *Novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio..... per quem fecit et secula*. 6° Idem ibidem versu 10, de ipso dictum illud esse affirmat Psal. 101, 26 : *Tu in principio, Domine, terram fundâsti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur ; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*. 7° Idem ibid. c. 11, 3 : *Fide intelligimus aptata esse secula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*. 8° 2 Petri 3, 5 : *Cœli erant priùs et terra, de aquâ et per aquam consistens Dei Verbo*.

Ex quibus ita argumentamur : Ille extitit longè ante Mariam virginem, qui mundum et omnia quæ in mundo sunt condidit. Atqui Christus rerum universitatem creavit, ut ex locis Scripturæ laudatis compertum est. Hæc adeò dilucida sunt, nihil ut aliud desiderari posse videatur. Attamen Sociniani nonnulla reponunt, non tam ut Scripturas explicent, quàm ut eludant ; quod patefacere operæ pretium est. Ista porrò objectionum in morem perspicuitatis causâ proponemus ac refellemus.

Objiciunt 1° : Quando David Psal. 32, 6, ait : *Verbo Domini cœli firmati sunt*, id non de personâ quâdam Verbi ab æterno Patre distinctâ, sed de Patris æterni imperio accipi oportet. Ergo hinc erui non potest fuisse principio rerum personam aliquam divinam à Patre distinctam, quæ cœlos creaverit. — Respondeo Davidis quidem verba, si sola essent, posse ambigua videri ; sed dubium omne

tollunt Apostoli, qui hoc ipsum, quod Verbo Dei tribuit David, Christo adscribunt.

Objiciunt 2° : Cùm à Joanne c. 1, 3, omnia dicuntur à Verbo facta, et sine ipso factum esse nihil eorum quæ facta sunt, hæc possunt ac debent non de omnibus omninò rebus unquàm factis, sed de iis duntaxat, quæ pertinent ad Evangelium, intelligi ; atque adeò ex his colligi non potest omnia per Christum esse creata, sed tantùm omnia per Christum esse instaurata atque reparata. — Nego antecedens. Hæc enim interpretatio digna non est, quæ cum nostrâ comparetur. 1° Enim nomen illud *principii*, quod paulò ante adhibuerat Joannes, primam rerum creationem designat, ut jam supra observavimus. Ita quippe accipitur, quoties in Scripturis de tempore sine ullâ restrictione usurpatur. 2° Hæ voces : *Et Deus erat Verbum*, eò pariter ducunt, ut intelligamus per ipsum omnia esse creata ; quod Dei proprium est. 3° Quæ sequuntur verba : *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil quod factum est*, idem præ se ferunt. Nedùm enim ullam limitationem postulent, videntur de industriâ posita, ut quamlibet exceptionem excludant. 4° Expositio nostra ex ipsâ Apostoli sententiâ sponte suâ velut efflorescit. At contra expositio adversariorum videtur solummodò conficta, ut causæ eorum serviat. 5° Si, quod sentiunt Sociniani, merus homo est Christus, falsa etiam est. An non enim ad Evangelium pertinent Prophetarum vaticinia, legis Mosaicæ imagines et figuræ, Joannis Baptistæ origo singularis, missio et prædicatio, ipsius Christi supra naturæ leges conceptio, in Messiam designatio, ex mortuis resurrectio, et alia id genus? Atqui ista Christum auctorem non habent, si merus homo fuerit. Ergo falsum est, hoc posito, omnia quæ ad Evangelium pertinent, per ipsum esse facta, et sine ipso factum esse nihil eorum quæ in hoc etiam genere facta sunt. 6° Interpretatio nostra servat ordinem rerum, quem turbat omninò Sociniana. Nos enim statuimus Verbum in principio fuisse apud Deum, et Deum ipsum esse ; deinde omnia per ipsum facta esse ; postea verò carnem assumpsisse ; hunc autem ordinem tenet Evangelista. At Sociniani definiunt Christum, 1° hominem esse natum ; 2° in Verbum Dei ac Messiam ab æterno Patre esse electum ; postea ad divinam evectum dignitatem ; deinde factum esse lucem mundi per Evangelii prædicationem ; denique omnia per ipsum hâc viâ facta esse seu reparata. Quæ profectò longè ab Evangelii verborum serie aliena sunt.

Instant 1° : Non dixit Joannes : *Omnia per ipsum creata sunt ;* sed *facta sunt*. Atqui aliud est creare, aliud facere. Ergo. — Distinguo minorem : Aliud est facere, aliud creare, aliud, inquam, quia facere latiùs patet quàm creare, concedo ; aliud, quasi de creatione accipi non possit verbum illud *facere*, nego. Imò verò frequentissimè hoc verbum de primâ rerum creatione usurpatur Deoque tribuitur : v. g., Exodi 20, 11 ; Psal. 94, 5 ; Psal. 99, 3 ; Act. 14, 15 ; ibid., cap. 17, 24, etc. Deinde verò *creandi* vocabulum Christo etiam attribuitur, Coloss. 1, 15 ; atque adeò nihil est quod ampliùs postulare Sociniani possint, et obmutescant necesse est. Sed non obmutescent. Cùm enim dicuntur omnia per Christum facta, excipiunt, non ad esse *creandi* vocabulum. Ubi autem ventum est ad ea loca, ubi hoc vocabulum extat ; nedùm acquiescant, alias ambages quærunt ut effugiant ; sic est Socinianorum ingenium planè versatile. Sed has versutias christiana fides, utpote simplex et candida, non amat.

Instant 2° : Vox illa, *omnia*, sæpenumerò in Scripturis restrictionem patitur. Ergo, licet à Joanne dicantur omnia per Christum facta, id non est necessariò de omnibus omninò rebus interpretandum. — Respondeo id esse verissimum quod generatim aiunt ; sed eo in loco, de quo agitur, nullam restrictionem adhiberi posse, cùm propter causas modò allatas, tùm quia Joannes cavisse videtur ne ulla adhibeatur. Non enim contentus fuit his verbis, *Omnia per ipsum facta sunt ;* sed etiam, ne quid exciperetur, consultò addidit : *Et sine ipso factum est nihil quod factum est.*

Instant 3° : Vox illa pro subjecto argumento sumenda est. Atqui subjectum argumentum erat Evangelium quod ordiebatur. — Distinguo majorem : Pro subjecto argumento in hoc Evangelii exordio, concedo ; in toto deinceps opere, nego. Initio autem Evangelii, Joannes contra Cerinthum et Ebionem enarrare sibi proposuit duplicem Christi originem, æternam et temporalem. Ab æternâ autem, ut par erat, incipit ; quandonam esset Verbum, ubinam esset, quid esset, quid tandem egisset antequàm carnem assumeret, sigillatim ac breviter exponens.

Objiciunt 3° : Cùm ibidem, versu 10, dicitur à Christo factus mundus, id potest de mundo futuro, seu cœlo, vitâque æternâ intelligi ;

quæ nobis à Christo acquisita est. Quòd enim quidam sit orbis futurus, id constat ex Apostolo ad Hebræos 2, 5, ubi sic loquitur : *Non enim Angelis subjicit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur.* Ergo id necessariò non arguit primam mundi creationem. — Nego antecedens, idque multis de causis. 1° Enim *mundum* simpliciter dixit Apostolus non, *mundum futurum ;* nullus autem afferri potest Scripturæ locus, in quo vox *mundi* absolutè posita *futurum seculum* significet. Etverò, *mundi* vox, ut omnes nôrunt, juxta propriam suam significationem, nihil aliud sonat quàm *rerum universitatem.* Quis autem sibi persuadeat alienum omninò et inusitatum hujus vocis sensum à Joanne inductum esse? 2° Is mundus per Christum factus esse dicitur à Joanne, in quo dicitur fuisse à principio Christus : sic enim ait : *In principio erat Verbum : in mundo erat, et mundus per ipsum factus est.* Atqui Evangelii initio, ut vocem hanc explicant Sociniani, nondùm erat in cœlo Christus, nec in orbem seu seculum futurum ingressus est nisi post resurrectionem. Ergo, etc. 3° Is mundus intelligitur cui Christus cognitus non est. Statim enim subdit : *Et mundus eum non cognovit.* Atqui non potest dici Christus in cœlo et futuro seculo ignotus fore. 4° Esto intelligatur cœlum nomine *mundi*, ergo cùm asserat Joannes mundum à Christo esse factum, consequens est cœlum ab ipso esse conditum. Atqui hoc perinde est ad argumenti nostri vim. Non potuit enim cœlum condere Christus, quin initio mundi fuerit.

At, inquiunt, rectè potest dici mundus ille, nempe futurus, per Christum factus, non quòd simpliciter sit ab eo factus, sed quòd nobis ab ipso sit acquisitus et totus noster factus; nobis autem à Christo acquisitus dici potest, non quòd pretio pro nobis dato et satisfactione aliquâ dependâ ab ipso nobis sit partus aut restitutus; sed quòd ipsius doctrinâ et exemplo sit nobis ostensus. Imò verò hoc est non Scripturæ interpretationes, sed portenta edere. Quid enim? cùm *mundus* à Joanne dicitur, mundus non est, quem omnes nôrunt, sed futurum seculum de quo nemo unquàm cogitaret? cùm dicitur *factus*, non factum significat, ut cuncti intelligunt, sed acquisitum; cùm autem dicitur *acquisitus*, id non sonat pretio comparatum, sed doctrinâ et exemplo ostensum? Quis talia fando unquàm audit? An non verò illud est de constanti vocum significatione, de perpetuo loquendi usu, de hominibus, de Scripturis denique ludere?

Objiciunt 4° : Vox illa, *mundus*, de novâ creaturâ accipi potest; novæ autem creaturæ per Christum factæ sunt; ipse enim humanum genus reformavit. — Respondeo alterum hoc esse commentum planè absurdum. 1° Enim Apostolus *mundum* simpliciter nominavit. At nomen istud absolutè sic positum nullibi pios homines significat, imò homines impios sæpè sonat; quia nempe mundus intelligitur, qualis ipse per sese est ab Adami peccato. 2° Idem est mundus in quo dicitur fuisse Christus, et qui per ipsum factus est, et qui eum non cognovisse asseritur. Atqui, cùm dicitur *in mundo fuisse* Christus, id de mundo propriè dicto accipitur, non de hominibus piis. Pari ratione cùm additur : *Et mundus eum non cognovit*, de mundo propriè dicto seu de hominibus mundum habitantibus intelligitur, non de hominibus per ipsum reformatis. Insulsum enim esset dicere Christum ab hominibus per ipsum reformatis non fuisse agnitum.

Etverò, si Socinianos audimus cùm primò dicitur Christus *in mundo fuisse*, id intelligitur de mundo propriè dicto; cùm verò statim subjicitur *mundum per ipsum factum esse*, id jam non de eodem mundo, sed de hominibus piis interpretandum est : cùm autem illicò subjungitur : *Et mundus eum non cognovit*, istud non ampliùs de hominibus piis, sed de impiis contra accipiendum. Sic in brevi orationis spatio juxta eos, Joannes, qui *mundi* vocem ter usurpavit, ter quoque ejus significationem mutavit. Quo quid ineptius fingi potest? 3° Nemo saltem inficias ierit voces istas, *Et mundus per ipsum factus est*, eum præ se ferre sensum, quem nos iis adscribimus. Itaque si aliud omninò diversum intelligi voluit Apostolus, ut contendunt Sociniani, quâ de causâ non hoc, sed contrarium expressit? Cur hâcce loquendi ratione tot homines pios Deique amantes ab Apostolorum ætate ad Socinum usque in gravissimum errorem, ut illi quidem putant, de Christi divinitate conjecit? Cur tam noxiam obscuritatem ab omni humani sermonis consuetudine ita abhorrentem affectavit?

Objiciunt 5° : Cùm dixit Apostolus 1 Cor. 8, 6 : *Unum esse Dominum Jesum Christum per quem omnia et nos per ipsum*, respexit ad Christum quatenùs homo est, et quatenùs, ut idem ait ad Rom. 14, 9 : *In hoc mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur ;* proinde vox illa, *omnia*, ad Christianos et quæ-

cumque Christianorum sunt, restringenda est. — Nego antecedens. Christum enim spectavit Apostolus ut in se est, et eum hoc loco cum Patre comparavit, ac falsis numinibus opposuit. Quemadmodùm igitur, cùm ibi dicuntur omnia esse ex Patre æterno, nihil omninò excipitur, sic nulla restrictio est, ubi dicuntur *omnia esse facta per Christum;* uterque enim in eo falsis numinibus opponitur, quòd, etsi dicerentur dii, reverà tamen nihil essent (*idolum* enim *nihil est in mundo*, quod ait alibi Paulus) contra autem omnia ex Patre et Filio profecta sunt.

Objiciunt 6° : Locus Apostoli Coloss. 1, 15, non de primâ creatione, sed de secundâ, non de omnibus creaturis, sed de novis duntaxat creaturis intelligendus est. Ergo ex eo perperàm colligitur Christum fuisse antequàm mundus crearetur.

Nego. antec. Plurima enim repugnant. Ac 1° quidem obstat Apostoli ratiocinatio. In ipso enim orationis limine affirmat Christum esse primogenitum omnis creaturæ (omnis, inquam, tam veteris quàm novæ); quod non diffitentur Sociniani; concedunt enim Christum supra omnem omninò creaturam sine ullo discrimine evectum esse à Patre æterno, ut ipsius primogenitum. Porrò id probat Apostolus, quia per ipsum creata sunt omnia in cœlis et in terrâ. Ergo vox illa, *omnia*, non creaturas modò novas, sed etiam quaslibet alias complectitur. Quod enim in argumentum affertur, tam latè patere debet quàm id quod ipso probatur.

2° Verbum hoc *creare*, in Scripturis absolutè positum de primâ creatione semper accipitur, præsertim cùm ei adjungitur vox *omnia*, ut Marci 13, 19; Rom. 1, 25; 1 Cor. 11, 9; 1 Tim. 4, 3; Apoc. 4, 11, et cap. 10, 6. Sic et *creaturæ* vocabulum eodem modo positum, idem etiam sonat, ut Marci 10, 6; 13, 19; 16, 15; Rom. 1, 20 et 25; 8, v. 20 et 39; Hebr. 4, 13; 2 Petri 3, 4. Nec aliud ambo significant, nisi cùm eis aliquid adjungitur, quod aliò utriusque vocis significationem inflectat. Hîc autem id non occurrit. Etverò, apud omnes in confesso est hanc esse genuinam eorum vocabulorum significationem. Cur ergo à perpetuo Scripturarum usu et propriâ vocum significatione semper recedunt Sociniani?

3° In eo Apostoli loco per Christum dicuntur creata omnia, nec solùm visibilia, sed et invisibilia, nempe throni, principatus, dominationes, uno verbo omnes Angeli. Atqui per Christum Angeli non sunt facti novæ seu sanctæ creaturæ; tales enim ab initio fuerunt, nec tales esse unquàm destiterunt. Neque verò illi ut homines per Christum in Dei gratiam restituti sunt. Ergo *creare* ibi non est novam creaturam facere, aut in Dei gratiam restituere, quod somniant Sociniani.

4° Inter illa invisibilia, quæ in mundo sunt et quæ dicuntur à Christo creata, et inter principatus et potestates, de quibus mentionem facit Apostolus, sunt etiam Angeli mali seu dæmones. Ephes. enim 6, 12 : *Nobis non est,* inquit, *colluctatio adversùs carnem et sanguinem, sed adversùs principes et potestates..... contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Et in hâc ipsâ ad Colossenses Epistolâ, cap. 2, vers. 15, ab eodem Apostolo dicitur Christus expoliâsse principatus et potestates inferorum, atque de illis triumphâsse. Atqui dæmones non sunt facti per Christum novæ creaturæ. Scilicet nova creatio posita est in liberatione à malo vel morali vel physico. Ut autem neutro laborabant Angeli boni, sic neutro liberati sunt mali; atque ut Angeli boni nunquàm deformati sunt, sic Angeli mali nunquàm fuerunt reformati. Sed quis præsertim non horreat, cùm apud Socinianos intelligit dæmones per Christum eo sensu creatos esse, quòd ab ipso facti sint novæ creaturæ?

Verùm hîc notanda est mira horum hæreticorum inconstantia. Cùm enim hunc Apostoli locum proferimus, in quo omnia à Christo creata esse dicuntur, tam quæ in cœlo, quàm quæ in terrâ, tam visibilia quàm invisibilia, statim reclamant id intelligendum non de omnibus omninò creaturis, sed de novis illis creaturis quæ in Scripturis aliquando memorantur; per Christum autem eas esse tales factas, quia ipse eas in gratiam Dei restituit et reformavit. Ergo admittant necesse est *creare* illîc idem esse quod *reficere, reformare.* Illîc ergo figant pedem, et primam hanc interpretationem suam omnibus, quæ consequuntur, si possunt, accommodent. Sed urgemus. Si ita est, quomodò inter illa quæ à Christo creata sunt Apostolus recenset Angelos? Non enim illi sunt à Christo refecti et reformati. Ad hoc autem respondent eos per Christum factos esse novas creaturas, eo sensu quòd per Christum mutati sint. Ergo in primæ significationis locum aliam substituunt, et juxta ipsos *creare*, jam non est re-

ficere, sed *immutare*. At si instemus iterùm, et dicamus, quo tandem pacto immutati sunt per Christum Angeli? nulla enim in iis per Christum vigetur facta esse mutatio; ad id reponunt immutatos eos esse, non quidem penès se, quia tales semper manserunt quales erant, sed penès sedes suas ac thronos suos, quia nempe Christum adoraverunt, et tanquàm Dominum agnoverunt, eique sese spontè subjecerunt. Ergo jam à secundâ suâ verbi *creandi* explicatione recedunt Sociniani et ad tertiam confugiunt. Nempe *creari* juxta ipsos jam non est *refici* et *instaurari*, quod primò aiebant, imò nec *immutari*, quod secundò fingebant; sed *Dominum adorare et cognoscere*. Sed si adhuc progredimur, et ab ipsis sciscitamur, quâ demùm ratione dæmones à Christo creati dici queant, quandoquidem nec ab ipso instaurati sunt ut homines, nec ut Angeli ipsum adoraverunt, nec ei sese subjecerunt; tunc affirmant illos posse non immeritò dici à Christo fuisse creatos, quòd ab ipso debellati sint, eique coacti fuerint parere. Quocirca quarta hæc est vocis ejusdem eodem in loco significatio. *Creari* enim hoc postremo sensu non est *refici*, nec *immutari*, nec *Dominum venerari*; sed *eum ultorem sentire et ab ipso superari*.

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Quis hæc æquo animo ferat? Quis ad talem vocum inversionem non obstupescat? Annon verò illud est absurda absurdis cumulare, et sacros codices humanumque simul genus ludibrio habere? Quis unquàm vidit unam eamdemque vocem in uno et eodem loco sine ullâ distinctionis notâ positam quadruplici sensu planè diverso usurpari? An ita licet ab uno ad alium pro libito transilire, et eum insolentem prorsùs atque inusitatum ubique pro arbitrio comminisci?

Instant: At ibi Christus vocatur *primogenitus omnis creaturæ*. Atqui primogenitus ejusdem est conditionis ac naturæ cum iis quorum primogenitus est. Ergo Christus creatura mera est.—Distinguo majorem: *Primogenitus* appellatur singulari ratione, quia est genitus ante omnem creaturam, concedo; vulgari apud homines more, nego. Nimirùm duo sunt quæ arguant *primogeniti* vocem vulgari apud homines more illic non usurpari. Primum est, quòd ab Apostolo ideò primogenitus omnis creaturæ esse dicatur, quia per ipsum creata sunt omnia. Hanc enim dicti sui rationem affert Paulus. At primogenitus, qualis vulgò intelligitur, non est eorum auctor et causa, quorum primogenitus est, multò autem minùs ideò vocatur *primogenitus*. Alterum est quòd ita primogenitus sit Christus, ut etiam unigenitus esse debeat, quod passim inculcant Scripturæ. At si primogenitus esset omnis creaturæ, eo quo passim hoc nomen accipitur modo, id est, eò quòd primus sit inter filios Dei creatos et adoptivos ipsisque similis, jam non foret unigenitus. Ergo eâ duntaxàt de causâ primogenitus omnis creaturæ nuncupatur, quòd genitus sit à Patre æterno ante omnem creaturam, sicque vox ista nobis favet.

Objiciunt 7°: Cùm Apostolus ad Hebr. 1, 2, ait Patrem æternum secula fecisse per Christum, *per quem fecit et secula;* id non de veteribus seculis interpretandum est, sed de futuris, de vitâ scilicet æternâ in cœlo ducendâ, et de his temporibus quæ ultimam resurrectionem consequentur. Ergo hinc colligi non potest Christum initio mundi extitisse.

Nego antecedens: 1° Enim vox illa, αἰῶνες, *secula*, absolutè posita, nusquàm vel ex Scripturis vel ex Judæorum loquendi consuetudine *futurum seculum* significat: neque ullum hujus significationis exemplum proferri potest. 2° *Secula* plurali numero nunquàm dicuntur de futuro mundo. Scripturæ enim cùm eâ voce designant tempus illud quod futuram resurrectionem consequetur, non modò semper addunt distinctionem illam *futuri* aut *venturi*, illudque seculum aut mundum *futurum* vel *venturum* disertè nominant, sed etiam singulari numero constanter utuntur. 3° Non potest à Socinianis explicari quomodò Christus fecerit futura secula. Vel enim eo vocabulo intelligitur cœlum, vel vita æterna, vel tempus quod resurrectionem consequetur. At Christus si merus homo est, nec cœlum fecit, nec vitam æternam, nec tempus illud quod resurrectionem consequetur. Etverò concedunt illi per Christum futura secula non esse propriè facta; sed ea ab ipso nobis esse promissa et aliquando danda. Quasi verò secula facere sit illa promittere? quis unquàm *faciendi* vocem hoc sensu usurpavit?

Instant: At vox illa, *per*, merum instrumentum arguit. At si Christus mundum condidit, non eum ut merum Patris instrumentum creavit. Ergo is locus de primâ creatione non intelligitur. — Nego majorem. Nam vox illa eadem, *per*, de ipso Patre usurpatur. *Ex ipso*, inquit Paulus Rom. 11, 36, *et per ipsum, et in ipso sunt omnia*. Adde Gal. 1, 1; Ephes.

1, 1 ; Hebr. 2, 10, etc. Proinde de causâ etiam principe sumi potest (1).

Objiciunt 8° adversùs omnium illustrissimum ac luculentissimum Apostoli locum Hebr. 1, 10 : Ibi tria complectitur Apostolus, cœli ac terræ creationem, eorumdem futuram aliquando mutationem et immobilem in hisce mutationibus Dei existentiam. Atqui tria hæc non refert ad Christum ; sed secundum duntaxat. Hunc enim locum tribuit Christo ut indicet cœlum et terram mutanda esse à Christo. Ergo hinc confici non potest Christum esse immutabilem, eique creationem mundi adscribi oportere. — Nego minorem. Et certè cùm hactenùs multa à Socinianis absurda viderimus, postremum hoc commentum ista omnia vincit. 1° Enim cùm Paulus integrum hunc Psalmi locum alleget, ad demonstrandam Christi super Angelos præstantiam, quid audacius, quid insulsius, quàm eumdem locum fœdè discerpere, et unam quidem ipsius partem Christo tribuere, duas autem alias ei abjudicare, idque pro libito et sine causâ ? Nihil enim illic est quod vel tantillùm arguat in hisce distinctionem esse adhibendam. Etverò, si duæ istæ loci hujus partes Deo soli conveniant, non tantùm ab Apostolo poterant, sed etiam omninò debebant omitti, ne videlicet lectores in errorem præcipites ageret. Quis enim ad Socinum usque extitit, qui ex hoc loco non sibi persuaserit creationem mundi Christo esse adscribendam? Atque adeò Apostoli prudentiæ et charitatis, et Spiritûs sancti sapientiæ erat ista non sic confundere, si secernenda fuissent. 2° Vel totus hic locus intelligitur de Christo, vel nullatenùs ; ab initio enim usque ad finem eadem semper persona compellatur : *Tu in principio, Domine, terram fundâsti, et opera manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt, tu autem permanes, et velut*, etc. Proinde idem omninò est, qui cœlum et terram aliquando mutaturus est ut amictum, et qui olim ipsa creavit. Ergo vel neutrum Christo competit, vel utrumque. Jam verò Sociniani ipsi confitentur ipsum esse, qui aliquando cœlum et terram sit immutaturus ; quapropter cùm eadem persona semper memoretur, et ipse olim cœlum ac terram condidit. 3° Hoc ipsum faciebat ad Apostoli scopum. Volebat enim illic Paulus declarare Christi excellentiam contra Gnosticos jam tum grassantes, qui Angelos Christo non æquabant modò, sed et anteponebant ; et ab ipsis, non autem à Christo, mundum esse fabricatum arbitrabantur. Ut autem hos refellat, et Christi præstantiam adstruat, multa profert : 1° Quòd Christus sit Filius Dei ab ipso genitus, quod in nullum competit Angelorum ; 2° quòd cùm Pater eum introduceret in orbem, voluerit ipsum ab Angelis adorari ; 3° quòd Angeli sint meri Dei servi ; Christus autem thronum habeat regalem ac divinum, quòd sit Deus, quòd terram et cœlum creaverit, eaque destructurus sit aliquando, et in meliorem statum restituturus, cùm idem semper maneat ; 4° quòd Angeli sint administratorii spiritus propter homines missi ; Christus contra sedeat ad dexteram Patris, tanquàm ipsi par, et omnibus imperans, et hostes suos sine ullo labore pedibus suis subjecerit. 5° Paulò ante dixerat Apostolus per Christum facta esse secula ; proinde viam straverat ad hunc locum integrum Christo tribuendum. Ergo omnia quæ ibi extant, non tantùm eò nos ducunt, sed etiam cogunt, ut rerum universitatis creationem Christo adscribamus.

Instabis : Is quidem locus per se et primariò de uno Deo intelligitur, sed ab Apostolo ad Christum transfertur per subordinationem, quatenùs illi convenire potest. At Deus nihil deinceps faciet, nisi per Christum. Ergo, cùm aliquando mutaturus sit cœlum ac terram, id per Christum præstabit. Sed cùm terram condidit et cœlum, Christus non erat, atque adeò per ipsum non potuit ea creare. Itaque necessariò distinguendæ sunt duæ hujus loci partes, quarum prima Deo soli, altera Deo primariò, et Christo per subordinationem tribuatur. — Respondeo inauditum esse ut locus, qui de Deo solo intelligendus est, idem alicui creaturæ per subordinationem in Scripturis tribuatur. Deinde verò, si per subordinationem accommodandus sit, vel totus accommodetur necesse est, vel nullâ ex parte, cùm persona ibi non mutetur ; atque adeò, si per subordinationem Christo tribuitur cœli ac terræ futura mutatio, per eamdem subordinationem eidem tribui oportet cœli ac terræ creationem.

Hoc autem ad præsens nostrum institutum satis est. Si enim Christus, ut Deo subordinatus, olim cœlum ac terram creavit, quomodò cœlum ac terram aliquando mutabit? Profectò extitit in exordio mundi ; qui enim creat

(1) Vide S. Basil. de Spiritu sancto, passim et præsertim cap. 3, 5, 26, et Cornel. à Lap. Epist. ad Rom. cap. 11, v. 36.

subordinatus, tu n saltem existere debet cùm creat.

Argumentum VII, è tempore ante mundum.— Quamvis nullum ante mundi initia tempus exstiterit, fingimus tamen, ut probemus Christum fuisse priusquàm orbis fieret.

Et hoc quidem satis adstruunt, quæ modò protulimus de creatione, momenta. Si enim Christus rerum universitatem condidit, ea certè priùs extitit. Sed unum ad id specialem locum adducere juvat ex Joannis capite 17, v. 5, ubi Christus morti proximus Patrem rogat ut eam, quâ propter formam servi assumptam ad tempus fuerat obscuratus, caliginem dispellat, et gloriam ac divinitatem, quam ante mundi originem habuit, toti deinceps orbi declaret. *Nunc,* inquit, *clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquàm mundus esset, apud te.* Unde sic arguimus : Ille extitit ante mundum, qui gloriam habuit, priusquàm mundus esset. Atqui Christus conceptis verbis testatur se gloriam habuisse, antequàm mundus esset. Ergo.

Respondet Socinus in suis cùm adversùs Volanum, tùm contra Erasmum Joannis disputationibus, et post eum Sociniani Catech. sect. 4, cap. 1, Christum habuisse illam gloriam ante mundum, non reipsà quidem, sed decreto De tantùm ac prædestinatione.

Responsio illa multis argumentis confutatur. 1° Enim Christus non ait gloriam hanc sibi destinatam fuisse; sed se illam habuisse ac possedisse. Inter ista autem duo latum discrimen est, quod omnes nôrunt. 2° Nullum è Scripturis exemplum, nullus allegari potest locus, in quo quis tunc dicatur habuisse aliquid cùm ipse non esset. Etverò priùs est esse, quàm habere. Ergo qui aliquid habere pronuntiatur, multò magis eo tempore esse censetur. 3° Si Socinianorum expositio valeat, et unusquisque dici possit illud habere, quod ipsi destinatum est, possunt dici infideles, aliquando ad christianam religionem vocandi, jam habere fidem; infantes nondùm baptizati et mox baptizandi, possunt dici habere gratiam; fideles impii ac scelerati, sed tamen prædestinati, eo ipso tempore quo omnibus flagitiis cooperti sunt, possunt dici habere Dei charitatem; potest dici Paulus, cùm persequeretur Ecclesiam Dei, habuisse dignitatem apostolicam, et omnes apostolicæ dignitatis virtutes, etc. Quod quivis intelligit esse longè absurdissimum. 4° Observandum est hoc verbum, *habui* quod aliquid præteritum sonat. Eo enim in loco significat Christus se in aliquo gloriæ statu fuisse ante mundum, qui non eodem modo perseverabat, et quem à Patre sibi reddi postulabat. Jam verò juxta Catholicos res ita est. Ante mundum enim Christus apud Patrem gloriam habuit plenam, nullis injuriis obnoxiam, nullis tenebris admixtam; cùm autem homo factus est, exinanivit semetipsum; et quemadmodum divinitatem suam carnis velamine, sic gloriam suam densâ velut omnium vitæ miseriarum nube obtexit; nec eam ipse obscuravit modò, sed ab aliis etiam omni probrorum, calumniarum et suppliciorum genere deteri passus est. Itaque morti proximus à Patre postulat ut tam calamitosæ vitæ finem imponat, sibique plenam omni ex parte gloriam largiatur, qualem ante mundum habuerat. At juxta Socinianorum doctrinam, nihil afferri potest cur dixerit Christus, *quam habui.* Si enim hoc de decreto Dei accipiendum est, cùm propositum Dei semper esset, debebat potiùs dicere, *quam habeo apud te.* 5° Aliquid de se sanè affirmat Christus, quod sibi peculiare esset. At si prædestinatio tantùm intelligatur, nullus erat ex Apostolis electis, qui non potuisset pariter dicere : *Clarifica me tu, Pater..... claritate quam habui, priusquàm mundus esset,* et nemo jam foret è prædestinatis, qui idem cum Christo dicere non posset. Atqui hoc tolerari nequit. Ergo. 6° Christus duo simul complectitur et comparat. Postulat enim ut Pater sibi apud se, seu in cœlo, concedat eam claritatem, quam ante mundum apud ipsum habuerat. Proinde eodem modo gloriam hanc ante mundum apud Patrem habuerat, quo illam apud eumdem habere post mortem cupit. Atqui cupiebat illam habere reipsà. Ergo pariter eam quondàm verè ac reipsà, non autem prædestinatione solâ, apud Patrem et in cœlo habuerat.

Objiciunt 1° : Christus ibidem satis arguit se loqui de gloriâ sibi tantùm prædestinatione ante mundum datâ; sic enim ait versu 24 : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* — Nego antecedens. Imò verò ex hoc sequitur Christum fuisse ante constitutionem mundi. Si enim Deus Pater Filio ante constitutionem mundi dedit claritatem, tunc Pater existebat, quomodò tunc Filius existere debuit, si tunc eam habuit. Itaque ex hâc Patris Filio dantis gloriam ante constitutionem mundi, et Filii eam à Patre

accipientis mutuâ connexione, patet, ut Pater tunc erat, quia dabat, sic Filium extitisse tunc, quia habebat.

Instant : At Christus loquitur de gloriâ sibi, ut homini concessâ. Hoc enim indicant verba ista : *Quam dedisti mihi, quia dilexisti me.* Atqui non potest dici gloria Christo, ut homini, collata ante mundi constitutionem, nisi prædestinatione duntaxat. Ergo. — Respondeo hæc non admodùm urgere, et de Filio æterno dici posse. Attamen si quis pertinaciter contendat de Christo ut homine intelligenda, nos non admodùm repugnaturos ; sed ita exponendus erit locus : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum* (seu *futurus sum*) *ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dederis mihi, quia ante constitutionem mundi dilexisti me.*

Objiciunt 2° : Apostolus 2 Cor. 5, 1 : *Scimus*, inquit, *quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* Atqui fideles, quamdiù in terrâ sunt, hanc domum habent decreto tantùm Dei ac prædestinatione, non reipsà. Ergo similiter Christus, etc. — Respondeo 1° hunc locum ad rem non esse, nec ex illo à Socinianis paritatem ullam Christum inter et fideles adstrui posse. Ac 1° quidem ad rem non pertinet. Nos enim inde arguimus Christum ante mundum extitisse, quia dicitur tunc gloriam in cœlis habuisse. Nemo autem dici potest aliquid habere, qui non sit. At quos in hoc loco alloquitur fideles Apostolus, ii profectò erant. Ergo, nedùm hoc loco argumentum nostrum evertatur, eo firmatur magis. Probare enim debent Sociniani quempiam in Scripturis dici aliquid habere antequàm sit ; hoc autem ex Apostolo conficere non possunt. 2° Nulla Christum inter et fideles paritas institui potest à Socinianis, idque eâdem de causâ. Namque aiunt Christum habuisse gloriam apud Patrem ante mundum, cùm nondùm esset. At fideles contra existebant, cùm Apostolus affirmabat eos habere domum non manufactam, æternam in cœlis. — Respondeo 2° fideles illos dici ab Apostolo habuisse domum non manufactam et æternam in cœlis, non præcisè vi solâ prædestinationis æternæ ; sed quia ad illam jus habebant Christi sanguine jam acquisitum, et ejus pignus jam intra se habebant, nempe Spiritum sanctum ; sic et id vulgò dicimur habere, moraliter nempe, ad quod jus habemus acquisitum, et cujus pignus jam nobis datum est.

Objiciunt 3° : Idem Apostolus 2 Tim. 1, 9, de Deo loquens, *Nos*, inquit, *liberavit et vocavit vocatione suâ sanctâ, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum et gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia.* Proinde affirmat à Deo datam esse fidelibus gratiam, cùm nondùm existerent. Atqui non minùs videtur posse dici Christus habuisse gloriam apud Patrem ante mundi originem, cùm non esset, quàm illud de fidelibus modò allatum. — Nego paritatem Discrimen est quòd dare sit actio dantis, quæ esse potest sine eo cui datur ; potest enim aliquid dari ei qui nondùm sit, ut inter homines sæpè fit in gratiam nepotum nondùm natorum. Neque verò necesse est ut id quod datur, eodem tempore accipiatur, quo datur. Imò dare naturâ suâ prius est quàm accipere. At verò habere est possessio ac velut passio quædam habentis ; proinde nemo habere potest quidquam, nisi existat ; hinc est aperta utriusque differentia. Quin etiam paritatem in adversarios retorquere possumus. Ut enim se habet dare ad existentiam dantis, ita habere ad existentiam habentis. Ergo sicut fieri non potest ut qui non est, is aliquid det, sic fieri non potest ut qui non existit, is aliquid habere dicatur. Proinde sicut ante tempora secularia existebat Deus, cùm dare dictus est, ita tunc Christum extitisse necesse est, siquidem ex Joanne tunc gloriam habuit apud Patrem.

Objicies 4° : Si Christus reipsà claritatem habuisset apud Patrem ante mundi constitutionem, ea fuisset divinitatis propria. At talis non erat claritas, de quâ loquebatur Christus. Ibidem enim versu 22, testatur se ipsam communicâsse aut communicaturum esse cum Apostolis suis : *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Atqui Apostolis gloriam divinitatis propriam et essentialem non dedit. Ergo de istâ sermonem non habebat Christus. — Distinguo majorem secundi syllogismi : testatur Christus se eam claritatem communicaturum cum Apostolis ac discipulis suis, quatenùs capaces erant, concedo ; eodem, quo ipse habuerat, modo, nego. Idem igitur judicandum est de illâ claritate, quod de unitate quam ei adjungit. Atqui hoc postremum non intelligitur de eâdem omninò unitate, naturæ videlicet ; sed de unitate tantùm consensûs ac voluntatis. Ergo claritas pari ratione non est

omninò eadem, sed tantùm similis, quoad hominum natura fert. Ut enim Joannes ait Epist. 1, cap. 3, 2 : *Scimus quoniam, cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

Objiciunt 5° : Si Christus ibi postulat à Patre gloriam, quam apud illum ante mundi exordia habuerat, consequens est Christum aliquandiù eâ caruisse. Atqui si Deus est Christus, nunquàm eâ carere potuit. — Distinguo minorem : Non potuit eâ carere quatenùs Deus, concedo; quatenùs homo, nego. Quod ut accuratè intelligatur, observandum est Christi semper unam eamdemque personam extitisse; sed non semper unum eumdemque fuisse ipsius statum. Nam ante mundi constitutionem Deus tantùm erat; post assumptam verò carnem Deus et homo simul fuit. Porrò, ante mundum secundùm se totum gloriâ fruebatur; at post carnem assumptam non secundùm se totum eâ potiebatur. Imò verò hujus vitæ calamitatibus et hominum conviciis ac crudelitati subjacebat. Itaque postulat ut totus, quantus erat, in gloriâ et claritate tandem aliquando constitueretur. Spectat igitur gloriam illam, non quatenùs præcisè erat divinitatis (eam enim semper habuerat); sed quatenùs erat omni ex parte plena ac perfecta.

Sectio II.

An Christus ab æterno fuerit.

Hucusque cum solis Socinianis et eorum parentibus hæreticis, manus conseruimus; nunc sequuntur Ariani, qui etsi confitebantur Christum, quatenùs Dei Verbum, ante mundi exordia extitisse, et ab eo conditam fuisse rerum universitatem, ipsum tamen æternum esse inficiabantur. Hos igitur speciatim jam aggredimur; sed ita tamen ut per eorum latus Socinianos iterùm et alios petamus. Cùm enim hi negent Christum ante Beatam Virginem extitisse, longè magis negant ipsum ab æterno fuisse. Proinde si Christi æternitatem adstruxerimus, non Arianos modò, sed etiam istos simul confodiemus.

Assertio. — **Christus ab omni æternitate fuit.**

Ut quondàm David ad prosternendum Goliath elegit sibi duntaxat quinque limpidissimos lapides de torrente; sic nos ad debellandos recentiores hæreticos, gigantum more sibi confidentes, quinque tantùm è Scripturis loca depromemus.

Argumentum primum, è descriptione Sapientiæ, Proverb. 8, 22. — Christus in Scripturis non semel *Sapientiæ* nomine insignitur. Hæc autem Sapientia Proverb. capitibus 1, 8 et 9, à Salomone describitur. Inter alia verò cap. 8, sic ipsa habet, versu 22: *Dominus*, inquit ipsa de se, *possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio.* Versu 23 : *Ab æterno ordinata sum et ex antiquis, antequàm terra fieret.* Versu 24 : *Nondùm erant abyssi, et ego jam concepta eram* (hebraicè, *formata sum, parturiebar, genita sum*); *necdum fontes aquarum eruperant.* Versu 25 : *Necdum montes gravi mole constiterant, ante colles ego parturiebar.* Versu 27 : *Quando præparabat cœlos, aderam.* Versu 29 : *Quando appendebat fundamenta terræ.* Versu 30 : *Cum eo eram cuncta componens* (hebraicè, *eram apud eum veluti alumnus*), *et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore.* Versu 31 : *Ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.*

Ex quibus sic argumentamur : Sapientia, quæ verbis illis exprimitur, æterna est. Atqui Christus est illa Sapientia.

Major evidens est ex solâ hujus loci lectione. Jam verò ut probetur minor, quatuor sunt demonstranda. 1° Sapientiam illam esse quamdam personam. 2° Eam à Patre æterno distingui. 3° Hanc descriptionem Christo optimè convenire. 4° Eamdem in nullam aliam rem cadere posse.

1° Igitur, quæ hìc sese tam egregiè depingit Sapientia, persona est. Ea enim sibi tribuit quæ in solam personam competunt. Capite enim 1 docet et increpat. Cap. 8, versu 1, clamat. Ibidem, versu 24 et 25, ex Deo genitam se esse asserit. Cap. 9, 1, dicitur ædificâsse sibi domum. Ibidem, versu 2, immolâsse victimas suas, miscuisse vinum et posuisse mensam. Atqui hæc solarum personarum esse possunt, nec queunt aliis rebus attribui. Et verò, si ante mundum fuit, et ab æterno Patre distincta tunc erat, persona certè quæpiam est. Nihil enim tunc esse potuit ab æterno Patre distinctum, quod idem persona, et quidem divina, non foret. Atqui Sapientia quæ hìc loquitur ante mundum erat, ut patet, et ab æterno Patre distinguebatur, ut jamjam ostensuri sumus. Ergo, etc.

2° Persona illa ab æterno Patre distincta erat. Ipsa enim ab illo apertè ac constanter

sese distinguit, sic aiens : *Ab æterno ordinata sum, nondùm erant abyssi, et ego jam concepta eram. Ante colles ego parturiebar* (seu *edita fui*). *Quando præparabat cœlos, aderam, cum eo eram cuncta componens, ludens coram eo,* etc. Hæc enim totidem sunt personæ, à Deo Patre distinctæ, argumenta. Qui enim gignitur, non potest idem esse cum eo à quo gignitur. Qui alicui adest, non est idem cum eo cui adest, etc.

3° Hæc descriptio Sapientiæ optimè Christo convenit. Ac 1° quidem *Sapientiæ* nomen ei aptissimum est; quandoquidem Apostolus 1 Cor. 1, 24, Christum appellat *Dei virtutem ac sapientiam*. 2° Sapientia cap. 8, v. 2 et 3, dicitur ubique docere in viis ac plateis; ibi autem similiter docuit Christus. 3° Quemadmodùm illa de se ait versu 15 : *Per me reges regnant,* et versu 16 : *Per me principes imperant*, ita Christus Apoc. 19, 16, appellatur *Rex regum et Dominus dominantium*. 4° Asserit illa se fuisse apud Deum *in initio viarum suarum,* seu principio rerum; de Christo autem Joannes ait, cap. 1, 1 : *In principio erat Verbum*. 5° Sicut Sapientia testatur ante colles genitam se fuisse, ita Christus Coloss. 1, 17, ante omnes fuisse prædicatur. 6° Sapientia cap. 9 dicitur ædificâsse sibi domum, excidisse columnas septem, sacrificium obtulisse, vinum et aquam suis miscuisse, posuisse mensam, et misisse undequàque qui ad cœnam invitarent; ita Christus Ecclesiam construxit, septem sacramenta, quibus illa fulciretur, instituit, se ipse in victimam obtulit, se in cibum ac potum suis dedit, et postea servos suos Apostolos in orbem universum misit, ut omnes ad ipsum et spirituales ejus epulas invitarent. Ergo hæc omnia in Christum quadrant.

4° Hæc eadem nulli alteri rei conveniunt. Si enim Christus ibi non describitur sub nomine *Sapientiæ,* oportet (quod somniant Sociniani) hoc vocabulo intelligi vel sapientiam, quæ Dei proprietas est, vel sapientiam creatam, vel sapientiam generatim, vel aliquem sapientiæ effectum, v. g., legem veterem. Atqui nihil ex his omnibus eo in loco depingitur. Ac 1° quidem non describitur certè ipsa formalis et essentialis sapientia Dei; hæc enim Dei sapientia non est producta. At sapientia, quæ illic describitur, se non semel ex Deo genitam et productam affirmat. 2° Illa sapientia non est creata, quod luce clarius est; ipsa enim contra profitetur se ante quamlibet creaturam extitisse. 3° Non est sapientia generatim, cùm illa nec per se doceat, nec ex Deo producta nec ante mundi exordia extitisse dici queat, nec cum Deo omnia composuisse; hæc enim nonnisi in divinam sapientiam cadunt. Ergo. 4° Denique non est lex vetus, cùm aliis de causis, tùm quia ante mundi originem illa profectò non fuit. Ergo res nulla assignari potest præter Christum, cui hæc descriptio conveniat.

Ex his autem multiplex argumentum efflorescit. 1° Enim si ante mundum et ab æterno fuit quædam persona à Patre distincta, ea sanè à Christo alia non fuit; hoc enim in confesso est apud omnes. Atqui, etc. Ergo. 2° Is sub nomine *Sapientiæ æternæ* depingitur, cui Sapientiæ illius omnes characteres conveniunt. Atqui, etc. Ergo. 3° Sapientia, cujus mentio fit, vel est Christus, vel quiddam aliud. At non est quidpiam aliud. Ergo.

Objiciunt 1° : Nomina abstracta non dicuntur de personis. Atqui *Sapientiæ* nomen est nomen abstractum, non concretum. Ergo, etc. — Distinguo majorem : Non dicuntur de personis creatis, concedo; de increatis, nego. Certè Joan. 1, 4, Christus appellatur *lux hominum,* et alibi *vita, veritas,* etc. Etverò Deus non tam *sapiens* dicendus est, quàm *ipsa per se sapientia*. Cæterùm abstracta non infrequenter usurpantur pro concretis; quapropter nihil obstat quominùs id, si videatur, hoc etiam loco fieri existimetur (1).

Objiciunt 2° : Prosopopœia quædam admitti illic potest, ita ut Sapientia inducatur quasi persona quædam de seipsâ loquens, cùm tamen persona reipsà non sit. Ergo nihil inde confici potest. — Nego antecedens. 1° Enim nullum est in Scripturis ejusmodi prosopopœiæ exemplum, quâ nimirùm virtus aliqua loquens ac docens inducatur; stultum autem esset aliquid à perpetuâ ac constanti Scripturarum consuetudine alienum inducere.

(1) Respondere malim : Nego majorem; non rarò enim personis, vel creatis, nomina abstracta applicantur : v. g., B. V. Maria sæpissimè dicitur *spes nostra,* etc.

Distinguo minorem : Sapientiæ nomen est abstractum, ubi de creatis agitur, concedo; etiam in Deo, nego. Enimverò in Deo Sapientia, si notionaliter sumatur, ipsa est Verbi persona; si verò essentialiter, non tam modificatio quædam est divinæ substantiæ, quàm ipsa divina substantia. Nemo enim nescit Dei attributa non à divinâ substantiâ distingui, adeòque verè substantialia esse. Itaque minùs rectè dicitur : Deus sapiens est, vel : Deus habet sapientiam; at dici deberet : Deus est Sapientia, quemadmodùm pronuntiat Christus : *Ego sum Veritas,* substantialis nempe; item discipulus quem dilegebat : *Deus Charitas est.*

2° Prosopopœia locum habet in fabulis aut orationibus vehementibus; at hic nec ulla fabula narratur, nec oratio vehemens est; sed nuda, densa ac brevia præcepta, quæ prosopopœiam non admittunt. Præterea verò prosopopœia, cùm falsi aliquid præ se ferat, nec prolixa est nec sine aliquâ præfatione usurpatur; at hic nulla præfatio est, et longa est oratio ejusdem omninò tenoris. Denique nulla ibi prosopopœia esse censenda est, ubi persona est, cui omnes orationis partes conveniunt. Atqui talis est hic locus. Ergo.

Instant 1° : Non minùs sapientiæ virtuti adscribi possunt in Scripturis, quæ videntur esse personarum propria, quàm charitati. At charitati ea tribuuntur, quæ videntur esse personarum propria. Sic enim Paulus 1 Cor. 13, 4 et sequentibus : *Charitas,* inquit, *patiens est, benigna est, non æmulatur,* etc. Ergo, etc. — Distinguo minorem : Quia charitas ibi sumitur pro viro charitate prædito, ut alibi fit non semel, concedo; tribuuntur charitati ipsi, nego. Quocirca nulla prosopopœia 1 Cor. 13; sed aliud figuræ genus in Scripturis non insolens, quo abstracta pro concretis accipiuntur; et in hoc admittimus paritatem. Sapientia enim Prov. 8, designabit personam sapientem, æternam, ex Deo genitam, quod nobis favet.

Instant 2° : Si Sapientia, quæ illic describitur, persona est, prudentia, quæ ibidem occurrit sæpiùs, et ipsa quoque persona censenda erit. Ergo duæ personæ illic inducentur. — Respondeo sapientiam et prudentiam esse illic unam eamdemque personam; quod satis arguit Salomon cap. 8 : *Numquid non,* inquit, *Sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam?* Ibi enim pro Scripturarum more bis idem repetitur.

Instant 3° : Sapientia dicitur cap. 9, ancillas suas mittere. At si sub nomine *Sapientiæ* Christus describitur, servi dicendi fuerunt, non ancillæ. — Respondeo ancillas esse quidem nominatas ut decorum servaretur; quia videlicet sub *Sapientiæ* nomine, quæ feminini generis est, Christum describebat Salomon; sed servos ejus esse intelligendos, Prophetas nimirùm, Apostolos Evangelistas, etc.

Instant 4° : At Sapiens ibidem stultitiam instar mulieris cujusdam exhibet, quæ juvenes ad se vocat, ut eosdem avocet à sapientiâ; nec tamen quis propterea dixerit stultitiam esse personam quamdam. Ergo etsi sapientiam induxerit instar personæ cujusdam docentem ac loquentem, non inde consequens erit eam esse personam. — Nego antecedens. Eodem enim capite 9, Salomon non stultitiam generatim, sed mulierem impudicam depinxit, quæ verè persona esset; quod ex ipsius verbis longè manifestissimum est. Mulierem autem dixit, quia reipsà est; idem verò de sapientiâ, quam antea descripserat, nomen hoc nunquàm usurpat.

Objiciunt 3° : Septuaginta Interpretes loco horum verborum : *Dominus possedit me in initio viarum suarum,* sic verterunt : *Dominus creavit me initium viarum suarum,* ἔκτισε με. Ergo sapientia creata illic describitur. Proinde si Christus intelligatur, creatura est; quod etiam ex hoc loco exprimebant olim Ariani. — Respondeo 1° codicis hebræi, utpote fontis, præsertim cùm Vulgatæ concinit, auctoritatem multò majorem esse, quàm græcæ versionis quæ septuaginta Interpretibus adscribitur. Porrò hebræus codex habet : *Dominus possedit me;* quod quidem verbum de generatione in Scripturis accipitur. Sic enim Eva cùm peperisset Cain : *Possedi,* inquit, *hominem per Deum.* — Respondeo 2°, apud omnes alios interpretes græcos extitisse non *creavit,* ἔκτισε, sed *possedit,* ἐκτήσατο, ut animadvertunt Basilius lib. 2 contra Eunomium, et Gregorius Nyssenus lib. 1 contra eumdem. — Respondeo 3°, ita forsitan quoque redditum primò fuisse à septuaginta Interpretibus hunc locum; sed librariorum culpâ, ob pronuntiationis et litterarum quamdam similitudinem, postmodùm, loco hujus verbi ἐκτήσατο, irrepsisse ἔκτισε. — Respondeo 4°, si ea vox retineatur, quam longè probabilius est à septuaginta Interpretibus fuisse usurpatam, ipsâ generationem divinam exprimi tanquàm ab omnibus imperfectionibus, quæ humanæ generationi insunt, immunem, eòque creationi quadamtenùs similem. Dicitur ergo *generatio* ob ejusdem naturæ communionem; *creatio* propter defæcatam productionis conditionem.

Argumentum II, ex Micheæ de Messiâ vaticinio. — Micheas Propheta futurum Messiæ ortum prædicens, cap. 5, 2 : *Et tu, Bethlehem Ephrata,* inquit, *parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Proinde duplicem Messiæ nativitatem illic designat, unam temporalem ex urbe Bethlehem, eamque futuram, alteram verò æternam. Nullum porrò apud Christianos dubium esse potest, quin istud vaticinium de Christo sit intel-

ligendum. Hoc enim constat ex Matth. 2, 6, et Joan. 7, 42.

Unde sic disputamus : Is ab æterno est, cujus egressus seu generatio est ab initio, à diebus æternitatis. Atqui talis est Christus. Ergo.

Respondent Sociniani, nomine, *egressus*, stirpem Christi intelligi, cujus antiquitas et splendor hìc commendatur. Hebraicè enim est : *Et egressiones ejus ab initio, à diebus seculi.* Ab initio autem seculi rem aliquam esse nonnunquàm in Scripturis significat eam à longo jam tempore claram fuissé atque illustrem, ut apparet ex Jeremiæ cap. 23, 5; id quod maximè locum habet cùm de familiâ agitur. Sententia ergo hujus loci est, inquiunt, Christum illustrem nativitatis suæ originem ab annis admodùm antiquis ducturum, id est, ab eo tempore quo Deus in populo suo, Saüle rejecto, regem regiamque familiam stabilivit; quod in Davide factum est, qui et Bethlehemita fuit, et auctor stirpis âc familiæ Christi. Ita Catechesis Polonica cap. 1, sect. 4, post Socinum.

Refelluntur. — 1° Enim alienum omninò est ab usu Scripturarum et loquendi consuetudine, ut stirps *egressus* nomine significetur; nullum enim allegari potest exemplum; contra verò hoc verbum de nativitate non infrequenter accipitur, ut Gen. 10, 14 : *De quibus egressi sunt Philistiim et Caphtorim.* Job, 1, 21 : *Nudus egressus sum de utero matris meæ*, etc. 2° Non minùs hâc voce, *egressus*, nativitas indicatur, quàm paulò ante hoc verbo, *egredietur.* Atqui cùm prædicit Deus ex Bethlehem egressurum Messiam, id, ut apud omnes in confesso est, nativitatem ejus significat. Ergo pariter nativitas exprimitur eo, quod adjicitur, *egressus* vocabulo. Nativitas autem illa non est ex Mariâ virgine, cùm illa ab initio seculi et ab æternitate non esset. Ergo alia est, scilicet à Patre æterno. 3° Hoc in loco non agitur de Messiæ familiâ, sed de ipsius ortu. 4° *Egressionis* nomen actio est illius qui egreditur; stirps autem est majorum series; quæ multum à se invicem differunt; v. g., stirps Christi ipsum præcessit, quatenùs è Beatâ Virgine duxit originem, et extra ipsum est; sed egressio ipsi convenire non potuit, nisi esset. Is enim est qui egressus esse dicitur. Itaque si Christi egressio sit ab æterno, Christus ab æterno est. 5° Hæc verba : *Ab initio, à diebus æternitatis*, perperàm omninò ad Davidem referuntur; tum quia nec Davidis nec aliorum regum hìc mentio fit; tum quia ipse nec ab æterno, nec à mundi principio fuit. 6° Si antiquitatem stirpis Messiæ commendare voluisset hìc Propheta, eam ad Abrahamum satius fuisset referri, quàm ad Davidem, qui longè post Abrahamum vixit. 7° Denique clariùs locutus fuisset Propheta, ne videlicet lectores in errorem conjiceret. Constat enim hæc verba aliquid præ se ferre, quod æternam Christi generationem arguat. Quapropter, si homo tantùm ille est, nec ab æterno extitit, quorsùm hunc scopulum animis objecit Deus ?

Objiciunt 1° : In codice hebræo, nulla est æternitatis mentio ; sic enim habet ille : *Et egressus ejus à quondàm,* עולם, *à diebus seculi.* Ergo hinc immeritò elicitur Christi æternitas. — Respondeo 1° vocem, עולם, *æternitatem* designare, et eodem modo æternitatem Dei exprimi. Sic Psal. 92, 2 : *A seculo tu es.* Et Isaiæ 43, 13, æternitatem suam exponens Deus : *Ab initio*, inquit, *ego ipse ;* hebraicè : *Ex quo dies est, ego ipse.* — Respondeo 2°, unum ex altero sequi; si enim initio mundi fuerit Christus, nihil est cur non ab æterno esse dicatur. Neque verò id diffitentur Sociniani; alterutrum itaque nobis perinde est, et utroque adversarii revincuntur.

Instant : In æternitate nulli sunt dies. Atqui hìc dies memorantur. Ergo non habetur sermo de æternitate. — Distinguo minorem : Dies memorantur pro hominum captu, concedo; quòd ibi reverà sint, nego. Non possumus æternitatem animo comprehendere ; hinc Prophetæ, ut se hominum captui accommodent, durationem illam more cæterarum exprimunt; quod et Apostoli fecerunt.

Objiciunt 2° : Ibi describitur Christi in oppido Bethlehem nativitas. Atqui ea ab æternitate non fuit. Ergo. — Distinguo majorem : Christi in Bethlehem nativitas, et insuper altera æterna, concedo; sola, nego. Duplex enim manifestè nativitas distinguitur : prima temporalis in Bethlehem, de quâ ut futurâ, sic Vates sacer loquitur : *Ex te mihi egredietur ;* altera, de quâ ut jampridem existente sic addit : *Et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.*

Objiciunt 3° : Jeremiæ cap. 25, 5, terra Chanaan dicitur *à seculo* Israelitis data, hebraicè, לכם עולם. Atqui hæc regio data ipsis non fuerat nisi à tempore Josue. Ergo vox illa *æternitatem* non significat. — Respondeo 1° hâc voce propriè significari durationem, cujus aut principium aut finis aut utrumque ignoratur. Est enim ab hebræo verbo עלם, quod idem est ac *latere;* atque adeò propriè *æternitatem* sonat. Attamen sæpè sumitur pro certo quodam

temporis spatio, modò illud ita longum sit, ut ejus initium aut finis quadamtenùs nesciatur. Sic apud Jeremiam terra Chanaan dicitur Israelitis *à seculo* data, quia ex quo data fuerat, immensum quoddam temporis intervallum effluxerat. Nos autem hic propriam vocis significationem consectamur. — Respondeo 2°, has voces saltem indicare rem à longo jam tempore præteritam aut existentem; quocirca, quantùmvis Sociniani tergiversentur, concedant necesse est ætate Micheæ egressum seu nativitatem Messiæ jampridem extitisse. Quod si ita est, cur igitur statuunt ipsum nullatenùs ante Mariam virginem fuisse? cur non ab æterno?

Argumentum III, ex comparatione Christi cum Melchisedech, ad Hebr. cap. 6 et 7.— Cùm æternus Dei Filius carnem et sanguinem aliquando assumpturus esset, quæ ad pianda humani generis scelera Patri in sacrificium offerret et in cibum ac potum suis in venerabili sacramento daret, hoc tam excellens Christi futuri sacerdotium variis antea figuris adumbratum et prænuntiatum fuit. Sed cùm nulla singularis imago foret, quæ totum illud posset exprimere, plures adhibitæ sunt, quæ diversas ipsius partes repræsentarent. At nullus unquàm insignior ejus typus fuit quàm Melchisedech, cujus historia refertur Gen. 14. 1° Enim ut Christus erat *justitia sempiterna* olim adducenda, sic ille nomine *Melchisedech* donatus est, quod *regem justitiæ* sonat. 2° Ut Christus futurus erat *princeps pacis*, ita ille à Deo factus est *rex Salem* seu *pacis*. 3° Quia Christi sacerdotium longè præstantius esse debebat quàm Judaicum, Melchisedech inducitur ut Abrahamo omnium Judæorum parenti benedicens et ab ipso decimas accipiens. 4° Ut Christus sacrificium ex pane et vino instituit, ita Melchisedech ex iisdem obtulit. 5° Denique, quoniam Christus æternus erat, ita describitur Melchisedech quasi nec initium dierum nec vitæ finem haberet. Ejus enim neque origo, neque genus, neque mors, contra Scripturæ morem, narrantur. Scilicet nulla res creata æternitatem hanc positivè, ut aiunt, adumbrare poterat; quod enim finitæ est durationis, non est æternitati simile. Ut ergo negativè exprimeretur, adhibitum est silentium, quo Melchisedech durationis termini utrinque ita occultarentur, ut perinde ac si nulli fuissent, prorsùs non apparerent. Hoc enim fuit Dei in isto Scripturæ silentio consilium, quod nobis aperuit Apostolus Hebr. 7, 3, dùm primâ hujus capitis parte et sexti postremâ plerasque hujus typi partes ex professo explicat: *Sine patre*, inquit, *sine matre, sine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens; assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.* Unde sic arguimus: Qui nec initium dierum habet, nec vitæ finem omni ex parte, hoc est, ut loquuntur, tam à priori quàm à posteriori, æternus est. Atqui ejusmodi est Christus. Talis enim reipsà Christus est, qualis typicè Melchisedech fuit. Atqui Melchisedech talis est typicè, ut nec initium dierum, nec vitæ finem habeat.

Respondet Socinus adversùs Wiekum, non Christi et Melchisedechi personas inter se conferri, sed utriusque duntaxat sacerdotium. 1° Autem dici Melchisedechum sine patre, sine matre, sine genealogiâ esse, ut indicetur sacerdotium Christi non esse Aaronico simile, quod certo cuidam generi et uni familiæ alligatum erat. Itaque cùm è genere suo Aaronici sacerdotes munus ac dignitatem suam haberent, non ita esse de Christo. 2° Addi ipsum non habere initium dierum aut vitæ finem; non quòd reverà Christus aliquando esse non cœperit, aut æternus sacerdos esse debeat; sed quòd in obeundo sacerdotis officio nemini successerit et nemo ei successurus sit, aut quòd nullum sacerdotii ejus principium in lege Mosaicâ certum constitutum sit. — Refellitur. 1° Enim ex Scripturâ manifestum est non comparari tantùm Melchisedechi et Christi sacerdotia; sed etiam ipsas utriusque personas. Nomina enim Melchisedechi et urbis, cujus rex erat, ad sacerdotium ejus non spectabant. Atqui in utroque hoc nomine comparationem instituit Christum inter et Melchisedech. 2° Si eâ duntaxat de causâ notâsset Apostolus Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogiâ referri, ut adumbraretur sacerdotium Christi nulli familiæ addictum, et ex eâ parte ab Aaronico distingueretur, frustra essent illa verba, *sine matre;* in levitico enim sacerdotio nulla matris ratio habebatur. 3° Cùm Melchisedech pronuntiatur sine patre, sine matre, sine genealogiâ fuisse, non certè ei abjudicantur quæ sacerdotum levitici generis erant propria, sed quæ omnibus hominibus communia sunt. Ergo in eo non respexit Paulus ad sacerdotium Aaronicum, sed ad eam quæ Christo, ut Deo, non ut homini, competit, æternitatem. 4° In Scripturis non modò reticentur, quæ ad Melchisedechi sacerdotium, sed etiam quæ ad ipsius personam spectant; hoc est, quemadmo-

dùm Scriptura tacet ipsius sacerdotii principium ac finem et Melchisedechi in sacerdotio decessorem ac successorem; ita silentio involvit ipsius personæ patrem, matrem et genealogiam. In hoc autem silentio mysterium latere definit Apostolus. Ergo non modò ad ipsius sacerdotium, sed etiam ad personam, mentem attendit. 5° Hæ voces, *neque initium dierum, neque finem vitæ habens,* personam ipsam, non sacerdotium sonant: vita enim personæ est, non sacerdotii. 6° Quis unquàm locutionem hanc, *neque initium dierum, neque finem vitæ habens,* usurpet de aliquo, ut significet ipsum nulli successisse nullique decessisse in obeundo sacerdotis officio? Quis non intelligit hæc non esse synonyma, et à loquendi communi usu abhorrere? Quis non videt Socinianos Scripturæ verbis pro libito abuti? 7° Sociniani fatentur Christi sacerdotii initium in Scripturâ legi, et contendunt tum demùm incœpisse, cùm in cœlum ascendit. Quin etiam arbitrantur sacerdotium illud aliquando desiturum esse, cùm nempe post ultimam judicii diem Christus regnum sibi traditum reddet Patri. Ergo Apostolus ante oculos habere non potuit solùm Christi sacerdotium, cùm dixit, *neque initium dierum, neque finem vitæ habens;* principium enim et finem de eo negâsset, quòd principium haberet et finem, imò cujus initium et finis in Scripturâ juxta ipsos disertè memorantur. Quod si ita est, quisnam supererit veritati locus? Quis etiam comparationi? Omnis namque comparatio tollitur, si Melchisedech, qui sine initio dierum et vitæ fine refertur, cum Christo conferatur quoad sacerdotium, cujus principium et finis non modò sit sed etiam conceptis verbis exprimatur. Quod enim excipit Socinus Christi sacerdotii principium et finem in novi quidem Fœderis codicibus designari, sed non in Mosaicâ lege, frigidum est et absurdum. Quid enim interest ubinam memorentur, modò reipsà sint, et alicubi consignentur? Pari enim ratione dicere possemus Aaronem neque initium dierum, neque vitæ finem habuisse, quia nimirùm ejus sacerdotii principium ac finis in Evangelio non exprimuntur. Quid autem eo insulsius foret? Sed consideremus Socini ingenium et artes. Apostolus enim de Melchisedech absolutè pronuntiat, quòd neque initium dierum, neque finem vitæ habeat, ut qualis sit Christus intelligamus. Respondet Socinus hoc non ad ipsas personas, sed ad munia sacerdotalia esse referendum. Sed si urgeamus : Ergo Christi sacerdotii nullum principium unquàm fuit, nec ullus futurus est finis, reponit id falsum esse, sed hoc principium et finem hunc non legi. At si instemus, et ex ipso Socino probemus utrumque legi in Scripturis, respondet ita quidem legi, sed in novi Testamenti libris, non tamen in lege Mosaicâ. Annon verò istud est cavillari, et indignis modis cùm Scripturam sacram, tùm religionem habere. 8° Denique eodem modo accipi oportet has voces, *neque initium dierum,* quo istas consequentes, *neque finem vitæ habens.* Atqui, cùm Paulus asserit de Christo quòd nullum vitæ finem habiturus sit, id de Christi personâ ait, non autem de sacerdotio ipsius duntaxat; imò nec de sacerdotio id dicere potuit juxta Socinum. Ergo pariter, cùm affirmat ipsum non habuisse initium dierum, eo intelligi voluit Christi personam æternam esse, et ab omni æternitate extitisse.

Objiciunt 1° : Si Melchisedechi persona spectetur, cùm ab Apostolo fuisse dicitur sine patre, sine matre, sine genealogiâ, consequens erit Christum, cujus typus fuit, sine ullâ genealogiâ et matre similiter extitisse. Atqui consectarium hoc manifestè falsum est, cùm in Evangelio Christi genealogia et mater referantur. — Distinguo majorem : Christum sine ullâ genealogiâ extitisse, quatenùs est Deus æternus, concedo; quatenùs est homo certo tempore natus, nego. Porrò, hâc in parte Paulus ad Christum ut æternum respiciebat.

Instant : Christus ut Deus æternus patrem habet. Ergo hâc etiam ex parte falsa esset Apostoli assertio. — Distinguo antecedens : Patrem Deum et æternum, concedo, patrem hominem certo tempore natum, nego. Nempe Apostolus principium dierum à Christo removere volebat, et idcircò ipsi hominem tantùm patrem abjudicat, qui solus vitæ initium certo tempore dat; non autem patrem æternum, qui æternitatem communicet. Ejusmodi enim pater ad æternitatem Christi faciebat, nedùm hanc negaret.

Objiciunt 2° : Si quia Melchisedechi persona, nec origo, nec interitus in Scripturâ describitur, legitimè inferri potest Christum utrâque ex parte esse æternum, consequens eodem jure erit Christum ab æterno fuisse sacerdotem, quandoquidem Melchisedechi sacerdotii nullum initium pariter memoratur. Atqui falsum istud est; sacerdos enim non fuit Christus, nisi post assumptam ab ipso carnem. Ergo non potest hinc adstrui personæ ipsius

æternitas. — Nego majorem. Non enim ex Scripturæ silentio præcisè ducimus argumentum, sed ex eo quatenùs à Paulo applicatur. Jam verò Paulus cùm è Scripturæ silentio de Melchisedecho ejus æternitatem eruit, ad solam ejus personam respexit; quatenùs nempe ejus neque pater, neque mater, neque genealogia memoratur. At sacerdotium non habet patrem, nec matrem, nec genealogiam; sed persona. Ergo cùm Melchisedechi persona quasi sine ullo initio et fine exhibeatur, id ad Christi personam ejusque æternitatem retulit Apostolus; de sacerdotio autem illîc non egit. Nempe cap. 7, Paulus quidem comparationem instituit Christum inter et Melchisedechum; sed licet componat utrumque sacerdotem, attamen intra sacerdotii munus non hæret; imò similitudinem ex variis rebus ducit; ac 1° quidem ex *Melchisedechi* nomine; 2° è regni ejus sede; 3° ex ejus personæ historiâ, in quâ nec vitæ ejus initium nec finis apparet; 4° ex sacrificio, decimis, benedictione Abrahæ datâ, et aliis quæ propriè intra sacerdotii limites continentur. Atque adeò ubi de Christi æternitate loquitur, in Melchisedechi personam, non verò in ipsius sacerdotium, oculos intentos habuit; quocirca inde colligi non potest sacerdotii Christi æternitas à priori, licet elici possit ipsius personæ ab omni æternitate existentia; quod fecimus.

Argumentum IV, ex incarnationis descriptione, apud Joannem, Epist. 1, c. 1, v. 1. — *Quod fuit ab initio*, inquit, *quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspexinus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ; et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis.* Illîc profectò Apostolus Christum Dei Verbum describit, ut et initio Evangelii sui, quod postmodùm disertiùs adstruemus. 1° Enim quod in Evangelio simpliciter *Verbum* nominat, hîc *Verbum vitæ* dicit. 2° Ut illîc statuit Verbum fuisse in principio, fuisse apud Deum, ita hîc testatur fuisse ab initio apud Patrem. 3° Ut illîc asserit in Verbo fuisse vitam, et ipsum fuisse vitam, lucemque hominum: *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum..... Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem;* ita hîc Christum *vitam* similiter appellat. 4° Ut illîc pronuntiat Verbum carnem esse factum et habitâsse in nobis, et gloriam ejus visam à nobis esse: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus;* ita hîc: *Et vita manifestata est*, inquit, *et vidimus, et testamur.*

Hoc autem posito, æternitatem Christi demonstrare in promptu est. Hanc enim vitam quam affirmat essę manifestatam, eamdem conceptis verbis *æternam* vocat, et cùm ab initio, mundi videlicet, aut potiùs ab æterno apud Patrem fuisset, testatur postmodùm nobis apparuisse. Unde sic argumentamur: Perspicuum est *Verbi* ac *vitæ* nomine Christum hîc, ut et Evangelii initio, intelligi oportere. Atqui huic vitæ æternitatem tribuit Apostolus. Ergo.

Objiciunt: Vox *initii* nec mundi originem nec æternitatem significat. Apostolus enim perhibet se illud vidisse quod ab initio fuit. Atqui Joannes Apostolus ab omni æternitate aut à mundi origine non fuit. Ergo vox *initii* potiùs Evangelii exordia significat. — Nego majorem. Ad probationem distinguo majorem: Apostolus perhibet se illud vidisse quod ab initio fuit; sed non perhibet se ab initio vidisse, concedo; se illud ab initio vidisse, nego. Aliud est videre quod ab initio fuit, aliud ab initio illud vidisse. Apostoli viderunt quidem Christum, qui ab initio erat, sed illum ab initio non viderunt; sic infans posset jam videre aliquem qui à principio seculi posterioris vixerit, nec idcircò consequens erit hunc infantem initio superioris seculi vixisse.

Argumentum V, ex Christi de se et Joannis de Christo testimonio in Apocalypsi. — Nullus est Scripturæ liber, in quo aut disertiùs aut frequentiùs Christi æternitas commendetur, quàm Apocalypsis, et quidem iisdem ferè ubique verbis. Capite enim 1, 8, Christus de se ipso loquens: *Ego sum*, inquit, Α *et* Ω, *principium et finis, dicit Dominus* (græcè *Deus*), *qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens.* Ibidem versu 11, græcè iterùm: *Ego sum* Α *et* Ω, *primus et ultimus.* Ibid. versu 17, Christus Joannem alloquens: *Noli timere*, inquit, *ego sum primus et novissimus, et vivus, et fui mortuus.* Cap. 2, 8: *Hæc dicit primus et novissimus; qui fuit mortuus et vivit.* Cap. 11, 17: *Gratias agimus*, inquiunt in cœlo sancti, *tibi, Domine, Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui venturus es.* Cap. 21, 6: *Ego sum* Α *et* Ω, *initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius.* Cap. 22, 13: *Ego sum* Α *et* Ω, *primus et novissimus, principium et finis.*

Ex his autem sic argumentamur. Qui est Α et Ω, primus et novissimus, principium et

finis, idem ab æterno est et æternum erit. Atqui talis est Christus. Ergo.

Respondet Socinus tom. 2, pag. 555, capitis quidem primi versum 8, de æternitate accipi; sed hunc de Deo non de Christo intelligi oportere; ejusdem verò capitis versum 11, et secundi 8, et vigesimi secundi 13, de Christo quidem esse accipiendum; sed ibi *æternitatem* non exprimi; de cæteris silet.

Utraque responsio refellitur. Ac prima quidem, quòd nimirùm versus 8 capitis secundi non de Christo, sed de Deo Patre intelligatur. 1° Enim de eo sermo est versu 8, de quo sermo in proximè antecedentibus fiebat, et adhuc fit in consequentibus. Atqui à versu 5 Joannes de Christo loquitur et postea de eodem loqui pergit. Versu enim 5 eum appellat nominatim, hisque laudibus exornat: *Qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ, qui..... lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, versu 6, de eodem: *Et fecit nos*, inquit, *regnum et sacerdotes Deo et Patri suo*. Versu 7, rursùs de eodem: *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt*. De consequentibus verò constat ex capitis hujus lectione. Ergo nihil absurdius unquàm fingi potuit, quàm Joannem, cùm antea proximè de Christo verba faceret, et de eodem facere deinceps pergat, orationis suæ filum ita sub tò abrupisse, ut versu 8, intermedio, non de Christo, sed de alio sermonem haberet. 2° Cùm ubique non modò eadem sententia sit, sed eadem ferè verba repetita, adversarii autem confiteantur cætera de Christo dici, ineptum est unicum hunc versum 8 capitis primi reliquis planè similem excipere, et ad Deum, non ad Christum pariter referre. 3° Qui versu illo 8 characteres notantur, ii omnes Christo conveniunt. 1° Enim rectè dicitur Α et Ω, *principium et finis*, quod ex aliis locis liquet, et Sociniani non diffitentur. 2° Verba consequentia: *Qui est, et qui erat, et qui venturus est*, ei etiam meritò tribui possunt. Eodem enim sensu et non absimili loquendi ratione Paulus de Christo loquens ad Hebr. 13, 8: *Jesus Christus*, inquit, *heri et hodiè, ipse et in secula*. 3° Vox illa, *venturus*, non modò Christo congruit, sed ipsum maximè designat. Hoc enim nomine vulgò appellatur, illudque sæpenumerò ipsi adscribitur, v. g. Hebr. 10, 37: *Adhuc modicum aliquantulùm*, inquit Apostolus, *qui venturus est, veniet, et non tardabit*, et in ipsâ Apocalypsi c. 17: *Ecce venit cum nubibus*, ibid. 3, 11: *Ecce venio citò*, ibid. 16, 15: *Ecce venio, sicut fur*, ibid. 22, 7: *Et ecce venio velociter* versu 12: *Ecce venio citò*, versu 20: *Etiam venio citò*, etc. Ergo, cùm hinc quidem nihil sit quod prohibeat quominùs is versiculus de Christo accipiatur, illinc contra multa sint quæ vel invitos compellant ad illum ipsi tribuendum, nihil est insulsius, quàm quod Socinus somniavit. Jam verò Socinus conceptis verbis confitetur, si hîc de Christo sermo sit, vicisse Catholicos. Itaque dent manus ejus discipuli, nec ampliùs credant mendacio.

Secunda responsio longè minùs tolerabilis est, quòd nempe cætera quidem loca de Christo intelligantur; sed ea non arguant æternitatem. 1° Enim apertè pugnat cum priore. Namque si hæc verba versûs 8 *æternitatem* sonant, fatente Socino, necesse est ut eamdem alibi quoque significent; ridiculum enim est uni eidemque sententiæ, quæ toties iisdem vocibus usurpatur, diversum sensum affingere. 2° Reipsà nihil est iis aptius ad æternitatem indicandam. 1° Quippe his in locis res omnes comparantur cum omnibus alphabeti litteris. Quemadmodùm igitur Α omnium litterarum prima est, et Ω ultima; sic Christo nihil priùs agnosci potest. 2° Qui *primus* absolutè vocatur, nihil habet quod sit aut fuerit ante se. Atqui Christus absolutè vocatur *primus*. Ergo. 3° Tam hâc voce *primus*, aut istâ *principium*, exprimitur æternitas à priori, quàm illis *novissimus* et *finis* exprimatur æternitas à posteriori. Atqui hoc postremum certissimum est, et apud adversarios in confesso. Ergo. Denique adeò verum est hisce verbis *æternitatem* propriè indigitari, ut alia non usurpet Deus ipse, cùm æternitatem suam demonstrare studet. Isaiæ 41, 4: *Ego Dominus*, inquit, *primus et novissimus ego sum*. Cap. 44, 6: *Hæc dicit Dominus, rex Israel..... Ego primus et ego novissimus, et absque me non est Deus. Quis similis meî?* Cap. 48, 12: *Audi me, Jacob..... Ego ipse, ego primus, et ego novissimus*, etc. Proinde ista locutio in Scripturis veluti jam ipsâ consuetudine consecrata erat ad designandam Dei æternitatem. Cùm itaque eamdem de Christo adhiberi cernamus, consequens est ipsum, ut Deum, reipsà æternum esse. Etverò, in his Isaiæ locis Deus illud sibi adscribit, tanquàm aliquid maximè proprium, in quo nemo ei similis sit. Ac ne quis id satis non capiat, antequàm verba illa pronuntiet, præfatione magnificâ utitur, ut excitet attentionem. Non ergo eadem usurpâsset Christus, si merus

homo foret; aut ea sibi non addixisset Deus; neque enim casu ac fortuitò ista contigerunt. Noverat Deus Christum ita locuturum; noverat Christus ita locutum esse Deum. An ergo Deus id tanquàm sibi proprium vindicâsset, quod Christus merus homo postea sibi asserturus fuisset? An Christus, si merus homo est, sibi id tribuere non dubitâsset, quod Deo proprium esse non ignorabat? Cùm ergo hoc sibi tanquàm proprium adscribat Deus, et nihilominùs Christus idem sibi tribuat, necessariò Christus est Deus ac verè æternus.

Objicit 1° Socinus in gratiam primæ suæ responsionis : Hoc elogium : *Qui est, qui erat, et qui venturus est,* Patri æterno tribuitur ejusdem capitis primi versu 4, ubi Joannes : *Gratia vobis et pax,* inquit, *ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est,.... et à Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum,* etc. Ergo cùm hoc idem elogium repetatur, ibid. vers. 8, id rursùs de Patre æterno, non de Christo, intelligendum est. — Distinguo antecedens : Hoc elogium versu 4, Patri tribuitur, ut ipsi conveniens, concedo; ut ipsi proprium, nego. Ipsi enim tribuitur, quia Deus est; sed Filius pariter est Deus. Ergo utrique commune est propter eamdem naturam; sed neutri proprium est.

Instat : Pater æternus hoc elogio distinguitur ibidem apertè à Jesu Christo. Ergo Patri proprium illud est. — Distinguo antecedens : Pater eo distinguitur à Jesu Christo, quatenùs homine, concedo; omni ex parte, nego. Quòd enim Christus, cùm ibi distinguitur à Patre per hoc elogium, spectetur ut homo, id perspicuum est ex iis, quæ de Christo statim adduntur, quòd nempe sit *testis fidelis, primogenitus mortuorum,* etc.

Objicit 2°, in subsidium alterius suæ responsionis : Res ipsa clamat, hæc verba : *Ego sum* A *et* Ω, *primus et novissimus, principium et finis,* cùm de Christo dicuntur, non esse sumenda simpliciter et absolutè, quasi rerum omnium principium sit ac finis; sed cum restrictione aliquâ, et comparatè duntaxat ad salutem; quia videlicet æternæ salutis nostræ inchoator et perfector est; quia Ecclesiam hanc militantem et auspicatus est, et finem illi est impositurus; quia denique, quemadmodùm ipse primus beatæ immortalitatis consequendæ rationem mundo patefecit, sic post eum nemo extiturus est, qui aliud quidquam eò spectans patefaciat. Ergo inde adstrui non potest Christi æternitas. — Nego antecedens. 1° Enim eâdem planè ratione de Christo dicuntur hæc verba, quâ ibidem et alibi in Scripturis de Deo. Atqui cùm Deo tribuuntur, nulla est restrictio adhibenda. Ergo nec adhiberi debet, ubi de Christo. 2° Si Christus merus homo est, ut Sociniani fingunt, falsa omninò est hæc Socini expositio. Neque enim Christus hoc posito dici potest primus salutis nostræ auctor, cùm Deus prima sit illius causa. Præterea verò multi ante Christum extiterant, Prophetæ videlicet, qui viam salutis homines docuerant. Ergo nec in ipso salutis negotio Christus appellari posset *primus.*

Instat 1° : A et Ω non sunt primum et ultimum, nisi in certo quodam genere, nempe litterarum. Ergo, cùm Christus ait se esse A et Ω, satis indicat se non esse primum et ultimum, nisi in aliquo duntaxat genere, videlicet salutis. — Nego consequentiam. Licet enim A et Ω non sint nisi in certo genere, hìc tamen cum omnibus alphabeti litteris res omnes comparantur. Sicut ergo nulla littera est in alphabeto quæ sit ante *Alpha,* ita in rerum naturâ, nihil esse debet Christo prius. Etverò, juxta Socinum, Deus ipse versu 8, cap. 1 Apoc., se appellat A et Ω. An idcircò in certo duntaxat genere primus est? an non propriè æternus?

Instat 2° : Post hæc verba versu 7, cap. 1, adjicit Christus : *Et vivus, et fui mortuus.* Hæc est autem primorum verborum expositio, quasi nimirùm diceret : *Propterea primum et ultimum me vocavi, quia etsi dùm primus æternam mundi salutem operor, mortuus fui, tamen revixi, et vivo, vivamque perpetuò, et inchoatum opus ad finem usque perducam.* — Nego antecedens. Hæc enim subjunguntur, non in priorum verborum interpretationem, sed ut aliud quid Christo conveniens. Quis enim sibi persuadeat has voces, *vivus, et fui mortuus,* explicationem esse istarum : *Ego sum* A *et* Ω, *principium et finis, primus et novissimus?* Quis præter Socinum id unquàm fuisset suspicatus? Certè Deus ipse Pater, si Socino fidem habemus, se dixit A et Ω, *principium et finis;* an ille quoque mortuus est, et revixit?

Sectio III.

An Christus sit verus Deus, æterno Patri consubstantialis.

Quò magis progredimur, eò plures nobis occurrunt hostes. Primâ enim sectione solos Socinianos et ejusdem furfuris alios impugnandos habuimus; secundâ se eis consociâ-

runt Ariani ; nunc verò ad triarios certamen devenit ; eos intelligo Semi-Arianos, qui, licet Christum et Beatâ Mariâ virgine priùs extitisse, et æternum etiam esse concederent, ipsum tamen verum esse Deum, æterno Patri consubstantialem inficiabantur. Cum iis autem, quidquid virium superest, jungunt tam Ariani quàm Semi-Ariani, et à tergo pugnam instaurant.

Ut autem quæstionis status accuratè percipiatur, diligenter observanda sunt verba quibus usi sumus. Quæritur enim an Christus sit verus Deus, æterno Patri consubstantialis; hoc est, uno verbo, an naturâ et essentiâ divinâ præditus sit. Id porrò notandum esse dicimus, ut omnis ambiguitas tollatur. Nimirùm Semi-Ariani illi Christum *Deum* vocare non omninò refugiebant; multò autem minùs refugiunt Sociniani, qui contra palàm ac publicè profitentur se illum pro Deo, et quidem vero, habere, et tanquàm Deum adorare. At sub istâ sanorum verborum formâ fraudem tegunt, et virus propinant. Reverà enim Christo denegant divinitatem, nec in ipso divinam naturam agnoscunt ; ipsum tamen *Deum* appellari posse ac debere censent, atque ut talem coli; quòd nempe *Dei* nomen non naturæ sit, sed auctoritatis ac dignitatis ; Christus autem super omnes creaturas evectus sit, et in eas à Deo Patre, licet merus homo, summam auctoritatem aeceperit. Jam verò Christum esse verum Deum, Patri æterno consubstantialem, satis quidem constare posset ex iis quæ hucusque, ac præsertim de ipsius æternitate, disputavimus. Ut enim ait Tertullianus contra Hermogenem cap. 4, « proprius « Dei census est æternitas. » Sed ut omni ex parte obstruatur os loquentium iniqua, Christi divinitas propriis sibi argumentis asserenda est.

Assertio. — Christus est verus Deus, æterno Patri consubstantialis.

Probatur variis momentis. Ut autem in ingenti eorum, quæ sese certatim offerunt ad id demonstrandum, copiâ, brevitati simul et perspicuitati studeamus, nonnulla tantùm usurpabimus illustriora, eaque in varios ordines distribuemus. I ex nominibus Deo peculiaribus repetetur. II ex naturâ Dei propriâ. III ex divinis proprietatibus. IV ex divinis operationibus. V ex cultu soli Deo debito ; quæ omnia Christo, ut Deo, in Scripturis tribuuntur.

§ 1. Argumenta primi ordinis. — *Ex nominibus Dei propriis.*

Cùm plurima sint Dei nomina, ex quibus velut totidem fontibus hauriri possent Christi divinitatis argumenta, tria tantùm expendemus, è quibus duo hebræi codices, tertium verò græci latinique suppeditant. 1° Itaque adversarios revincemus ex nomine *Jehovæ* ; 2° ex nomine *El* ; 3° ex nomine Θεοῦ seu *Dei*,

Argumentum primum, ex nomine Jehovæ. — Inter omnia Dei nomina nullum est augustius isto (*Jehovah*, יהוה), quod *Tetragrammaton* vulgò appellatur, eò quòd quatuor litteris constet, quodque Judæis adeò sacrum erat, ut ab eo pronuntiando religiosè abstineant ; imò ipsius pronuntiandi rationem ipsâ desuetudine penitùs jam ignorent. De quo singularem librum Drusius conscripsit.

Ex hoc autem nomine sic argumentamur : *Jehovah*, יהוה, est nomen Deo soli proprium. Atqui Christus non rarò hoc nomine insignitur. Ergo Christus est verus Deus.

Major probatur. — Major, quod nempe nomen, *Jehovah*, sit soli Deo proprium, multis argumentis ostenditur. Ac 1° quidem non paucis Scripturæ testimoniis id adstruitur. Exodi enim 3, 13, cùm Moyses Dei proprium nomen scire voluisset, dixit Dominus ad Moysen : *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. Dixitque iterùm Deus ad Moysen : Hæc dices filiis Israël : Dominus (Jehovah, יהוה) Deus patrum vestrorum... misit me ad vos ; hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem.* Ibidem, cap. 6, 2 : *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Ego Dominus (Jehovah), qui apparui Abraham, Isaac et Jacob, in Deo omnipotente ; et nomen meum (Jehovah) non indicavi eis.* Ibid. cap. 15, 1, in cantico suo Moyses : *Cantemus*, inquit, *Domino (Jehovah). Iste Deus meus, et glorificabo eum..... Dominus (Jehovah) quasi vir pugnator, omnipotens (Jehovah) nomen ejus.* Isaiæ 42, 8 : *Ego*, inquit, *Dominus (Jehovah) hoc est nomen meum ; gloriam meam alteri non dabo.* Ibidem 48, 2 : *Dominus exercituum (Jehovah) nomen ejus.* Ibi, ut liquet, non modò hoc nomen soli Deo adscribitur ; sed etiam ipsius esse proprium asseritur, nec cum ullo alio communicandum.

2° Illud idem confirmatur testimonio celeberrimorum quorumque gentis Judaicæ doctorum. 1° Enim Rabbi Moyses filius Majemonis parte 1 More nevochim, cap. 61, affirmat eo

nomine exprimi essentiam Dei, et de Deo tantùm dici ratione æternæ ipsius essentiæ. 2° Auctor libri Ikkarim, seu Fundamentorum, oratione 2, cap. 28, hoc nomen esse proprium Dei disertè pronuntiat. 3° Hoc ipsum conceptis verbis definit Rabbi Salomo in caput 24 Levit. vers. 11. 4° In libro cabalistico schaare orah : « Scito, inquit auctor, quòd nomen « proprium *Jehovah* denotat essentiam creatoris nostri, » etc. Alios Rabbinos prætermittimus.

3° Ratio ipsa suffragatur. Nomen enim hoc, *Jehovah*, יהוה, deducitur à verbo *hajah*, איה, quod idem est ac *esse*. Itaque *Jehovah* est *ille qui est*. At Deus solus est *ille qui est*, seu fons omnis essentiæ, ut compertum etiam est ex capite 3 Exodi mox allato. Certè Socinus ipse supra, contendebat has Apocalypseos voces, *qui est, qui erat, et qui venturus est*, soli Deo convenire, nec de Christo dici potuisse. Quid quòd adversarii nostri hoc non omninò diffitentur? Socinus enim pluribus in locis hoc nomen esse Dei proprium concedit; quod nec dissimulat epist. 3 ad Voidovium, quod etiam non obscurè significat Volkelius lib. 1 de verâ Religione, cap. 11; ait enim hoc nomen nec Christo nec Angelis, si per seipsos spectentur, convenire, absolutè positum, licet cum adjectione positum, ipsis, quatenùs personam Dei sustinent, convenire possit. Sed de hoc postremo capite postmodùm videbimus. Interea constat vel ex ipsâ Socini confessione, nomen hoc absolutè positum Deo soli proprium esse.

Neque verò cum Socinianis dicas Angelos qui priscis Patriarchis apparuerunt, nomine *Jehovæ* insigniri.

Multis contra ostendimus, supra, qui se *Jehovam* appellabat, cùm veteribus Patriarchis appareret, fuisse ipsum Dei Filium : cujus rei non exiguum est argumentum, quòd qui *Jehovæ* nomen sumit, is sit semper unus ac singularis Angelus. Nam aliquando plures Angeli visi sunt, aliquando unus duntaxat apparuit; cùm plures Angeli sunt, nunquàm illi *Jehovæ* nomen usurpant; sed cùm unus apparet, eximius videlicet ac singularis; aut si, cùm Angeli multi apparent, *Jehovæ* nomen occurrit, illud non omnibus promiscuè, sed uni tantùm adscribitur, eoque à cæteris distinguitur. Quid ita? si *Jehovæ* nomen tribui potest omnibus Angelis, omnibus Dei nuntiis ac legatis? Certè in istâ agendi ratione latet aliquod mysterium, aut potiùs manifestum est personæ divinæ, qua tum videndam se præbebat, indicium.

Minor probatur. — Minor itaque jam adstruenda est, quòd videlicet hoc *Jehovæ* nomen Christo absolutè in Scripturis tribuatur. Id autem demonstramus ex Scripturæ locis quibusdam.

Primus verò ad id idoneus Scripturæ locus extat Isaiæ cap. 8, versu 13, ubi sic loquitur Propheta : *Dominum* (*Jehovah*, יהוה,) *exercituum sanctificate; ipse pavor vester, et ipse terror vester, et erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem.* Illîc haud dubiè sermo fit de vero Deo, qui *Jehovah* et *Dominus exercituum* pro Scripturæ more appellatur, propriusque est Israelitarum Deus, quem solum illi timere debebant ac revereri. Neque verò id negant Sociniani. At ille idem, qui ibi describitur ac prædicitur, est Christus. Hujus enim vaticinii non possunt esse meliores ulli interpretes quàm beatus Simeon Spiritu sancto plenus, et Paulus ac Petrus Apostoli. Atqui tres illi de Christo locum hunc intelligendum esse docent. Ac 1° quidem Simeon Lucæ 2, 34. Cùm enim Christum accepisset in ulnas suas : *Ecce positus est hic,* inquit, *in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur.* 2° Paulus adhuc apertiùs ad Rom. 9, 33, de Christo : *Offenderunt,* inquit (Judæi), *in lapidem offensionis, sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali.* Nullus enim alius est in Scripturis, quàm iste Isaiæ locus, in quo de lapide offensionis et petrâ scandali mentio fiat. 3° Petrus Epist. 1, cap. 2, ubi multa Scripturæ loca de Christo congerens, inter alia hoc Isaiæ oraculum refert : *Propter quod,* inquit, *continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem... Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, et lapis offensionis, et petra scandali, his qui offendunt verbo,* etc. Et verò, de Christo hunc Isaiæ locum interpretandum esse persuadent adjuncta. Ibidem enim, versu 18, Christus designatur his verbis : *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum.* Ibidem, versu 21, Christus exhibetur velut à Judæis negandus his verbis : *Et maledicet* (populus Israel) *regi suo, et Deo suo, e suspiciet sursùm.* Præterea capite proxime præcedenti, Isaias Christi futuram ex virgine conceptionem prænuntiaverat in hunc modum, versu 14 : *Ecce virgo concipiet* etc. Capite

autem consequenti ejusdem Christi nativitatem describit versu 6 : *Parvulus enim natus est nobis*, inquit, *et filius datus est nobis*, etc. Proinde trium istorum capitum idem est argumentum.

Nec dicat Socinus à Paulo in Epistolâ ad Rom. non laudari hoc Isaiæ caput 8, quod de Deo, non de Christo accipiendum est ; sed allegari potiùs ejusdem Isaiæ caput 28, in quo sic loquitur Deus versu 16 : *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum.* Hæc enim Pauli verba : *Ecce pono in Sion*, eadem sunt cum illis apud Isaiam : *Ecce mittam in fundamentis Sion lapidem*, etc. Nam contra simul utrumque laudat, et præsertim caput 8. Solent enim sacri scriptores plura Scripturæ loca simul connectere ; quod Paulus usurpat Rom. 3, 10, et de Petro mox observavimus. Quòd si Paulus censetur ad caput 28 respexisse, quia ex eo quædam verba depromit, eodem ac potiori jure censendus est respexisse ad caput 8, unde alia hausit. Imò verò ad caput 8 penitùs respexit. Scopus enim Apostoli est ex veteri Testamento probare Christum futurum fuisse Judæis in lapidem offensionis. Jam verò id erui non potest ex capite 28, sed duntaxat ex capite 8. Itaque in hoc 8 caput oculos intentos præsertim habuit Apostolus. Profectò non potest esse vera Apostoli sententia, nec argumentum ipsius ullatenùs consistere, nisi alicubi apud Prophetas occurrat oraculum, quo Christus prædicatur futurus esse in lapidem offensionis et in petram scandali Judæis. At nullum aliud proferri potest, quàm istud capitis 8. Ergo caput hoc 8 de Christo intelligendum est.

Alter ad minorem probandam aptissimus ocus est Jeremiæ cap. 23, 5, ubi Messiam promittens Deus : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terrâ. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter, et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster* (hebraicè : *Et hoc est nomen quo vocabit eum, Jehovah, יהוה, justitia nostra*). Ex quo sic arguimus : Qui hîc prænuntiatur, hic est Messias seu Christus. Atqui eidem tribuitur nomen *Jehovæ*, et *justitiæ nostræ*. Ergo Christus eo nomine in Scripturis insignitur.

Majorem concedunt Sociniani. Negat verò Grotius, qui vaticinium hoc, non ad Christum, sed ad Zorobabelem reducis è Babylone populi Judaici ducem pertinere contendit. Sed immeritò sanè. Qui enim in hoc vaticinio exprimuntur characteres, Christo quidem optimè omnes conveniunt ; sed plerique in Zorobabelem non quadrant. Is enim qui prædicitur, appellatur *Davidis germen* : illud porrò est Messiæ nomen, ut videre est apud Isaiam cap. 4, v. 2, ubi *germen* disertè appellatur ; et cap. 11, vers. 1, ubi dicitur *virga de radice Jesse*, sicut et Apoc. 5, 5, ubi dicitur *radix David*, et cap. 22, 16, *radix et genus David*. 2° Vocatur *rex*, qui alius est Messiæ titulus Psal. 2, 6 ; Psal. 23, 7 ; 73, 12 ; Isaiæ, 9, 6 et 7 ; 32, 1, etc. Is autem titulus Zorobabeli non competit ; nunquàm enim ille rex fuit, nec ullus post captivitatem Babylonis in Judaico populo rex extitit ad postremos usque Assamonæos, qui è tribu Levi erant. 3° Dicitur *rex justus, facturus judicium et justitiam*, imò et *justitia nostra*, quæ totidem insignia sunt Messiæ, Psal. 71 : *Orietur in diebus ejus justitia.* Isaiæ 11, 4 : *Judicabit in justitiâ pauperes.* Ibidem 45, 8 : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum..... Et justitia oriatur simul.* Ibidem 53, 11 : *In scientiâ suâ justificabit ipse justus servus meus multos.* Daniel 9, 24 : *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt,.... ut.... adducatur justitia sempiterna.* Zach. 9, 9 : *Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator.* 1 Cor. 1, 30 : *Factus est nobis sapientia à Deo et justitia.* Id autem, ut satis liquet, in Zorobabelem cadere non potest. 4° Ibidem præcinitur futurus esse *Salvator*, quâ eâdem voce apud Zachariam Messias designatur, utpote qui genus humanum liberaturus esset. 5° Judæorum veteres doctores illud oraculum ad Messiam retulerunt ; quod pluribus illorum testimoniis ostendit illustrissimus Huetius in Demonstr. evangel. propos. 7, num. 16. Ergo de Christo intelligendum est. Sed nihil necesse est diutiùs in istâ majore propositione firmandâ immorari, quandoquidem fatentes hîc habemus Socinianos, quibuscum dimicamus.

Ad minorem verò Socinus respondet duplici ratione. 1° Enim hæc verba : *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum : Dominus, justitia nostra*, non ad Christum, nec ad regem salvatorem, sed ad ipsum Israelem, de quo proximè sermonem habuerat Propheta, esse referenda contendit. Atque adeò juxta hebræi codicis fidem esse vertenda : *Et hoc est nomen, quod vocabit eum* (Israelem) *Dominus, justitia nostra.* Ita juxta Socinum hoc nomen, *Dominus, justitia nostra*, non est Christi, sed Israelitici populi. 2° Addit, si hoc nomen Christo tribua-

tur, ipsum appellari *Jehovah, justitiam nostram*, non quòd propriè talis sit, sed quòd per ipsum Deus salutem nostram ac justificationem esset peracturus. Sed utraque responsio facilè obteritur. Ac prima quidem, quòd nomen hoc non Christi sit, sed Israelitici populi. 1° Enim vel ex solâ loci istius lectione patet hoc nomen esse illius, qui in eo prænuntiatur aliquando venturus, et multis titulis describitur. At Christus ibi ex professo prædicitur et propriis, ut ita dicam, coloribus depingitur; de Israele autem mentio non fit, nisi quatenùs ad istam descriptionem aliquâ ex parte facit. Ergo nomen illud ad Christum potiùs quàm ad Israelem referendum est. 2° Hoc nomen convenit Christo, ut multis modò demonstravimus. Est enim *rex, salvator, Dominus* et *justitia nostra*. At Israeliticus populus non potest ita vocari. Ergo. 3° Sacer Vates prænuntiat quod aliquando futurum erat. At consecutis temporibus Christus in omni orbe habitus est tanquàm Dominus et hominum justitia; nunquàm autem Judaica gens isto nomine appellata est. 4° Debet esse aliquis nominativus, ut aiunt, verbi hujus, *vocabit*. At alius esse non potest quàm verborum proximè antecedentium, *salvabitur* et *habitabit*. Est enim eadem phrasis, et eadem orationis series. Atqui de Judaicâ gente dicitur, quòd *salvabitur* et *habitabit*. Ergo de eâdem, quòd *vocabit*. Jam verò si ipsa vocabit, non ipsa vocanda est. Etverò hìc nominativus vel est Judaica gens, vel Messias, vel Deus. Trium enim duntaxat horum mentio fit eò loci. At 1° non est Deus: dicendum enim fuisset in primâ personâ, ut antea: *Et hoc est nomen quo vocabo*, quandoquidem Deus ipse loquitur. Deinde verò Judaicam gentem Deus appellare non potest *justitiam suam*. 2° Non Messias, propter hanc eamdem postremam rationem. Non enim Judaica gens Christi justitia est; et præterea, *justitia nostra* pluralem numerum sonat; quod nec in Deum, nec in Messiam cadit. Ergo Israel illìc designatur tanquàm vocaturus aliquem *Dominum* ac *justitiam suam*, qui alter à Messiâ non est.

Secunda responsio, quæ ait hoc nomen Christo posse tribui, non quòd ipsi conveniat, sed quia Deus in eo futurus erat ad operandam hominum salutem ac justitiam, stare pariter non potest. 1° Enim satis apparet hìc nomen assignari, quod propriè convenire deberet. Omnia enim quæ Messiæ hìc attribuuntur, ipsi propriè conveniunt. Absurdum igitur foret hoc unum excipere. 2° Ibi prædicitur quod futurum aliquando erat post Christum natum. Atqui post Christum natum, Deus Pater nunquàm vocatus est *justitia nostra*. Is autem titulus Christo attributus est, ut vidimus. Ergo id nomen ad Deum Patrem non est referendum, sed ad Christum. Etverò Deus Pater est quidem judex noster, sed solus Christus potest dici propriè *justitia nostra*, quia idem pro nobis facit quod justitia in homine innocente. Cùm enim homo quidam innoxius in judicium adducitur, ipsius justitia simul cognita est, judicem movet ad eum absolvendum; sic Christus Deum excitavit ut nobis peccata condonaret; quod tamen non obstat quominùs ejusdem Christi gratiâ justitiam animæ nostræ infusam et inhærentem insuper habeamus.

Objicit 1° Socinus, ut primam suam responsionem firmet: Est apud eumdem Jeremiam cap. 33, v. 15, alter locus prioris hujus planè germanus, in quo nomen hoc, *Dominus, justitia nostra*, urbi Jerusalem tribuitur. *In diebus illis,....* inquit Deus, *germinare faciam David germen justitiæ, et faciet judicium et justitiam in terrâ. In diebus illis salvabitur Juda, et Jerusalem habitabit confidenter, et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus justus noster* (hebraicè: *Et hoc est, quod vocabit..... eam, Dominus* (*Jehovah*) *justitia nostra*). Istud enim pronomen, *eam*, necessariò refertur ad *Jerusalem*. At *Jerusalem* hìc eumdem locum tenet, quem in superiore testimonio, *Israel*. Ergo nomen hoc, *Dominus justitia nostra*, quod hìc refertur ad *Jerusalem*, debet supra capite 23, ad *Israelem* referri.

Nego majorem. In hebraicis enim codicibus nulla nominis istius mentio fit, et juxta eorum fidem is locus sic interpretandus est: *Est ille qui vocabit eam* (est) *Dominus justitia nostra*. Sic enim verbum è verbo redditur, nisi quòd suppletur verbum substantivum, *est*, hìc etiam à Socinianis supplendum. Illìc ergo dicitur Christus, qui est Dominus justitia nostra, vocaturus esse aliquando Jerusalem ad se, qui loci sensus est eximius, et historiæ consentaneus. Imò hìc locus, si puncta litterarum mutes, quæ non sunt primævæ originis, potest sic verti: *Et ille est, qui ei*, seu *ab eâ, vocabitur, Dominus justitia nostra*, quo in casu idem eò loci prædiceret Jeremias, quod in altero superiori, Messiam nempe à Jerusalem esse appellandum *Dominum suum* et *justitiam suam*. Atque id expresserunt interpretes græci; sic enim legunt: *Et hoc est no-*

men, quod vocabunt ei (*Messiæ*, masculinum enim genus usurpant) *Dominus justus noster.*

Instat : 1 Cor. 12, 12, Ecclesia vocatur *Christus.* Sic enim loquitur Apostolus : *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus.* Ergo pariter Jerusalem potest appellari *Dominus justitia nostra.* — Nego antecedens. Christus enim illic propriè accipitur. Nimirùm Christus cum omnibus fidelibus unum corpus constituit, cujus ipse est caput.

Objicit 2°, in gratiam secundæ responsionis : Moyses, cùm de Amalecitis insignem victoriam reportâsset, aram erexit, quam vocavit, *Dominus exaltatio mea,* Exodi 17, 15 : *Ædificavit..... altare,* inquit, *et vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea.* Similiter urbs quæ Ezechielis capite 48 describitur, vocatur *Dominus ibi.* Sic enim legitur versu 35 : *Et nomen civitatis ex illâ die, Dominus ibidem.* Atqui ara illa, et hæc civitas nominibus hujusmodi denominantur, licet ipsis præcipuè non conveniant, quia videlicet hinc quidem ara significabat Dominum fuisse populi Israelitici exaltationem ; illinc verò in eâ civitate singulari quâdam ratione habitaturus erat Deus. Ergo eâdem aut simili de causâ Christus poterit appellari per figuram aliquam *Dominus justitia nostra,* licet talis propriè non sit, quia nempe Dominus in eo erat, mundum reconcilians sibi. — Nego consequentiam et paritatem, quæ hoc in genere nulla est inter res sensûs expertes, et personas intelligentes. Cùm enim dicitur Moyses vocâsse altare, *Dominus exaltatio mea,* id arguit Moysen hunc titulum aræ inscripsisse. Sic et Ezechiel est intelligendus ; significat enim in ipsis civitatis foribus inscribendum esse hunc titulum, *Dominus ibi.* Id autem fit, quia nullum est erroris periculum ; neque enim culpiam veniet in mentem, altare quoddam aut civitatis alicujus mœnia Deum esse. Sed ubi persona est intelligens, si ea vocetur *Dominus, Jehovah,* et addatur esse *hominum justitia,* tunc propria locutio esse debet ; aliàs, qui ita loquitur, cæteros in gravissimum errorem et in manifestam impietatem præcipites ageret (1).

(1) Quibusdam fortassè videbitur istâ responsione non sufficienter attingi et elidi ipsa Socinianæ difficultatis viscera. Dicit Socinus, etiamsi Christus vocaretur, *Dominus justitia nostra,* non statim concludendum hæc duo nomina, sigillatim sumpta, ipsi convenire et tanquàm propria applicari, quemadmodùm non propriè tribuitur aræ Moysis et Ezechielis civitati nomen, *Dominus,* sed sicut in duobus istis exemplis sensus est, nomen aræ datum, fuisse, aut significâsse, *Dominus est exaltatio mea,* civitatis verò nomen, futurum, aut saltem significaturum, *Dominus ibi* est, ita Messiæ nomen, futurum, aut significaturum esse, *Dominus* (Pater scilicet) est *justitia nostra,* id est, Dominus justificavit nos, adeò ut Messiæ nomen in monimentum esset justitiæ à Deo Patre hominibus datæ. Hæc est objectio ; quæ porrò sic dilui potest : Certum planè est nomen, *justitia nostra,* Messiæ, et quidem propriè, applicari, tum quia sic appellari plerumque solet, sive in veteri, sive in novo Testamento, ut supra notavit auctor ; tum quia id evincunt præcedentia apud Jeremiam verba ; ibi enim vocatur *germen justum,* et dicitur *justitiam in terrâ facturus,* tum quia ex quo Christus natus est, et in terrâ conversatus, ipse solus, non verò Pater, justitia nostra nuncupatur ; tum quia hominibus justitiam sanguine suo promeruit ; jam verò si hæc verba, *justitia nostra,* propriè dicuntur de Christo, idem procul dubio affirmandum est de voce, *Dominus,* quæ alioquin nullum planè sensum exhiberet. Præterea hæc nostra interpretatio omnium nititur confirmaturque auctoritate et suffragio doctorum, quorum nullus unquàm fuit, ante Socinum, qui verbum, *est,* in hâc phrasi subaudiendum putaret ; unde non obscurè appareret contortam admodùm esse illius explicationem. Denique, ut ait auctor, timendum magnoperè fuisset, ne tot rationes hominibus persuaderent, hæc nomina Christo propriè applicari, proindeque ea Spiritus sanctus omisisset, si Socinianæ expositioni standum foret. (Ed.)

Israel salvatus est in Domino salute æternâ. Imò neminem salvat Deus, nisi per Christum. Ut enim ait Petrus, Act. 4, 12: *Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus*, etc.

Quartus depromi potest locus ex Joele 2, 32, ubi Propheta de novi Fœderis temporibus loquens, postquàm dixisset fore ut tunc Deus effunderet Spiritum suum super omnem carnem, etc., quæ Ecclesiæ nascenti applicat Petrus Act. 1, 17, addit: *Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini (Jehovah) salvus erit.* At Dominus iste *Jehovah*, Christus est, quod non solùm ex vaticinio colligitur, sed etiam ex Paulo patet in Epistolâ ad Rom. cap. 10. ibi enim Apostolus fidei in Christum necessitatem adstruens, postquàm Isaiæ testimonium ad Christum necessariò referendum allegavit, his conceptum verbis: *Omnis qui credit in illum non confundetur;* alterum ex Joele adjungit, quo utimur: *Omnis*, inquit, *qui invocaverit nomen Domini, salvus erit;* deinde pergit: *Quomodò ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodò credent ei, quem non audierunt?* Unde sic arguimus: Apostolus ibi de Christo verba facit, et fidei in ipsum necessitate, quem etiam *Dominum Jesum* vocat. Atqui hanc fidei necessitatem et utilitatem duobus istis Isaiæ et Joelis testimoniis probat. Ergo idem Dominus apud Joelem intelligendus est, qui intelligitur apud Paulum; aliàs enim vitiosa foret Apostoli argumentandi ratio. Etverò interprete eodem Apostolo, idem est apud Joelem Dominus, de quo Isaias dixit: *Omnis qui credit in illum non confundetur.* Atqui Isaiæ oraculum haud dubiè de Christo accipiendum est, neque id negant Sociniani. Ergo.

Quintus occurrit disertissimus locus Zachariæ 11, 12, in quo sacer Vates: *Dixi ad eos,* inquit: *Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam.... Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, et dixit Dominus (Jehovah) ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.* Quocirca qui triginta argenteis æstimatus est à filiis Israel, est ipse Dominus, *Jehovah.* Atqui is est Christus, ut constat ex Matthæi 27, 9. Cùm enim Judas Christum Judæis vendidisset triginta argenteis: *Tunc impletum est,* inquit, *quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati,* etc. Porrò, hìc appellatur Jeremias Propheta, sive quòd duplici nomine insignitus fuerit Zacharias, sive quòd liber Prophetarum diceretur Jeremias, quia in capite Jeremias collocabatur (1).

Apud eumdem prophetam eximius est alius locus cap. 12, vers. 10, ubi Domini, *Jehovæ*, verba referuntur de se loquentis: *Et effundam*, inquit Deus, *super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum; et aspicient ad me, quem confixerunt.* Unde sic arguimus: Qui ibi sermonem habet, est verus Deus ac *Jehovah.* Atqui ille idem est Christus, quod ex Apostolo Joanne compertum est. Cùm enim cap. 19 Evangelii retulisset Christi in cruce pendentis latus ab uno milite lanceâ apertum fuisse, neque ullum Christi os fuisse comminutum: *facta sunt hæc,* inquit versu 36, *ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterùm alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.* Sic et in Apocalypsi cap. 1, v. 7, de Christo: *Ecce venit cum nubibus,* inquit, *et videbit eum omnis oculus et qui eum pupugerunt.* Ergo Christus est verus Deus et *Jehovah.* Profectò qui Deus dicit eò loci: *Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum,* ille idem Apostolo Petro est Christus. Actuum enim cap. 2, vers. 33: *Dexterâ igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritûs sancti acceptâ à Patre, effudit hunc, quem vos videtis et auditis.*

Nihil non moliuntur Sociniani, ut hoc telum declinent; tandem verò ad incitas redacti fingunt hunc locum esse corruptum, et ex eo delendas esse has voces, *ad me,* in quibus totum argumentationis robur positum est. Nempe hoc rebabat somnium. Scripturas hactenùs omnibus modis torserunt Sociniani. Cùm autem in alienos sensus torqueri omninò non possunt, tunc corruptionis insimulantur. Quæ isthæc licentia est? Quid non audet animus erroris tenax? Quis denique sanam certam et indubitatam, eam esse lectionem non judicet, quæ omnium sive hebræorum, sive græcorum, sive latinorum codicum consensione firmatur? Sed vana hæc deliria mittamus.

Ultimus à nobis proferetur ex Malachiâ 3, 1, locus, in quo Deus, qui paulò ante *Jehovah* nominatus fuerat, sic loquitur: *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem*

(1) Sive quòd, ut alii volunt, amanuensis indoctus, existimans de Jeremiâ mentionem fieri, Prophetæ nomen, ab Evangelistâ subauditum, inseruerit; sive quòd aliquo memoriæ defectu, vel oculorum errore, unum nomen alteri substituerit; sive quòd Jeremias alias ediderit prophetias, quæ temporum injuriâ perierint. (Ed.)

meam. Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus (Jehovah) exercituum. Jam verò hoc vaticinium de Christo venturo et Joanne Baptistâ, qui præcursor ejus fuit, et ante ipsum viam præparavit, intelligendum esse constat ex multis Evangelii testimoniis. 1° Enim Matth. 11, 10, Christus de Joanne loquens : *Quid existis,* inquit, *videre? Prophetam? etiam dico vobis, et plusquàm Prophetam : hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Ita Marci 1, 2, et Luc. 7, 27. Hinc Zacharias, ejus pater, Lucæ 1, 76 : *Et tu, puer,* inquit, *Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Et antea, alloquens Angelus Zachariam, qualisque futurus esset Joannes aperiens, *Erit magnus coram Domino,* inquit, *et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum, et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ.*

Unde sic argumentamur : Ille ante cujus faciem mittendus erat *Angelus* Malachiæ nominatus, seu Joannes Baptista, qui viam ipsi præpararet, est summus ac verus Deus : dicitur enim *Jehovah, Dominus exercituum* et *dominator ad quem Judæi confugiebant.* Neque verò id inficiantur Sociniani. Atqui is est Christus ex laudatis locis Evangelii. Ergo Christus est Dominus exercituum, Deus israelitici populi, uno verbo verus ac summus Deus.

Atque hæc quidem Prophetæ cum Evangelio, et vaticinii cum eventu comparatio, magnam lucem affert; sed Malachias solus aut solum Evangelium sufficere potuisset. Ac 1° quidem Malachias solus satis esse poterat. Qui enim apud ipsum loquitur, quique prænuntiat se tandem aliquando venturum, sed antea missurum se esse Angelum, qui præparet viam ante se, is, inquam, est verus Deus. 1° Enim vocatur *Jehovah;* 2° *Deus exercituum;* 3° *Dominator Israëlis.* 4° Tribuitur ei templum, et Hierosolymitanum templum ipsius esse significatur : *Veniet ad templum suum.* Atqui hic qui venturus promittitur, non est Pater quatenùs à Filio distinguitur, sed Filius. 1° Enim nunquàm Pater sub formâ sensibili inter homines venit. 2° Idem ille qui venturus annuntiatur *Angelus fœderis* dicitur. Talis autem non est Pater, sed solus Filius. 3° Insigne hoc est de futuro Messiâ oraculum. At Pater æternus non futurus erat Judæorum Messias. Ergo vel ex hoc uno Malachiæ loco seorsim spectato colligi potest Christum esse *Jehovam* ac verum Deum.

2° Idem quoque evinci posset ex laudatis modò Evangelii verbis, etiamsi sola essent. Namque is, ante quem præcedere et præire debuit Joannes, est verus Deus. Angelus enim, supra, indicat eumdem esse Deum Israelitici populi, ante quem iturus erat Joannes : *Multos,* inquit, *filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum, et ipse præcedet ante illum,* etc. Sic et Zacharias : *Et tu puer,* inquit, *Propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Proinde ille est Dominus et Altissimus, cui præire Joannes debuit. At idem est Christus; hæ enim Angeli et Zachariæ locutiones, et verba græca προελεύσεται et προπορεύσῃ, quibus utitur Lucas, respectum evidenter et necessariò includunt ad aliquam personam paulò post venturam et apparituram, cujus præcursor et quasi anteambulo Joannes esse significetur; quomodò cùm reges profecturi sunt aliquò, ante eos vadunt ministri, qui vias sternant ac parent, antequàm eò veniant. At nulla alia persona in mundum venit, cujus Joannes præcursor et antecambulo dici queat, præter Christum. Ergo Christus est Altissimus, et Deus, et Dominus Judæorum.

Respondet Socinus, 1° Joannem eo ipso viam Deo præparâsse, populum monendo ut pœnitentiam ageret et ad Deum converteretur, quo Christo præiit; proinde potuisse Deum apud Zachariam dicere Joannem præparaturum viam ante faciem suam, et Christum simul in Evangelio affirmare Joannem sibi viam præparâsse, quamvis Christus et Deus non sint quid unum et idem. Respondet 2° Malachiæ locum fortè fuisse interpolatum, nec in eo legendum esse, *ante faciem meam,* sed, *ante faciem tuam,* quâ ratione Christus hoc testimonium laudat. Sed ista nequaquàm obsunt. — Non primum, idque multis de causis. 1° Enim non inde argumentum ducimus, quòd Joannes non potuerit ante faciem Dei simul et Christi viam parare; sed ex eo quòd, cùm Deus apud Malachiam de se dicat, *ante faciem meam,* id Christus de se scriptum fuisse conceptis verbis pronuntiet. Si enim Christus merus homo est, ut Sociniani opinantur, si totâ essentiâ differt à Deo, non potuit verè asserere de se illud esse scriptum, quod duntaxat scriptum fuisset de alio à se planè diverso. 2° Ex eo argumentamur, quòd

ille, quem venturum esse prænuntiabat Propheta, esset dominator Israelis, et templum haberet, et ipsius esset templum Hierosolymitanum, ac proinde verus esset Deus. Is autem est Christus. Ergo, etc. — Non secundum. Sinceram enim esse lectionem, quam usurpamus, fidem faciunt omnes sacri codices hebræi, græci ac latini, hoc est, tam Judæorum quàm Christianorum. Contra hanc autem omnium codicum constantissimam consensionem ire, prorsùs insanire est. Etverò, si corrupti sunt eò loci codices sacri, id vel ante Christum, vel post Christum accidit. At non ante Christum; nulla enim Judæis causa tunc suberat interpolandarum Scripturarum. Neque verò id Socinus velit; putat enim contra Christum laudâsse Prophetæ verba, quomodò legebantur. At neque post Christum. Vel enim id factum esset à Christianis, vel à Judæis. Non à Judæis; ut enim illi suos codices corrupissent, non potuissent profectò adulterare codices Christianorum. Non à Christianis, simili de causâ; neque enim Christiani Judaica exemplaria vitiare potuissent. Ergo nunquàm corrupti sunt.

Neque obstat quòd Christus non dixerit, *ante faciem meam;* sed, *ante faciem tuam;* 1° Enim sacri scriptores cùm veteris Testamenti verba laudant, ea nonnunquàm mutant, id agente Deo, ut ostenderet posteriores sacros scriptores ab eodem Spiritu fuisse afflatos, qui primò Scripturas dictavit, nec minori quàm priores esse auctoritate. 2° Christus id consultò fecit ac de industriâ, ut nempe eumdem se esse Deum cum eo, qui dixit: *Ecce ego mitto*, significaret. Ut autem simul se ab eo personâ distingui argueret, dixit, non *ante faciem meam;* sed, *ante faciem tuam.* Hoc enim personarum distinctionem apertè indicat.

Argumentum II, ex nomine El, אל. — Alterum est Dei nomen in codicibus hebraicis usitatissimum, nempe *El,* אל. Atqui hoc nomen Christo tribuitur. Ergo, etc. Majorem concedunt Sociniani.

Minorem verò negant, contenduntque hoc nomen Christo non tribui, aut si tribuitur, id non fieri citra quamdam restrictionem. Quocirca minor probanda est, et quidem ex duobus Isaiæ locis.

Illustre est apud Isaiam cap. 7, 14, de Messiæ ortu ac nomine vaticinium. *Ecce virgo concipiet*, inquit, *et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel;* quod de Christo explicat Matthæus cap. 1, 22, his verbis: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus.* Ergo de Christo intelligendum est hoc oraculum. Atqui ibidem Propheta prænuntiat hunc ipsum vocandum esse *Emmanuel,* id est, *Deum nobiscum.* Ergo, etc.

Non attigit Socinus hunc locum. Respondet autem Crellius lib. 1 de verâ Religione, c. 11, et ad Matth., cap. 1, supplendum esse verbum substantivum *est;* ita ut sensus sit: *Et vocabitur nomen ejus, Nobiscum est Deus;* non quòd Christus sit ille Deus qui nobiscum est, sed quòd per eum et in eo Deus ille summus reverà nobiscum sit, hoc est, nobis insigniter faveat et opituletur. Sed frustra tergiversatur. 1° Enim non potest melior esse Isaiæ interpres quàm Matthæus. Atqui Matthæus non addidit verbum *est,* adjecturus profectò, si opus fuisset; eòque magis, quòd alioqui, si purus homo sit Christus, lectores in apertum errandi periculum adduceret ejusmodi locutione, quæ Christi divinitatem præ se fert. 2° Hoc nomen esse absolutum constat ex cap. 8, v. 8, ejusdem Isaiæ, ubi hujus nominis vocativum usurpat: *Et erit extensio alarum,* inquit, *implens latitudinem terræ tuæ, ô Emmanuel.* Proinde Emmanuel est quædam singularis persona, quæ ita vocaretur. 3° Negari non potest Christum alicubi nominari *El.* Negari etiam non potest ipsum fuisse nobiscum, et etiamnùm esse ac futurum usque ad consummationem seculi. Ergo reverà est Emmanuel. 4° Si de Christo dicitur hoc nomen *Emmanuel,* non quia ipse est nobiscum Deus, sed quia præcisè per illum nobis Deus insigniter opitulatur, nullus inter Prophetas, nullus inter Apostolos extitit, qui *Emmanuel* vocari non potuerit. At nullus tamen præter Christum sic vocatus est. Ergo. 5° Id prædixit Isaias quod erat futurum, et eo sensu quo futurum erat. Eventus itaque est optimus hujus loci interpres. Atqui ex eventu constat Christum ab omni Ecclesiâ ad hæc usque postrema tempora *Emmanuelem* fuisse appellatum, et pro Emmanuele, seu Deo nobiscum habitante, habitum propriè esse. Ergo ea mens erat Prophetæ.

Secundus extat locus ibidem, cap. 9, 6, ubi Christi nativitas sic describitur: *Parvulus enim natus est nobis*, inquit, *et Filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum*

ejus, et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus (El), fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Illic de futuro Messiâ sermo est; quod etiam ipsi Sociniani confitentur. Atqui ibidem Messias vocatur *Deus, El,* et quidem *fortis.* Ergo, etc.

Ad hunc splendidum sanè locum duo reponunt Sociniani. Primum, in hebræo codice non esse : *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis;* sed contra : *Et vocabit nomen ejus, admirabilis,.... Deus, fortis:* quod quidem arguit Messiam ipsum non esse vocandum *Deum fortem;* sed contra vocandum à Deo forti. Alterum, etsi hæc sint Messiæ nomina, his tamen non probari Christi divinitatem, quia ibi non dicitur simpliciter *Deus,* sed *Deus fortis,* quod indicat non esse Deum naturâ suâ, sed auctoritate tantùm ac potestate.

Sed utrumque vanum est. Ac primum quidem, quòd nempe hæc nomina *admirabilis, consiliarius, Deus, fortis,* non sint Messiæ vocandi elogia, sed Dei contra vocaturi. 1° Enim ratio ipsa dictat ibi nomen ejus exprimi debuisse, qui ibidem describitur ex professo nasciturus. Atqui is Messias est. Ergo, etc. 2° Verbum hebraicum, si puncta auferas, quæ sunt recentioris inventi, potest ita verti : *Et vocabitur,* quod nôrunt hebraicæ linguæ periti. Si autem potest, debet, tum propter adductam modò causam, tum quia omnes antiqui interpretes ita verterunt, Septuaginta videlicet, Aquila, Symmachus, et Vulgatus, quo latina Ecclesia utitur. 3° Ipsâ lectione satis patet tot voces congestas, *admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis,* esse descriptionem quamdam studiosè quæsitam et adornatam. Jam verò nihil attinebat illic describere Deum, sed Messiam duntaxat nasciturum. Ergo hæc ad Messiam, non ad Deum Patrem spectant. 4° Absurdum foret nullum à Prophetâ expressum esse ejus Messiæ nomen, quem certo nomine certisve nominibus vocandum fore asserit; multa autem contra Dei nomina afferri, de cujus appellatione non agebatur. At si hæc referantur ad Deum, nullum penitùs exprimitur Messiæ nomen, quo vocandus aliquando sit.

Alterum verò adhuc intolerabilius est. Nedùm enim adjuncta vox *fortis,* vim nominis *Dei* minuat, auget potiùs, et emphasim habet; Deum enim significat omnipotentem, qui solo nutu omnia condiderit ac moderetur. Etverò eo cognomine passim insignitur Deus mundi creator : Deut. 10, 17 : *Dominus Deus vester,* inquit Moses Judæis, *ipse est Deus deorum, et Dominus dominantium, Deus magnus et potens.* Psal. 23, 81 : *Quis est iste rex gloriæ? Dominus (Jehovah), fortis,* etc. Psal. 41, 3: *Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum.* Adde Nehemiæ 9, 32. Imò et apud Isaiam capite sequenti, versu 22 : *Reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob, ad Deum fortem.*

De hoc autem vaticinio lege illustrissimum Huetium propositione 7 et 9.

Argumentum III, ex nomine Θεοῦ seu *Dei.* — Idem est græcè Θεὸς, quod latinè *Deus;* quapropter utrumque conjungimus hoc in argumento, quod ex novi Testamenti usu depromemus. Est enim aliquod in usurpandâ hâc voce discrimen vetus inter et novum Testamentum. Nempe in hebraicis veteris Testamenti codicibus est aliquod nomen appellativum ac commune, videlicet *Elohim,* אלהים, quod potentiam et auctoritatem sonat. Proinde licet Deo vulgò tribuatur, nonnunquàm tamen de aliis etiam dicitur. Hoc porrò vocabulum nomine Θεοῦ et *Dei,* his etiam in casibus, prisci interpretes reddiderunt. Quo fit ut aliquando *dii* plurali numero vocentur in veteri Testamento, 1° Angeli; sic Deut. 10, 17 : *Dominus Deus vester,* inquit, *ipse est Deus deorum.* Psal. 8, 6 : *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis* (hebraicè *Elohim*). Psal. 49, 1 : *Deus deorum Dominus,* etc. — 2° Judices, magistratus, aliique id genus, Exodi 21, 6 : *Offeret eum* (servum) *dominus diis,* id est, *judicibus.* Ibid. cap. 22, 28 : *Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices.* Psal. 81, 1 : *Deus stetit in synagogâ deorum, in medio autem deos dijudicat.* Ibid. vers. 6 : *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes,* quod Christus ipse tanquàm ex veteri Testamento desumptum allegat Joan. 10, 34 : *Nonne scriptum est in lege vestrâ,* inquit, *quia ego dixi : Dii estis?* Quanquàm Propheta regius restrictionem statim adhibet addens : *Vos autem sicut homines moriemini.* — Quin etiam Judaici populi dux Moyses singulari etiam numero *deus* est appellatus, sed, ut loquuntur, cum addito : *Deus Pharaonis,* Exod. 7, 1 : *Ecce,* inquit Deus, *constitui te deum Pharaonis* (1).

(1) « Appositè observat S. Hilarius, lib. 7 de Trinit. n. 10, Moysen datum esse in deum Pharaonis, non autem fuisse deum Pharaonis. « Aliud est, ait S. Doctor, deum alicui dari, « aliud deum esse. Moyses datus est in deum « Pharaonis, dùm timetur, dùm oratur, dùm

Ea ergo est in veteri Testamento non infrequens loquendi ratio : in quâ tamen observandum est nullum unquàm singularem hominem aut Angelum reperiri, qui simpliciter *deus* nominatus fuerit; quod quidem non sine divino consilio factum est, ne videlicet erroris occasio præberetur; qui enim ita vocatus foret, is pro Deo haberi aut adorari potuisset. Quòd verò Angelus ille, qui veteribus Patriarchis apparuit, non rarò se *Jehovah* dixerit, id observationi nostræ non officit; quippe qui non merus aut creatus Angelus foret, ut multis supra docuimus.

Quidquid verò sit de veteri Testamento, illud saltem constat apud novi Fœderis auctores ac scriptores, cùm ex propriâ mente loquuntur, *Dei* nomen de alio quàm de vero Deo nunquàm absolutè usurpari. Hinc Apostolus 1 Cor. 8, 4 : *Scimus*, inquit, *quia nihil est idolum in mundo, et quòd nullus est Deus, nisi unus.* Versu autem 5 : *Nam etsi sunt qui* (à gentilibus) *dicantur dii, sive in cœlo sive in terrâ (si quidem sunt dii multi et domini multi), nobis tamen unus Deus*, etc. Hinc etiam quamvis olim isto nomine insigniti fuissent viri principes, cùm Herodes rex perroraret, et plebs adulando exclamâsset : *Dei voces, et non hominis!* nec ille gloriam dedisset Deo, *Confestim*, inquit Lucas, *percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo, et consumptus à vermibus expiravit.* Adeò proprium et sacrum Deo tunc erat illud vocabulum. Hinc denique Irenæus, apostolicorum temporum scriptor, lib. 3, cap. 6 : « Neque « Dominus, inquit, neque Spiritus sanctus, « neque Apostoli eum qui non esset Deus, « definitivè et absolutè *Deum* nominâssent « aliquando, nisi esset verus Deus. » Et cap. 8, post plura hâc de re disputata : « Manifestè ostensum est, inquit, quoniam nunquàm neque Prophetæ, neque Apostoli « alium *Deum* nominaverunt »..... præter verum ac solum Deum.

Quæ cùm ita sint, sic argumentari licet : In novo Testamento nomen *Dei* absolutè positum nunquàm de alio quàm de vero Deo usurpatur, cùm sacri scriptores juxta propriam mentem loquuntur. Atqui in novo tamen Fœdere *Dei* nomen absolutè et ex propriâ auctorum mente Christo persæpè tribuitur, et quidem adjunctis aliis quæ hujus nominis vim firment ac figant. Ergo Christus est verus Deus.

Major probari posset accuratâ locorum omnium recensione; sed cùm ea infinita esset, tandiù ista propositio haberi debet pro certâ et indubitatâ, quandiù nullum contra exemplum proferetur. At nullum hactenùs afferri potuit à Socinianis, qui Scripturas quotidiè evolvunt, ejusque generis quidpiam reperire maximè cuperent ad errorem suum fulciendum. Etverò quod hìc affirmamus, mox abundè demonstratum est : ita ut nullus dubio locus supersit.

Minor adstrui posset quàm plurimis novi Testamenti locis; sed ex iis quinque duntaxat excerpemus.

Itaque primus eruitur ex Joannis Evangelii cap. 1, v. 1, ubi sic loquitur de Christo Apostolus : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Unde sic argumentamur: Verbum illic à Joanne nominatum est Christus. Atqui Verbum ibidem *Deus* simpliciter et absolutè dicitur. Ergo Christus est Deus.

Majorem Sociniani confitentur. Ad minorem duo reponunt. Ac primum quidem post hæc verba : *Et Deus erat*, interpunctionem esse ponendam; proinde ita legi oportere : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat. Verbum hoc erat in principio apud Deum.* Unde consequens est Verbum eò loci non vocari *Deum.* Alterum, si interpunctio consueta servetur, Christum vocari quidem illic *Deum*, sed non idcircò esse Deum summum; hinc enim tantùm colligi posse ipsum esse minorem Deum à summo pendentem.

At prima responsio facilè proteritur. 1° Enim non licet omnia pro arbitrio sic invertere; aliàs nihil vel in ipsis Scripturis firmum aut stabile supererit. 2° Interpunctionem, quâ utimur, omnes codices habent, omnes ubique gentes christianæ usurpant ac semper usurpârunt. 3° Interpunctio Sociniana planè absurda est. Quid enim Joanni opus fuisset notare Dei existentiam? An quisquam de eâ dubitabat? Annon satis eam ante significaverat, aiens Verbum fuisse in principio apud Deum? Non potuit enim Verbum esse apud Deum, quin Deus ipse existeret.

Secunda etiam vana est. 1° Enim, ut observavimus, in novo Fœdere vox illa *Dei* nunquàm de alio quàm de vero ac summo Deo usurpatur, qui unus est. Proinde non potuit apud Joannem Christus appellari *Deus*, quin verus ac summus sit Deus. 2° Non aliâ

punit, dùm medetur. » Turnel., quæst. 4, art. 2, sect. 3. (Ed.)

ratione Verbum dicitur *Deus*, quàm ibidem *Deus* dicitur Pater. Atqui haud dubiè Pater est Deus verus ac summus.

Objicies 1° : Verus ac summus Deus græcè præfixum semper habet articulum ad emphasim. Atqui hìc cùm Verbum dicitur *Deus*, nullus articulus præfigitur. — Nego majorem. Id enim falsum esse multis exemplis ostendi potest. Verùm, ut omnis ista argumentatio in auras abeat, tria breviter probanda sunt, 1° veri Dei nomini non semper articulum præfigi. 2° Non semel eumdem articulum præfigi nomini *Dei*, cùm de falsis numinibus dicitur. 3° Huic vocabulo præfigi, cùm de Christo usurpatur.

1° Itaque certum est, licet articulus præfigatur sæpè nomini *Dei*, cùm de Deo summo ac vero dicitur, attamen eum frequentissimè etiam omitti, v. g., hoc ipso Joannis cap. 1, versu 12, 13 et 18; Matth. 14, 33; et 27, 43; Rom. 1, 7; 1 Cor. 8, 4 et 6; Ephes. 4, 6, et alibi passim. Quocirca ex hâc omissione nullum potest argumentum duci. 2° Qui articulus, ubi mentio fit de vero ac summo Deo, non rarò omittitur, idem aliquando contra occurrit, ubi agitur de falsis numinibus, v. g. Act. 7, 43, ubi de Rempham; 2 Cor. 4, 4, ubi de diabolo, qui à gentibus ut Deus colebatur; et Galat. 4, 8, ubi de idolis sermo habetur. Sic et Judicum 11, 24; et 16, 23. Proinde is articulus non est certum veri Dei indicium. 3° Si is pro vero Deo habendus est, judicio Socinianorum, qui cum articulo dicitur *Deus*, necesse est ut Christum pro vero Deo agnoscant; ad Romanos enim 9, 5, *Deus* cum articulo nominatur, quod etiam observat S. Chrysostomus hom. 3 in Joan., eamdem solvens difficultatem. Quæ cùm ita sint, omni ex parte labascit Socinianorum argumentatio.

Objicies 2° : Nomen *Dei* appellativum est ac commune. Ergo potest Christus vocari *Deus*, licet non sit verus ac summus Deus. Nego antecedens. Est enim nomen proprium illius à quo rerum universitas condita est. 1° Enim nomen illud est proprium, quod uni tantùm propriè convenit. Atqui unus duntaxat propriè est Deus, idque passim inculcat Scriptura, ac ratio ipsa docet; nec ferri posset qui plures deos esse affirmaret. 2° Eadem est ratio hujus nominis *Dei*, quæ istius, *divinitatis*. Atqui divinitas propria est ei qui mundum condidit. Ergo pariter vox *Dei*. 3° Deus est res aliqua; proinde nomen habet. Unus præterea est; proinde proprium nomen habet. At nullum est magis proprium quàm *Dei*. 4° Nomina sunt signa notionum et idearum. Cùm ergo propria sit ac singularis Dei notio, ipsi soli conveniens, quâque ab aliis rebus distinguitur, oportet etiam aliquod ejus generis nomen esse. Atqui nullum aliud est quàm *Dei*.

Instabis : Angeli et judices hoc nomine insigniti sunt. Ergo nomen istud non proprium est, sed commune omnibus qui potestate aut dignitate quâdam præditi sunt. — Distinguo antecedens : Hoc nomine insigniti sunt impropriè et metaphoricè, concedo; propriè, nego. Itaque non inficiamur nomen hoc in veteri Testamento tributum fuisse aliquando Angelis et hominibus; sed negamus illud iis propriè tributum fuisse; quod multa persuadent. 1° Enim rarò eis tribuitur. At si commune esset nomen, quod ipsis propriè tribui posset, id frequentissimè fuisset usurpatum. 2° De iis nunquàm dictum est, nisi cum restrictione, aut quando collectivè sumuntur; nullus enim est Angelus creatus, aut homo singularis, qui nominatim, simpliciter et absolutè *Deus* nuncupatus fuerit. At si *Dei* nomen naturæ divinæ proprium non est, sed commune auctoritatis et dignitatis cujuslibet indicium, nullus fuit Angelus, nullus princeps, nullus judex, qui nominatim ac seorsim non potuerit rectè appellari *Deus;* si autem quilibet ita appellari potuisset, nullum est dubium quin frequentissimè id occurreret. Nullum tamen id genus exemplum afferri potest. Imò, cum Herodes se *Deum* appellari passus esset, horrendo quodam mortis genere propterea extinctus est. 3° Si nomen *Dei* pluribus proprie convenire potest, possumus propriè loquendo asserere plures esse deos, quod nemo toleraverit. 4° Si iis, qui ita quondàm appellati sunt, propriè competebat hoc vocabulum, poterant illi dici *veri dii*, et vera eis divinitas inesse dici poterat; fas etiam erat honores divinos eis exhibere, quin et exhiberi debebant : quod absurdum est. Ergo nomen *Dei*, nomen est substantiæ, quomodò nomen *hominis*. At, quemadmodùm *hominis* nomen potest impropriè usurpari, sic et nomen *Dei* à propriâ significatione potest ad metaphoricam transferri; imò et per errorem alicui falsò adscribi. Sed ne ista ad grammaticam spectantia morosiùs, quàm par sit, pertractemus, Scripturæ loquendi consuetudinem potiùs sequamur, ex eâque certas ac faciles de Christo sentiendi regulas hauriamus ac figamus, missis reliquis om-

nibus, quæ in controversiam vocari quadamtenùs possent. Jam verò quantùmlibet olim Angeli aut judices *dii* nominati fuerint in veteri Testamento, illud saltem constat, *Dei* scilicet nomen de creaturis nunquàm vel eo tempore, nisi plurali numero aut cum restrictione, fuisse usurpatum : quoties autem numero singulari et citra restrictionem usurpatur, toties, in veteri etiam Testamento, nonnisi de vero Deo dici. Constat quoque, et quidem multò magis, in novo Testamento nunquàm, sive plurali sive singulari numero, ex sacrorum auctorum mente de creaturis hoc nomen dici, sed duntaxat de Deo. Proinde ille verè ac propriè sine dubio Deus est, cui hoc vocabulum in veteri quidem Testamento nominatim ac sine restrictione, in novo autem simpliciter tribuitur. At Christus nominatim et sine restrictione frequenter appellatur *Deus* in veteri Testamento, in novo autem persæpè ita vocatur simpliciter et absolutè, idque ex propriâ sacrorum scriptorum sententiâ. Ergo.

Objicies 3° : Verbum apud Joannem à Deo distinguitur. Ergo non est Deus.

Distinguo antecedens : à Deo Patre apud quem erat, concedo ; à Deo vero, quasi ipse non sit idem Deus ; nego.

Secundus adjungi potest locus ex Joannis 20, 28, ubi Thomas Apostolus, qui primò incredulus fuerat, viso et palpato Christo sic loquitur, ut eum Dominum simul ac Deum esse confiteatur : *Respondit Thomas*, inquit Evangelista, *et dixit ei* (Jesu) : *Dominus meus et Deus meus*. Unde sic disputamus : *Domini* ac *Dei* nomine verus ibi intelligitur Deus. Atqui ita appellatus est Christus ab Apostolo Thomâ, idque juxta rectam fidem. Non enim solùm reprehensus non est ; sed etiam propter fidem istam laudatus est ab ipso Christo, cùm statim subdidit : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.*

Respondent 1° Sociniani, hæc verba ad Christum ipsum coram positum non dirigi ; sed ad Deum in cœlo regnantem, ad quem admirans oculos tollebat Thomas ; itaque esse exclamationem quamdam, velut si dixisset : *O Deus bone ! quid video?* — Sed ista responsio exsufflatur. Quòd enim certa fidei professio sit, non vaga attoniti exclamatio, ex ipsâ Joannis lectione constat. 1° Enim antequàm ita loqueretur Thomas, fidem ab ipso flagitaverat Christus : *Noli esse incredulus, sed fidelis.* 2° Thomas, auditis his Christi verbis, statim ei prompto animo respondit, fidemque suam confessus est, aiens : *Dominus meus et Deus meus.* Et certè non dicitur Thomas exclamâsse ad Deum ; sed contra respondisse, et dixisse Christo, *Dominus meus et Deus meus.* Proinde ista verba sunt responsio Christo facta, non ad Deum in cœlo positum exclamatio, et ad Christum secum loquentem Thomas ea dirigebat. 3° Hanc fidei confessionem illicò probat Christus. Ergo non erat mera attoniti exclamatio. 4° Nulla ibi nota est exclamationis. Græcè enim non est ὦ nec vocativus casus, ὦ Κύριέ μου, ὦ Θεέ μου, sed, ὁ Κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου, nominativo casu, et cum simplici articulo ; seu non est, *ô Domine et Deus meus ;* sed, *Dominus meus, et Deus meus.* Ergo quid de Christo sentiret Thomas aperiebat.

Respondent 2° pronomen, *meus*, esse restrictionem quamdam ; proinde Thomam cùm sic loquitur, apertè significare Christum non esse unum illum omnium Deum, sed Deum suum peculiarem seu omnium Christianorum, à quibus post resurrectionem tanquàm divinus Dominus adorandus foret. — Sed ista responsio pejor est priore. 1° Enim falsum est pronomine illo, *meus*, vim vocis istius, *Deus*, imminui. In Scripturâ enim, ac præsertim in Psalmis, unus omnium Deus ita compellatur. Psal. 7, 1 : *Domine Deus meus, in te speravi*, et ibidem sæpè. Psal. 21, 1 : *Deus, Deus meus, respice in me.* Psal. 27, 1 : *Deus meus, ne sileas à me.* Psal. 62, 1 : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* 2° Nedùm pronomen istud vim nominis *Dei* debilitet ac frangat, eam contra firmat potiùs, et, si ita loqui fas sit, auget. Nullum enim in totâ Scripturâ reperire est virum pium, nedùm apostolum, qui *Deum suum* appellaverit eum, qui reipsà non sit verus ac summus Deus. Profectò Paulus supra : *Nobis*, inquit, *unus est Deus.* Ergo insulsa est hæc Socinianorum exceptio.

Tertius locus depromitur ex capite Actorum 20, 28, ubi Paulus congregatis Asiæ episcopis : *Attendite vobis*, inquit, *et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (græcè *sanguine proprio*). Unde sic argumentamur : Qui Ecclesiam sanguine proprio acquisivit, is Apostolo teste est Deus. Atqui ille idem Christus est. Vel enim est Christus, vel Pater æternus. At Pater æternus non habet sanguinem, ut dici queat Ecclesiam sanguine proprio acquisivisse. Ergo.

Mira est Socinianorum ad hunc luculentissimum Scripturæ locum responsio. Aiunt enim

Deum, qui ibi nominatur, esse Patrem æternum; dici autem ipsum acquisivisse Ecclesiam proprio suo sanguine, non quòd proprium ipse habeat sanguinem; sed quòd sanguis Christi, quo Ecclesia formata est, aliquatenùs etiam esset sanguis Patris æterni, propter intimam utriusque conjunctionem ac necessitudinem, et quia sanguinem hunc, sicut et Christum ipsum, singulari quâdam ratione possidet Pater, et utrumque ut rem suam, pro nostris peccatis expiandis dedit. Ita Socinus in responsione ad Wiekum; Wolkelius lib. 5, cap. 12; Smalcius de divinâ Verbi incarnati Naturâ, cap. 24, etc. Verùm hæc tam absurda sunt, ut vix refelli mereantur. 1° Enim nullum tam insolitæ et hactenùs inauditæ lectionis exemplum potest allegari. 2° Nihil reipsà insulsius est, quàm eum dici proprio sanguine acquisivisse Ecclesiam, qui proprium sanguinem non habet. 3° Sanguis, quatenùs hic sumitur, est sanguis è corpore effusus: atque adeò pars ejus corporis à quo fluit, et illius suppositi, cujus ipsum est corpus. Itaque ad solum hoc corpus et suppositum ita pertinet, ut ejus dici possit; hæc enim est partium natura, et de his constans loquendi ratio; licet alia sit, aut saltem esse possit de ipsis suppositis, quæ alio titulo possunt alterius dici propter dominium, emptionem, etc. Ita si quis Socinianus asinum emat, ipsius esse asinus dici potest; sed an asini caput ideò dici poterit esse caput illius Sociniani? an caput ipsius proprium? 4° Assignari nequit modus quo, positâ Socinianorum interpretatione, sanguis Christi dici queat proprius Patris. Proprium enim opponitur communi aut alieno. At si sanguis Christi dicitur esse sanguis Patris proprius propter possessionem, non ideò minùs erit et alienus et communis; alienus quidem, utpote proprius Christi à Patre totâ essentiâ diversi; communis autem, quia non sic erit Patris ut non sit etiam Filii. 5° Inde consequens foret omnia ac singula justorum aut etiam quorumlibet hominum membra, dici posse propria Dei, imò et cæterorum animalium; uno verbo, nihil erit quod non possit pariter dici esse Dei; quo nihil ineptius et horribilius fingi potest; caput hominis pii diceretur eo jure caput Dei; ipsius uxor, Dei uxor; ipsius lectus, lectus Dei.

Objicies 1°: Zachariæ cap. 2, 8, de Israelitis loquens Deus: *Qui tetigerit vos*, inquit, *tangit pupillam oculi mei*. Ergo populus Israeliticus dicitur *pupilla oculi Dei*. Quidni eâdem ratione dici poterit Christi sanguis esse sanguis Dei Patris? — Nego consequentiam. Non enim illic populus Israeliticus dicitur *pupilla oculi Dei*. imò ab eâ distinguitur. Instituitur enim comparatio inter eum qui tetigerit populum Israeliticum, et eum qui tangeret ipsam Dei pupillam. Sic cùm Christus Luc. 10, 16, dicit: *Qui vos audit, me audit*, apertè se ab apostolis suis secernit. Sed ut exemplum hoc in adversarios retorqueamus, quantumvis populus Israeliticus esset peculium Dei, dici certè non poterat pedes cujusvis Israelitæ esse pedes Dei, et uniuscujusque oculos esse oculos Dei; aut infinita Hebræorum capita, fuisse totidem Dei capita. Ergo nec potest sanguis Christi dici esse sanguis Dei, nisi reipsà Christus sit Deus.

Objicies 2°: Christus ipse dicitur esse Dei, 1 Cor. 3, 22: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi; Christus autem Dei*. Ergo similiter ipsius sanguis potest dici sanguis Dei, licet ipse non sit Deus. — Nego consequentiam. Alia enim est, ut diximus, suppositorum, alia partium ratio. Cùm enim pars aliqua dicitur esse alicujus, id nonnisi ad suppositum, cujus est, referri potest, nec unquàm id aliter intelligitur, licet suppositum ipsum possit alterius dici aliâ de causâ. Hujus autem discriminis origo est, quòd cùm aliquid alicujus esse dicitur, id respectum ac relationem sonet; partes autem unicum habent respectum, intrinsecum nempe, ad totum cujus sunt partes. At supposita cùm per se completa sint et integra, possunt habere respectum extrinsecum ad aliud quidpiam: ita servus est heri sui; sed caput istius servi non ideò dici potest heri caput. Falluntur ergo Sociniani, et inanem fallaciam obtrudere conantur, qualem ut caveamus nos Apostolus admonet Coloss. 2, 8: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam,.... secundùm elementa mundi, et non secundùm Christum*. Quanquàm illi non solùm verè Christiani non sunt, sed nequidem philosophi. In rerum enim cortice hærent, nec ad intima ipsarum viscera, nec ad veras locutionum causas penetrant. Si quæ primâ fronte aliquatenùs similia videantur, ea statim ac inconsideratè accipiunt comparantque, licet prorsùs diversa sint. Quò fit ut ubique toto, quod aiunt, cœlo aberrent.

Objiciunt 3°: Sanguis Christi potest dici sanguis Dei, quamvis ipse non sit Deus, quia videlicet Deus operatione prorsùs miraculosâ effinxit. Ergo nihil inde elici potest in gratiam

Christi divinitatis. — Nego majorem; nullum est enim hujusmodi locutionis exemplum. Etverò pari de causâ, imò longè potiori jure, caput Adami ipsiusque aures ac nares aliaque membra potuissent dici Dei caput, aures, nares, etc., quod est absurdissimum.

Quartus isque eximius locus desumitur ex Epistolâ ad Romanos, cap. 9. v. 5, ubi de Israelitis loquens Apostolus : *Ex quibus,* inquit, *est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula; amen.* Eo enim in loco nihil eorum omittitur, quæ ad frangendam Socinianorum pervicaciam desiderari queant. 1° Enim Christus nominatim ac singulari numero *Deus* appellatur, quâ ratione solus summus Deus in novo Fœdere vocatur. 2° Præfigitur articulus, in quo vim maximam ipsi Sociniani faciunt, cùm de Dei nomine agitur. 3° Dicitur *Deus super omnia,* id est, summus; ita enim Pater æternus describitur Ephes. 4, 6 : *Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes.* 4° Nominatur *Deus benedictus,* quod est summi Dei elogium, Marci 14, 61, ubi summus Pontifex Judæorum interrogans Christum : *Tu es Christus,* inquit, *Filius Dei benedicti?* 5° Additur *in secula,* quomodò usurpatur de vero ac summo Deo 2 Cor. 11, 31 : *Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in secula.* 6° Hæc sententia obsignatur istâ clausulâ, *amen,* quæ certè veritatis est argumentum, et ubi de vero ac summo Deo sermo est adhibetur; v. g., ad Rom. 1, 25 : *Servierunt creaturæ,* inquit Apostolus, *potiùs quàm creatori, qui est benedictus in secula, amen.* 7° Ibidem Apostolus ait Christum quidem ex Judæis oriundum esse; sed hanc restrictionem subjungit, *secundùm carnem,* ut indicaret in eo præter humanam naturam insuper aliam esse, divinam videlicet. Ergo Christus reipsà verus ac summus est Deus.

Ad hoc tam præclarum testimonium tria Sociniani reponunt, 1° posse non immeritò post hæc verba : *Ex quibus est Christus secundùm carnem,* figi punctum; ita ut nova postmodùm sententia inchoetur exclamationis in morem, hoc nimirùm modo : *Ille, qui est super omnia, Deus, sit benedictus in secula : amen.* 2° Vocem *Dei* hìc restringi additione verborum istorum, *qui est super omnia,* quæ indicant Christum non pro summo Deo, sed tantùm pro supremo Domino habendum esse. 3° Ex hoc loco fortè expungendam esse vocem *Dei,* quæ non extat apud syrum interpretem nec apud Cyprianum et Hilarium.

Sed triplex ista exceptio planè frivola est. Ac prima quidem de mutandâ interpunctione, in quo illi Erasmum sequuntur. 1° Enim articulus ὁ, et participium ὤν, apertè arguunt novam sententiam non inchoari, sed inchoatam continuari. 2° Ea est Scripturæ consuetudo, ut cùm ait, *benedictus Deus,* pro, *benedictus sit Deus,* vocem hanc, *benedictus,* anteponat *Dei* nomini; non enim ita loquitur, *Deus benedictus;* sed contra, *benedictus Deus.* Porrò hìc alius omninò est verborum ordo. 3° Omnes codices eodem, quo nos, modo versiculum hunc legunt. 4° Universi Patres, variis licet temporibus ac locis à se invicem sejuncti, ita pariter versiculum hunc conceptum exhibent. Ita enim hunc locum retulerunt II seculo in Galliâ Irenæus lib. 3, cap. 18; in Africâ III seculo Tertullianus lib. contra Praxeam, cap. 8 et 15; ac Cyprianus lib. 2 Testim. contra Judæos; in Ægypto eodem tempore Origenes in cap. 9 ad Rom. et Romæ Novatianus de Trinit. cap. 13 et 30; IV seculo in Ægypto Athanasius Orat. 2 et 5 contra Arianos; in Italiâ Marius Victorinus lib. 1 contra Arium; in Ponto Gregorius Nyssenus lib. 10 contra Eunomium; in Galliâ Hilarius lib. 4 et 8 de Trinit.; in Italiâ Ambrosius lib. 1 de Spiritu sancto, cap. 3, etc.; V seculo in Africâ Augustinus lib. 2 de Trinit. cap. 13, et lib. 1 contra Faustum, cap. 3 et 6; in Ægypto Cyrillus Alexandrinus lib. 1 Thesauri; in Hispaniâ Idacius contra Varimadum lib. 1; in Galliâ Cassianus lib. 3 de Incarnatione : VI seculo in Italiâ Gregorius Magnus hom. 8 in Ezechielem; in Hispaniâ Isidorus Hispalensis lib. de Different. num. 2, et alii innumerabiles; de quo consule Petavium de Trinit. lib. 2, cap. 9, et Bullum de Nicænæ fidei defensione, sect. 2. Quæ quidem tanti sunt roboris, ut ipsimet Sociniani primam hanc responsionem pertinaciter defendere non audeant, sed eam contra deserant.

At secunda, quæ restrictionem fingit hâc additione contineri, *qui est super omnia,* primâ illâ videtur intolerabilior. Nedùm enim hæc verba *Dei* nominis vim imminuant, eam illustrant contra, et, si dicere fas sit, amplificant. Eodem enim elogio, ut mox observavimus, Pater ipse æternus insignitur ad Ephes. 4, 6. An ergo Pater æternus non erit nisi cum restrictione Deus, non verò simpliciter et absolutè? Quid ridiculum magis? Etverò voces istæ, *qui est super omnia,* Deum supremum propriè ac per se sonant. Proinde miserabiliter hìc tricantur Sociniani.

Tertia denique, quæ *Dei* vocabulum ex hâc sententiâ expungit, nullo fundamento innititur. Summa enim est ac constans omnium codicum in eo *Dei* nomine retinendo consensio. Fallitur autem Erasmus, cùm ait hanc vocem non esse relatam à Cypriano et Hilario; diserta enim supra testimonia utriusque laudavimus. Deceptus est autem mendoso Cypriani codice, quem alii omnes corrigunt. Et sanè omnes, quos modò appellavimus ex variis orbis christiani partibus, ne uno quidem excepto, Patres, eamdem *Dei* vocem exhibent. Ergo frustra Sociniani contra ineluctabilem hanc omnium seculorum et orbis regionum consensionem obluctantur.

Postremus omnium locus expendetur hîc à nobis, qui ex Epistolâ 1 Joannis cap. 5, v. 20, deducitur, ubi beatus Apostolus sic ait: *Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita æterna;* quo quidem nihil expressius videtur esse posse. 1° Enim Joannes pronuntiat Christum esse *verum Dei Filium,* id est, naturalem, proprium, et ex ipsius substantiâ genitum; non verò metaphoricum, adoptivum et gratuitâ benignitate adscitum. 2° Eumdem insuper vocat *Deum,* et articulum præfigit huic nomini. 3° Addit ipsum esse *verum Deum.* 4° Non aliter eum dicit *verum Deum,* quàm paulò ante de Patre æterno dixerat ipsum esse *verum Deum.* Proinde Christus est verus ac summus Deus, non secùs ac Pater.

Ut ab hoc loco sese expediat Socinus, multa absurda comminiscitur ac profert, quæ referre nihil necesse est. Sed una inter cæteras responsio præcipua est, quam sequuntur Sociniani in Catechesi suâ: nempe pronomen, *hic,* non referri ad *Christum* proximè nominatum, sed ad *Patrem,* de quo paulò ante sermonem obiter habuerat Joannes his scilicet verbis: *Ut cognoscamus verum Deum.*

At illa multis momentis refelli facilè potest.

1° Enim pronomen *hic* demonstrativum est; atque adeò non remotum quemdam, sed præsentem ac proximum designat, præsertim si de eo ex professo agatur; neque ullum hâc in parte contrarium adduci potest exemplum. At Christus Filius Dei proximè nominatus fuerat. Ad hæc Christus idem eo in loco per se et ex professo describebatur; ejus enim ibi in mundum adventus memoratur et summum hujus adventûs beneficium, idque duplex; quòd nimirùm ejus operâ cognoscamus verum Deum, et simus in eo. 2° Vel pronomen, *hic,* demonstrat Dei Filium, vel Patrem, qui paulò ante dictus fuerat *verus Deus.* At pronomen *hic* non pertinet ad eum, qui mox nominatus fuerat *verus Deus;* aliàs sensus hic esset, *verus Deus est verus Deus,* quod absurdum omninò est. 3° Inutilis fuisset ista repetitio. Cùm enim de Patre mox dixisset *verum Deum,* cur statim iterùm addidisset: *Hic est verus Deus?* 4° Qui ibi dicitur *verus Deus,* vel est Pater solus excluso Filio, vel est Pater simul cum Filio, vel Christus solus. At 1° si est Pater excluso Filio, Pater idem excluso Filio erit vita æterna. Qui enim appellatur *verus Deus,* idem quoque dicitur *vita æterna.* Pater autem solus non est vita æterna excluso Christo. Sæpè enim Christus in Scripturis *vita æterna* nominatur. Ergo non est Pater solus excluso Filio. 2° Si Pater est simul cum Filio, ergo Filius perinde ac Pater est verus Deus; quemadmodùm vita æterna est, perinde ac Pater; sicque id consequimur quod volumus. Si tertium, multò magis.

Objiciunt: Multa sunt in Scripturis exempla quæ evincunt pronomen demonstrativum non referri necessariò ad proximè antecedentem personam, de quâ mentio facta fuerit: v. g., Act. 7, 18, Stephanus historiam Judaicam breviter retexens: *Surrexit,* inquit, *alius rex in Ægypto, qui non sciebat Joseph. Hic circumveniens genus nostrum, afflixit patres nostros.* At ibi pronomen *hic* non refertur ad *Joseph* proximè nominatum, sed ad *regem Ægypti.* Sic etiam Act. 10, 5: *Mitte viros in Joppen,* inquit Angelus Cornelio, *et accersi Simonem quemdam qui cognominatur Petrus. Hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium... Hic dicet tibi quid te oporteat facere.* Postremum autem *hic* non designat Simonem coriarium, de quo mox verba facta fuerant; sed Simonem Petrum Apostolum ante nominatum. Sic denique Joannes Evangelista, Epistolæ 2 versu 7: *Multi seductores,* inquit, *exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem; hic est seductor et antichristus.* At ibi pronomen, *hic,* non ad *Jesum Christum,* sed ad eum, *qui non confitetur Jesum Christum venisse in carnem,* spectat. Ergo. — Distinguo antecedens: Non referri semper et necessariò ad eum qui proximè antecedit, si de eo tantùm per accidens, obiter et occasione cujuspiam alterius verba fiant, concedo; si de eo ex professo sermo habeatur, nego. At in primo exemplo de rege Ægypti ex professo sermo erat institutus; de Joseph autem per transennam duntaxat m en

tio injicitur; in secundo exemplo agebatur præsertim de Simone Petro Apostolo; sic et in tertio. Ergo ista exempla nostræ regulæ non officiunt, nec argumentum nostrum elevant. Namque in eo de quo disputamus Joannis loco, non solùm Christus proximè ante nominatus fuerat, sed etiam is ipse erat qui ex professo describebatur.

Verùm de his satis. Addi enim poterant alia loca; v. g., ex Epistolâ ad Titum cap. 2, v. 13; ex Epistolâ 1 Joannis cap. 3, v. 16; ex Epistolâ Judæ vers. 4; sed ista sufficiunt.

§ 2. ARGUMENTA SECUNDI ORDINIS. — *Ex naturâ Dei propriâ, quæ Christo tribuitur.*

Ut Christum divinâ naturâ esse præditum demonstremus, quinque duntaxat Scripturæ loca usurpabimus; ac duo quidem priora ex veteri Testamento, tria autem posteriora ex novo hauriemus.

Argumentum I, ex Isaiæ capite 6. — Isaias, cap. 6, duo refert. 1° Enim narrat, quâ ratione Dei gloriam quâdam in visione contemplatus fuerit. 2° Addit quo pacto missus fuerit ad Judæos, ut prædiceret eos esse aliquando excæcandos. Itaque versu 1 : *In anno,* inquit, *quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea, quæ sub ipso erant, replebant templum.* Versu 2 : *Seraphim stabant super illud.* Versu 3 : *Et clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus (Jehovah) exercituum : plena est omnis terra gloriâ ejus.* Versu 9 : *Et dixit : Vade, et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere ; et videte visionem, et nolite cognoscere.* Versu 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne fortè videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.* Versu 11 : *Et dixi: Usquequò, Domine? Et dixit : Donec desolentur civitates absque habitatore.* Versu 12 : *Et multiplicabitur, quæ derelicta fuerat in medio terræ.* Versu 13 : *Et adhuc in eâ decimatio, et convertetur.*

Hæc autem ad Christum, in quem, cùm apparuit, non crediderunt, referenda esse constat ex variis novi Testamenti testimoniis : v. g., Matth. 13, 14; Marci 4, 12; Lucæ 8, 10; Act. 28, 26; et Rom. 11, 8.

Sed apud Joannem est aliquid peculiare, quod ad institutum nostrum spectat. Capite enim 12, postquàm satis longam Christi ad Judæos incredulos orationem memoravit : *Hæc,* inquit versu 36, *locutus est Jesus.* Versu 37 : *Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.* Versu 38 : *Ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit : Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est?* Versu 39 : *Propterea non poterant credere, quia iterùm dixit Isaias : Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos.* Versu 41 : *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo.* Versu 42 : *Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum.*

Duo hìc affirmat ac distinguit : Primum est, Judæos in Christum non credidisse, quod futurum fuisse probat ex Isaiæ cap. 53, ubi Propheta sic loquitur, versu 1 : *Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini, cui revelatum est?* etc. Alterum est, Judæos in ipsum non potuisse credere (1), quod probat ex altero ejusdem Isaiæ testimonio, ubi prædixerat eos ita excæcandos fore, ut videntes non viderent, et audientes non audirent. Indicans porrò hujus testimonii fontem, scilicet caput 6, ita addit Evangelista : *Hæc dixit Isaias quando vidit gloriam ejus et locutus est de eo.*

Unde sic disputamus. Is, cujus gloriam Isaias vidisse perhibetur cap. 6, est Deus verus, seu naturâ divinâ præditus. Atqui Christus est ille cujus gloriam vidisse memoratur cap. 6. Ergo.

(1) Ne quis cum Jansenistis existimet Judæos verè credere non potuisse. Nam, ut ait Menochius, « non dicit S. Joannes, *non poterant,* quasi non possent, si vellent; is enim « dicitur non posse, qui potest quidem, absolutè loquendo, si velit, sed tamen ut velit « magnis difficultatibus impeditur, quas vincere non vult. » Unde S. Augustinus tract. 53 in Joan. n. 6 : « Quare non poterant si à me « quæratur, citò respondeo : Quia nolebant. » Ex hoc igitur textu aliisque similibus inferri quidem potest Deum aliquando homines ponere in circumstantiis ex se bonis, sed in quibus culpâ suâ malè se gerent, sive etiam non efficacem modò, sed vel proximè sufficientem gratiam iis denegare, qui gratiâ sufficiente abusi sunt; non verò ab eo unquàm negari omnem gratiam, vel remotè sufficientem. Quòd autem dicitur *excæcare* atque *indurare*, id non directè et positivè intelligendum est, quasi Deus propriè cor alicujus induret, et oculos ejus claudat; sed indirectè et permissivè, eo videlicet sensu quòd peccatorem, ob ejus malitiam, in indurationè relinquat et deserat, vel eum in circumstantiis ex se quidem bonis, constituat, sed in quibus efficaci et abundantiori gratiâ destitutus, de viâ virtutis declinabit. Ut enim habetur Sapient. 2, 21, *excæcavit illos malitia eorum.* Sed de his fusiùs in tract. de Gratiâ. (Ed.)

Major patet. 1° Enim qui se Isaiæ conspiciendum dedit, is ab ipso simpliciter *Dominus* appellatur. 2° Depingitur idem ut cœli rex, sedens super solium excelsum et elevatum. 3° Templum habet. 4° Ante ipsum Seraphim facies suas præ fulgore majestatis velant. 5° Ipsi acclamant *Sanctus, sanctus, sanctus,* quòd per se sanctus sit, omnisque sanctimoniæ fons. 6° Vocatur *Jehovah.* 7° Dicitur *Deus exercituum*, quod vulgare est Dei veri elogium. 8° Omnis terra ipsius gloriâ plena esse perhibetur. 9° Ipse est qui misit Hebræos prophetas.

Minor nititur diserto Joannis Evangelistæ testimonio. Proinde consecutio, quam illinc elisimus, omninò necessaria est et ineluctabilis.

Ad hoc argumentum tria respondent Sociniani: 1° Verba hæc Joannis, *gloriam ejus,* non de Christo, sed de Patre æterno esse intelligenda. 2° Si de Christo gloria illa intelligatur, non eam esse, quæ initio capitis 6 describitur, sed aliam, quæ ad finem ejusdem capitis memoratur, quæque posita est in excæcatione et vastatione populi Judaici, gentium conversione, et futurâ Israelitarum restitutione, de quâ etiam Isaias capite 53, quod ibidem Joannes laudat. Hæc autem gloria nondùm quidem erat, cùm Isaias scripsit; sed aliquando futura erat, nimirùm post Christi resurrectionem et ascensionem in cœlum. 3° Si gloria illa ad Christum referatur, et eadem esse putetur, quæ initio capitis 6 adumbratur, eam Christi dici, non quòd propriè Christi esset, sed quia, cùm Dei esset, et gloria Christi in gloriâ Dei includatur, is potest censeri et affirmari vidisse gloriam Christi, qui gloriam Dei contemplatus est.

Sed ista planè insulsa sunt. Prima enim responsio, quæ pronomen *ejus* non ad Christum, sed ad Deum Patrem refert, omninò absurda est. 1° Quippe hoc pronomen ad eum referri oportet, de quo agebat Evangelista, non autem ad eum de quo nullatenùs agebat. Quis enim sibi persuadeat sacrum hunc ac sapientissimum scriptorem pronomen aliquod è suo apposuisse, eoque designare voluisse, non illum de quo sermonem habebat, sed alterum de quo narratio non instituebatur? 2° Pronomen istud ad eumdem spectat versu 40, ad quem pertinet versu 37 paulò ante, et versu 41 paulò post; ter enim illud pronomen in tantillo spatio, usurpat. Ineptum autem foret primò illud intelligere de Christo, postea non de Christo, sed de Patre æterno, ac deinde iterùm ad Christum redire. Porrò cùm versu 37, dicit Joannes, *non credebant in eum*, id sanè ad Christum pertinet: similiter cùm versu 41 notat, multos tamen de principibus in ipsum credidisse, ibi de Christo haud dubiè loquitur. Ergo etiam de Christo verba facit, cùm versu 40 intermedio ait Isaiam vidisse gloriam ejus. 3° Si Joannes per *gloriam ejus* non intellexit gloriam Christi, sed Patris æterni, ipsius observatio ad rem nullatenùs facit. Non enim agebatur de Patre æterno, sed de Christo, in quem non credebant Judæi. Quorsùm igitur Evangelista à proposito aberrans inseruisset non opportunam de Patre mentionem? 4° Ista observatio non tantùm inutilis esset; sed etiam periculosa ac noxia, si vera sit Socinianorum opinio. Nemo enim est qui vel ipsâ orationis serie non inducatur, ut credat Christum esse eum cujus gloriam vidit Isaias cap. 6; proinde eum esse verum Deum; qui quidem juxta eosdem Socinianos pestilentissimus est error.

Secunda responsio coacta admodùm est et per vim contorta. 1° Enim cùm ex unâ parte Isaias initio capitis 6 testetur se vidisse gloriam Dei, et ex alterâ Joannes asseveret ipsum tum vidisse gloriam Christi, perspicuum est Prophetam ac Evangelistam de eâdem gloriâ loqui; proinde Evangelistam de illâ verba facere, quæ initio capitis 6 depingitur. 2° Evangelista pro tempore illo loquebatur, atque adeò manifestè supponit eam Christi gloriam, de quâ mentionem facit, jam tum fuisse cùm Judæi non credebant in eum, imò cùm scribebat ipse Isaias. Non ergo ad futuram postea gloriam respexit. 3° Si ea gloria non intelligatur, quæ in ipso capitis 6 limine exhibetur, nulla est gloriæ in eodem capite facta deinceps mentio. Quis enim putet gloriam Christi in eo positam esse, quòd Judæi essent excæcandi? 4° Denique, nedùm capite 53, Christi gloria memoretur, cùm ait propheta: *Domine, quis credidit auditui nostro?* ipsius contra exinanitio et abjectio pronuntiatur: *Et ascendet,* inquit Propheta, *sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terrâ sitienti. Non est species ei neque decor. Et vidimus eum et non erat aspectus, et desideravimus eum: .... despectum et novissimum virorum.*

Tertia responsio ferri omninò non potest, quòd nimirùm dicitur Isaias vidisse gloriam Christi, quia vidit gloriam Dei, in quâ continebatur gloria Christi. 1° Enim,

ut scholæ verbis utamur, qui videt continens, non ideò videt contentum, nec ab uno ad alterum legitima consecutio est. 2° Omnis gloria sanctorum in Dei gloriâ continetur; an ideircò putandus erit Isaias tunc vidisse gloriam eorum omnium, qui postea fuerunt, virorum justorum? Annon Joannes id de Christo dicit ut singulare quidpiam ac proprium? 3° Gloria Christi, quæ dicitur visa, vel ita includebatur gloriâ Dei ut simul appareret, vel ita ut simul non appareret; si non apparebat, non potest dici tunc esse visa; si apparebat, ergo Christus est Deus; gloria enim quæ apparebat, et quam Isaias vidit, est Dei.

Objiciunt 1°: Parenthesis quædam admittenda est versum inter 37 et 42. Ergo licet pronomen versibus 37 et 42 positum ad Christum referatur, non continuò ad ipsum referendum est pronomen quod extat versu 41. — Nego antecedens. 1° Enim nulla est parentheseos nota. Imò, cùm parenthesis sermonis filum abrumpat, omnia hoc in loco optimè cohærent. 2° Duplex est Evangelistæ propositio; prima versu 37, ubi notat Judæos non credidisse in Christum; altera versu 39, in quâ asserit eos non potuisse in eum credere. In argumentum verò primæ propositionis affert versu 38 Isaiæ locum ex capite 53; in argumentum autem secundæ, alterum allegat Isaiæ testimonium versu 40 et 41. Ergo nulla hìc parenthesis est; sed omnia, ut par est, fluunt, et à sese mutuò pendent.

Objiciunt 2°: Versu 38 Domini mentio fit. Ergo potest eò referri pronomen *ejus*. — Nego consequentiam. 1° Enim nimiùm distat versus 38 à 41. 2° Non fit ibi mentio Domini, nisi in obliquo, obiter ac per accidens, non ex professo. 3° Post versum 38, Joannes novam propositionem interjecerat, quòd scilicet Judæi non possent in Christum credere, cui probandæ alterum ex Isaiâ testimonium affert. At neque in istâ propositione, neque in probatione, ulla est Domini mentio. Ergo, cùm postea subdit, *gloriam ejus*, pronomen illud ad Dominum referri nullatenùs potest. 4° Joannes duo affirmat: Primum, Isaiam vidisse gloriam ejus; alterum, Isaiam eumdem locutum esse de eo. Proinde eodem in versu idem pronomen repetit, utique de eodem. At Sociniani ipsi confitentur hæc Joannis verba, *quando locutus est de eo*, de Christo esse intelligenda. Ergo et priora ad eumdem Christum spectant.

Argumentum II, ex capite 35 *Isaiæ*.—Insigne est Isaiæ cap. 35, versu 1. de futuro Messiæ adventu vaticinium: *Lætabitur*, inquit, *deserta et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium..... Ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei (Jehovæ) nostri..... Dicite pusillanimis: Confortamini et nolite timere; ecce Deus vester ultionem adducet retributionis; Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus*, etc. Porrò id de Messiâ intelligendum esse Christus ipse apertissimè significat: *Joannes autem*, inquit Matthæus, cap. 11, v. 2, *cùm audîsset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es? an alium expectamus? Et respondens Jesus, ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audîstis et vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur, et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me*. Unde sic argumentamur: Ille cujus adventus apud Isaiam prænuntiatur, est verus Deus, seu naturâ divinâ præditus. Atqui ille qui venturus ibi prædicitur, est Christus. Ergo Christus est verus Deus, naturâque divinâ præditus.

Major constat. 1° Enim qui venturus ibi dicitur, is vocatur *Jehovah*. 2° Ille erat Deus Israelitarum. Sic enim loquitur Propheta: *Videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri*, hoc est, omnium nostrûm, qui Judæi sumus. At Judæi nullum alium habebant pro Deo, quàm Deum verum et naturâ divinâ præditum, ut ipsimet Sociniani confitentur. 3° Isaias non sine emphasi clamat: *Deus ipse veniet*. At istæ voces, *Deus ipse*, istaque emphasis verum ac summum Deum arguit 4° In benè multis aliis Scripturæ locis Deus Israel venturus ipse prædicatur ad hominum salutem, v. g., Psal. 49, 3: *Deus* (1) *manifestè veniet, Deus noster*, Et ipsemet Isaias cap. 25, 9: *Ecce Deus noster iste, expectavimus eum et salvabit nos; iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus et lætabimur in salutari ejus*. Et cap. 40, 9: *Dic civitatibus Juda: Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet*. Ergo Deus ipse verus ac summus ab Isaiâ prænuntiabatur venturus.

Minor evidens est ex Christi testimonio. Joannes enim ejusmodi vaticiniis imbutus, iisdem omninò verbis interrogationem suam conceperat: *Tu es*, inquit, *qui venturus es, an alium expectamus?* Christus autem non quidem disertè respondet; sed ut se tamen eum esse

(1) Hic versus intelligitur de Deo judice, non salvatore. (Ed.)

indicaret, tria recenset hujusce rei signa manifesta. 1° Quòd cæci videant; surdi audiant, etc. 2° Quòd pauperes evangelizentur. 3° Quòd petra esset offensionis et scandali, quibus verbis ad tria Isaiæ vaticinia alludit; ac primis quidem ad caput 35, quod expendimus; aliis autem ad caput 61, ubi Messias sic loquitur versu 1 : *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam;* postremis denique ad caput 8, v. 14, ubi Messias prædicitur futurus esse lapis offensionis et petra scandali. Cùm ergo illa essent Messiæ venturi et expectandi totidem indicia indubitata, Christus ea profert, ut Joannes ex iis (1) agnosceret ipsum esse Messiam venturum et expectandum, quasi diceret : Nihil necesse est ut respondeam, res ipsa loquitur : Euntes renuntiate Joanni quæ audîstis et vidistis : ex his enim facilè colliget me eum esse, quem venturum et expectandum esse Prophetæ cecinerunt.

Respondet Socinus, 1° hoc Isaiæ oraculum de liberatione è captivitate Babylonicâ accipi oportere. 2° Si de Christo intelligatur, dici tunc Deum venisse, non quòd Christus ipse esset Deus; sed quòd Deus in Christo esset, et loco Dei Christus venerit. — Prima responsio refellitur. 1° Enim positâ hâc expositione, Christus immeritò oraculum istud ut certum et evidens Messiæ venturi signum attulisset, cùm ad Messiam non pertineret. 2° Deus ipse non venit ad liberandos Israelitas è captivitate Babylonicâ. 3° In reditu è Babylone nec cæcorum oculi aperti sunt, nec aures surdorum reseratæ sunt, etc. Imò de cæcis, surdis et claudis, ne ullum quidem verbum est in historiâ hujus liberationis (2).

Secunda responsio consistere non potest. 1° Enim ubique Deus ipse tanquàm venturus, et quidem manifestè, prænuntiatur. At Pater non venit, non apparuit ad salutem hominum operandam, sed solus Christus. Ergo Christus est Deus. 2° Cùm dicitur aliquis venire loco alterius, id arguit hunc alterum venire debuisse. At Pater nunquàm venire debuit; sed solus Christus erat venturus. Unde passim vocatur *venturus*, quasi proprio sibi nomine, ut supra declaratum est. Ergo, etc.

Argumentum III, ex Epistolâ ad Galatas, cap. 4, v. 8. — Paulus ad Galatas, qui cùm essent gentiles ad Christi fidem atque religionem singulari gratiæ beneficio conversi fuerant : *Tunc*, inquit, *ignorantes Deum, iis qui naturâ non sunt dii, serviebatis; nunc autem cùm cognoveritis Deum*, etc. Unde sic disputamus : Galatæ non ampliùs serviebant iis qui naturâ non sunt dii. Atqui serviebant illi haud dubiè Patri æterno ac Christo, et utrumque pro Deo colebant. Ergo uterque naturâ est Deus.

Minorem concedunt Sociniani. Confitentur enim Christo nos servire debere : et quidem ut Deo. Ad majorem verò respondent, vocem *naturæ* illîc opponi ab Apostolo opinioni falsæ, et idem esse quod *reipsà;* nihil ergo aliud velle Paulum, quàm Galatas, cùm antea falsis numinibus servirent, postea serviisse iis qui reipsà dii sunt, Patri videlicet, qui naturâ Deus est, et Filio qui reipsà quoque Deus dici potest, quòd in omnia supremam auctoritatem habeat.

Verùm hæc interpretatio inutilis est et falsa. Inutilis quidem, quia saltem ex eâ sequitur Christum reipsà Deum esse. At Christianis unus est tantùm Deus, qui nempe talis naturâ suâ est. Ergo Christus non potest esse reipsà Deus, quin naturâ divinâ prædîtus sit. Quis enim in Scripturis unquàm audiit à Christianis duos veros deos adorari? 2° Falsa est. Non enim idem est *naturâ quiddam esse*, et *reipsà tale esse*. Nam reipsà al quid esse, longè latiùs patet, quàm naturâ tale esse; sic Apostoli reipsà Apostoli fuerunt, nec tamen naturâ Apostoli erant; Augustinus reipsà sanctus fuit, nec tamen ideò naturâ sanctus extitit. Quod ergo naturâ tale est, est etiam reipsà tale; sed non omne quod reipsà tale quiddam est, est naturâ tale. Etverò hæc locutio naturam ac nativitatem in Scripturis semper significat : sic Rom. 2, 14 : *Gentes*, inquit Apostolus, *quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*, id est, solâ naturâ ac ratione duce (citra legis quidem scriptæ, non verò citra gratiæ auxilium). Sic in ipsâ eâdem ad Galatas Epistolâ cap. 2, v. 15 : *Nos*, inquit, *naturâ Judæi, et non ex gentibus peccatores;* naturâ, id est, origine. Ad Ephesios denique cap. 2, v. 3 : *Eramus naturâ filii iræ, sicut et cæteri,*

(1) « Non ipse dubitavit Joannes, ait Menochius post interpretes ferè omnes, an Christus Messias esset; sed ideò discipulos misit, ut, per occasionem hanc interrogationis, videntes Christi signa, in eum crederent. » (Ed.)

(2) Num de liberatione à captivitate Babylonicâ dixit Isaias ibidem v. 8? *Erit tibi semita et via, et via sancta vocabitur : non transibit per eam pollutus, et hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam.* (Ed.)

id est, ab ipsâ origine nostrâ, quæ ab Adami peccato labem traxit (1). Ergo non solùm Scripturæ consuetudo, sed etiam ratio non patitur vocem hanc aliter de Christo accipi.

Argumentum IV, ex Epistolâ ad Philippenses, cap. 2, *v.* 6. — Apostolus ibi Christianos hortans ad humilitatem, Christi exemplum eam ad rem adducit : *Qui cùm in formâ Dei esset*, inquit, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo : humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Egregium verò hoc est Christi divinitatis argumentum. 1° Enim duplicem illic Christi statum distinguit Paulus, primum cùm in formâ Dei esset, necdùm servi formam accepisset; alterum cùm factus est homo. Proinde Christus non tantùm erat, antequàm fieret homo; sed etiam erat Deus. 2° Addit ipsum non rapinam arbitratum esse, quòd æqualis foret Deo, hoc est, rem alienam sibique non propriam; quia videlicet, non usurpativè, sed naturâ Deus esset, ut rectè doctissimus Estius interpretatur. 3° Denique affirmat Christum se exinanivisse cùm servus Dei fieri cœpit. Ergo antea servus non erat, sed Deus. Si enim Deus fuit, vera ista fuit exinanitio ac summa demissio; quæ nulla est, si Deus non fuit.

Sociniani locum hunc, qui ipsis maximè incommodat, mirificè vexant, atque ut ab eo sese extricent, varia comminiscuntur, quæ perspicuitatis gratiâ partiemur, et objectionum ad instar proponemus ac refellemus.

(1) Dubitant multi, nec immeritò, an ista vox, *naturâ*, hìc significet ortum, seu originem, ita ut sensus sit, nos esse, vel ab ortu et ob peccatum originale, filios iræ. Etenim quæ priùs dixerat Apostolus indicare videntur ipsum de peccatis actualibus disputare; unde *naturâ* idem sonat ac naturali indole et proclivitate, quæ quidem ex corruptione naturæ, per Adami peccatum vitiatæ, nascitur. Audiatur Cornelius à Lapide in hunc locum : « *Eramus naturâ*, id est, inquit, ex naturæ nostræ « corruptione et propensione, ita carni et « concupiscentiis eramus dediti, ut naturâ, « id est, omninò essemus peccatores et filii « iræ. Ita Hieron., Syrus et alii. Hic plenus « est Apostoli sensus : nec enim tantùm spectat corruptionem naturæ in Adamo, sed « etiam et multò magis quod ex eâ secutum « est, scilicet ut singuli ex Adamo nati carni « et peccatis serviant toti, quasi naturaliter, « itàque sint filii iræ, donec Christi gratiâ liberentur et reformentur; agit enim de peccatis actualibus, ut patet ex præcedentibus » (Ed.)

Objicies 1° cum Socino in responsione ad Parænesim Andreæ Volani, et in responsione ad Wiekum, et adversùs Posnanienses; et cum Schlictingio *de Trinitate*. Duplex quidem à Paulo distinguitur status, duplexque forma. Sed is duplex status ad eamdem Christi mortalem vitam pertinet; duæ autem illæ formæ non positæ sunt in duabus naturis, divinâ scilicet, quam priùs solam habuerit, et humanâ, quam postmodùm assumpserit; sed in diversâ pro variis vitæ suæ temporibus agendi ratione. Nihil ergo aliud significare voluit Apostolus, quàm quòd Christus, cùm primò tanquàm Deus videretur, miracula patrando et solo nutu ventis, mari, morbis, morti ac dæmonibus imperando, postea totam hanc majestatem deposuerit, et servilem in modum sese exinaniverit, quando se hostium suorum potestati ac furori permisit, seque ab iis vinciri, in crucem agi, et occidi passus est. Ergo nihil ex loco hoc elici potest in gratiam divinæ Christi naturæ.

Nego antecedens. 1° Enim apertè indicat Apostolus se *formæ* nomen utrobique pro naturâ usurpare. Formam enim Dei explicans, statim illam reponit in æqualitate cum Deo; formam autem servi exponens, eam in ipsâ naturâ humanâ collocat : *Semetipsum*, inquit, *exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Hæc enim verba per appositionem, ut grammatici loquuntur, addita, in quo sita esset juxta ipsum servi forma, declarant. Unde sic argumentari licet : Tam forma Dei pro naturâ divinâ ibi sumenda est, quàm forma servi pro naturâ humanâ. Atqui, interprete Paulo, forma servi natura humana est. Ergo. 2° Ut de utràque sigillatim dicamus, forma Dei, in quâ primùm Christus fuisse dicitur ab Apostolo, nihil aliud esse potest quàm natura divina. Duplex enim tantùm forma distingui potest, interna videlicet seu natura, et externa. Cùm autem Deus simplicissimus sit, externa, si quæ sit, non potest ab internâ separari. Deinde forma illa Dei aut vera erat aut falsa. At non potest dici falsa. Ergo vera erat. Non potest autem vera Dei forma ab ipsius naturâ sejungi. 3° Forma servi, quam Christus postmodùm accepisse dicitur, in ipso fuit à primis vitæ ejus exordiis. Hæc enim forma sita est, vel in similitudine carnis peccati, vel in subjectione legi divinæ, vel in tenui, abjectâ et humili conditione. Si primum, Christus profectò fuit in similitudine carnis peccati, simul ac homo esse cœpit.

carnem enim habuit nostræ similem, omnibus humanæ vitæ miseriis ac morti obnoxiam. Si secundum, ab ipso suî exordio subjectus fuit legi divinæ, cujus omnes ritus in se suscepit. Unde Apostolus ad Gal. 4, 4 : *Ubi*, inquit, *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Si tertium, ab ipsâ nativitate vilem, abjectam et humilem vitam egit. Ergo in formâ servi fuit ab eo ipso temporis puncto, quo homo esse cœpit. Atque id apertè indicant Prophetæ et Apostolus. David enim Psal. 40, 7, Christum inducit ita loquentem : *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi* (hebraicè, *perfôrâsti mihi*, quod perpetuam servituti addictionem significat). Ac proinde Christus se ibi servum factum esse pronuntiat. At Apostolus id refert ad tempus quo Christus in mundum ingressus est, et ipsi corpus aptatum est. Ad Hebræos enim cap. 10, 5 : *Ideò*, inquit, *ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptâsti mihi.* Sic etiam apud Isaiam Deus Christum, qualis fuit per omnem vitam considerans : *Ecce servus meus*, inquit, *suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum.* Quod de Christo exponit Matthæus cap. 12, v. 18. At Christus Spiritum Dei habuit, simul ac homo fuit, et ab hoc ipso temporis puncto in illo sibi complacuit Deus. Ergo pariter ab eodem tempore servus esse cœpit. Quod cùm ita sit, forma servi haud dubiè in ipsâ naturâ humanâ ejusque appendicibus reponenda est. Sed in quovis demùm ea collocetur, inde saltem consequens est Christum fuisse Deum antequàm homo esset. Priùs enim in formâ Dei fuit, quàm in formâ servi. Quidquid autem intelligas nomine *formæ servi*, Christus eam habuit ab ipso naturæ exordio. Ergo antea erat in formâ Dei.

Instabis 1°. *Formæ* nomen non semper naturam internam sonat. Ergo forma in aliquo transeunte, qualis est actio, constitui potest. Proinde forma Dei in imperio ac patratione miraculorum; forma autem servi in obedientiâ ac passione non immeritò posita esse existimatur. — Nego consequentiam. 1° Enim forma duplex tantùm est, interna nimirùm seu essentialis, et externa, quæ sita est in effigie aliisque similibus. Utraque permanens naturâ suâ est; neutra transiens : prima ad substantiam pertinet; altera ad qualitatem. Nulla verò forma intra actionis aut passionis genus continetur. Quocirca contra philosophiam ipsam peccat Socinus, qui formam in actione et passione reponit. 2° Apostolus formam Dei esse quid permanens dilucidè significat, dùm sic loquitur : *Qui cùm in formâ Dei esset* (græcè ὑπάρχων); hæc enim locutio statum aliquem fixum sonat; multò autem clariùs dùm addidit : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (græcè λαβών), et utrumque hoc verbum opponit. Prioribus enim verbis arguit formam Dei esse propriam, nativam ac permanentem Christi naturam; sed postmodùm ei advenisse novam, humanam scilicet velut per accidens, quam vocat *formam servi.* 3° Absurdum est formam Dei in actione collocari, servi autem formam in passione ac pœnis. Quis enim unquàm ita locutus est? Semper certè Deus habuit formam suam; at non semper egit. Antequàm enim mundum condidisset, nihil operabatur : nec tamen propterea formâ suâ unquàm destitutus fuisse dici potest. Sic etiam servi formam servi habent, etiam cùm nihil agunt aut patiuntur; cùm autem patiuntur, non patiuntur in formâ servi, seu quatenùs servi, sed in formâ rei, si ita loqui fas est, seu quatenùs rei. 4° Positâ hâc formæ Dei ac servi intepretatione, duplex ab Apostolo assignatus Christi status à Socino explicari non potest. Unus enim prior esse debet, nempe in formâ Dei; alter posterior, nimirùm in formâ servi. Imò, juxta Socinum, prior accedente posteriore desiit. Hæc autem consistere nequeunt si forma servi in passionibus, Dei autem in miraculis ponatur. Quando enim in formâ Dei fuit Christus? dùm prædicaret Evangelium, inquit Socinus, non sine ingenti miraculorum gloriâ. Quandonam verò formam illam deposuit, et assumpsit formam servi? quando, inquit, se Judæorum voluntati ac manibus postea permisit. At ista falsa sunt, si forma Dei in miraculis, forma autem servi in passionibus sita est. Vix enim natus est, cùm pati cœpit. Namque, ut nihil dicamus de communibus humanæ vitæ et abjectæ conditionis miseriis, vix lucem aspexerat, cùm inimicum ac persecutorem Herodem sensit, cùm in Ægyptum fugit; antequàm prædicaret Evangelium, diaboli tentationibus objectus est; dùm verò prædicaret, Judæorum calumniis, invidiæ, injuriis ac contemptui obnoxius fuit. Contra autem, postquàm se Judæorum libidini permisisset, non minùs splendida quàm ante miracula patravit. Uno enim verbo prostravit satellites, Malcho auriculam restituit, latronem in cruce salvum fecit, terram concussit, velum templi scidit, solem obscuravit, mor-

tuos suscitavit, se ipse à mortuis excitavit. Quo igitur modo dici potest formam Dei tunc deposuisse, si ea in miraculorum patratione consistit? Quomodò prior esse dicitur forma Dei quàm forma servi, quandoquidem priùs pati, quàm miracula edere cœpit?

Instant 2° : Esto, forma Dei in patratione miraculorum non reponatur, collocari saltem potest in facultate miracula patrandi. Ergo. — Nego antecedens. 1° Enim inauditum est formam Dei in hujusmodi potestate positam esse. 2° Neque sic exponi posset utriusque statûs successio, ita enim formam Dei nunquàm deposuisset Christus, quod tamen necessarium esse Socinus arbitratur. Quandonam enim dici posset Christus hancce potestatem exuisse, cùm nullum sit tempus, quo miraculorum edendorum facultatem non habuerit, imò quo miracula non ediderit?

Instabis 3° : At Erasmus et Grotius hanc *formæ* interpretationem approbant. Ergo. — Nego consequentiam. Perperàm enim Scripturam ibi ambo exponunt. Cæterùm Erasmus justo liberior, et audaciор non semel fuit; multaque ejus pronuntiata olim à sacrâ Facultate Parisiensi damnata sunt. Quod ad Grotium attinet, is quidem fuit longè eruditissimus; sed cùm à Remonstrantium in Batavîâ partibus, imò et à Socinianis non esset alienus, pleraque veteris Testamenti vaticinia et non pauca novi Fœderis loca de Christi divinitate in alienum planè sensum infeliciter detorsit : quod hìc semel monuisse sufficiat, ne quis ejus auctoritate deceptus aberret. Super eo consule illustrissimum Bossuetium, adversùs novam Simonis versionem.

Instant 4° auctores Catechismi Sociniani : Potest duplex illa forma, non de duplici vitæ statu successivo, sed de simultaneo, exponi; ita ut Christus cùm in formâ Dei esset, hoc est, divinâ virtute præditus, attamen specie tenùs, hominum vulgarium more ageret ac pateretur, quod est servi formam accipere. — Nego antecedens. 1° Enim auctores illi cum Socino principe suo hâc in parte pugnant. 2° Pugnant pariter cum Apostolo, qui statûs duplicis successionem manifestè indicat. His enim verbis : *Qui cùm in formâ Dei esset* (ὑπάρχων), perspicuè statum illum naturalem designat, in quo Christus erat antequàm sese exinaniret, et formam servi acciperet; istis verò : *Exinanivit, formam servi accipiens,* statum alterum posteriorem in quem sese demisit. Etverò, verbum hoc, *exinanivit,* duo illa simul complectitur ac postulat; plenitudinem enim arguit, ut terminum à quo, et vacuitatem seu inanitatem, ut terminum ad quem. Proinde quidam veluti motus fuit à plenitudine majestatis ac formæ divinæ, in quâ priùs erat, ad inanitatem formæ humanæ, quam postea assumpsit : hæc enim secum invicem opponuntur ab Apostolo. Atque id etiam firmat participium *factus,* quo utitur cùm ait : *In similitudinem hominum factus.* Id enim significat Christum non semper fuisse hominem, sed antea ipsum aliâ naturâ præditum fuisse, cui humana deinceps advenerit.

Objiciunt 2° : Hæc Apostoli verba de Christo : *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,* ita possunt exponi : « Mordicùs non retinuit « istam cum Deo æqualitatem, ut raptor rem, « quam rapuerit, solet; sed eam sponte depo- « suit, cùm placuit Deo. » Ergo non potest inde elici Christi cum Patre æqualitas. Sic Socinus. — Nego antecedens. 1° Enim Apostoli verba ab illâ Socini contortâ interpretatione plurimùm distant. Neque ullus unquàm homo fuit, qui ejusmodi locutione, ad id significandum quod vult Socinus, usus esset. 2° Id obscurat Christi laudem. Si enim purus homo fuit, non mirùm si homo purus formam Dei mordicùs retinere non ausus sit, cùm ipsam nolente Deo retinere nullatenùs posset. 3° Satis declarat Apostolus Christum ad exinaniendum semetipsum nullâ lege fuisse adstrictum; hinc enim est quòd tantoperè Christi humilitatem ibi commendet. 4° Si vera est Socini de formâ Dei explicatio, formam hanc mordicùs retinuit inter ipsa supplicia : illustrissima enim tunc miracula edidit.

Instant 1° : Possunt saltem eadem verba sic exponi : « *Christus æqualitatem hanc cum Deo* « *non pro rapinâ aut spolio, quod viribus suis* « *quæsivisset; sed pro divino, ut erat, munere* « *donoque habuit; ideòque propter illam animo* « *non fuit elato; eamque non jactavit, ut rapto-* « *res spolia sua jactare solent.* » ita Schlictingius. — Nego antecedens. 1° Enim duo confundit Schlictingius, quæ omninò diversa sunt. Milites enim spolia quidem jactare iisque gloriari solent; at raptores furta ac rapinas non ostentant, imò potiùs abscondunt. Apostolus porrò de spolio non loquitur, sed de rapinâ. 2° *Rapinam arbitrari, et spolia ostentare* multùm discrepant. 3° Denique falsum est Christum divinam virtutem suam eo tempore non ostendisse, quo se à Judæis capi permisit; imò eam tunc multis exercuit prodigiis.

Instant 2° cum veteribus Arianis apud Chrysostomum hom. 6 in Epist. ad Philipp. et Augustinum lib. 2 contra Maximinum cap. 5 : Possunt ita explicari hæc verba : « Christus « non duxit faciendam esse rapinam æqualita- « tis cum Deo, utpote quam alienam à se esse « nôsset ; sed potiùs semetipsum exinanivit, « tenuitatis suæ conscius. »

Nego antecedens. 1° Enim Apostolus non dixit Christum *non arbitratum esse faciendam esse rapinam ;* sed, *non arbitratum rapinam.* 2° Hæc interpretatio evertit quod Apostolus ante definiverat, Christum videlicet in formâ Dei fuisse ; si enim in formâ Dei Christus fuit, aut eam naturâ habuit, aut non ; si habuit, nihil necesse erat ut rapinam faceret ; si naturâ non habuit, ergo eam rapuerat ; non enim veteres Ariani existimabant Christum fuisse formâ Dei donatum. 3° Si Christus non erat reipsà æqualis Deo, non potuit semetipsum exinanire cùm humanam formam accepit. 4° Quod hìc acutè observat Chrysostomus, Apostolo propositum erat commendare summam Christi modestiam atque humilitatem. Egregiam verò laudem quòd raptor non fuerit !

Objiciunt 3° : Hæc verba, *in similitudinem hominum factus*, non significant humanæ naturæ assumptionem ; sed vulgarem hominum infirmitatem. Sic enim Samson Jud. 16, 7 : *Si septem nerviceis funibus, necdùm siccis et adhuc humentibus, ligatus fuero, infirmus ero ut cæteri homines.* Ergo. — Nego antecedens. Humanam enim naturam ac speciem præ se ferunt istæ omnes Apostoli locutiones : *Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo ;* ac Scripturæ manifestam vim faciunt, qui eas aliter interpetrantur. Sic idem Apostolus Rom. 8, 3 : *Deus*, inquit, *Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne*, etc.

Instant : At Apostolus exponens in quo posita esset servi forma, sic loquitur : *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* — Nego antecedens. Non enim his verbis explicat formam servi, sed eam, in quam descendit Christus, post assumptam jam formam servi, humiliationem. Tres enim status Christi exponit ibi Apostolus : 1° cùm esset in formâ Dei ; 2° cùm exinanivit semetipsum, formam servi accipiens ; 3° cùm post assumptam hanc formam, semetipsum humiliavit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Gradatim scilicet procedit Apostolus, ut pleniùs illustret Christi modestiam et humilitatem : primus autem humilitatis gradus fuit, quòd, cùm Deus esset, homo factus fuerit ; secundus, quòd cùm homo esset, humanam naturam suam morti, et quidem morti crucis, subjecerit, qui tertius gradus est. Tres fuêre Christi status, duo tantùm humilitatis gradus. Status primus, cùm in formâ Dei esset ; secundus, cùm in formâ servi semetipsum exinanivit, qui est primus humilitatis gradus ; tertius status, cùm factus obediens usque ad mortem, semetipsum humiliavit ; et is est secundus humilitatis gradus. Tres hos status hæc verba denotant : *Esset* ; *exinanivit* ; *humiliavit.*

Objiciunt 4° : Si Christus, cùm Deus esset, formam servi accepit, formam divinam deposuit, cùm sese exinanivit. Atqui hoc fieri non potest. Ergo. — Nego majorem. Non enim semetipsum exinanivit divinam formam, quam habebat, deponendo ; sed humanam accipiendo quam non habebat (1).

Instant 1° : At Deus non potest semetipsum exinanire. — Distinguo antecedens : Non potest semetipsum exinanire, amittendo quod erat, concedo ; induendo quod non erat, nego. Summa enim demissio esse videbatur, quòd Deus humanâ ac servi formâ circumdatus esset. Id autem adscribitur Deo, quia persona divina utramque simul naturam complectitur.

Instant 2° : At Apostolus sic addit : *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen*, etc., quibus profectò verbis alium Christi statum post ascensionem depingit, qui priorem sustulerit. Ergo, si prior status intelligatur de assumptione humanæ naturæ, consequens est eam fuisse absorptam per ascensionem in cœlum. — Nego consequentiam. Hunc enim gloriæ statum post ascensionem opponit Apostolus, non carnis assumptioni, sed ei, de quâ proximè locutus fuerat, humiliationi, quâ se Christus ad mortem usque, et quidem mortem crucis, demisit. Etverò hujusmodi gloria Christi morti passim, ut propria merces, adscribitur, v. g., Isaiæ 53, 10

(1) Quanquàm enìm divinitatis plenitudinem Christus retineret, et non rarò per stupenda miracula divinæ ejus naturæ fulgor erumperet, sub involucro tamen carnis exinanita est divinitas, quippe quæ ita quasi velo obducta et obscurata plerùmque fuit, ut Filius Dei blasphemiæ reus habitus fuerit à Judæis, quòd se Patri æqualem faceret. Ita ferè Turnel. (Ed.)

et 11. Unde Christus ipse Lucæ 24, 26: *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?*

Argumentum V, ex Epistolâ ad Colossenses, cap. 2. — Ultimum hujus ordinis argumentum depromemus ex Epistolâ ad Colossenses cap. 2, vers. 9, ubi Apostolus de Christo verba faciens: *In ipso*, inquit, *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Itaque 1°, juxta Apostolum, in Christo est divinitas (seu, ut græcè est, θεότης, *deitas*), quod est naturæ divinæ proprium nomen. 2° Ipsi inest tota quanta est, non verò ipsius particula quædam duntaxat aut derivatio, quæ vel in excellentissimâ cognitione, vel in supremâ auctoritate, aut alio id genus sita sit. 3° Non tantùm inest divinitatis plenitudo, sed ne ulla omninò exceptio fieret, omnis plenitudo; quod non sine causâ et emphasi pronuntiat Paulus. 4° Hæc divinitatis plenitudo in Christo corporaliter inhabitat, id est, hæc conjunctio divinitatis cum humanitate, non animam duntaxat, sed etiam corpus afficit, quia persona Verbi utramque partem sibi intimè et hypostaticè copulavit (1).

Respondet Wolkelius lib. 5 de verâ Relig. c. 10, nomine *divinitatis* non naturam divinam, sed divinæ voluntatis perfectissimam notitiam, et cultûs divini participationem intelligi; *corporaliter* autem idem esse quod *apertè* et *clarè*. — Sed ita ridicula est hæc interpretatio, ut nos remorari non debeat. Quis enim *divinitatis* nomine creatam quamdam notitiam intellexit? Apud quos præter Socinianos, *corporaliter*, idem erit quod *perspicuè?*

Subjungi facilè poterant alia insuper argumenta, eaque non pauca, v. g., 1° ex iis locis ubi Christus asserit se unum esse cum Patre; sic Joan. 10, 30: *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus*, quod ait, ut probet se eamdem cum Patre potestatem habere. Proinde illud non de voluntatis consensione duntaxat, sed de naturæ ejusdem communione accipiendum est. Etverò Judæi, quantùmlibet obtusi, Christi verba intellexerunt hoc modo, et propterea lapidibus eum obruere voluerunt, quòd nempe ita de se loquens, se ipsum faceret Deum versu 33. At Christus, nedùm Judæorum sententiam corrigat, multa addit ut hoc ipsum probet ac confirmet. Quò factum est ut longè magis irritati Judæi eum apprehendere quæsierint.

2° Ex iis, ubi Christus disertè affirmat omnia, quæ Patris æterni sunt, sua quoque esse, Joan. 16, 15: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*. Cap. 17, 9: *Et mea omnia*, inquit, *tua sunt, et tua mea sunt*. Nihil enim demit Christus; proinde eamdem habet cum Patre naturam; aliàs nihil haberet Patris æterni, si propriè loquimur.

3° Ex illis ubi Christus se *Filium Dei* nominat; hoc enim nomine designabat filium verum, unicum ac naturalem, uno verbo æqualem Patri. Hinc *Judæi quærebant eum interficere*, inquit Joannes, cap. 5, v. 18, *quia non solùm solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Hinc summus pontifex Judæorum apud Marcum, cap. 14, cùm Jesum interrogâsset, an esset Christus, Filius Dei benedicti, et ita esse respondisset: *Audistis*, inquit, *blasphemiam*. Capite autem 19, 7: *Nos legem habemus*, inquiunt illi Pilato, *et secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*. Id autem non potest intelligi de filio adoptivo; ipsi enim Judæi hoc modo se filios Dei nominabant, et jactabant se patrem habere Deum. Ergo de filio vero ac naturali. At eorum opinionem nunquàm emendavit Christus; imò nihil prætermisit, quo eam magis ac magis stabiliret, ut capite 5, mox laudato, legere est.

§ 3. Argumenta tertii ordinis. — *Ex divinis proprietatibus, quæ Christo tribuuntur.*

Scitum est apud philosophos proprietates esse naturæ indices; quapropter ex divinis proprietatibus argumenta depromimus, ut divinam in Christo naturam esse evincamus pleniùs.

1. *Ab existendi necessitate.* — Prima Dei proprietas est existendi necessitas, in quâ plerique ipsam essentiam Dei ponunt. Deus enim est *ille qui est*. At Christus illud idem sibi tribuit, cùm Moysi in rubo apparuit: *Ego sum*, inquit, *qui sum*, Exodi 3, 14; quâ ratione non

(1) Cum explicatione auctoris stare potest alia expositio quæ non minùs genuina videtur, juxta quam nempe *corporaliter* significaret realiter, substantialiter: « Atque ita, ut ait Tirinus in hunc locum, teste S. Augustino et Prospero, per *corporalem* inhabitationem, id est, veram, realem, substantialem atque hypostaticam connexionem divinitatis cum humanitate Christi, excludit hic Apostolus phantasticam earumdem conjunctionem, quam Manes postea confinxit, et conjunctionem per accidens, scilicet per operationem et motum, quam Nestorius docebat, denique etiam umbraticam inhabitationem, quali Deus habitabat in Propitiatorio Mosaico. Sic v. 17, per *corpus* intelligit veritatem, et opponit illud *umbræ*. » (Ed.)

semel etiam loquitur in Evangelio et in Apocalypsi, ut supra vidimus, quæstionis hujus sect. 1, argum. V secundi generis. Ergo.

II. *Ex immutabilitate.* — Altera Dei propria dos est immutabilitas. Malach. 3, 6 : *Ego Dominus, et non mutor.* At eadem Christo adscribitur ad Hebr. 1, 10 : *Ipsi* (cœli) *peribunt, tu autem permanebis.... velut amictum mutabis eos, tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Sic et cap. 13, 8 : *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in secula.* Vide supra, ibid. argumento VI.

III. *Ex immensitate.* — Tertia Dei proprietas in immensitate sita est. Deut. 4, 39 : *Scito*, inquit Moyses, *quòd Dominus ipse sit Deus in cœlo sursùm et in terrâ deorsùm.* At hoc ipsum de se prædicat Christus, Joan. 3, 13 : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.* In terris enim positus erat Christus cùm ita loqueretur.

IV. *Ex æternitate.* — Solus Deus verè æternus est. Deut. 32, 4 : *Vivo ego in æternum.* Hinc Paulus, 1 Tim. 6, 16, de Deo verba faciens : *Qui solus*, inquit, *habet immortalitatem*, hoc est, ut Augustinus interpretatur tract. 23 in Joan., veram æternitatem. At Christus æternus est, ut integrâ sectione 2 demonstravimus. Ergo, etc.

V. *Ex omnis boni plenitudine.* — In unum Deum cadit esse vitam hominis æternam et summam felicitatem. Unde Christus Joan. 17, 3 : *Hæc est vita æterna*, inquit, *ut cognoscant te solum Deum verum.* At illud idem de Christo pronuntiatur à Joanne Epist. 1, cap. 5, vers. 20 : *Hic est verus Deus, et vita æterna.* De quo sect. 3, argum. V secundi ordinis.

VI. *Ex rerum omnium scientiâ, et secretorum cordis notitiâ.* — Illud tanquàm Deo peculiare in Scripturis non semel prædicatur, quòd omnia noverit, quòd renes et cor solus scrutetur. Esther 14, 14 : *Domine, qui habes omnium scientiam.* 1 Reg. 16, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* 1 Paral. 28, 9 : *Omnia corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit.* Sic Psal. 7, 10; Psal. 43, 12; Eccli. 23, 25; Jerem. 17, 10; 11, 20; 20, 12. At eadem de Christo asseruntur Lucæ 6, 8. *Ipse verò sciebat cogitationes eorum.* Joan. 21, 17 : *Domine, tu omnia nôsti.* Apoc. 2, 23 : *Et scient omnes Ecclesiæ*, inquit ipse Christus, *quia ego sum scrutans renes et corda*

VII. *Ex omnipotentiâ.* — Omnipotentia Dei proprium insigne est, Gen. 17, 1 : *Ego Deus omnipotens;* Exodi 15, 3 : *Omnipotens nomen ejus.* At Christo omnipotentia tribuitur Sap. 18, 15 : *Omnipotens sermo tuus.* Apoc 1, 8 : *Qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens.* De quo supra, sect. 2, argum. V.

Ex hoc autem fonte manant, 1° quòd Deus sit rex gloriæ. Psal. 23, 8 : *Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* At eodem nomine Christum appellat Paulus 1 Cor. 2, 8 : *Si enim cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent.* 2° Quòd sit Rex regum et Dominus dominantium; 1 Tim. 6, 15 : *Solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium;* quod idem de Christo dicitur Apoc. 17, 14 : *Illi cum agno pugnabunt, et agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum.* Cap. 19, 16 : *Et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.*

VIII. *Ex supremâ majestate.* — Cùm solus Deus supremâ majestate præditus sit, unus est qui adorari debeat. Hinc toties Scriptura clamat solum Deum adorandum esse. At Christus adorandus proponitur non modò ab hominibus, sed etiam ab Angelis. Hebr. 1, 6 : *Et cùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Qui locus ibi laudatur ab Apostolo ex Psalmo 96, 8, in quo David Dei majestatem commendans : *Confundantur omnes*, inquit, *qui adorant sculptilia... Adorate eum, omnes Angeli ejus.* Sed de hoc aliàs.

§ 4. ARGUMENTA QUARTI ORDINIS. — *E divinis operationibus, quæ Christo adscribuntur.*

Opera Dei alia naturalis sunt ordinis, alia supernaturalis. Ex utroque autem genere sex generatim possunt colligi; tria videlicet ex naturali, et totidem ex supernaturali. Naturalia sunt, rerum creatio, conservatio, et concursus ad agendum necessarius. Supernaturalia verò sunt peccatorum remissio, gratiæ subministratio, et cœlestis gloriæ concessio.

Quot opera Dei sunt, tot erunt Christi divinitatis argumenta.

I. *E creatione rerum.* — Creationem rerum opus esse Dei proprium ostendimus quæst. 3, art. 1, arg. I; nunc satis erit hæc Dei apud Isaiam cap. 4, v. 24, verba allegare : *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, et nullus mecum.* At Christus omnia creavit; Proverbiorum enim cap. 8, Sapientia genita de se loquens : *Cum eo eram,*

inquit, *cuncta componens.* Joannes Evangelii cap. 1 : *Omnia per ipsum facta sunt.* Ibidem : *Mundus per ipsum factus est.* 1 Cor. 8, 5 : *Christus,* inquit Paulus, *per quem omnia.* Coloss. 1, 15 : *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt.* Hebr. 1, 2 : *Per quem fecit et secula.* Ibidem, vers. 10 : *Tu in principio, Domine, terram fundâsti, et opera manuum tuarum sunt cœli.* De quo consule quæ diximus sect. 1, arg. VI secundi generis.

II. *E rerum conservatione.* — Universitatis rerum conservatio est veluti continuatio jugis creationis, quâ fit ut, quemadmodùm illæ conditæ sunt, ita perseverent. Id porrò ad solum Deum pertinere potest. Unde Apostolus ad Rom. 11, 36, de Deo loquens : *Ex ipso,* inquit, *et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* At eadem rerum conservatio Christo tribuitur ad Coloss. 1, 15 : *Omnia per ipsum..... creata sunt,.... et omnia in ipso constant.* Hebr. 1, 5 : *Portans omnia verbo virtutis suæ.* 2 Petri 3, 5 : *Cœli erant priùs et terra, de aquâ et per aquam consistens Dei Verbo.*

III. *E concursu ad agendum necessario.* — Deum cum creaturis ad agendum concurrere non modò recentiores theologi opinantur; sed etiam antiqui Patres, quod et philosophi variis rationibus firmant : quò etiam referunt illud Isaiæ 26, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis.* Quidquid autem de eo sit, certum est solius Dei esse posse hunc concursum. Atqui nihil operatur, quod non operetur etiam Christus, quemadmodùm ipse perhibet Joan. 5, 17 : *Pater meus,* inquit, *usque modò operatur, et ego operor.* Et versu 19 : *Quæcumque ille fecerit, hæc et Filius similiter facit.* Quibus sanè verbis communem sibi esse cum Patre operandi rationem apertissimè declarat.

IV. *E peccatorum remissione.* — Unus est Deus, qui peccata condonare possit; hinc Isaiæ 43, 25 : *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas.* At Christus summâ auctoritate peccata dimittit. Eâ autem cùm aliquando usus esset Christus, aiens paralytico : *Homo, remittuntur tibi peccata tua, cœperunt,* inquit Lucas cap. 5, v. 21, *cogitare Scribæ et Pharisæi, dicentes : Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? Ut autem cognovit Jesus cogitationes eorum, dixit ad illos : Quid cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata, an dicere : Surge et ambula?* Eâ enim oratione Christus, quam Pharisæi putabant ab ipso per blasphemiam usurpari, auctoritatem sibi inesse confirmavit. Act. 13, 38 : *Per hunc vobis peccatorum remissio annuntiatur.*

V. *E gratiæ subministratione.* — Gratiam dare solius divinæ potestatis est. Quocirca Psal. 83, 12 : *Gratiam et gloriam dabit Dominus,* inquit regius Psaltes; quod et ratio satis demonstrat. Gratia porrò, sicut Dei, ita et Christi est; Act. 15, 11 : *Per gratiam Domini Jesu,* inquit Petrus,.... *credimus salvari.* Rom. 1, 7 : *Gratia vobis et pax,* inquit Paulus, *à Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.* Sic et cap. 16, 20 et 24; et 1 Cor. 1, 16; et cap. 16, 23, etc.

VI. *E gloriæ concessione.* — Si gratia solius Dei est, multò magis cœlestis gloria, quæ omnis gratiæ cumulus est. Hinc Psaltes regius supra : *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Et Paulus Rom. 5, 25 : *Gratia Dei vita æterna.* At Christus ejusdem gloriæ ac vitæ æternæ auctor largitorque est. Joan. 20, 28 : *Et ego vitam æternam do eis.* Ad Tit. 2, 13 : *Expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.*

§ 5. Argumenta quinti ordinis. — *E cultu divino, qui in Scripturis Christo tribuitur*

Quoddam esse cultûs supremi genus Deo proprium, cùm Scripturarum auctoritate, tùm ratione demonstrari potest. Istud porrò cultûs genus quinque potissimùm capita complectitur : primum est adoratio, seu summus latriæ honor; secundum fides; tertium spes; quartum charitas; quintum invocatio. Duo itaque probanda sunt : primum est, hoc soli Deo convenire; alterum, ea tamen Christo tribui; unde consequens erit Christum esse divinâ naturâ præditum. Turpissimum enim errorem hîc admittunt Sociniani, qui ex unâ quidem parte Christum esse merum hominem definiunt; ex alterâ autem ipsum nihilominùs pro vero Deo haberi et adorari posse pronuntiant; quæ duo secum invicem pugnant ac conciliari nequeunt.

I. Ex adoratione. — Nihil est quod in Scripturis frequentiùs aut disertiùs inculcetur, quàm Deum esse solum adorandum.

Exodi 20, 2 : *Ego sum Dominus Deus tuus,* inquit ipse..... *Non habebis deos alienos* (hebraicè *alios*) *coram me .... Ego sum Dominus Deus tuus,.... zelotes,.... visitans iniquitatem patrum in filios.* Quo in loco multa observanda sunt : 1° his verbis, *deos alios,* non tantùm deos alienos et extraneos excludi; sed etiam quemlibet alium ab ipso diversum, quantumvis aliàs

ipsi conjunctissimus esse putaretur. 2° Id interdici sub gravissimâ pœnâ. 3° Hoc præceptum cùm ad naturalem et moralem legem pertineat, ad omnia extendi tempora, nec intra legis Mosaicæ spatia contineri. Et certè, ut postea videbimus, hanc legem, ceu perpetuam et Evangelii etiam tempore constantem, Christus ipse et alii allegârunt. Quæ cùm ita sint, si Christus est Deus, debet esse idem cum Patre Deus, nec posset aliter cum Patre adorari. Si enim merus homo est, diversus est totâ naturâ à Deo, qui Judæos tunc alloquebatur, et prohibebat ne quis alius à se pro Deo unquàm haberetur.

Deut. 6, 4 : *Audi, Israel : Dominus Deus noster, Deus unus est.* Et versu 13 : *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, quoniam Deus æmulator, Dominus Deus tuus in medio tui.* Quam sententiam allegat Christus, Matth. 4, 10. Isaias 2, 11, de idolorum subversione per Christum faciendâ loquens : *Exaltabitur autem Dominus solus, in die illâ.* Et versu 17 : *Elevabitur Dominus solus in die illâ, et idola penitùs conterentur.* Id autem verum non fuit, si præter Deum, de quo tunc sermo erat, merus homo Christus futurus fuisset divinorum honorum cum Deo particeps. Ibidem, 42, 8 : *Ego Dominus,* inquit, *hoc est nomen meum. Gloriam meam alteri non dabo;* ubi sermo est de futuro Messiæ ortu. Proinde ne tunc quidem futurum erat, ut gloria Dei alteri cuiquam daretur. Quòd si ita est, non potest haberi Christus ut Deus, nec ei possunt honores divini exhiberi, quin naturâ divinâ præditus sit; alioqui falsum esset hoc vaticinium, quo denuntiat Deus se tunc cum altero gloriam suam non esse communicaturum. Ibidem 43, 11 : *Ante me non est formatus deus, et post me non erit. Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me salvator.* Ergo, ut nullus unquàm antea deus fuerat, ita nullus erat alius postea futurus. Ergo Christus non erat è creaturâ merâ in Deum aliquando erigendus, quod Socinianis placet. Ibidem 44, 6 : *Hæc dicit Dominus rex Israel et redemptor ejus Dominus exercituum : Ego primus, et ego novissimus, et absque me non est deus.* Versu 7 : *Quis similis mei?* Versu 8 : *Numquid est deus absque me?* Ibi, ut perspicuum est, Deus unum se esse prædicat; et ut olim nullus alius præter ipsum fuit deus, sic nullum novissimis etiam temporibus exoriturum, quia ipsi similis nullus esse potest. Quocirca aut Christum excludit, aut Christus unus et idem est cum eo, qui tunc ita loquebatur, Deus. Ibidem 45, 5 : *Ego Dominus, et non est amplius; extra me non est deus.* Versu 6 : *Absque me non est.* Versu 14 : *Tantùm in te est Deus, et non est absque te deus.* Versu 18 : *Ego Dominus, et non est alius.* Versu 22 : *Ego Deus, et non est alius.* Quorsùm hæc tam sæpè repeteret Deus, si quis alius et ab ipso planè diversus pro Deo coli et agnosci posset? Ibidem, versu 23 : *In memetipso juravi, quia mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua* Ergo Deus ille est, cui omne genu curvandum; nec alius quisquam est, cui omne genu flectendum sit; hoc enim tanquàm sibi proprium illic asserit Deus. Ibidem 46, 9 : *Recordamini prioris seculi,* inquit, *quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei.* Jeremiæ 10, 11 : *Dii, qui cœlum et terram non fecerunt, pereant de terrâ, et de his quæ sub cœlo sunt* (seu *tollantur de terrâ*, ut hebraicè est). Proinde qui non fecit cœlum et terram, is pro Deo agnosci non potest, et quominùs agnoscatur vetat Deus; atque adeò nec Christus ipse pro Deo haberi potest, si non fecit cœlum et terram.

Lucæ 4, 7, Christus Satanam alloquens, qui se ab ipso adorari postulaverat : *Scriptum est,* inquit, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Porrò diabolus se pro Deo summo haberi nolebat, sed tantùm pro deo hujus seculi inferiore, cui à summo Deo in omnia terræ regna potestas data esset : *Mihi tradita sunt,* inquit, *et cui volo do illa.* Ex quo tria colligimus : 1° maximum hoc Decalogi præceptum etiam Evangelii temporibus vim suam habere. 2° Nullum esse posse qui adorari queat præter Deum summum, quamvis ille suam aliunde potestatem ad Deum referat. Christus enim diabolum ab adoratione submovet, non quia diabolus est, sed quia Deus non est, qui solus adorandus sit, et cui soli sit serviendum. 3° Christum aut verum esse ac summum Deum, aut non esse adorandum. Jam tum enim, etiam juxta Socinianos, Christus erat Deus : *In principio* enim *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* quod illi de initio prædicationis Joannis Baptistæ interpretantur. At Christus solus Deum, qui Judæos allocutus fuerat, adorandum esse decernit. Ergo aut ipse idem Deus est, aut non est adorandus. Act. 10, 25, Cornelius centurio Simonem Petrum Apostolum ad se divinitùs missum, procidens ad pedes ejus, adorare voluit : *Petrus verò,* inquit Lucas, *elevavit eum dicens : Surge, et ego ipse*

homo sum. Ac proinde, teste Apostolo, hominem esse, titulus est, qui se solo adorationem excludat. Ergo aut Christus merus homo non est, aut non est adoratione prosequendus. Actorum 4, 14, eadem sententia est. Cùm enim Lycaonii Paulo et Barnabæ sacrificare vellent tanquàm diis : *Hoc ubi audierunt Apostoli,* inquit idem,.... *conscissis tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes et dicentes : Viri, quid hæc facitis? et nos mortales sumus, similes vobis homines.* Igitur hominibus non possunt divini honores legitimè exhiberi. Apocal. 19, 10, cùm Joanni apparuisset Angelus : *Et cecidi,* inquit, *ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi : Vide ne feceris; conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora.* Ergo etiam tum solus Deus adorandus erat; et quo quis servus est Dei, id est, creatura, eo ipso adoratione affici non potest.

Nec dicant Sociniani tot Scripturæ testimoniis idola tantùm excludi aut deos falsos à vero alienos, non verò quemlibet alium à Deo summo, saltem ipsi conjunctum aut, ut loquuntur, subordinatum, aut istud præceptum de uno summo Deo adorando pertinuisse duntaxat ad Mosaicæ legis tempus, quo nullus Deus inferior à summo constitutus fuerat; non verò spectare ad legis evangelicæ tempora, cùm præter unum Deum alius proponitur adorandus, nempe Christus, in inferiorem Deum à summo evectus. Hæc enim vana effugia jam præclusa sunt. Ac primum quidem, quòd sola nimirùm idola excludantur. 1° Enim Deus Exodi 20, 2, non tantùm deos extraneos, sed etiam quosvis à se distinctos submovet. 2° *Illi soli servies*, verba sunt quibus alius quivis excludatur. 3° Juxta Isaiam cap. 2, solus Dominus hoc honore supremo affici potest; si solus, ergo nullus cum eo aut præter eum. Sic porrò etiam alibi passim loquitur Propheta. 4° A Jeremiâ excluditur quicumque non fecerit cœlum et terram, quod omnes, nullo excepto præter Deum mundi conditorem, complectitur. 5° Apostolus in Actis et Angelus in Apocalypsi tale discrimen non admittunt. Ergo. — Secundum verò, quòd quilibet alius etiam subordinatus deus non submoveatur, iisdem momentis retunditur. Imò, quò quis subordinatus sit, eo ipso adorationem, qui supremus est honor, non admittit. — Tertium, quòd lex ista ad Evangelii tempora non spectet, apertè falsum est. 1° Enim Prophetæ de novissimis Evangelii temporibus verba faciunt. 2° Christus ipse in Evangelio, Apostoli in Actis, et Angelus in Apocalypsi indicant, etiam in lege novâ, huic præcepto vim suam constare. 3° Lex ista naturalis est et perpetua, quæ semper viguit et vigebit.

Nec addas Deum posse creaturæ suos honores attribuere. Nam Deus se ipsum negare non potest. Itaque, cùm fieri nequeat, ut qui Deus naturâ suâ non est, is Deus fiat, pariter fieri non potest, ut qui Deus naturâ suâ non est, is adoratione, hoc est, summo honore divinitatis proprio, afficiatur; honorem enim dignitas et excellentia metitur. Cùm ergo Deus creaturam quamlibet infinito intervallo semper superet, quantùmvis excellentem, non potest non habere semper honores sibi proprios, qui cum aliis non communicentur. Quapropter solus Deus est adorandus. Jam verò Christus est adorandus. Joan. 5, 22 : *Omne judicium dedit Filio* (Pater) *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* At Pater supremo honore afficiendus est. Ergo. Rom. 14, 11, Paulus ad Christum refert, quod de se dixit Deus apud Isaiam cap. 45, v. 23, sibi curvandum esse omne genu : *Omnes,* inquit Apostolus, *stabimus ante tribunal Christi; scriptum est enim : Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo.* Proinde quod apud Isaiam scriptum est de Deo, illud de Christo intelligendum est. Quod cùm ita sit, Christus est ille Deus, qui apud Isaiam loquebatur, et eodem est honore prosequendus. Philip. 2, 8, idem Apostolus de Christo : *Humiliavit semetipsum,* inquit, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum.* Quâ loquendi ratione adoratio exprimitur. Ad Hebr. 1, 6, de Patre æterno loquens, *Et cùm iterùm,* inquit, *introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Qui quidem locus ex Psalmo 96, 8, deductus est, ubi David de Israelitarum Deo verba faciens : *Adorate eum,* inquit, *omnes Angeli ejus.* Ex quo duo consequuntur : primum est, de propriè dictâ ac supremâ adoratione sermonem hîc haberi; alterum est, Christum hunc esse Israelitarum Deum; alioqui Paulus hîc, ut et supra, ad Rom. 14, 11, falsum diceret et malè ratiocinaretur, illa de Christo scripta esse affirmans quæ de solo Deo

scripta sunt, et quæ Dei propria sunt ad Christum transferens.

Denique Sociniani ipsi confitentur Christum esse reipsà adorandum. Ergo Christus est Deus.

II. Ex fide. — Hominibus quidem credere possumus cùm nempe his loquentibus fidem habemus; sed in Deum solum credimus (1), quia nempe Deus est sola prima ac summa veritas. Hinc illa virtus dicitur theologica, quòd circa Deum proximè versetur; hinc in Symbolo credere quidem nos profitemur in Deum Patrem et Christum et Spiritum sanctum; sed non in Ecclesiam, etc. Porrò, ut in Deum credimus, sic credere oportet in Christum. Joan. 14, 21 : *Creditis in Deum,* inquit ipse Christus, *et in me credite.* Imò Christus fidei auctor et consummator nominatur, Hebr. 12, 2 : *Aspicientes,* inquit, *in auctorem fidei et consummatorem Jesum.* Ergo Christus est Deus.

Nec reponas Exodi 14, 31, dici Israelitas *credidisse in Deum et in Moysen;* atque adeò posse credi in creaturam, non minùs quàm in Deum. Non enim dicuntur *credidisse in Deum et in Moysen*, sed *Domino et Moysi.* Quamvis enim hebraicæ voces possint in utrumque sensum accipi, postremus tamen locum ibi solus habere potest; quod res ipsa arguit, et interpretes indicant. Septuaginta enim et Vulgatus, *Domino et Moysi,* reddiderunt.

III. Ex spe. — Spes in solo Deo pariter collocanda est: quippe qui unus sit eorum bonorum, quæ expectamus, auctor. Hinc David Psal. 61, 8 : *Spes mea in Deo est.* Psal. 90, 9 : *Tu es, Domine, spes mea,* etc. Jeremias autem, aut potiùs apud Jeremiam Deus : *Maledictus homo,* inquit, *qui confidit in homine.* At in Christum speramus, et in ipso jure confidimus, quod infinita loca Scripturæ ostendunt. Unum adduxisse sat erit ex Epistolâ 1 ad Timot. 1, 1, ubi gentium doctor : *Paulus apostolus Jesu Christi,* inquit, *secundùm imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu spei nostræ.* Ergo Christus merus homo non est, sed Deus.

IV. Ex charitate. — Proprius Dei cultus in charitate positus est, quâ eum toto ex corde diligimus propter se et alia propter eum. At quomodò diligere Deum debemus, sic et Christum; et sicut una eademque charitas est, ita idem quoque est fructus. *Si quis diligit me,* inquit Christus Joan. 14, 23, *sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Illic enim Christus de se ut de Patre ex æquo loquitur. Proinde non minùs est Deus quàm Pater.

V. Ex invocatione. — Quamvis catholica fides doceat sanctos invocandos esse, attamen certum est Deum solum invocari posse ut gratiæ auctorem. De hujusmodi verò invocatione loquitur Joel cap. 2, 32, cùm ait : *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Atqui hoc ipsum Apostolus Paulus de Christo scriptum esse definit ad Rom. 10 : *Si confitearis,* inquit, *in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; dicit enim Scriptura : Omnis qui credit in illum non confundetur..... Omnis enim qui invocaverit nomen Domini salvus erit. Quomodò ergo invocabunt in quem non crediderunt?* Ergo.

Objectiones ex Scripturis. — Quæ è Scripturis adversùs Christi divinitatem et cum Patre æterno consubstantialitatem momenta depromi possunt, ea Crellius præ cæteris fusè prosecutus est in suis de uno Deo Patre libris. Hæc autem duplicis generis sunt : alia enim affert, quibus probet solum Patrem esse Deum; alia quibus evincat Christum naturâ divinâ non esse præditum.

Objicit itaque 1° : Si solus Pater in Scripturis dicitur esse Deus, Christus profectò non est Deus, siquidem non est Pater. Atqui Pater solus in Scripturis sæpè statuitur esse Deus. — Respondeo 1° : Ad majorem distinguo : Si solus Pater dicitur esse Deus per exclusionem Filii et Spiritûs sancti, qui conjunctæ Patri personæ sunt et ejusdem cum ipso naturæ, concedo; si solus ita appellatur per exclusionem duntaxat falsorum numinum, quæ in toto orbe passim colebantur, nego. Dato igitur, non concesso, quòd in Scripturis alicubi solus Pater dicitur esse Deus, videndum adhuc superest, an vox illa, *solus*, adhibeatur ad excludendum Filium et Spiritum sanctum, an verò ad excludenda solummodò falsa illa numina, quibus vulgò Deus opponitur, et à quibus ubique sejungitur. Vox enim illa *solus*, aliæque similes non omnimodam semper exclusionem secum important, et cùm de quopiam in Scripturis dicuntur, non continuò submovent quemlibet ab eo distinctum, etiam ipsi adhærentem, conjunctum aut, ut ita lo-

(1) « Plus est, ait S. Augustinus, in psalmum 77, credere in Deum, quàm credere Deo : nam et homini cuilibet plerùmque credendum est, quamvis in eum non sit credendum. » (Ed.)

quar, subordinatum, sed frequenter alienos tantùm, ac planè ab ipso divisos, aut certos duntaxat, de quibus ibi agitur, aut qui satis ex subjecto argumento intelliguntur.

Cùm autem plurima id genus exempla adduci queant, pauca duntaxat afferemus. *Genesis* 42, 38, Jacob de Benjamin loquens, quem fratres in Ægyptum secum abducere volebant : *Non descendet*, inquit, *filius meus vobiscum, frater ejus* (Joseph) *mortuus est, et ipse solus remansit*, non quòd solus ipse è filiis Jacob remansisset, multi enim adhuc supererant; sed quòd solus è filiis Rachel remansisset. 1 Mach., 10, 70, Apollonius Cœlesyriæ præfectus Jonathanem, Judæ Machabæi fratrem, alloquens : *Tu solus*, inquit, *resistis nobis* (græcè adhuc expressiùs μονώτατος, *solissimus*), nec tamen propterea excluduntur Jonathæ fratres et milites ipsi adjuncti, sed tantùm reliqui Judæi. Matth. 11, 27 : *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius.* An ideò Pater se ipsum non novit? An ideò Filius seipsum à suî cognitione exclusit? Luc. 9, 36, post descriptam Christi coram Moyse et Eliâ, Petro, Jacobo, et Joanne transfigurationem : *Dùm fieret vox*, inquit, *inventus est Jesus solus.* An ergo planè solus erat? An non et tres Apostoli aderant? imò verò; sed excluduntur Moyses et Elias duntaxat, qui cùm priùs adfuissent, tunc evanuerant. Ibidem 10, 40, Martha de Mariâ sorore conquerens : *Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare. Solam* verò dixit, non ut excluderet servos et ancillas, sed ut excluderet sororem suam. Actorum 4, 12, Petrus de Christo verba faciens : *Non est*, inquit, *in alio aliquo salus.* An Pater excluditur? nequaquàm profectò.

Sed duo sunt præsertim loca ad propositum nostrum accommodata. Joannis 16, 32, Christus discipulis : *Ecce venit hora*, inquit, *ut..... me solum relinquatis; et non sum solus, quia Pater mecum est.* Itaque futurus erat solus et non solus; solus, habitâ ratione discipulorum qui ipsum erant relicturi; non solus, habitâ ratione Patris, qui cum eo semper futurus erat. Quidni ergo dici posset solus Pater eâdem ratione Deus, solus nempe habitâ ratione falsorum numinum; non solus, habitâ ratione Filii et Spiritûs sancti?

Deut. 32, 12, Moyses de populo Israelitico sermonem habens : *Dominus solus dux ejus fuit.* An ideò excluditur Moyses? An Angelus ille qui huic genti præfectus erat? Id certè non concedent adversarii. Quinam ergo excluduntur? Dii extranei. Unde statim subditur interpretationis gratiâ : *Et non erat cum eo Deus alienus.* Illic itaque *Dominus solus* appellatur per exclusionem extraneorum numinum, non per exclusionem aliorum quorumcumque sibi conjunctorum. Quidni itaque idem affirmari posset de his locis, in quibus solus Pater Deus dici videretur?

Respondeo 2° : Nego minorem, quæ sanè falsa est, nec vera esse posset, quin Sociniana de Christo doctrina simul everteretur. Ac primò quidem falsa est; præterquamquòd enim nullus ejusmodi è Scripturâ locus afferri potest, Christus, ut supra demonstravimus, non tantùm *Deus* esse dicitur, sed etiam *verus Deus.* Proinde solus Pater non potest esse Deus, nisi Scriptura secum ipsa pugnet; quod nemo pius agnoverit. Deinde verò Sociniani ipsi confitentur Christum esse Deum, et quidem verum. Socinus in responsione ad quatuor priora capita Wieki : « Apertè falsissimum est, inquit, nos palàm affirmare « Christum non esse verum Deum; imò contrarium publicè profitemur; et in nostris « tam latinâ quàm polonicâ linguâ non paucis « editis scriptis Christum verum esse Deum « asserimus. » Smalcius in responsione ad secundam partem refutationis Smiglecii, cap. 3 : « Christus, inquit, *Deus noster* et « *Deus verus* summo jure appellandus est, et « reipsà est. » Quod si ita est, non igitur solus Pater est verus Deus; proinde hâc in parte non tantùm cum Scripturâ, sed etiam secum ipsi pugnant Sociniani, dùm asserere conantur solum Patrem esse verum Deum.

Instat 1° : Joan. 17, 3, sic loquitur Christus : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te* (ὁ Pater) *solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Ibi de Patre pronuntiatur quòd solus sit verus Deus. Ergo. Ea enim vis est vocis hujus *solus*, ut ab ejus qui tribuitur tituli communione quemlibet submoveat, præter eum, cui titulus idem adscribitur. — Respondeo 1°, et in adversarios retorqueo argumentum. Si enim solus Pater sit verus Deus, quomodò ipsi Christum esse verum Deum prædicant? Si enim ea vis sit hujus vocis *solus*, ut quemlibet submoveat, qui non sit Pater, cùm Christus non sit Pater, idem non potest esse verus Deus; quod tamen illi profitentur. — Respondeo 2°, et aliâ ratione rursùs argumentum retorqueo. Nempe ex eo loco patet unicum esse verum Deum, qui sit

Pater. Itaque aut Filius non verus est Deus, aut idem est cum Patre Deus. Atqui ex Scripturâ et adversariorum confessione constat Christum esse verum Deum. Ergo. — Respondeo 3° posse non incommodè ita exponi hanc sententiam : *Ut cognoscant te, et quem misisti Iesum Christum, esse solum Deum verum.* Nec enim insolens est in Scripturis, ut una res de duobus simul prædicetur, et inter utrumque tamen interjiciatur; v. g., 1 Joan. 3, 10 : *Omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum.* Sic et Act. 26, 22; et Apoc. 21, 22. Ita locum hunc interpretatur Novatianus de Trinitate, cap. 24, et S. Augustinus lib. 6 de Trin. c. 9. — Respondeo 4° distinguendo antecedens : de Patre pronuntiatur, quòd sit solus Deus verus, id est, quod sit ille Deus, qui est solus verus, concedo; id est, quòd solus ipse, seclusâ quâlibet aliâ personâ, sit verus Deus, nego. Equidem primâ fronte verba Christi, prout latine leguntur, ambigua apparent, et vox illa *solus*, nisi penitùs introspicias, ex æquo ad pronomen *te*, quod in istâ propositione instar subjecti est, et ad nomen adjectivum *verum*, quod instar prædicati est, videtur posse referri. Jam vero pro variâ istâ conjunctione diversum omninò sensum efficit. Si enim connectatur cum pronomine, *te*, quo Pater exprimitur, is exsurgit nobis sensus adversus : *Ut cognoscant te, qui solus es verus Deus;* si autem cum nomine adjectivo, *verum*, aut cum his verbis, *verum Deum*, is contra sensus efflorescit : *Ut cognoscant te, qui es ille Deus, qui solus est verus Deus.* Quæ quidem duo multùm discrepant : primum enim videretur Filium à verâ divinitate excludere, alterum non item. Si enim solus Pater est verus Deus, non potest Filius simul esse verus Deus, cùm Pater non sit. At si Pater sit ille Deus qui solus est verus Deus, non continuò ac necessariò consequens est ut Filius non sit ille qui solus est verus Deus; aliud enim est Patrem solum esse divinitate præditum, aliud esse præditum eâ divinitate quæ sola vera sit. Sic cùm romanus imperator propter intestina bella aliquem in supremæ auctoritatis societatem adsciscebat, quem perduellibus regium nomen affectantibus opponeret, ut non semel factum est, si de legitimâ auctoritate in publicis aut privatis colloquiis controversia incidisset, poterat sanè quis, de illo in communionem imperii vocato loquens, affirmare eum esse præditum eâ potestate, quæ sola legitima foret; alios verò qui rebellaverant nullum habere jus imperandi. Nec tamen posset dici solus habere hanc potestatem. Ita, si quis disputet quâ ex parte jus belli legitimum foret, cùm Pompeius et plerique senatores ac reipublicæ principes viri dimicabant adversùs Cæsarem, rectè definire potest, Pompeium habuisse jus illud quod solum legitimum esset; nec tamen ideò Pompeiùs solus illud habuerit, quandoquidem illud ipsi foret cum aliis earumdem partium romanis commune. Uno verbo omnes præter Socinianos Christiani confitentur Patrem illum esse Deum, qui solus est verus Deus; neque tamen ideò excludunt Filium; imò prædicant Christum quoque eum esse eumdem verum Deum. Quocirca dispiciendum est an vox illa, *solus*, in pronomen, *te*, an in nomen adjectivum, *verum*, cadat. Nos autem hoc postremum contendimus; atque adeò in oratione Christi, propositionem esse complexam, ut logici loquuntur, cujus quidem subjectum sit simplex, nempe pronomen *te*, prædicatum verò compositum, scilicet *solum verum Deum*, quod in aliam rursùs propositionem resolvi possit ac debeat, hoc modo : *Ut cognoscant te esse illum Deum, qui solus verus est.*

Ut autem ita statuamus, multa nos adducunt. Primum petitur ex contextu græco, sic enim habet : Σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, hoc est, *te illum solum Deum verum.* Ut autem nôrunt omnes, articulus *ille* interpositus, pronomen *te*, quod antecedit, segregat ab omnibus consequentibus, quæ in unum idemque prædicatum simul includit; adeò ut, si quis enucleatiùs sententiam hanc evolvere velit, nullum aliud ex verbis ipsis sensum exsculpere queat præter istum quem assignamus : *Ut cognoscant te esse illum Deum, qui solus verus est Deus.*

Etverò rei ipsius evidentiâ coacti adversarii hanc esse legitimam orationis constructionem non dissimulant : « Non est, inquit hîc Crellius, quòd quis putet nos vocem *solius* cum « præcedente voculâ, *te*, si constructionem « grammaticam spectes, connectendam censere. Nam articulus obstat, voci μόνον præfixus. » Idem ingenuè fatetur Socinus epist. ad Radecium 2 : « Mihi videtur, inquit,..... « verba illa, *illum solum verum Deum*,..... legenda,.... ut perinde sit ac si dictum fuisset : *Qui es ille solus verus Deus;* non autem, « ut Theodoro Bezæ placet, *solum esse verum* « *Deum.* »

Secundum deducitur ex aliis Scripturæ lo-

cis. Si enim vox illa *solus* referatur ad Patrem, Filius non poterit esse verus Deus. Atqui Joannes, ut in Evangelio dixerat Patrem esse vitam æternam et solum Deum verum, ita Epist. 1, cap. 5, v. 20, affirmat Christum esse verum Deum et vitam æternam : *Hic est verus Deus*, inquit, *et vita æterna.*

Tertium, quòd si illa vox ad Patrem spectet, vita æterna in eo posita futura sit, ut Pater solus esse verus Deus agnoscatur. Proinde à salute æternâ exciderint quicumque ab Apostolorum ævo fuerunt, qui Christum ut verum Deum unà cum Patre coluêre. Quin eo etiam fiet, ut nullus è Christianis vitam æternam consecutus unquàm fuerit, aut etiamnùm consequatur. Nullus enim unquàm fuit, qui Christum pro Deo, saltem inter Catholicos, non habuerit; nullus hâc ætate est, qui non habeat, etiam inter hæreticos. Atqui id nemo admittat; multò autem minùs Sociniani ; imò verò, cùm Matthæus Radecius ex hoc loco colligere vellet, jam ab Apostolorum ætate ipsum christianæ religionis fundamentum eversum fuisse, quia à primis usque temporibus Christus ut verus Deus agnitus est unà cum Patre, Socinus epist. mox laudatâ ipsum arguit. Sed ut telum hoc vitaret, eò confugit ut candidè fateretur vocem illam *solum*, non quidem cum pronomine *te*, sed cum nomine *verum*, esse conjungendam. Hoc autem posito, nulla est difficultas, quam inde facessere nobis Sociniani possint.

Tres ergo errores his vèrbis confodiuntur. Primus est gentilium, qui verum Deum non venerabantur, sed falsa numina, Jovem, Neptunum, etc. Secundus Cerinthianorum, qui Jesum Dominum nec pro Deo, nec pro Christo agnoscebant. Tertius Socinianorum, qui plures veros Deos admittunt, Patrem videlicet, et Christum totâ naturâ suâ à Patre diversum.

Instat 2° : Perinde est si quis dicat : *Christus solus de Virgine natus est*, aut *Christus est ille qui solus è Virgine natus est*. Ergo pariter idem sonant hæ duæ propositiones : *Pater solus est verus Deus*, et, *Pater est ille Deus, qui solus verus est.* — Distinguo antecedens : Perinde est ratione materiæ et per accidens, concedo ; per se et ratione formæ, nego. Perinde ergo est si quis dicat : *Christus solus de Virgine natus est*, aut dicat : *Christus est ille qui solus ex Virgine natus est*, perinde, inquam, est ratione materiæ et per accidens, quia videlicet prædicatum non latiùs patet quàm subjectum ; at per se tamen et ratione formæ non idem est. Nam si, v. g., eodem virgineo partu Maria duos filios edidisset, posset quidem dici Christus eo partu editus, qui solus virgineus fuit; at non posset dici solus eo fuisse editus, quia partus fuisset utrique communis. At communis est divinitas. Ergo.

Instat 3° : Christus ibi distinguitur ab eo qui dicitur *solus verus Deus*. Ergo ipse non est verus Deus. — Distinguo antecedens : Distinguitur quatenùs homo et Christus, esto; omni ex parte, nego.

Objicit 2° : 1 Cor. 8, 4, sic loquitur Paulus : *De escis autem, quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, et quòd nullus est Deus nisi unus. Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terrâ (si quidem sunt dii multi et domini multi), nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia..... et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.* Ibi unus esse Deus definitur. Hic autem Pater dicitur. Ergo unus Pater est Deus. — Respondeo 1°, et in adversarios argumentum retorqueo : Ex Apostolo unus est tantùm Deus. Ergo Apostolo aperiè repugnant Sociniani, qui plures deos in christianam religionem invehunt. — Respondeo 2° : Distinguo antecedens : Hic unus Deus dicitur Pater per quamdam appropriationem, concedo ; per exclusionem, subdistinguo : Per exclusionem falsorum numinum, de quibus agebatur, concedo ; per exclusionem Filii ac Spiritûs sancti, nego. Appropriatio est, cùm nomen toti Trinitati commune cuipiam personæ peculiariter certis de causis tribuitur; sic Patri omnipotentia adscribitur, quòd totius sit fons divinitatis; Filio sapientia, quòd sit Verbum Dei et ex intellectu procedat; et Spiritui sancto bonitas, misericordia, aliaque id genus, quia per amorem producitur. Ejusmodi autem appropriatio in Scripturis frequentissima est. Porrò hic est admittenda. 1° Enim ita Pater dicitur esse *unus ille Deus*, quomodò Christus ibidem dicitur esse *unus Dominus*. Atqui, cùm Christus vocatur *unus Dominus*, id fit per appropriationem quamdam, non per exclusionem Patris; aliàs Pater non esset Dominus. Ergo nec Pater dictus fuerat *unus ille Deus* per exclusionem Filii. 2° Ex argumento ipso satis liquet Apostolum nonnisi falsa numina, de quibus ex professo sermonem habebat, excludere voluisse. 3° Quia si Pater diceretur Deus per exclusionem Filii, jam Filius non posset haberi pro Deo. At Deus ubique in Scripturis

esse definitur, et Deus à Socinianis agnoscitur. 4° Scripturæ illud in more habent ut unâ Trinitatis personâ nominatâ alias simul intelligi velint, sic Act. 4, 10, Petrus de claudo quem sanaverat loquens : *In nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni..... ille adstat coram vobis sanus.* An Pater excluditur ? Actorum 16, cùm custos carceris à Paulo et Barnabâ quæsiisset quid sibi faciendum foret ut salutem adipisceretur, illi dixerunt versu 31 : *Crede in Dominum Jesum.* An idcircò negatur fidei in Deum Patrem necessitas ? 5° Denique majores nostri ita exponendum hunc locum jam à primis seculis docuerunt. Sic v. g. Tertullianus contra Praxeam cap. 18 : « Igitur *unus Deus Pater:*..... « quod ipse inferens, non Filium negat, sed « alium Deum..... Denique inspice sequentia « hujusmodi pronuntiationum, et invenies « ferè ad idolorum factitatores atque cultores « definitionem earum pertinere, ut multitudi- « nem falsorum deorum unio divinitatis expel- « lat, habens tamen Filium, » etc. Ibidem, cap. 13, postquàm probaverat Patrem esse Deum, et Filium Deum quoque esse, animadvertit, licet uterque sit Deus et ita vocari possit, attamen distinctionis causâ cùm simul appellandi sunt, satius esse si Pater *Deus,* et Christus *Dominus,* per appropriationem vocetur : « *Deos,* inquit, omninò non dicam, nec *Domi-* « *nos,* sed Apostolum sequar, ut si pariter no- « minandi fuerint Pater et Filius, *Deum* Pa- « trem appellem, et Jesum Christum *Dominum* « nominem ; solum autem Christum potero « *Deum* dicere, sicut idem Apostolus : *Ex* « *quibus Christus, qui est,* inquit, *Deus super* « *omnia benedictus in ævum omne.* » Ita etiam Origenes in Epist. ad Rom. 9, 5 : « Miror, in- « quit, quomodò quidam legentes quod Apo- « stolus dicit : *Unus Deus Pater, ex quo omnia,* « *et unus Dominus Jesus Christus per quem om-* « *nia,* negent Filium Dei Deum debere profi- « teri, ne duos Deos dicere videantur. Et quid « de hoc loco Apostoli facient, in quo apertè « Christus super omnia Deus esse perscribi- « tur ? Sed non advertunt qui hoc ita sentiunt, « quòd sicut Dominum nostrum Jesum Chri- « stum non ita unum esse Dominum dixit, ut « ex hoc Deus Pater non esse Dominus dica- « tur ; ita etiam Deum Patrem non ita unum « Deum esse dixit, ut Dei Filius non credatur « (Deus) ; unus autem uterque est Deus. »

Cæterùm, nedùm hic locus nobis officiat, multa contra in Christi divinitatis et cum Patre consubstantialitatis gratiam argumenta ex eo erui possunt. 1° Enim Apostolus ibi decernit non esse Christianis nisi unum Deum, qui sit Pater. Proinde Christus aut non est Deus, aut est unus idemque cum Patre Deus. At Christus certè est Deus. Ergo, etc. 2° Apostolus explicans quis ille sit Deus unus, qui à Christianis colitur, Patrem nominat et Christum. Ergo Pater et Christus sunt unus ille Deus, qui loco falsorum numinum à Christianis adoratur.

3° Paulus idem ut demonstret non esse alium Deum nisi unum, hanc allegat rationem, quòd nempe non sit nisi unus Deus, Pater, et unus Dominus Jesus Christus. Ergo ambo pro uno eodemque Deo habuit ; aliàs non modò frustra de Christo sermonem injecisset, sed etiam secum ipse pugnâsset. Si enim Christus non est idem cum Patre Dominus ac Deus, hæc Christi allegatio non unum Deum ac Dominum, sed duos Deos ac Dominos arguit. 4° Apostolus illic *Dei* ac *Domini* nomina promiscuè usurpat, iisque personas intelligit divinitate præditas ; hinc falsa numina *Deos* quidem ac *Dominos* dici, at tales non esse affirmat. Sicut ergo cùm negat falsa numina esse Deos aut Dominos, ipsis divinitatem falsò affictam detrahit ; ita cùm Patrem Deum et Christum Dominum esse postea statuit, his vocibus eos verâ esse præditos divinitate significavit. 5° Tam is per quem omnia facta sunt, est Deus, quàm is ex quo omnia. Atqui, juxta Apostolum, per Christum facta sunt omnia, sicut ex Patre omnia prodierunt, et in eo uterque falsis numinibus opponitur, à quibus mundus non est factus.

Jam verò, si quis scire cupiat, cur Apostolus Patrem vulgò nominet *Deum,* Christum verò *Dominum nostrum,* ratio expedita est. Scilicet Paulus ad salutis ac redemptionis nostræ respicit œconomiam ; quo in negotio peculiari quâdam ratione Pater Dei personam sustinuit ; Filius verò *Domini* nomen sibi peperit. Nempe humanum genus Adami peccato, suisque flagitiis, in offensionem Dei et dæmonis servitutem inciderat. Cùm autem homines liberare, sed legitimâ satisfactione præstitâ, vellet Deus, quod solus poterat, tria in humani generis instauratione occurrere debuerunt 1° Enim oportuit esse qui Dei offensi personam agens, hominum loco vadem præberet et acciperet, et cui idonea satisfactio penderetur. 2° Alterum accedere par fuit, eumque pariter Deum atque infinitæ dignitatis, qui mediatoris vices obiens pretio pro nobis soluto, miseros è dæ-

monis jugo erueret, et in Dei gratiam restitueret. 3° Consequens erat, ut gratiâ per mediatorem promeritâ homines donarentur, et necessariis auxiliis adjuti, ad Deum reducerentur in cœlum unde exciderant. Hæc omnia pro infinitâ suâ benignitate, in se suscepit unus Deus Pater, Filius, et Spiritus sanctus; triaque ista munia, si ita loqui fas est, tres illæ personæ divinæ quadamtenùs inter se partitæ sunt. Pater ergo Dei personam retinuit in admirabili hâc salutis nostræ œconomiâ, et proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Filius idem carne assumptâ mediator Dei et hominum factus, pro nobis mortuus est et Ecclesiam acquisivit sanguine suo. Spiritus autem sanctus, Filio post mortem in cœlum regresso, in mediatoris locum, ut alius Paracletus venit, qui Ecclesiam sanctificando, roborando, consolando, opus hoc eximium ad optatum finem perduceret. Atque hæc causa est cur Pater æternus, qui naturâ suâ Deus est, hoc in negotio peculiari ratione *Deus* appelletur; cur Filius, qui naturâ suâ omnium supremus Dominus est, novo titulo *Dominus noster* vocetur; cur denique Spiritus sanctus qui, utpote Deus, naturâ suâ Spiritus sanctus est, ita quoque dicatur, eò quòd Ecclesiæ sit sanctificator, omnisque gratiæ auctor. Ita factum est ut totum salutis nostræ opus uni Deo deberemus. Hinc autem liquet quo pacto nomina *Dei, Domini,* et *Spiritûs sancti,* quæ per se toti Trinitati communia sunt, singulis tamen personis fuerint attributa, seu, ut loquuntur scholæ, appropriata.

Instat 1° : Versu 4, cùm ait Apostolus : *Scimus.... quòd nullus est Deus nisi unus,* nomen *Dei* essentialiter et adæquatè sumit. Ergo, cùm postea subdit : *Nobis tamen unus Deus Pater,* eodem modo vocem illam usurpat, ac proinde Pater divinitatem exhaurit. — Nego consequentiam. Versu enim 4, *Deum* absolutè, essentialiter et adæquatè dixit; sed postmodùm vocem hanc restrinxit ad Patrem, eamque personaliter et appropriativè usurpavit. Id autem patet ex Apostoli ratiocinio. Cùm enim priùs dixisset absolutè non esse alium Deum, nisi unum, hoc generale pronuntiatum in partes veluti distribuit ac per partes probat : 1° nempe quia unus est Deus Pater, ex quo omnia; 2° quia unus Dominus per quem omnia ; ergo nomen *Dei* in orationis fronte latiùs quàm in consequentibus patet.

Instat 2° : At Christus distinguitur ab uno illo Deo. Ergo non est Deus. — Distinguo antecedens : Distinguitur ab uno illo Deo per appropriationem ita dicto, id est, à Patre, concedo; ab uno illo Deo absolutè, nego. Pari enim ratione sic arguere possemus : Deus Pater ibi distinguitur ab eo qui *Dominus* nuncupatur. Ergo ipse Dominus non est. Quid ad hæc Sociniani? nos idem reponemus. Objicit 3° : Apostolus idem Epistolâ ad Ephesios, c. 4, eos ad servandam unitatem spiritûs hortans, inter alia unitatis hujus incentiva, hæc affert versu 4 : *Unus Spiritus,* inquit ; versu 5 : *Unus Dominus ;* versu 6 : *Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et super omnia, et in omnibus nobis.* Ergo Pater est Deus, et ita solus dicitur, in eoque à Filio et Spiritu sancto secernitur. — Distinguo consequens : Ita solus dicitur per appropriationem, concedo ; per exclusionem, nego. Tria ista ibi distinctis personis non attribuuntur per exclusionem cæterarum ; aliàs Spiritus sanctus non esset Deus; Pater quoque nec Spiritus esset nec Dominus. Distribuuntur itaque duntaxat per appropriationem; reipsà autem Spiritus sanctus distinguitur ab eo, qui per appropriationem dicitur *Dominus,* nempe Christo; sicut Christus secernitur ab eo, qui per appropriationem vocatur *Deus,* nempe Patre. Cæterùm, sicut Pater reverà Spiritus est, licet ab eo distinguatur, qui peculiari ratione vocatur *Spiritus;* et sicut reverà Dominus est, licet ab eo distinguatur, qui *Dominus* proprio titulo nominatur; sic Christus reipsà Deus est, licet ibi distinguatur ab eo qui *Dei* nomine insignitur.

Responderi etiam posset totam simul Trinitatem his singulis vocibus, *Spiritûs, Domini* et *Dei,* designari. Tota enim Trinitas, seu trinus Deus, Spiritus est, ac Dominus et Deus, et Pater omnium. Joan. 4, 24 : *Spiritus est Deus.* Marci 12, 29 : *Dominus Deus tuus, Deus unus est ;* Matth. 6, 9 : *Sic ergo vos orabitis : Pater noster, qui es in cœlis.* Atque hoc ad commendandam unitatem facit, quòd unus idemque sit simul et Spiritus, et Dominus, et Pater.

Objicit 4° : Christus in Scripturis passim à Deo distinguitur. Filius enim ab eo distinguitur, cujus est Filius. At Christus vulgò *Filius Dei* appellatur. Sic Act. 3, 13 : *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum.* Ergo non est ipse Deus Abraham, etc., uno verbo Deus Israelitarum. Sic et Joan. 1, 1, dicitur *fuisse in principio apud Deum;* et Philipp. 2, *æqualis Deo.* — Distinguo antecedens : Distinguitur à Deo personaliter sumpto, hoc est, à

Patre, concedo; essentialiter sumpto, nego. Nomen igitur *Dei* non uno in Scripturis accipitur modo; vulgò enim significat communiter et absolutè eum qui simpliciter naturâ præditus sit divinâ, aliquando autem ad personam certam restringitur. Priori modo Christus sæpè vocatur *Deus*, et quidem *Israelis Deus*, *Deus Abraham*, etc., ut supra demonstravimus. Posteriore autem sensu à Deo distinguitur, quatenùs nomen *Dei* Patri speciatim tribuitur. Idem ergo Deus est et Filius Dei. Imò eo ipso quòd Filius Dei est, verus nimirùm, unicus, ac proprius, eo, inquam, ipso Deus esse debet; omnis enim filius patri suo est consubstantialis.

Instat : At Scriptura, cùm eas exponit causas, cur Christus *Filius Dei* dicitur, illas ab iis repetit, quæ Christo homini conveniant (1).

Sic Lucæ 1, 35, Angelus Mariam alloquens : *Spiritus sanctus*, inquit, *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideòque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

ubi ait : « Sanè cùm Spiritus sanctus in Mariam supervenit, ac virtus Altissimi obumbravit ei, nihil aliud egit Pater, quàm ut Unigenitum, quem in sinu gerebat, in Mariæ quoque sinum funderet, et novo modo gigneret; unde infert Angelus : *Ideòque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Filius utique non adoptivus, sed proprius ac genuinus Dei Filius. »

Textus secundus, qui nempe ex Joan. 10 sumitur, infra explicabitur object. 11.

Quod attinet ad tertium textum ex Actibus Apostolorum 13, 33, non magis quàm præcedentes, Crellio favet : si enim objiciat S. Paulum generationem et filiationem Christi ex ejus resurrectione repetere, respondebimus : Disting. : Quia resurrectio est æternæ Christi generationis demonstratio, vel etiam continuatio, conced.; quasi resurrectio sit ipsa et sola Christi generatio, neg. Igitur si S. Paulus Christi generationem et filiationem ex resurrectione repetere videatur, ratio est, tum quia resurrectio est non ambigua manifestatio et declaratio æternæ generationis; nullum enim aliud firmius afferre potuit Christus, neque attulit, suæ divinitatis argumentum, quàm suam resurrectionem, ut omnes nórunt; tum quia resurrectio est veluti æternæ ipsius generationis continuatio et progressus, seu nova quædam generatio, ex priori quasi necessariò fluens; nam cùm Christus, ratione æternæ generationis, Filius Dei vivi esset, imò verò et ipsa vita, necesse fuit ut post mortem suam novâ vitâ donaretur; jam verò divina hæc operatio quâ Pater Filium à mortuis excitavit, appositè generatio quædam esse dicitur, quippe quæ veræ generationis est quasi imitatio ac iteratio; sicut enim per æternam generationem Pater vitam Filio communicat, ita per resurrectionem ipsi vitam restituit. Vide Theol. Cursûs compl. tom. 9, col. 1110 et 1111; item Bossuetium, Suppl. in psalmum 2.

Verùm falsò prorsùs asseritur filiationem et generationem Christi ex ipsâ et quidem solâ resurrectione repetendam ab Apostolo prædicari. Quod adeò extra dubium est, ut ipse S. Paulus, Hebr. 1, 5, verba illa, *genui te*, ad veram æternamque generationem referat, iisdemque utatur ad demonstrandam Christi excellentiam ac præstantiam supra omnes cujuslibet generis et gradûs creaturas, tum denique ipsius divinitatem. Et inde factum est ut omnes SS. Patres qui hæc verba ad Christi resurrectionem accommodant, ex iisdem nihilosciùs Christum esse verum atque unicum Dei Filium, adeòque verè et propriè à Patre genitum affirment.

Aliter tamen locum hunc nonnulli interpretes exponunt; at eorum interpretatio magis etiam causæ Socinianæ nocet quàm præcedens. Existimant enim illi doctores hæc verba : *Sicut et in psalmo secundo scriptum est : Filius meus es tu; ego hodiè genui te*, non ad proximè antecedentia, id est, *resuscitans Jesum*, rele-

(1) Textus Scripturæ ad probationem allatos, à falsâ interpretatione et applicatione vindicare non ita difficile est. Quod spectat locum ex S. Lucâ depromptum planè exponitur tomo 9 Cursûs theol. col. 1126 et seq.; vide etiam, si libet, Bossuetium, instruct. 1 in version. novi Testamenti; Trevolti, Observ. in præfat. 1; item Petavium, lib. 3, cap. 6, n. 2, etc., denique Jansenium Gandav. Concord. Evang. cap. 3. Omnibus interpretationibus quæ his in locis luculentissimæ reperiuntur, unam addere juvat, quæ non improbabilis apparet; ita verò se habet : *Spiritus sanctus superveniet in te*, nempe ut nuptialem thalamum per abundantiorem sanctitatis infusionem æterno Patri præparet, atque subinde in utero tuo virum illum fingat, quem tot oracula prænuntiârunt et promiserunt Salvatorem; *et virtus Altissimi obumbrabit tibi;* id est, Pater æternus te in sponsam assumet, divinâque suâ virtute ac fœcunditate tibi quasi incubabit, ut Filium suum, quem *in splendoribus sanctorum ante luciferum genuit*, novâ quâdam ratione generet, illum videlicet in sinum tuum effundens, atque hypostaticè conjungens cum homine quem Spiritus sanctus plasmaverit, *ideòque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*; id est, hypostaticæ hujus unionis virtute, homo ille sanctus qui ex te nascetur, Filius Dei vocabitur et erit. In hâc igitur expositione verbum, *vocabitur*, Christo homini applicari debet, non ratione quidem solius sanctitatis, aut etiam plasmationis suæ à Spiritu sancto, sed ratione unionis hypostaticæ et communicationis proprietatum. Quæ quanquàm mysticè et obscurè ab angelo significata sunt, ut tantum decebat mysterium, tamen ab eâ quam alloquebatur gratiâ plenâ Virgine absque dubio intelligebantur; sive quòd apprimè perspectum haberet consentaneum admodùm esse, ut, si Deus feminæ obumbrare et veluti incubare dignaretur, id non ageret nisi ad Filium suum unigenitum novo quodam modo generandum; sive quòd divini luminis radio de verborum sensu edocta fuerit, ut vix dubitari potest. Bossuet. Suppl. in psalmum 2, explicationem proponit quæ ab hâc nostrâ non videtur discrepare,

Joan 10, 36 : *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum,* inquit Christus, *vos dicitis quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum.* Act. 13, 33 : *Hanc (repromissionem) Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est : Filius meus es tu; ego hodiè genui te.* Rom. 1, 4 : *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum.* Proindè ob sanctitatem, mirabilem ortum, cœlestem missionem et resurrectionem Christus est Filius Dei, non verò ob æternam generationem. — Distinguo antecedens : Illas, sed non omnes, repetit à Christi humanitate, esto; omnes, nego. Quamvis hæc Scripturæ loca longè aliam patiantur aut postulent interpretationem, quàm quæ ipsis à Crellio affingitur ; quia tamen longum esset de singulis fusiùs disserere (de quo illustrissimum Bossuetium vide et Pearsonium) esto quod contendit Crellius has afferri causas cur Christus *Filius Dei* nuncupetur ; alia profectò non excluditur, quòd nimirum ex ipsâ Dei substantiâ genitus sit ab omni æternitate, quam alibi eædem Scripturæ commemorant, ut Psal. 109, 3: *Ex utero ante luciferum genui te.*

Objicit 5° : Mediator Dei et hominum à Deo distingui debet. Atqui Christus est mediator Dei et hominum ; 1 Tim. 2, 5 : *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Ergo ipse non est Deus ; alioqui suî ipsius mediator foret. Distinguo minorem : Christus est mediator quatenùs homo est, concedo (1) ; quatenùs Deus, subdistinguo : Inter Deum Patrem et homines, concedo ; inter Deum communiter et adæquatè sumptum et homines, nego. Ut Christus mediator esset, debuit quidem esse Deus ; ad idoneam enim satisfactionem opus fuit infinitâ dignitate ; sed tamen mediatoris partes, quatenùs homo, propriè obiit. Hinc *mediator homo Christus Jesus* ab Apostolo dicitur ; quod et Patres docent, inprimis verò Cyrillus lib. 1 Dialog. de Trinit. « Cùm dicitur mediator, inquit, « non est putandum nomen istud, unigeniti « indicare substantiam, absit ; sed illud trans- « fer potiùs ad obedientiam Christi. » Et lib. 11 in Joan. : « Mediator est, inquit, ut homo. » Quòd si ita est, mediator esse potuit homines inter et Deum communiter et adæquatè spectatum. Sed si mediatoris officium ad Christi personam ipsam pertinere existimetur, et satisfactio debeat esse necessariò ad alterum, id est, ad alteram personam, ut vulgò volunt, tunc Christus mediatorem non egit, nisi inter homines et Deum Patrem ac Spiritum sanctum, à quibus distinguitur. Sed de hoc alibi.

Objicit 6° : Pontifex à Deo distinguitur. Atqui Christus non solùm pontifex fuit, sed etiam ad sacerdotium à Deo vocatus est. Hebr. 5, 5 : *Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu ; ego hodiè genui te.*— Distinguo minorem : Pontifex fuit ut homo, quâ parte sacrificium et victimam obtulit, concedo ; secùs, nego. Quòd enim pontifex ut homo fuerenda esse, quasi resurrectionem probarent, sed ad paulò superiùs dicta, nimirùm, *et nos vobis annuntiamus eam quæ ad Patres nostros repromissio facta est,* ut demonstrent Jesum Christum Filium Dei naturalem esse, proindeque Deum, utpotè in quo adimpletum est quod Deus promiserat, se proprium filium, hominem factum, missurum salvatorem mundi. Igitur, juxta hanc expositionem, non improbabilem quidem, 1° Apostolus probat Christum illum esse Filium Dei æternum, de quo in psalmo 2 scriptum est, ex eo quòd Deus ipsum à mortuis excitavit; 2° hanc ipsam resurrectionem veram esse ac indubitatam, utpote Deo auctore prænuntiatam demonstrat ex Isaiæ cap. 55, vers. 3, et psalmi 15 vers. 10. Hic autem est naturalis, sublatâ inversione, verborum ordo : *Et nos vobis annuntiamus eam quæ ad patres nostros repromissio facta est, sicut et in psalmo secundo scriptum est : Filius meus es tu; ego hodiè genui te; quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum. Quòd autem suscitavit eum à mortuis,* etc. Vide Corn. à Lap. in hunc locum.

Tandem quartus et ultimus textus, Rom. 1, 4, luculenter exponitur et explanatur in tomo 9 Cursûs theol., col. 1132 et seq.

(Ed.)

(1) Planiùs atque accuratiùs responderetur : Distinguo majorem : Mediator Dei et hominum à Deo distingui debet, secundùm quid, concedo ; omninò et simpliciter, adeò ut nihil cum eo commune habeat, nego. Atqui Christus est mediator Dei et hominum, distinguo : Quatenùs Homo-Deus, concedo ; quatenùs homo tantùm, nego. Igitur palàm est mediatorem Dei et hominum à Deo secundùm quid debuisse distingui; alioquin mediatoris functiones obire non potuisset, tum quia hujusmodi officium naturæ divinæ in se spectatæ repugnat, tum quia apud se intercessor existere nemo potest. At non minùs certum est mediatori Dei et hominum necessariam fuisse naturam divinam ; si enim dignitas infinita mediatori defuisset, idonea fieri non potuisset satisfactio. Quapropter Christus mediator fuit, non solùm quatenùs Deus, neque etiam quatenùs homo duntaxat, sed quatenùs Homo-Deus ; videlicet natura humana opera quidem satisfactoria peragebat ; ipsis verò operibus infinitus quidam valor ex naturâ divinâ affundebatur. Vide Theologiæ Cursûs tom. 9, col. 999 et 1000, item ibid. col. 920 et seq. (Ed.)

rit, apertè indicat Apostolus versu 1, sic aiens: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus*, etc. Vide Athanasium orat. 3.

Objicit 7° : Non semel Christus cùm in veteri, tùm in novo Fœdere factus et creatus esse definitur. Eccli. 24, 14, Sapientia, id est, Christus, ita de se loquitur : *Ab initio et ante secula creata sum.* Act. 2, 36 : *Certissimè sciat omnis domus Israel*, inquit Petrus, *quia et Dominum eum et Christum fecit Deus, hunc Jesum quem vos crucifixistis.* Rom. 1, 3 : *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.* Gal. 4, 4 : *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Hebr. 1, 4 : *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit.* Cap. 3, 1 : *Considerate Apostolum et Pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei qui fecit illum.* Ergo Christus creatura est.—Distinguo antecedens : Creatus esse aut factus dicitur, quatenùs homo, concedo ; omni ex parte, subdistinguo : Creatus, id est, genitus, concedo : id est, de nihilo eductus, nego. Christus ergo, cùm Deus sit et homo, simul creatus est et increatus, factus et non factus. Quod Ignatius Martyr et Tertullianus supra observant; factus, secundùm naturam humanam ; non factus, secundùm divinam. Atque hoc ipsum Scripturæ significant. Joannes enim cap. 1 ita Verbum describit, ut apertè indicet ipsum non esse factum, cùm ab ipso contra facta sint omnia quæ facta sunt, et sine ipso nihil factum sit eorum quæ facta sunt. At profectò se ipse non fecit. Non ergo est è creaturarum numero. *Factus* tamen alibi dicitur Christus ; sed ea restrictio intelligenda est, quam Paulus disertè notat, dùm ait : *Factus est ei ex semine David, secundùm carnem*, quod et legitur ibidem, cap. 9, 5 ; et Act. 2, 30.

Sed ut paucis singula, quæ modò allata sunt, Scripturæ loca expediamus, Eccli. 24, 14, *creandi* vocabulum impropriè sumitur, et idem est quod *generandi*. Nam *creare* idem est sæpè quod *gignere*. Et id quidem apud latinos scriptores frequentissimum esse nemo est qui ignoret ; apud Græcos autem quamvis hæc vulgò secernantur, aliquando tamen in Scripturis ex septuaginta Interpretum usu promiscuè accipiuntur. Ita Deut. 32, 18, et Psal. 89 seu 90, versu 2, creatio *generationis* voce exprimitur. Contra autem Prov. 8, 22, divinæ Sapientiæ generatio *creationis* nomine explicatur apud septuaginta Interpretes. Utrumque ergo vocabulum adhibetur ; et passim qui dem *generationis*, utpote magis proprium, ad ostendendam ejusdem naturæ in Patre et Filio communionem ; *creationis* autem, ut æterna illa generatio mutationis omnis et motûs expers esse intelligatur. Super eo consule Hilarium de Synodis, ad anathema 5 ; Hieronymum ad caput 4 Epist. ad Eph. ; Augustinum de Fide et Symbolo, cap. 4 ; et Petavium lib. 2, cap. 1.

Actorum 2, 36, Petrus de Christo loquitur ratione humanitatis spectato ; quo sensu rectè statuitur *factus esse Dominus et Christus*, id est, unctus. Hominem autem demonstrant verba consequentia, *quem vos crucifixistis*, ut acutè animadvertunt Athanasius cap. 3 ; Ambrosius lib. 1 de Fide, cap. 7. Rom. 1, 3, exceptio manifesta est ; postquàm enim Apostolus dixit *Christum esse factum*, ut compertum esset quâ parte factus esse pronuntiaretur, statim addidit, *secundùm carnem*, ne quis falleretur. Gal. 4, 4, duo distinguuntur. 1° Enim Christus missus esse à Patre statuitur ; deinde factus esse ex muliere. Ergo erat antequàm fieret ex muliere. Hebr. 1, 3, verba facit Paulus de eo, qui in Christo erat, homine, qui ad hypostaticam cum Verbo conjunctionem evectus, Filius Dei effectus est istâ conjunctione, Filius, inquam, naturalis, quia unus et idem cum Verbo. Hebr. 3, 1, Deus dicitur fecisse Christum, sed pontificem, quod ad humanitatem pertinet, et verissimum est.

Instat : Ergo Christus suî ipsius conditor fuit.—Distinguo consequens : Christus ut Deus suî ipsius ut hominis, seu humanitatis suæ, conditor fuit, concedo ; suî ipsius absolutè, nego. At quòd Christus naturam humanam, quam assumpsit, priùs creaverit, nihil in eo est absurdi.

Objicit 8° : Quamplurima sunt in Scripturis loca, quæ arguant Christum esse Patre inferiorem. 1° Enim Joan. 14, 28 : *Pater major me est*, inquit ipse Christus. 2° Ibidem, versu 31 : *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Ad Philipp. 2, 8 : *Factus obediens usque ad mortem.* Ad Hebr. 5, 8 : *Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit, ex iis quæ passus est, obedientiam.* 3° Joan. 20, 17 : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Matth. 27, 46 : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* Eph. 1, 17 : *Deus Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ.* 4° 1 Cor. 3, 23 : *Vos Christi, Christus autem Dei.* 5° Ibidem, cap. 11, 3 : *Omnis viri caput Christus,..... caput verò*

Christi Deus. 6° Ibidem, cap. 15, 24 : *Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo et Patri.....* Versu 25 : *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.* Versu 28: *Cùm subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* 7° Hebr. 5, 7 : *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ.* Ergo Christus non est Deus.

Distinguo antecedens : Aliquâ ex parte, hoc est, habitâ ratione humanæ naturæ, concedo ; omni ex parte, nego. Itaque isthæc omnia adversùs catholicam fidem nihil faciunt ; imò ex parte eam adstruunt. Profitemur enim Christum hominem ac Deum simul esse, æqualem Patri simul et eo inferiorem. Arguunt loca mox adducta inferiorem esse ; æqualitatem verò eadem aut alia præ se ferunt, quæ supra retulimus. Sed ut quæ opponuntur enucleatiùs solvamus, 1° Joan. 14, 28, cùm ait Christus : *Pater major me est,* perspicuè loquitur de se ut homine. *Si diligeretis me,* inquit, *gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.* At non erat ascensurus in cœlum, nisi ratione humanitatis, quia nonnisi ratione ejusdem humanitatis (1) dictus est descendisse de cœlo, ipse interim in cœlo manens ratione divinitatis, ut colligitur ex Christi verbis Joan. 3, 13. Fuerunt tamen ex antiquis non pauci, qui hanc Christi locutionem : *Pater major me est,* de Christo ut æterno Dei Filio interpretati sint, quia Pater est Filii principium, eòque *major* idcircò vocari aliquatenùs potest : de quo Petavius lib. 2 de Trinit., cap. 2, et Bullus in Defensione fidei Nicænæ. 2° Obedit Christus quatenùs homo, quod loca ipsa, quæ objiciuntur, significant. Ad Philipp. enim cap. 2, vers. 8, dicitur Christus 1° fuisse in formâ Dei, postea autem formâ servi assumptâ, factus obediens usque ad mortem. Ergo æqualis est simul et inferior ; æqualis propter Dei formam, inferior propter formam servi acceptam. Similiter Hebr. 5, 7, dicitur Christus ex iis, quæ passus est, obedientiam didicisse, cùm tamen aliâ ex parte esset Filius Dei. Tacita enim illic oppositio est inter naturalem Filii Dei statum et consecutam servi obedientis conditionem. Ita denique Joan. 10, 17 : *Ego* inquit, *pono animam meam, ut iterùm sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso. Et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterùm sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Proinde unâ ex parte Christus non pendebat à quoquam ; ex alterâ autem Patri subditus fuit. 3° Christus ut homo loquitur, cùm Patrem appellat *Deum suum:* Joannis enim cap. 1, vers. 17, humanam naturam suam ob oculos discipulorum ponebat, cùm aiebat : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum ;* se enim cum discipulis suis comparat. Præterea solius hominis esse potuit ascendere in cœlum. Cætera eodem modo explicanda. 4° Christus dicitur *esse Dei* hâc ipsâ de causâ, quanquàm Verbum possit dici *esse Dei Patris.* 5° Eadem quoque ratio est, cur Deus dicitur *Christi caput.* 6° Res est paulò difficilior. Ex Apostoli enim verbis consequens videri posset ad mundi duntaxat finem regnaturum esse Christum, sed cùm finis iste advenerit, ipsum regno cessurum, ac deinceps unà cum reliquis omnibus Patri subjectum fore. Sed ista non sic accipienda sunt. Certum est enim Christi regnum, non modò quatenùs Deus est, sed etiam quatenùs homo est, æternum fore, ut liquet ex Danielis cap. 2, vers. 44 ; cap. 7, v. 14 ; Mich. 4, 7; Luc. 1, 33, etc. Atque id Ecclesia in symbolis profitetur, et Patres idem docuerunt : Origenes tract. 30 in Matth., cap. 24, et in Psal. 36 ; Gregorius Thaumaturgus in Confessione fidei ; Hilarius in Psal. 148 ; Ambrosius lib. 5 de Fide cap. 7, etc. Itaque apud Apostolum *regnare* est illam regni potestatem exercere, quæ hinc quidem in colligendis, juvandis, roborandis, servandis fidelibus ; illinc verò in profligandis inimicis posita est ; hanc enim potestatem exercebit Christus ad diem usque judicii ; postea verò regnum suum, id est, Ecclesiam, ut antiqui ac novi interpretes exponunt, omni ex parte Patri æterno tradet. Tunc ergo non ampliùs hostes debellabit et triumphos aget ; sed bellis imposito fine, pacatisque omnibus, ipse cum Ecclesiâ, cujus est caput, subjectus erit Deo ; ita ut exinde Deus sit omnia in omnibus, cùm ad illud usque tempus semper fuisset aliqua pars corporis Christi Deo non subjecta. Cæterùm, ut Deus non desiit esse rex, cùm hujusmodi regnum et potestatem Christo concessit;

(1) Non sanè quòd humana Christi natura è cœlo descenderit, sed eo sensu quòd Verbum Dei sub humanâ specie sese in terris quasi visibile præbere incœpit. Idcircò in mente auctoris hæc verba, *ratione humanitatis*, idem sonant ac, *ratione humanitatis assumptæ*, seu ratione assumptionis humanæ naturæ.

(Ed.)

sic rex esse non desinet Christus, cùm tradiderit regnum Deo et Patri. De quo lege illustrissimum Bossuetium in dissert. 1 adversùs Simonium. 7° Nihil est quod remoretur. De carne enim et diebus carnis conceptis verbis mentio fit. Nihil autem est cur Christus ut homo, Patrem non rogaverit; sed ita rogabat tamen, ut aliunde eadem omnia per se haberet quæ à Patre postulabat. Joan. 16, 15 : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt,* etc.

Objicit 9° : Christo ignorantia tribuitur. Matth. 24, 36, de die judicii loquens Christus : *De die autem illo,* inquit, *et horâ nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Marci verò 13, 32 : *De die autem illo vel horâ nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Atqui in Deum ignorantia non cadit. Ergo, etc. — Distinguo majorem : Christo tribuitur ignorantia, ut Deo, nego; ut homini, subdistinguo : Ex naturæ humanæ, quantumvis eximiæ et excellentis, conditione, concedo; simpliciter, nego. 1° Itaque cùm Christum simul Deum et hominem esse demonstraverimus, ex eo quòd aliquid nescisse dicatur Christus, quod adstruximus convelli non potest. Posset enim dici Christus aliquid ignorare quatenùs homo, quamvis omnia ut Deus nôsset; quemadmodùm eâ ex parte Patrem se majorem dixit, quamvis ex alterâ ipsi æqualis foret. Alia ergo momenta quærenda sunt, quibus Christi divinitas evertatur. Quamdiù enim immota stabunt quæ attulimus, nihil ex ignorantiâ illâ contra Christi divinitatem conficietur. 2° Is locus reverà de Christo quatenùs homine intelligendus est. Ita enim interpretantur non modò Athanasius orat. 4; Eustathius Antiochenus lib. 6 adversùs Arianos, apud Facundum lib. 2; Gregorius Nazianzenus orat. 36; Hilarius lib. 9 de Trinit.; Cyrillus lib. 22 Thesauri; Theodoretus in confutatione anathematismi 4, et alii; sed etiam ante exortas hâc de re controversias, Irenæus lib. 2, cap. 49, etc. 3° Hoc ipsum de Christo ut homine non ita accipiendum est, quasi mens humana Christi id ignoraverit. Sciebat enim illam diem; quod multis argumentis Patres antiqui confirmant. 1° Enim Petrus apud Joannem, cap. 21, vers. 17, *Domine,* inquit, *tu omnia nôsti.* 2° Dies ultima judicii passim appellatur in Scripturis, *dies Domini,* seu *Christi.* Quis autem credat Christum diem suam nescivisse, præsertim cùm beati ea omnia nôrint quæ ad ipsos pertinent? 3° Pater per Christum fecit secula, Hebr. 1. An verisimile igitur est ipsum, etiam ut hominem, ignorâsse quandonam essent desitura? 4° Omnia diei illius adjuncta, omnesque, ut loquuntur, circumstantias apertè prædixit; horam, Luc. 17, 31; locum, Matth. 24, 28, etc., signa et causas, Luc. 21, 25, etc.; quod expendens Ambrosius lib. 5 de Fide cap. 16, num. 204 : « Quomodò « nescivit judicii diem, qui et horam prædixit, « et locum, et signa expressit ac causas? » Non ergo loquitur ita Christus, quòd id ut homo simpliciter ignoraret; sed quòd hanc scientiam ex humanæ suæ naturæ, quantumvis excellenti, conditione non haberet. Comprimere enim volebat inconsultam discipulorum curiositatem, qui hanc diem scire cupiebant. Ad eam verò compescendam significat arcanum illud ejusmodi esse, ut nec Angeli ipsi compertum illud habeant, imò nec Filius hominis id ex naturæ suæ conditione cognoscat; quod Gregorius Magnus epist. 42, acutè notat et disertè exponit : « In naturâ quidem humanitatis no- « vit diem et horam, inquit, non ex naturâ « humanitatis novit. Ideò scientiam, quam ex « naturâ humanâ non habuit, in quâ cum An- « gelis creatura fuit, hanc se cum Angelis ha- « bere denegavit (1). »

Instat : Atqui omni ex parte diem hanc ignoravit Christus; hanc enim scire dicitur solus Pater. At Christus non est Pater. — Nego subsumptum. Ad probationem distinguo majorem : Hanc diem dicitur scire solus Pater per exclusionem creaturarum, concedo; per exclusionem Filii et Spiritûs sancti, nego. 1° Enim Filius testatur se omnia habere quæ habet Pater, Joan. 16, 15. Si ergo Pater hanc

(1) Alii dicunt Christum, quatenùs legatum Dei et ad docendos homines missum, judicii diem ignorâsse. Ita S. Augustinus, Psalm. 36: « Quia Dominus noster Jesus Christus, inquit, « nobis missus est, etiam filium hominis dixit « nescire illum diem, quia in magisterio suo « non erat, ut per eum sciretur à nobis. » Quæ quidem restrictio ipsos latere non potuit discipulos, quibus aliundè notum erat Christum omnia, et præsertim judicii diem, cujus vel minutissimas circumstantias sigillatim prædixerat, apprimè cognoscere. Hinc facilè intelligere debuerunt illam ignorantiam in ipsum ut legatum cadere, quasi dixisset : Non est missus Filius à Patre ut homines diem judicii doceat; vide Bossuetium, Meditat. in Evang. dieb. 77, 78 et 79.

Dicunt alii hoc verbum, *nescire,* in Scripturis nonnunquàm significare facere ignorantes, seu non aperire. Hunc etiam sensum tradit S. Augustinus, lib 83, quæst. 60 : « Quod di- « ctum est, *nescire Filium,* sic dictum est, quia « facit nescire homines, id est, non prodit eis « quod inutiliter scirent. » Vide Turnel. de Trinit. quæst. 4, art. 2, sect. 3. (Ed.)

notitiam habet, eam quoque Filius habeat necesse est. 2° Spiritus sanctus 1 Cor. 2, 10, scrutatur etiam profunda Dei. Itaque si in Deo est hujusmodi scientia, Spiritui sancto latere non potest. Cùm igitur solus Pater hanc diem nôsse dicitur, creaturæ solùm excluduntur (quod etiam ex loci scopo colligere licet), non verò personæ divinæ eâdem cum Patre naturâ prædilæ.

Objicit 10° : Christo bonitas (essentialis, qualis est Dei) in Scripturâ denegatur. Marci enim 10, 18, cùm ipsum adolescens quidam *bonum* appellâsset : *Quid me dicis bonum?* inquit, *nemo bonus, nisi solus Deus.* Ergo Christus non est Deus. — Nego majorem. Non enim ita locutus est Christus, ut sibi bonitatem detraneret, sed contra ut divinitatem suam probaret. Cùm enim adolescens ille ad Christum accessisset, ipsumque compellâsset ut magistrum cæteris legis doctoribus similem, sed tamen bonum eum vocâsset, Christus hâc occasione usus, fidem ipsius attollere voluit, quasi nimirùm dixisset : « Si me hominem existimas, « noli me bonum appellare : nemo enim bonus, « nisi unus Deus ; aut si me agnoscis bonum, « quidni agnoscis et Deum? » ut non subtiliter minùs quàm verè notaverunt Athanasius lib. de humanâ Naturâ ; Hilarius lib. 9 de Trinit. ; Basilius lib. 4 contra Eunomium ; Gregorius Nyssenus lib. 10 contra eumdem ; Nazianzenus oratione 36 ; Ambrosius lib. 2 de Fide, etc.

Instat : Non est Christi dare sedes regni cœlorum. Nam cùm mater filiorum Zebedæi à Christo petiisset ut in regno ipsius sederent duo filii sui, unus ad dexteram, et alter ad sinistram, hos alloquens Christus : *Sedere ad dexteram meam vel sinistram*, inquit, *non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Ergo Christus non est Deus. — Nego majorem. Non negat enim Christus suum esse has sedes dare, imò apertè significat ; sed negat suum esse has sedes dare illis Apostolis ; suum enim erat dare iis Apostolis quibus paratæ erant à Patre suo. Has autem petebant ambitiosè et jure propinquitatis filii Zebedæi, quas labore ac meritis comparare oportebat.

Objicit 11° : Christus Joan. 10, innuit se non aliâ ratione dici *Filium Dei* quàm judices et prophetæ olim dicti sunt *Dii.* Quod ut palàm fiat, historiæ series paulò altiùs repetenda est, quam sic Evangelista describit, versu 24 : *Circumdederunt eum Judæi, et dicebant ei : Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palàm* Versu 25 : *Respondit eis Jesus : Loquor vobis et non creditis ; opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Versu 27 : *Oves meæ vocem meam audiunt.* Versu 28 : *Et ego vitam æternam do eis,.. et non rapiet eas quisquam de manu meâ.* Versu 29 : *Pater meus quod dedit mihi* (græcè, *qui dedit mihi*) *majus* (*major*) *omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei.* Versu 30 : *Ego et Pater unum sumus.* — Versu 31 : *Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum.* Versu 32 : *Respondit eis Jesus : Multa bona opera ostendi vobis,... propter quod eorum opus me lapidatis?* Versu 33 : *Responderunt ei Judæi : De bono opere non lapidamus te sed de blasphemiâ, et quia tu, homo cùm sis, facis te ipsum Deum.* Versu 34 : *Respondit eis Jesus : Nonne scriptum est in lege vestrâ, quia ego dixi : Dii estis?* Versu 35 : *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura.* Versu 36 : *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum.* Versu 37 : *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* Versu 38 : *Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.* Versu 39 : *Quærebant ergo eum apprehendere ; et exivit de manibus eorum.*

Proinde ibi disputans adversùs Judæos Christus ostendit se meritò *Filium Dei*, seu *Deum* dicere potuisse, quia ii ad quos sermo Dei factus est, non solùm *Filii Dei*, sed etiam *Dii* vocati sunt. Ergo non aliâ ratione se dicebat *Filium Dei.*

Nego antecedens. Ad probationem distinguo : Ibi disputans Christus à minori ad majus, concedo ; disputans à pari, nego. Nimirùm Christus hìc Judæis respondet, qui ipsi indignabantur, quòd totics se *Filium Dei* nominaret, et quidem ita ut seipsum faceret Deum, seu Deo æqualem. Itaque duo erant offensionis capita : ipsa appellatio quam frequentabat, et res ipsa, seu divinitas, quam ejusmodi loquendi ratione aliisque similibus sibi attribuebat. Utrique satisfacere voluit Christus. Ac primò quidem, quod spectabat ad appellationem, argumento à minori ad majus, in hunc modum : Si judices et prophetæ *Dii* vocati sunt, quantò magis se ita appellare potest quem Pater sanctificavit et misit in mundum? Non igitur ex hoc Psalmi loco probat Christus se Deum esse, sed duntaxat non immeritò se *Deum* potuisse dicere, idque à minori ad majus, ut ex ipsius

verborum lectione satis liquet. Quod autem ad secundum, hoc est, ad rem ipsam pertinet, Christus deinceps nedùm eam revocet, magis ac magis firmat. Nullus enim est locus in quo suam divinitatem et cum Patre consubstantialitatem disertiùs probet, aut studiosiùs inculcet, non solùm ante, sed etiam postquàm Judæi hanc ipsi blasphemiam objecissent. 1° Enim paulò ante asseruerat Christus se æternæ vitæ esse largitorem, quod Dei proprium est. 2° Demonstraverat neminem posse de manu suâ oves rapere, quia nemo potest eas rapere de manu Patris sui. *Ego enim,* inquit, *et Pater unum sumus;* quibus verbis significabat se eâdem potestate esse præditum cum Patre; eamdem verò esse potestatem, quòd unum essent; proinde unius ejusdemque naturæ. 3° Verba hæc adeò perspicua erant, ut Judæi, quantùmlibet excæcati, intelligerent Christum divinitatem sibi tribuere, ac propterea ipsum lapidibus obruere vellent. 4° Postquàm Christus animadvertit ejusmodi locutiones offensioni esse Judæis, quasi divinitatem sibi impiè arrogaret, si merus homo fuit, certè debuit, pro suâ erga Deum religione et erga homines benignitate, hanc Judæorum sententiam corrigere. At non correxit; imò verò se Deum esse iterùm confirmat et probare pergit versu 36 ex operibus suis; quasi nimirùm dixisset: Ex operibus unaquæque res qualis sit dijudicatur; alia enim Dei, alia Angelorum, alia hominum opera. Inspicite ergo opera mea, et annon verbis meis consentanea sint expendite. Si ergo opera, quæ omnipotentiam arguant, facio, ipsis fidem habete. Si enim eadem sint mea quæ Patris opera, eadem quoque natura est, ex quo potestis colligere me esse in Patre et Patrem in me. 5° Tandem adeò verum ac manifestum est hìc consequenti oratione Christùm nihil de eâ, quam sibi tribuerat, divinitate et cum Patre æterno consubstantialitate remisisse, ut Judæi, non minùs quàm ante, eum postea interficere voluerint.

Instat: At ibi Christus causas affert cur sine blasphemiâ se *Filium Dei* appellare potuerit. Hæ autem duæ sunt: nempe quòd ipsum Pater sanctificaverit, et in mundum miserit. Atqui hæ divinitatem non arguunt. — Nego minorem. Cùm enim Christus 1° ait se à Patre sanctificatum, non de sanctificatione quâdam vulgari, quæ ipsi cum cæteris hominibus communis foret, loquitur; sed de eximiâ quâdam sibique propriâ, atque adeò substantiali sanctitate, quâ fiebat ut nec unquàm peccaverit, nec unquàm peccare potuerit (1). 2° Cùm ait se à Patre missum esse in mundum, eo ipso significat se priùs extitisse apud Patrem, quàm in mundum mitteretur. Erat ergo Christus antea apud Patrem, seu, ut ipsemet loquitur, in Patre. At si Christus in Patre fuit antequàm veniret in mundum, Deus necessariò est; nihil enim in Deo est, quod non sit Deus. Uno verbo, Christus hîc causas affert cur se *Filium Dei* dixerit; sed causas sibi peculiares et præstantioris cujusdam generis, ob quas longè potiori jure se *Deum* appellare potuerit, quàm alii unquàm *Dii* vocati sint. Proinde sanctitas illa et missio, nedùm divinitatem ejus evertant, eam contra firmiter stabiliunt.

Objicit 12° et ultimò: Beatæ mentes, Apoc. 5, 12, sic loquuntur: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam,* etc. Ergo non habet naturâ divinitatem. — Distinguo antecedens: Divinitatem, hoc est, encomia divinitatis, concedo; divinitatem ipsam, nego. Sic enim cap. 4, 11, Deum ipsum alloquentes: *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem,* id est, potentiæ confessionem; aliàs Pater non naturâ suâ omnipotens foret. Etverò inde sequeretur, nonnisi post ascensionem Christum ad divinitatem fuisse evectum; quod non concedant Sociniani.

Sectio IV.

De Ecclesiæ traditione circa Christi divinitatem, et ipsius cum Patre æterno consubstantialitatem.

Antequàm ad Ecclesiæ traditionem progredimur, nonnulla observanda sunt:

1° Socinianos eâdem cum Calvinianis doctrinâ imbutos arbitrari nullam esse vim tra-

(1) Sanctitas quam sibi à Patre traditam affirmat Christus, nihil aliud est, juxta S. Augustinum, quàm infinitæ sanctitatis quâ Deus sanctus est, communicatio per æternam facta generationem; unde sensus est: Cui Pater sanctitatem quâ ipse sanctus est, communicavit; sive: Cui Pater ut sanctus esset, gignendo dedit, quia sanctum genuit. Vide Cornelium à Lap. in hunc locum. At, juxta S. Hilarium, lib. 7 de Trinit., sanctificatio refertur ad unionem hypostaticam per quam Christi humanitas eximiè sanctificata est, et hic sensus exsurgit: Quem Pater sanctificavit, ipsum intimè uniendo creatæ infinitæque sanctitati, ac eum ungendo sancto Spiritu atque oleo lætitiæ, præ participibus suis, etc. (Ed.)

ditionis in fidei dogmatibus asserendis; ita Socinus epist. 3 ad Radec. et in resp. ad Wiekum cap. 9.

2° Eosdem utpote Calvinianis hâc in parte candidiores, ingenuè confiteri Ecclesiæ traditionem et Patrum auctoritatem ita apertè Catholicis passim favere, ut si eorum judicio lites dirimendæ sint, Lutheranis, Calvinianis ac sibi necessariò causâ cadendum sit. « Legan- « tur, inquit Socinus eâdem epist. 3 ad Rade- « cium, pontificiorum scripta adversùs Luthe- « ranos et Calvinianos, et satis intelligetur, si « præter sacras litteras istorum auctoritate sit « standum, nobis omnibus causâ cadendum « esse. »

3° Non eamdem tamen fuisse eorum sententiam de Patrum ac veteris Ecclesiæ mente circa Christi divinitatem. Wiekus enim è Societate Jesu, qui inter primos cum Socinianis conflixit, apud Socinum supra profitetur Antitrinitariorum auctores jactare consuevisse Patres omnes Ante-Nicænos idem secum sensisse. Matthæus contra Radecius ex eorum grege unà cum aliis agnoscebat jam ab Ecclesiæ initio Christum ab omnibus, ut verum et summum Deum, habitum esse; ideòque deplorabat post Apostolorum tempora secutam fuisse defectionem plenam, adeò ut ipsum fundamentum (fidei) sublatum fuerit; Socinus epist. 1 et 2 ad ipsum. Socinus verò sibi ipse non constat. Eâdem enim epistolâ 2, contendit solum Patrem pro Deo esse agnitum ad tempora usque concilii Nicæni; imò etiam postea : « Cognitio ista, inquit, sine ullâ con- « troversiâ usque ad tempora concilii Nicæni « et aliquantò post inter eos, qui Christum « profitebantur, esse non desiit. » At in epistolâ 3 : « Ab ipso, inquit, fermè nascentis « Ecclesiæ Christi initio usque ad tempora « nostra tot viri, adeò ut nullus sit numerus, « non minùs pietate quàm doctrinâ clarissimi, « tot ipsius Christi sanctissimi martyres, eum, « alioqui gravissimum, errorem secuti fuerunt, « quòd Christus sit unus ille Deus, qui omnia « creavit, aut certè ex illius propriâ substan- « tiâ genitus. » Rursùs in resp. ad Wiekum sibi contradicens : « Quòd Pater, inquit, sit « unus ille Deus, id senserunt omnes, qui « ante synodum Nicænam floruerunt Patres, « aut saltem maxima eorum pars. » Auctor Irenici Irenicorum (quem Zuickerum esse discimus ex notis ad Catech. Socin. p. 20), posterioribus Socini vestigiis insistens, asserit pag. 84, Nicænos Patres fuisse fidei novæ conditores; quod et in totc opere demonstrare nititur ex pluribus eorum, qui ante scripserunt, Patrum testimoniis. Sandius pariter in Nucleo historiæ ecclesiasticæ, idem evincere conatur, Patres scilicet Ante-Nicænos cum Ario eadem omninò docuisse; quod allatis eorum verbis confirmare omni ope studet. Benedictus Wissovatius in notis ad Catechesim Socinianam, duo statuit : primum est, vetustissimos Christianos sensisse Christum esse merum hominem, qui ante Beatam Virginem non extiterit; alterum, licet plures exinde opinati fuerint ipsum ante mundum extitisse, omnes tamen ad annum usque 300 et ultra, credidisse solum Patrem esse summum Deum.

4° E Calvinianorum sectâ oriundum Juriæum non ita pridem scribere ausum esse in epist. 6 pastorali sanctissimæ Trinitatis fidem ad synodum usque Nicænam, imò et Constantinopolitanam, planè informem ac imperfectam extitisse; quem pro merito excepit et castigavit illustrissimus Bossuetius (1).

5° Non defuisse etiam è Catholicis quosdam, et quidem magni nominis, scriptores, qui vetustioribus Patribus hoc in capite minùs æqui fuerint. Dionysius enim Petavius lib. 1 de Trinit. cap. 5, num. 7, post adducta de Christo antiquorum quamplurima testimonia, inde colligit eos arbitratos esse Patrem esse Verbo superiorem ævo, dignitate, ac potentiâ; Filium autem non minùs quàm creaturas initium aliquando habuisse. Capite autem 8, ipsos eadem, quæ Arius docuit, antea tradidisse. Quæ ita dura sunt, ut in Præfatione ea emollire (2)

(1) In 6 scilicet ad Protestantes Admonitione, in quâ, ait Turnelius, quæst. 4, art. 2, sect. 4, Juriæum « pari eloquentiâ et eruditione « invictè premit..... (et) summâ dexteritate, « eruditione ac eloquentiâ abstrusissimum « istud de SS. Trinitate mysterium sanctosque « Patres evolvit. » (Ed.).

(2) Hæc sunt doctissimi viri verba, Præfat. c. 1, n. 12 : « Præter manifestè hæreticos, alios docui qui communem rectamque fidem, et, ut sæpiùs dico, substantiam ipsam dogmatis tenentes, in consectariis quibusdam nonnihil ab regulâ deflectunt; alios qui, in omnibus re consentientes, loquendi duntaxat modo dissident ab usitatâ præscriptione, quæ non solùm rectè sentire, sed rectis etiam verbis explicare quid sentias jubet. »

« Momentum istud fusè ac eruditè prosecutus est Bullus presbyter anglicanus, in libro cui titulus : *Defensio fidei Nicænæ*, qui tamen cautè legendus est : nonnunquàm enim, quasi aliud agens, nonnulla Ecclesiæ suæ erronea interserit, » ait Montagnus, q. 4, sect. 2. Vide etiam P. Baltum, Defens. Patrum, l. 4, c. 9 et 10; Bergierum, Diction. Theol., verbis *Trinitas Platonica, Patres, Verbum, Platonismus,*

coactus fuerit. Illustrissimus Huetius pariter concedit Origenianorum lib. 2, cap. 2, Clementem Alexandrinum, Dionysium item Alexandrinum et Gregorium Thaumaturgum, perinde ac Origenem, puros et integros de Trinitate sensus non habuisse; imò dicere non dubitat Gregorium Thaumaturgum Arii deliramenta sectatum fuisse. Mirum profectò est tam iniquam de veteribus Patribus sententiam iis tam imprudenter excidisse. Dici enim non potest quantùm exinde recentiores Sociniani isto, cùm Petavii, tùm illustrissimi Huetii judicio gloriati fuerint; adeò ut Sandius suspicetur Petavium animo fuisse hâc in parte Socinianum, licet alius videri vellet. Sed ridicula est vanissimi hominis de viro catholico conjectura.

6° Ut sanum de antiquorum Patrum mente judicium feratur, omnem eorum doctrinæ seriem spectandam esse, non verò unam alteramve vocem aut locutionem à communi jam usu abhorrentem. Notum enim est eos, qui ante natas hæreses de fidei nostræ capitibus scripserunt, non ita semper accuratè loqui: quod Augustinus monet lib. 16 de Civitate Dei, c. 2: « Multa, inquit, ad fidem catholicam « pertinentia, dùm hæreticorum callidâ inquie- « tudine agitantur, ut adversùs eos defendi « possint, et considerantur diligentiùs, et in- « telliguntur clariùs, et instantiùs prædican- « tur. » Unde cùm olim Pelagiani quosdam ex antiquis allegarent, qui de originis labe minùs commodè locuti esse videbantur, ac præsertim Chrysostomum, istâ ratione eum excusat, contra Julianum lib. 1, num. 22: « Disputans, « inquit, in catholicâ Ecclesiâ, non se aliter « intelligi arbitrabatur: ..... vobis nondùm « litigantibus securiùs loquebatur. » In Psalmum verò 54, de Trinitatis mysterio speciatim: « Numquid perfectè, inquit, de Trinitate « disputatum est, antequàm oblatrarent Aria- « ni? » Non mirum igitur si, quod ait Hieronymus Apol. 2 contra Rufinum, veteres nonnulli, « antequàm in Alexandriâ quasi dæmo- « nium meridianum Arius nasceretur, inno- « center quædam et minùs cautè locuti sint. » Inprimis autem utile est, quod Theodoretus notat dialogo 3 adversùs Hæreses, Patres nimirùm, cùm adversùs hæreticos disputant, aliquando in extremam partem videri inclinare: « Quod ipsum, inquit, agricolis stirpium « cultoribus usu venit, qui cùm incurvam aliquam plantam viderint, non solùm ad rectam normam erigunt, sed etiam ultra directum in partem alteram inflectunt, ut vehementiori in contrariam inclinatione ad « rectum statum perducatur. »

7° Cùm hactenùs distinctis capitibus demonstraverimus ex Scripturis Christum ante Beatam Virginem extitisse, eumque æternum ac verum Deum esse, et ista singula seorsim attigerimus, nos eadem deinceps simul complexuros, quòd in iisdem Patrum testimoniis secum invicem permixta vulgò reperiantur.

8° Nos traditionis de Christi consubstantialitate filum ad synodum usque Nicænam duntaxat esse deducturos, quòd constet nostram de ipsâ fidem apud omnes exinde Catholicos ubique obtinuisse, quòdque hæc doctrina, quæ per tenues hinc et inde rivulos huc usque fluxerat, posthàc instar ingentis fluminis omnem Ecclesiam inundaverit.

Assertio. — Ecclesia catholica ab Apostolorum ævo ad synodum usque Nicænam perpetuò, non modò Christum ante Beatam Mariam virginem extitisse, sed etiam æternum ac verum Deum æterno Patri consubstantialem esse, credidit.

Argumenta. — Duo nobis ad id demonstrandum suppetunt momenta, primum desumemus ex disertis singulorum, qui per id temporis spatium vixerunt, Patrum testimoniis, aliisque ecclesiasticæ historiæ monimentis; alterum ex generalibus quibusdam præscribendi viis.

Argumentum primum, ex Patrum testimoniis, aliisque historiæ ecclesiasticæ monimentis per singula secula digestis ad synodum usque Nicænam.

E seculo I. Tres primo seculo à nobis proferentur scriptores, Barnabas nimirùm socius Pauli, Hermas et Clemens ejusdem Pauli discipuli.

Barnabas. — Extat inter vetera priorum seculorum monimenta, Barnabæ Epistola una, quam ipsius esse non dubitant vulgò eruditi (1); antiquissimam autem esse apud omnes constat, utpote quæ sub finem seculi II passim ut genuinum Barnabæ opus haberetur: proinde rectè ad primum à nato Christo seculum refertur. Is itaque apostolicus scriptor num. 5, apud veterem latinum interpretem (*græca*

D. Le Nourry, Apparat. ad Biblioth. Patrum; Joannem Lami, de rectâ Christian., etc., Sententiâ, l. 5, cap. 4. (Ed.)

(1) Bergierus, verbo *Barnabas*, Dict. Theol. in hujus Epistolæ authenticitatem se admodùm propendere non obscurè ostendit. (Ed.)

enim ibi desiderantur), sic de Christo habet : « Dominus, inquit, sustinuit pati pro animâ « nostrâ, cùm sit orbis terrarum Dominus, cui « dixit die (Deus) ante constitutionem seculi : « *Faciamus hominem ad imaginem et similitudi-* « *nem nostram.* Quomodò ergo sustinuit, cùm « ab hominibus hoc pateretur, discite; Pro- « phetæ ab illo habentes donum, in illum « prophetârunt : » edit. Antuerp. pag. 60, cap. 2. Ibidem, n. 5 editionis græco-latinæ, causas affert cur Filius Dei carnem assumpserit, easque duas, primam, quòd aliàs homines salvari non potuissent; alteram, quòd nativum Filii Dei splendorem mortales ferre nequivissent, nisi carne fuisset temperatus. « Nisi « enim venisset in carne, inquit, quomodò « servati fuissent homines videntes eum, « quandoquidem ii, qui solem hunc aliquando « desiturum opus manuum ejus aspiciunt, non « valent radios illius obtueri? Filius itaque « Dei ideò in carne venit, » etc. Num. 6, addit Dominum (quo nomine Christum intelligit, ut ex orationis serie liquet) cùm omnia præsciret, dixisse per Prophetam : *Auferam ab eis corda lapidea, et immittam illis corda carnea :* « Quoniam oportebat, inquit, eum in carne « apparere et in nobis habitare; templum enim « sanctum Domino est, fratres mei, habitatio « cordis nostri. » Num. 16 : « Attendite ut « templum Domini magnificè ædificetur. Quo- « modò? Discite : acceptâ remissione pecca- « torum, et spe habitâ in nomen Domini, facti « sumus novi, iterùm ab integro creati. Quare « in domicilio nostro verè Deus existit, habitat « in nobis Quomodò?..... Ipse in nobis pro- « phetat, ipse in nobis inhabitat.... Quare qui « cupit esse salvus, non in hominem respicit, « sed in eum qui in homine habitat. » — Num. 17, latinè : « Habes interim de majes- « tate Christi, quomodò omnia in illum et per « illum facta sunt, cui sit honor, virtus, glo- « ria, nunc et in secula seculorum. » Græcè : « Habes et in hoc gloriam Jesu, quòd per « ipsum et propter ipsum omnia. »

Barnabas 1° hîc docet Christum non solâ Beatâ Virgine, sed et prophetis, ipsâque adeò rerum universalitate, antiquiorem esse. Asserit enim non semel Prophetas ab ipso vaticinandi vim habuisse, ita ut ipse per eos ventura nuntiaret, et Adamum esse ab ipso factum; Christum enim esse quem Pater æternus alloquitur, cùm plurali numero Genesis initio ait : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* solem esse opus manuum ejus, et per ipsum omnia condita esse. 2° Iis ipsis perspicuè demonstrat Christum esse Deum, cùm soli Deo tria hæc conveniant. Eumdem præterea nominat disertè *terrarum orbis Dominum;* ipsi templum adscribit, quod solius Dei esse potest; ipsum denique in nobis habitare decernit, quod ejus immensitatem et præsentiam ubique diffusam arguit. Imò, si quis accuratè ejus verba expendat, non obscurè deprehendet Christum ab ipso *Deum* appellari; quem enim Dominum dixerat in carne venisse et in nobis tanquàm in templo habitare, id est, Christum, eum postea *Deum* dicit. Ergo, etc.

Objicies : Num. 16, Christum appellat *vas Spiritûs.* Atqui si Christus Deus est, non est vas Spiritûs. Ergo. — Distinguo antecedens : *Vas Spiritûs* Christum appellat ut hominem, seu potiùs humanam ipsius naturam, concedo; secus, nego. Itaque *Spiritûs* nomine divinitas Christi non semel tum in Scripturis, tum apud veteres intelligitur. Quod apertè demonstrat Bullus sect. 1, cap. 2, n. 5; et longè ante notârant Grotius ad cap. 2 Marci, versu 8, nosque postmodùm rursùs observabimus. Porrò cùm Barnabas nominat *vas Spiritûs,* ibi de humanâ Christi naturâ, seu, ut ipse interpretatur, de carne Christi verba facit. Christi porrò humana natura rectè potest vocari *vas Spiritûs,* id est, *divinitatis.* Id autem nedùm nobis obsit, duplicem contra in Christo naturam, divinam nimirùm et humanam, arguit.

Hermas. — Paulus in Epist. ad Rom. cap. 16, Hermæ mentionem facit. Is autem est auctor operis apud antiquos celeberrimi, quod Pastoris nomine inscribitur. Jam verò libro 3, similitudine 5, cùm Christum in formâ servi Pastor exhibuisset, et ab ipso quæsivisset Hermas n. 5 : « Quare Filius Dei in similitudine « hâc servili loco ponitur? » respondet Pastor, n. 6, in hunc modum : « Audi, inquit : in ser- « vili conditione non ponitur Filius Dei; sed « in magnâ potestate et imperio. » At si Filius Dei in servi conditione non ponitur, profectò Deus est; quidquid enim est præter Deum, id necesse est Deo serviat, ut rectè notat auctor Expositionis fidei Justino adscriptæ, et apertè colligitur ex Apostolo ad Philipp. 2, ubi formam Dei formæ servi opponit. Ibidem, similit. 9, cùm idem Pastor num. 2, Hermæ ostendisset « in medio campo candidam et ingen- « tem petram, quæ posset totum orbem susti- « nere, quæ quidem vetus videbatur;..... sed « tamen habebat portam novam et nuper ex-

« sculptam, et super hanc petram ædificatam « turrim : Domine, inquit Hermas num. 12,.... « petra hæc et porta quid sunt? Audi, inquit « Pastor, petra hæc et porta Filius Dei est. « Quonam pacto, inquit Hermas, Domine, pe- « tra vetus est, porta autem nova? Audi, insi- « piens, inquit Pastor, et intellige. Filius qui- « dem Dei omni creaturâ antiquior est, ita ut « in consilio Patri suo affuerit ad condendam « creaturam. Porta autem propterea nova est, « quia in consummatione, in novissimis diebus « apparuit, ut qui assecuturi sunt salutem, per « eum intrent in regnum Dei.... Nemo intra- « bit in regnum Dei, nisi qui acceperit nomen « Filii Dei..... Sicut.... in..... urbem non po- « test intrari, quàm per portam ejus; ita nec « in regnum Dei potest aliter intrari, nisi per « nomen Filii ejus, qui est ei charissimus..... « Porta Filius est Dei, qui solus est acces- « sus ad Deum. » — Ibidem, num. 14 : « Et « dixi, inquit Hermas, Domine, demonstra « mihi quare non in terrâ ædificatur hæc « turris, sed supra petram et portam?..... « Audi, inquit Pastor : Nomen Filii Dei ma- « gnum et immensum est, et totus ab eo sus- « tentatur orbis. Si ergo... omnis Dei creatura « per Filium ejus sustentatur, cur non et eos « sustinet, qui..... nomen ejus ferunt (id est, « Ecclesiam)? »

Itaque juxta Hermam Christus 1° omni creaturâ antiquior est. 2° Ad condendam creaturam Patri affuit, socius operis et consiliarius. At quis orbem condidit, nisi Deus? an alium à se habet consiliarium Deus? 3° Immensus est. 4° Universitatem rerum, quam creavit, unà cum Patre sustentat. 5° A creaturis Dei distinguitur. Quæ cùm ita sint, Christus sanè non potest non esse verus Deus.

Objicies 1° : Lib. 3, simil. 5, pronuntiat Hermas Christum fuisse servum Spiritûs sancti : « Nuntius (seu Angelus), inquit num. 6, « audit illum Spiritum sanctum, qui infusus « est omnium primus in corpore, in quo habi- « taret Deus. Hoc ergo corpus (Christi), in « quod indutus est Spiritus sanctus, servivit « illi Spiritui.... Cùm ergo illud corpus pa- « ruisset omni tempore Spiritui sancto, re- « ctèque et castè laborâsset cum eo,.... Deo « receptum est. » Atqui si Christus servus est Spiritûs sancti, Deus esse non potest. Ergo, etc. — Distinguo majorem : Christum ut hominem, aut potiùs humanam ejus naturam, seu, ut loquitur, Christi corpus, concedo; secus, nego. Itaque *Spiritûs sancti* nomine Hermas ipsam Christi divinitatem appellat, quæ sibi humanam naturam conjunxit : quod quidem ex solâ Hermæ lectione perspicuum est. At humana Christi natura optimè dici potest Spiritui sancto seu Christi divinitati in se habitanti paruisse. Quin etiam illud argumento est utramque simul naturam Christo affuisse.

Objicies 2° : Hermas Filium cum tertiâ personâ confundit; similitudine enim 5, « Filius Dei, inquit, Spiritus sanctus est. » Ergo. — Nego antecedens. Ad probationem distinguo : Filius est Spiritus sanctus, id est, Deus, concedo; Spiritus sanctus, id est, tertia persona sanctissimæ Trinitatis, nego. Ergo Deus naturâ suâ spiritus est, et quidem sanctissimus; atque adeò unaquæque persona potest sic appellari, licet hoc nomen certis de causis proprium factum sit tertiæ personæ. Hoc idem porrò vocabulum assumpsit Hermas quatenùs commune est, ut et Barnabas supra; atque id pro veterum et Scripturæ more. Vide Joan. 4, 24; Hebr. 9, 14; Ignatium in inscript. epist. ad Smyrn.; Athenagoram in Legatione pro Christianis; Irenæum lib. 2, cap. 49; Tertullianum in Apolog. cap. 21, et contra Praxeam cap. 26; Hippolytum contra Noetum; et ipsos post concilium Nicænum episcopos Gallos, in Epistolâ synodicâ ad Orientales.

Clemens Romanus. — Clemens Pauli adjutor fuit, ut ipse Apostolus loquitur Philip. 4, 3, Petrique in romanâ Sede successor. Jam verò sub ipsius nomine duæ Epistolæ circumferuntur à veteribus, quæ licet ad mores magis quàm ad dogmata pertineant, non obscura tamen nobis exhibent ipsius et Ecclesiæ de Christo fidei argumenta. Prima longè celebratissima ad Corinthios dissidiis agitatos scripta est paulò post excidium Hierosolymitanum. In eâ porrò sanctissimus ille pontifex et martyr Corinthios ad humilitatem invitans, ipsis ob oculos ponit exemplum Christi, de quo sic loquitur num. 16 : « Sceptrum majestatis Dei, « inquit, Dominus noster Jesus Christus, non « venit in jactantiâ arrogantiæ, neque super- « biæ, cùm illud posset; sed in humilitate, « quemadmodùm Spiritus sanctus de ipso lo- « cutus est. Ait quippe (Isaiæ 53) :..... *Quoniam « non est species ei, neque gloria.* Cernitis, viri « chari, quòd exemplar nobis datum sit. Nam « si Dominus tam humiliter se gessit, quid fa- « ciemus nos, qui sub jugum gratiæ ejus veni- « mus? » Ibi, ut perspicuum est, Clemens magistrum suum Paulum imitatur, et insignem ex Epistolâ ipsius ad Philippenses, cap. 2,

locum exprimit. 1° Igitur quemadmodùm Apostolus dixerat Christum fuisse primò in formâ Dei, sic eumdem Clemens *sceptrum majestatis* Dei nominat. 2° Ut Paulus addiderat Christum, cùm in formâ Dei esset, semetipsum exinanivisse; ita Clemens subjicit Christum cùm esset sceptrum majestatis Dei, seu potentia ac virtus Patris, venisse in humilitate. 3° Notat penès Christum fuisse longè magnificentiorem statum pro arbitrio suo eligere, et quod sibi libuisset facere; quæ omnia divinitatis non dubia sunt argumenta. Hinc enim liquet Christum fuisse antequàm veniret in terram. Deinde summam ei fuisse humilitatem quòd in eam descenderit. Nullus autem humilitati locus esse potest, si merus homo fuerit. Denique eum fuisse rerum omnium supremum Dominum et arbitrum. Si enim homo est tantùm, non potest dici penès eum fuisse, ut in alio statu nasceretur. Homines enim non quam volunt, habent originem; sed à Deo certæ stirpi addicuntur inscii.

Num. 32, aliam ab humanâ naturam in Christo fuisse indicat. Postquàm enim de Abraham verba fecisset : « Ab illo, inquit, Dominus Jesus secundùm carnem. » Hæc enim restrictio planè supervacanea esset, si nullam aliam, præter humanam, naturam Christus haberet. Num. 36, eumdem Christum vocat *splendorem majestatis Dei,* eumque Angelis eò longè superiorem esse arguit, quòd Angeli sint Dei duntaxat ministri, Christus autem sit Dei Filius : « Qui cùm sit, inquit, splendor majestatis ejus, tantò major est Angelis « effectus, quantò excellentius nomen sortitus « est. Ita quippe scriptum est : *Qui facit angelos « suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* « De Filio autem suo sic dixit Dominus : *Filius « meus es tu, ego hodiè genui te.... Sede à dextris meis,* etc. » At si Christus merus homo esset, idem Dei tantùm minister esset perinde ac Angeli, necaliter quàm ipsi Filius esset Dei.

Altera Clementis Epistola ad eosdem Corinthios scripta est; sed hæc longè minùs quàm prima priscis scriptoribus nota ac celebrata fuit. Clementis tamen est, aut saltem ejusdem ævi. Imò Cotelerius existimat eam esse primò scriptam, licet *secunda* vulgò nominetur. Quidquid sit, ea certè est indubitatæ fidei, et Ecclesiæ mentem per id ævi luculenter aperire potest.

Jam verò illius auctor ipso in limine Christi divinitatem prædicat : « Fratres, inquit, « n. 1, ita sentire nos oportet de Jesu Christo tanquàm de Deo, tanquàm de judice vivorum et mortuorum; nec decet nos humilia sentire de salute nostrâ; dùm enim « humiliter sentimus de illo, parva etiam nos « accepturos putamus. » Jubet igitur Clemens nos magnificè de Christo sentire, et imperat ut non solùm *Deus* nominetur, sed etiam Deus, juxta communem omnium de Deo notionem, à Christianis corde et animo agnoscatur, ut credatur esse judex vivorum et mortuorum.

Ibidem, num. 9 : « Jesus Christus Dominus, « inquit, qui nos servavit, cùm esset spiritus, « caro factus est, atque sic vocavit nos. » Proinde Christus erat antequàm carnem assumeret. Erat autem spiritus; at non angelicus, ut apud omnes constat. Ergo divinus, seu potiùs Deus. Spiritus enim est Deus, ut Christus ait. Est autem illud apud veteres in more positum, ut *Spiritûs,* aut *Spiritûs sancti* nomine divinam Christi naturam intelligant; quod est eruditis notissimum et alibi observamus.

Est alius apud Basilium lib. de Spiritu sancto, cap. 29, ejusdem Clementis de Trinitate locus, in quo Clemens divinas personas fictis ac mortuis gentilium diis opponens : « Vivit, « inquit, Deus et Dominus Jesus Christus et « Spiritus sanctus. » Itaque tres illi verum, vivum ac summum Deum constituunt, quem nos colere debemus. Neque verò obstat nomen *Dei* soli Patri attributum. Hoc enim in Scripturis est usitatissimum, propterea quòd in negotio redemptionis humanæ Dei personam sustinuerit, Filius verò mediatoris.

Objicies 1° : Clemens Romanus Epist. 1, Christum ubique à Deo distinguit. Ergo. — Distinguo antecedens : Christum ut hominem, concedo; totum, subdistinguo : A Deo Patre, concedo; à Deo communiter spectato, nego.

Objicies 2° : Photius cod. 126, suum de iisdem Epistolis judicium proferens, et quæ in eis reprehendenda esse censeret, notans : « Reprehenderit verò in illis quispiam, inquit, « quòd *pontificem præsidemque* Dominum nostrum Jesum Christum appellans, illas Deo « convenientes ac sublimiores de eo voces non « protulit; non tamen etiam ullibi in iis Epistolis illum apertè blasphemat. » — Respondeo 1° hinc saltem constare Clementem nihil uspiam protulisse, quod nobis adversetur. — Respondeo 2° Photium hâc in parte plerisque veteribus iniquiorem fuisse, quos in suspicio-

nem temerè vocat, non modò si quid paulò durius iis exciderit, sed etiam quando non ita disertè, ut postea factum est, suis in operibus de Christi divinitate locuti sunt. Quis autem id postulet, præsertim ubi de eâ non agebatur?

E SECULO II.—Longè plures nobis suppetunt è II seculo fidei catholicæ testes, et plura argumenta, quæ paucis recensebimus.

Ignatius martyr. — Ac primus quidem testium erit Ignatius, Petri discipulus, et ab eo Antiochiæ ordinatus episcopus, qui quidem cùm sub Trajano imperatore ad bestias Romam duceretur, septem in itinere epistolas scripsit, à veteribus summo in pretio habitas. Earum verò fidem et auctoritatem, quam elevare conati fuerant è Calvinianis quidam, tantâ in luce exposuerunt tùm è nostris, cùm ex heterodoxis plurimi, ut eâ de re dubitare nefas omninò sit.

Porrò illustrissimus ille martyr pluribus in locis suam de Christi divinitate sententiam luculenter aperuit. Epistolâ enim ad Ephesios, in ipsâ fronte: « Ignatius, inquit, qui et Theo- « phorus, ... electæ per voluntatem Patris et « Jesu Christi Dei nostri Ecclesiæ, ... quæ « est Ephesi, ... salutem. » Ibi conceptis verbis Christus Dei nomine appellatur. Ibidem, num. 7: « Medicus, inquit, unus est carnalis « et spiritalis, factus et non factus, in homine « existens Deus, in morte vera vita, et ex « Mariâ, et ex Deo, primùm passibilis et tunc « impassibilis, Jesus Christus Dominus no- « ster. » Quem locum ex antiquis laudant Athanasius epist. de Synodis Arimini et Seleuciæ; Theodoretus dial. 1; Gelasius, etc.

In his autem verbis duplex Christi natura enucleatè exponitur; non solùm enim homo mortalis fuisse hic definitur, sed etiam Deus immortalis; hinc non factus seu increatus; illinc factus seu creatus; hinc è Patre æterno solo procedens; illinc è Mariâ virgine solâ oriundus. Quid disertius unquàm dici possit? Ibidem, num. 15: « Unus igitur (est) doctor « (Christus) qui dixit, et factum est. .... Nihil « latet Dominum, sed et arcana nostra prope « ipsum sunt. Omnia itaque faciamus sicut ipso « in nobis habitante; ut illius simus templa, « et ipse sit in nobis Deus noster. » Ergo Christus 1° est Deus noster; nobis autem unus est Deus, ut inquit Apostolus. 2° Omnia etiam reconditissima novit. 3° Ubique præsens adest. 4° Templum in singulis piis habet.

Epistolâ ad Magnesianos, num. 8: « Unus « Deus est, inquit, qui seipsum manifestavit « per Jesum Christum Filium suum, qui est « Verbum ipsius æternum, non à silentio « progrediens. » Hîc docet Christum esse æternum Dei Verbum quod non è σιγῆ seu *silentio*, sed ex solo Patre processerit, idque contra veteres Gnosticos; aut simpliciter Verbum, quod silentium non præcesserit, ut hominum verba præcedit. Unde Augustinus serm. de Nativ. Domini: « Quænam est, inquit, illa « generatio, quâ in principio erat Verbum, « et Verbum erat apud Deum, et Deus erat « Verbum? vel quod est hoc Verbum, quod « dicturus antea non silebat; quo dicto non « siluit qui dicebat? Quod est Verbum sine « tempore, per quod facta sunt tempora? « Verbum labia nullius aperuit cœptum, « clausitve finitum. »

Epistolâ ad Romanos, num. 3: « Deus no- « ster Jesus Christus in Patre existens magis « apparet. » Numero autem 6: « Sinite me « imitatorem esse passionis Dei mei. »

Epistolâ denique ad Polycarpum Smyrnensem episcopum: « Eum, inquit, qui ultra « tempus est expecta, intemporalem, invisi- « bilem, propter nos visibilem, impalpabi- « lem, impatibilem, nostrâ causâ patibilem, « qui omnimodis propter nos sustinuit. » Proinde Christus cùm ante omnia tempora et ab omni æternitate fuisset, propter nos in plenitudine temporum in terram venit; cùm esset naturâ suâ impalpabilis et impatibilis, patibilem causâ nostrâ carnem assumpsit. Videant Sociniani an ista cum suâ doctrinâ cohæreant; annon potiùs ipsam evertant. Etverò, ut notat Hieronymus adversùs Helvidium cap. 9, cùm ita scriberet Ignatius, Ebionis impietatem confodere propositum illi erat. Sed Ignatius Christi divinitatis testis fuit ante ipsos etiam tyrannos, ut ipsius acta perhibent. Cùm enim Ignatius *Theophorus* vocaretur, quòd Dei domicilium esset, Trajanus eum alloquens: « Et quis est, inquit, Theo- « phorus? Ignatius dixit: Qui scilicet Chri- « stum habet in pectore. ... Scriptum est enim: « *Habitabo in eis et inambulabo.* » Quod Deus de se dixit in Scripturis.

Ignatio adjungendi sunt ipsius comites, qui hæc acta à nobis laudata conscripserunt. Ad calcem enim: « Communicemus, inquiunt, « Christi martyri (Ignatio).... glorificantes.... « Dominum nostrum Jesum Christum, per « quem et cum quo Patri gloria et potentia cum « Spiritu sancto in sanctâ Ecclesiâ in secula

« seculorum. Amen. » Hæc enim absoluta est Trinitatis confessio. Ista quippe communis trium personarum glorificatio, eamdem esse omnium gloriam ac majestatem, necnon et potentiam significat. Hinc est quòd ista glorificationis formula : *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*, ita quondàm Arianis fuerit exosa, ut eam ferre non possent. De quo Socrates Hist. lib. 2, cap. 21, et Sozomenus lib. 8, cap. 8, et Valesius ibidem.

Objicies : Nullæ jam supersunt genuinæ Ignatii Epistolæ. Id enim contendunt Salmasius, Blondellus, Dallæus, Bochartus, etc. Nego antecedens. Quamvis enim sub Ignatii nomine plures Epistolæ circumferantur aut omninò suppositiæ aut interpolatæ, septem sunt tamen germanæ ; quod, contra supradictos è sectâ Calvinianorum, quibus Ignatius maximè incommodat, scriptores, eruditè et liquidò probaverunt è nostris Cotelerius, Petavius, Dupinus et alii ; ex Anglicanâ verò ecclesiâ Usserius, Vossius, Hammondus, et Pearsonius ; ita ut nullus jam locus dubio esse possit.

Plinius Junior. — Tertius catholicæ fidei testis erit Plinius Junior, qui cùm in Bithyniâ præsidem ageret, et ab imperatore Trajano Christianos, si qui essent deprehensi, plectere jussus esset, ad eumdem retulit quid ex quibusdam Christianis, qui suppliciorum metu fracti à fide defecerant, comperisset. « Affirmabant, « inquit, lib. 10, epist. 97, hanc fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris, quòd essent « soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem. » Ita loquitur Plinius, profanus quidem scriptor, sed minimè suspectus. Ex quo intelligimus jam tum in publicis Christianorum conventibus et synaxibus consuetudinem obtinuisse, ut hymnis et canticis Christi divinitas celebraretur. Unde Caius, antiquissimus simul et illustris fidei vindex, dùm Artemam refelleret apud Eusebium lib. 5, cap. 28 : « Psalmi quoque et cantica fratrum, inquit, « ab initio à fidelibus conscripta, Christum « Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei « tribuendo. » Talis est hymnus apud Clementem Alexandrinum in fine Pædagogi. Hujusmodi autem cantica sustulit Paulus Samosatenus, Christi divinitatis inimicus, ut alia in laudem suam scripta substitueret ; quod discimus ex Epistolâ synodi Antiochenæ adversùs ipsum habitæ.

Symphorosa martyr. — Pollicitus est in Evangelio Christus Spiritum sanctum eis affuturum, qui pro ipsius nominis confessione ante reges et præsides ducerentur, eorumque ore loquturum. Itaque sermones, qui tunc à martyribus habiti sunt, non modò certa sunt eorum et Ecclesiæ fidei indicia, sed etiam tanquàm Dei verba spectari debent (1).

Symphorosa, porrò, Insignis illius ætatis martyr, cùm ab Adriano imperatore compelleretur diis sacrificare, nisi ipsa vellet cum septem filiis suis mactari : « Et unde, inquit, « mihi tantùm boni, ut ego merear cum filiis « meis offerri hostia Deo? Adrianus imperator « dixit : Ego te faciam diis meis sacrificari. « Beata Symphorosa respondit : Dii tui me in « sacrificium accipere non possunt ; sed si « pro nomine Christi Dei mei incensa fuero, « illos dæmones tuos magis exuro. » Ita referunt acta ipsius martyrii sincera apud Ruinartium. Quartum itaque istud est Christi divinitatis testimonium.

Sancta Felicitas et ejus filii. — Quintum testimonium dicet cum filiis suis septem beata Felicitas, altera martyr, cujus apud veteres frequentissima est ac commendatissima mentio. Ea igitur cum filiis suis comprehensa circa annum 150, et ad præfectum urbis ducta, conversa ad filios suos dixit, inquiunt ipsius acta sincera : « Videte, filii, cœlum, et sursùm aspicite ; ibi vos Christus expectat cum « sanctis suis :.... fideles vos in amore Christi exhibete. » Quibus verbis ita illi animati sunt, ut cùm quintum nomine Alexandrum et septimum nomine Martialem idem præfectus ad sacrificia diis offerenda compelleret, « respondit Alexander : Ego, inquit, servus « Christi sum ; hunc ore confiteor, corde teneo, incessanter adoro ; Martialis autem : « Omnes, inquit, qui non confitentur Christum verum esse Deum, in ignem æternum « mittentur. » Quid luculentius?

Lucianus. — Sextum petetur ex Luciano, impio quidem homine, sed christianæ religionis dogmatum non ignaro, qui iisdem temporibus vixit. In Dialogo enim qui *Philopatris*

(1) Licet sermones qui à martyribus coram tyrannis habiti sunt, maximâ sanè veneratione digna sint, non pari tamen honore excipi debent, ac ipsa divinæ Scripturæ verba. Assistentia enim quæ martyribus à Spiritu sancto præbebatur, non eodem loco habenda est, quo inspiratio quæ sacros scriptores dirigebat. Aliunde expendendum foret diligenter quousque promissio Apostolis à Christo facta ad cæteros confessores et martyres pertineret. (Ed.)

inscribitur, ridens inducit Triephonem quemdam Christiani personam agentem, qui ethnicum Christo nomen dare volentem erudiat, ut quemdam catechumenum, quo etiam nomine utitur Ethnico autem Christianum roganti atque dicenti : « Quemnam tibi jurabo? » sic reponit Triephon : « Deum, inquit, altè re-« gnantem, magnum, immortalem, cœlestem, « Filium Patris, Spiritum ex Patre proceden-« tem, unum ex tribus et ex uno tria. Hæc tu « Jovem puta, hunc existima Deum. » Ista ex christianæ religionis rudimentis ac disciplinâ hauserat Lucianus, seu quisquis alius ejus dialogi coætaneus auctor. In istâ autem fidei professione trium personarum consubstantialitas apertè prædicatur.

Melito Sardensis episcopus. — Septimum deducitur ex Melitone, Sardensi episcopo, magni nominis per id ævi scriptore; quamvis enim omnia ab ipso edita scripta exciderint, non dubia tamen supersunt ejus de Christo sententiæ argumenta. 1° Enim Caius Ecclesiæ Romanæ presbyter, à nobis paulò ante memoratus in opere contra Artemam, inter alios veteres Melitonem, tanquàm illustrissimum Christi divinitatis testem, allegat apud Eusebium lib. 5, cap. 28. 2° Etiamnùm extat in Chronico Alexandrino ad Olympiadem 236, aliquid ex ejus scriptis excerptum, in quo affirmat Christianos « non lapides sensûs omnis « expertes adorare, sed Deum unum, qui est « ante omnia et in omnibus, necnon et Jesum « Christum, qui est Deus, et Dei ante omnia « secula Verbum. »

Polycarpus. — Octavus in testimonium à nobis vocabitur Polycarpus, Smyrnensis episcopus et Joannis Apostoli auditor, qui cùm ad istam usque ætatem vitam produxisset, nobile tandem martyrium fecit. Ex omnibus autem ipsius scriptis supersunt duntaxat una ad Philippenses Epistola, et quædam excerpta à Victore quidem episcopo Capuano ante mille et centum annos laudata, sed primùm edita à Feuardentio in calce notarum ad lib. 3 Irenæi.

Quòd verò non aliud quàm nos de Christi divinitate senserit Polycarpus, multa sunt momenta quæ persuadeant.

Primum depromitur ex ipsâ Epistolâ. Numero enim 6 : « Si deprecamur, inquit, Domi-« num, ut nobis dimittat, debemus et nos di-« mittere. Nam coram Domini ac Dei oculis « sumus, et omnes oportet stare ante tribunal « Christi, et unumquemque pro se rationem « reddere. Sic itaque serviamus illi. » Ibi de unâ cândemque personâ loquitur Polycarpus, Christo videlicet; eam autem non modò Dominum, sed et Deum appellat. Quòd si verò de duplici personâ loquitur, saltem Christum cum Patre conjungit, et utrumque ex æquo tanquàm omnium inspectorem exhibet cui serviendum sit. At fidelium animis illud insederat, Deum solum esse scrutatorem cordis et renum, solum esse adorandum, eique soli esse serviendum. Num. 9 : « Deus, inquit, et Pater « Domini nostri Jesu Christi, et ipse sempiter-« nus pontifex Dei Filius, Christus Jesus, ædi-« ficet vos in fide et veritate..... et det vobis « partem et sortem inter sanctos suos. » Illic Christum cum Patre pariter invocat, ut gratiæ in hâc vitâ, et in alterâ gloriæ auctorem; quod uni Deo proprium est. Num. 13 : « Epi-« stolas Ignatii, inquit, transmisimus vobis se-« cundùm quod mandâstis..... ex quibus ma-« gnus vobis erit fructus. Continent enim « fidem.... ad Christum Dominum pertinen-« tem. » Ergo eadem erat Polycarpi, quæ Ignatii de Christo fides. At Ignatius in epistolis suis passim Christi divinitatem prædicat, ut supra vidimus.

Secundum extat in illâ precatiunculâ quam ad Deum Polycarpus morti jam proximus fudit, quamque refert Ecclesia Smyrnensis in Epistolâ de ejus martyrio, apud Eusebium lib. 4 Hist. cap. 15. In eâ enim sanctissimus martyr : « Domine Deus omnipotens, inquit num. « 14, Pater dilecti ac benedicti Filii tui, Jesu « Christi, Deus Angelorum et virtutum ac uni-« versæ creaturæ..... benedico te, quoniam me « hâc die dignatus es, ut partem caperem in « numero martyrum tuorum... Quapropter de « omnibus laudo te cum sempiterno et cœlesti « Jesu Christo Filio tuo dilecto, cum quo tibi « et Spiritui sancto gloria et nunc et in futura « secula : amen. » Quo in loco Polycarpus 1° Patrem æternum, Angelorum quidem et rerum omnium creatorem, sed Christi genitorem esse agnoscit. Proinde Christum secernit à creaturis, nec in earum ordine illum habet. 2° Christi æternitatem disertè adstruit. 3° Æquali eum cum Patre et Spiritu sancto glorià donat. Hæc porrò communis glorificatio ejusdem majestatis indicium est, ut jam observavimus, et veteres notârunt.

Tertium hauritur ex fragmento 3 apud Feuardentium supra, in quo Polycarpus sic inquit : « Joannes ad Ephesum constitutus, qui « legem, tanquàm ex gentibus ignorabant, à

« causâ nostræ redemptionis..... Evangelii « sumpsit exordium :... Lucas verò à Zachariæ « sacerdotio incipit, ut ejus filii miraculo nati- « vitatis et tanti prædicatoris officio divinita- « tem Christi gentibus declararet. » Ergo juxta Polycarpum Christus naturâ divinâ est præditus.

Quartum petitur ex fide ac doctrinâ Ecclesiæ Smyrnensis, cui præfuit Polycarpus. Certum enim est Smyrnenses non aliam de Christo quàm præsulem suum sententiam habuisse. At Smyrnenses in Epistolâ mox laudatâ, quâ Polycarpi martyrium describunt num. 21 : « Mar- « tyrium passus est, aiunt..... ante septimum « cal. maias..... regnante in secula Jesu Chri- « sto, cui gloria, honor, majestas, thronus « sempiternus à generatione in generationem. » Numero autem 22 : « Valere vos optamus, fra- « tres, et incedere in evangelico sermone Jesu « Christi, cum quo gloria Deo et Patri et Spi- « ritui sancto. » Igitur Smyrnenses Christum esse sempiternum et ab omni æternitate regnare, ac in omnem æternitatem regnaturum esse credebant; eumque pari cum Patre et Spiritu sancto gloriâ ac honore prosequendum.

Quintum suppeditat Irenæus, Polycarpi discipulus. Eadem enim haud dubiè fuit magistri et discipuli doctrina. At Irenæus, ut modò videbimus, Christi divinitatem asseruit. Ergo, etc.

Sextum denique sufficiet Hieronymus, qui in libro contra Helvidium cap. 9, Polycarpum iis annumerat, qui contra Ebionem scripserunt : « Numquid non possum, inquit, totam veterum « scriptorum seriem commovere, Ignatium, « Polycarpum, Irenæum, Justinum Martyrem, « multosque alios apostolicos et eloquentes vi- « ros, qui adversùs Ebionem et Theodotum « Bysantinum (Christum non Deum, sed me- « rum hominem esse arbitratos) hæc eadem « sentientes, plena sapientiæ volumina con- « scripserunt, quæ si legisses aliquando, plus « saperes. »

Objicies : Polycarpus in suâ ad Philippenses Epistolâ Christum semper distinguit à Deo, quem etiam *Deum Domini nostri Jesu Christi* appellat. Ergo. — Distinguo antecedens : Semper distinguit à Deo Patre, qui Pater est Christi, quatenùs Christus est Deus; ipsius verò Deus, quatenùs Christus est homo, concedo; à Deo simpliciter, nego.

Justinus Martyr. — Nonus à nobis appellabitur Justinus Martyr, qui ut aliis hactenùs memoratis plura scripsit, ita præ cæteris locupletissimus est testis Christi divinitatis. 1° Enim Apolog. I, quæ II reipsà est, docet nullum esse Patri æterno ac Christo ejus Filio et Verbo impositum nomen, eò quòd ambo sint ante omnia et per eos omnia facta fuerint. « Universarum rerum Patri, inquit, quia inge- « nitus, nomen impositum non est; quocum- « que namque demùm ille vocetur nomine, « vetustiorem se habet eo qui nomen imposue- « rit..... Porrò Filius ejus, qui solus propriè « dicitur *Filius*, Verbum simul cum illo ante « creaturas, et existens et nascens, quoniam « primitùs per illum cuncta condidit et orna- « vit, *Christus* quidem ex eo quòd per illum « Deus omnia conformaverit atque ornaverit, « appellatur... *Jesus* verò et *hominis* et *Servato- « ris* nomen ac designationem habet. » Itaque ex Justino Christus, 1° est solus propriè dictus *Dei Filius*. At Filius propriè dictus ejusdem est cum Patre naturæ, quod acutè observat Athanasius de Decretis Nicænæ synodi. 2° Idem ante omnes creaturas extitit. 3° Unà cum Patre condidit aspectabilem rerum universitatem. Proinde non solùm ante Beatam Virginem fuit, sed etiam verè Deus est, cùm Deus ubique sibi uni adscribat mundi creationem.

2° Apologiâ secundâ, quam primam dici oporteret, vulgarem gentilium calumniam retundens, qui Christianos *atheos* vocabant, eò quòd falsa cum aliis omnibus numina non colerent : « Fatemur quidem, inquit, nos talium, « qui habentur, deorum esse expertes, et « atheos; sed non verissimi illius Dei (Patris « videlicet)... expertes; verùm hunc ipsum, et « qui ab eo venit... Filium et Spiritum san- « ctum colimus et adoramus, cum ratione et « veritate venerantes, n. 6. » Ergo Christus unà cum Patre et Spiritu sancto, ut Deus verissimus et adorandus ab omnibus Christianis eo tempore agnoscebatur.

3° Ibidem, n. 22 : « Cæterùm, inquit, Filius « Dei, *Jesus* dictus, etiamsi communi aliorum « more homo tantùm esset, propter sapientiam « tamen dignus esset qui *Dei Filius* diceretur; « *parentem* enim *virumque Deumque* scriptores « cuncti Deum vocant. Sin propriè etiam præ- « ter communem nativitatem genitum ipsum « ex Deo Verbum Dei dicimus, » etc. Atque adeò Christus non merus homo est, nec filius adoptivus, sed naturalis ac proprius; duplicemque habet nativitatem, unam quidem communem ut homo, alteram longè excellentiorem ut Verbum Dei ex ipso genitum.

4° Pag. 36, ibid. eos reprehendit, qui negant « Filium esse Patri universorum, qui quòd « Verbum Dei primogenitum sit, Deus etiam « existit. » Quocirca Christus Deus est, et quidem eâdem ratione quâ Pater ipse est Deus.

5° In Dialogo cum Tryphone, pag. 267, postquàm pluribus Scripturæ testimoniis demonstrâsset Christum esse Dominum ipsum Deum, atque id intelligens Trypho respondisset rem incredibilem esse, « quòd Christus sit Deus « ante omnia secula existens; » et postea, « carnem assumpserit, » Justinus respondet verum tamen id esse.

6° Ibidem, pag. 275, 277, 280, 281 et 282, fusè ostendit Christum eum fuisse qui Abrahamo apparuit, qui tanquàm Dominus à Domino ignem et sulphur pluit in Sodomorum civitatem, qui Jacobo visus est, ac Moysi in rubo ardente, eique dixit : *Ego sum qui sum;* quæ quidem non modò arguunt Christum longè ante Mariam extitisse, sed etiam verum esse Deum : eòque magis quòd in oratione parænetică ad gentiles, pag. 19, hoc nomen : *Ego sum qui sum,* soli Deo tribui posse definiat, quòd unus et solus propriè existat.

7° Ibidem, pag. 284, Verbi divini generationem ita exponit, ut consubstantialitas ipsius cum Patre manifestè eluceat : « Quemadmodùm, inquit, in igne videmus alium fieri, « non decrescente illo, unde facta est alterius « accensio, sed in eodem statu permanente, « quippe qui ex ipso accenditur, etiam ipse ap« paret, non imminuens illum unde est ac« census. » Sic igitur Verbum divinum ex Deo gignitur, ut ignis accenditur ex igne. Proinde ut ignis accensus est ejusdem naturæ cum eo à quo accenditur, nec minùs quàm iste ignis verus est, pari ratione Filius Dei ita ex Deo genitus est, ut ipse pariter Deus sit. Etverò Nicæna synodus, ut consubstantialitatem Filii cum Patre declararet, nihil significantius usurpari posse credidit, quàm si diceretur *Deus de Deo,* et *lumen de lumine;* adeò ut synodi istius formula ex illo Justini loco desumpta esse videatur.

8° Ibidem, pag. 286 et 287, latè demonstrat Christum in veteris Testamenti Scripturis et *Deum, et Dominum, et Dominum virtutum, et Israelis Deum* nominari; illum esse qui Patriarchis, Abrahamo et Moysi apparuit, quem hi tanquàm Deum suum adorârunt, quique *Jehovæ* nomine insignitus est, eumque reipsà adorandum esse et Deum.

9° Ibidem, pag. 355, pronuntiat Christum « esse Deum utpote..... ingeniti et ineffabilis « Dei Filium : » et pag. 357 esse « Dominum ac « Deum, utpote Dei Filium existentem. »

10° Ibidem, pag. 358, eodem quo supra dicto modo divinam Verbi generationem explicat. Cùm enim jam tum essent hæretici, qui ex eo quòd Filius ejusdem est cum Patre naturæ, colligerent ipsum à Patre nomine duntaxat, non numero distingui, contra Justinus naturam quidem eamdem esse et indivisam confitetur; sed tamen Filium alteram esse à Patre personam definit. « Virtutem istam « (Christum), quam Deum sermo propheticus « vocat..... non ut solis lumen nomine tantùm « numerari, verùm numero aliud quiddam essè « ratione exquisitâ supra paucis explicavi; « virtutem hanc dicens de Patre genitam vir« tute et consilio ipsius; non per abscissio« nem, tanquàm dispertita esset Patris essen« tia, prout alia omnia divisa et secta, non ea« dem sunt quæ ante fuerunt quàm scinderen« tur. Atque exempli gratiâ illud sumpsi quòd « ex igne ignes alios accensos videmus, illo « nihil diminuto, sed eodem manente, unde « multi accendi possunt ignes. » Quid ad hanc professionem fidei et Trinitatis potest adjici? inquit Petavius in præfatione tom. 2 theol. dogm. cap. 3, num. 1. His enim verbis Justinus apertè docet Filium esse quidem à Patre numero distinctum, sed non alterius naturæ; ita enim genitum esse ut dispertita tamen essentia non sit.

11° In Epistolâ ad Diognetum, quam Justino non solùm eruditi passim, sed et Sandius, adscribunt, quæque aut ipsius est aut vetustioris etiam scriptoris; cujuscumque autem sit, pulcherrimus sanè est primæ antiquitatis fœtus, « ipse omnipotens, inquit pag. 498..... è « cœlis..... Verbum..... inter homines loca« vit:.... non quemadmodùm aliquis conjicere « possit, misso hominibus ministro aliquo, sive « Angelo, sive principe, sive aliquo eorum qui « terrena gubernant..... sed ipso opifice et « creatore omnium, quo cœlos condidit, quo « mare suis terminis conclusit..... Hunc ad « eos misit..... tanquàm rex mittens filium « regem, misit tanquàm Deum. » Paginâ autem 501 ad finem : « Hic est, inquit, qui ab initio « fuit, qui novus apparuit... hic est ille semper « existens, hodiè Filius habitus. » Egregius profectò locus, ac dignus qui cæteris coronidem imponeret. Ibi enim Justinus, seu quisquis alius, ejusdem saltem ætatis, auctor, disertè statuit Christum 1°, etsi non ita pridem

carne assumptâ apparuisset, semper tamen extitisse; 2° eum esse mundi opificem ac conditorem; 3° Deum esse, non verò ministrum Dei; 4° à Deo Patre missum fuisse, non ut inferioris conditionis servum, sed tanquàm Deum, quomodò si pater rex mittat aliquò filium suum regem.

Hanc autem fidem Justinus ad obitum usque illibatam servavit ac professus est. Ut enim ipsius martyrii acta fidem faciunt, apud Ruinartium pag. 43, cùm Rusticus præses eum interrogâsset quodnam foret Christianorum dogma : « Rectum dogma, inquit Justinus, « quod christiani homines cum pietate servamus, hoc est, ut unum Deum existimemus « factorem atque creatorem omnium..... et « Dominum Jesum Christum, Dei Filium confiteamur, olim à Prophetis prænuntiatum... « Ego quidem ut homo imbecillis sum, et longè « minor quàm ut de infinitâ illius deitate aliquid magnum dicere possim, Prophetarum « munus hoc esse fateor, » etc. Ergo Christus Deus est, et, ne ullus sit exceptioni locus, infinitâ deitate præditus.

Hinc elucet quàm meritò olim Caius, apud Eusebium lib. 5, cap. 28, Justinum inter alios allegaret, quorum in scriptis essent luculenta Christi divinitatis argumenta. Hinc etiam liquet quo jure dixerit Hieronymus supra à Justino hæresim Ebionis fuisse profligatam.

Objicies 1° : Justinus in Dialogo cum Tryphone pag. 358, ait Christum « numero aliud « quiddam esse à Patre. » Ergo existimat eum alterius à Patre naturæ esse.

Distinguo antecedens : Numero aliud quiddam esse, id est, personam aliam esse, concedo ; id est, naturam aliam habere, nego. Mox enim addit, ita tamen « Filium à Patre esse geni« tum, ut non sit dispertita essentia. » Scilicet ibi impugnat quosdam Sabellii præcursores, qui Christum « Dei virtutem à Patre nullo pa« cto discerni ; et nomine tenùs » ab eo differre arbitrabantur, quomodò ipsemet eò loci loquitur. Porrò antiquis temporibus perfecta erat fides ; sed nondùm fixa erat loquendi ratio.

Instabis : Ibidem beatus ille martyr Patrem *Filii causam* appellat. Atqui causa alterius est ab effectu naturæ, eòque prior est, et à causâ effectus pendet. Ergo à Patre æterno discrepat, eòque inferior est conditione et posterior ævo. — Distinguo antecedens : Causam impropriè dictam, concedo ; propriè dictam, nego. Causa itaque sumitur vel propriè vel impropriè. Cùm propriè sumitur, talis est qualis modò descripta est ; atque adeò latini theologi ab hoc vocabulo abstinent, cùm de Patre æterno et ejus Filio loquuntur. Sed aliquando causa idem est ac principium, ac præsertim apud Græcos, solamque originem sonat ; eo autem sensu plurimi Patres, non modò ante concilium Nicænum, sed etiam postea, Patrem esse Filii causam affirmare non dubitârunt ; v. g., Alexander, qui Arium damnavit primus apud Theodoretum lib. 1, cap. 4 ; Basilius lib. 1 contra Eunomium ; Gregorius Nazianzenus orat. 36 et 40 ; Chrysostomus homil. 72 in Joan. ; Cyrillus Alexandrinus in Thesauri lib. 11 ; Damascenus lib. 1 de Fide, cap. 6 ; Nicetas ad orationem Gregorii Nazianzeni 40. Sed et Latini veteres ab eâ loquendi ratione non abhorruerunt, utpote quam usurpent Marius Victorinus lib. 1 contra Arium ; Hilarius lib. 12 de Trin. ; auctor Quæstionum veteris ac novi Testamenti, apud Augustinum quæst. 122, sub finem. At certè illi omnes synodo Nicænâ posteriores, et catholici doctores, hoc verbum consubstantialitatis inimicum non crediderunt. Nec ei quidquam nocet Justinus, præsertim cùm ibidem ipsam adstruat, dùm explicans hunc Genesis locum : *Pluit Dominus sulphur et ignem à Domino :* « Duos, inquit, propheticus sermo « numero esse indicat : alterum in terris,.... « alterum in cœlis, qui etiam Dominus est « Domini in terrâ apparentis, nempe quatenùs « ejus Pater ac Deus est, atque auctor ipsi ut « sit, et quidem præpotens, ac Dominus et « Deus ut sit. » Ibi igitur docet Deum Patrem esse causam, auctorem ac Dominum Filii, quatenùs est Pater et totius divinitatis fons ; sed tamen statim addit Filium esse Dominum ac Deum omnipotentem, perinde ac Pater est, aut potiùs Patrem generationem Filio dedisse, ut pariter etiam Deus, Dominus et omnipotens sit.

Instant 2° : Sanctus idem doctor Filium vocat secundam post Patrem potestatem. Apologiâ enim, quæ vulgò secunda collocatur : « Prima potestas, inquit, post Parentem et « Dominum universorum Deum, et Filius Ver« bum est. » Ibidem eumdem esse ait, « pro« ximam post illum primum Deum potesta« tem. » Ergo diversam à Patre inferioremque « naturam habet. — Distinguo antecedens : Secundam potestatem personaliter sumptam, quòd secunda sit persona quæ omnipotentiâ prædita sit, concedo ; essentialiter sumptam, quasi aliam habeat à Patre naturam et potestatem, nego. Itaque non insolens est apud

veteres nomina essentialia, quæ aliàs rem eamdem Patri Filio ac Spiritui sancto communem significant, personaliter sumi; quod pluribus exemplis demonstrare facile foret, et ex disputationis decursu liquidò constabit. Sic Methodius apud Photium codice 235, Patrem et Filium *duas potestates* vocat, non quòd reipsà diversâ potestate præditi sint, sed quòd duæ sint personæ pariter omnipotentes. Eodem sensu hìc loquitur Justinus, quippe qui alibi Patrem inter et Filium non divisam esse substantiam divinitatis, sed eamdem pronuntiet.

Instant 3° : At ibi Patrem appellat *primum Deum*. — Distinguo : Primum Deum seu primam personam, quæ sit Deus, concedo; primum Deum, quasi plures sint dii, nego. Nunquàm enim plures deos agnoscit.

Instant 4° : At ibidem Justinus ait nonnisi secundas Filio deferri. Pag. enim 60 : « Filium « inquit, in secundo loco habentes cum ratione « venerantur. » Pag. autem 7 : « Secundas « post incommutabilem et sempiternum Deum « ac parentem omnium deferunt. » — Distinguo antecedens : Ratione originis et ordinis aut naturæ ab eo assumptæ, concedo; habitâ ratione naturæ primigeniæ, nego. Apologiâ enim quæ prima inscribitur, pag. 56, asseverat Christianos unâ eâdemque ratione Patrem et Filium et Spiritum sanctum ut summum Deum prosequi.

Objiciunt 2° : Justinus Patrem esse invisibilem, Filium verò visibilem statuit, atque id ex professo probat in Dialogo cum Tryphone, ut ex hoc probet Filium Dei, non verò Patrem veteribus Patriarchis apparuisse. Paginâ enim 72 : « Iste, inquit, quia « Patriarchis est conspectus Deus, et *Angelus « et Dominus* appellatur, ut vel ex his intelli- « gatis ipsum universorum parenti ministrâsse. » Ibidem : « Non conditor universitatis hujus, « inquit, is fuerit qui Moysi dixit se Deum esse « Abrahæ :..... Nemo enim cui vel minimùm « mentis sit, auctorem ac parentem universi « supra cœlestia omnia reliquisse et in pusillâ « terræ parte se exhibuisse dicere sit ausurus. » Ibidem, pag. 119 : « Cavete putetis vel ipsum « ingenitum Deum descendisse alicunde. Et- « enim ineffabilis Pater ac Dominus omnium, « neque profectus est aliquò, neque ambulat; « neque dormit, neque surgit;..... neque mo- « vetur, cùm loco nullo ac ne mundo quidem « ipso contineri possit; quippe qui, antequàm « mundus esset, extiterit. Quomodò igitur vel « alicui iste loqueretur, vel conspiceretur ab « aliquo, vel in exiguâ terræ particulâ cerne- « retur; cùm ne ejus quidem, qui ab ipso mis- « sus erat, gloriam intueri populus in Sinâ « potuerit. » Hàc autem in parte plerique veteres Justino passim assentiuntur.

Theophilus enim Antiochenus lib. 2 ad Autolycum simili ratione ostendit Filium in paradiso Adamo apparuisse : « Nam, inquit, Deus « quidem ipse ac Pater universorum compre- « hendi loco non potest, nec in eo deprehendi, « sed Verbum ipsius, per quod omnia molitus « est, qui est ipsius virtus et sapientia, perso- « nam in se Patris et omnium Domini susci- « piens, in paradisum venit sub personâ Dei, « et cum Adamo collocutus est. »

Irenæus lib. 4, cap. 37 : « Verbum, inquit, « dispensator paternæ gratiæ factus est ad « utilitatem hominum, propter quos fecit tan- « tas dispositiones; homini quidem ostendens « Deum, Deum autem exhibens hominem, et « invisibilitatem Patris custodiens, ne quando « homo fieret contemptor Dei, et ut semper « haberet ad quod proficeret. Visibilem autem « rursùs hominibus per multas dispositiones « ostendens Deum, ne in totum deficiens à « Deo, homo cessaret esse. Igitur si neque « Moyses vidit Deum,..... manifestum est quo- « niam Pater quidem invisibilis, de quo et « Dominus dixit : *Deum nemo vidit unquàm;* « Verbum autem ejus quemadmodùm volebat « ipse..... dispositiones exponebat, quemad- « modùm et Dominus dixit : *Unigenitus Deus, « qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* »

Origenes lib. 2 de Principiis, teste Hieronymo epist. 59, ad Avitum, pariter Deum Patrem invisibilem esse asseruit.

Tertullianus contra Praxeam, cap. 16 : « Cæ- « terùm, inquit, quale est ut Deus omnipotens « ille invisibilis, quem nemo videt hominum, « nec videre potest, ille qui inaccessibilem lu- « cem habitat, ille qui non habitat in manufa- « ctis,.. in quo omnis locus, non ipse in loco,.. « ille altissimus in paradiso ad vesperam am- « bulaverit, etc. Scilicet et hæc..... De filio « Dei credenda fuisse, si scripta non essent; « fortassè non credenda de Patre, licet scri- « pta..... Hinc igitur apparet error illorum. « Ignorantes enim à primordio omnem ordi- « nem divinæ dispositionis per Filium decur- « risse, ipsum credunt Patrem et visum et « congressum. »

Novatianus de Trin. cap. 25 : « Quòd si « idem Moyses, inquit, ubique introducit Deum « Patrem immensum atque sine fine, non qui « loco claudatur, sed qui omnem claudat.....

« ut meritò nec ascendat nec descendat, quo-
« niam ipse omnia et continet et implet; et
« tamen nihilominùs introducit Deum descen-
« dentem ad turrim.... Quem volunt hic Deum
« descendisse?.... Deum Patrem? Ergo jam
« loco clauditur; et quomodò ipse omnia com-
« plectitur? Aut numquid Angelum?..... sed
« enim Deuteronomio animadvertimus, retu-
« lisse Deum hæc..... Neque ergo Pater des-
« cendit, ut res indicat, neque Angelus,.....
« ut res probat. Superest ergo ut ille descen-
« derit de quo Apostolus Paulus : *Qui descen-*
« *dit, ipse est qui ascendit,..... Dei Filius.* »

Capite autem 26 : « Pater fuit iste qui ab
« Agar visus est, an non? quia Deus positus
« est? Sed absit Deum Patrem Angelum di-
« cere, ne alteri subditus sit, cujus est An-
« gelus; sed Angelum dicent fuisse. Quomodò
« ergo Deus, si Angelus fuit?..... Ex utroque
« latere nos veritas in istam concludit sen-
« tentiam, quâ intelligere debeamus Dei Fi-
« lium fuisse, qui..... annuntiator paternæ
« voluntatis..... est, magni consilii Ange-
« lus, » etc.

Episcopi synodi Antiochenæ adversùs Paulum Samosatenum in epistolâ suâ, eum qui veteribus Patriarchis se conspicuum fecit, eâdem de causâ Filium Dei esse affirmant : « Qui aliàs Dominus, aliàs Angelus, aliàs Deus
« Scripturarum testimonio declaratur. Nam
« Deum universorum impium sit dici Angelum
« credere. Angelus verò Patris est Filius, qui
« et ipse Dominus ac Deus est. Scriptum est
« enim : *Magni consilii Angelus.* »

Ea verò doctrina ita tunc pervulgata et constans erat, adeòque necessaria putabatur, ut in nonnulla etiam symbola manaverit. Rufinus enim in explicatione Symboli apostolici, perhibet Aquileiense his verbis conceptum fuisse : « In Deum Patrem omnipotentem,
« invisibilem et impassibilem. » Sic Auxentius Mediolanensis apud Hilarium, refert primum symboli articulum hoc modo : « Credo in Deum
« Patrem omnipotentem, invisibilem, impas-
« sibilem et immortalem. » De quo Erasmus in Responsione ad censuram theolog. Paris.; Vossius de Symbolis, et Bullus in Defensione fidei Nicænæ, sect. 4, cap. 3, num. 17. Proinde Patres antiqui, ac pleræque Ecclesiæ Patrem alterius à Filio ac superioris naturæ esse censuerunt.

Distinguo antecedens : Patrem esse invisibilem statuit, Filium verò visibilem, habitâ ratione originis, œconomiæ salutis humanæ, et variarum Scripturæ sententiarum, concedo; ratione naturæ, quasi Pater naturâ suâ invisibilis sit, Filius verò naturâ suâ aspectabilis, nego. Hæc quidem primâ fronte mira videntur, sed si penitiùs rem ipsam scrutemur, non adeò intricata sunt. His enim in locis antiqui doctores Judæos et Patripassianos impugnabant. At Judæi quidem plures in Deo personas non agnoscunt, nec Christum esse Deum aut Dei Filium confitentur; Patripassiani verò personas confundentes, ipsum etiam Patrem priscis apparuisse, et postea sub Pilato passum esse definiebant. Cum utrisque confligebant Patres; in Scripturis porrò observabant, hinc quidem Deum velut immensum, et nullo circumscriptum intervallo exhiberi; illinc non semel in certâ terræ parte conspectum; hinc dici Deum à nullo unquàm visum esse nec videri posse; illinc verò Deum in terris visum et cum hominibus conversatum; hinc prædicari Deum apparuisse; illinc nihilominùs dici à Deo missum et Angelum Dei; hinc Deum legi se hominibus manifestum fecisse; illinc eumdem exhiberi tanquàm mediatorem humanæ salutis in omnibus ejusmodi apparitionibus, quas spectabant antiqui Patres quasi totidem futuræ incarnationis prælûsiones. Ex his autem contra isthæc duo adversariorum genera colligebant plures esse in Deo personas distinctas, inprimis autem Patrem et Filium; alium enim esse, qui nullo circumscriptus loco describebatur, nempe Patrem; alium qui formâ corporis assumptâ in exiguâ terræ parte visus esse perhibeatur, nempe Filium; alium esse quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest; alium qui in terris visus est, et cum hominibus conversatus est; alium fuisse, qui miserit; alium qui missus fuerit et *Angelus Dei* nominetur, cùm impium et absurdum sit Patrem sui ipsius Angelum nuncupari, alium denique fuisse qui in humanæ salutis œconomiâ ac negotio Dei personam sustinuerit; alium qui mediatorem egerit. Mediatio autem tria postulat : duo videlicet extrema, et aliquid interpositum. At salutis humanæ mediator Deus non semel appellatur. Ergo cùm reconciliandi homines essent Deo, oportebat aliam esse personam, quæ Dei partes, ut ita dicam, sustineret, aliam quæ mediatoris officio fungeretur. Par autem erat, ut Pater Dei majestatem ubique retineret, tanquàm fons totius divinitatis; Filius verò, qui Patrem inter et creaturas interjacet, mediatoris munia obiret.

His de causis asserunt antiqui Patrem non posse eum esse qui visus fuerit, adeòque Filium solum veteribus Patriarchis apparuisse; non quòd naturâ suâ invisibilis sit Pater, Filius verò visibilis; sed quòd Pater, utpote prima Trinitatis persona, Dei immensi, incircumscripti, invisibilis partes agere semper debuerit, nec mitti, aut angelus (quo nomine qui visus est non semel donatur) esse potuerit. Quòd autem ea mens sit veterum Patrum indicant multa argumenta.

1° Quòd ipsi easdem quas nos afferant rationes. Justinus enim duas affert causas, cur Pater dici nequeat visus, sed solus Filius; primam, quòd qui visus est, Angelus dicitur; secundam, quòd Pater sit ingenitus, ideòque mitti non possit. Theophilus Antiochenus idem probat, quia Filius est Verbum Patris, per quod omnia facta sunt; Irenæus, quia Filius est dispensator paternæ gratiæ; Tertullianus, quia jam tunc decurrere incipiebat humanæ salutis reparatio; præsules concilii Antiocheni, quia impium foret Deum Patrem Dei Angelum appellare. Idem habet Novatianus.

2° Quòd iidem antiqui passim asserant Filium non minùs esse naturâ suâ invisibilem, immensum et incircumscriptum, quàm Patrem. Ignatius Epist. ad Polycarpum : « Eum, « inquit, qui est supra tempus expecta, intem- « poralem, invisibilem, propter nos visibilem,.. « impassibilem, propter nos passibilem. » Justinus ipse Oratione parænetică ad Græcos, pag. 20, de Christo, qui Moysi apparuit, loquens : « Oportuit, inquit,..... principem,.... « hebraicæ gentis..... cognoscere ipsum exi- « stentem Deum. Quam ob causam..... huic « apparens (Christus), quatenùs quidem pos- « sibile erat homini Deum apparere, ad eum « dixit : *Ego sum existens ille.* » Proinde Christus, ut Deus, invisibilis quidem erat; sed tamen, ut possibile fuit, se Moysi conspiciendum dedit. Apolog. 1 : « Verbum erat, inquit, « et est, qui in omnibus rebus est (ὁ ἐν πανσὶ « ὤν).» Atque adeò immensum est. Epist. ad Diognetum, Christum appellat, « Veritatem, « et Verbum illud, quod et sanctum est, ac « ne animo quidem comprehendi potest. » Multùm igitur abest ut oculis usurpari possit. Irenæus lib. 4, cap. 41 : « Unus est Deus, in- « quit, qui est super omnem principatum,..... « et hujus Verbum, naturaliter quidem invi- « sibile, visibile, palpabile in hominibus fa- « ctum.» Ibid. cap. 8, perspicuè affirmat Christum non minùs esse immensum quàm Patrem, quippe cujus mensura sit. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 7 : « Nunquàm, in- « quit, ex suâ excedit speculâ Dei Filius, ut « qui non dividatur, non dissecetur, non trans- « eat à loco in locum, sit autem semper ubi- « que, et contineatur nuspiam.» Idem Pædag. cap. 6, tres personas divinas ubique pariter esse pronuntiat.

Origenes contra Celsum lib. 4, cùm objecisset ille, si Deus ad homines descendisset, ut Christiani credebant, metuendum esse ne solium deseruerit, sic respondet : « Non novit « Dei potentiam (Celsus) quòd Spiritus Do- « mini repleat orbem terrarum..... nec verba « illa intelligit : *Nonne cœlum et terram ego* « *impleo, dicit Dominus?* nec videt quòd juxta « sententiam Christianorum omnes in eo vi- « vimus, movemur et sumus..... Itaque sive « hujus universitatis Deus..... descendat cum « Jesu in vitam hominum, sive Dei Verbum,... « quod ipsum Deus est, ad nos veniat; non « carebit sede, neque ipsam deseret; ut alius « locus eo sit vacuus, plenus alius qui ante « vacaverat, sed deitas proficiscitur quò vult... « absque migratione, nec relicto loco per ab- « sentiam vacuo, repletoque alio per præsen- « tiam.» Libro 5 : « Deus, inquit, pro suâ bo- « nitate, non localiter, sed per providentiam « condescendit hominibus, et ejus Filius..... « ubique præsens est.» Denique libro 6, Celso Christianis exprobranti, quòd dicerent Deum, utpote magnum et contemplatu difficilem seu invisibilem, ad homines misisse Filium contemplatu facilem, respondens Origenes : « Esto « etiam, inquit, Deus contemplatu difficilis; « verùm non solus, sed et ejus unigenitus. Est « enim difficilis contemplatu Deus Verbum, « difficilis similiter et Sapientia (Spiritus san- « ctus)... Ergo non ideò Deus contemplatu « difficilis Deum Filium suum misit quasi con- « templatu facilem, prout Celsus parùm intel- « ligens ex nostrâ personâ dixit;..... verùm ut « nos ostendimus, etiam Filius cùm esset con- « templatu difficilis, ut Verbum Deus, per quod « omnia facta sunt, inter nos conversatus est.» Ibi Origenes eamdem Patri et Filio invisibilitatem et immensitatem tribuit.

Tertullianus contra Praxeam cap. 14, eodem ipso in loco in quo ait Patrem invisibilem, Filium verò visibilem : « Dicimus, inquit, et « Filium suo nomine eatenùs invisibilem, quâ « Sermo et Spiritus Dei ex substantiæ condi- « tione ;..... quia Deus et Sermo et Spiritus;

« visibilem autem fuisse ante carnem eo modo « quo dicit ad Aaron et Mariam : *Et si fuerit « prophetes in vobis, in visione cognoscar illi.* » Quid luculentius? Filius ergo ex substantiæ suæ conditione, quâ Deus est et Verbum, non minùs invisibilis est, quàm Pater; visibilis tamen ideò dicitur, quòd speciem assumat quâ videatur. Idem esse debet de Novatiano qui Tertullianum ubique consectatur, de Patribus synodi Antiochenæ, aliisque omnibus judicium. Non potuerunt enim illi Christi divinitatem et cum Patre æterno consubstantialitatem agnoscere, quin eumdem naturâ suâ invisibilem esse putaverint.

3° Quòd post concilium Nicænum multi scriptores ac fidei catholicæ propugnatores, eodem modo quo antiqui, de Patris invisibilitate et Filii visibilitate locuti sint; nec tamen haud dubiè consubstantialitatem evertere hâc loquendi ratione voluerint.

Hilarius lib. 4 de Trinit. sub finem : « Habes (apud Jeremiam) Deum in terrâ visum « et inter homines conversatum; et requiro « quomodò intelligendum existimes : *Deum nemo « vidit unquàm*.....Pater certè nonnisi Filio visibilis est. Quis est ergo iste, qui et visus est et « conversatus inter homines? Deus certè noster est, et visibilis in homine, et contrectabilis Deus..... Unus est enim mediator Dei et « hominum, Deus et homo, » etc.

Theodoretus lib. 5 adversùs hæres. cap. 1, Patrem quoque invisibilem esse decernit, Filium autem visum esse ab antiquis pronuntiat. Quæst. 5 in Exod., Angelum, qui sese Moysi conspiciendum dedit, non Patrem fuisse asseverat, quippe qui nullius esse nuntius possit; Filium autem esse à Patre missum.

Prudentius in Apotheosi, adversùs Patripassianos sic loquitur :

Quisquis homo vidisse Deum memoratur, ab ipso
Infusum vidit Gnatum; nam Filius hoc est
Quod de Patre micans se præstitit inspiciendum
Per species, quas posset homo comprendere visu.
Credite, nemo Deum vidit, mihi credite, nemo.
Visibilis de fonte Deus, non ipse Deus fons
Visibilis; cerni potis est, qui nascitur; at non
Innatus cerni potis est, etc.

Cassianus lib. 4 de Incarnat. cap. 9 : « Ille « unus est, inquit (Christus) ad Patriarchas « loquens, in Prophetis manens, ex Spiritu « conceptus..... Numquid enim Pater unquàm, « qui nonnisi Filio tantùm visibilis esse legitur, « aut in terris visus est, aut in carne editus, « aut inter homines conversatus est? non utique. »

Denique Ecclesiæ quædam Asiæ sub finem IV etiam seculi, initio Symboli Deum Patrem ut omnipotentem, sic invisibilem compellabant, quod ex Rufino constat, et ex iis quæ supra observavimus. An verò idcircò illi doctores, hæque Ecclesiæ post concilium Nicænum, Christum credebant non esse Deum, aut Patri consubstantialem? minimè. Ergo hæc invisibilitas Patris cum Filii divinitate et consubstantialitate apud ipsos consistebat. Si utrumque hoc conciliare potuerunt Patres et Ecclesiæ seculi IV, quidni et priorum temporum?

Instant : At iidem doctores inter alias quas afferunt causas, cur Pater videri non potuerit, hanc etiam allegant, quòd nempe incircumscriptus sit et immensus, nec loco moveatur. Ergo, cùm in eo Patrem distinguant à Filio, consequens est eos non putâsse Filium esse immensum nulloque loco circumscriptum. — Distinguo antecedens : Quòd immensus sit et nullo loco circumscriptus, talisque maneat ex peculiari personæ primæ proprietate, quæ obstat quominùs mittatur ad formam aliquam assumendam, et contra postulat ut Dei invisibilis personam semper sustineat, concedo; ex peculiari naturæ suæ conditione, nego. Cæterùm, ubi de re constat, de verbis non est litigandum; neque enim omnes majorum nostrorum locutiones aut rationes ad vivum sunt resecandæ. Ita Justinus rationem reddens cur Pater visus non fuerit, nec videri possit, affirmat obiter hoc ex eo fieri, quòd Pater ante mundum extiterit. An non etiam Filius ante mundum extitit? extitit certè, et quidem juxta ipsius Justini doctrinam. Quid ergo sibi voluit Justinus? Scilicet Deum nullo loco indigere aut contineri, cùm ante omnem locum et rerum universitatem extiterit. Itaque cùm talis sit Deus, Patrem, qui Dei majestatem semper retinuit, nullo unquàm sese inclusisse.

Objicies 3° : Justinus ibidem asserit Christum in hisce omnibus apparitionibus fuisse Patris ministrum. At Deus non potest esse cujusquam minister; in hoc autem multi veteres Justino pariter adstipulantur. Irenæus lib 4, cap. 17 : « Ministrat ei, inquit, ad omnia sua progenies et figuratio sua, id est, Filius et Spiritus sanctus, Verbum, et Sapientia quibus serviunt et subjecti sunt omnes « Angeli. » Clemens Alexandrinus Strom. li-

bro 7 : « Neque alio inquit, prohibitus unquàm « fuerit, qui est omnium Dominus (Christus), « maximè cùm boni et omnipotentis Patris « voluntati servit. » Origenes lib. 2 contra Celsum : « Si mandavit Deus, inquit, et con- « ditæ sunt creaturæ, quis juxta sententiam « prophetici Spiritûs posset esse tanti paterni « mandati executor, quàm ille, ut sic loquar, « animatus ejus Sermo et Veritas? » Tertullianus contra Praxeam capite 12 : « Exinde, in- « quit, in Sermone Christo assistente et admi- « nistrante Deus voluerit fieri, et Deus fecit. » Episcopi sex synodi Antiochenæ : « Hunc cre- « dimus, inquiunt in epist. ad Paulum Samo- « satenum, cùm Patri semper coexisteret, pa- « ternam implêsse voluntatem in rerum om- « nium creatione. » Idem ferè ait Methodius martyr apud Photium cod. 235. Ergo unanimi consensu veteres tradunt Christum esse ministrum Patris, atque adeò ipso inferiorem.

Distinguo majorem : Justinus unà cum pluribus ex antiquis Christum docet fuisse ministrum Patris impropriè sic dictum, quòd ejus voluntatem executus fuerit, cùm in rerum creatione, tum in aliis, concedo; propriè dictum, id est, inferioris naturæ aut conditionis servum, nego. Quocirca *ministri* vox duplici modo accipi potest. Si autem propriè usurpetur, non cadit in Filium. Hinc sancti Patres, cùm eâ passim uterentur Ariani, eam ut hæreticam rejecerunt; v. g., Athanasius orat. 3 contra Arianos; Hieronymus Apolog. 1 contra Rufinum; Cyrillus Alexandrinus dial. 3 de Trinit. et lib. 1 comment. in Joannem cap. 5. At impropriè tamen potest de Filio et Dei Verbo dici, propterea quòd Dei Patris voluntatem executioni demandaverit. Quòd autem hoc duntaxat sensu veteres illi Christum *Patris ministrum* appellaverint, multa arguunt.

1° Quòd iidem aliàs Filium Dei esse ministrum negent ac servum. Hermas lib. 3, simil. 5, num. 6 : « In servili conditione non « ponitur Filius Dei. » Justinus ipse epist. ad Diognetum : « Ipse, inquit,..... omnipotens « Deus,.... Verbum..... inter homines loca- « vit,.... non quemadmodùm aliquis conjicere « possit, misso hominibus ministro aliquo, « sive Angelo,.... sed ipso opifice et creatore « omnium,.... tanquàm rex mittens filium « regem, misit tanquàm Deum. » Irenæus lib. 3, cap. 8, negat Filium ideò in subjectione fuisse. Gregorius Thaumaturgus in Confessione fidei : « Non igitur, inquit, crea- « tum quid, aut servum in Trinitate (est). »

Proinde juxta veteres Filius Dei minister est, et non minister, vario videlicet sensu; minister impropriè loquendo, propriè autem loquendo non est minister.

2° Quòd iidem sancti doctores non solùm alibi Filii cum Patre consubstantialitatem adstruant, eòque inferioris conditionis naturam eliminent; sed etiam iisdem ipsis in locis, quæ objiciuntur, nonnulla adjungant et intermisceant, quæ hæreticam impietatem submovent. Justinus enim ibid. ex professo probat Christum esse Deum, Israelis Deum, qui Moysi dixit : *Ego sum qui sum*. Irenæus pariter lib. 4, cap. 17, ab opificio mundi cujuscumque creaturæ consortium, ac præsertim Angelos, quibus illud tribuebant Gnostici, excludere studebat, atque adeò hoc ipso Filium et Spiritum sanctum è numero eximit creaturarum. Hinc alibi lib. 1, cap. 19; lib. 2 cap. 55; lib. 4, cap. 37, asserit Patrem omnia fecisse per semetipsum, cùm omnia fecit per Filium, quia nempe Filius est ejusdem cum ipso substantiæ. Clemens Alexandrinus sic Filium esse ministrum pronuntiat, ut idem tamen omnium supremus Dominus sit, cujus voluntati nemo resistere queat. Origenes lib. 2 contra Celsum, Filium Dei, his ipsis verbis quæ opponuntur, ab omnibus creaturis secernit. Tertullianus verò omnium disertissimè quo pacto Filius Patri ministrâsse dicatur aperit. Illic enim ex professo demonstrat adversùs Praxeam, Filium esse à Patre distinctum et verum Deum. Id autem adstruit ex eo quòd Scriptura duos in creatione exhibeat nomine *Dei insignites*, quorum alter dixerit, ut omnia fierent, alter verò eadem fecerit : « Dixit Deus : Fiat lux, inquit « cap. 12,.... et Deus fecit; et dixit Deus : « Fiat firmamentum, et fecit Deus firmamen- « tum; et dixit Deus : Fiant luminaria; et fecit « Deus luminare majus et luminare minus :.... « id est, Sermo Dei per quem omnia facta « sunt..... Quòd si Deus est secundùm Joan- « nem, *Deus erat Sermo*, habes duos, alium « dicentem ut fiat, alium facientem. Alium « autem quomodò accipere debeas jam pro- « fessus sum, personæ, non substantiæ no- « mine; ad distinctionem, non ad divisionem. « Cæterùm, etsi ubique teneo unam substan- « tiam in tribus cohærentibus, tamen alium « dicam oportet ex necessitate sensûs, eum « qui jubet, et eum qui facit; » etc. Quid luculentius? Jubet Pater, administer est Filius; nec tamen substantia diversa est, nec minùs Filius est Deus quàm Pater. Certè in

libro contra Hermogenem cap. 18, Christum, quem Dei Σοφίαν vocat, non esse subditum, conceptis verbis asserit; et alibi non esse minorem Patre. Tandem episcopi synodi Antiochenæ in eâdem epistolâ, in quâ statuunt Filium Patri jubenti obtemperâsse, ipsum ess. a Patri æqualem conceptis verbis asserunt.

Quæ cùm ita sint, ita Filius est Patris minister, ut idem nihilominùs sit verus Deus perinde ac Pater, ipsi æqualis, uno verbo ejusdem omninò cum ipso substantiæ.

3° Quòd etiam post Nicænam synodum nonnulli occurrant Patres, qui eâdem ratione locuti fuerint, et has voces explicuerint. Hilarius lib. 5 de Trinit. ait Filium « in creando « mundo obedientem dictis Dei, Deum fuisse. » Gregorius Nazianzenus orat. 36 : » Manifestum « est, inquit, quòd rerum earumdem formas « (in ipso) imprimit Pater, exequitur autem « Verbum; non serviliter nec imperitè, sed « scienter et heriliter, et ut aptiùs loquar, « paternè. » Quæ ad veterum et Scripturæ ipsius interpretationem diligenter observanda sunt. Auctor operis de Incarnatione, apud Augustinum tom. 4, lib. 1, cap. 2, dicit Filium in omni conditione Patri ministrâsse, quia per ipsum omnia facta sunt.

Hæc ergo locutio per sese non pugnat cum fide in Christi divinitatem, quam illi haud dubiè habuerunt, qui à nobis modò sunt appellati; si autem apud eos res ita se habuit, quidni eodem ac pari jure de antiquis existimabimus, qui nondùm litigantibus hæreticis securiùs loquebantur?

Objiciunt 4° : Justinus censuit Filium quidem esse auctorem rerum universitatis; sed tamen simul affirmat in Dialogo cum Tryphone, Patrem ei cujuslibet rei faciendæ præceptum dedisse; quod idem non pauci ex antiquis etiam definiunt. Irenæus lib. 3, cap. 8 : « Ipse, « inquit, præcepit (Deus,) et creata sunt; « ipse dixit, et factum est. Cui præcepit? « Verbo scilicet » etc. Tertullianus contra Praxeam, cap. 12 : « Alium dicam oportet ex « necessitate sensûs, eum qui jubet, et eum « qui fecit. » Origenes lib. 2 contra Celsum, supra, et lib. 6, pag. 317. Hippolytus martyr in libro contra Noetum : « Pater mandat, in- « quit, Filius perficit; Filius autem ostenditur, « per quem Pater creditur. » Sic et episcopi sex concilii Antiocheni in epist. ad Paulum Samosatenum, similiter asserunt Patrem Filio præcepisse ut orbem conderet. Ex eo autem colligunt Filium esse à Patre distinctum : « Qui enim præcipit, inquiunt, alteri præcipiat « necesse est. » Ergo non putârunt illi Christum ejusdem esse cum Patre conditionis.

Distinguo majorem : Justinus aliique statuunt Patrem Filio præcepisse impropriè, ut cuncta faceret, concedo; propriè, nego. Non ergo Filio propriè præcepit Pater, quasi in ipsum, ceu in inferioris naturæ servum, imperium et auctoritatem exercuerit; sed impropriè, quatenùs æternâ ipsâ generatione rerum faciendarum rationem ac voluntatem suam ipsi communicavit. Neque verò aliud sibi voluerunt prisci illi Ecclesiæ doctores, dùm ita sunt locuti; in quo respiciebant ad illum Psalmi 32 locum, versu 9 : *Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.* Cùm enim aliunde nôssent omnia esse facta per Verbum, inde collegerunt Patrem Verbo mandâsse ut aspectabilem hanc rerum molem conderet. An verò hâc de causâ sibi persuaserunt Verbum esse alterius à Patre et inferioris conditionis? Nequaquàm profectò,

1° Enim supra satis evicimus eosdem nihilominùs Christum pro vero Deo habuisse, et fusiùs deinceps probabimus.

2° His ipsis in locis, quæ obtenduntur, Christi divinitatis et ipsius cum Patre consubstantialitatis non pauca extant nec obscura documenta. Justinus enim ibidem ex professo demonstrat adversùs Judæos Christum esse Deum. Irenæus pariter id probandum suscipit capite illo 8 libri 3, pag. 448. Illic autem appellat Christum *verum, ac solum Deum*; negat ipsum esse in subjectione; eumdem distinguit ac longè separat à creaturis : eumdem insuper increatum et infectum, æternumque esse pronuntiat : « Sed nec quidquam, « inquit, ex iis quæ constituta et in subjectione « sunt, comparabitur Verbo Dei per quem « facta sunt omnia, qui est Dominus noster « Jesus Christus; quoniam sive Angeli, sive « Archangeli, sive Throni, sive Dominationes « ab eo, qui super omnes est Deus, constituta « sunt et facta per Verbum ejus. Joannes qui- « dem sic significavit..... *Omnia per eum facta « sunt et sine eo factum est nihil.* David quoque « cùm..... enumerâsset..... cœlos et omnes « virtutes eorum, adjecit : *Quoniam ipse præ- « cepit, et creata sunt*..... Cui ergo præcepit? « Verbo scilicet..... Altera autem sunt quæ « constituta sunt ab eo qui constituit, et quæ « facta sunt ab eo qui fecit. Ipse enim infectus « et sine initio, et sine fine, ipse sibi suffi- « ciens :.... quæ verò ab eo sunt facta, initium

« sumpserunt, etc. Ita ut quidem qui omnia « fecerit cum Verbo suo justè dicatur Deus et « Dominus solus. » Tertullianus eâdem ratione, quòd Pater in Scripturis Filio præcepisse affirmetur, ex eo quidem colligit ipsum esse à Patre distinctum; sed ibidem monet eamdem esse nihilominùs utriusque substantiam. De Origene res perspicua est ex iis, quæ contra Celsum protulit, et nos aliquando ex eo proferemus. Hippolytus omnium clarissimè, quomodò consubstantialitas cum hoc præcepti genere cohæreat, his verbis exponit : « Pater « mandat, Filius perficit. Filius autem osten- « ditur per quem Pater creditur. OEconomia « consensionis redigitur ad unum Deum. Unus « est enim Deus, qui mandat Pater, qui obedit « Filius, qui docet scientiam Spiritus sanctus. « Pater qui est super omnia, Filius per omnia, « Spiritus sanctus in omnibus. » Episcopi denique synodi Antiochenæ simul testantur Patrem Filio præcepisse, et Filium esse æqualem Patri.

3° Si spectetur scopus veterum illorum, res adhuc apertior erit. Non enim illi pugnant isto Scripturæ loco, ut naturam Patris et Filii diversam esse ostendant; sed ut duas in Deo esse personas demonstrent. Id enim agebat adversùs Judæos Justinus, adversùs gentiles Origenes, adversus Noetum Hippolytus, adversùs Praxeam Tertullianus, adversùs Paulum Samosatenum præsules synodi Antiochenæ.

4° Id adeò Arianum non est, ut qui post concilium Nicænum Arianam hæresim debellârunt, eodem modo loqui interdùm non refugerint. Athanasius enim in libro de Decretis Nicænæ synodi, hæc de Psalmo 32 : *Ipse mandavit, et creata sunt,* sic exponit, ut Pater Filio mandaverit. « Quis itaque ille est, cui Deus « mandavit?.... Nam esse oportet Verbum, « cui Deus mandat. » Adde Orationem contra gentes. Marius Victorinus lib. 1 de rerum Creatione sic ait :

Quæ, mandante Deo, cùm plenus mente Parentis Filius omnipotens faceret.

Hilarius lib. 4 de Trinit explicans hæc Genesis verba : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram :* « In eo, inquit, quod « dicitur : *Faciamus*, et jussio exæquatur, et « factum.... *Et vidit Deus* (Verbum) *quia bona « sunt;* placere Patri opera sua gaudet ex præ- « cepto ejus effecta. » Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 16, Patrem agnoscit Filio Verbo imperâsse. « Tria intelligis, inquit, mandantem « Dominum, creans Verbum, et confirmantem « Spiritum sanctum. » Cyrillus iterùm lib. 29 Thesauri. Prosper ad Psalmum 148, sic ait : « *Ipse mandavit, et creata sunt :* quod enim « Deus dicit, Verbo dicit, et Verbum, per « quod facta sunt omnia, mandatum dicen- « tis exequitur. » Quibus adjungi possunt quæ supra de ministerio notavimus.

Nullum itaque dubium est, quin hæc locutio catholicum sensum possit suscipere. Quod et Petavius, durus alioqui veterum censor, agnoscit lib. 2, cap. 7, num. 7.

Objiciunt 5° : Justinus asserit in eodem Dialogo Filium Verbum esse à Patre genitum virtute et consilio ipsius, δυνάμει καὶ βουλῇ αὐτοῦ. Ergo non ex naturâ et necessariò. — Distinguo antecedens : Virtute et consilio ipsius, quatenùs virtus quædam pro facultate quâlibet agendi accipitur; consilium autem cæcæ et fatali necessitati opponitur, concedo, secus, nego.

Objiciunt 6° : Ibidem statuit Filium sic esse à Patre genitum, ut ignis ab igne accenditur. Atqui ignis ab igne accensus distinctam ab eo naturam habet. Ergo simili ratione Filius distinctam à Patre naturam habet. — Distinguo majorem : Sic esse genitum ut ignis, etc., aliquâ ex parte, concedo; omni ex parte, nego. Ergo hæc comparatio consubstantialitatem arguit; sed perfectam naturæ unitatem, ut non exprimit, ita non excludit. Justinus porrò ne quis naturæ diversitatem inde eliceret, ibidem ait non esse dispertitam Patrem inter et Filium substantiam.

Objicit 7° Sandius, Christum à Justino appellari *Angelum creatum.* — Respondeo id apud Justinum nuspiam reperiri.

Objiciunt 8° Justinum asseverare, fuisse tempus cùm non esset Filius, et *genitum* idem esse quod *conditum* et *creatum.* — Respondeo id falsum quoque esse; neutrum enim Justinus unquàm dixit. Utrumque dixit auctor Quæstionum et Responsionum ad Græcos et Eversionis Aristotelicorum dogmatum inter opera Justini; sed utrumque de mundo dixit, non de Christo.

Objiciunt 9° Justinum primum esse qui docuerit Christum ante Beatam Mariam virginem extitisse. Ergo, etc. — Nego antecedens. Præterquàm quòd enim Scripturæ illud clarissimè demonstrant, et Ecclesia ante Justinum pro hæreticis habuit Cerinthianos et Ebionitas, qui illud idem negavêre, Barnabas Christum priùs orbe fuisse, et Hermas omni creaturâ antiquiorem esse disertè pronuntiant.

Tatianus. — Justini Martyris discipulus fuit Tatianus, qui cùm diu apud omnes Catholicos insigni nominis commendatione floruisset, in hæresim postmodùm infeliciter lapsus est. Verùm de sanctissimâ Trinitate rectè semper sensit, adeò ut Caius, jam à nobis memoratus, ipsum inter illustrissimos divinitatis Christi assertores collocet. Etverò, in Oratione ad Græcos, pag. 145, ita loquitur : « Nunc mani- « festiùs, inquit, religionis nostræ arcana pan- « dam : Deus erat in principio. Principium « autem esse Verbi potentiam accepimus. Et- « enim Dominus omnium, cùm ipse totius « esset universi substantia, quatenùs nulla ad- « huc erat facta creatura, solus extabat ; qua- « tenùs verò tota vis et potentia ac tam eorum « quæ videri possunt, quàm eorum quæ videri « nequeunt, substantia erat ipse, cum eo erant « omnia; nam cum ipso per rationalem vim, et « ipse, et Verbum, quod in ipso erat, substi- « tit. Volùntate autem simplicitatis illius Ver- « bum prosiliit, quod quidem non in vacuum « progrediens, primogenitum opus Spiritûs « fuit. Hunc scimus esse mundi principium ; « natus est autem participatione (seu com- « municatione), non abscissione : quod enim « abscinditur, à primo separatur : quod verò « communicatur, id functione donatum pro- « priâ, nihil imminuit illum à quo vim suam « sumpsit. Quemadmodùm enim ab unâ face « aliæ multæ accenduntur, nec tamen primæ « facis lux imminuitur propter plures inde « succensas ; sic etiam Verbum è Patris vir- « tute progressum, non reliquit genitorem « Verbi expertem.... Ipse materiam sibi fabri- « cavit.... Non enim initii expers est materia, « quemadmodùm Deus; neque ipsa, ut initii « expers, parem Deo potentiam habet; sed « facta est, neque ab alio facta, sed ab uno « omnium fabricatore producta. » Pag. 146 addit eamdem Verbi potentiam seu Verbum ipsum hominem condidisse; sed posthàc reli- quisse propter peccatum. Pag. 159 : « Non « desipimus, inquit, ô Græci, neque nugas « vobis proferimus, Deum sub hominis formâ « natum nuntiantes. »

Sic Tatianus, cujus oratio quidem intricata est, sed quoad propositum nostrum non est ob- scura. 1° Enim illic docet Verbum Dei (quod quidem *principii* ac *potentiæ* nomine donat) æternum esse, utpote in quo Deus esset ante- quàm creatura ulla prodiisset. 2° Hoc idem Verbum à Patre distinctum fuisse significat, siquidem in eo erat Pater et cum Patre ipsum erat. 3° Verbum ex Patre ita genitum esse affirmat, ut non sit divisa substantia. Proinde Verbum ejusdem est cum Patre naturæ. 4° As- severat Verbum ita se habere ad Patrem ut fax accensa se habet ad alteram ex quâ accensa est, proinde ejusdem esse cum Patre substan- tiæ. 5° Hoc ipsum Verbum esse materiæ, mundi et hominis conditorem pronuntiat. 6° Denique Christum esse Deum sub hominis formâ natum. Ergo.

Objiciunt 1° : Tatianus significat Verbum quidem in Patre fuisse ab omni æternitate; sed in potentiâ tantùm : « Cum ipso, inquit, « per rationalem vim (διὰ λογικῆς δυνάμεως), et « ipse (Deus Pater) et Verbum quod in ipso « erat, substitit. » Ergo Tatianus non existima- vit Verbum reipsà tunc extitisse. — Nego an- tecedens. Ad probationem distinguo : Per ra- tionalem vim substitit Verbum, ut per poten- tiam productivam, concedo; quæ nondùm ipsum produxisset, nego. Itaque Tatianus duplicem ibi divini Verbi statum aperit : primum ab omni æternitate ad mundi usque originem, alterum ab eo tempore quo condenda fuit rerum universitas. In primo autem statu ait Verbum substitisse intra Deum per rationalem vim, quia nempe per ipsam productum fuerat, et in eâ manebat; at cùm creanda fuerunt omnia, addit Verbum hoc idem ex Deo ad extra processisse. Cæterùm, quòd existima- verit Tatianus jam antea Verbum extitisse, et quidem à Patre distinctum, duo sunt quæ manifestè arguant. 1° Quòd ita tunc Verbum substitisse affirmet per rationalem vim, ut Pater ipse subsistebat. At Pater verè subsiste- bat, et solida jam tum haud dubiè erat per- sona. 2° Quòd Verbum jam tum fuisse cum Patre decernat; si autem cum Patre, profectò non ipse Pater erat.

Objiciunt 2° : At idem innuit Verbum hoc jam tum processisse à Patre, cùm orbis con- dendus fuit. Ergo, etc. — Distinguo antece- dens : Jam tum processisse ad extra, concedo; ad intra, nego. Veteres itaque idem quod nos de æterno Verbi divini statu senserunt; sed præter primam et æternam ipsius processio- nem, quæ tota interna est, alteram in exordio mundi temporalem et extrinsecam factam ad- miserunt, quâ Verbum à Patre prodierit, ut mundum conderet; quam etiam *generationis* nomine donârunt. Sed de hoc fusiùs infra ad Tertullianum.

Objiciunt 3° : Verbum ita progressum è Pa- tre primigenium ejus opus (ἔργον πρωτότοκον) νο-

cat. Ergo Verbum est creatura. — Distinguo antecedens : Opus vocat ratione formæ sensibilis et aspectabilis, quam tunc induit, concedo; ratione suî ipsius, et primævæ substantiæ, nego. Igitur iidem veteres existimabant Verbum sub aspectabili quâdam formâ tunc è Patre foras prodiisse ad opificium mundi. Ut ergo Christus postquàm carnem assumpsit, *factus* dicitur et *creatus;* ita hoc ipsum de eodem affirmat Tatianus, habitâ ratione illius formæ corporalis, quam initio rerum sibi finxit. Sed de hoc rursùs ad Tertullianum.

Miltiades. — Decimus testis accedit Miltiades, celeberrimus olim christianæ religionis defensor, qui eodem ævo quo Tatianus floruit. Quamvis autem nulla jam ipsius opera supersint, compertum tamen habemus ex Caio, à nobis non semel laudato, Miltiadem unum fuisse è præcipuis Ecclesiæ scriptoribus, qui perspicuè et apertè Christi divinitatem eo seculo professi essent ac docuissent.

Athenagoras. — Undecimo loco hìc à nobis recensebitur Athenagoras, qui egregiam iisdem temporibus pro Christianis Apologiam scripsit ad imperatores. In eâ porrò pag. 10, cùm de Christo Filio Dei disserere cœpisset : « Nec est, inquit, quòd quis ridiculum putet « Deo Filium à me attribui; non enim, ut « poetæ fabulantur, qui nihilò meliores homi- « nibus deos suos faciunt, vel de Deo Patre, « vel de Filio sentimus. Sed Filius Dei est Ver- « bum Patris in ideâ et operatione. Ab ipso « enim et per ipsum facta sunt omnia; cùm « Pater et Filius ita unum sint, ut Filius sit « in Patre et Pater in Filio per unionem et « potentiam Spiritûs. Quòd si vobis, qui in- « tellectûs subtilitate excellitis, altiùs repe- « tendum videtur, quidnam sibi velit hìc Dei « Filius paucis dicam, primigeniam illum esse « Patris progeniem, non quasi factum quid- « dam sit (à principio enim Deus, qui est « æterna mens, habuit ipse in seipso λόγον, « cùm æternùm sit λογικὸς) sed ita ut, cùm « materiâ concreta omnia, informisque natura « atque terra instar vehiculi subjicerentur, « in iisque crassioribus leviora admixta essent, « ad hoc, ut idea et actus illorum esset, pro- « dierit. » etc. Proinde juxta Athenagoram Christus 1° est Dei Filius ac Verbum; 2° Verbum æternum, quia Deus ab omni æternitate λογικὸς fuit; 3° Verbum à Patre distinctum, utpote primigenia illius progenies; 4° natura tamen cum ipso unum et idem, cùm ambo ita unum sint, ut Pater in Filio et Filius in Patre existat, 5° increatum ac non factum; 6° universitatis rerum causa ac principium. Quæ omnia simul juncta absolutam catholici dogmatis notionem exprimunt.

Ibidem pag. 11, diluens calumniam, quâ Christiani à gentilibus onerabantur, quasi athei forent : « Quis igitur non miretur, in- « quit, cùm audiat nos qui Deum Patrem « prædicamus, et Deum Filium, et Spiritum « sanctum, eorum in unitate virtutem, et in « ordine distinctionem explicantes, *atheos* vo- « cari? » Hæc plena est Trinitatis confessio : sic enim tres ordine distinguit personas, ut unus sint Deus; et quemadmodùm Pater est Deus, sic Filius sit Deus ac Spiritus sanctus, quem loco falsorum numinum Christiani colant et adorent.

Ibidem, pag. 17, ne quis existimaret hanc Patris et Filii distinctionem perfectæ illi monarchiæ officere, quâ orbis regitur, ostendit Athenagoras rectè posse monarchiam cum plurium personarum distinctione consistere; quod illustrat exemplo Marci Aurelii Antonini et Lucii Aurelii Commodi ejus filii, et ab eo in imperii societatem adsciti, qui unâ eâdemque auctoritate romanum orbem tunc regebant; licet illi non solùm distincti essent, sed unus alteri totam auctoritatem suam acceptam referret. Sic igitur ipsos imperatores alloquens, ait : « Ut vobis enim Pa- « tri et Filio in potestate sunt omnia, regno « divinitùs in vos collato; .... sic uni Deo et « Verbo, quod ab ipso est, hoc est Filio inse- « parabili subjecta sunt omnia. » Atque adeò Pater quidem et Filius distinguuntur; sed una tamen utriusque est auctoritas et natura.

Ibidem, pag. 27 : « Deum asserimus, inquit, « et Filium ipsiùs Verbum, et Spiritum san- « ctum virtute unitos; Patrem et Filium et « Spiritum sanctum. Filius enim Patris mens, « Verbum et sapientia est, et Spiritûs effluen- « tia, ut lumen ab igne. » Ubi brevi verborum summâ personarum trium cùm discrimen, tum consubstantialitatem dilucidè complectitur Athenagoras. Hinc illicò ad Angelos progrediens, pronuntiat esse potestates à Patre, Filio et Spiritu sancto diversas et à Deo factas; in quo à Filio et Spiritu sancto secernuntur.

Objiciunt 1° : Athenagoras videtur æternum Dei verbum non aliud esse arbitratus, quàm ipsammet Dei rationem ac sapientiam, quâ formaliter rationalis est ac sapiens. Sic enim habet verbis supra allatis : « A principio enim

« Deus, qui est æterna mens, habuit ipse in « seipso λόγον, cùm æternùm sit λογικὸς, » seu rationalis. Ergo non existimavit Verbum fuisse ab æterno personam peculiarem et à Patre distinctam. — Nego antecedens. Ad probationem distinguo : Habuit Pater in se ab æterno λόγον, quia æternùm fuit λογικὸς, seu rationalis; et qui rationalis est, Verbum producit à se distinctum, concedo; quasi Verbum illud ipsa Patris ratio fuerit, nego. Quocirca ita ratiocinatur philosophus ille christianus, non quòd Verbum fuerit ipsa Patris ratio, sed quòd si æternùm fuerit rationalis Pater, ab æterno quoque Verbum istâ ratione suâ producere debuerit; quâ ratiocinandi ratione ipsi etiam theologi utuntur.

Quòd si propterea censendus est Athenagoras Verbum à Patre non distinxisse, ejusdem pariter hæreseos accusandus est Athanasius, qui Oratione 2 contra Arianos, Verbi divini æternitatem eodem argumento probat : « Deus ex æterno est, inquit; ex æterno igitur « existente Patre, ex æterno quoque existet ejus « splendor, quod ipsum est Verbum. » Ac rursùm : « Deus existens ex se existens Verbum « habet; neque Verbum supervenit, cùm priùs « non esset; neque Pater unquàm sine ratione « fuit. » Vide eumdem orat. 1, 3 et 5. Ita quoque Basilius lib. 4 contra Eunomium; Gregorius Nyssenus lib. 7 contra eumdem; Gregorius Nazianzenus orat. 35, et alii quamplurimi, quos Petavius recenset lib. 6, cap. 9, ubi veterum illorum mentem egregriè explicat. « Quod ad veteres « illos attinet, inquit, qui sic disputant ideò « coæternum, συναίδιον esse Patri Filium, quia « nunquàm Pater sine sapientiâ (et ratione).... « extitit, rectè ab illis usurpantur ista, si non « formali, ut appellant, sensu, sed causali, « vel illativo capiantur. Quamvis enim Filius, « quâ Filius est, non sit illa ipsa sapientia, « quâ Pater est sapiens, necessariò tamen cum « illâ conjungitur, ab eâque oritur. Quippe « sapientia vel intelligentia quæ est in Patre, « imò quæ est Pater, actus est simplex, non « habitus aut facultas. Porrò actus omnis sapien- « di intelligendique, expressam notionem sive « sapientiam, hoc est, Verbum necessariò com- « plectitur; neque sine illo potest vel animo « concipi. Meritò itaque Patres æternitatem « Verbi ex Patris æternitate deducunt. » At si hæc, ipso judice Petavio, valent ad excusandos tot posteriores Patres, quidni eadem defendendo Athenagoræ inservient, quem tamen adeò inclementer notat idem Petavius lib. 1, cap. 3, num. 4 præsertim cùm apud Athenagoram non desint perspicua Verbi à Patre distinctionis indicia.

Objiciunt 2° : Subjicit ibidem Athenagoras Verbum è Patre prodiisse, ut actus esset rerum omnium, easque è nihilo educeret. — Distinguo antecedens : E Patre prodiisse ad extra, concedo; quasi tunc primùm subsistere cœperit, nego. Idem ergo est, qui Tatiani supra, sensus. Quòd autem non sit Athenagoras arbitratus tum demùm esse cœpisse Verbum, ex eo patet quod addit, ipsum non esse *factum quid*. Si enim certo tempore à Patre fuisset profectum, in rerum factarum et creatarum ordinem necessariò veniret.

Objiciunt 3° : At idem S. doctor propter illam Verbi à Patre ad orbem fabricandum progressionem, Verbum ipsum appellat *primam Patris progeniem*. — Distinguo antecedens : Primam Patris progeniem, habitâ ratione formæ sensibilis quam tunc assumpsit, concedo; quasi tum primùm genitum esset Verbum, nego. Quapropter, ut ad Tatianum observavimus, antiqui duplicem Verbi generationem distinxerunt; primam æternam, ad intra latentem et occultam, quâ Verbum processit; alteram temporalem, ad extra, et sensibilem, ad mundi creationem. De hâc secundâ loquitur hîc Athenagoras.

Objiciunt 4° : Idem ait Verbum esse in ideâ et operatione. Ergo Verbum non ante erat, quàm operaretur. — Distinguo antecedens : Verbum esse internum in ideâ, et extrinsecùs prolatum in operatione, concedo; secus, nego. Nimirùm duobus his verbis geminum Verbi statum complectitur. Primò enim Verbum ab omni æternitate fuit apud Patrem latens in ideâ, et ex ipsâ productum; postea verò ad opificium mundi Verbum idem prolatum est extrinsecùs in operatione.

Instant : Idem pronuntiat ibidem, quidquid genitum est, id aliquando cœpisse et desiturum esse. « Res omnis, inquit, vel est ingenita, « adeòque æterna, vel genita, adeòque cor- « ruptibilis. » At idem statuit Verbum esse genitum. Ergo. — Distinguo majorem : Quidquid genitum est, id est, factum ac creatum, concedo; propriè genitum, nego. Vocem γεννητὸν usurpat illic Athenagoras de rebus creatis; atque adeò idem est quod γενόμενον seu factum et creatum. At idem negat Verbum esse γενόμενον seu factum.

Epipodius martyr. — Duodecimus ordine à nobis allegabitur Epipodius, martyr Lugdunen-

sis clarissimus, quem cùm ita affatus esset præses : « Video te juvenem, et nefas est ut in « intentione pravi propositi perseveres et per- « eas.... Nos deos colimus lætitiâ, convivio, « cantionibus, ludis;..... vos verò hominem « crucifixum, cui placere non possunt qui « his omnibus perfruuntur; qui lætitiam re- « spuit, jejuniis delectatur..... Ad hæc Epi- « podius : Pietas ista, inquit, crudelitas est; « vobiscumque vivere, mors est æterna; cæ- « terùm à vobis perire, gloriosum est. Sem- « piternum verò Dominum nostrum Jesum « Christum, quem crucifixum memoras, re- « surrexisse non nôsti, qui ineffabili mysterio « homo pariter et Deus, famulis suis trami- « tem immortalitatis instituit.... Christum cum « Patre et Spiritu sancto Deum esse confiteor; « dignumque est ut illi animam meam refun- « dam, qui mihi et creator est et redemptor. »

Theophilus Antiochenus. — Sequitur Theophilus, Antiochenus episcopus, eruditus et elegans auctor, qui cùm multa ediderit sub finem II seculi, ex his omnibus tres tantùm ad nos pervenêre libri, ad Autolycum inscripti. Libro autem 2, pag. 88, de Patre et Filio, seu Λόγῳ, et Spiritu sancto, quem *Dei sapientiam* vocat, ita loquitur : « Primum omnium, « inquit, uno consensu nos (Prophetæ) docue- « runt (Deum) ex nihilo omnia creâsse. Nihil « enim cum Deo floruit; sed cùm ipse sibi lo- « cus esset, nullius indigens, et ante secula « subsistens, voluit hominem, à quo cogno- « sceretur, condere. Huic igitur præparavit « mundum. Hic factus est, ac proinde egens « est; ille verò infectus, nullius rei eget. Deus « igitur in suis visceribus τὸν Λόγον habens, ip- « sum unà cum sapientiâ suâ proferendo, genuit « ante hæc universa. Hunc Λόγον administrum « habuit operum suorum; et omnia, quæ con- « didit, per ipsum fecit. Hic *principium* dicitur, « quia dominium habet in omnia, quæ per ip- « sum facta sunt. Hic igitur existens Spiritus « Dei, ... descendit in Prophetas, per quos « tam de mundi creatione, quàm de reliquis « omnibus locutus est. Non enim erant Pro- « phetæ, cùm mundus crearetur; sed Sapien- « tia Dei, quæ in ipso est Verbum ipsius san- « ctum, (Λόγος αὐτοῦ ἅγιος) ipsi semper affuit. »

Ibi, ut patet, Theophilus sentit, 1° Verbum Patri æterno semper affuisse, hoc est, ab omni æternitate. 2° Verbum idem à Patre distinguit; ait enim hunc Λόγον fuisse in visceribus Patris, et ab ipso genitum esse, et unà cum ipso fuisse antequàm mundus crearetur, uno verbo ei semper affuisse, ἀεὶ συμπαρὼν αὐτῷ. Jam verò, ut subtiliter ac verè notat Athanasius Oratione 2 contra Arianos, omne coexistens, non sibi ipsi, sed alteri coexistit. 3° Uni eidemque Verbo à Patre genito mundi opus attribuit et Prophetarum vaticinia. Ergo orbem condidit et Prophetas afflavit. Proinde verus est ac summus Deus.

Ibidem, pag. 94, Trinitatem in Deo conceptis verbis agnoscit ex Deo, Verbo et Sapientiâ (seu Spiritu sancto) constantem : hujusque sanctissimæ ac divinæ Trinitatis, videlicet Dei et Verbi ipsius, ac Sapientiæ, figuram fuisse tres illos dies, qui in mundi creatione solis ac lunæ procreationem antecesserunt. At, quod rectè observat Gregorius Nazianzenus orat. 13, « Trinitas autem non est inæqualium rerum « enumeratio (quid enim alioqui prohibeat « quin et decadem, et centuriam, et myriadem « nominemus, si cum tot numeris compona- « tur? multa quippe, multòque plura his in « numerum cadunt); sed æqualium et honore « parium complexio. »

Ibidem, pag. 100, Athenagoram imitans, de Filio Dei sic habet : « Nec arbitreris, inquit, « ut poetæ et fabularum scriptores perhibent, « Deorum filios ex concubitu esse natos; sed « intellige, ut veritas docet, τὸν Λόγον æternum « existentem, atque insitum in corde Dei. An- « tequàm enim quidquam factum esset, hunc « consiliarum habuit, ut qui mens et prudentia « ejus sit. Cùm verò jam condere, quæcumque « deliberaverat, instituisset, hunc Λόγον genuit « prolatum, primogenitum omnis creaturæ; « non quasi Verbo (τοῦ Λόγου) ipse exinanitus « fuerit; sed Verbum gignens, cum Verbo suo « æternùm conversatus est. Hæc docent nos « sacræ litteræ et omnes sancto Spiritu affla- « ti, quorum de numero est Joannes, ad hunc « modum disserens : *In principio erat Verbum, « et Verbum erat apud Deum*, significans in « principio solum fuisse Deum, et in eo Ver- « bum. Postea infert : *Deus erat Verbum; omnia « per ipsum facta sunt, et sine eo factum est « nihil*..... Deus existens Verbum, utpote ex « Deo genitum, » etc. Itaque Theophilus hîc docet 1° Christum, seu Verbum Dei, ab omni æternitate Patri coexistitisse, ut Filium ipsius. 2° Hoc ipsum Verbum fuisse pariter à Patre distinctum; ait enim Verbum illud fuisse Patris consiliarium, et ab ipso genitum, et cum illo ab omni æternitate fuisse. 3° Per illud Verbum omnia esse facta. 4° Verbum idem Deum esse disertissimè definit.

Objiciunt 1° : Theophilus Antiochenus ibidem significat Verbum non fuisse ab æterno à Patre distinctum ; ait enim nihil aliud ipsum fuisse quàm mentem et prudentiam seu sapientiam. Ergo. — Distinguo antecedens : Mentem et sapientiam à Patre genitam ac personalem, concedo ; formalem ac essentialem, nego. Itaque Scripturæ Christum appellant *Dei sapientiam,* nec pauci Patres post concilium Nicænum *sapientiam genitam.* His autem si istud licuit, et legitimus sensus tribuitur, multò magis eâdem æquitate gaudere debet Theophilus.

Instant : Hoc idem Verbum Theophilus appellat *insitum corde Dei,* ἐνδιάθετον. Atqui ita appellari consuevit ratio ipsa. Ergo. — Distinguo majorem : Ἐνδιάθετον, quòd intrinsecùs maneret in corde Dei, necdùm foras prodiisset concedo ; quòd nondùm distingueretur, nego. Ibidem decernit hoc Verbum fuisse consiliarium Dei. At consiliarius non est idem cum eo cujus consiliarius esse dicitur.

Objiciunt 2° : At ibidem subjungit Verbum esse tunc à Patre prolatum et genitum, cùm mundus jamjam condendus esset. — Distinguo antecedens : Prolatum foras et genitum extrinsecùs, ratione formæ tunc assumptæ, concedo ; quasi nondùm genitum foret, nego. Hoc ipsum est de quo ad Tatianum et Athenagoram verba jam fecimus, et de quo infra ad Tertullianum plenius facturi sumus. Duplicem Verbi originem veteres illi admiserunt ; unam æternam et immanentem ; alteram certo tempori affixam et extrinsecùs prodeuntem, quam *generationem* non semel, imò frequentiùs quàm alteram, nominaverunt. Licet autem Theophilus primam originem Verbi hoc nomine non donet, id tamen agnovit. Verbum enim quatenùs in Patre erat, *Filium ipsius* vocat ; Filius autem sine generatione non est.

Instant : Ariani in eo hæretici habiti sunt, quòd licet Verbum ἐνδιάθετον, seu immanens, ab æterno, in Deo admitterent, Christum dicerent esse Verbum prolatum et prolatione generatum, quando cuncta creanda fuerunt. Atqui illud idem docet Theophilus. — Distinguo majorem : Quòd Christum dicerent esse Verbum prolatum, sed distinctum ab immanenti, quod æternum erat, concedo ; idem cum æterno immanente Verbo, nego. Ariani Verbum quidem, seu Λόγον, in Deo æternum et insitum admittebant ; sed illud à Patre non distinguebant. Nihil enim aliud erat juxta ipsos, quàm ratio ipsa et sapientia formalis Dei ; atque in eo primùm hæretici erant. Deinde verò in eo insuper errabant, quòd Verbum immanens et æternum distinguerent ab eo, quod prolatum est in opificio mundi. Cùm autem affirmarent Christum esse hoc postremum Verbum, inde consequens erat Christum non esse æternum, sed Verbum aliquod factitium à primo illo creatum.

Jam verò Theophilus aliique veteres longè distant ab his deliramentis. 1° Enim Verbum quidem æternum et immanens in Deo agnoscunt, sed illud distinguunt à Patre. 2° Verbum hoc ipsum æternum et immanens à Patre prodiisse addunt ad opificium mundi, et hunc Christum esse ; unde perspicuum est ipsos admisisse Christi cùm æternitatem tum distinctionem. Ut paucis rem totam complectamur, Ariani duplex Dei Verbum admiserunt, primum increatum, æternum et immanens, sed à Patre non distinctum ; alterum temporale, creatum et à Deo alienum ; et hunc esse Christum pronuntiârunt. Antiqui autem unum idemque Verbum esse definierunt ; sed duplicem ipsius statum distinxerunt. Quâ in parte leviter à consuetâ theologicarum scholarum ratione abierunt. Vide Bullum sect. 3, cap. 4, num. 2, pag. 328 ; et cap. 7, num. 4, pag. 363.

Objiciunt 3° : Theophilus catholico more non exposuit Trinitatem. Scilicet ibidem eam ex Patre, Filio et Sapientiâ conflat. Atqui hæc non est Trinitas quam Ecclesia novit. Ergo. — Distinguo majorem : Et Sapientiâ, id est, Spiritu sancto, concedo ; sapientiâ essentiali et formali, nego. Nomen ergo *Sapientiæ* in Deo multifariàm sumitur : ac 1° quidem pro eâ quæ communis est tribus personis, ut et ipsa natura, cujus est attributum ; 2° peculiari jure pro secundâ personâ, seu Verbo, propterea quòd ex intellectu procedit ; 3° tandem apud veteres sæpè nomine illo designatur Spiritus sanctus ; quod pluribus eorum testimoniis confirmare operosum non foret. Sic enim præter Theophilum, loquuntur Irenæus lib. 2, cap. 55 ; et lib. 4, cap. 37 ; Origenes lib. 6 contra Celsum, pag. 232 ; Hippolytus homil. de uno Deo et trino, etc. Porrò Theophilus Sapientiam hic distinguit à Patre et Filio ; proindè necessariò eâ voce intelligit Spiritum sanctum, quomodò et ibidem rursùs, cùm ait Deum initio rerum protulisse ex sese Verbum et Sapientiam, hoc est, Filium et Spiritum sanctum, quibus Scripturæ adscribunt mundi creationem : *Verbo*

Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Irenæus. — Quæ hucusque dicta sunt, non confirmat modò, sed etiam mirum in modum illustrat Irenæus, Polycarpi discipulus, Lugdunensis episcopus, sed et sanctissimus martyr. Libro enim 1, cap. 2, cùm antea exposuisset insana Valentini commenta, catholicæ fidei summam sic contra opponit : « Ecclesia, in- « quit,.... ab Apostolis..... accepit eam fidem, « quæ est in unum Deum Patrem,..... et in « unum Jesum Christum Filium Dei incarna- « tum pro nostrâ salute, et in Spiritum san- « ctum,... ut Christo Jesu, Domino nostro et « Deo..... omne genu curvetur, cœlestium, « terrestrium et infernorum. » Quo in loco Irenæus ex Symboli communi fide et Ecclesiæ doctrinâ Christum esse Deum ab omnibus adorandum pronuntiat. Ibidem, cap. 19, tradit omnia à Patre simul ac Filio seu Verbo, et Spiritu sancto creata esse : « Cùm teneamus, « inquit,.... regulam veritatis, id est, quia sit « unus Deus omnipotens, qui omnia condidit « per Verbum suum... ex eo quod non erat,... « quemadmodùm Scriptura dicit : *Verbo Do-* « *mini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus om-* « *nis virtus eorum*.... Omnia per ipsum fecit « Pater ;... non per Angelos, neque per vir- « tutes aliquas abscissas ab ejus sententiâ, (ut « Gnostici somniabant) ; nihil enim indiget « omnium Deus ; sed per Verbum et Spiritum « suum omnia faciens et disponens et guber- « nans, et omnibus esse præstans. » Ibi remo- vet ab opere creationis mundi quidquid Deo extraneum est ; in operis autem istius communione unà cum Patre admittit Filium et Spiritum sanctum. Ergo ambo non alterius sunt à Patre naturæ.

Libro 2, cap. 18, adversùs Gnosticos pugnans, qui aiebant, ut cap. 16 notaverat, ex Deo emissam esse Ennœam, et ex Ennœâ Nun, et deinceps ex iis Λόγον (seu Verbum) : « Lationem prolativi hominum verbi transfe- « runt in Dei æternum Verbum, et prolationis « initium donantes et genesin..... Et in quo « distabit Dei Verbum, imò magis ipse Deus, « cùm sit Verbum, à verbo hominum, si eam- « dem habuerit ordinationem et emissionem « generationis? » Quibus sanè verbis definit Verbum Dei esse æternum ac Deum, eosque tanquàm hæreticos arguit, qui ipsi initium darent, divinaque ex humanis æstimarent. Ibidem, lib. 2, cap. 43, Valentinianorum arrogantiam reprimens, qui rerum omnium nomina sibi vindicabant : « Si.... aliquis non « invenerit causam omnium, quæ requiruntur, « cogitet quia homo est in infinitum minor « Deo....Non enim infectus es, ô homo, neque « semper coexistebas Deo, sicut proprium ejus « Verbum. » Ergo Verbum Dei creatura non est ; sed infectum et increatum Deo semper coextitit. Ibidem, cap. 47, Gnosticos rursùm perstringens, qui divina humanis metientes sanciebant Verbum Dei initii expers non esse, et quamdam in processionibus seu probolis successionem ac seriem admittebant, decernit contra Verbum Dei ab hominum Verbo duplici ratione secerni. Ac 1° quidem, quòd Verbum Dei æternum sit, et Deo semper coextiterit, cùm hominum verba nec ipsis coexistant, et è silentio procedant. 2° Quòd Verbi Dei processio simul ac semel absoluta sit, cùm homines verba sua nonnisi per partes proferant, etc. Ibidem, cap. 55 : « Unus Deus fabricator hic « est,... qui fecit ea per semetipsum, hoc est, « per Verbum et Sapientiam suam (seu Spiri- « tum sanctum) cœlum et terram, et maria, « et omnia quæ in eis sunt..... Semper autem « coexistens Filius Patri olim et ab initio sem- « per revelat Patrem, et Angelis,.... et omni- « bus, quibus vult revelare Deus. » Itaque Deus fecit omnia per semetipsum, et tamen ea fecit per Verbum suum. Quod cùm ita sit, consequens est Verbum Dei esse ipsum Deum. At æterni Patris Filius est hoc ipsum Verbum, et idem Patri semper coextitit. Proinde Christus Filius Dei non solùm æternus est, sed et verus Deus.

Libro 3, cap. 6, ostendit neminem alium in Scripturis Deum nominari aut Dominum nuncupari, nisi solum verum Deum, Patrem omnium, et Verbum ejus : « Neque Dominus, « inquit, neque Spiritus sanctus, neque Apo- « stoli eum, qui non esset Deus, definitivè et « absolutè Deum nominâssent aliquando, nisi « esset verus Deus ; neque Dominum appel- « lâssent aliquem ex suâ personâ, nisi qui do- « minatur omnium, Deum Patrem, et Filium « ejus, qui dominium accepit à Patre suo « omnis conditionis ; quemadmodùm habet « illud : *Dixit Dominus Domino meo : Sede à* « *dextris meis*.... Patrem enim Filio collocu- « tum ostendit..... Verè igitur cùm Pater sit « Dominus, et Filius verè sit Dominus, me- « ritò Spiritus sanctus *Domini* appellatione « signavit eos, et iterùm in eversione Sodo- « mitarum Scriptura ait : *Et pluit Dominus su-* « *per Sodomam... ignem et sulphur à Domino de*

« *cœlo.* Filium enim hic significat, qui et « Abrahæ collocutus sit..... Similiter habet « illud : *Sedes tua, Deus, in æternum..... Di-* « *lexisti justitiam, et odisti iniquitatem; pro-* « *pterea unxit te Deus, Deus tuus;* utrosque « enim Dei appellatione significavit Spiritus, « et eum, qui ungitur, Filium, et eum qui « ungit, id est, Patrem.... Nemo igitur alius.... « *Deus* nominatur aut *Dominus* appellatur, nisi « qui est omnium Deus et Dominus,.... et « hujus Filius Jesus Christus, Dominus no- « ster.... Cùm autem eos qui non sunt dii no- « minat, non in totum, quemadmodùm præ- « dixi, Scriptura ostendit illos deos, sed cum « aliquo additamento et significatione, per « quam ostenduntur non esse dii. » Quocirca Christus non minùs verè est Deus ac Dominus, quàm Pater. Capite autem 8, idem prosequens argumentum : « Manifestum est quo- « niam neque Prophetæ neque Apostoli alium « *Deum* nominaverunt aut *Dominum* appella- « verunt, præter verum et solum Deum..... « Non enim tantùm hic (diabolus), sed nec « quidquam ex his quæ constituta sunt et in « subjectione sunt, comparabitur Verbo Dei « per quod facta sunt omnia, qui est Dominus « noster Jesus Christus. Quoniam enim sive « Angeli, sive Archangeli, sive Throni, sive « Dominationes, ab eo, qui super omnes est « Deus, et constituta sunt et facta per Ver- « bum ejus, Joannes quidem significavit. Cùm « enim dixisset de Verbo Dei : *Quoniam erat* « *in Patre,* adjecit : *Omnia per ipsum facta* « *sunt, et sine eo factum est nihil.....* David « quoque :.... *Ipse præcepit, et creata sunt;* « *ipse dixit, et facta sunt.* Cui ergo præcepit? « Verbo scilicet, per quod, inquit, *cœli fir-* « *mati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus* « *eorum.* Altera autem sunt, quæ constituta « sunt ab eo qui constituit, et quæ facta sunt « ab eo qui fecit. Ipse enim infectus, et sine « initio, et sine fine, et nullius indigens, « ipse sibi sufficiens, et adhuc reliquis omni- « bus, ut sint, hoc ipsum præstans. Quæ « verò ab eo sunt facta, initium sumpserunt. « Quæcumque autem initium sumpserunt,.... « et subjecta sunt, et indigent ejus qui se fe- « cit, necesse est omninò uti differens voca- « bulum habeant, apud eos etiam, qui vel « modicum sensum in discernendo talia ha- « beant; ita ut is quidem qui omnia fecerit « cum Verbo suo, justè dicatur *Deus* et *Domi-* « *nus* solus; quæ autem facta sunt, non jam « ejusdem vocabuli participabilia esse, neque « justè id vocabulum sumere debere, quod est « creatoris. » Ergo juxta Irenæum *Dei* ac *Do-* *mini* nomen in Scripturis non tribuitur, nec meritò tribui potest, nisi ei qui verus est solusque Deus, qui infectus est, ac sine initio, qui fecit omnia, ita ut ne Angelis quidem summis adscribi queat, propterea quòd illi creaturæ sunt. Ut autem creaturæ infinito semper intervallo distant à creatore, sic necesse est ut diverso nomine appellentur. Jam verò juxta eumdem Irenæum, non solùm æterno Patri, sed et Filio ejus Jesu Christo, *Dei* ac *Domini* vox in Scripturis attribuitur, et quidem meritò. Proinde juxta Irenæum Christus verè est Deus. Notandum est autem Irenæum arbitrari sententiam suam hanc de nomine *Dei* tam perspicuam esse ut communis sensûs expertes esse, qui aliter existimant, vir alioqui modestissimus, affirmet.

Ibidem, cap. 18, adversùs Cerinthianos disputans, qui alium esse Jesum, alium Christum opinabantur, et Jesum insuper non esse Deum statuebant : « Ne alium quidem Jesum, « inquit, alterum autem Christum suspicare- « mur fuisse, sed unum et eumdem sciremus « Deum esse. Hoc ipsum interpretatus est « Paulus scribens ad Romanos... De Israel « dicit : *Quorum patres, et ex quibus Christus* « *secundùm carnem, qui est Deus super omnes,* « *benedictus in secula.* » Quæ quidem adeò perspicua sunt, ut commentariis non egeant.

Ibidem, cap. 20, adversùs Gnosticos Christi æternitatem negantes : « Ostenso mani- « festè, inquit, quòd in principio Verbum « existens apud Deum, per quem omnia fa- « cta sunt, qui et semper aderat generi hu- « mano, hunc in novissimis temporibus..... « passibilem hominem factum, exclusa est « omnis contradictio dicentium : Si ergo tunc « natus est, non erat ante Christus. Ostendi- « mus enim, quia non tunc cœpit Filius Dei, « semper existens apud Patrem. »

Libro 4, cap. 8 : « Omnia, inquit, men- « surâ et ordine facit Deus, et nihil non « mensum apud Deum, quoniam nec incom- « positum. Et benè qui dixit, ipsum immen- « sum Patrem in Filio mensuratum. Mensura « enim Patris Filius, quoniam et capit eum. »

Quid expressius aut significantius? Inde enim consequens est Filium esse infinitum pariter et immensum, uno verbo æqualem Patri. Ibidem, cap. 11 : « Dominus noster, « inquit, et magister in eâ responsione quam « habuit ad Sadducæos et resurrectionem

« ostendit, et Deum manifestavit, dicens eis...: « *De resurrectione*,... inquit, *mortuorum non « legistis quod dictum est à Deo dicente : Ego « sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Ja- « cob... Non est Deus mortuorum, sed viven- « tium; omnes enim ei vivunt.* » Per hæc itaque manifestum fecit, « quoniam is qui de rubo « locutus est Moysi, et manifestavit se esse « Deum patrum, hic est viventium Deus. « Quis enim est vivorum Deus, nisi qui est « super omnia Deus, et super quem non est « alius Deus ? quem et Daniel Propheta... an- « nuntiavit, dicens :.... *Dominum Deum meum « adorabo, quoniam hic est Deus vivus.* Qui igi- « tur à Prophetis adorabatur Deus vivus, hic « est vivorum Deus, et Verbum ejus (Λόγος) « qui et locutus est Moysi, qui et Sadducæos « arguit, et resurrectionem donavit..... Re- « surrectio autem ipse Dominus noster est, « quemadmodùm ipse ait : *Ego sum resurrectio « et vita*..... Ipse igitur Christus cum Patre « vivorum est Deus, qui et locutus est Moysi, « qui et patribus manifestatus est. » Ergo Christus, non minùs quàm Pater, est vivorum Deus, id est, Deus qui est super omnia Deus, et super quem alius non est Deus. Ibidem, cap. 14 : « Ab omnibus accipit te- « stimonium (Christus), quoniam verè homo, « et quoniam verè Deus, à Patre, à Spiritu, « ab Angelis,.... ab hominibus, et ab aposta- « ticis spiritibus, » etc. Sic ille in brevem summam colligens omnia quæ vel Christi divinitatis, vel ejus humanitatis esse possunt argumenta. Ibidem, cap. 37, ostendens quòd solus Deus hominem effinxerit, non verò Angeli, ut eorum temporum hæretici comminiscebantur : « Discimus, inquit, quoniam « est tantus Deus, et ipse est, qui per semet- « ipsum... fecit..... omnia..... et hic est de « quo Scriptura ait : *Et plasmavit Deus homi- « nem ad imaginem*..... Non ergo Angeli fece- « runt nos ,... nec Angeli potuerunt facere « imaginem Dei, nec alius quis præter Ver- « bum Domini..... Nec enim indigebat horum « Deus ad faciendum, quæ ipse apud se præ- « finierat fieri, quasi ipse suas non haberet « manus. Adest enim ei semper Verbum et « Sapientia, Filius et Spiritus, per quos et in « quibus omnia liberè et spontè fecit, ad « quos et loquitur dicens : *Faciamus hominem « ad imaginem et similitudinem nostram.* Ipse « à semetipso substantiam creaturarum..... « accipiens. » Quapropter Deus solus condidit mundum et hominem. Atqui utrumque cum Patre condidit Filius et Spiritus sanctus, qui Patri semper affuerunt. Ergo Filius et Spiritus sanctus non modò æterni sunt, sed etiam naturâ divinâ prædìti.

Hactenùs Irenæus, qui copiosè, ut patet, Christum et Beatâ virgine Mariâ priùs extitisse, et æternum ac verum Deum esse variis in locis docet. Ubi observandum insuper est ad hæc adstruenda sanctum martyrem plurima Scripturæ testimonia afferre, et quidem eo sensu quo nos etiam usurpavimus ut eadem demonstraremus, quod et in aliis Patribus notari potest ; sed eâ de re semel admonuisse sufficiat.

Irenæi porrò libros ordine percurrimus, nullâ habitâ proprii argumenti ratione, ut nimirùm doctrinæ ipsius series sibi semper constans omnium oculis subjiceretur. Jam verò si quis singula ad suum peculiare caput revocare velit, res in promptu est. 1° Enim Christum Mariâ virgine priùs extitisse docet supra, lib. 1, cap. 19 ; lib. 2, cap. 55 ; lib. 3, cap. 6, 8 et 20 ; lib. 4, cap. 11 et 37. 2° Eumdem esse æternum ostendit supra, lib. 2, cap. 18, 43 et 55 ; lib. 3, cap. 20 ; et lib. 4, cap. 37. 3° Ipsum esse verum Deum firmat supra, lib. 1, cap. 2 et 19 ; lib. 2, cap. 18, 43 et 55 ; lib. 3, cap. 6, 8 et 18 ; lib. 4, cap. 11, 14 et 31.

Nemo itaque jam non videt quàm meritò reponat Irenæum Hieronymus supra, inter Ebionis debellatores ; Caius autem inter insigniores Christi divinitatis testes.

Objiciunt 1° : Irenæus cap. 49, lib. 2, ait Patrem esse super omnia, et majorem Filio. Ergo. — Distinguo antecedens : Majorem Filio quatenùs homo est, concedo ; quatenùs Deus est, subdistinguo : Majorem impropriè et habitâ ratione originis, concedo ; propriè, nego.

Instant : Ibidem Filio tribuit ignorationem dici judicii. Ergo. — Distinguo antecedens : Quatenùs homini, concedo ; quatenùs Deo, nego. Ibidem enim de Christo penès patiorem naturam spectato : « Spiritus Salvatoris, qui « in eo est, inquit, scrutatur omnia et altitu- « dines Dei. » Vide et lib. 2, cap. 25, ubi ignorantiam à Christo longè submovet.

Objiciunt 2° : Idem, lib. 4, cap. 17, asserit Patrem præcepisse Filio, et Filium Patris fuisse ministrum in opificio mundi. — Distinguo antecedens : Impropriè, concedo ; propriè, nego. De utroque capite consule quæ ad Justinum disputavimus.

Clemens Alexandrinus. — Irenæi æqualis fuit Clemens Alexandrinus, vir cùm sanctitate, tùm eruditione clarissimus, scholæ Alexandrinæ præfectus, ac Pantæni quidem Indorum apostoli discipulus, Origenis autem magister. Eadem porrò de Christo ille docet, quæ hactenùs apostolici scriptores. Etenim in Protreptico, seu Exhortatione ad Gentes, ipso ferè in limine : « *Gratia Dei salutaris* (inquit ex Apostolo ad Titum, cap. 2, vers. 11, 12 et 13) « *omnibus hominibus apparuit, docens nos ut abnegantes impietatem et secularia desideria, moderatè, et justè, et piè vivamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, et manifestationem gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.* Hoc est canticum novum, manifestatio quæ nunc refulsit in nobis, Verbi quod erat in principio et priùs fuit. Apparuit autem nuper, qui priùs erat Salvator; apparuit qui est in eo qui est, quoniam Verbum, quod erat apud Deum, per quod omnia sunt fabricata, doctor apparuit; Verbum quod olim vitam in creatione ut opifex dederat, postea tanquàm magister se manifestavit, benè vivere docuit, ut æternam vitam postea tanquàm Deus suppeditaret. » Quo in loco omnia simul complectitur Clemens. Asserit enim 1° Christum fuisse, priusquàm carne assumptâ appareret; 2° eum esse mundi conditorem; 3° ab omni æternitate seu in principio extitisse apud Patrem; 4° eum esse qui est, et versatum esse apud Patrem, qui pariter sit ille qui est; proinde utrumque esse ejusdem naturæ; 5° Christum esse magnum illum Deum, cujus gratia nobis apparuit, et cujus adventum expectamus; 6° tandem ipsum, cùm ut mundi opifex vitam nobis dederit, et ut magister optima ad vitam instituendam præcepta, postea ut Deum nobis insuper felicitatem æternam esse largiturum. Quo nihil est cumulatius. Ibidem, pag. 66, gentiles invitans ut in Christum credant : « Crede, homo, ei qui passus est, et ei, qui adoratur, Deo viventi; credite, servi, mortuo; credite, omnes homines, ei qui solus Deus est omnium hominum. » Quæ sanè sunt eximia. Inde enim liquet Christum esse simul hominem et Deum; passum hominem, et Deum viventem, adorandum; mortuum simul, et unicum humani generis Deum. Ibidem, pag. 68 : « Verbum divinum, inquit, qui est manifestissimè verus Deus, qui universorum Domino exæquatus, quoniam erat ejus Filius, et Verbum erat in Deo; » quibus verbis nihil splendidius est. Ibidem, pag. 74 : « Æternus hic est, inquit, Jesus, unus magnus pontifex unius etiam Dei, qui idem et ejus Pater est. » Hic Filii æternitatem apertissimè deprædicat.

Pædagogi libro 1, cap. 5, postquàm annotavit de Christo intelligi oportere hæc Isaiæ, cap. 9, verba : *Et vocabitur admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri seculi*, etc., sic exclamat : « O magnum Deum! ô perfectum puerum! Filius in Patre, et Pater in Filio. » Ibidem, cap. 6, pag. 92, Christum appellat « Verbum perfectum, ex perfecto Patre natum, » ubi perspicuè æqualem in Patre et Filio perfectionem agnoscit. Ibidem, pag. 102, de tribus personis divinis sic habet : « Unus quidem est universorum Pater; unum etiam est Verbum universorum; et Spiritus sanctus unus, qui et ipse est ubique. » Itaque singulis divinam in omnia auctoritatem, et ubique diffusam immensitatem ex æquo adscribit. Ibidem, cap. 7 : « Noster Pædagogus sanctus Deus Jesus, Verbum, quod est omnis humanæ naturæ dux; ipse hominum amator Deus est pædagogus. » Ibidem, pag. 110, affirmat Christum esse illum pædagogum, qui Abrahamo, Jacobo, et Moysi se videndum præbuerit. Ibidem, cap. 8, totus in eo est ut probet omnes Dei Patris proprietates (absolutas nimirùm) bonitatem, justitiam, et cæteras Filio esse communes, ob ejusdem naturæ communionem· quod fusè prosequitur, et in ipso fonte legendum est; prolixior enim disputatio est, quàm ut integra à nobis referatur. Verùm, ut aliquod ejus specimen demus, sic probat Christum nihil odisse, et omnium salutem velle, ut Deus Pater nihil odit, et omnium hominum salutem vult. « Si quid, inquit, odio habeat Verbum, id vult non esse; nihil est autem, cui ut sit non det Deus. Nihil ergo habet odio Deus, sed neque Λόγος (Verbum); ambo enim unum sunt, id est, Deus. » Tum dissertationem ita concludit : « Verissimè itaque compertum est quòd qui est universorum Deus, unus solus sit bonus, justus opifex, nempe Filius in Patre, cui gloria in secula seculorum. Amen. »

Lib. 3, cap. 7 : « Nullius rei indigens est, inquit, qui Verbum habet Deum omnipotentem.... Verbum enim possessio est, cui nihil deest, et est causa omnis copiæ. » Denique ad finem hujus operis, pag. 266 : « Propitius, inquit, esto tuis, ô Pædagoge! pueris, Pater, auriga Israel, Fili et Pater, unum ambo : Domine.... Soli Patri et Filio, Filio et Patri

« Pædagogo et magistro Filio, unà cum sancto « Spiritu per omnia uni, in quo omnia, per « quem omnia unum per quem est quod sem- « per est (seu æternitas), cujus sunt gloria et « secula; qui est undequàque bonus, undequà- « que pulcher, undequàque sapiens, undequà- « que justus; cui gloria nunc et in secula secu- « lorum; amen. » Ubi Patris et Filii et Spiritûs sancti consubstantialitas luce clariùs exprimitur, ut et Christi æternitas; quam insuper subjecto hymno disertiùs celebrat, his verbis ad Christum directis :

Verbum perenne,
Ævum infinitum,
Lux æterna.

Hujusmodi verò hymni in honorem Christi compositi ipsiusque divinitatem prædicantes, in antiquâ Ecclesiâ usitatissimi fuerunt, ut supra notavimus ex Plinio, Caio, et synodo Antiochenâ.

Stromatum lib. 4, pag. 517 : « Justis appro- « pinquat Dominus, et nihil eum latet ex no- « stris cogitationibus;..... Dominum Jesum « dico, qui omnipotente suâ voluntate cordium « nostrorum inspector est. » Ergo Christus et omnipotens et cordium scrutator est; quæ duo veri Dei propria sunt. Ibidem, pag. 537, de Christo Filio Dei : « Est infinitus, inquit, « et ideò Verbum dictum est A et Ω, cujus « solius finis sit principium, et qui rursùs « desinit in id quod est desuper princi- « pium. »

Lib. autem 7, non longè à principio, Christum vocat tempore et principio carentem, principium et primitias eorum quæ existunt. Ibidem, p. 711, Christi præsentiam ubique diffusam ejusque perspicaciæ vim, vel minima quæque attingentem, solis exemplo illustrat : « Sicut enim « sol, inquit, non solùm cœlum et totum mun- « dum illuminat;... sed etiam per fenestram et « parvum foramen vel in intima penetralia do- « morum lucem emittit; ita Verbum undequà- « que diffusum vel minima ex iis inspicit quæ « in vitâ geruntur. » Christus itaque immensus est, et omnia vel absconditissima novit. Proinde est Deus.

Quapropter Caius apud Eusebium supra, jure Clementem annumerat iis, quorum in libris Christi divinitas adstruitur.

Objicies 1° : Clemens Alexandrinus, lib. 4 Strom. pag. 537, asserit non Patrem, sed Filium, sub demonstrationem cadere posse : « Deus quidem, inquit, sub demonstrationem « non cadit, adeòque neque sub scientiam; « Filius verò sapientia est et scientia, et veri- « tas, et quæcumque sunt cognata istis. Proin- « de demonstrationem habet et enarrationem. » Ergo Filius Patre inferior est. — Distinguo antecedens : Sub demonstrationem Pater non cadit per sese, et, ut loquuntur, immediatè, sed per Filium revelari debet, concedo; secus, nego. Respicit Clemens ad illud Joannis, c. 1, v. 18 : *Deum nemo vidit unquàm; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit :* et eodem, quo Evangelista, modo exponendus est. Sic etiam Tertullianus de Animâ, cap. 1 : « Cui, inquit, veritas comperta sine Deo? « Cui Deus cognitus sine Christo? Cui Chri- « stus exploratus sine Spiritu sancto? Cui Spi- « ritus sanctus accommodatus sine fidei sa- « cramento? »

Objiciunt 2° : Strom. lib. 5. pag. 591, Christum vocat πρωτόκτιστον σοφίαν, *primocreatam Sapientiam.* Ergo Christus creatura est. — Distinguo antecedens : *Primocreatam,* id est, primogenitam, concedo; id est, ex nihilo eductam, nego. Respicit Clemens ad Proverb., c. 8, v. 22, juxta græcum codicem, et ad Eccli. 24, 14, ubi Sapientia *creata* esse dicitur; et eodem modo, quo Scriptura et septuaginta Interpretes, verbum hoc usurpavit, id est, pro *generatione,* ut ad ea loca ostendimus, quomodò non semel alii veteres acceperunt; unde Valesius in notis ad Eusebium, p. 8 : « Certè « veteres theologi, inquit, ac præcipuè ii qui « ante Nicæni concilii tempora scripserunt, per « vocabulum κτίζειν, non solam creationem in- « tellexerunt, quæ ex nihilo fit, sed omnem « generaliter productionem, tam quæ ab æterno « esset, quàm quæ in tempore. »

Objicies 3° : Libro 6 Strom. pag. 644, ex Apostoli Petri scriptis apocryphis hunc allegat locum : « Unus enim est reverà Deus, qui fecit « principium universorum, significans primo- « genitum Filium. » Ergo Filius Dei factus sive creatus est. — Distinguo antecedens : Qui fecit, id est, genuit, concedo; id est, è nihilo creavit, nego. Apud Græcos igitur *facere* et *gignere liberos,* promiscuè accipiuntur et idem sonant; unde eò loci explicationis causâ statim additur, *significans primogenitum Filium.*

Objicies 4° : Libro 7 Strom. naturam Filii distinguit à naturâ Patris; non enim eamdem, sed propinquam esse statuit : « Perfectissima, « inquit, pag. 702, et sanctissima maximèque « principalis, et quæ maximè imperat, et est « maximè regia et longè beneficentissima, est

« natura (φύσις) Filii, quæ est soli omnipotenti conjunctissima. » — Distinguo antecedens : Naturam, id est, personam Filii, concedo; naturam, id est, essentiam ; nego. Vox itaque φύσεως, quam usurpat Clemens, essentiam quidem ac substantiam ipsam vulgò sonat ; sed aliquando de personâ dicitur, etiam ab iis qui Arianæ impietati quàm maximè infensi fuerunt. Sic Alexander, Alexandriæ præsul, qui Arium ex Ecclesiæ gremio primus excussit in Epist. ad Alexandrum Constant. apud Theodoretum lib. 1, cap. 4 : « Inter quæ duo (Patrem « scilicet et res creatas), inquit, media interveniens unigenita natura (φύσις) Verbi, per « quam Pater universa condidit ex nihilo, ex « ipso verò Patre progenita est. » De quo Valesius ad hunc locum. Sic etiam Synesius hymno 3, Spiritum sanctum alloquens : « Terminus es, inquit, naturarum, parientis et « partæ. »

Instant : Patrem ibi vocat *solum omnipotentem*. Ergo. — Distinguo : Solum omnipotentem Deum, seu Deum, qui solus est omnipotens, concedo ; solam omnipotentem personam, nego. Libro enim 3 Pædag., c. 7, supra, Verbum pariter vocat omnipotentem.

Objiciunt 5° : Idem Clemens ibid. pag. 703, asseverat Christum voluntati Patris servire, « Neque, inquit, alio prohibitus unquàm fuerit, qui est omnium Dominus, maximè cùm « boni et omnipotentis Patris voluntati servit. » Ergo. — Distinguo antecedens : Patris voluntati servire impropriè, quia ipsam exequitur, concedo ; propriè, quasi Patre inferior sit, nego. Vide quæ ad Justinum eâ de re disserui mus. Probat verò ibi Clemens Christum in procurandâ hominum salute impediri nullatenùs posse. Ac 1° quidem à creaturis, utpote qui earum supremus sit Dominus ; 2° non à Patre, quippe cujus voluntatem hoc in opere impleat.

Victor, romanus pontifex. — Secundum seculum claudet Victor, romanus pontifex, qui non solùm eamdem Apostolorum fidem tenuit, sed etiam Theodotum Coriarium, qui Christi divinitatem impio ausu temeraverat, ab Ecclesiâ semovit ; quod perhibet Caius apud Eusebium lib. 5, cap. 28 : « Quomodò non pudet eos, « inquit (Artemonis discipulos), hujusmodi « calumniam adversùs Victorem concinnare « (quasi ille Christum non pro Deo, sed pro « puro homine habuisset), cùm certò sciant « Theodotum Coriarium, qui defectionis illius « parens et auctor fuit, primusque Christum « nudum esse hominem asseruit, per Victo« rem à communione Ecclesiæ ejectum fuis« se. Nam si, ut aiunt, Victor eadem sentiebat « quæ illorum docet impietas, cur Theodo« tum illorum ducem ab Ecclesiâ semovit ? »

Victoris autem judicium omnis Ecclesia probavit.

E SECULO III.

Nec pauciores nec minùs luculentos Christi divinitatis assertores, tertium seculum nobis suppeditat, qui appellandi sunt.

Caius, ecclesiæ romanæ presbyter. — Ac primus quidem prodit Caius, doctissimus ecclesiæ romanæ presbyter, et Christi divinitatis fortissimus vindex, à nobis jam sæpè memoratus. Scilicet ineunte seculo III Theodoti Coriarii impietatem instauravit Artemas, quem idcircò statim è sinu suo Ecclesia expulit ; unde elucet quænam tunc temporis foret Ecclesiæ de Christo fides.

Porrò adversùs hanc eamdem hæresim, quæ Christum merum hominem esse dicebat, Caius librum insignem scripsit ; cùmque illius sectæ principes vetustissimam illam esse jactarent, Victoremque romanum pontificem secum sensisse gloriarentur, impium hoc mendacium sic retundit apud Eusebium lib. 5, cap. 28 : « Affirmant, inquit, priscos quidem omnes et « ipsos Apostolos ea quæ nunc ab ipsis dicun« tur..... docuisse ; ac prædicationis quidem « veritatem esse custoditam usque ad Victoris « tempora ;.... à Zephirini autem temporibus, « qui Victori successit, adulteratam fuisse ve« ritatem. Ac fortassè id quod dicunt credi« bile videretur, nisi eis refragarentur primò « quidem divinæ Scripturæ, deinde fratrum « quorumdam scripta, Victoris ætate antiquio« ra, Justinum intelligo, et Miltiadem, et Ta« tianum, ac Clementem, aliosque quàm plu« rimos, in quorum omnium libris Christi divi« nitas adstruitur. Nam Irenæi quidem et Meli« tonis et reliquorum scripta quis est qui igno « ret, in quibus Christum Deum atque hominem « prædicârunt ? Psalmi quoque et cantica fra« trum jampridem à fidelibus conscripta Chri« stum Verbum Dei concelebrant, divinitatem « ei tribuendo. Cùm igitur tot abhinc annis « ecclesiastica doctrina prædicata sit, qui fieri « potest, ut omnes usque ad Victoris tempora « eam quam isti dicunt, doctrinam promulga« verint ? Quomodò eos non pudet ejusmodi ca« lumniam adversùs Victorem concinnare ? » Ita ille, cujus testimonium auro pretiosius est. Ex eo enim discimus, 1° Christum pro Deo

vero tunc ab omnibus Catholicis agnitum esse; 2° qui id negarent, illicò ab Ecclesiâ fuisse ejectos; 3° qui adversùs ejusmodi hæreticos pugnabant, iisdem armis usos esse quæ jam usurpamus, nimirùm Scripturæ testimoniis, et veterum omnium, Justini, Tatiani, Miltiadis, Clementis, Irenæi, Melitonis auctoritatibus; 4° Christi divinitatem hymnis ac canticis omnium Ecclesiarum perpetuâ consuetudine palàm ac publicè semper fuisse celebratam.

Tertullianus. — Caium excipit Tertullianus, qui licet obscurus esse soleat, et peculiares loquendi rationes affectet, non minùs tamen perspicuè quàm nervosè, quidquid de Christo profitemur, suis in libris expressit.

Ac 1° quidem Christum Mariâ virgine priùs extitisse multis ostendit. Libro enim contra Judæos ex professo probat Christum veteribus Patriarchis apparuisse. Sic cap. 9 : « Qui ad « Moysem loquebatur, inquit, ipse erat Filius « Dei, qui et semper videbatur. » De carne Christi cap. 6, ait Christum carnem è Mariâ nascendo traxisse, qui primò Abrahæ visus fuerat in carne non natâ, quia non moriturâ : « Inter Angelos, inquit, ipse Dominus apparuit « Abrahæ sine nativitate cum carne..... « Sed vos hoc non recipitis (hæretici), non « eum Christum recipientes, qui jam tunc et « alloqui, et liberare, et judicare humanum « genus ediscebat in carnis habitu, non natæ « adhuc, quia nondùm morituræ. »

Libro 2 contra Marcionem, cap. 27 : « Profitemur, inquit, Christum semper egisse in « Dei Patris nomine, ipsum ab initio conversatum, ipsum congressum cum Patriarchis... « In hæc..... dispositus est à Patre,.... ediscens « jam inde à primordio..... hominem, quod « erat futurus in fine. » Libro 3, cap. 6 : « Nos quidem certi sumus, inquit, Christum « semper in Prophetis locutum, Spiritum sci« licet creatoris,.... qui ab initio vicarius Pa« tris in Dei nomine et auditus sit et visus. »

Libro contra Praxeam, cap. 16 : « Filius... « est, inquit, qui ab initio judicavit,... pluens « super Sodomam et Gomorrham ignem et « sulphurem Dominus à Domino. Ipse enim « et ad humana semper colloquia descendit, « ab Adam usque ad Patriarchas et Prophe« tas,... interrogans Adam, quasi nesciens : « *Ubi es?*... tentans Abraham, » etc.

2° Christi æternitatem non minùs luculenter adstruxit. Verùm ut id clariùs intelligatur, tollaturque omnis ambiguitas verborum, observa à Tertulliano Christum, penès potiorem naturam spectatum, pro vario statu ac respectu variis nominibus insigniri, nec modò *Deum* vocari, sed et *Dei Spiritum, rationem, sermonem,* σοφίαν, et *Filium,* de quo ipse lectores monitos esse voluit initio libri de Oratione : « Dei Spi« ritus, inquit, et Dei sermo, et Dei ratio, ser« mo rationis, et ratio sermonis, et Spiri« tus, utrumque Jesus Christus, Dominus « noster. »

Ac 1° quidem eum *Spiritum Dei* dixit, quia nempe *Deus spiritus est,* Joan. 4, 24. Ut ergo Christus est Deus ex Deo, sic spiritus ex spiritu nominari potest; eòque magis ita à Tertulliano nuncupatur, quòd apud Jeremiam Threnorum 4, vers. 20, legeret : *Spiritus personæ ejus Christus Dominus.* Hoc autem quasi ipsum Christi fundum, et primarium, ut scholæ loquuntur, constitutivum habuit Tertullianus. Unde Apolog. cap. 21 : « Nos, inquit, sermoni « atque rationi, itemque virtuti, per quam « omnia molitum Deum ediximus, propriam « substantiam Spiritum inscribimus. » 2° *Rationem Dei* ipsum appellavit; quâ voce significari noluit eam, quæ Deo inest, intelligendi facultatem; sed potiùs quod ex eâ per intellectionem efflorescit, hoc est, verbum internum ac conceptum, græcè λόγον, ab ipso hujusce intellectionis principio distinctum. Namque contra Praxeam cap. 5 : « Quæ ratio, inquit, « sensus ipsius est. » Quod ibidem hominis exemplo illustrans, qui est Dei imago : « Quod« cumque cogitaveris, inquit, sermo est; quod« cumque senseris, ratio est. » Atque istud est alterum in quo Tertullianus propriam Christi hypostasim collocavit; utrumque enim Christus semper fuit, Spiritus scilicet Dei, et ejusdem ratio, et utrumque habet ex fundo suo ac necessariè, ita ut nunquàm aliud esse potuerit. 3° *Sermonem Dei* dixit, nempe externum, quia è Patre æterno velut extra prodiit Christus, ut rerum universitatem conderet, quando dixit Deus : *Fiat,* etc. Qui ergo priùs Spiritus Dei et hactenùs ratio intrinsecùs latens fuerat, idem tunc sermo Dei evasit; eo ferè modo quo sermo dicitur, cùm ex ore loquentis progreditur cogitatio ad aures aliorum. Quòd itaque Christus sit spiritus et ratio Dei, id ipsi essentiale est, et perpetuò ipsi adfuit. At quòd sermo sit, illud est ipsi accidentale, et sermo nonnisi certo tempore esse cœpit. Titulus ergo sermonis Dei rationi ac Spiritui Dei accessit, ut accidens substantiæ solet; et quomodò substantia accidentium fulcrum est, ita sermonis

Dei velut substantia ac fundamentum fuit Spiritus et ratio Dei; Christus enim per sese est ratio et Spiritus Dei. At non dictus est *Dei Sermo,* juxta Tertullianum, nisi propter opificium mundi, cujus gratiâ ex Deo Patre prodiit. Inde est quòd contra Praxeam cap. 5, Sermo ratione consistere dicatur et eam priorem ut substantiam suam agnoscere : et cap. 7, Spiritus Sermoni inesse; et cap. 8, Sermo Spiritu structus esse, et Sermonis corpus esse Spiritus; et cap. 26, Spiritus esse substantia Sermonis; et supra, Apolog. cap. 21, Sermoni Spiritum tanquàm substantiam inscribi. 4° Eumdem *Dei* Σοφίαν seu *Sapientiam* vocat, quatenùs ad idem creationis opus à Patre æterno emissus est, quo tempore conditam eam affirmat, propter illud Prov. 8, 22, apud Septuaginta de Sapientiâ: *Dominus condidit me initum viarum suarum in opera sua.* Vide librum contrà Hermogenem, cap. 3. 5° *Dei Filium* eum nominat, quatenùs à Deo ex utero ante luciferum genitus est, et ex ipso extrinsecùs ad eamdem mundi fabricam est progressus. Hoc enim *nativitatis* ac *generationis* nomine Tertullianus donavit.

Quapropter ex his quinque titulis duo semper et necessariò Christo convenerunt ex Tertulliani mente; tres autem posteriores ex accidenti velut accesserunt, quamvis unus idemque sit qui his omnibus insigniatur. Atque hæc quidem à communi usu abhorrent; sed eò magis Tertulliano sapiunt. Interim verissima ea sunt, et ex dicendis modò ac infra lucem accipient.

Verùm jam afferamus loca, quæ Christi æternitatem indicant. Libro contra Praxeam, cap. 5, ipsum ejusque asseclas refellens, qui Filium cum Patre confundebant : « Sed quia, « inquit, duos unum volunt esse, ut idem Pa- « ter et Filius habeatur, oportet et totum de « Filio examinari, an sit, et qui sit, et quomodò « sit.... Aiunt quidem et Genesim in hebraico « ita incipere : *In principio Deus fecit sibi Fi- « lium.* Hoc ut firmum non sit, alia me argu- « menta deducunt ab ipsâ Dei dispositione, « seu statu, quâ fuit ante mundi constitutio- « nem ad usque Filii generationem. Ante « omnia enim Deus erat solus, ipse sibi et « mundus et locus et omnia; solus autem, « quia nihil aliud extrinsecùs præter illum. « Cæterùm ne tunc quidem solus; habebat « enim secum, quam habebat in semetipso, « rationem suam scilicet,..... quæ ratio sen- « sus ipsius est. Hanc Græci Λόγον (Verbum « dicunt, quo vocabulo etiam Sermonem ap- « pellamus. Ideòque jam in usu est nostrorum, « per simplicitatem interpretationis, Sermo- « nem dicere in primordio apud Deum fuisse, « cùm magis RATIONEM competat ANTIQUIOREM « HABERI; quia non SERMONALIS à principio, « sed RATIONALIS DEUS, etiam ante principium; « et quia ipse quoque Sermo ratione consi- « stens, priorem eam ut substantiam suam « ostendat. Tamen et sic nihil interest; idque « quò faciliùs intelligas, ex te ipso ante reco- « gnosce, ut ex imagine et similitudine Dei,... « quam habeas et tu in temetipso rationem.... « Vide cùm tacitus tecum ipse congrederis, « ratione hoc ipsum agi intra te, occurrente « eâ tibi cum sermone ad omnem cogitatûs « tui motum, et ad omnem sensûs tui pulsum. « Quodcumque animo cogitaveris sermo est, « quodcumque senseris ratio est. Loquaris « illud in animo necesse est, et dùm loqueris, « conlocutorem pateris sermonem, in quo in- « est hæc ipsa ratio, quâ cum eo cogitans lo- « quaris, per quem loquens cogitas. Ita SECUN- « DUS quodam modo in te est sermo, per quem « loqueris cogitando.... Ipse sermo alius est. « Quantò ergo plenius hoc agitur in Deo,... « quòd habeat in se etiam tacendo rationem, « et in ratione sermonem! Possum itaque non « temerè præstruxisse, et tunc Deum, ante « universitatis constitutionem, SOLUM non fuis- « se habentem in semetipso.... rationem, et « in ratione Sermonem, quem SECUNDUM à se « faceret, agitando intra se. » Hic quidem Tertullianus peculiarem sibi theologiam explicat, docens Christum non semper fuisse quatenùs Filium et quatenùs Sermonem; sed tamen apertè definit ipsum, quatenùs Dei rationem et Verbum internum esse æterno Patri coævum. Sed ut Tertulliani mens magis elucescat, duo ostendenda sunt. Primum est, Dei Patris rationem hanc à Deo distinguere. Alterum, eamdem æternam statuisse. At utrumque liquet. Ac primum quidem; ait enim Deum Patrem ab æterno non fuisse SOLUM, quia secum habuit ejusmodi rationem; proinde ratio illa ab ipso distinguitur; aliàs solus omninò fuisset. Deinde una eademque res est apud Tertullianum, quæ *ratio Dei* et *Filius Dei* appellatur. Atqui ex professo docet ibi Tertullianus Filium alium esse à Patre. Tandem una etiam eademque res est, quæ primò *Dei ratio* fuisse, et postea *Sermo* evasisse ab ipso dicitur. Atqui rem illam, quæ *Sermo* nominata est, Tertullianus à Patre distinguit. Ait enim

Sermonem illum *secundum* esse et *alium* esse à Patre; et hoc exemplo hominum illustrat, apud quos alius est sermo ab eo qui loquitur. Ergo rationem hanc Dei Patris ab ipso perspicuè distinguit Tertullianus. At secundum non minùs constat; nempe hanc *Dei rationem* ab ipso ut æternam agnosci. Pronuntiat enim eam fuisse in Deo Patre, non solùm in principio, sed etiam ante omne principium; uno verbo semper in Patre fuisse, quia semper rationalis fuit Deus. Imò disertè confitetur apud Christianos obtinuisse eâ ætate, ut ipse Sermo diceretur apud Patrem in primordio, hoc est, ab æterno, fuisse; quod non interesse, et de nomine tantùm controversiam esse admonet. Itaque nihil certius est quàm Christi æternitatem tunc ab Ecclesiâ esse agnitam.

Ibidem, cap. 8, de eodem Christo disserens, quem promiscuè *Dei Spiritum* et *Sermonem* vocat : « *Qu's scit,* inquit, *quæ sint in Deo, nisi « Spiritus, qui in ipso est?* Sermo autem à Spi- « ritu structus est, et ut ita dixerim Sermonis « corpus est Spiritus. Sermo ergo et in Patre « semper, sicut dicit : *Ego in Patre;* et apud « Deum semper, sicut scriptum est : *Et Sermo « erat apud Deum;* et nunquàm separatus à « Patre aut alius à Patre, quia : *Ego et Pater « unum sumus.* » Illic Tertullianus Sermonem ipsum esse æternum statuit, vel quia communem loquendi rationem sequitur, vel quia Spiritus ille Dei, qui *Sermo* deinceps nuncupatus est, ab omni æternitate extitit. Sed perinde est nobis. Christus enim est Spiritus ille simul et Sermo. Dicit quidem ipsum non esse alium à Patre, non quòd à Pa trenon distinguatur, sed quòd naturâ non differat à Patre, ut infra patebit.

Ibidem cap. 13 : « Ipsum plus est quod in « Evangelio..... invenies : *In principio erat « Sermo, et Sermo erat apud Deum, et Deus erat « Sermo.* Unus qui erat, et ALIUS penès quem « erat. » Ergo Christus est Deus, et à Patre distinctus est, et in principio, hoc est, ab æterno, apud Patrem fuit. Ibidem, cap 21 : « Ipsa..... præfatio Joannis Evangelizatoris « demonstrat, quòd retrò fuerit (Christus) qui « caro fieri habebat : *In principio erat Sermo, « et Sermo erat apud Deum, et Deus erat Sermo ; « hic erat in principio apud Deum, omnia per « ipsum facta sunt.....* Nam si hæc non aliter « accipi licet quàm quomodò scripta sunt, in- « dubitanter ALIUS ostenditur, qui fuerit à « principio, ALIUS apud quem fuit; ALIUM ser- « monem esse, ALIUM Deum; licet et Deus « Sermo, sed quâ Dei Filius, » etc. Ibidem cap. 27, probat Christum Filium Dei, dùm carnem assumpsit, non fuisse in se mutatum, quia Deus est; Deus autem idem semper fuit et erit. « Utrumne, inquit, quasi transfiguratus « in carne an indutus carnem? imò indutus. « Cæterùm Deum immutabilem et informabi- « lem credi necesse est ut æternum. Transfi- « guratio autem est interemptio pristini. Omne « enim quodcumque transfiguratur in aliud, « desinit esse quod fuerat, et incipit esse quod « non erat. Deus autem neque desinit esse « quod erat, neque incipit aliud esse. Sermo « autem Deus, et Sermo Domini manet in æ- « vum, perseverando scilicet in suâ for « mâ, » etc. Quid luculentius? conceptis enim verbis asserit Tertullianus Christum, Dei Sermonem, esse Deum; Deum porrò æternum esse et immutabilem, neque unquàm desinere esse quod fuit, neque incœpisse esse id quod est; sed semper in suâ formâ perseverare. Proinde Christum non potuisse mutari, quando carnem assumpsit. Ergo Tertullianus Christi æternitatem admisit.

Denique Tertullianus, ut mox demonstrabimus, Christum esse Deum non modò subobscurè, sed etiam perspicuè tradit. At idem Tertullianus proprium Dei censum esse æternitatem affirmat. Libro enim contra Hermogenem, qui docebat materiam esse æternam : « Quis alius Dei census, inquit cap. 4, quàm « æternitas? Quis alius æternitatis status, « quàm semper fuisse et futurum esse, ex « prærogativâ nullius initii et nullius finis? « Hoc si Dei est proprium, solius Dei erit. » Ergo Tertullianus non potuit Christum pro æterno non habere.

3° Idem Christi cum Patre, et consequenter sanctissimæ Trinitatis, consubstantialitatem luce meridianâ clariùs docuit. Apologetici enim cap. 22, exponens paucis quis esset Christus : « Necesse est, inquit, pauca dicere « de Christo ut Deo..... Jam ediximus Deum « universitatem hanc mundi verbo, ratione et « virtute molitum. Apud vestros quoque sa- « pientes, λόγον, id est, sermonem atque ratio- « nem constat artificem videri universitatis;... « et nos etiam sermoni, atque rationi, itemque « virtuti, per quam omnia molitum Deum « ediximus, propriam substantiam spiritum « inscribimus, cui et Sermo insit prænuntianti « et ratio adsit disponenti, et virtus præsit « perficienti. Hunc ex Deo prolatum didicimus « et prolatione generatum, et idcircò Filium

« Dei, et Deum dictum EX UNITATE SUBSTANTIÆ. « Nam et Deus spiritus; et cùm radius ex sole « porrigitur, portio ex summâ; sed sol erit in « radio,..... NEC SEPARATUR SUBSTANTIA, SED EX- « TENDITUR. ITA DE SPIRITU SPIRITUS ET DE DEO « DEUS, UT LUMEN DE LUMINE ACCENSUM..... ITA « QUOD DE DEO PROFECTUM EST, DEUS EST, ET « DEI FILIUS, ET UNUS (Deus) AMBO. Ita et de « Spiritu Spiritus, et Deo Deus, modulo alte- « rum non numero, gradu non statu fecit, et à « matrice (divinitatis) non recessit, sed exces- « sit. Iste igitur Dei radius..... delapsus in « Virginem,... nascitur homo Deo mixtus; « caro spiritu instructa, nutritur, adolescit, « docet, operatur, et Christus est.» Quid ad hanc fidei professionem adjici potest? Ea enim tam diserta est, ut ipsis Patribus Nicænis ad symbolum condendum præivisse videatur. 1° Enim Christum *Dei Spiritum, rationem,* ac *Sermonem* nominat, ut supra monuimus. 2° Eumdem esse mundi conditorem statuit. 3° Ipsum non semel *Deum* dicit, et propter utriusque naturæ, divinæ scilicet et humanæ, conjunctionem, *hominem Deo mixtum.* 4° Cur Deus sit non secùs ac Pater, id repetit ex unitate substantiæ, quæ utrique communis est; unde et colligit ambos unum esse Deum. 5° Christum Patri consubstantialem eo modo esse pronuntiat, quo radius est soli, et lumen lumini ex quo accenditur, quorum eadem est natura. 6° Ipsum tamen à Patre distingui, non numero quidem divinitatis, quasi alius sit Deus; sed modulo, quia, si ita loqui fas est, à Patre in ipsum transfusa divinitas est, et quia filiatio alter est divinæ naturæ modus; distingui non statu, quia eadem est amborum natura ac conditio; sed gradu, quia secundus est à Patre Filius.

Libro de Carne Christi, cap. 5, enucleatiùs adhuc utramque Christi naturam ob oculos ponit: « Itaque, inquit, UTRIUSQUE SUBSTANTIÆ « (divinæ scilicet et humanæ) census hominem « et Deum exhibuit; hinc natum (seu factum), « inde non natum (seu non factum); hinc car- « neum, inde spiritualem; hinc infirmum, inde « præfortem; hinc morientem, inde viventem; « QUÆ PROPRIETAS CONDITIONUM DIVINÆ ET HUMA- « NÆ, ÆQUA UTIQUE NATURÆ VERITATE cujusque « dispuncta est, eâdem fide spiritûs et carnis.» Ergo Tertullianus Christum esse censuit, non modò hominem factum, carneum, mortalem; sed etiam Deum non factum, spiritalem, et vivum; Deum, inquam, substantiâ ac naturâ divinâ præditum, idque verè ac propriè.

Libro de Resurrectione carnis, cap. 6: « Sermo... Deus, inquit, qui in effigie (formâ) « Dei constitutus, non rapinam existimavit « pariari Deo.» At Christus Sermo ille est. Ergo Christus est Deus formâ divinâ præditus, et Patri æterno æqualis.

Libro 3 contra Marcionem, cap. 6, ipsum alloquens: «Non negans, inquit, Filium et « Spiritum et SUBSTANTIAM creatoris esse Chri- « stum ejus, concedas necesse est eos, qui « Patrem non agnoverint, nec Filium agnoscere « potuisse, PER EJUSDEM SUBSTANTIÆ CONDITIO- « NEM.» Ibi enim probat eos qui non cognoverunt Patrem, nec potuisse cognoscere Christum, quem *Spiritum,* et *substantiam creatoris,* et *Filium* nuncupat, quia, cùm una eademque sit utriusque natura, qui unum cognoscere, non potest, nec potest alterum. Libro 4, cap. 25: « Omnia sibi tradita dicit (Christus) « à Patre, inquit. Credas si creatoris est Chri- « stus, cujus omnia; quia non minori se tradi- « dit omnia Filio creator, quæ per eum con- « didit, per Sermonem suum scilicet.» Ibi Tertullianus revincit Marcionem, qui sentiebat Christum non esse creatoris, sed Dei, quem à creatore distinguebat; probat autem Christum esse creatoris, quia omnia ipsi tradita sunt à Patre. Unde colligit Patrem esse creatorem, quippe qui omnia tradiderit Filio. Jam verò subdit Tertullianus Patrem hæc tradidisse Filio, qui se minor non sit. Ergo Christus non est minor Patre. Proinde verus est ac summus Deus.

Libro contra Praxeam, ejusque discipulos qui sanctissimæ Trinitatis personas confundebant: «Nos, inquit, cap. 2,..... unicum « quidem Deum credimus, sub hâc tamen dis- « pensatione, quam *œconomiam* dicimus, ut « unici Dei sit, et Filius Sermo ipsius..... per « quem omnia facta sunt..... Hunc missum à « Patre in virginem, et ex eâ natum hominem « et Deum... et cognominatum Jesum Chri- « stum..... qui exinde miserit Paracletum, « sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in « Patrem et Filium et Spiritum sanctum.» Ergo Christus homo simul et Deus est. Ibidem hæresim istam perstringens: «Perversitas... « hæc, inquit, quæ se existimat meram veri- « tatem possidere, dùm unicum Deum non « aliàs putat credendum, quàm si ipsum eum- « demque et Patrem et Filium et Spiritum « sanctum dicat; quasi non sic quoque unus « sit omnia, dùm ex uno omnia PER SUBSTANTIÆ « SCILICET UNITATEM et nihilominùs custodiatur

« œconomiæ sacramentum, QUÆ UNITATEM IN « TRINITATEM DISPONIT, tres dirigens, Patrem, « Filium et Spiritum sanctum; tres autem « non statu, sed gradu; nec substantiâ, sed « formâ; nec potestate, sed specie; unius « autem substantiæ, et unius statûs, et unius « potestatis; quia unus Deus, ex quo et gradus « isti et formæ et species in nomine Patris et « Filii et Spiritûs sancti deputantur.» Hæc est omnibus numeris absoluta fidei confessio; non solùm enim naturæ unitatem, sed et personarum Trinitatem agnoscendam esse prædicat, ita ut una in tribus substantia et potestas, unusque omnium status esse intelligatur. Personarum autem singulares proprietates Tertullianus ibi vocat *gradus, formas* et *species*. Ibidem, cap. 4 : « Filium, inquit, non aliunde « deduco, sed de substantiâ Patris.» Ergo Filius est Patri consubstantialis. Ibidem, cap. 7 : « Procedendo, inquit, Filius factus est primo- « genitus, ut ante omnia genitus, et unigeni- « tus, ut solus ex Deo genitus, propriè de « vulvâ cordis ipsius.» Quod eamdem consubstantialitatem arguit. Ibidem, cap 8 : « Prola- « tum dicimus Filium à Patre, sed non sepa- « ratum. Protulit enim Deus Sermonem... si- « cut radix fruticem, et fons fluvium, et sol « radium. Nam et istæ species probolæ sunt « earum substantiarum ex quibus prodeunt.» Ibidem, cap. 13 : « Apostolum, inquit, sequor, « ut si pariter nominandi fuerint Pater et Fi- « lius, *Deum* Patrem appellem, et Jesum Chri- « stum *Dominum* nominem. Solum autem Chri- « stum potero *Deum* dicere, sicut idem Apo- « stolus : *Ex quibus Christus, qui est,* inquit, « *Deus super omnia benedictus in ævum omne.* « Nam et radium solis seorsùm solem vocabo, « solem autem nominans, cujus est radius, « non statim et radium solem appellabo. Nam, « etsi soles duos non faciam, tamen et solem « et radium ejus tam duas res et duas species « UNIUS ET INDIVISÆ SUBSTANTIÆ NUMERABO, QUAM « DEUM ET SERMONEM EIUS, QUAM PATREM ET FI- « LIUM.» Ergo Pater et Filius sunt unius ejusdemque ac indivisæ substantiæ. Ibidem, cap. 17, demonstrat omnia, quæ Deo Patri insunt, attributa in Filium peræquè competere. « Nomina Patris, inquit, *Deus omnipotens,* « *altissimus, Dominus virtutum, rex Israelis, qui* « *est*..... Hæc dicimus et in Filium competisse, « et in his Filium venisse, et in his semper « egisse, et sic ea in se hominibus manife- « stâsse. *Omnia,* inquit, *Patris, mea sunt.* Cur « non et nomina? Cùm ergo legis *Deum omni-* « *potentem,* et *altissimum,* et *Dominum virtutum,* « et *regem Israelis,* et *qui est,* vide ne per hæc « Filius etiam demonstretur, suo jure Deus « omnipotens, quâ sermo Dei omnipotentis.» Ergo Christus est Deus omnipotens, altissimus, etc., perinde ac Pater. Ibidem, cap. 22 : « *Unum sumus,* dicens (Christus) inquit, *ego et* « *Pater,* ostendit duos esse, quos æquat et « jungit.» Ergo Christus æqualis est Patri. Ibidem, cap. 25 : « Connexus Patris in Filio, « inquit, et Filii in Paracleto, tres efficit co- « hærentes, alterum ex altero, QUI TRES UNUM « SUNT, NON UNUS, quomodò dictum est : *Ego et* « *Pater unum sumus;* AD SUBSTANTIÆ UNITATEM, « NON AD NUMERI SINGULARITATEM.» Ergo Patrem inter et Filium et Spiritum sanctum substantiæ unitas intercedit.

Lib. de Pudic. cap. 21 : « Est, inquit, Trinitas « unius divinitatis Pater et Filius et Spiritus « sanctus.» Brevis quidem est hic locus, sed illustrissimus, in quo trium personarum consubstantialitas clarissimè describitur.

Atque hæc quidem Tertullianus in operibus indubitatis; quæ profecto adeò splendida sunt, ut ad fidem nostram illustrandam, ut ipse loquitur de Resurrectione carnis cap. 47, « solis « radio scripta esse videantur.»

Nunc subjungendus est auctor carminum Tertulliano adscriptorum, qui aut ipse Tertullianus est, aut alius scriptor vetustissimus. Hic itaque lib. 5, cap. 9, ita loquitur de Filio :

Hic Deus, hic et homo verus, verumque locutus,
De Patre principium, genitum de lumine lumen,
Spiritus et Verbum Patris sub imagine virtus,
Cum Patre semper erat, unitus gloriâ et ævo.

Ipsa ferè sunt Tertulliani verba; idem verò est sensus. Nemo autem non videt consubstantialitatem Christi cum Patre, et æternitatem illic declarari.

Objiciunt 1° : Tertullianus Christum esse æternum non agnoscit, sed eum tunc natum, conditum et factum esse putavit cùm orbem condidit Deus. Libro enim contra Hermogenem, qui materiam æternam esse sentiebat, cap. 3, cùm hæreticus ille ex eo colligeret materiam æternam esse debere, quia Deus ab æterno Dominus fuit, Dominus autem esse non potuit, nisi res aliqua esset, cujus Dominus foret, respondet Tertullianus, Deum quidem semper Deum fuisse, quia divinitas ipsius substantia est; non autem semper Dominum fuisse, quia *Domini* nomen vox est quæ potestatis exercitium sonet. Jam vero Dominum semper non fuisse probat, ut

alunt, à simili, quia nec semper judex, nec semper Pater fuit : « Et Pater Deus « est, inquit, et judex Deus est; non tamen « ideò Pater et judex semper, quia Deus sem- « per. Nam nec Pater potuit esse ante Filium, « nec judex ante delictum; fuit autem tempus « cùm et delictum, ET FILIUS NON FUIT, quod « judicem, et qui Patrem Dominum (Deum) « faceret. Sic et Dominus non ante ea, quo- « rum Dominus existeret; sed Dominus tan- « tùm futurus quandoque; sicut Pater per « Filium, sicut judex per delictum, ita et « Dominus per ea quæ sibi servitura fecisset. » Ibidem, cap. 18, refellens eumdem qui mate- riam ingenitam esse contendebat, eâque usum esse Deum ad opificium mundi : « Si necessa- « ria est Deo materia, inquit, ad opera mundi « ut Hermogenes existimavit, habuit Deus « materiam longè digniorem et idoneiorem, « non apud philosophos æstimandam, sed apud « Prophetas intelligendam, Σοφίαν suam scilicet « (Christum Dei Sapientiam). Hæc denique « sola cognovit sensum Domini : *Quis enim scit « quæ sunt Dei et quæ in ipso, nisi Spiritus qui « in ipso?* Σοφία autem Spiritus, HÆC ILLI « CONSILIARIUS FUIT... Quis non hanc... po- « tiùs commendet? materiam... materiarum, « NON SIBI SUBDITAM, non statu diversam,... « quali Deus potuit eguisse, suî magis quàm « alieni egens? Denique ut NECESSARIAM SENSIT « ad opera mundi, statim eam CONDIT ET GE- « NERAT in semetipso. *Dominus,* inquit, *condidit « me initium viarum suarum in opera sua.... « Prior... abysso genita sum.* Agnoscat ergo Her- « mogenes idcircò etiam σοφίαν Dei natam et « conditam prædicari, ne quid innatum et in- « conditum præter solum Deum crederemus. « Si enim intra Dominum quod ex ipso et in « ipso fuit, SINE INITIO NON FUIT, σοφία scilicet « ipsius exinde nata et condita ex quo in sensu « Dei ad opera mundi disponenda cœpit agitari; « multò magis NON CAPIT SINE INITIO QUIDQUAM « FUISSE, quod extra Dominum fuerit. Si verò « σοφία eadem Dei Sermo est,... sine quo fa- « ctum est nihil,.. quale est, ut Filio Dei Ser- « mone unigenito et primogenito ALIQUID FUE- « RIT PRÆTER PATREM ANTIQUIUS?... Ita et hoc « nomine materiam Deo præponit Hermogenes, « præponendo eam Filio. Filius enim Sermo, et « Deus Sermo, et : *Ego Pater et unum sumus;* « nisi quòd SUSTINEBIT ÆQUO ANIMO Filius eam « præponi sibi, quæ Patri adæquatur. »

Libro contra Praxeam, cap. 5 : « IN PRINCI- « PIO, inquit, DEUS FECIT SIBI FILIUM... In usu « est nostrorum, inquit,... Sermonem dicere « in primordio apud Deum fuisse, cùm magis « rationem competat ANTIQUIOREM HABERI, QUIA « NON SERMONALIS A PRINCIPIO, sed rationalis « Deus etiam ante principium... Deus nondùm « Sermonem suum miserat,... quem SECUNDUM « À SE FACERET, agitando intra se. » Ibidem, cap. 6 : « Hæc vis, inquit,... etiam in σοφίας no- « mine ostenditur. Quid enim sapientius ratio- « ne Dei, sive Sermone? Itaque σοφίαν quoque « exaudi, ut SECUNDAM PERSONAM CONDITAM. Pri- « mò : *Dominus creavit me initium viarum in « opera sua. Priùsquàm terra fieret, ante omnes « colles generavit me,* in sensu scilicet suo con- « dens et generans. Dehinc assistentem eam IPSA « SEPARATIONE COGNOSCE. *Cùm pararet,* inquit, *cœ- « lum, aderam illi simul...* Nam ut primùm Deus « voluit ea, quæ cum σοφίας ratione.... dispo- « suerat intra se, in substantias et species « suas edere, IPSUM PRIMUM PROTULIT SERMONEM, « habentem in se individuas suas rationem et « σοφίαν, ut per ipsum fierent universa. » Ibid. cap. 7 : « Tunc igitur etiam ipse Sermo SPECIEM « ET ORNATUM SUUM SUMIT, sonum et vocem; « cùm dicit Deus : *Fiat lux.* Hæc est nativitas « perfecta Sermonis, dùm ex Deo procedit « conditus ab eo primùm ad cogitatum in no- « mine σοφίας, *Dominus condidit me initium via- « rum;* DEHINC GENERATUS AD EFFECTUM : *Cùm « pararet cœlum, aderam illi simul.* Exinde EUM « PAREM SIBI FACIENS, de quo procedendo FILIUS « FACTUS EST... Ergo, inquis, das aliquam sub- « stantiam esse Sermonem?... Planè... Quæ- « cumque ergo substantia Sermonis fuit, ILLAM « DICO PERSONAM, ET ILLI NOMEN FILII VINDICO, « et dùm Filium agnosco, SECUNDUM A PATRE « DEFENDO. » Ibidem, cap. 10 : « Pater Filium « facit. » Ibidem, cap. 11 : « Probamus, inquit, « illum (Patrem) sibi Filium fecisse Sermo- « nem suum. » Sic et Apologet. cap. 21 : « Hunc, inquit, ex Deo PROLATUM dicimus et « PROLATIONE GENERATUM. » Ergo Tertullia- nus existimavit Verbum è Patre tunc de- mùm processisse, cùm universa fabricari oportuit.

Distinguo consequens : Tùm demùm pro- cessisse processione secundariâ et externâ, concedo; primariâ et internâ, nego. Tertul- lianus igitur, ut alii non pauci ipso antiquio- res, Tatianus videlicet, Athenagoras et Theo- philus, quorum sententiam jam exposuimus, duplicem Verbi divini statum admiserunt, du- plicemque processionem; primam internam, quâ Deus de Deo, Spiritus è Spiritu, utque Dei

Verbum è Patre prodierit, atque illam æternam: alteram externam, sensibilem, certoque dunfaxat tempore factam, quâ ad opificium mundi è Patre foras progressum fuerit. Idem eodem quo Tertullianus tempore docebat Hippolytus martyr homil. de uno Deo et trino: « Deus, « inquit, cùm solus esset,... voluit mundum « efficere, et mundum cogitans ac volens, et « dicens effecit... Nihil antea erat præter « ipsum; ipse solus multus erat; nec enim « erat sine ratione, sine sapientiâ, sine con- « silio... Quando voluit et quomodò voluit, « ostendit Verbum suum temporibus apud eum « definitis per quem omnia fecit... eorum quæ « facta sunt, ducem, consiliarium, operarium « GENERABAT Verbum; quod Verbum cùm in se « haberet, esset que mundo creato inaspectabile, « FECIT ASPECTABILE, emittens priorem vocem « et lumen ex lumine generans, deprompsit « ipsi creaturæ Dominum, sensum suum; et « qui priùs ipsi tantùm erat visibilis, mundo « autem invisibilis, hunc visibilem facit.... « Verbum hoc,... sive sensus,... prodiens in « mundum, OSTENSUS EST PUER DEI. »

Novatianus de Trinitate, cap. 31, hoc ipsum postea tradidit: « Ex quo (Deo Patre) inquit, « quando ipse voluit, Sermo Filius NATUS EST, « qui non in sono percussi aeris, aut tono coæ- « ctæ de visceribus vocis accipitur; sed in sub- « stantiâ prolatæ à Deo virtutis agnoscitur; « cujus sacræ et DIVINÆ NATIVITATIS arcana « nec Apostolus didicit, nec Prophetes com- « perit... Hic ergo cùm sit genitus à Patre, « semper est in Patre... Semper enim in Pa- « tre, ne Pater non sit semper Pater. Quia et « Pater illum etiam præcedit, quod NECESSE « EST PRIOR SIT, quâ Pater sit; quoniam ante- « cedat necesse est eum, qui habet originem, « ille qui originem nescit... Hic ergo, quando « Pater voluit, processit ex Patre, et qui in « Patre fuit, processit ex Patre,... et cum Pa- « tre postmodùm fuit, quia ex Patre processit, « SUBSTANTIA SCILICET ILLA DIVINA, cujus nomen « est Verbum, per quod facta sunt omnia et « sine quo factum est nihil. »

Ita quoque Lactantius variis in locis. Institutionum enim lib. 2, cap. 8: « Cùm esset, « inquit, Deus ad excogitandum prudentissi- « mus, ad faciendum solertissimus, antequàm « ordiretur hoc opus mundi,... PRODUXIT SIMI- « LEM SUI Spiritum, qui esset virtutibus Dei « Patris præditus. »

Libro 4, cap. 6: « Deus,... inquit, ante- « quàm præclarum hoc opus mundi adoriretur, « sanctum, incorruptibilem Spiritum GENUIT « quem *Filium* nuncuparet... Videlicet ipse est « Dei Filius, qui per Salomonem locutus est « ea:... *Deus condidit me in initio viarum sua-* « *rum in opera sua ante secula.* » Ibidem cap. 9: « Quomodò igitur procreavit?.... Sanctæ lit- « teræ docent.... illum Dei Filium, Dei esse « Sermonem.... Sermo est Spiritus cum voce « aliquid significante prolatus.... Ille verò cùm « sit et ipse Spiritus, tamen cum voce ac sono « ex Dei ore processit, sicut Verbum... Meritò « igitur *Sermo et Verbum Dei* dicitur, quia Deus « procedentem de ore suo vocalem Spiritum, « quem non utero, sed mente conceperat, « inexcogitabili quâdam majestatis suæ vir- « tute ac potentiâ, in effigiem, quæ proprio « sensu ac sapientiâ vigeat, comprehendit. »

Hæc autem illi veteres è Scripturis erui posse arbitrabantur, quæ duplicem Christi statum, alterum æternum, alterum temporalem, præ se ferre videbantur. Primò enim Scripturæ Christum, ut Deum Deique Verbum, ab omni æternitate in Deo Patre extitisse ubique clamant. Eædem ipsum nihilominùs paulò ante mundi opificium è Patre prolatum esse et prodiisse, imò genitum, fundatum, et conditum tunc fuisse non semel prædicare videntur. Passim enim perhibent Deum protulisse tunc Sermonem per quem omnia facta sunt. Psal. 32, 9: *Dixit et facta sunt.* Prov. 8, 22, juxta septuaginta Interpretes, quorum versione utebantur: *Dominus condidit me initium* (sive *in initio*) *viarum suarum in opera sua.* Versu 23: *Ante secula fundavit me.* Versu 24: *Ante omnia generavit me.* Eccli. 24, 5: *Ego ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam.* Ibidem versu 14: *Ab initio et ante secula creata sum.* Psal. 109, 4: *Ex utero ante luciferum genui te.* Quæ cùm ita sint, ex his antiqui colligebant Christum tunc à Patre extrinsecùs processisse ad cuncta creanda; atque adeò præter æternam ipsius è Patre originem, aliam ejusdem temporalem et externam ex eodem progressionem admittebant.

Hæc autem doctrina à vulgari quidem theologiæ nostræ ratione non mediocriter abhorret; sed nedùm hæresim Arianam juvet, eam contra elidit. Quamvis enim Ariani, perinde ac veteres illi, Christum ut Dei Verbum tunc à Patre prodiisse definirent ad universa condenda, longè tamen alio sensu id dicebant. Ipsi enim Verbum hoc meram creaturam esse statuebant, quæ tunc esse cœpisset. At verò antiqui Christum ut Deum et Dei Verbum ab

omni æternitate extitisse sentiebant. Deinde autem eumdem è Patre, in quo, et cum quo semper fuisset, processisse arbitrabantur ad opus mundi, ut supra ad Theophilum Antiochenum animadvertimus. Hinc illi etiam ipsi, qui ab Arianâ impietate quàm maximè alieni fuerunt, eamdem hanc doctrinam de secundariâ et temporali Verbi è Patre progressione ad mundi opificium adsciscere non dubitârunt.

Constantinus Magnus in epistolâ ad Nicomedienses, quâ in Arianos vehementer invehitur apud Gelasium in actis Nicænæ synodi, parte 3 : « Dei Filius, inquit, Christus, omnium opi- « fex..... GENITUS EST, imò potiùs processit « ipse, cùm semper in Patre esset, ad ea ordi- « nanda quæ ab ipso facta sunt. »

Athanasius Oratione contra Gentes : « Deus, « inquit, uniformiter existit, neque composi- « tus est. Quapropter et ejus Λόγος uniformiter « existit, neque compositus, sed unus est uni- « genitusque Deus, qui etiam ex Patre..... « progressus, cuncta exornat et continet. » Oratione autem 3 contra Arianos, qui Christum esse creaturam colligebant ex eo Apostoli loco ad Coloss. 1, ubi appellatur *primogenitus omnis creaturæ* : « Quòd autem, inquit, *primo-* « *genitus creaturarum* appellatur, id non ideò « fit, quasi ipse cæteris creaturis coexæque- « tur..... sed ob Verbi ad creaturam condes- « censionem, id nomen illi inditur. Non enim « idem potest esse unigenitus et primogenitus, « nisi diverso respectu. Ut unigenitus quidem « habeatur ob generationem ex Patre; primo- « genitus verò ob condescensionem ad crea- « turas, QUÒDQUE MULTOS SIBI FRATRES FECE- « RIT..... Hoc verò quod primogenitus dicitur, « connexam habet rursùm creationis causam, « quam subintulit Paulus dicens : *Quoniam per* « *ipsum creata sunt omnia.* »

Zeno Veronensis, quem IV seculo post Arium vixisse ac scripsisse eruditi existimant, sermone 1, de æternâ Filii Dei generatione : « Quem, inquit, ante omnia secula Pater in « profundo sacræ suæ mentis arcano insuspi- « cabili ac solâ sibi notâ conscientiâ, Filii non « sine affectu, sed sine revelamine amplecte- « batur. Igitur..... sapientia sapientiam, omni- « potentia omnipotentiam propagat; de Deo « nascitur Deus, de ingenito unigenitus..... « procedit in nativitatem, QUI ERAT, antequàm « nasceretur, in Patre. » Sermone 2 : « Cujus « ex ore, inquit, ut rerum natura, quæ non « erat, fingeretur, prodivit unigenitus Filius, « cordis ejus nobilis inquilinus; exinde VISI- « BILIS EFFECTUS, quia humanum genus visita- « turus erat. » Sermone 3 : « Principium, fra- « tres, inquit, Dominus noster incunctanter est « Christus, quem ante omnia secula Pater ad- « huc in semetipso..... non sine affectu, sed « sine discrimine amplectebatur. Sed excogi- « tatarum ut ordinem instrueret rerum ineffa- « bilis illa virtus,... è regione cordis eructat « Verbum. De Deo nascitur Deus..... Quomodò « autem generatus sit, qui processit, dementis « est opinari. Namque temperat se propter re- « rum naturam Filius, ut æternæ majestatis « Dominum non possit mundi istius medio- « critas sustinere. Cùm imperat Pater orbem « fieri, opus cum dicto completur à Filio. »

Marius Victorinus lib. 1 contra Arium : « Du- « plex, inquit, generatio ejus (Christi)..... una « quidem in filietatem..... alia autem in car- « nem venire. Illa quidem sola generatio à Deo « potentiæ manifestatio; ista autem acceptio « magis carnis, non generatio..... Hinc Pater « qui intùs; hinc Filius qui foris. » Idem hymno primo : « Tu cùm quiescis, Pater es; « cùm procedis, Filius. »

Denique Rupertus lib. 1 comment. in Genesim, cap. 10 : « Quid, inquit, in eo quod di- « ctum est : *Dixit Deus*, nisi generationem « Verbi æterni, Verbi Deo consubstantialis..... « intelligere debemus? Verè enim sine voce « natum, et omnia potentialiter continens, « Verbum tunc Pater actualiter generavit, « quando cœlum et terram creavit..... Eru- « ctavit ergo cor Patris verbum bonum, et ex « utero, id est, de substantiæ suæ secreto « ante luciferum genuit illud, quando dixit : « *Fiat lux.* »

Sic illi concilio Nicæno posteriores scriptores, quos Arianâ lue infectos ideò fuisse nemo cordatus unquàm suspicabitur. Cur ergo propterea in suspicionem vocabuntur veteres, qui longè securiùs loqui potuerunt?

Verùm ut quid illi omnes senserint de hâc Verbi divini ex Patre extrinsecùs processione penitiùs intelligatur, observandum est juxta ipsos Verbum tunc speciem aliquam corporalem ac substantiam externam, imò humanam fortassè formam ac naturam induisse et assumpsisse, eo ferè modo quo posthàc Patriarchis se contuendum dedit, aut etiam è beatâ Virgine prodiit. Tertullianus enim contra Praxeam, cap. 7 : « Tunc Sermo, inquit, speciem « et ornatum suum sumit, sonum et vocem, « cùm dicit Deus : *Fiat lux*..... Ergo, inquis, « das aliquam substantiam esse Sermonem? ..

« Quid est enim, dices, Sermo, nisi vox et so-
« nitus oris... cæterùm vacuum nescio quid,
« et inane, et incorporale? At ego nihil dico
« de Deo inane et vacuum prodire potuisse,
« nec carere substantiâ quod de tantâ substan-
« tiâ processit et tantas substantias fecit. »
Hippolytus supra : « Deus, inquit, Verbum
« cùm in se haberet, essetque mundo creato
« inaspectabile, fecit aspectabile... Qui priùs...
« invisibilis, hunc visibilem facit. » Novatianus
itidem, supra : « Sermo Filius natus est... in-
« quit, non in sono percussi aeris..... sed in
« substantiâ prolatæ à Deo virtutis. » Lactan-
tius : « Deus, inquit, procedentem de ore suo
« vocalem Spiritum, quem non utero, sed
« mente conceperat in effigiem, quæ proprio
« sensu ac sapientiâ vigeat, comprehendit. »
Athanasius idcircò ait Verbum tunc condescendisse creaturis, quæ divinam majestatem ferre non potuissent, et eam speciem assumpsisse, quæ ipsi homines fratres faceret. Zeno Veronensis pariter Christum tunc visibilem esse effectum, et propter rerum naturam se temperâsse.

Inde est quòd Tertullianus, quâ ratione homo sit creatus à Deo describens, de resurrectione carnis, cap. 5, sic loquatur : « Caro,
« inquit, et Sermone Dei constitit propter
« formam, ne quid sine Sermone..... et am-
« plius manu (Dei) propter prolationem, ne
« universitati compararetur. » Putat enim Deum, à quo homo formatus est, manibus tunc instructum fuisse, quibus tantum opus fingeret. Ita quoque Prudentius in Apotheosi.

Instant 1° : At Tertullianus, aliique mox recensiti, hanc initio mundi è Patre processionem, ipsam esse Verbi generationem ac nativitatem profitentur. Ergo nondùm è Patre processerat, nec ex ipso genitus erat. — Distinguo antecedens : Generationem sensibilem et nativitatem extrinsecùs factam, concedo; quasi antea è Patre non processisset, nego. Ut ergo veterum illorum sententia magis ac magis illustretur, notandum est, 1° omnes illos, nullo excepto, Christi æternitatem, ejusque ab omni æternitate distinctionem à Patre, agnovisse; quod de unoquoque sigillatim aut evicimus aut evincemus. 2° Ipsos non potuisse ita sentire, quin aliquam ejusdem Verbi æternam processionem ac originem simul admitterent. Etverò haud dubiè agnoverunt. 1° Enim duos illi deos ingenitos esse non crediderunt. 2° Tatianus, Athenagoras et Theophilus Antiochenus eum in hoc æternitatis statu *Patris Verbum* vocant. At verbum ex illius mente necessariò procedit, cujus verbum est. 3° Tertullianus contra Praxeam, cap. 26, postquàm apertè definiisset Christum, quatenùs est Dei Spiritus, ab æterno fuisse, sic subdidit : « Sicut ergo Sermo Dei non est ipse, cujus
« est, ita nec Spiritus, etsi *Deus* dictus est,
« non tamen ipse est cujus est dictus :.... et
« ideò Spiritus Deus, et Sermo Deus, quia ex
« Deo; non tamen ipse ex quo est. » Etverò passim Christum *ex Deo Deum* appellat; quod sine origine nec consistere nec intelligi potest. 4° Hippolytus similiter pronuntiat Christum sic ex Deo Patre Deum processisse, ut lumen è lumine; et qui in Patre semper fuerat, ex Patre exiisse. 5° Novatianus conceptis verbis eum ab æterno Filium fuisse è Patre genitum et natum statuit. « Hic ergo, inquit cap. 31,
« cùm sit genitus à Patre, semper est in Patre.
« Semper autem sic dico, ut non innatum, sed
« natum probem..... Semper enim in Patre,
« ne Pater non semper sit Pater. » 6° Justinus in Apologiâ, quæ dicitur prima, eum semper Patri coexistisse, ut ab ipso genitum, affirmat pag. 44. De cæteris idem esto judicium Ergo omnes antiqui æternam ejusmodi processionem agnoverunt : plures etiam memorârunt, idque conceptis verbis. Alii verò non item; seu quòd occasio data non esset, seu quòd Scripturas sequerentur, quæ de æterno Christi statu vix ac ne vix quidem *generationis* aut *processionis* nomen, quemadmodùm ab ipsis usurpabantur, adhibent. 3° Eosdem nihilominùs *generationis* nomine donâsse eam, quam insuper admisêre, Verbi è Patre progressionem ad orbem fabricandum; quin et ita locutos esse, quasi hæc sola esset propriè dicta generatio ac nativitas. Ita Athenagoras supra; Tertullianus hîc, et alii postea. Cujus quidem locutionis variæ causæ esse potuerunt. Prima, quòd Scripturæ eo, quo supra expositæ sunt, sensu acceptæ, eodem *generationis* vocabulo passim utantur. Secunda, quòd juxta vulgarem loquendi consuetudinem, liberi tum demùm *gigni* et *nasci* dicantur, cùm in auras extrinsecùs prodeunt; *geniti* autem et *nati* non dicantur, quamdiù intra parentum viscera latent, iisque continentur. Non mirum itaque si tunc Verbum esse genitum ac natum affirmare non dubitaverint, cùm ex æterno Patris sinu, et de ipsius cordis vulvâ, ut loquitur Tertullianus, ad condendam mundi machinam effusum est. Cæterùm si propterea vocandi sunt in crimen veteres, eâdem criminatione involvendi

sunt Patres posteriores, etiam ii qui Arianam hæresim protriverunt. Eâdem enim *generationis* voce progressionem illam appellant, non modò Constantinus Magnus et Rupertus, sed et Athanasius, Marius Victorinus et Zeno Veronensis supra. Atqui hi extrà omnem erroris suspicionem positi sunt. Ergo et alii absolvendi sunt. Quin et Marius Victorinus aliquid habet longè durius. Comparans enim primam illam Verbi è Patre processionem principio rerum, cum alterâ ejusdem ex Beatâ Virgine, quâ carnem assumpsit, videtur hanc primam, non autem secundam, *generationis* nomine donandam esse, affirmare.

Instant 2°: At Tertullianus addit ante hanc processionem initio mundi factam, Christum Dei Filium, Dei Sermonem ac Sapientiam non extitisse. Hinc enim est quod ait, TEMPUS FUISSE CUM FILIUS NON ESSET; PATREM NON SEMPER FUISSE PATREM; materiam, si æterna esset, FILIO FORE ANTIQUIOREM; ΣΟΦΙΑΝ NON SINE INITIO ESSE; DEUM NON FUISSE SERMONALEM A PRINCIPIO, seu ab æterno; RATIONEM DEI ANTIQUIOREM ESSE DEI SERMONE; Filium procedendo (ad extra) factum esse, et ejusmodi PROLATIONE ESSE GENERATUM. Ergo non putavit Christum esse æternum. — Distinguo consequens: Non putavit Christum esse æternum, quatenùs Filium Dei, et Sermonem, et Sapientiam, concedo; Christum, qui Filius est Dei et Sermo et Sapientia creatrix mundi, non esse per sese æternum, nego. Aliud est Christum esse per sese æternum, aliud æternum eum esse sub omni respectu; Christus enim potest credi æternus esse, etiamsi talis non existimetur omni ex parte. Ita Catholici confitentur æternum eum esse; nec tamen sentiunt eum esse talem, quatenùs homo est: quia videlicet æternæ ejus naturæ ac personæ humanitas certo duntaxat tempore accessit. Porrò ita exponendi sunt Tertullianus aliique veteres. Cùm enim Christum, ut in se est et habitâ ratione primigeniæ suæ naturæ, considerant, eum ubique initii expertem esse prædicant quamvis initium eidem aliunde assignent, habitâ ratione eorum quæ postea ipsi acciderunt. Ergo veteres Christum in se spectatum variis nominibus exornant, eumque *Deum* vocant, *Dei Verbum, mentem, rationem, prudentiam, spiritum, sermonem, Filium, et sapientiam mundi effectricem.* Sed omnia hæc nomina ipsi non tribuunt sub eodem respectu; alia enim sunt, quæ ipsi adscribant, quatenùs ab æterno fuit in Patre; alia quæ referant ad eum statum, aut potiùs ac illud tempus quo inter exordia mundi è Patre extrinsecùs processit.

Christum igitur, habitâ ratione æterni ipsius apud Patrem statûs, appellant 1° *Deum de Deo;* 2° *Dei Verbum;* 3° *Dei Spiritum;* 4° *Dei mentem;* 5° *Dei rationem;* ut apud Athenagoram, Tatianum, Theophilum Antiochenum, Tertullianum, Hippolytum, Novatianum, et cæteros videre est.

At verò, quatenùs è Patre prodiit ad fabricam mundi, eumdem vocant, 1° *Sapientiam conditam;* 2° *Primogenitum creaturæ;* 3° *Sermonem prolatum;* 4° aliquando Filium ac puerum; quæ cùm apud cæteros occurrant, tùm apud Tertullianum præsertim, ut monuimus.

1° Itaque Tertullianus Christum vocat sub eo respectu *Sapientiam mundi effectricem:* idque propter illud Prov. 8, juxta septuaginta Interpretes: *Dominus condidit me,* etc. Non quòd Christus ab æterno non esset vera Dei sapientia; sed quòd nondùm esset illa Sapientia condita per quam facta sunt omnia. 2° Sub eâdem consideratione nomen *Sermonis Dei* Christo tribuit, quia Sermo est Verbum extrinsecùs prolatum. Christum ergo, quatenùs in Patre ab æterno fuit, *Dei rationem et spiritum* dicit, sed Verbum idem factum esse *Sermonem* arbitratur, cùm ex intimo mentis sinu foras prodiit ad moliendam rerum universitatem. Hinc ait Deum non fuisse sermonalem à principio, sed rationalem etiam ante principium; quia videlicet Christum ab æterno habebat intrà se, ut rationem suam et verbum internum; sed eum extra non emisit tanquàm sermonem, nisi cùm omnia facta sunt. 3° Tandem videtur etiam Tertullianus existimâsse Christum non dici Filium Dei, nisi propter externam illam à Patre progressionem; proinde ante illam non fuisse propriè loquendo Dei Filium; in quo jurisconsultorum loquendi rationem, ut aliàs frequenter, æmulatus est. Illi enim fœtum, quamdiù intra parentis viscera latet, *matris portionem* vocant; *Filium* verò nonnisi postquàm ex utero in lucem prodiit, quæ *generatio et nativitas* propriè nominatur. Cùm igitur Christus ad hanc usque progressionem externam semper intra Dei sinum fuisset, hinc sæpè eum *portionis* nomine donat, ut modò declarabimus; postquàm autem è vulvâ cordis Dei exiit, eum nomine *Filii* insignit, hancque extrinsecùs factam è Patre processionem, eâ de causâ *generationem* et perfectam Christi *nativitatem*

appellat. Antea enim velut conceptus quidem videbatur Tertulliano, sed nondùm censebatur natus, quòd nondùm apparuisset.

Hoc autem in negotio Tertullianum nonnulli alii secuti sunt, saltem ex parte : Hippolytus supra : « Verbum hoc, inquit, ... « prodiens in mundum, ostensum est puer « Dei. » Idem : « Nec enim Verbum per se, « inquit, et sine carne perfectus Filius erat, « cùm tamen esset perfectum Verbum unige- « nitus. » Quibus verbis longiùs progreditur, quàm Tertullianus ; ait enim Christum non fuisse perfectum Dei Filium, antequàm carnem assumeret. Novatianus : « Quando ipse « voluit, Sermo Filius natus est. » Lactantius lib. 4, cap. 6 : « Antequàm,..... inquit, « opus mundi adoriretur,..... Spiritum ge- « nuit, quem Filium nuncupavit. Quin et « post concilium Nicænum. » Zeno Veronensis sermone 1 : « De Deo, inquit, nascitur « Deus,.... procedit in nativitatem, qui erat, « antequàm nasceretur, in Patre. » Quæ sunt Tertulliani dictis planè similia. Conceptis enim verbis definit tempus quoddam fuisse, cùm nondùm natus esset Filius Dei. Marius Victorinus lib 1 : « Hinc Pater, inquit, qui « intùs ; hinc Filius, qui foris. »

Denique Rupertus : « Verbum tunc Pater « actualiter generavit, quando cœlum et ter- « ram creavit. »

Id quidem insolens ac mirum primâ fronte videtur ; sed quamvis illi locutione tenùs à nobis et aliis vulgò Patribus dissideant, re tamen ipsâ consentiunt. Apertè enim profitentur eum, qui tunc natus est, et factus est Filius Dei, jam ante fuisse ab omni æternitate, ut Deum de Deo, ut Dei Verbum ac rationem, ut Dei Spiritum. Quocirca, juxta veteres illos, Christus quidem in se, seu, ut scholæ loquuntur, specificativè spectatus, est æternus ; sed non reduplicativè, quatenùs est Dei Sermo extra prolatus, aut Dei Filius, externâ in lucem processione generatus ac natus. Id autem adeò verum est, ut non semel asserat Dei Filium ac Sermonem esse æternum, sed præcipuè contra Praxeam cap. 27, quia nimirùm Spiritus ille, qui primò fuit Deus de Deo, Deique Spiritus ac ratio, et postea in Sermonem et Filium Dei evasit, ab omni æternitate extitit. Hinc ibidem, cap. 12 : « Filio, inquit, nondùm apparente. » Quo innuit Filium quidem ante mundi originem fuisse ; sed nondùm tamen apparuisse. Quin et contra Hermogenem, cap. 18, ubi tam disertè pronuntiat Sapientiam principio rerum à Deo esse conditam, eo, inquam, ipso in loco, agnoscit eamdem *non esse æterno Patri subditam, non statu ab ipso diversam.* Porrò, si creatura mera esset, quæ tunc cœpisset extare, ea profectò æterno Patri subdita fuisset, et diversæ omninò ab ipso naturæ ac conditionis. Ergo creatam eam simul et increatam, temporalem et æternam esse arbitratus est. Etverò, in libro de Carne Christi, cap. 5, disertè statuit Christum hominem simul et Deum esse ; hinc natum, inde non natum, seu initii expertem, etc.

Instant 3° : Hæc non possunt intelligi de processione ad extra. Tertullianus enim contra Hermogenem, cap. 18, de illâ loquens, ait : « Eam statim condit et generat in semet- « ipso. » Ergo, etc. — Nego subsumptum. Ad probationem, distinguo antecedens : Condit et generat in semetipso, quòd non recesserit à Deo Patre, concedo ; quòd non excesserit, seu formam extraneam non assumpserit, nego. Sic ipse loquitur Apolog. cap. 2 : « A « matrice, inquit, non recessit ; sed excessit. » Hinc modò separationem admittit, modò submovet, ut infra patebit.

Instant 4° : Tertullianus contra Praxeam, cap. 6, definit tunc, id est, initio mundi, esse cœpisse secundam sanctissimæ Trinitatis personam. Ergo antea non erat persona. Respondeo 1°, id liquidò non asserere Tertullianum : hæc enim sunt ejus verba : « Ita quoque « σοφίαν exaudi, ut secundam personam con- « ditam. » Quæ quidem ita possunt accipi, ut duntaxat significent sapientiam effectricem mundi, quæ secunda sanctissimæ Trinitatis persona intelligenda est, fuisse tunc conditam, eo nempè, quo aperuimus, sensu. Respondeo 2°, si quis obfirmato animo contendat ex Tertulliano tunc Christum in secundam personam evasisse, id interpretandum fore de personâ, jurisconsultorum more, non autem theologorum ritu, acceptâ. Namque juxta theologos persona est quodlibet individuum rationis compos ac per se subsistens. Talis autem semper et ab æterno fuit Christus, etiam juxta Tertullianum, qui non semel eum esse verum Deum et æternum agnoscit. At juxta jurisconsultos filii, quamdiù intra parentum viscera includuntur, non censentur personæ ; imò pro personis non habentur, nisi quando extra processerunt, et jus aliquod sibi proprium habent. At Christus initio mundi duntaxat è Patris sinu egressus est, tumque

jus demùm habere cœpit, quasi peculiare ac proprium, in eam formam, quam sibi intimo nexu conjunxit. Itaque hoc sensu aliquatenùs dici posset tunc in personam evasisse; quod longè clariùs affirmare veritus non est Novatianus de Trinit. cap. 31, ubi ait Christum, dùm processit ex Deo ad opera mundi, secundam personam effecisse. Porrò, quod nôrunt omnes, in jure romano versatissimus fuit Tertullianus, et jurisprudentiæ locutionum retinentissimus. Jam verò suam de illo *personæ et Filii* nomine mentem exponit ibidem, cap. 7, dùm sic loquitur : « Quæcumque ergo substantia Sermonis fuit, illam « dico *personam*, et illi nomen *Filii* vindico ; « et dùm Filium agnosco, secundum à Patre « defendo. » Hinc et Tertullianus affirmat quòd Pater Filium fecerit secundum à se, agitando intra se.

Instant 5° : Aliquam separationem Filii à Patre tunc esse factam Tertullianus putavit, contra Praxeam, cap. 6 : « Dehinc inquit, as- « sistentem eam ipsâ separatione cognosce. » Atqui, si Christus est Deus, nunquàm potuit à Patre separari, quocum eamdem naturam habeat necesse est. — Distinguo majorem : Separationem, id est, extrinsecùs processionem ac distinctionem, concedo ; id est, divisionem, nego. Semper enim divisionem illam excludit : imò passim et separationem. Apol. cap. 21 ; « A matrice, inquit, non recessit, sed ex- « cessit. » Hoc ipso in libro contra Praxeam, cap. 8 : « Sermo, inquit, ... et in Patre sem- « per, et nunquàm separatus à Patre.... Pro- « latum dicimus Filium à Patre, non separa- « tum. » Capite 9 : « Inseparatos ab alterutro « Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum « testor. » Ibidem « duos distinctione, non « divisione, » Patrem et Filium pronuntiat ; capite 19 : « Pater et Filius duo non ex sepa- « ratione substantiæ, sed ex dispositione. »

Instant 6° : At Tertullianus passim agnoscit Christum tunc esse factum, conditum, et creatum. — Distinguo : Conditum, factum et creatum, quatenùs est sapientia mundi effectrix, et Filius extra progressus, id est, ratione formæ creatæ, quam tunc induit et sibi conjunxit, concedo ; quatenùs est Deus è Deo, Spiritus è Spiritu, etc., uno verbo, ut in se est, nego. Non diffiteor igitur hæc passim à Tertulliano dici, quâ ratione Tatianus supra professus est Dei Verbum ita extrinsecùs prolatum, fuisse primum divini Spiritus opus, quo etiam modo Lactantius ipsum et conditum et procreatum esse asserit ; sed ita loquuntur habitâ ratione formæ illius aspectabilis et creatæ, quam sibi conjunxit, non autem habitâ ratione primævæ illius naturæ ; ad eum ferè morem, quo Christus propter assumptam è Beatâ Virgine carnem factus non semel in Scripturis esse dicitur. Cæterùm aliâ ex parte Christum eumdem pro increato habent ; in primis autem Tertullianus de carne Christi, cap. 5. Inde etiam est quòd Athenagoras ait Verbum quidem tunc è Patre processisse, ita tamen ut non sit quid factum. Ergo, juxta veteres, Verbum Dei factum simul est et non factum, creatum et non creatum, sub diverso respectu. Per sese, et habitâ ratione primæ suæ naturæ increatus est et non factus ; at verò *factus* dicitur, *conditus* et *creatus*, habitâ ratione formarum creatarum, quas postea assumpsit, sive principio rerum ad condendum orbem, sive progressu temporis ad humanum genus reparandum.

Objiciunt 2° : Tertullianus Filium Dei *portionem* sæpè appellat. Apolog. cap. 21 : « Por- « tio, inquit, ex summâ. » Libro 3 contra Marcionem, cap. 6 : « Cujus (divinitatis), in- « quit, si plenitudo intellecta non est (Pater), « multò magis portio. » Contra Praxeam, cap. 9 : « Pater enim tota substantia est ; Fi- « lius verò derivatio totius et portio, sicut « ipse profitetur : *Quia Pater major me est.* » Ergo Filius non habet divinitatis plenitudinem ; atque adeò verus ac summus non est Deus. — Distinguo antecedens : Filium appellat *portionem*, quòd una sit duntaxat divinitatis persona eaque derivata, non verò omnis quæ Deus est ; quòd è Patre totius divinitatis fonte sit, eòque origine posterior, et eatenùs etiam minor, ei tamen consubstantialis, concedo ; quasi Filius sit à Patre separatus, eòque naturâ ac conditione inferior, nego. Nimirùm comparationes id genus non sunt ad vivum resecandæ ; sed ex auctorum mente ac scopo benignè interpretandæ sunt ; in quibusdam enim quadrant ; sed in aliis deficiunt. Jam verò, cùm Tertullianus secundam Trinitatis personam Filium, toties *portionem* vocat, eò duntaxat significare voluit, 1° ut portio sola et per se totum non facit, sic Filium non esse id omne quod Deus est, sed alias præterea esse personas, quod Praxeas negabat. 2° Ut portio è toto procedit, sic Filium è Patre esse. 3° Ut portio ex toto decerpta, eo est posterior, ita Filium esse Patre origine posteriorem. 4° Ut portio minor est

toto, sic Filium esse, eâdem originis ratione, æterno Patre minorem, quod plurimi Patres, etiam post synodum Nicænam, dicere non refugerunt, eò quòd Patrem esse, ac totius divinitatis fontem, videretur esse quædam dignitas, quâ prima persona secundæ præstaret. 5° Ut portio distinguitur à toto; sic Filium à Patre distingui. 6° Ut portio ejusdem est rationis cum toto, sic unam eamdemque esse Patris et Filii naturam. Verùm in aliis similitudo locum non habet; quasi nempe, ut portio à toto divisa est et naturam habet sibi peculiarem, minorem, et reipsà diversam ab eo unde deciditur, sic Filius sit à Patre separatus, et propriâ sibi, minore, distinctâque naturâ instructus. 1° Enim, ut mox demonstravimus, constanter ubique prædicat Filium non esse à Patre separatum. 2° libro 4 contra Marcionem, cap. 25, pronuntiat Filium non minorem esse Patre, naturâ suâ videlicet; alibi verò Filium esse parem Patri statuit, ut vidimus. 3° Unam eamdemque esse ac prorsùs indivisam Patris substantiam perpetuò asserit. 4° Non agnovit in divinitate plures gradus, quasi una sit major, altera minor. Contra Hermogenem, cap. 7 : « Neque enim, inquit, « proximi erimus opinionibus nationum, quæ « si quando coguntur Deum confiteri, tamen « et alios infra illum volunt. Divinitas autem « gradum non habet, utpote unica; ..... mi« nor se nunquàm poterit esse. » Alibi tamen gradus agnoscit varios, nempe adversùs Praxeam, cap. 2; sed inter personas ipsas propter originem, non verò in naturâ. 5° Iisdem in locis, quæ objiciuntur, satis ipse mentem suam explicat. Cap. 21 Apolog. : « Hunc ex « Deo, inquit, ... didicimus.. ..... genera« tum, et idcircò Filium Dei et Deum di« ctum ex unitate substantiæ..... Portio ex « summâ..... nec separatur substantia, sed « extenditur. » Libro 3 contra Marcionem, cap. 6 : « Si plenitudo intellecta non est, in« quit, multò magis portio, certè quâ plenitu« dinis consors. » Contra Praxeam, cap. 9 : « Dico, inquit, ... non..... diversitate alium « Filium à Patre, sed distributione; nec divi« sione alium, sed distinctione, quia non sit « idem Pater et Filius. » Ergo Tertullianus agnovit Filium, quem dicit *portionem*, unam habere cum Patre substantiam, quæ non separetur, plenitudine divinitatis, non minùs quàm Patrem, præditum esse, et ab eo quidem esse distinctum, sed nullatenùs divisum. Propterea autem cùm Filium *portionem* nominat, jurisconsultorum more loquitur, ut supra animadvertimus.

Objiciunt 3° : Idem Tertullianus contra Praxeam, c. 14, asseverat Patrem esse invisibilem, Filium verò visibilem. Atqui hoc citra naturæ diversitatem consistere non potest. — Distinguo majorem : Filium verò visibilem, quatenùs persona est, quæ mitti possit, et formam aspectabilem assumere, eamque reipsà assumpsit, concedo; naturâ suâ, nego. Id ex loci ipsius lectione patet. Ibidem enim Filium quoque naturâ suâ esse invisibilem monet. « Dicimus enim, inquit, Filium suo nomine « eatenùs esse invisibilem, quâ Sermo et Spi« ritus Dei, ex substantiæ conditione; ..... vi« sibilem autem fuisse ante carnem..... in vi« sione..... et in somnio. » Sed hâc de re ad Justinum pleniùs disputatum est.

Objiciunt 4° : Tertullianus contra Praxeam, cap. 12, ait Patrem jussisse Filio ut mundum conderet, et Patri Filium paruisse. Atqui Deus nulli parere potest. — Distinguo majorem : Id est, ipsius voluntatem executum esse, ut ipsius Verbum, adeòque Deum, concedo; servi ad instar, nego. Contra Hermogenem enim cap. 18, disertè asserit σοφίαν non fuisse idcircò Patri subditam. Sed de eo rursùs ad Justinum.

Objiciunt 5° : Rufinus in Apologiâ pro Origene, tom. 9 Hieronymi, ait Tertullianum de Trinitate non rectè sensisse. — Respondeo 1° ita loqui Rufinum propter eum de Trinitate libellum, qui inter opera Tertulliani exstat, hoc verò opus Tertulliani non esse. Respondeo 2°, cujuscumque sit is liber, catholicum eâ in parte esse; atque adeò deceptum esse Rufinum; quod profectò mirum non est.

Origenes. — Jam veniendum est ad Origenem, eximiæ quidem pietatis et eruditionis infinitæ virum, sed de quo tantâ animorum contentione à viris cùm doctis tùm sanctis hactenùs disputatum est, ut quamvis magnæ, attamen dubiæ famæ sit. Cùm enim adhuc viveret, adversarios habuit Demetrium Alexandrinum et plures alios Ægypti præsules; post mortem verò, cùm non paucos obscuri nominis viros, tùm inprimis Methodium martyrem, Eustathium Antiochenum, Marcellum Ancyranum, Pacomium abbatem, Theophilum Alexandrinum, Epiphanium, Hieronymum, et œcumenicæ V synodi Patres, aliosque innumerabiles; quibus accenseri possunt præ cæteris inter recentiores Petavius et illustrissimus Huetius.

Alterâ verò ex parte fautores ac patronos vivus habuit Alexandrum Hierosolymitanum, Theoctistum Cæsariensem, Dionysium Alexandrinum, Firmilianum Cæsariensem, Gregorium Thaumaturgum, et Athenodorum ejus fratrem; mortuus autem defensores nactus est Pamphilum martyrem, Eusebium Cæsariensem, Athanasium, Basilium, Gregorium Nazienzenum, Gregorium Nyssenum, Didymum Alexandrinum, Titum Bostrensem, Joannem Hierosolymitanum, Rufinum; è recentioribus verò Joannem Picum Mirandulanum, Jacobum Merlinum, Erasmum, Sixtum Senensem, Claudium Espensæum, Gilbertum Genebrardum, Stephanum Binetum et Halloxium. Atque hos postremos theologi passim nunc sequuntur, adeò ut apud omnes ferè jam obtineat, ut ab Arianâ impietate et Socinianorum partibus Origenes vindicetur. Quin etiam non parùm Ecclesiæ interesse multi existimant, ut Origenes non putetur primarium hoc religionis dogma de Christi divinitate palàm ac publicè impugnâsse, qui non solùm in Ecclesiæ catholicæ sinu ad mortem usque permansit, sed etiam cum plerisque illius ætatis sanctissimis, doctissimis ac celeberrimis Ecclesiæ episcopis, communionis et arctioris amicitiæ vinculo conjunctus vixit, imò et admirationi ipsis fuit. Atque id eò magis observandum est, quòd, cùm Origenes mirificè exagitaretur, multaque ei objicerentur, nunquàm tamen ullius circa Trinitatem erroris, quamdiù vixit, insimulatus fuerit. Quid enim, inquiunt, an nullo tunc loco habebatur Christi divinitas? An liberum tunc fuit ipsam vel confiteri vel impetere? An Ecclesia, an sancti, an docti rem istam parùm curabant? Absit. Imò historia ecclesiastica docet nunquàm eos impunè tulisse, qui præcipuum hoc fidei caput violare attentârunt. Ergo pariter, inquiunt, Origenes omnibus odio et execrationi fuisset, si reipsà Christi divinitatem impugnâsset et evertisset, in iis præsertim operibus, quæ omnium manibus terebantur.

Ut verò omnem Origenis à se defensi invidiam depellant, varias illi vias ineunt. Alii enim contendunt Origenem nunquàm propter hoc de Christi divinitate caput, sed propter alia duntaxat ab Ecclesiâ fuisse damnatum; alii Origenis scripta hæreticorum manu adulterata esse et interpolata; alii alia obtendunt. Quæ quidem, quòd hujus loci non sint, non persequemur. Absit nimirùm, ut in tantis tam illustrium virorum dissidiis judicium nostrum interponere velimus. Ut omnium Patrum memoriam, sic omnium conciliorum decreta veneramur. Legitimasne habuerint antiqui causas Origenis damnandi, cùm id ad institutum nostrum non pertineat, inquirere animus non est. Iis certè multa suppetebant, quæ ad nos usque non pervenerunt. Itaque sepositâ majorum nostrorum auctoritate, ac prætermissis, quæ olim utrinque allata sunt, momentis, lubet Origenem, non cujusmodi olim fuit, sed qualis nunc est, expendere. Cùm enim Socîniani in ea ipsa Origenis scripta, quæ Ecclesia nobis servavit, pugnent, operæ pretium erit ejus judicium tueri, et quos hîc adversarii struunt, triumphos dissipare.

Quia verò constat Origenis operibus multa esse alienâ fraude inserta, et quæ latinè tantùm extant, magis suspecta sunt; ipsum, prout jam græcè legitur et nobis objicitur à Socinianis, spectabimus, et argumento, ut aiunt, ad hominem demonstrare conabimur Origenem, nedùm Arianis ac Socinianis faveat, ab eorum doctrinâ longè esse alienum.

1° Non semel nec obscurè docet Christum extitisse antequàm è Beatâ Virgine carnem assumeret, præcipuè contra Celsum, lib. 3 et 6. Sed eximius est eâ de re locus, lib. 5, ubi, « Dei Filius, inquit, primogenitus omnis creaturæ, etsi nuper homo factus esse videatur, « non tamen ideò novus est; novit enim hunc « Scriptura sacra creaturis omnibus vetustiorem. »

2° Ipsius etiam æternitatem prædicat. Tomo enim 1 in Joannem, hunc Davidis locum interpretans: *Filius meus es tu; ego hodiè genui te:* « Dicitur, inquit, ad illum à Deo, cui semper est hodiè. Neque enim est vespera Dei, « neque mane;..... sed tempus, ut ita dicam, « simul se extendens cum illâ ipsius ingenitâ et sempiternâ vitâ. Ipsi dies est hodiè, « in quâ genitus est Filius; sic non invento « originis ipsius principio, sicut nec diei. » Ergo Christus semper fuit, nec ullum habuit initium existendi. Libro 5 contra Celsum. Christum Dei sapientiam ideò vocat *splendorem æterni luminis.* At splendor æterni luminis æternus ipse necessariò est. Ergo

At necesse non est ut illam nos ex Origene consecutionem extundamus; hanc enim Origenes ipse apud Athanasium in libro de Decretis Nicænæ synodi, verbis sanè disertissimis exposuit. « Si (Filius) est, inquit « ibi Origenes, imago invisibilis Dei, ipsa « quoque imago invisibilis fuerit. Imò hoc

« quoque ausim addere, cùm sit similitudo « Patris, NON FUISSE ALIQUANDO CUM NON ESSET. « Quando enim Deus, qui secundùm Joannem « *lux* dicitur (*Deus* enim, inquit, *lux est*), « splendorem non habuit propriæ gloriæ? ut « quis auderet FILIO INITIUM ADSCRIBERE, QUASI « ANTEA NONDUM EXISTENTI? Quando autem non « erat ineffabilis illa, innominabilis, inenarra- « bilisque paternæ hypostasis imago? ..... « COGITET SECUM, QUICUMQUE AUDEBIT DICERE: « ERAT ALIQUANDO QUANDO NON ERAT FILIUS, SE « HOC IPSUM DICERE: SAPIENTIA ALIQUANDO NON « ERAT, RATIO NON ERAT, VITA NON ERAT. » Sic Origenes, quo nullus unquàm, etiam post concilium Nicænum, Christi æternitatem luculentiùs exprimere potuit. Imò quasi impium hoc Arii effatum : *Fuit aliquando cùm non erat Filius*, prævidisset, tantò ante errorem hunc præfocavit; et iisdem argumentis utitur, quibus hoc Arii dogma refellere solent Patres synodo Nicænâ posteriores.

Idem ibidem : « Fas non est, inquit, neque « periculo caret, propter imbecillitatem nostram « spoliare, quantùm in nobis est, Deum uni- « genito suo, semper secum existente Verbo, « spoliare item suâ sapientiâ in quâ lætabatur. « Inde enim colligeretur eum non semper læ- « tatum fuisse. » Denique adeò constabat olim Origenem ubique Christi æternitatem prædicâsse, ut Socrates lib. 7, cap. 6, miretur Timotheum quemdam, Origenis admiratorem, in Arianorum castris permanere voluisse, quia « Origenes coæternum ubique fatetur « Filium Patri. » Addé Origenis locum à Marcello Ancyrano laudatum, et ab Eusebio lib. 1, cap. 4, relatum, in quo Origenes perspicuè definit Filium et Spiritum sanctum esse Patri coæternos.

3° Christi non solùm æternitatem, sed etiam divinitatem et cum Patre consubstantialitatem agnovit. Libro enim 4 contra Celsum, de Magis agens : « Ferentes dona, inquit, ei qui « componebatur, ut sic loquar, ex Deo et ho- « mine mortali, symbola obtulerunt, aurum « tanquàm regi, myrrham ut morituro, ut Deo « thus. » Christum ergo non modò hominem, sed etiam Deum fuisse sentiebat. Ibidem cùm Celsus Christianos irrideret, qui hominem in cruce suffixum adorabant, ac diceret sanguinem Jesu non fuisse cruorem qualis divis solet esse beatis : « Nos, inquit, ipsi Jesu cre- « dentes de divinitate quidem, quæ in eo erat, « dicenti : *Ego sum via, veritas, et vita*, et si « quid est his simile; de corpore verò in quo « erat humano sic loquenti : *Nunc me quæritis « interficere, hominem qui veritatem vobis locutus « sum*, aimus eum fuisse quiddam compositum « (ex utroque). » Ubi eadem quæ supra sententia est, et quemadmodùm in Christo corpus, sic divinitatem esse pronuntiat Origenes.

Ibidem, pag. 52 : « Habuit Christus, inquit, « quiddam divinius sub humanâ specie, quod « erat PROPRIÈ DEI FILIUS, Deus Verbum, « virtus, sapientiaque Dei. » Christum ergo esse propriè Dei Filium, ac Deum agnoscit. Lib. 3 objicienti Celso, quòd Christiani Jesum mortali corpore constantem crederent esse Deum, idque piè sibi viderentur facere : « Sciant isti criminatores, inquit, hunc Jesum, « quem ab initio Deum Deique Filium credi- « mus, ipsum esse Verbum, ipsam veritatem, « ipsam sapientiam. Cæterùm mortale ejus « corpus, et humanam in eo animam, » etc. Ibi Christum ab initio fuisse cùm Dei Verbum, tùm Deum affirmat. Atque ut verum esse Deum significet, locutione Platonicâ Christum esse *ipsum Verbum, ipsam veritatem, ipsam sapientiam*, αὐτολόγον, αὐτοαλήθειαν, αὐτοσοφίαν, definit; quomodò nempe Plato Deum supremum αὐτοαγαθὸν, *ipsum bonum* appellat. Notandum verò Origenem non tantùm Christum pro Deo habuisse, sed etiam fuisse hanc omnium Christianorum fidem, atque id vel ipsis philosophis gentilibus compertum fuisse.

Libro 4, cùm Celsus Christianos argueret, qui Deum è cœlo descendisse ad carnem assumendam putant, et inde diceret consequens esse ut Deus mutationi subesset, et è felice miser evasisse existimetur : « Ad hæc, inquit « Origenes, satis responsum erit, si dixero « quomodò in Scripturis accipiatur descensus « Dei ad homines, ad quem nullâ mutatione « opus est, ut Celsus putat nos opinari, nec « versione....., è felice in infelicem..... « Immutabilis enim in suâ essentiâ ma- « nens condescendit rebus humanis..... Nos « certè è sacris litteris Deum immutabilem « esse discimus, ubi legitur : *Tu autem idem ipse « es*; et : *Non immutor*... Id autem quod ad « homines descendit, in formâ Dei substitit, « et propter amorem humani generis se ipsum « exinanivit,..... absque ullâ tamen mutatio- « ne..... Quòd si Verbum Deus immortalis, « quia corpus mortale animamque humanam « assumpserit, Celso idcircò immutari videa- « tur, discat Verbum manere Verbum suâ sub- « stantiâ, nec pati quidquam eorum, quæ « corpus aut anima patitur; condescendere

« tamen interdùm non valentibus ejus claritatem ac splendorem divinitatis intueri, ac veluti carnem factum, loqui corporaliter. » Quid expressius? Concedit enim Celso, quod ille aiebat, Deum nempe è cœlo descendisse, Christum scilicet; sed negat eò mutatum fuisse, quia etsi homo factus est, attamen Deus semper mansit, et naturam divinam perpetuò illibatam servavit. Ergo Christus naturâ divinâ præditus est. Ibidem, pag. 171, similem aliam calumniam diluens : « Adhuc, « inquit, responderi potest distinguendo Verbi « divini naturam, qui Deus est, et Jesu animam. » Quid clarius?

Libro 5, causam afferens cur Christiani Deum, et Filium Dei Christum, non solem, lunam et astra, ut cæteri homines, adorarent : « Non decebat eos, inquit, qui genere omnem creaturam transcendere didicerant;.... contendebantque studiis fervens ad immarcescibilem illam sapientiam, « aut jam perceperant eam, eam, inquam, « quæ æternæ lucis splendor est, obstupescere ad solis, lunæ, stellarumque lumen « sensibile, in tantum ut propterea se inferiores existimarent; cùm ipsi habeant tantam « lucem intelligibilem, lucem veram, lucem « mundi, lucem hominum, eaque adorarent..... « Non autem quòd contemnamus tam egregia « Dei opera;.... sed quòd agnoscamus Dei et « Filii ejus unigeniti..... præcellentem divinitatem. » Itaque una eademque est Dei Patris et Filii divinitas, quæ sola adoratione supremâ digna sit; et Christus ab omni creaturâ distinguitur.

Libro 6 : « Neque eum, inquit, qui factus « non est, et naturæ omnis factæ est primogenitus, quisquam pro dignitate potest nôsse, « sicut Pater ipse, qui genuit; neque Patrem « quisquam, sicut animatum ejus Verbum. » Hic Verbum Dei non factum esse, sed increatum pronuntiat. Ibidem, cùm Celsus definisset Deum, utpote infinitum, esse prorsùs incomprehensibilem, sic respondet Origenes : « Distinguo, inquit, significatum, et dico si intelligatur de ratione, quæ vel inserta est « nobis, vel è nobis se exerit, hâc non esse « Deum comprehensibilem. Sin de illâ quæ « erat in principio, et erat apud Deum, et ipsa « erat Deus, aimus hâc Deum esse comprehensibilem. » Deus ergo nonnisi à Deo comprehendi potest; at Pater comprehenditur à Filio. Ergo Filius est Deus.

Idem in Catenâ Corderii in Joannem, ad caput 1, versu 1, Filium Dei vocat *rerum omnium conditorem*, qui est secundùm essentiam Deus Verbum. Denique, cùm Beryllus, Bostrensis episcopus, in errorem prolapsus esset, diceretque Christum non extitisse antequàm è Mariâ nasceretur, et eum tunc à Patre divinitatem accepisse, priùs autem non fuisse peculiarem personam divinitate præditam, statim accersitus est Origenes in catholicæ fidei subsidium, eamque sic asseruit, ut Beryllus erroris convictus veritati manus dederit; quod refert Eusebius lib. 6, cap. 33, et Valesius exponit in Notis. Ergo cum universâ Ecclesiâ sentiebat Origenes non solùm ante Beatam Virginem extitisse Christum; sed ipsum etiam semper fuisse personam peculiarem ac distinctam, divinitate præditam.

Objicies 1° : Origenes tom. 2 in Joannem, iis, qui ne unum Deum negare viderentur, vel Patrem et Filium eamdem esse personam, vel alienum à Patris essentiâ Filium esse statuebant, sic occurrit : « Dicendum est illis, inquit, « quòd αὐτόθεος quidem *Deus ille* est cum articulo, propter quod et Salvator inquit :.... *Ut « cognoscant te illum solum verum Deum.* Quidquid verò est præter hunc, qui αὐτόθεος dicitur, participatione et communione divinitatis illius deificatum est. » Ergo Filius non est αὐτόθεος. — Distinguo consequens : Non est αὐτόθεος, hoc est, Deus à se, concedo; hoc est, non est verus Deus, nego. Vox igitur illa propriè *Deum à se* significat; unde optimo jure Filio abjudicatur, ut theologi vulgò tenent. Attamen alii Filium αὐτόθεον dicunt, quòd sit verus Deus, ut Origenes ipse eumdem appellat αὐτοῦτὸν, id est, *ipsissimum Filium*, et αὐτοσοφίαν, seu *ipsissimam Sapientiam*.

Instabis 1° : Indicat ibidem solum Patrem dici *Deum* cum articulo. — Distinguo : Ob prærogativam personalem, quâ fit ut fons sit totius divinitatis, concedo; ob naturam superiorem, nego. Certè ibi Origenes conceptis verbis damnat eos, qui negant « Filii divinitatem, ponentes ipsius.... substantiam.... existere aliam à Patre. »

Instabis 2° : Filium iis accenset, qui communione et participatione divinitatis Patris deificati sunt. Ergo non est verus Deus. — Distinguo antecedens : Accenset iis, qui participatione divinitatis Patris deificati sunt, sed non ait eodem modo esse deificatum, quo alii deificati, concedo; et eamdem omnibus promiscuè deificationem tribuit, nego. Ergo Filius, Spiritus sanctus, Angeli, judices, simul

quidem omnes participatione deificati sunt; sed alii, Filius nempe et Spiritus sanctus, participatione substantiali; alii autem participatione accidentali. Vide Huetium in notis ad hunc locum.

Instabis 3° : Ibidem ait solum Patrem esse illum verum Deum.—Distinguo : Verum Deum à se, concedo; simpliciter, nego. Id autem non immeritò dici posse hoc sensu confitetur Athanasius in Oratione contra Sabellii gregales.

Instabis 4° : Ibidem varios divinitatis gradus videtur distinguere, tres enim esse ordines statuit eorum, qui divinitatem venerantur : primus est eorum, qui colunt universorum Deum; secundus eorum, qui in solum Christum defixi sunt; tertius aliorum, qui solem, lunam et astra adorant. Ergo, etc. — Distinguo antecedens : Varios gradus ab aliis admissos, concedo; quos probet, nego. Errorem enim aliorum ibi exponit.

Objicies 2° : Origenes ibidem impugnat quemdam è Noeti scholâ, qui docebat non esse essentiam (οὐσίαν) quamdam peculiarem ac subsistentem Spiritûs sancti, à Patre et Filio distinctam; sed eumdem illum esse cum Patre. Contra autem sic loquitur : « Nos autem, inquit, qui tres personas (ὑποστάσεις) esse Patrem et Filium et Spiritum « sanctum persuasi sumus. » Ergo admittebat Origenes essentiam seu naturam in Spiritu sancto à Patris et Filii substantiâ distinctam, atque adeò in tribus personis tres naturas. — Distinguo consequens : Distinctam essentiam, scilicet hypostasim seu subsistentiam, concedo; id est, naturam, quomodò nos vulgò intelligimus, nego. Ut Origenis sententia nitidiùs elucescat, observandum est 1°, illum non esse, qui nomen illud οὐσίας usurpet; sed hæreticum Patripassianum, qui eâ loquendi ratione conficere conabatur Spiritum sanctum non esse à Patre et Filio distinctum. 2° Vocem οὐσίας priscis illis temporibus non ita affixam fuisse *naturæ* significandæ, ut non etiam aliquando *personam* significaret. Certè Pierius apud Photium codice 119 Patrem et Filium duas οὐσίας appellavit; de quo Photius judicium ferens : « Plurima, inquit, præter ea quæ ho« diè in Ecclesiâ obtinent, veteri more tradit. « De Patre tamen et Filio piè credit, nisi quòd « substantias (οὐσίας) duas, totidemque naturas « (φύσεις) dicit, *substantiæ* et *naturæ* nomine, « ut ex iis quæ locum antecedunt et consequun« tur manifestum est, pro *hypostasi*, non ut « Arii sectatores, usus. » Quod etiam de *naturæ* seu φύσεως vocabulo supra notavimus ad Clementem Alexandrinum, qui fuit Origenis magister, ut Pierius fuit Origenis discipulus. 3° Origenem, dum huic hæretico respondet eumque refellit, ne qua superesset ambiguitas, loco nominis οὐσίας vocem ὑποστάσεως adhibere, ac docere juxta Ecclesiam catholicam, tres contra esse in Deo hypostases. 4° Eumdem hoc ipso in opere tom. 12 in Joannem apertè declarare quænam esset hæreticorum illorum et Ecclesiæ catholicæ hâc in parte sententia. De hæreticis enim loquens : « Exi« stimant, inquit, numero non differre Filium « à Patre, sed utrumque unum, non modò « substantiâ, sed et subjecto existentes, se« cundùm quasdam notiones diversas, non « secundùm hypostasim, Patrem et Filium « dici. » Tum nomine Ecclesiæ sic reponit : « ad hos dicendum, inquit, alium esse Filium « à Patre. » Ibi οὐσίας et ὑποστάσεως nomina perspicuè distinguit; et ex eo liquet Catholicos docuisse Patrem et Filium unum esse substantiâ, sed hypostasi et subjecto differre; hæreticos contra pugnâsse, ut non modò substantiâ, sed etiam subjecto et hypostasi, unum quid esse censerentur, nec nisi penès notiones diversas distinguerentur.

Instabis : Vox *hypostasis* istâ ætate idem omninò sonabat, quod nunc *naturæ* vocabulum, ut ex professo probat Petavius lib. 4 de Trinitate, cap. 2. Ergo, cùm Origenes tres hypostases confiteatur, eo ipso tres naturas agnoscit. — Distinguo : Idem sonabat aliquando et apud quosdam, esto; semper et apud omnes, nego. *Hypostasim* certè pro *personâ* sumpsit Hippolytus in libro contra Noetum, et Dionysius Alexandrinus apud Theodoretum lib. 1 cap. 4, aliique, ut eruditè adversùs Petavium demonstrat Bullus sect. 2, cap. 9, num. 11. Interim constat Origenem, hìc hypostasim ab οὐσία secernere.

Objiciunt 3° : Origenes lib. 5 contra Celsum, docet Christum non eodem observationis genere venerandum esse quo Patrem : « Omnes « deprecationes, inquit,... et gratiarum actio« nes fundendæ sunt rerum omnium Domino « per majorem omnibus Angelis summum pon« tificem Verbum et Deum. Verbum etiam illud « deprecaturi sumus,... et ei gratias agemus,.. « modò intelligamus quomodò hæc accipian« tur vel abusivè, vel propriè. » Ita quoque lib. 8. Ergo preces propriè duntaxat ad Deum diriguntur, nonnisi autem abusivè ad Christum. — Distinguo consequens : Nonnisi abusivè ad Christum, ut mediatorem, esto; ut

Deum, nego. Itaque Origenes contendit ad eum duntaxat preces propriè dirigi, qui primus est fons eorum bonorum quæ expectamus. Talis autem est solus Deus. Innuit verò ad eum abusivè tantùm et impropriè dirigi, qui mediator est, cujus interventu bona illa ad nos usque perveniant. Talis autem est Christus, quatenùs est summus noster pontifex, quâ ratione eum hìc spectat Origenes. Propriè ergo rogatur, in quem ultimum preces desinunt; impriè, per quem preces trânseunt ac deferuntur ad summum gratiæ auctorem. Porrò cùm Pater hoc in negotio Dei personam sustinere censeatur, Christus autem mediatoris, hinc non tantùm Origenes ita loquitur, sed etiam synodus III Carthaginensis can. 23 decrevit, ut cùm ad altare assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio; quod etiamnum Ecclesia observat. Petavium vide lib. 3, cap. 7, num. 15. Cæterùm, Origenes ibidem agnoscit pag. 257 et 259, Christum eodem quo Patrem supremo cultûs genere esse afficiendum; quod nos supra retulimus.

Instabis : Ibidem, pag. 258, Christum appellat *secundum Deum*. Ergo, etc. — Distinguo antecedens : Id est, secundum, qui sit Deus, concedo; id est, alterum à Patre Deum, nego. Recole quæ ad Justinum observata sunt. Et certè ibi Origenes, ne quis perperàm id acciperet, notat secundum illum omnibus perfectionibus esse præditum, et ipsam esse rationem, justitiam, sapientiam, etc.

Objicies 4° : Ibidem, pag. 258, innuit Origenes Filium non esse bonum, quomodò Deus est bonus. « Servator noster et Dominus, inquit, appellatus aliquando *præceptor bonus*, « ad Patrem suum remittens eum qui se sic « appellârat, inquit : *Quid me dicis bonum?* « *nemo bonus nisi unus, nempe Deus Pater*. Quòd « si meritò id, ut imago bonitatis Dei, dilectus « Patris Filius, annon justiùs sol diceret adoratoribus suis : Quid me adoras? Dominum « Deum adorabis. » Ergo. — Distinguo antecedens : Non esse bonum à se, quomodò est Pater, concedo; non esse bonum simpliciter, nego. Quidquid est Filius, illud est à Patre. Non mirum igitur si bonitatem remittat ad Patrem tanquàm ad fontem; sed non ideò negat Christum eâdem bonitate esse præditum. Tam enim est ipsamet bonitas, quàm ipsamet ratio, ipsamet sapientia, ipsamet veritas, ipsamet justitia, quæ singula Christo tribuit supra.

Objicies 5° : Idem Origenes lib. 6, pag. 317, ait Verbum esse « proximum mundi opificem; « Patrem verò eo ipso... quòd... Verbo jusserit..... esse primarium opificem. » Ergo. — Distinguo antecedens : Proximum opificem, quòd quæ Verbo Dei facta sunt, ea ipsi ut auctori proximo atque, ut loquuntur, immediato adscribat, concedo; quasi naturâ inferior sit Patre, et tamen proximus, nego. Quo autem pacto dicatur Pater jussisse Filio, consule quæ ad Justinum respondimus.

Objicies 6° : Libro 8, pag. 386, exponens quomodò Pater et Filius sint unum inter se, nonnisi de concordiâ, consensu, et voluntatis identitate mentionem facit. « Religiosè colimus, inquit, Patrem veritatis, et veritatem « Filium, duos quidem hypostasi; unum verò « concordiâ, consensu voluntatisque identitate. » Ergo naturæ unitatem non admisit. — Nego consequentiam. 1° Enim voluntatis identitas naturæ unitatem arguit. 2° Qui unum ait, propterea non negat alterum, quod alibi præsertim affirmet. Jam verò, testibus Pamphylo martyre et Rufino, conceptis verbis, definiit Origenes personas divinas esse ὁμουσίους, consubstantiales. Ergo eâ de causâ Origenes non potest in crimen vocari. Hilarius certè in lib. de Synodis, Antiochenam fidei formulam, quæ idem ait, calumniam non habere pronuntiat.

Objicies 7° : Ibidem, pag. 387, negat Christum esse universorum Deum. « Esto autem, « inquit, non deesse quosdam, ut in tam nu« merosâ credentium multitudine, qui discre« pantes ab aliis, temerè affirment quòd Ser« vator sit ille universorum Deus (Græcè qui « super omnes seu omnia est); nos certè hoc « non facimus, qui credimus ipsi dicenti : *Pa« ter major me est.* » Ergo. — Distinguo antecedens : Negat Christum esse universorum Deum, hoc est, esse Patrem, cui hic titulus adscribitur, concedo; quasi reipsà non sit super omnia Deus, nego. Illic ergo perstringit, ut alibi non semel, eos hæreticos, qui personas divinas confundebant, et Filium esse eumdem omninò cum Patre contendebant. Patrem vero non nominat; sed vulgari titulo describit. Scilicet Pater, utpote fons totius divinitatis, plerumque hâc locutione designatur. Sic Paulus loquitur ad Ephesios cap. 4, v. 5; Irenæus lib. 2, cap. 4, etc. Licet autem id tribuatur Patri per appropriationem, ut aiunt, reverà tamen in Filium pariter competit : *Deus* enim *super omnia* simili jure nominatur ad Rom. 9. Ergo.

Objicies 8° : Origenes in Psalmum 1, teste Hieronymo epist. 59, cap. 1, et Epiphanio hæ-

resi 64, num. 8, Christum vocavit Deum γενητὸν, id est, *factum*. — Distinguo : Γενητὸν, id est, genitum, et à principio quodam ortum, concedo; id est, creatum, nego. Voces hæ γενητὸς et γεννητὸς jam quidem non idem sonant; prima enim *factum*, altera *genitum* nunc propriè significant; sed apud veteres persæpè confunduntur; quo factum est ut alii Patres Christum dicerent esse ἀγέννητον, quòd increatus sit; alii contra γενητὸν, quòd genitus sit; alii γεννητὸν simul et ἀγέννητον : alii γενητὸν et ἀγέννητον. Vide Ignatium martyrem Epistolà ad Ephesios; Hippolytum fragmento 60, apud Anastasium; Athenagoram in Apologià; Petavium lib. 5, cap. 1; Huetium Origenian. lib. 2, pag. 43; Bullum pag. 75, 162, 178 et 340. Sed quod ad rem nostram propiùs spectat, idem Origenes alibi, nempe lib. 6 contra Celsum, pag. 287, disertè pronuntiat Christum esse ἀγέννητον.

Objicies 9° : Multa sunt ex Origene excerpta apud Hieronymum epist. 59 ad Avitum, Epiphanium hæresi 64, et alios, quæ Arianismum planè sapiant. Ergo. — Respondeo multa quoque esse ex Origene deprompta apud Pamphilum, Eusebium, Athanasium, Rufinum, Socratem, etc., quæ Arianam impietatem jugulent, quæque aliis opponi queant. Sed isthæc non expendimus; scripta enim duntaxat Origenis, qualia ad nos usque à majoribus transmissa sunt, consideramus.

Hippolytus Portuensis.—Eâdem quâ Origenes ætate floruit Hippolytus martyr et episcopus Portuensis, Irenæi et Clementis Alexandrini quondàm discipulus, qui non minùs quàm cæteri catholicam fidem testimonio suo confirmat. In opusculis enim de theologià et incarnatione contra Berónem et Helicen, apud Anastasium Bibliothecarium in Collectaneis pag. 210, Christum dicit, « Deum infinitum « simul et circumscriptum hominem esse, et « intelligi utriusque substantiam perfectè ha- « bentem. » Ibidem, pag. 211, docet divinitatem Christi ex incarnatione nihil detrimenti passam esse : « Divinitas, inquit, ut erat ante « incarnationem, est et post incarnationem, « secundùm naturam infinita, incomprehensi- « bilis, impassibilis, inalterabilis, inconverti- « bilis, per se potens, et, ut totum dicam, sub- « stantiale quid subsistens, quod solum infi- « nitæ virtutis bonum sit. » Ibidem, pag. 228, divinitati Christi tribuit « veras omnes divinæ « naturæ proprietates, scilicet imprincipalita- « tem (principii carentiam), infactionem, infi- « nitatem, sempiternitatem, incomprehensibi- « litatem ; » ut barbarè, sed fideliter, græca expressit Anastasius.

Alterum idem Hippolytus scripsit opus contra Noetum; cujus vel ipse titulus est luculentum fidei nostræ argumentum. Inscribitur enim : Homilia de Deo trino et uno, et de mysterio incarnationis contra hæresim Noeti. In ipso autem opere sic loquitur : « Deus solus « cùm esset, nihilque sibi coævum haberet... « mundum volens et dicens effecit... Satis igi- « tur nobis est scire... nihil esse Deo coævum. « Nihil erat præter ipsum. Ipse solus multus « erat. Nec enim erat sine ratione (sine λόγῳ « seu Verbo)... Quando voluit et quomodò « voluit, ostendit Verbum suum temporibus « apud eum definitis, per quem omnia fecit... « Eorum quæ facta sunt ducem, consiliarium « et operarium generabat Verbum, quod Ver- « bum cùm in se haberet, essetque mundo « creato inaspectabile, fecit aspectabile, emit- « tens priorem vocem, et lumen ex lumine « generans, deprompsit ipsi creaturæ Domi- « num, sensum suum; et qui priùs ipsi tantùm « erat visibilis, mundo autem invisibilis, hunc « visibilem facit :..... atque ita assistit ei « alius. » Ergo Verbum Dei Patris ipsi coævum est, et in ipso fuit ante omnem creaturam; fuit autem ab eo distinctum, siquidem Deus tunc, et solus simul et multus fuisse statuitur. Ibidem : « Cùm alium, inquit, dico (Filium à « Patre), non duos Deos dico, sed tanquam « lumen ex lumine et aquam ex fonte, aut ra- « dium à sole. Una enim virtus ex toto; totum « verò Pater, ex quo virtus, Verbum..... Om- « nia igitur per ipsum facta sunt : ipse solus « ex Patre genitus. » Proinde Christus, licet à Patre distinctus, unus idemque est cum illo Deus, eique consubstantialis. Ibidem : « Pater, « inquit, mandat; Verbum perficit; œconomia « consensionis redigitur ad unum Deum. Unus « enim est Deus, qui mandat Pater, qui obedit « Filius, qui docet scientiam Spiritus sanctus. »

Denique in libro de Antichristo sic pios inducit alloquentes Christum : « Stupende, « quando te vidimus nudum, et operuimus? « Immortalis, quando te vidimus peregrinum, « et collegimus? Amator hominum, quando te « vidimus infirmum aut in carcere, et veni- « mus ad te? Tu es ille semper existens. Tu « unà cum Patre initii expers es, et coæternus « Spiritus. Tu is es qui ex nihilo omnia creà- « sti. » Ubi Christus ab æterno extitisse conceptis verbis asseritur.

Hæc quidem opera non esse Hippolyti volunt, quia optarent, Sociniani. Sed eos revincit Bullus, quem adeat qui hâc de re dubitare noluerit.

Objicies 1° : Lib. contra Noetum ait Patrem esse propriè Deum super omnia. — Distinguo antecedens : Quia fons est totius divinitatis, concedo; quasi habeat aliam ac superiorem divinitatem; nego. De his mox ad Origenem diximus.

Objicies 2° : Ibidem : « Pater mandat, inquit, Verbum perficit. » Ergo Pater Filio superior est. — Distinguo antecedens : Mandat impropriè, concedo; propriè, nego. Statim enim subdit : « Unus est enim Deus; qui « mandat Pater; qui obedit Filius. » De quo ad Justinum supra.

Objicies 3° : Hippolytus ibidem ait Verbum tunc demùm è Patre processisse, cùm mundum fabricavit. Ergo antea non erat. — Distinguo antecedens : Ad extra, concedo; ad intra, nego. Ibidem enim asserit Verbum illud apud Patrem priùs fuisse, et idcircò Deum unum simul et multum extitisse. Sed id ad Tatianum et Tertullianum plenius exposuimus.

Auctor Constitutionum apostolicarum. — Plerique eruditi existimant III seculo prodiisse Constitutionum apostolicarum opus. Quamvis autem non levis suspicio sit multa huic operi ab heterodoxis esse inserta, ut notant Patres Trullani can. 2, aliique post eos passim, quo factum est ut à plurimis rejectum fuerit, attamen multa supersunt argumenta, quæ probent primùm illius auctorem catholicè de Christo et de Trinitate sensisse. 1° Enim Epiphanius hæres. 70, num. 10, testatur ævo suo nihil fuisse in ejusmodi opere à fide alienum. 2° Auctor ipse lib. 2, cap. 24, Christum appellat *Deum Verbum*, et *Adami et Evæ conditorem*. 3° Conceptis verbis asserit ibidem, eum esse naturâ suâ impassibilem ut Deum. 4° Idem lib. 6, cap. 11, ait « Christianos credere, juxta « Apostolorum doctrinam, unum esse Deum, « unius Filii Patrem, non plurium, unius Pa« racleti (fontem) per Christum; rerum verò « aliarum creatorem. » Ubi Filium et Spiritum sanctum è creaturarum numero eximit. Ibidem : « Christum non tantummodò hominem « profitemur, inquit, sed Deum Verbum, » etc. 5° Idem lib. 7, cap. 15, solemnem Ecclesiæ orationem describens : « Nos omnes, inquit, « congrega in regnum cœlorum, in Christo « Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, « honor, et veneratio et Spiritui sancto, in « secula. Amen..... Libera ab adversario, ab « omni inimico; quoniam tibi gloria, laus, « majestas, cultus, adoratio, et Filio tuo Jesu « Christo,... nostro Domino, Deo ac Regi, et « sancto Spiritui, nunc et semper, et in secula « seculorum. Amen. »

Objiciunt 1° : Idem lib. 7, cap. 41, Deum Patrem vocat *solum verum Deum omnipotentem*. Ergo Christum pro Deo omnipotente non habuit. — Respondeo 1° jampridem, ut mox notavimus, observatum esse à Patribus Trullanis aliisque doctis interpolatas fuisse ejusmodi Constitutiones ab heterodoxis; atque adeò mirum non fore, si quædam ibi occurrerent cum catholicâ fide non cohærentia. — Respondeo 2° ad antecedens : Patrem vocat solum Deum omnipotentem, vocat per appropriationem, concedo; quòd solus talis sit, nego. Ibidem enim continuò addit Patrem esse quidem Filii genitorem, sed rerum aliarum creatorem.

Objiciunt 2° : Photius in Bibliothecâ, cod. 112 et 113, ait auctorem illum non posse nisi ægrè ab Arianâ hæresi vindicari. — Respondeo Photium in iis, quæ de veteribus tulit, judiciis, duriorem et minùs æquum esse; atque adeò non esse audiendum.

Objiciunt 3° : Auctor operis Recognitionum, qui idem cum priori esse censetur, Arianum virus non semel in operibus suis effudit. — Respondeo 1°, non unum esse utriusque operis parentem. 2° Recognitiones longè minoris esse auctoritatis. 3° Easdem ut fabulis et erroribus refertas ab antiquis explodi.

Cyprianus. — Iisdem temporibus extitit Cyprianus, Carthaginensis episcopus, et Africæ, imò totius Ecclesiæ, splendidissimum lumen, Christique fortissimus martyr, qui eamdem de Christo fidem, quam nos, ubique professus est. Pauca duntaxat speciminis ergo loca proferemus.

Epistolâ itaque 63 ad Cæcilium, de sacramento calicis : « Quidam, inquit, vel ignoranter, vel simpliciter in calice Domini sanctificando, non hoc faciunt, quod Jesus Christus, Dominus et Deus noster .... fecit et « docuit. » Epistolâ 73 ad Jubaianum, de hæreticorum baptismate disserens : « Si, inquit, « baptizari quis apud hæreticos potuit, utique « et remissam peccatorum consequi potuit. « Si peccatorum remissam consecutus est et « sanctificatus est, templum Dei factus est. « Quæro cujus Dei? Si creatoris, non potuit, « qui in eum non credidit; si Christi, nec hu-

« jus fieri potest templum, qui negat Deum « Christum ; si Spiritûs sancti, cùm tres unum « sint, quomodò Spiritus sanctus placatus esse « ei potest, qui aut Patris, aut Filii inimicus « est? » Tres personas ibi recenset, et unamquamque Deum esse decernit; Christum autem non modò Deum esse statuit, ut supra, ipsique templum ascribit perinde ac reliquis, sed etiam diserte statuit eum non posse Dei esse templum, qui Christi divinitatem negaverit.

Libro 2 Testim. adversùs Judæos, cap. 5, probat quòd Christus idem sit Angelus simul ac Deus qui Abrahamo, Jacobo, Moysi, etc., apparuerit. Ibidem, cap. 6, quòd Christus sit Deus ex professo adstruit variis Scripturæ testimoniis, ac præsertim hoc Isaiæ : *Adorabunt te, et in te precabuntur, quoniam in te Deus est, et non est alius Deus præter te; tu es enim Deus,.... Deus Israel Salvator;* item isto Jeremiæ : *Hic Deus noster, et non deputabitur alius ab illo;* rursùs isto Psalmi 44 : *Thronus tuus, Deus, in secula seculorum.....Dilexisti justitiam... propterea unxit te, Deus, Deus tuus,* etc.; item isto Joannis : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* præterea Thomæ confessione : *Dominus meus et Deus meus.* Ad hæc isto Pauli ad Rom. 9 : *Ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus,* etc., ut et his Apocalypseos verbis : *Ego sum* A *et* Ω, *initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis; et ero ejus Deus,* etc.; quæ eadem omninò sunt argumenta, quibus Christi divinitatem supra stabilivimus. Ibidem, cap. 10, ostendit quòd et « Homo et Deus Christus (sit) ex utroque « genere concretus. » De idolorum vanitate : « Filius Dei mittitur,..... hic in Virginem illa- « bitur,... Deus cum homine miscetur : hic « Deus noster, hic Christus est. »

Novatianus.— Extat inter opera Tertulliani quidam de Trinitate liber, cujus auctor putatur esse Novatianus, is qui Novatianorum schisma et hæresim condidit. Equidem non tanti est ejus auctoritas, quippe qui ab Ecclesiâ proscriptus sit. Quia tamen nullius circa Trinitatem erroris insimulari solet, ejus in Christi divinitatis gratiam testimonium non dedignabimur, ut liqueat omnes antiquos in eo capite consensisse.

Capite igitur 11, de duplici Christi naturâ sic disserit : « Tam Scriptura, inquit,.. Deum « annuntiat Christum, quàm etiam ipsum ho- « minem annuntiat Deum. Tam hominem de- « scripsit Jesum Christum, quàm Deum quo- « que descripsit Christum Dominum; quoniam « nec Dei tantùm illum Filium esse proponit, « sed et hominis; nec hominis tantùm dicit, « sed et Dei referre consuevit; ut dùm ex « utroque est, utrumque sit; ne si alterum « tantùm sit, alterum esse non possit. Ut enim « præscripsit ipsa natura hominem creden- « dum, qui ex homine sit, ita eadem natura « præscribit et Deum credendum esse, qui ex « Deo sit; ne si non et Deus fuerit, cùm ex « Deo sit, jam nec homo sit, licet ex homine « fuerit; et in alterutro utrumque periclite- « tur, dùm alterum altero fidem perdidisse « convincitur. » Quis adeò cæcutiat ut non videat naturam Christi divinam enucleatè ac significanter illic exprimi? Ibidem, cap. 23 : « Si homo tantummodò Christus, inquit, quo- « modò dicit : *Ex Deo prodii et veni,* cùm con- « stet hominem à Deo factum esse, non ex « Deo processisse? Ex Deo autem homo, quo- « modò non processit, sic Dei Verbum processit. « Deus ergo processit ex Deo, dùm qui processit « Sermo Deus est, qui processit ex Deo...Si homo « tantummodò Christus, quid est quod ait : *Ego « et Pater unum sumus?* Quomodò enim, *Ego et « Pater unum sumus,* si non et Deus est et Filius, « quî idcircò unum potest dici, dùm ex ipso « est..... per quod et Deus est. » Proinde Christus non est duntaxat homo, sed etiam Deus; Deus, inquam, non factus, sed à Deo procedens, uno verbo idem cum Patre. Capitibus autem 25, 26 et 27, asserit Christum esse illum Deum, qui veteribus patriarchis apparuisse memoratur.

Objicies 1° : Novatianus lib. de Trinit. cap. 31 : « Necesse est, inquit, ut Filius Patre mi- « nor sit. Ergo, etc.— Distinguo antecedens : Minor habitâ ratione originis, concedo; naturæ, nego, sic enim subjungit : « Dùm in illo « esse se scit, habens originem, quâ nasci- « tur. »

Objicies 2° : Idem ibidem ait Verbum è Patre processisse initio mundi, Sermonem tunc esse prolatum, tunc Filium natum esse, et secundam personam tunc evasisse.— Respondeo ista nos esse interpretatos, cùm Tertullianum expenderemus, ac de processione tantùm externâ accipi ea oportere. Etverò idem ipse auctor ibidem, alteram Verbi nativitatem agnoscit, quæ ante omne tempus, id est, ab æterno fuerit. Præterea autem definit Patrem fuisse semper Patrem, et idcircò Filium in eo semper fuisse.

Objicies 3° : Idem ibidem : « Pater, inquit

« illum etiam (Filium) præcedit. » Ergo Filius non est ab omni æternitate. — Distinguo antecedens : Præcedit origine, concedo ; tempore, nego. Sic enim subjicit : « Quòd necesse « est prior sit, quà Pater sit ; quoniam ante- « cedat necesse est eum, qui habet originem, « ille qui originem nescit. » Consule Pamelium et Petavium lib. 2, cap. 2, num. 17 ; et lib. 6, cap. 11, num. 11.

Objicies 4° : Narrat Rufinus in Apologiâ pro Origene Pneumatomachos sub finem IV seculi, cùm sibi persuasissent hunc auctorem causæ suæ favere, ipsius opus Cypriani operibus insertum Constantinopoli vulgâsse, quasi illius martyris foret, ut incautos tanti nominis auctoritate fallerent ; sed quosdam Catholicos fraudem detexisse ; non enim hoc opus Cypriani esse, sed Tertulliani, qui de Trinitate non rectè sensisset. — Respondeo Pneumatomachos per summum nefas id operis supposuisse Cypriano, ut impietatem suam imperitis propinarent ; sed Catholicos duplici in parte illic esse hallucinatos ; ac 1° quidem cùm putârunt hunc librum esse Tertulliani, quem Hieronymus Novatiano adscribit ; 2° cùm ita facilè concesserunt hunc Pneumatomachorum errori patrocinari. Sed quidquid sit, id non ad præsentem controversiam, verùm ad illam, quæ de Spiritûs sancti divinitate instituitur, pertinet.

Gregorius Thaumaturgus. — Insigne per eam ætatem Ecclesiæ decus ac columen fuit S. Theodorus, seu Gregorius, episcopus Neocæsariensis, ob vitæ sanctimoniam, doctrinæ integritatem, exantlatos pro Christo labores, et miraculorum frequentiam ac celebritatem Magnus et Thaumaturgus vulgò appellatus. Quænam autem ejus fuerit de Christo fides, ut non pauca, sic non obscura extant monimenta.

1° Enim in Confessione fidei, quam edidit Gerardus Vossius, et ex ipso autographo retulit olim Gregorius Nyssenus in ipsius vitâ : « Unus Deus, inquit, Pater Verbi viventis, « sapientiæ subsistentis, et potentiæ et chara- « cteris sempiterni, perfectus perfecti genitor, « Pater Filii unigeniti, unus Dominus, solus « ex solo, Deus ex Deo,.... potentia universæ « creaturæ effectiva, Filius verus veri Patris, « sempiternus sempiterni, unusque Spiritus « sanctus,... in quo manifestatur Deus Pater... « et Deus Filius,.... Trinitas perfecta, quæ « gloriâ et æternitate ac regno atque imperio « non dividitur, neque abalienatur. Non igitur « creatum quid aut servum in Trinitate : neque « superinductitium aliquid, et adventitium, « quasi priùs non existens, posteriùs verò ad- « veniens. Non ergo defuit unquàm Filius « Patri, neque Filio Spiritus ; sed immutabilis « et invariabilis eadem semper manet Tri- « nitas. »

2° In eâ, quam in Origenis laudem habuit, Oratione, postquàm dixerat Deum Patrem à nullo, ut par est, laudari posse, de Filio sic loquitur : « Sed nos, inquit, laudationes... in « omnium regem.... relinquamus.... Salvatori « primogenito ejus Verbo, omnium opifici et « gubernatori, quia.... cùm in ipso existat, et « ipsi verè atque omninò unitus sit, nullum « est periculum, ne,.... ac si quis ab eo alie- « nus esset,... paternam virtutem non asse- « quatur, vel.... volens.... Patrem suâ lauda- « tione destituat. Huic soli possibile est... « omnes.... laudum numeros adimplere ; ut- « pote quem ipse omnium Pater unum secum « faciens, et per ipsum tantùm non se circum- « ambiens, virtute suâ usquequàque æquali « honorat quodammodò et honoratur ; quod « quidem primus solusque ex omnibus sortitus « est unigenitus ejus, ille, qui in ipso est, « Deus Verbum. » Itaque Christus Dei Verbum, 1° est rerum omnium opifex ; 2° à Patre non alienus seu extraneus ; 3° est cum Patre unum quid, et Patri ita æqualis, ut eum tantùm non circumambiat ; 4° virtutem habet et honorem cum ipso æqualem ; 5° Deus est.

3° Basilius epist. 79, et Gregorius Nyssenus ipsius frater in Thaumaturgi vitâ, non solùm perhibent ipsum de Trinitate et Christo rectè sensisse, urbemque Neocæsariensem ab ipso institutam in catholicâ fide perstitisse, sed et gloriantur quòd eam, quam ipsi profitebantur, fidem, ab admirabili illo præsule per parentes ad se usque traductam accepissent.

Objicies : Gregorius idem in Disputatione adversùs Ælianum Gentilem, Christum appellavit *creaturam* et *facturam*, teste Basilio epist. 64, ad Neocæsarienses. Ergo. — Distinguo antecedens : Christum appellavit *creaturam* et *facturam*, disputando et sermonem ad hominis ethnici captum accommodando, concedo ; definiendo, subdistinguo : Christum hominem, concedo ; secùs, nego. Audiendus Basilius ibidem : « Hoc, inquit, non dogmaticè, neque « affirmando ; sed concertantis more in dispu- « tatione.... ab eo dictum esse, intelligere ne- « quiverunt..... Porrò cùm Gentilem ad fidem

« adducere niteretur, non existimavit sibi circa verba accuratiùs disceptandum esse ; sed « alicubi consuetudini ejus, quem ad fidem in- « duceret, nonnihil condonandum esse, ne « fortè necessariis reluctaretur. Unde etiam « multas invenies illîc voces, quæ jam hæreti- « cis plurimùm addunt roboris, ut *creatura*, « *factura*, et similia ; multa etiam, quæ de in- « carnatione dicta sunt, ad divinitatis ratio- « nem referunt, qui imperitè, quæ scripta « sunt, audiunt, quale et hoc ipsum est, quod « ab ipsis circumfertur. » Eâdem ergo viâ, quâ nos, Basilius Gregorii Thaumaturgi fidem adversùs obtrectatores asserit.

Dionysius Alexandrinus. — Origenis discipulus fuit cum Gregorio Thaumaturgo, S. Dionysius, Alexandrinus præsul, celeberrimi nominis vir, quem Eusebius, Basilius, aliique *magnum* vocant. Quamvis autem aut nihil aut vix quidquam superet eorum, quæ plurima olim conscripsit, non dubiæ tamen ipsius de Christo rectæ fidei extant argumenta.

1° Enim cùm in Ægypto Sabelliana lues exorta esset, et ad eam profligandam quasdam litteras scripsisset, in quibus videbatur, dùm hæreticos personas divinas confundentes oppugnabat, in oppositas partes nimiùm inflexisse, et earum separâsse naturam ; plures eo commoti Dionysium Alexandrinum apud romanam Sedem accusârunt, quòd de sanctâ Trinitate et Christo perperàm sentiret.

Varia autem erant istius criminationis capita. 1° Quòd ubi ageret de Deo, Patrem nominans, de Filio tacuisset, quasi à Patre sejunctus foret. 2° Quòd Christum creaturam seu facturam esse significâsset, et dixisset Patrem ita se ad Filium habere, ut agricola ad vitem, et navium fabricator ad scapham ; ex quo consequens erat Filium à naturâ Patris esse alienum. 3° Quòd Filium Patri consubstantialem, ὁμούσιον, esse non agnovisset.

Præerat tunc Ecclesiæ romanæ Dionysius summus pontifex, qui, synodo coactâ, injuriam Christo factam indignè tulit, et concilii nomine statim ad Dionysium omnium sententiam rescripsit. Quod ubi accepit Dionysius Alexandrinus, illicò apologiam exaravit, quam misit ad romanum episcopum, et in quâ calumnias sibi impactas tam dilucidè diluit, ut omnibus satisfecerit. Quæ quidem omnia discimus, cùm ex aliis scriptoribus ecclesiasticis, tùm præsertim ex Athanasio in Commentario de Synodo Arimin. et Seleuc., et in libro peculiari quem de sententiâ Dionysii Alexandrini ex professo adversùs Arianos edidit.

Ad primum ergo criminationis caput ita respondet Dionysius Alexandrinus ibidem, apud Athanasium : « Singula, inquit, illa nomina, de « quibus locutus sum, inseparabilia à se invicem « sunt, nec dividi queunt. Patrem cùm dico « ante mentionem Filii, sub Patris vocabulo « etiam Filium significavi ; contra si in men- « tione Filii Patrem omiserim, tamen ille sub « nomine Filii præintelligi debuit. Spiritum « sanctum adjeci ; sed ita ut simul adjunxerim « undenam ille et per quem venerit. Sed isti « ignorant Patrem à Filio alienari non posse... « Quomodò igitur qui istis nominibus utor, « suspectus habear, quasi dividi omninò ista « separarique existimaverim ? » Tum addit : « Indivisibilem et indeminutam Trinitatem in « unitatem colligi. »

Ad secundum reponit, cùm Christus hinc quidem sit à Patre factus, quoad naturam humanam scilicet, illinc ab eodem, quoad divinam genitus, se utrumque commemorâsse, et variis similitudinibus illustrâsse, ut Filii à Patre distinctionem demonstraret ; sed priorem partem obiter tantùm ac leviter perstrinxisse, allatis exemplis agricolæ et navium fabricatoris ; sed in alterâ præsertim se esse immoratum. « Cæterùm ergo, inquit, cùm « dixissem quædam genita, et facta quædam « intelligi, horum quidem (quæ ad humanam « naturam pertinent), ut minoris momenti « exempla tantùm in transcursu recensui. Post- « quàm enim, » etc.

Ad tertium verò, quod gravissimum erat, ita respondet : « Postquàm enim dixeram ne- « que plantam esse in agricolâ, neque in na- « vium fabricatore scapham, deinceps in rebus « congruis et accommodatioribus longiorem « moram impendi, quæque magis genuina « erant pleniùs enarravi (quæ scilicet spectant « ad Filium, ut ex æterno Patre genitum), va- « riis adinventis argumentis, quibus ostendi « crimen, quod deferunt contra me, falsum « esse, quasi qui non dixerim Christum esse « Deo consubstantialem. Nam tametsi dico me « id nomen non reperisse, nec legisse alicubi « in sacris Scripturis, argumenta tamen mea, « quæ postmodùm subjunxi, et ab illis tacita « sunt, ab hâc sententiâ non dissonant. Nam « et humanum partum pro exemplo adduxi, « haud dubiè congenerem, idque in verbis meis « addens, omninò parentes eo solo alios esse à « liberis, quòd ipsi liberi sui non sint.... Scio

« autem et benè memini, me plurimas ex co-
« gnatis rebus similitudines congessisse. Nam
« et plantam dixi è semine aut radice prove-
« nientem aliud (aut aliam) esse ab eo unde
« germinascit, et tamen cum eo rursùs esse
« similis naturæ; et fluvium è fonte proma-
« nantem, aliam formam nomenque accipere;
« neque enim fontem *fluvium*, neque fluvium
« *fontem* appellari; et tamen ambos existere,
« et fontem instar Patris esse, fluvium verò
« esse ex fonte aquam. Cæterùm hæc et istius-
« modi à me scripta, quasi cæcutientes dissi-
« mulant se vidisse, duobusque vocabulis malè
« compositis, velut saxis eminùs me lapidare
« conantur. »

Quæ quidem in historiâ eximia sunt, cùm peculiaris ac propriæ Dionysii, tùm omnis eo ævi Ecclesiæ de Christo sententiæ monimenta. 1° Enim Dionysius Alexandrinus objecta sibi doctrinæ capita non admittit, nec confitetur aut defendit; sed contra falsò sibi imposita esse conqueritur, eaque execratur et à se amovet ac depellit. 2° Ad primum respondens asserit Filium non esse à Patre alienum et ab eo separari non posse, ut nec ab utroque Spiritum sanctum, et cùm ex eis unus nominatur Deus, cæteros simul intelligi oportere, quia indivisibilis est et indeminuta Trinitas, eaque in unitatem colligitur; proinde juxta ipsum Filius et Spiritus sanctus unus idemque sunt cum Patre Deus. 3° Secundum caput expendens, cùm ad probandam Filii à Patre distinctionem dixisset Filium à se vocari *vitem*, Patrem verò *agricolam*; porrò agricolam alium esse à vite, ut et navium fabricator alius est à scaphâ; atque eâ de re insimularetur, quasi Christum pro factură et creaturâ haberet; reponit hæc de naturâ humanâ accipienda esse. Ergo alteram in Christo agnoscebat naturam, penès quam esset non factus seu increatus. 4° Cùm argueretur quòd non dixisset Christum esse Patri consubstantialem, respondet se verbo quidem non dixisse, sed hoc ipsum tamen reipsà adstruxisse, adductis ad id variis exemplis, parentum videlicet, qui cum liberis suis ejusdem sunt naturæ, et ab iis non distinguuntur, nisi quia liberi sui non sunt; fontis et fluvii, qui ex unâ eâdemque aquâ constant; plantæ et radicis, quæ à se mutuò non differunt, nisi quia planta ex radice germinascit. Ergo Dionysius sentiebat Christum esse reverà Patri consubstantialem. 5° Denique hinc liquet universam tunc Ecclesiam non modò idem sensisse, sed etiam illud pro necessario dogmate habuisse. Simul enim atque voces Dionysio exciderunt, quæ consubstantialitatem hanc violare videbantur, Ægyptus commovetur, Dionysius defertur tanquàm læsæ fidei reus, synodus Romana indignè fert, se tandem purgare cogitur Alexandrinus præsul. Proinde in eam fidem omnis Ecclesia consentiebat.

2° Cùm eâdem ætate Paulus Samosatenus Ebionis, Theodori Coriarii et Artemonis, Christi divinitatis hostium, errorem instaurare aggressus esset, et adversùs ipsum synodus Antiochena congregaretur, rogatus quidem est Dionysius Alexandrinus, ut ei præesset; sed cùm præ senectute et infirmâ valetudine non posset, epistolam scripsit ad Antiochenos contra Pauli Samosateni impietatem, quem ne salutavit quidem, utpote quem pro hæretico et ab Ecclesiæ sinu alieno jam haberet. Eusebius lib. 7, cap. 27 : « Dionysius,..... inquit, « rogatus ut ad concilium veniret, adventum « quidem suum distulit, senectutem et infir- « mitatem corporis excusatus. Cæterùm, quid « ipse de hâc quæstione sentiret per epistolam « indicavit. » Ipsi verò Patres hujus synodi apud eumdem ibidem, cap. 30 : « Ad Diony- « sium,.... inquiunt, litteras dedimus :..... ille « scripsit quidem Antiochiam; sed erroris du- « cem, ne salutatione quidem dignatus est, « neque ad eum nominatim, verùm ad univer- « sam Antiochensium Ecclesiam litteras suas « direxit. » Hieronymus in Catalogo script. Eccles. in Dionysio Alexandrino : « Adversùs « Paulum Samosatenum, inquit, ante paucos « dies, quàm moreretur, insignis ejus (Diony- « sii) fertur epistola. » Ergo Dionysius Alexandrinus existimabat Christum non esse merum hominem, sed etiam Deum, contra quàm Paulus Samosatenus.

Etverò etiamnum extat quædam sub ipsius nomine epistola contra Paulum Samosatenum, de quâ viri eruditi inter se litigant an genuina sit; quidquid verò statuatur, eamdem saltem doctrinam præ se fert. In eâ enim 1° appellat Christum « increatum et creatorem. » 2° « Il- « lum qui naturæ Dominus est et Verbum Pa- « tris, quem sancti Patres consubstantialem « Patri dixerunt. » 3° « Immutabilis est Chri- « stus, inquit, quatenùs est Dei Verbum. » 4° « Deus est super omnia, inquit, perfugium « nostrum. » 5° « Qui super omnia Deus est, « inquit, Dominus et Deus Israel Jesus Chri- « stus. »

3° Cùm Ariani jactare insolenter cœpissent

Dionysium Alexandrinum sibi favere, ejusque patrocinio mirificè gloriarentur, librum singularem de hoc argumento scripsit magnus Athanasius, ejus non ita multò post in càdem sede successor, in quo evincit idem cum Nicænis Patribus Dionysium sensisse.

Objicies : Basilius Magnus epist. 43, et Gennadius Massiliensis libro de Dogmatibus eccles. cap. 4, Arianæ impietatis Dionysium postulant. — Respondeo 1° utrumque videri omninò ignorâsse, quæ in suî defensionem post similem accusationem scripsit Dionysius, et quæ de ejus sententiâ ex professo disputavit Athanasius, qui, hâc in parte, multis de causis, longè potioris est, quàm quivis alius, auctoritatis. Respondeo 2° Basilium postea in libro de Spiritu sancto, cap. 29, de eo ita honorificè meminisse, ut longè probabilissimum sit ipsum deinceps legisse vel audisse quod in suî defensionem scripserat Dionysius.

Cæterùm de hâc Athanasii et Basilii circa Dionysium Alexandrinum dissensione legendi sunt Photius, codice 232; Petavius libro 1, capite 4; Bullus pag. 234, etc.

Dionysius, romanus pontifex. — Adjungendus est Dionysio Alexandrino ejusdem nominis romanus pontifex, ad quem prior delatus est. Is porrò adversùs Sabellianos epistolam eruditam scripserat, hodiè non superstitem; sed quoddam ex eâ excerptum nobis servavit Athanasius in libro de Decretis synodi Nicænæ; apud quem romanus præsul, cùm Sabellii errorem refutâsset, contra aliam hæresim oppositam sic pugnat : « Deinceps, inquit, adversùs eos similiter dicam, qui dividunt, et secant, et evertunt religiosissimum dogma Ecclesiæ Dei; monarchiam in tres quasdam virtutes partientes et divisas hypostases ac deitates tres. Nam audio quosdam apud vos esse catechistas et doctores divini Verbi, qui illius sunt opinionis auctores, qui ex diametro, ut sic dicam, pugnant cum Sabellii placitis. Hic enim blasphemat, Filium ipsum asserens esse Patrem, et è converso Patrem esse Filium; at isti tres quodammodò Deos prædicant, dùm sanctam monadem dividunt in tres hypostases peregrinas, à se invicem planè separatas. Etenim necesse est uniri omnium Deo Dei Verbum, et in Deo manere et habitare Spiritum sanctum. Jam verò divinam quoque Trinitatem in unum, velut in caput quoddam et summam, omnipotentem Deum, universorum dico, colligi et coalescere prorsùs est necesse..... Cæterùm non minùs culpaveris eos qui Filium Dei opus existimant, et Dominum factum esse, sicut cætera, opinantur; cùm sacra eloquia generationem ei congruentem et decentem, non autem formationem et creationem testimoniis suis attribuant. Blasphemia igitur non vulgaris, sed maxima habenda est, si quis Dominum (Christum) quodammodò quasi manufactum dicat. Si enim factus est Filius, erat igitur quando ille non erat. Atqui ille semper erat..... Si igitur factus est Filius, erat quando.... non erat.... Id autem absurdissimum est.... Non igitur dividenda est in tres deitates admirabilis et divina unitas, neque sub nomine *creationis* minuenda est dignitas et immensa Domini majestas; sed credendum est in Deum Patrem omnipotentem et in Christum Jesum Filium ipsius, et in Spiritum sanctum; uniri autem universorum Deo Verbum : *Ego* enim, inquit, *et Pater unum sumus*, et : *Ego in Patre, et Pater in me est.* Ita enim et divina Trinitas, simulque sancta prædicatio monarchiæ conservari possunt. » Hæc ibi Dionysius Romanus, quæ certè commentariis non egent. Ut enim à Sabellianis personas divinas confundi, et Trinitatem tolli non patitur; sic nec ab aliis naturam earum dividi, aut everti unitatem; Filium quidem genitum esse asserit, sed non creatum; eumdem æternum pronuntiat, et cum Patre et Spiritu sancto unum Deum. Ergo.

Objicies : Dionysius, romanus præsul, ibidem probat Christum quidem esse æternum; sed hâc ratione nimirùm, quòd Christus sit Verbum et Sapientia Patris, absurdissimum verò sit Patrem his unquàm caruisse. Unde consequens est, juxta ipsum, Christum esse ipsammet Patris æterni intelligentiam, ab ipso non distinctam. — Respondeo ridiculum fore qui existimet Dionysium hoc sensisse, Sabellianamque hæresim, dùm eam impugnat, docuisse. Quòd autem probet Christum esse æternum, quia alioqui Deus sine ratione et sapientiâ extitisset, id nec insolens est, nec absurdum, ut ad Athenagoram advertimus.

Patres synodi Antiochenæ. — Adversùs Paulum Samosatenum variæ synodi Antiochiæ habitæ sunt. Porrò in postremâ, antequam is episcopali gradu et Ecclesiæ communione amoveretur, sex episcopi primarii ad eum epistolam conscripserunt, quæ etiamnum extat tom. 2 Biblioth. Patrum græco-latinæ; ubi postquàm testati sunt se tradere « fidem quam « acceperant ab initio, habuerantque traditam

« et conservatam in Ecclesiâ catholicâ, usque « in hodiernam diem per successionem ab « Apostolis, qui et oculis suis viderunt, et ad- « ministri facti sunt verbi, prædicatam ex lege « et Prophetis et novo Testamento, » Christum esse definiunt « Sapientiam et Verbum, virtu- « temque Dei ante secula existentem, non solâ « præscientiâ, sed substantiâ et subsistentiâ « Deum, Dei Filium. » Ibidem : « Hunc cre- « dimus, inquiunt, cùm semper Patri coexi- « steret, paternam implêsse voluntatem in « rerum omnium creatione. » Ibidem : « In « universâ Ecclesiâ, inquiunt, quæ sub cœlo « est, creditur Deus esse (Christus), qui se « ipsum exinanivit ab eo statu, in quo Deo « æqualis fuit et homo simul, idque ex semine « Davidis, quod ad carnem pertinet. »

Post damnatum verò Paulum Samosatenum, totius concilii nomine scripta est epistola encyclica ad omnes fideles et Ecclesiæ ministros, in quâ præsules statuunt teste Athanasio lib. de Synodis, « Christum non ex homine factum « esse Deum (quod Paulus Samosatenus som- « niabat); sed cùm Deus ac Dei Verbum et Fi- « lius esset ante omnia, factum esse postea « carnem, et accepisse formam servi. »

Objicies 1° : Iidem episcopi, qui primum consessum Antiochiæ adversùs Paulum Samosatenum habuerunt, ut probent Filium esse distinctum à Patre, quod Paulus negabat perinde ac Sabellius, aiunt Patrem præcepisse Filio ut orbem conderet; Filium verò Patris implevisse voluntatem. Ergo. — Distinguo antecedens : Præcepisse impropriè, concedo; propriè; nego. Consule quæ ad Justinum diseruimus.

Objicies 2° : Postremæ synodi adversùs eumdem Paulum coactæ Patres vocem ὁμοουσίου seu *consubstantialis*, rejecerunt, testibus Athanasio in lib. de synod. Arimin. et Seleuciensi; Basilio epist. 300; et Hilario lib. de Synod. ad finem. Ergo, etc. — Distinguo antecedens : Vocem hanc rejecerunt eo sensu, qui Catholicis à Paulo objiciebatur, concedo; eo sensu quo postmodùm à Nicænis Patribus est suscepta, nego. Ergo vox ista per sese significat substantiæ communionem, et de iis dicitur quæ ejusdem sunt inter se naturæ; sed cùm in rebus creatis una eademque omninò essentia pluribus simul inesse nequeat, eò factum est, ut ea ὁμοούσια seu *consubstantialia* vocarentur, quæ ita ejusdem generis erant, ut unum tamen ab altero, vel partitione, vel profluvio, vel propagatione oriretur : propagatione quidem, ut ab radicibus germen; profluvio, ut ex parentibus filii; partitione autem, ut auri glebæ duæ vel tres, quemadmodùm Socrates ait l. 1, c. 6. Ex hâc autem pervulgatâ vocis notione ansam arripuit Paulus Samosatenus ad Catholicos accusandos. Cùm enim non secùs ac Sabellius divinas personas confunderet, ac præterea diceret Christum esse merum hominem, qui postea in Deum evasisset, eo utebatur argumento, nempe quòd si Filius non esset idem omninò quod Pater, sed ex ipsius substantiâ genitus foret, hinc consequens esset Filium esse corporum more, Patri ὁμοούσιον seu consubstantialem. Eo autem sensu, qui Catholicis falsò affingebatur, vocabulum hoc rejecerunt Antiochenî Patres. Sed cùm has corporum imperfectiones et affectiones vox illa per sese non significet, sed tantùm unam eamdemque naturam; voce autem illâ usi fuissent antiqui Ecclesiæ doctores ad asserendam Christi divinitatem; hoc ipsum nomen nativo ac legitimo consecratum sensu vetustâque consuetudine intellectum, non admiserunt modò, sed etiam in fidei veluti tesseram susceperunt Nicæni Patres; eòque magis, quòd Ariani reliqua omnia eluderent. Primò enim decreverant fidei professionem ex solis Scripturæ sententiis condere. Sed cùm nulla esset loquendi formula quam Ariani non detorquerent, vox illa, ut omni exceptione major, ad omnia effugia præcludenda, symbolo inserta est. Hæc autem singula Athanasius aliique perhibent.

Ac 1° quidem priscos Ecclesiæ doctores hanc vocem in explicandâ Christi divinitate usurpâsse, Origenem videlicet, Dionysium Alexandrinum, Theognostum et alios, testes sunt Pamphilus martyr in Apologiâ Origenis; Eusebius in Epist. ad Cæsarienses, apud Socratem lib. 1, cap. 8; Athanasius in lib. de Decretis Nicænæ synodi, et de sententiâ Dionysii Alexandrini, etc.

2° Patres Antiochenos vocabulum hoc, licet jam usitatum, eo tantùm sensu repudiâsse, qui à Paulo Samosateno per calumniam Catholicis adscribebatur; alio autem sensu Patres Nicænos illud idem adhibuisse, asserunt Athanasius et Basilius locis supra citatis. « Etsi, inquit Athanasius, amborum concilio- « rum Patres diversimodè de *consubstantiali* « mentionem fecêre, non tamen propterea ab « illis dissidere debemus; sed illorum mentem « ac sententiam scrutari. Quod si fecerimus, « omninò inveniemus ambas synodos inter se

« consentire. Qui enim Samosatenum sustule-
« runt, hanc vocem, *consubstantiale*, corporali-
« ter accepêre. Cùm scilicet Paulus sophisti-
« cari vellet, et diceret : Si non ex homine
« Christus Deus factus est, igitur consubstan-
« tialis est Patri; unde necessariò sequitur tres
« esse substantias; unam quidem quæ prior
« sit, reliquas verò duas ex eâ oriundas; ideò-
« que meritò vitantes illud sophisma Pauli,
« dixerunt Christum non esse consubstantia-
« lem. Non enim ita se habet Filius ad Patrem,
« ut ille cogitabat. Illi verò qui Arianam hære-
« sim anathemate percusserunt, cùm Pauli
« calliditatem animadvertissent, neque hoc
« modo in rebus incorporeis, præsertim in
« Deo, *consubstantiale* accipiendum esse con-
« siderâssent,..... atque ante oculos habentes
« Dionysii exempla,.... et inprimis unitricem
« Servatoris vocem : *Ego et Pater unum su-*
« *mus*,... his de causis meritò inducti sunt, ut
« Filium *consubstantialem* dicerent, » Basilius :
« Qui convenerunt in causâ Pauli Samosateni,
« inquit, vocem hanc, ut minùs congruam ac-
« cusatam, ejecerunt. Dixerunt enim illi, *ho-*
« *moousii* vocem, notionem et substantiæ, et
« eorum quæ ex ipsâ sunt, repræsentare nobis;
« ita ut substantia distributa, *homœousii* appel-
« lationem impertiat iis, in quæ distributa
« fuerit. Hoc quidem verissimum est de ære
« ac numismatibus inde cusis ; at in Deo Patre
« et Deo Filio nec substantia est antiquior,
« nec utrique superposita intelligitur. »

3° Patres Nicænos vocabulum hoc symbolo inseruisse eo consilio, ut omnes Arianorum tricas everrerent, et omnia eorum effugia præcluderent, perhibet Athanasius in Epistolâ ad episcopos Africanos, apud Theodoretum libro primo Historiæ, capite octavo. Quocirca eo tempore vox ὁμοουσίου ab ipsis hæreticis non usurpabatur, nec ut hæretica à Patribus Antiochenis habita est; sed in ore Catholicorum suppressa est, ac silentio involuta, quòd ea, licet per se sana et orthodoxa, apud imperitos in invidiam vocaretur passim, et ideò fidei catholicæ obesse tunc nonnihil posset.

Instabis : Imò verò Paulus Samosatenus eâ ὁμοουσίου voce ad errorem suum firmandum et exponendam divinarum personarum confusionem utebatur. Hilarius enim supra : « Malè, « inquit, ὁμοούσιον Samosatenus confessus est ; « sed numquid meliùs Ariani negaverunt? » Ergo proscripta est ut hæretica. — Respondeo Hilarium hic deceptum videri. 1° Enim Athanasius et Basilius, quibus Antiocheni concilii mens et historia notiores erant, disertè perhibent hanc vocem non à Paulo Samosateno, sed à Catholicis contra usurpari solitam. 2° Reverà nec Paulus Samosatenus nec Sabellius eam vocem accommodare poterant impietati suæ, quam potiùs evertebat. Utrinque enim hoc vocabulum ferit, hinc Arium, inde Sabellium ; quod Epiphanius notat hæresi 69, num. 70 : « Ut serpens, inquit, bituminis odo-
« rem refugit;..... sic Arius et Sabellius illam
« veritate constantem consubstantialis profes-
« sionem exosam habent. « Basilius autem causam hujus rei affert epistolâ eâdem 300 :
« Vox ista, inquit, et Sabellii impietatem
« corrigit, tollit enim ὑποστασέων identi-
« tatem, perfectamque personarum notionem
« inducit. Non enim idem sibi ipsi consubstan-
« tiale est, sed alterum alteri. » 3° Sabelliani Patrem et Filium et Spiritum sanctum non ὁμοουσίους, sed συνουσίους appellabant aut ταυτοουσίους. De quo Petavius libro 4, capite 5, num. 16 et 17.

Theognostus. — Circa hæc tempora floruit Theognostus Alexandrinus quem Athanasius virum disertum et admirabilem nominat in libro de Decretis Nicænæ synodi, et in illud : *Quicumque dixerit verbum in filium hominis*, etc. Ediderat ille libros Hypotyposeon, qui dudùm perierunt; sed ex 2° hujus operis libro egregium locum Athanasius ibidem laudat, in quo vetus hic scriptor ita loquitur : « Filii substan-
« tia, inquit, non est extrinsecùs inventa, aut
« ex non existentibus superinducta; sed ex
« Patris substantiâ progenita, ut à luce ju-
« bar, ut ex aquâ vapor. Neque enim vapor
« idipsum est quod aqua, neque jubar id-
« ipsum quod sol; sed neque alienum. Ver-
« bum fluxus est paternæ substantiæ, id-
« que ita ut interim substantia illa Patris divi-
« sionem non patiatur. Quemadmodùm enim
« sol non diminuitur suis ex se effusis radiis,
« ita nec substantia Patris imminuitur, imagi-
« nem suî Filium progignens. » Si Filii natura non est extrinseca Patri, eadem est; si ex nihilo non est educta, increata est; si Filius ex substantiâ Patris genitus est, ac processit ut jubar è sole, et vapor ex aquâ, idem Patri est consubstantialis; denique si nulla sit substantiæ divisio Patrem inter et Filium, substantia utriusque una sit necesse est.

Idem eodem libro 2, apud Photium codice 106, statuit Filium vi et efficaciâ non esse circumscriptum.

Objicies 1° : At Photius ibidem testatur

Christum à Theognosto creaturam esse vocatum quatenùs propriè Filius Dei est. — Respondeo 1° Photium, ut jam monuimus, hoc in capite veteribus esse iniquiorem; quocirca magis audiendus est Athanasius, qui rectam ejus fidem prædicat. — Respondeo 2° Theognostum id dixisse ex aliorum sententiâ, quorum mentem primò exponebat; non ex suâ, quam ad finem libri duntaxat aperiebat, ut discimus ex Athanasio.

Objicies 2° : Juxta Photium ibidem, Theognostus sensit Verbum solis ratione præditis præesse. Ergo non existimavit Verbum rebus omnibus dominari. — Distinguo antecedens : Verbum ut Verbum et per appropriationem, concedo; ut Deum et reipsà, nego. Vide Huetium lib. 2, pag. 46, ad similem Origenis sententiam, quâ aiebat Patrem pervadere quidem quæcumque sunt: Filium verò duntaxat rationis participes; Spiritum autem ea tantùm quæ salutem adepta sunt.

Pierius. — Tertio seculo desinente Pierius, Alexandrinus presbyter, tantâ sermonis elegantiâ, tantâ eruditionis ac scriptorum copiâ emicuit, ut *junior Origenes* vulgò diceretur. Et nunc quidem nihil superest eorum quæ edidit; sed ex Photio, qui nonnulla ex ipsius operibus legerat, accipimus eum de Christo catholicè sensisse. Codice enim 219 de eo sic habet : « Plurima autem, inquit Photius, præ« ter ea, quæ in Ecclesiâ hodiè obtinent, veteri « fortassis more, tradit (Pierius); de Patre « tamen et Filio piè credit, nisi quòd substan« tias duas totidemque naturas dicit : *substan« tiæ* et *naturæ* nomine (ut ex iis quæ locum « antecedunt et consequuntur, manifestum « est) pro *hypostasi*, non ut Arii sectatores, « usus.» Hæc de Pierio Photius, rigidus alioqui veterum censor, et Origenis discipulis haud satis æquus, adeò ut evidentissimam fuisse oporteat Pierii de Christi divinitate sententiam.

Methodius martyr. — Inclaruit eodem ævo doctrinâ et sanctitate Methodius martyr, Origenis primùm adversarius, dein admirator. Multa ille scripserat, quorum summam exhibet Photius in Bibliothecâ; sed ex tot operibus unum duntaxat, idque non omninò purum atque integrum, ad nos usque pervenit, Symposii seu Convivii nomine insignitum. Quapropter ut Methodii sententiam investigemus, ea quæ apud veteres extant excerpta consulenda sunt. Jam verò apud Theodoretum dialogo 1, Christum appellat «Dominum et Filium, « qui non rapinam arbitratus est, esse se « æqualem Deo.» Apud Photium autem codice 235, in libro περὶ τῶν γενητῶν, adversùs Origenem disputans aut Origenis interpolatorem, qui putabat mundum semper esse debuisse, ut Deus semper Dominus ac immutabilis esse censeretur, primò decernit nihil esse æternum, nisi idem sit simul increatum; nihil uno verbo æternum esse præter Deum. Deinde verò ita de Christo loquitur, exponens illud Mosis : *In principio fecit Deus cœlum et terram :* « Is qui *principium* ipsam dixerit Sa« pientiam, non aberrabit; dicitur enim :..... « *Dominus condidit me initium viarum suarum « ad opera sua; ante secula fundavit me;* erat « enim consequens..... omnia quæ creata « sunt, esse hâc posteriora, cùm per ipsam « facta sint.» Ibidem verò explicans hæc Joannis verba : *In principio erat Verbum :* « Princi« pium, inquit, à quo germinavit verissimum « Verbum, dicendum est esse Patrem, universi « conditorem, in quo erat; illud autem : *Hoc « erat in principio apud Deum,* potestatem sive « dominationem Verbi, quam habuit apud Pa« trem, etiam antequàm mundus crearetur, « significare videtur; cùm potestatem Filium « appellet.» Ergo Filius Dei non est è numero rerum creatarum; ante eas extitit; proinde æternus est, et ipse idem mundi conditor.

Apud eumdem Photium in Symposio, interpretans hunc Psalmi locum : *Filius meus es tu; ego hodiè genui te :* « Observandum est hìc il« lud, inquit, *Filium suum esse,* indefinitè et « sine tempore dictum. *Es* enim *Filius,* ipsi « dixit; et non, *Factus es,* declarans neque « novam seu recentem ipsum adeptum esse « filiationem, neque finem habuisse eum, qui « priùs extiterit, sed eumdem semper esse.» Ergo Christus, ut initii, sic finis expers est; idem semper fuit ac erit; proinde verè æternus est. At idem Methodius supra statuit nihil esse æternum præter Deum. Ergo Christum verum esse Deum sentiebat.

Objicies : Idem apud Photium, codice 237, Patrem et Filium duas potestates vocat. Ergo. — Respondeo, *duarum potestatum* nomine, duas personas potentes à Methodio fuisse intellectas, quod ad Justinum interpretati sumus.

È SECULO IV.

Pauci jam restant ad concilium usque Nicænum scriptores à nobis expendendi, quod ab initio IV seculi ad hanc usque synodum non multi extiterint. Quinque igitur duntaxat

à nobis memorabuntur, Arnobius videlicet, Lactantius, Lucianus Pamphilus et Eusebius.

Arnobius.— Quartum seculum aperit Arnobius Afer, qui cùm Siccæ sub Diocletiano principe rhetoricam docuisset, septem libros adversùs gentiles scripsit, in gratiam christianæ religionis, antequàm ab episcopis ad baptismum vocaretur. In iis porrò communem Ecclesiæ de Christo doctrinam non aliam fuisse tunc, quàm nunc sit, perspicuè demonstrat.

Libro enim 1°, cùm gentiles Christianis vitio verterent quòd Christum « Hominem natum..... et crucis supplicio interemptum, « Deum fuisse contenderent.... et quotidianis « supplicationibus adorarent, » sic respondet Arnobius : « Etiamsi esset id verum, inquit,.. « tamen pro multis et tam liberalibus donis, « quæ ab eo profecta in nobis sunt, Deus dici « (gentilium more) appellarique deberet. Cùm « verò Deus sit re certâ et sine ullius rei dubitationis ambiguo, inficiaturos arbitramini « nos esse, quàm maximè illum à nobis coli?.. « Ergone, inquiet aliquis..... Deus ille est « Christus? Deus, respondebimus, et interiorum potentiarum Deus.» Ergo Christus non tantùm ob beneficia vocatur Deus, sed etiam quia rever à talis est. Ibidem, pag. 12 : « Atqui constitit Christum, inquit, sine ullis « adminiculis rerum, sine ullius ritûs observatione vel lege, omnia illa quæ fecit, nominis sui possibilitate (potestate) fecisse; et « quod proprium, consentaneum, dignum fuerat Deo vero, nihil nocens aut noxium, sed « opiferum, sed salutare,... potestatis miri'icæ « liberalitate donâsse. » Proinde Christus verus est Deus. Ibidem, pag. 14 : « Christus, « inquit, æqualiter bonis malisque subvenit... « hoc enim est proprium Dei veri,... benignitatem suam negare nulli. » Ibidem, pag. 15 : « Nihil, inquit, ut remini, magicum,.... nihil « fraudis delituit in Christo... Deus ille sublimis fuit, Deus radice ab intimâ; Deus ab « incognitis regnis..... missus est. » Ibidem, pag. 18, sic ex vulgari Christianorum mente loquuntur gentiles : « Sed si Deus, inquiunt, « fuit Christus, cur in formâ est hominis visus, et cur more est interemptus humano? » Ita autem respondet Arnobius : « An, inquit, « aliter potuit invisibilis illa vis et habens nullam substantiam corporalem, inferre et « commodare se mundo, conciliis interesse « mortalium, quam ut aliquod tegmen materiæ « solidioris assumeret?..... Assumpsit igitur « hominis formam..... ut videri posset et « conspici..... Sed more est hominis interemptus? Non ipse. Neque enim cadere divinas in res potest mortis occasus..... Quis « est ergo visus in patibulo pendere?... Homo « quem induerat, et secum ipse portabat. » Unde consequens est, juxta Arnobii mentem, Christum esse simul verum Deum et verum hominem, ex naturâ divinâ, quæ videri et pati non posset, et humanâ, quæ in oculos et pœnas incurreret, compositum.

Objicies : Arnobius in toto opere inculcat Deum esse ingenitum, et Deum non esse, qui matris utero aliquando conclusus fuerit. Ergo non putavit Christum esse Deum.—Distinguo antecedens : Debere Deum esse ingenitum, hoc est, æternum et increatum, nec Deum esse qui matris utero aliquando conclusus esset, nec antea extitisset, concedo; secus, nego. Ita Arnobius loquitur adversùs gentiles, qui meros homines sibi similes, ortum et interitum expertos, pro diis stultè habebant.

Lactantius.—Arnobii discipulus fuit Lactantius, quem ob eloquentiam *Tullium Christianum* non immeritò vocaveris. Hic magistrum imitatus, septem quoque libros Institutionum scripsit adversùs gentiles, quibus etsi nonnulla hinc et inde assuta esse videantur, eaque non bonæ notæ; attamen ubi ex professo quis fuerit Christus definit, ipsius divinitatem apertè profitetur.

Libro itaque 4, cap. 13 : « Summus igitur « Deus, inquit, ac parens omnium cùm religionem suam transferre voluisset, doctorem « justitiæ misit è cœlo : ..... sed ..... nasci « eum voluit tanquàm hominem, ut per omnia « summo Patri similis existeret. Ipse enim « Deus Pater..... ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ à Trismegisto verissimè nominatur..... Idcircò « oportuit Filium bis nasci, ut ipse fieret « ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ. In primâ enim nativitate spiritali ἀμήτωρ fuit, quia sine officio « matris à solo Deo Patre progeneratus est; « in secundâ verò carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam sine patris officio, virginali utero pro« creatus est..... Factus est et Dei Filius per « Spiritum, et hominis per carnem, id est, « Deus et homo..... Deum fuisse et hominem « ex utroque genere permixtum Prophetis vaticinantibus discimus. Isaias Deum fuisse « testatur his verbis : ..... *Adorabunt te, et te precabuntur, quoniam in te Deus est, et non alius Deus præter te. Tu enim Deus es, et nescebamus, Deus Israel salvator.....* Item pro-

« pheta Jeremias sic ait : *Hic Deus noster est,* « *et non deputabitur alius absque illo..... Post* « *hæc in terris visus est, et cum hominibus con-* « *versatus est.* Item David in Psalmo 44 : *Thro-* « *nus tuus, Deus, in secula seculorum; dilexisti* « *justitiam, ... propterea unxit te, Deus, Deus* « *tuus, oleo exultationis,* » etc. Hic sanè Christi duplex generatio ac natura clarissimè depingitur, ipsiusque divinitas iisdem omninò stabilitur argumentis, quæ nos olim usurpavimus. Uno verbo Christus non tantùm Deus esse dicitur, sed etiam is Deus, præter quem nullus est alius; proinde aut Pater non est Deus, aut Christus idem est Deus cum Patre.

Ibidem, cap. 29 : « Fortassè, inquit, quæ- « rat aliquis quomodò, cùm Deum nos unum « colere dicamus, duos tamen esse assevere- « mus, Deum Patrem, et Deum Filium, quæ « asseveratio plerosque in maximum impingit « errorem, quibus cùm probabilia videantur « esse quæ dicimus, in hoc uno labare nos ar- « bitrantur, quòd et æternum et mortalem « Deum fateamur. De mortalitate jam dixi- « mus; nunc de unitate doceamus. Cùm dici- « mus Deum Patrem et Deum Filium, non « diversum dicimus, nec utrumque secerni- « mus, quia nec Pater sine Filio (esse) potest, « nec Filius à Patre secerni..... Cùm igitur et « Pater Filium faciat, et Filius Patrem, una « utrique mens, unus spiritus, una substantia « est. Sed ille quasi exuberans fons est; hic « tanquàm defluens ex eo rivus : ille tanquàm « sol; hic quasi radius à sole porrectus..... « Denique unum Deum esse, tam Patrem quàm « Filium, Isaias in illo exemplo, quod supe- « riùs posuimus, ostendit, cùm diceret : *Ado-* « *rabunt te, et in te precabuntur, quoniam in te* « *Deus est, et non est alius Deus præter te.* Sed « et alio loco similiter ait : *Sic dicit Deus, rex* « *Israel, et qui eruit eum Deus æternus. Ego* « *primus et ego novissimus, et præter me nemo* « *Deus.* Cùm duas personas proposuisset Dei « regis, id est, Christi, et Dei Patris,.... intu- « lit : *Et præter me non est Deus;* cùm posset « dicere, *præter nos;* sed fas non erat plurali « numero separationem tantæ necessitudinis « fieri; unus est enim solus, liber, Deus sum- « mus, carens origine, » etc. Ergo Christus verus est Deus et unius substantiæ cum Patre; proinde Deus æternus et initio carens.

Objicies 1° : Lactantius, lib. 2, cap. 8, et lib. 4, cap. 6, prenuntiat Filium Dei inter exordia mundi fuisse procreatum.—Respondeo ista à nobis fuisse exposita ad Tertullianum.

Objicies 2° : Ibidem asserit Filium Dei aliquando non fuisse : « Sicut mater, inquit, sine « exemplo genuit auctorem suum, sic ineffa- « biliter Pater genuisse credendus est cœter- « num. De matre natus est qui ante jam fuit; « de Patre qui aliquando non fuit. » — Respondeo mendum hîc aliquod subesse; ista enim implicant, quòd Christus sit Patri cœternus, et tamen aliquando non fuerit. Fortassis vera est lectio, quam romana editio exhibet : « Qui aliquando non defuit. »

Lucianus Antiochenus.—Illustre tum temporis martyrium fecit Lucianus, ecclesiæ Antiochenæ presbyter, cùm in omni genere doctrinæ, tùm in Scripturis potissimùm versatus, quarum etiam peculiarem editionem adornavit, quæ *Lucianea* vocatur, et à pluribus Ecclesiis in publicum usum assumpta fuit. Atque is quidem ad Arium usque integri ac laudatissimi nominis fuit; sed cùm Arius erupisset, ad eumque fortè se adjunxissent plures, qui Luciani discipuli fuerant, ideòque sese invicem *Lucianistas* vocabant, in suspicionem adductus est Lucianus, quasi impietatis istius semina tradidisset. Quin et fama mendax labem aliam aspersit, quasi nimirùm Lucianus propter Samosateniani erroris contagia ab Ecclesiæ communione diu fuisset segregatus, quod ex variis rumoribus acceptum asserit Alexander, Ecclesiæ Alexandrinæ præsul, in Epistolâ ad Alexandrum episcopum Constantin., apud Theodoretum lib. 1 Hist. cap. 4. Verùm, ut testatur Eusebius, Antiochiæ vicinior, et qui in ipsius vitam ex professo inquisiverat lib. 8, cap. 13 : « Per om- « nem vitam optimus ejusdem Ecclesiæ pres- « byter fuit Lucianus. » Quidquid verò de hâc re sit, in Ecclesiæ saltem sinu sanctissimè et gloriosissimè mortem oppetiit.

Porrò, antequàm martyrium faceret, fidei formulam condiderat, in quâ de Christo ita loquitur, apud Athanasium lib. de synodis Arimin. et Seleuc. ac Socratem lib. 2, cap. 10 : « Credimus, inquit, juxta evangelicam et « apostolicam traditionem, in unum Deum Pa- « trem omnipotentem..... et in unum Domi- « num Jesum Christum Filium ejus unigeni- « tum, Deum per quem omnia facta sunt, ge- « nitum ex Patre ante omnia secula, Deum ex « Deo..... perfectum ex perfecto..... nec mu- « tationi obnoxium, nec conversioni..... qui « erat in principio apud Deum Deus Verbum... « per quem omnia facta sunt, et in quo omnia « subsistunt..... et in Spiritum sanctum.....

« sicut et Dominus noster Jesus Christus præ-
« cepit discipulis dicens : *Ite et docete omnes*
« *gentes, baptizantes cunctos in nomine Patris*
« *et Filii et Spiritûs sancti;* Patris, inquam,
« verè Patris, et Filii verè Filii, et Spiritûs
« sancti reverà Spiritûs sancti ; ita ut hæc vo-
« cabula non sint nuda, et sine re vocabula,
« sed quæ accuratè exprimant propriam unius-
« cujusque personam, ordinem ac gloriam;
« adeò ut personis quidem tres sint, consensu
« autem unum. » Quod postremum à Luciano notatum est contra Sabellianos, qui tres personas confusione quid unum esse arbitrabantur ; *consensûs* autem vocabulum naturæ unitatem non excludit, sed distinctionem significat.

Quin hæc genuina sit Luciani fidei formula vix ac ne vix quidem dubitari potest. Jam verò tota catholica est, ut egregiè ac sigillatim demonstrat adversùs Arianos Hilarius in libro de Synodis. Et sanè si ὁμοουσίου vocabulum demas, quod ibi expressum non est, et istis temporibus nondùm in fidei tesseram erat adhibitum, ei planè similis est, quæ postmodùm in Nicænâ synodo condita fuit. Attamen in suspicionem à plerisque Catholicis vocatur hæc Luciani confessio, tum quòd Ariani se Luciani discipulos esse jactarent, ejusque nomine gloriarentur, tum quòd iidem ipsam primi vulgaverint, ut Nicænæ opponerent. Cùm enim plurimi præsules Arianâ lue contaminati, aut ei faventes, jussu Constantii imperatoris ad encænia cujusdam Ecclesiæ convenissent, ibique edidissent aliquam fidei formulam à Nicænâ, quam abolere cupiebant, diversam, eaque jejunior visa esset, hanc ipsam Luciani professionem, quam manu ipsius scriptam ibidem repererant, in lucem protulerunt, ac postea iterùm amplexi sunt. De quo Athanasius et Socrates supra, necnon et Sozomenus lib. 3, cap. 5; et lib. 6, cap. 12. Atque hæc quidem Arianorum perfidiam jugulabat; sed nihil curabant illi, modò symbolum quoddam à Nicæno discrepans inveherent, et vocem ὁμοουσίου expungerent, magnum denique impietati suæ possent nomen obtendere. Sed hæc auctoritatem Luciani arguunt; fidem autem sanctissimi martyris non violant.

Pamphilus martyr. — Accedit Pamphilus, ecclesiæ Cæsariensis presbyter ac martyr, ab Eusebio in libro de Martyribus Palæstinæ, cap. 11, mirificè commendatus. Et is quidem nihil proprii operis edidit, ut notat Hieronymus lib. 3 Apolog. adversùs Rufinum ; sed tamen cùm Origenis esset studiosissimus, eumque variorum errorum ac præcipuè circa Trinitatem incusari cerneret, conjunctâ cum Eusebio Cæsariensi operâ, in ejusdem Origenis gratiam Apologiam conscripsit quinque libris constantem, quibus sextum Eusebius postmodùm adjecit, ut constat ex eodem Eusebio lib. 6 Historiæ, cap. 33, et Photio codice 118. Primus ex quinque Pamphili libris latinè versus est à Rufino, hodièque extat inter opera Hieronymi tomo 9. In eo autem opere Pamphilus, dùm Origenis fidem tuetur, suam ipsius et totius Ecclesiæ doctrinam luce clariùs demonstrat. Ut enim ostendat Origenem de sanctissimâ Trinitate et Christo catholicè sensisse, multa affert Origenis loca, in quibus asserit, 1° nullam esse naturam, quæ non recipiat malum, exceptâ Dei naturâ; Filii autem ac Spiritûs sancti naturam, perinde ac Patris, nullius mali capacem esse; 2° trium personarum naturam ex æquo immutabilem esse et æternam ; 3° Christum esse Deum ex Deo, solum, non adoptione, sed naturâ Filium; 4° ipsum esse de substantiâ Patris genitum, adeòque ὁμοούσιον, id est, unius cum illo substantiæ; 5° non fuisse Patrem antequàm Filius esset; sed coæternum esse Filium Patri, et extra ullum initium esse generationem Filii Dei. Ergo hæc Pamphilus totaque tunc Ecclesia pro certis ac necessariis dogmatibus habebant; et qui ab iis discessisset, ille à rectâ fide alienus esse et in errore gravissimo versari existimabatur.

Eusebius Cæsariensis. — Ultimus jam restat expendendus Eusebius Cæsariensis, historiæ ecclesiasticæ parens, de cujus fide varia sunt judicia, aliis ipsum hæreseos Arianæ postulantibus, aliis contra pro Catholico habentibus. Eusebium accusant, licet non eâdem omnes ratione, 1° Alexander, ecclesiæ Alexandrinæ episcopus, is qui Arium primus damnavit, in Epist. ad Alexandrum Constantinop. præsulem; 2° Athanasius de Synodis Arimin. et Seleuc., de Decretis synodi Nicænæ, et in Epist. ad episcopos Africæ; 3° Marcellus Ancyranus in libro contra Arianos; 4° Hilarius libro 1 ad Constantium, num. 5; 5° Epiphanius in hæresi Meletianorum; 6° Hieronymus lib. 1 et 2, adversùs Rufinum, Epistolâ ad Ctesiphontem, et in alterâ ad Minervium et Alexandrum ; 7° Antipater Bostrorum episcopus, lib. 1 adversùs Eusebii Apologeticum pro Origene; 8° Patres VII synodi act. 6; 9° Photius in Biblioth. cap. 13 et 127, et epist. 144 ad Constantinum patricium; 10° Zonaras in Historiâ

Constantini ; 11° Nicephorus lib. 6 Hist. cap. 37 ; 12° Sophronius, et ex eo Suidas ; 13° ex recentioribus Baronius in Annalibus, ad annum 340, num. 38, et Petavius lib. 1 de Trinitate, cap. 11.

At Eusebium excusârunt et pro Catholico habuerunt vel etiam laudârunt, 1° Constantinus Magnus ad vitæ usque finem, ut patet ex variis ejus ad Eusebium epistolis, quas idem Eusebius refert in Vitâ Constantini ; 2° Gelasius, in sede Cæsariensi Eusebii successor, qui Eusebii nomen sacris in diptychis constanter retinuit, et Theophilus Alexandrinus, qui nihilominùs cum ipso communionem ecclesiasticam coluit, teste Eulogio Alexandrino in Invectiva contra Acephalos, apud Photium codice 237; 3° Gelasius papa, aut quisquis est alius, auctor libri de duabus Naturis ; 4° Pelagius II papa, epist. 3 ad episcopos Istriæ ; 5° Socrates Hist. lib. 2, cap. 21 ; 6° Gelasius Cyzicenus in lib. 2 de synodo Nicænâ ; 7° Auctor Quæstionum veteris ac novi Testamenti, inter opera Augustini, cap. 125 ; 8° auctor libri de Luminaribus Ecclesiæ, in collectaneis Bedæ et inter opera Hieronymi ; 9° auctor Chronici Alexandrini pag. 582 ; 10° inter recentiores Sixtus Senensis in Bibliothecâ sanctâ, verbo *Eusebius;* Valesius in Prolegomenis ad Eusebii Historiam ; Elias Du Pin in Bibliothecâ ecclesiasticâ, saltem maximâ ex parte ; omni verò ex parte ejusdem Bibliothecæ censor doctissimus monachus Benedictinus, Matthæus Petitdidier ; necnon inter heterodoxos Bullus passim in Defensione fidei Nicænæ.

Imò Eusebium ut sanctum prædicârunt, vel etiam coluerunt, 1° Victorius Aquitanus in Canone paschali ; 2° Auctor Epistolæ ad Chromatium et Heliodorum, quæ præfigitur Martyrologio Hieronymiano ; 3° Vetus auctor Passionis sancti Valeriani ; 4° Usuardus in Martyrologio ; 5° Nevelo monachus Corbeiensis in Martyrologio manuscripto ; 6° Notkerus in Martyrologio ; 7° Manecharius, seu Warnakarius, in Epist. ad Ceraunium Parisiensem episcopum ; 8° codex manuscriptus Ecclesiæ Parisiensis 800 et ampliùs annorum ; 9° Ecclesia Lemovicensis in antiquo Missali anni 1483, in Breviario anni 1587, et in Calendario et altero Breviario MMSS. ; 10° Petrus in Catalogo Sanctorum, aliique quos Baronius arguit in notis ad Martyrologium romanum, die 21 junii ; 11° denique idem, qui supra memoratus est, Elias Du Pin.

Porrò qui Eusebium defendunt, præter illa quæ ex ejus scriptis eruunt momenta, duas prætexunt benignioris sui judicii causas ; prima est, quòd, ut ait Valesius, constans juris regula sit, in dubiis æquiorem potiùs ac mitiorem sententiam amplecti oportere ; secunda, quòd, ut observat Bibliothecæ ecclesiasticæ censor, optandum sit, ut hæreticorum numerus, quantùm fieri potest, minuatur, nec tantus vir Arianis ac Socinianis eo gloriantibus dedatur. Quin etiam illud ad fidei catholicæ firmitatem ac gloriam facit, inquiunt, si Eusebius, qui alioqui Arianorum partibus implicitus adeò fuit, eorum tamen doctrinam approbare nunquàm potuisse deprehendatur.

In tantâ opinionum de Eusebio diversitate nostrum non est decidere litem. Itaque varia duntaxat utriusque partis momenta ita proferemus, ut nihil in alterutram præstemus, aut in nos recipiamus, sed lector quam veritati propiorem invenerit, eam arbitratu suo eligere deinceps queat. Quocirca jam afferenda sunt, quæ Eusebium rectè de Trinitate sensisse persuadere possint.

Primum ducitur ex Apologiâ Origenis, quam unà cum Pamphilo martyre elaboravit. Non potuit enim Origenem ab objectis ipsi circa Christi æternitatem ac divinitatem erroribus purgare, quin suam ipse sententiam his contrariam proderet, ut supra animadvertimus. Secundum deducitur ex libris de Præparatione evangelicâ, quos anno 315 circiter edidit. Libro enim 7, c. 15, pag. 324, asserit Christum Dei Verbum ac primogenitum non aliunde, quàm ex ipso Patre genitum esse ; pag. 235, eumdem appellat Deum Verbum ; ibidem Patrem cum ipso communicâsse ea omnia, quæ immenso virtutum suarum ac facultatum sinu complectitur. Tertium ex libris de Demonstratione evangelicâ, quos eodem tempore elucubravit. Libro enim 4, cap. 1, de Christo et Hebræis loquens, qui ab ipso exciderunt : « Ab eodem, inquit, procul labuntur, quippe qui et divinam illius naturam ignorent. »

Ibidem, de duplici Christi generatione : « Cùm autem, inquit, de illo duplex sit ratio ; « altera quidem recentior fuerit, quippe quæ « heri ac nuper ad homines introducta sit ; « altera verò omni tempore omnibusque secu« lis antiquior. » Ibidem cap. 2, pag. 146 : « Itaque omnium quæcumque sunt, inquit, « fœtum suum primum subministrat, primo« genitam videlicet Sapientiam,... ipsam ratio« nem, ipsam sapientiam,... ipsum pulchrum,

« ipsumque bonum (αὐτολόγον , καὶ αὐτοσοφίαν, « αὐτοκαλὸν καὶ αὐτοαγαθὸν)..... Itaque non im- « meritò oracula theologicè loquentia Deum « genitum illum enuntiant, tanquàm eum qui « divinæ naturæ solus in se ipso ferat imagi- « nem, propter quam Deum quoque et esse « illum et dici, ejus videlicet, quæ quod pri- « mum est refert, expressæ similitudinis gra- « tiâ. » Ibidem capitis tertii titulum ita concinnavit : « Quòd non plures supremi Dei Filii, « sed unus solus de Deo Deus jure à nobis « prædicari soleat. » Ibidem : « Cùm unus sit « Pater, inquit, Filium quoque unum, non « plures, esse oportet; unumque perfectum, « solum genitum Deum de Deo. » Ibidem, postquàm ex Scripturis dixit Christum esse splendorem luminis sempiterni, id est, Patris æterni, et splendorem esse cœvum lumini, quod sine eo esse non potest : « Theologia, « inquit pag. 149, docet esse Filium, qui ge- « nitus sit; non illum quidem qui certis tem- « poribus non fuerit, posteriùs autem sit « natus; sed qui sit ante tempora æterna at- « que anteeat, et tanquàm Filius unà cum « Patre semper degat; qui unicus sit, qui « Verbum, qui Deus de Deo, non diremptione « aliquâ, aut sectione, aut divisione de sub- « stantiâ Patris productus; sed qui de Patris « consilio ac virtute ab ævo, aut potiùs ante « omne ævum, essentiam sit nactus, modo « quodam, qui neque verbis comprehendi, « neque ratione colligi à nobis possit; siquidem « *generationem ejus,* inquit, *quis enarrabit?* » Ibi- dem, cap. 10, pag. 165, de incarnationis necessitate fusiùs disserens : « Christus,... « inquit, strenuissimè naturam nostram in- « gressus, ad homines accessit, ac Deum ho- « minis specie, ingens miraculum ostendit.... « Sic... Deus Verbum Filius hominis diceba- « tur... Interim tamen nusquàm desinens esse « quod erat; sed in homine pariter Deum « conservans. » Ibidem cap. 11 : « Reliquam « vitam omnem, inquit, eâdem ratione per- « egit, nunc quidem similem naturæ nostræ « infirmitatem, nunc verò ipsum Dei Verbum « præ se ferens, dùm ingentia quædam atque « admirabilia tanquàm Deus efficit,... et qui à « multis non cernitur Deus Verbum, eum « ipsum factis planissimè demonstrat. » Ibi- dem, cap. 12 : « Tanquàm homo corpus de « morte sepeliendum reliquit, ab eodem verò « corpore tanquàm Deus discessit. » Ibidem, capiti 13 hunc titulum præfixit : « Quòd Chri- « stus in eâ naturâ, quæ nec pati nec lædi « potest quæque incorporea est, permanserit, « etiam quo tempore factus est homo. » Ibi- dem, pag. 169 : « Corporeis quidem hominum « oculis, inquit, quæ per corpus ab ipso fie- « bant, intuenda comparabat,... iis qui non « aliter quàm sic duntaxat ipsius divinitatem « sentire poterant... Ipse interim rursùs et « materiæ expers, et incorporeus manens, « cujusmodi etiam pridem apud Patrem erat, « neque mutans essentiam, neque perdens « quod suæ ipsius naturæ proprium erat, ne- « que aut corporis vinculis impeditus, aut à « suâ divinitate dejectus : ... sed neque iis qui « illic quidem, ubi ipsi humanum vas aderat, « degeret tantùm, in aliis verò universi parti- « bus esse prohiberetur. Etenim tunc quoque « cùm inter homines versabatur, nihilominùs « omnia complebat, interim et cum Patre et in « Patre idem erat, et omnium rerum pariter « in eodem tempore, tam cœlestium quàm ter- « restrium, curam gerebat, nusquàm ab illâ « præsentiâ, quâ cunctis rebus adest nostro « more exclusus, neque divina ne ageret more « suo impeditus. » Ibi profitetur Eusebius Christum esse Deum, divinâ naturâ præditum, Deum de Deo, et ex Patris substantiâ geni- tum, æternum, et immensum, uno verbo ve- rum Deum simul et hominem.

Libro 5, in proœmio, pag. 202 : « Affirma- « mus, inquit, illum esse unicum Dei Filium « et substantiale Dei Verbum. » Ibidem, c. 1, generationem Verbi ex professo exponens, ait 1° pag. 213 : « Neque secundùm projectio- « nem, neque secundùm diductionem aut « divisionem aut diminutionem aut sectionem, « aut omninò secundùm aliquid eorum, quæ « in genitura mortali exigi solent, ineffabilem « illius procreationem cogitari oportere... ne- « que secundùm eas animalium procreationes, « quæ apud nos visuntur, essentiam de essen- « tiâ, animamque divisibilem aut separabilem, « Filium de Patre partiendo aut dividendo, « prodiisse, piè dici posse. Partes enim nullas « habet, insecabileque est. » 2° Pag. 214 : « Non posse etiam dici ex nihilo genitum esse « Filium eâdem ratione quâ reliqua quæ facta « sunt, quòd alia Filii generatio, alia per Fi- « lium aliarum rerum creatio. » 3° Pag. 215, si quod exemplum ex rebus creatis duci queat, posse dici Filium esse « ingeniti Patris na- « turæ, atque ineffabilis essentiæ,... quasi « fragrantiam quamdam, ac lucis splendorem « eumdem ex infinitis seculis seu potiùs ante « omnia secula extitisse; Patri coexistentem

« et coævum, ut suus semper est unguento « bonus odor et luci splendor. » 4° Ibidem, Verbum esse imaginem Dei Patris, sed longè aliâ, quàm vulgares imagines, ratione. Cùm enim in iis, quæ visuntur imaginibus, aliud sit natura, aliud similitudo, nec imagines naturâ suâ exemplar, sed specie tantùm repræsentent; contra Verbum imaginem Patris appellari, « non « quòd Patris speciem quamdam referat, sed « ipsum essentiæ ejusdem communione expri- « mat, καὶ αὐτουσία τῷ πατρὶ ἀφομοιούμενος, » quod expletam Patrem inter et Filium naturæ identitatem sonat.

Sic Eusebius ante concilium Nicænum nondùm exortâ Arii hæresi; quo tempore profectò, quid de Christo sentiret ex intimo pectore sponte aperiebat.

Quartum depromitur ex iis quæ in synodo Nicænâ egit ac scripsit. 1° Enim cùm adversùs Arii impietatem communis fidei formula condenda esset, istam suâ sponte protulit Eusebius: « Credimus in unum Deum, Patrem « omnipotentem,... et in Jesum Christum,... « Deum de Deo, lumen de lumine, ante « omnia secula ex Deo Patre genitum, per « quem omnia facta sunt. » Hanc autem formulam summoperè laudavit imperator Constantinus, atque omnes episcopos, ut eam reciperent, hortatus est. Et reverà quæ postmodùm suscepta est, ab eâ vix differt. 2° Cùm synodo visum esset alia nonnulla addere, quibus Arianorum error pressiùs elideretur, symbolum communi omnium Patrum consensu editum est, in quo præterea definitur Filium esse consubstantialem Patri, ὁμοούσιον. Jam verò Eusebius non statim quidem assensus est, quòd quædam ambiguitas vocabulo inesse videretur; sed cùm vocis nativa vis et synodi mens ipsi expositæ essent, cum aliis in eam fidei formulam concessit; quâ de re epistolam scripsit ad Cæsarienses, in quâ asserit hanc esse suam fidem, quam semper professus fuerat ac docuerat. Imò addit vocem ὁμοουσίου seu *consubstantialis*, apud veteres fuisse usitatam in explicandâ Christi divinitate; quæ omnia referuntur à Socrate lib. 1, cap. 8, et à Theodoreto lib. 1, cap. 12 et 13.

Ex quo liquet Eusebium hactenùs semper de Christi divinitate rectè sensisse, nec aliam Nicææ fidem esse explanatam, quàm quæ ab ipso ad hæc usque tempora prædicata fuerat. Etverò, quam ibi confessus est, eam deinceps non revocavit; tantùmque abest ut Nicænam synodum unquàm elevaverit, ut eam contra miris laudibus semper efferat, et Patrum omnium in eamdem fidei formulam consensionem extollat. Neque eum unquàm incusavit Athanasius, quòd symbolo Nicæno non bonâ fide subscripsisset, aut aliud postea docuerit.

Quintum itaque colligitur ex iis quæ post Nicænam synodum ad mortem usque conscripsit. 1° Enim Historiæ ecclesiasticæ, quam paulò post edidit, libro 10, cap. 4, Christum non modò adorandum esse decernit, sed etiam verè Deum, atque ut græcè significantiùs legitur αὐτοθεὸν: « Adeò ut, inquit, Servator « noster Jesus Christus, solus ex omnibus qui « ab omni ævo unquàm extiterunt, ab ipsis « orbis terrarum summis principibus,... tan- « quàm summi omnium Dei naturalis Filius, ac « per se Deus, αὐτοθεὸς, adoretur, idque meritò. » Quod iterùm ibidem repetit; unde Valesius: « Notandus est, inquit, inprimis hic locus, in « quo Eusebius Christum vocat αὐτοθεὸν, id est, « *per se ac verè Deum.* Hic enim unicus locus, « meo quidem judicio, sufficit ad repellendas « omnes calumnias eorum, qui Eusebium no « strum Ariani dogmatis labe aspersum fuisse « crediderunt... Est autem hæc locutio Plato- « nica. Nam ut Plato αὐτοαγαθὸν vocat, quod « *est verè et per se bonum;* sic Eusebius αὐτοθεὸν « dixit, qui *est verè ac per se Deus.* »

Libro 3° de Vitâ Constantini, Nicæni concilii historiam narrat, et quanto in pretio eam haberet synodum, luculenter aperit. 1° Enim cap. 6, ipsam vocat « divinam quamdam pha- « langem adversùs dæmonem instructam. » 2° Eamdem œcumenicam et ex omnibus terræ partibus conflatam esse agnoscit, cap. 7. 3° Præsulum, qui eò convenerant, laudes recenset cap. 9, eosque, prout par erat, exornat. 4° Omnium Patrum in eamdem fidem miram conspirationem capite 14 describit, affirmatque hanc de hæresi reportatam victoriam Constantino visam esse parem ei, quam de idololatriâ retulerat. An verò de illâ synodo ita locutus foret, si aliam à suâ fidem sanxisset?

De Laudibus Constantini, cap. 2, coæternum Christo unumque cum Patre regnum attribuit. « Unigenitus, inquit, Dei Sermo à seculis « principio carentibus ad infinita usque et in- « terminata secula regnat cum Patre. » Ibidem, cap 6, sacrosanctam Trinitatem agnoscit, Patrem, Filium et Spiritum sanctum, ex unâ et æquali naturâ pariter increatâ et imtii experte constantem. Postquàm enim de nu-

mero ternario multis disseruit: « Porrò ter-
« narius, inquit pag. 618, justitiam primus
« hominibus ostendit, æqualitatem docet;
« quippe qui principium, medium ac finem
« habeat æqualia. Atque hæc mysticæ sacro-
« sanctæ et regiæ Trinitatis imaginem referunt,
« quæ cùm in naturâ, ortûs ac principii ex-
« perte, consistat, omnium, quæ ortum ha-
« bent, substantiarum semina, rationes, cau-
« sasque in se continet. » Ibidem denique,
cap. 14, Christi incarnationem, duplicem na-
turam, divinam scilicet et humanam, immen-
sitatem, omnipotentiam non eâdem tantùm
ratione, sed etiam iisdem verbis describit,
quæ supra, ex libro 4 Demonstrationis evan-
gelicæ, cap 13, retulimus.

In opere contra Sabellium, lib. 1, pag. 13:
« Deus non vocem genuit, sed Filium; non
« sermonem, sed vitam; non dictum, sed
« Deum..... Filius autem non in primo die,
« neque in quarto, neque in totum in die,
« neque in horâ, neque in temporibus, neque
« in seculis; hæc enim per Filium; non tamen
« Filius in iis. » Paginâ autem 21: « Cognitio
« Dei, inquit, æterna vita est:..... ita enim et
« Dominus pronuntiat: *Hæc est autem vita*
« *æterna, ut cognoscant te solum verum Deum:*
« *et quem misisti Jesum Christum.* Verus Deus
« est Pater, in eo quòd non natus est; et ve-
« rus Filius est, in eo quòd est unigenitus.
« Non enim mendacium genuit verus; sed
« verus Pater Deus non natus; verus Deus
« Filius unigenitus. Nam et illud quod dictum
« est: *Solus habet immortalitatem*, verum est;
« à semetipso enim solus habet; sed, *sicut*
« *Pater vitam habet in semetipso, ita et Filio*
« *dedit vitam habere in semetipso.* Unus ergo
« non natus, et unus unigenitus, et unus Spi-
« ritus sanctus. Hæc dicit una Ecclesia; hoc
« consignatur in uno baptismo; hæc scripta
« sunt in sanguine martyrum, et ante martyres
« in sanguine Christi. » Quid illustrius?

Libro autem 2: « Ab hoc sanè non nato
« (Patre), inquit, manente quod est, indivi-
« sus,..... impassibilis, unigenitus est Filius
« natus..... Serva *non natus*, cum Patre.....
« serva *unigenitus*, cum Filio: neque jam eris
« incertus quemadmodùm Deus, et Deus, et
« non Dei (plures). Quia enim retines, *unus*
« *Deus non natus*, et *unus Deus unigenitus*, ideò
« non Dii. » Ibi unum et eumdem cum Patre
Deum esse Christum confitetur.

Libro 1, cap. 8, de ecclesiasticâ theologiâ,
Ecclesiæ fidem de Patre et Filio ita proponit:
« Ecclesia, inquit,..... confiteri docet et cre-
« dere in unum Deum Patrem omnipoten-
« tem,..... ad eumdem quoque modum Dei
« Filium unigenitum agnoscit,..... non illum
« certè eumdem cum Patre; at cum Patre
« coexistentem ac per se subsistentem, Deum
« de Deo, lumen de lumine. » In eo autem no-
tat Christianos à Judæis et gentilibus distin-
gui; à gentilibus quidem, unum Deum ado-
rando; à Judæis verò, plures in uno Deo per-
sonas admittendo. Ibidem, cap. 9: « Atque
« ideò, inquit, reprehendi nec immeritò de-
« bent ii, qui ausi sunt illum *creaturam* nomi-
« nare, eumque dicere è non ente, quemad-
« modùm et cæteræ producuntur creaturæ,
« progeneratum. Nam qui, quæso, ita esse
« potest Filius, qui Dei unigenitus,..... si eam-
« dem cum reliquis creaturis naturam sortia-
« tur? hoc enim pacto, ipsorum potiùs esset
« frater, quàm Filius Dei..... Enimverò longè
« aliter de eo divina oracula prædicaverunt....
« Dominum..... atque herum, conditorem
« atque Deum et Servatorem agnoscit (Scri-
« ptura)..... Quisquis igitur illum de non en-
« tibus productam affirmaverit creaturam,
« nomen ei nudum (Filii) tantummodò lar-
« giri deprehenditur; reverà autem Filium
« esse pernegare. Nam qui de non existenti-
« bus generatus est, is certè Dei Filius esse
« reverà nequit, non magis quàm quidvis aliud
« creatum. » Proinde Christus, juxta Euse-
bium, naturâ suâ increatus est. Ibidem, cap.
10: « Qui secundùm veritatem Dei Filius est,..
« quid mirum si.... et Deus fuerit? de Deo si-
« quidem quid aliud gigni possit, quàm quod
« ipsi per omnia sit simillimum? Condit equi-
« dem civitatem rex, non gignit;.... gignere
« verò Filium, non condere dicitur:..... ad
« eumdem modum *universorum Deus, Filii sui*
« *Pater, mundi conditor*..... optimo jure appel-
« latur..... (Marcellus Ancyranus) ne duos
« videretur Deos profiteri, ad Filii processit
« abnegationem, hypostasim ipsius inficiando.
« Illi verò (Ariani), cùm concedant hypostases
« duas, unam ingenitam creatam alteram de
« non existentibus, unum quidem substituunt
« Deum; at nullus interea illis Filius habetur,
« non unigenitus, non Dominus, non Deus;
« neque enim quidquam habet secundùm eos
« cum paternâ divinitate commune; sed per
« omnia componitur cum creaturarum turbâ,
« in hoc quod de nihilo procreabitur. Sed non
« ad istum modum Ecclesia. Nam Filium Dei
« prædicat Deum, atque Dominum verissimè

« Filium esse atque Deum docet; non com-« muni quâdam cum multis ratione..... de « quibus dicitur : *Ego dixi : Dii estis,*..... sed « prout par erat illum solum dici, qui ex illo « Patre genitus, in formâ Dei erat..... Quo-« circa, ab Ecclesiâ docti sumus illum solum « adorare, utpote qui Dominus, Servator et « Deus illius existat. » Quid hâc disputatione plenius ad adstruendam Christi divinitatem simul et cum Patre æterno consubstantialitatem? Ibidem, cap. 11 : « Quòd si autem ve-« reantur, inquit, ne duos Deos pronuntiâsse « videatur, sciant oportet, quòd, licet Filium « profiteamur Deum, unus tamen sententiâ « nostrâ Deus sit, ille nimirùm, qui solus « principio caret,..... qui propriam à se pos-« sidet divinitatem..... qui Filium participem « facit suæ vitæ et divinitatis,..... quem..... « Deum universorum, consortem sui quoque « imperii declaravit. Hæc à Deo edocta Ec-« clesia illum Deum.... agnoscit,.... nec quid-« quam aliud genitum inter creaturas *Deum* « appellare dignatur. Solum illum quippe « Deum novit, quem solum de se genuit Pa-« ter. »

Adde lib. 2, cap. 23, et lib. 3, cap. 2, ubi ne Christus esse creatura existimetur, hunc capitis 8 Proverb. locum : *Dominus condidit me,* non de creatione, sed de ordinatione ac constitutione intelligendum esse fusè disputat. Quâ quidem dissertatione præcipuum Arianæ hæreseos fundamentum subruit. Extabat insuper olim quoddam Eusebii opus, atque, ut videtur, epistola quædam ad Eustathium Antiochenum, apud Socratem libro 1, cap. 23, ubi Eusebius aiebat Filium Dei propriam hypostasim et subsistentiam habere, Deumque in tribus hypostasibus unum esse seque à Nicænâ fide ne latum quidem unguem velle discedere.

Sextum argumentum suppeditat Apologia ab Eusebio de hoc argumento edita, et ad omnes episcopos missa, cujus meminit Gelasius Cyzicenus l b. 2 de Nicænâ synodo, cap. 1, et Photius epist. 144 ad Constantinum patricium. Cùm enim multi suspicarentur eum Arianâ impietate laborare, hanc ex professo edidit, ac testatus est, « Si quæpiam protulis-« set unquàm aut scripsisset Arii doctrinam « tantillùm subolentia, ea se protulisse aut « scripsisse, non ex impio illius sensu, sed ex « minimè curiosâ, parùmque sollicitâ simpli-« citate, » nempe dùm Sabellianæ hæresi impugnandæ totus esset. Quæ Eusebii verba idem Gelasius refert. Quis igitur æquus rerum æstimator Eusebio ita se defendenti et excusanti fidem habendam esse non judicet?

Atque hæc sunt, quæ in favorem Eusebii adducuntur.

Multa autem contra Petavius opponit, quæ breviter attingemus. Objicit 1° : Eusebius pluribus in locis varias assignat divinis personis essentias seu naturas. Sic lib. 7 de Præpar. evang. cap. 12, Verbum appellat *naturam alteram à Patre,* δευτέραν οὐσίαν, ut et cap. 15, ubi Spiritum sanctum pro *tertiâ naturâ* ac *potestate* habet : « Patrem consequatur, in-« quit, Verbi divini potentia :..... deinde post « secundam illam naturam, lunæ quasi loco, « sancti Spiritûs natura succedat. » Cùm autem Marcellus Ancyranus eum idcircò reprehendisset, quòd dixisset alicubi Verbum esse alium Deum essentiâ et potestate οὐσίᾳ τε καὶ δυνάμει à Patre distinctum, Eusebius etiam post synodum Nicænam lib. 1 contra eumdem, cap. 4, hanc accusationem non amolitur, nec duas tresve essentias οὐσίας, respuit. — Distinguunt antecedens : Nomine οὐσίας seu *essentiæ* pro re subsistente accepto, concedunt; ut vulgò sumitur, negant. Veteres igitur cùm hæreticos impugnarent, quorum alii Verbum Dei esse quid inane ac vacuum, humani sermonis ad instar, sentiebant, alii verò personam esse peculiarem inficiabantur; ut contra illud esse quid substantivum ac per se subsistens significarent, οὐσίας seu *substantiæ* vocem usurpârunt, quæ non ita *essentiæ* significandæ addicta erat, ut non etiam *personam* significare posset. Et certè Petavius ipse, qui tantoperè Eusebium propterea exagitat, fatetur lib. 4, cap. 1, quàm plurimos cùm veteres, tùm synodo Nicænâ recentiores, eo sensu vocabulum hoc accepisse, Ignatium videlicet martyrem, Pierium, Athanasium, Gregorium Nyssenum, Epiphanium et reliquos, aientes Filium esse essentiam genitam, Patrem et Filium duas esse essentias. Ita quoque ecclesiasticæ Bibliothecæ auctor ad Origenem, et in Compendio doctrinæ trium priorum seculorum, ubi etiam laudat Gregorium Nazianzenum et alios, qui, post exortam Arii hæresim, dicere non dubitârunt Patrem esse primam essentiam seu naturam ; Filium verò secundam. Utrique præiverat Photius codice 119, ut animadvertit Valesius ad librum 1 Historiæ Eusebii, cap. 2. Quapropter æquitas non patitur, inquiunt, ut ob id damnetur Eusebius, quod in aliis excusatur, quorum cum in scriptis versatissimus

esset, eorumdem loquendi rationem sequebatur, præsertim cùm multa alia sint, quæ Eusebii causam hîc juvent, 1° quòd alibi eamdem in Patre et Filio essentiam (ταυτοουσιαν) admittat; 2° quòd Patrem et Filium unum esse eumdemque Deum passim prædicet; 3° quòd cùm alibi, tùm maximè in libris contra Marcellum, et de ecclesiasticâ Theologiâ, Sabellianorum impietatem oppugnet, qui eâdem ratione οὐσίας nomen usurpabant, et ut indicarent personas divinas non esse distinctas, aiebant eas esse μονοουσίους, quod ex Athanasio in Expositione fidei liquet, seu οὐσίᾳ uniri, quemadmodùm loquitur ipse Eusebius lib. 3 de eccles. Theologiâ, cap. 19. Sicut ergo Athanasius ibidem negat Patrem et Filium esse μονοουσίους, nempe juxta Sabellii mentem; ita non mirum si eodem modo contra ipsum affirmet Eusebius Filium esse οὐσίαν seu *essentiam* singularem; maximè cùm libro 3 de eccles. Theolog. cap. 19, quam mox dixerat οὐσίαν, statim appellat *hypostasim*. Adde cap. 2 lib. 1 Hist., ubi Filium vocat contra Sabellianos *essentiam*, οὐσίαν, ante mundi exordia viventem atque subsistentem.

Instabis 1°: At Eusebius Patrem vocat *primum Deum*, Filium verò *secundum*. Ita lib. 11 Præpar. evang. cap. 18, ex Numenii doctrinâ, quam probat; et cap. 20 ex Platone; et lib. 1 Hist. eccles. cap. 2; et lib. 5 Demonst. evang. cap. 4, 5 et 6, etc. Ergo. — Distinguo antecedens: Primum et secundum Deum, id est, primum et secundum, qui sit Deus, concedo; ita ut plures Deos esse naturâ distinctos velit, nego. De quo consule quæ ad Justinum et Origenem, qui eodem modo locuti sunt, observavimus. Eusebius sanè passim duas has personas, imò tres unum esse Deum statuit; sic libro eodem Præparat. evang. cap. 18: «Primus, inquit, et secundus «et tertius Deus, unus Deus.» Libro autem 5 Demonst. evang. cap. 4, definit Filium esse naturâ suâ Deum, perinde ac Patrem: «Idem «naturâ Deus, inquit, et idem unigenitus Fi«lius existit... At enim etsi naturâ unigenitus «Filius Deusque noster celebratur, non tamen «à seipso Deus; sed ex Deo Patre unigenitus «Filius, et idcircò Deus.» Tum addit: «Hic autem à Patre habet ut sit Deus, ut..... «cùm una in ambobus..... divinitas intelli«gatur, et unus sit Deus.» Hinc etiam cùm Marcellus Ancyranus ex eâdem loquendi ratione invidiam Eusebio conflare voluisset, quasi multos agnosceret Deos, hanc à se invidiam depellit lib. 1 contra Marcellum, cap. 4, quòd ejusmodi insania ethnicis propria sit.

Instabis 2°: Libro 7 Præpar. evang. cap. 15, asserit, ut *alia est claritas solis, alia lunæ, alia stellarum*, «ita de incorporearum illarum na«turarum (οὐσίαις) ordine esse sentiendum, «ita ut prima sit vis immensa Dei omnipo«tentis, tum Patrem consequatur Verbi divi«ni potentia, denique post secundam illam «naturam, sancti Spiritûs natura succedat, «tertium locum obtinens.» Ergo varios in divinis personis gradus agnoscit. — Distinguunt consequens: Ratione originis, concedunt; ratione naturæ, negant. Sic Tertullianus contra Praxeam cap. 2, pronuntiat alium esse à Patre Filium, non statu, sed gradu; neque tamen idcircò varios in ipsam divinitatem gradus important aut Tertullianus aut Eusebius.

Instabis 3°: Idem lib. 5 Demonst. evang. cap. 5, Patrem appellat *majorem Deum*: ibidem paulò post, *Deum potiorem*. — Distinguunt antecedens: Habitâ ratione originis, quæ juxta antiquos peculiarem Patri dignitatem affert, eò quòd totius divinitatis fons sit, concedunt; secùs, negant. De quo adeundus est Bullus sect. 4, ubi ex professo hanc Filii subordinationem, cùm è priorum seculorum Patribus, tùm ex Ecclesiæ doctoribus, Nicæno concilio recentioribus, prolixè probat.

Objicies 2°: Eusebius passim solum Patrem verum esse Deum statuit, et Christum non esse verum illum Deum. 1° Enim Athanasius in libro de Synodis Arimin. et Seleuc.: «Eu«sebius Cæsareæ Palæstinæ, inquit, ad Eu«phrationem scribens episcopum, non veritus «est palàm dicere Christum non esse ve«rum Deum.» 2° Eusebius ipse lib. 7 Præparat. evang. cap. 15: «Ipse, inquit, Dei uni«genitus, ... uti Patrem suum et solum ve«rum esse Deum agnoscamus, et solum cola«mus, suâ nos oratione cohortatur.» Libro autem 5 Demonst evang. cap. 4, pag. 227: «Itaque suo jure, inquit, unus ille est Deus, «qui non ab altero accepit.» Libro 1 de eccles. Theol. cap. 11, de Patre: «Quem, inquit, so«lum unicum verum Deum credere nos docet «(Christus), quem se majorem profitetur.» Lib. 2, cap. 7: «Unus Deus, inquit, apud Ec«clesiam prædicatur Filii Pater.» Ergo. — Distinguunt antecedens: Solum Patrem esse verum Deum à se, concedunt, simpliciter, negant. Durior quidem est hæc locutio; sed ut minuatur invidia, observant 1° non absi-

milem primâ fronte extare Joannis 17, 3, ubi Christus ait de Patre, *ut cognoscant te solum verum Deum;* quod cùm de personâ Patris intelligeret Eusebius, non secùs ac alii non pauci, haud mirum si toties exinde dicere veritus non sit, solum Patrem esse verum Deum. Nihil enim aliud eo significare voluit, quàm quod Scriptura ipsa præ se ferebat, ut videbatur; quod ipsemet Eusebius ait libro 1 contra Marcellum, cap. 4. 2° Eumdem Eusebium, cùm id ipsi Marcellus Ancyranus objecisset, indeque collegisset, juxta Eusebii mentem, Christum non esse verum Deum, hanc criminationem à se procul amovisse, suamque eâ de re sententiam ac fidem clariùs exposuisse, libro 2 de eccles. Theol. cap. 23 : « Quamvis, inquit, Servator ipse solum verum « Deum esse Patrem doceat, inquiens *ut cognoscant te solum verum Deum;* attamen citra « ullam hæsitationem dicendum est ac confitendum, ipsum quoque (Filium) esse verum « Deum; sed tanquàm imaginem Dei, eoque « nomine talem, ut nempe vox illa *solum* Patri « ut archetypo servetur. » 3° Ne quid dubii superesse posset, ipsum alibi insuper, quid hâc de re sentiret, luculenter aperuisse. Libro 1 contra Sabellium : « Verus Deus est Pater, in- « quit, in eo quòd non natus est; verus Filius « est, in eo quòd est unigenitus; non enim men- « dacium genuit verus; sed verus Pater Deus, « non natus; verus Deus Filius, unigenitus. Nam « et illud quod dictum est : *Solus habet immor-* « *talitatem*, verum est; à semetipso enim so- « lus habet, sed : *Sicut Pater vitam habet in* « *semetipso; ita et Filio dedit vitam habere in* « *semetipso.* » Libro autem 2 : « *Ut cognoscant* « *te solum verum Deum,* inquit, non quia non « verè est unigenitus Filius Dei; sed quia à se- « metipso, et ex semetipso, et per semetipsum « (si tamen ita dici debet) fons et principium « omnium bonorum est Pater, qui genuit talem « bonam progeniem. Bonus enim Filius est; « sed cedit bonitatem suo genitori, non men- « tiens, sed sciens unde est. » Ergo. 4° Eusebio non defuisse quosdam ex antiquis qui Joannem ita essent interpretati, potissimùm verò Origenem, de quo supra. 5° Nonnullos etiam consecutis temporibus Patres ab ejusmodi sententiâ non abhorruisse; quin et magnus Athanasius oratione contra Sabelli gregales, non longè ab initio, concedit Patrem jure dici *solum Deum,* quòd solus ingenitus sit, et solus fons divinitatis. Id pari ratione fatetur Hilarius libro 3 de Trinit., et quo pacto id Filii divinitati non officiat, ostendit. Quod autem ad Athanasium pertinet, qui ait Eusebium negâsse in epistolâ ad Euphrationem, Christum esse verum Deum, intelligendus est eo, quem declaravimus, sensu, ne secum ipse pugnare videatur. Verba Eusebii synodus VII repræsentat.

Instabis 1° : Eusebius de eccles. Theol. lib. 1, cap. 11, et lib. 2, cap. 23, statuit non esse plures Deos, quia non sunt plures ingeniti. Ergo solum ingenitum, hoc est, Patrem, pro Deo habuit. — Distinguunt antecedens : Quia non sunt plures ingeniti, ex eo consequens esse statuit non esse plures Deos, concedunt; quia solus ingenitus est Deus, negant. Itaque Eusebius rectè ratiocinatur; si enim plures essent ingeniti, forent necessariò plures Dii, neque enim alter cum altero naturam suam communicaret. At generatione eadem natura communicatur; quò fit ut in Patre ingenito et Filio genito eadem sit natura divinitatis, atque adeò unus sit Deus. Vide Petavium lib. 4, cap. 15.

Instabis 2° : Idem lib. 7 Præpar. evang. cap. 15, omnem Christianorum cultum ac religionem ad Patrem referri oportere statuit. Ergo. — Distinguunt antecedens : Ad Patrem ut ad primum principium, ad quod Filius ipse omnia refert, concedunt; quasi solus sit adorandus, aut Filio superiorem naturam habeat, negant. Libro enim 2 de eccles. Theol. cap. 7, pag. 111, confitetur Filium honorificandum esse, sicut Patrem, ut et alibi.

Instabis 3° : Hoc ipso in capite 7, lib. 2 de eccles. Theol. definit Patrem esse Deum Filii et caput, additque Filium Patri idcircò honorem, venerationem et adorationem exhibere et gratias agere; quod idem antea dixerat lib. 4 Demonst. cap. 5, et lib. 5, etc., imò et paulò antea, l. 1, cap. 11. — Distinguunt antecedens : Et hæc de Christo ut homine ait, concedunt; ut Filio Dei æterno, subdistinguunt : Habitâ ratione originis; propter quam omnia refert Christus ad Patrem, tanquàm omnium fontem, concedunt; quasi ipse eâdem cum Patre naturâ præditus non sit, negant. De quo legendum est præsertim libri 4 de eccl. Theol. caput 7, ubi patefacit quâ ratione ista capiantur. Docet enim hinc quidem Patrem, ut peculium quoddam deitatem imprincipiatam et ingeneratam habere; illinc Christum eamdem habere à Patre sibi communicatam; hinc eumdem Christum Patri rerum omnium gloriam deferre; illinc Patrem

vice versâ gloriam Filio reddere, utpote pariter universorum Deo, etc. Ita olim Gregorius Thaumaturgus in Expositione fidei, quam laudavimus, dixerat Patrem à Filio honorari, et vicissim Filium à Patre.

Instabis 4° : Lib. 7 Præpar. c. 13 et 15, solum Patrem esse ait Deum universorum. — Distinguunt antecedens : Ratione originis, quâ fit ut fons ac principium sit divinitatis, et aliquatenùs etiam câ ratione Deus Verbi ac Spiritûs sancti, concedunt ; quasi aliunde Filius non sit etiam Deus universorum, excepto Patre, negant. Libro enim 1 de eccles. Theol. cap. 11, pag. 70, Christum etiam Deum universorum nominat ; libro autem 2, cap. 7 : « Pater, inquit, ipsius quoque Filii Deus esse « docetur :.... Filius autem, quando cum « Patre comparatur, non jam Patris ipsius « Deus dicitur, sed Filius, » etc. Sed de his ad Justinum et Origenem.

Objicies 3° : Eusebius lib 4 Demonstr. evang. cap. 1 et 4, et lib. 1 de eccles. Theol. cap. 8, asseverat Filium tunc esse à Patre productum ac emissum, cùm omnia condere voluit. Ergo. — Distinguunt antecedens : Productum ad extra et progressum, concedunt ; ita ut primò esse cœperit, negant. Consulantur loca ipsa, quæ opponuntur, quæque ad Tertullianum hâc de re disputata sunt ; tandem quæ de Eusebii circa Christi æternitatem mente disseruimus supra. Adjice caput 2 libri 2 de eccles, Theol., ubi docet quâ ratione non possit ideò creatum dici.

Instabis 1° : At idem lib. 4 Demonst. cap. 3, ait Patrem Filio præextitisse. Postquàm enim Verbum Dei cum splendore è luce orto comparavit, in quo Verbum et splendor discrepent aperit : « Splendor, inquit, simul existit « cum lumine, illudque quodammodò com- « plet : ..... at Pater præexistit Filio, et « ante generationem ejus subsistit, quâ solus « ingenitus est. » Ita quoque lib. 5, cap. 1. Ergo non putavit Verbum aliâ ex parte esse Patri coæternum. — Distinguunt antecedens : Præextitisse prioritate originis, concedunt ; naturæ aut temporis, negant. Mentem enim suam statim interpretatur, cùm addit : « Quà « solus ingenitus est ; » multò autem apertiùs, cùm ad ejusdem capitis finem asserit Filium Patri semper coextitisse, nec de eo dici posse, quòd aliquando non fuerit et postea esse cœperit ; quod inter argumenta protulimus. Cæterùm idem ferè quod Eusebius, dixerat antea Novatianus, dixitque postea Zeno Veronensis.

Instabis 2° : Ibidem in eo distinguit splendorem luminis à Verbo, quòd splendor « non « ex proposito et voluntate luminis splendet, « sed secundùm quiddam quod ad essentiam « illius inseparabiliter accidit : Filius verò ex « sententiâ et proposito Patris imago Patris « existit ; volens enim Deus Filii Pater existit. » Ergo. — Negant consequentiam. Eo enim duntaxat excludere voluit cæcam necessitatem ; atque hoc sensu non pauci Patres Verbum ex Patris voluntate prodiisse scripserunt. Vide Justinum et alios supra, necnon et Petavium lib. 6, cap. 8.

Instabis 3° : Ibidem, cap. 1 et 4, Filium Patris instrumentum vocat. Ergo. — Distinguunt : Instrumentum, quia Verbo fecit omnia Deus, concedunt ; quasi naturâ inferior sit Filius Patre, negant.

Instabis 4° : Libro 5, cap. 1, ait Verbum esse γενητὸν, quod factum significat. — Respondent γενητὸν et γένησιν idem esse eò loci quod γενητὸν et γέννησιν, seu *genitum* et *generationem*, quibus postremis vocabulis ibi passim utitur ; eas autem cum aliis confundit, ut alii plerique veteres. Cæterùm ibidem affirmat Verbum è Patris substantiâ ita genitum esse, ut nulla substantiæ divisio aut partitio facta fuerit.

Instabis 5° : Non semel pronuntiat Patrem imperâsse Filio, et Filium Patri ministrâsse. Sic libro 7 Præpar. evang. cap. 14 ; libro 5 Demonstr. evang. cap. 1 ; de eccles. Theol. lib. 1, cap. 1, et 20 ; lib. 1 Hist. cap. 2. Ergo. — Respondeo hæc esse à nobis ad Justinum, Irenæum et Tertullianum, qui eamdem loquendi rationem usurpant, exposita. Vide Valesium ad cap. 2 Hist. Eusebii.

Instabis 6° : Patrem invisibilem, Filium verò visibilem esse statuit, lib. 5 Demonst. cap. 1, et Hist. eccles. lib. 1 cap. 2, et lib. 2, cap. 7. Ergo. — Respondent eodem modo Eusebium exponendum, quo Justinum, etc.

Instabis 7° : Libro 1 de eccles. Theol. cap. 20, demonstratione 7, pag. 90, appellat Patrem *verbi doctorem* : Verbum autem *Patris discipulum* esse significat. Ergo. — Distinguunt antecedens : Impropriè, quia Pater Verbo rerum omnium notitiam communicavit, concedunt : secùs, negant. Nempe ex hoc Joannis loco cap. 8, 29 : *Sicut docuit me Pater, hæc loquor*, evincebat Christi à Patre distinctionem. Consule Petavium ipsum lib. 2, cap. 4, num. 5 et 9.

Instabis 8° : In libris Demonstrationis evan

gelicæ, asserit Christum esse honorandum propter Patrem in illo habitantem : de quo Matthæus Petitdidier, Bibliothecæ eccles. censor, pag. 21. — Distinguunt antecedens : Propter Patrem in ipso habitantem per naturæ ejusdem communionem, concedunt ; per gratiæ duntaxat donum, negant. Verè itaque Christum adoramus propter naturam divinam, quæ ipsi inest, quamque à Patre accepit.

Instabis 9° : Libro 2 de eccles. Theol. cap. 7, ait Patrem et Filium non esse honore pares : « Nam neque illas hypostases, inquit, honore « pares ponimus. » Ergo. — Distinguunt antecedens : Ratione originis, quæ primas quadamtenùs defert Patri, unde post verba citata addit : « Neque ambas principio carentes, aut « ingenitas ; sed unam ex illis ingenitam sine « principio existentem, alteram verò genitam « (ponimus), » concedunt ; ratione naturæ aut cultûs exhibendi, negant. Ibidem enim definit paulò post Filium esse eâdem ratione adorandum, quâ Patrem, et quidem verbis ita disertis, ut nihil possit esse illustrius : « Il- « lum, inquit, adorare veluti Deum et co- « lere .... Ecclesia ipsius docet : .... disertis « verbis ipsum honorare jubet (Pater,) non « tanquàm Prophetas, non velut Angelos, aut « Angelis similes potestates ; sed quemadmo- « dùm ipsum Patrem. » Legatur integrum caput, et qui luculentiora ad rem istam verba excerpsit, doctissimus idem monachus Benedictinus pag. 24.

Instabis 10° : Idem lib. 4 Demonst evang. cap. 6, in Oratione de Laudibus Constantini cap. 11 ; lib. 1 contra Marcellum, cap. 1, et lib. 2 de eccles. Theol. cap. 7, ait Filium esse medium inter Deum et creaturas, Patrem ad creaturas per sese non accessisse, quòd ipsius majestatem ferre non potuissent ; sed omnia Filio, tanquàm ipsis propiori ac velut intermedio administranda tradidisse. Ergo. — Distinguunt antecedens : Medium ratione originis, concedunt ; ratione naturæ, negant. Cùm veteres cernerent in Scripturis omnia dici per Filium facta et administrata, et hujus rei causas quærerent, istam inter alias protulerunt, quòd nimirùm Filius Patrem inter et creaturas velut medius esset, et creaturis propior foret, cùm ab iis omni ex parte distet Pater. Duo enim sunt in Patre, natura videlicet divina et ingeniti titulus ; utrâque autem ex parte longè à creaturis abest Pater, cùm creaturæ multò inferiorem naturam habeant, et productæ sint ; Filius verò naturâ quidem ab iis sejungitur, non secùs ac Pater ; sed in eo cum creaturis aliquatenùs convenit, quòd sit productus et originem suî agnoscat. Hâc ratione *medius* appellatur. Cùm autem hæc eadem ratio faciat ut mitti possit, seu formam extrancam assumere, inde etiam collegerunt ipsum solum debuisse omnia, quæ ad creaturas pertinent, administrare. Hæc autem adeò innoxia sunt, ut eadem usurpent Alexander, ecclesiæ Alexandrinæ præsul, in Epist. adversùs Arium, apud Theodoretum Hist. lib. 1, cap. 4, et post ipsum Athanasius Oratione 3 contra Arianos : « Nec intelligunt, « inquit, ... multùm interesse inter Patrem « ingenitum et res ab illo creatas ex nihilo, ... « inter quæ duo media interveniens unigenita « natura Verbi, per quam Pater universa con- « didit ex nihilo, ex ipso vero Patre proge- « nita est. »

Instabis 11° : Libro 1 Hist. cap. 2, Christum nominat *secundum rerum auctorem*, ut et libro 10 in Oratione quam habuit in dedicatione ecclesiæ Tyri, et in aliâ quam habuit in tricennalibus Constantini, ut in notis ad hoc 2 caput observat Valesius. Ergo. — Distinguunt antecedens : Quòd secunda persona sit, concedunt ; quòd sit è numero causarum secundarum, negant. Justinus sanè in Dialogo cum Tryphone, non semel ita loquitur, ut monet Bibliothecæ ecclesiasticæ censor, pag. 20.

Objicies 4° : Eusebius in synodo Nicænâ *consubstantialis* vocem admittere aliquandiù recusavit. — Distinguunt : Recusavit iisdem de causis, quæ olim Antiochenos præsules impulerant, ut hoc ipsum nomen supprimerent, veritus nempe ne corporum affectiones in Deum ac Filii generationem inveherentur, concedunt ; quòd non crederet Filium esse unum et eumdem cum Patre Deum, eâdemque divinitate præditum, negant. Ipse enim in Epist. ad Cæsarienses, causam hanc assignat, cur nonnihil hæsitaverit, apud Socratem lib. 1, cap. 8, et Theodoretum lib. 1, cap. 12. Cæterùm Eusebius jam longè antea ταυτοουσίαν admiserat.

Instabis 1° : In hâc eâdem Epistolâ testatur se hæsitavisse, cùm Patres Nicæni dixissent Filium esse *genitum non factum*, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα ; sed in eo acquievisse postquàm rescivit hoc verbo *factum* designatam esse *creationem*. — Respondent dubitandi ansam Eusebio præbuisse id, quod supra observavimus, nempe quòd Græci hoc verbum etiam usurpent de generatione liberorum. Cæterùm hoc

ipsum argumento est ab Eusebio Christum pro increato esse habitum.

Instabis 2° : Ibidem causas admodùm dilutas affert, cur anathematismis synodi Nicænæ, quibus proscribuntur Arii pronuntiata : *De non extantibus esse Filium*, et : *Fuisse aliquando tempus cùm non esset Filius*, consenserit. Ait enim se ideò subscripsisse, quòd peregrinæ essent voces, in Scripturis non usitatæ. — Respondent Eusebium hîc quidem Ario nimiùm indulsisse; sed ejus tamen errorem non approbare. Indulsit autem, vel quòd amicus esset, vel quòd non ita compertam haberet ipsius impietatem, vel quòd nonnullos è veteribus aliquid istiusmodi protulisse nôsset.

Instabis 3° : Ad ejusdem epistolæ finem, apud Theodoretum, asseverat Filium, antequàm gigneretur actu ex Patre, in ipso potentiâ tantùm fuisse. — Respondent 1° esse quid non absimile apud Marium Victorinum lib. 1 contra Arium, quod profert Petavius lib. 1, cap. 4, necnon et apud vetustiores. Respondent 2° hanc epistolæ clausulam non extare apud Socratem Theodoreto antiquiorem, nec apud Epiphanium scholasticum. Respondent 3° eam videri supposititiam, quod multis adstruere conatur Bullus sect. 3, cap. 9, num. 3. Et verò, Socrates, lib. 2, cap. 21, fidenter affirmat Eusebii accusatores « probare « non posse ipsum Filio Dei initium subsistentiæ tribuisse. » Adde quòd lib. 1 contra Marcellum, cap. 1, ipsum reprehendat, quòd dixisset Filium ante mundi creationem in Patre, potentiâ duntaxat extitisse, nec per se substitisse ab illo distinctum.

Instabis 4° : At antea Eusebius epist. ad Alexandrum Alexandrinum, quæ refertur in synodo VII, actione 6, excusans Arianos, Christum vocaverat *creaturam perfectam*, etc. Ergo, etc. — Distinguunt antecedens : Creaturam impropriè, concedunt; propriè, negant. Ita loquebatur, quia Sapientia in Scripturis *creatam* se dicit; de quâ locutione supra dictum est. Cæterùm non extat hæc epistola, ut de eâ certius judicium ferri possit.

Objicies 5° : Idem Eusebius Eustathium Antiochenum deponendum curavit, quòd ὁμοούσιον prædicaret, et acerrimus fidei Nicænæ adversùs Arianos vindex esset, ut narrat Socrates lib. 1, cap. 24, et Sozomenus lib. 2, cap. 19. — Distinguunt antecedens : Deponendum curavit, quòd ita ὁμοούσιον prædicaret, ut ad Sabellianam hæresim deflectere Eusebio videretur, concedunt; ob hanc præcisè ὁμοουσίου professionem, negant. Itaque Eusebius quidem inter judices sedit, cùm depositus est Eustathius; sed quâ de causâ ipsum damnaverit inquirendum est, an odio catholicæ fidei, an contra propter errorem ipsi adscriptum. Quamvis enim Eustathius exinde ut vir summus et integerrimæ fidei præsul ab omnibus in Ecclesiâ habitus sit, et jure, iis tamen nebulosis temporibus, quædam esse potuerunt, quæ Eusebium fefellerint. At 1° constat Eusebium in Eustathium non tulisse sententiam, eo nomine, quòd Nicænam fidem tueretur; imò contrà professum esse unà cum aliis, ut refert Socrates, se à Nicænâ fide nullatenùs recedere; ad hæc Filium Dei peculiarem esse personam, Deumque in tribus personis unum esse. 2° Certum est, inquiunt, insuper Eustathium fuisse hæreseos Sabellianæ accusatum, et eam ob rem è sede Antiochenâ exturbatum : « Eustathium deponunt, « inquit, ut qui Sabellii dogmati potiùs quàm « synodi Nicænæ decretis insisteret. » Atque hæc quidem criminatio haud dubiè mera erat calumnia; sed tamen Eustathius fortè in asserendâ ὁμοουσίου voce non ita dilucidè mentem aperiebat, ut omnem Sabellianismi suspicionem à se procul amoveret. 3° Observandum est, quod ejusmodi criminationi colorem et pondus addere poterat, Eustathium hujus impietatis mediâ in synodo fuisse postulatum à Cyro Berœæ urbis episcopo, prorsùs catholico, et fidei Nicænæ egregio defensore, cujus causâ multa ab Arianis passus est, ut scribit Athanasius Epistolâ ad solitariam vitam agentes, et notat Valesius ad Socratem, pag 14. Proinde si Eustathium citra fidei suæ dispendium accusare potuit Cyrus, quidni et eâdem illatâ, Eusebius illum damnare potuit, uterque deceptus? 4° Denique Eustathii magister fuerat Marcellus Ancyranus, qui palàm et apertè Sabellianam hæresim propugnabat; hæc ergo eadem causa accedere potuit, cur Eustathius eodem in luto hærere existimaretur. Vide Bullum sect. 2, c. 1, n. 9.

Objicies 6° : Post synodum Nicænam Eusebius cum Arianæ hæreseos principibus junctus semper fuit, et Athanasium Ecclesiæ catholicæ columen unà cum iis insectatus est, vexavit ac proscripsit. — Respondent Eusebium reipsà factione Arianum extitisse, et Arianorum partibus implicitum; sed quæstio est, inquiunt, an eorum interea fidem probaverit : quod non apparet. Imò verò illi ipsi Arianæ hæreseos antesignani fidem Nicænam

ubique ostentabant, nec, quamdiù vixerunt Constantinus Magnus et Eusebius, aliam fidei formulam ediderunt.

Objicies 7° : Eusebius de Spiritu sancto perperàm sensit, l. 7 Præpar. evang. cap. 15, et l. 3 de eccl. Theol. c. 6; quod etiam confitetur eccles. Bibl. censor. Ergo et de Filio.— Negant consequentiam. Unum enim ex altero non necessariò consequitur. Præterea, etsi difficilia sint, quæ de Spiritu sancto objiciuntur, fortè tamen explicari possent, eòque magis, quòd alibi non semel unam in tribus personis divinitatem admiserit; sed de Spiritu sancto nulla hîc controversia est. Atque hæc sunt, quæ ad Eusebium quoquomodò excusandum adducunt ejus patroni. Qui autem his Eusebium non satis purgari, et ambigua hinc et inde dicta ex ipsius studiis, partibus, ac factis æstimari oportere senserit, is ad tuendam opinionem suam objecta in probationes convertat, et judicio suo fruatur.

Argumentum II, ex synodo Nicænâ, et Patrum eâ posteriorum testimonio, propriâque Arianorum confessione.

Ex synodo Nicænâ. — Quam hucusque priorum seculorum traditionem exposuimus, hanc decreto suo firmavit et sanxit, adversùs Arium Christi divinitatis hostem, prima synodus œcumenica, anno 325 Nicææ sub imperatore Constantino Magno habitâ, cui ex omnibus christiani orbis partibus episcopi numero 318, et innumerabiles alii Ecclesiæ ministri affuerunt. Symbolum enim tunc conditum est, quod referunt Athanasius in Epistolâ de Fide ad Jovinianum; Eusebius in Epistolâ ad Cæsarienses; Socrates Historiæ lib. 1, cap. 8, et alii. In eâ autem Patres unanimi consensu definierunt (1), « Christum esse Filium Dei « genitum ex Patre unicum (hoc est, ex substantiâ Patris), Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum « non factum, consubstantialem Patri, per « quem omnia facta sunt. » Cùm itaque certum sit unumquemque præsulem ecclesiæ suæ doctrinam eò attulisse, nec minùs constet omnes simul congregatos in eamdem hanc fidem conspirâsse, inde luculentum et indubitatum efflorescit, omnium eo tempore ecclesiarum in profitendâ Christi divinitate consensionis argumentum. Porrò, quam tunc temporis sententiam profitebantur, eam à majoribus acceperant. Ergo Ecclesia ab omni ævo Christum esse Deum verum, Patri æterno consubstantialem crediderat.

Verùm ut his majus robur accedat, observandum est. 1° Ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis, 2 Tim. 3, 15, cui Christus promiserit sese affuturum usque ad consummationem seculi, Matth. 28, 20; ita ut adversùs eam portæ inferi nunquàm prævalere queant, Marci 16, 18. Errorem itaque ac mendacium admittere non potest, et viam Dei in veritate semper docet; qui verò eam non audit, is tanquàm ethnicus et publicanus, jubente Christo, habendus est.

2° Hoc de Christo dogma semper primum ac præcipuum fuisse christianæ religionis caput, quod ab ipsis fide rudimentis singuli discerent, adeò ut nemini ignotum foret.

3° Qui Nicæam Patres convenerunt ac symbolum ediderunt, eos fuisse viros doctissimos aut etiam sanctissimos; proinde ipsos nec ignorare potuisse hoc fidei fundamentum, nec illud evertere voluisse. Qui autem egregias Patrum Nicænorum laudes nôsse voluerit, consulat Athanasium epistolâ ad Epictetum, et in alterâ ad Africanos; Phæbadium, in libro contra Arianos; Epiphanium hæresi 68, cap. 4; Ambrosium epist. 13; Marium Victorinum lib. 1; Rufinum, lib. 1, cap. 2 et 4; Socratem Hist. lib. 1, cap. 8; Theodoretum lib. 1 Hist. cap. 6; Leonem variis in locis; Chrysostomum oratione 52, tom. 5; et ex recentioribus Tillemontium. Unus nobis sufficiet Eusebius Cæsariensis, minimè suspectus testis, de Vitâ Constantini lib. 3, cap. 7. « Ex

(1) Hic exscribere juvat Symbolum Nicænum, prout refertur apud S. Athanasium, de Decretis Nicænæ synodi Epistolâ. En concilii verba : « Credimus in unum Deum, Patrem « omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium effectorem, et in unum Dominum « Jesum Christum, Filium Dei, genitum ex « Patre unigenitum, hoc est, ex substantiâ « Patris; Deum ex Deo, lumen ex lumine, « Deum verum ex Deo vero; genitum, non « factum, consubstantialem Patri, per quem « omnia facta sunt, sive quæ in cœlo, sive « quæ in terrâ sunt; qui propter nos homines « et propter nostram salutem descendit, et « incarnatus est, homo factus est, passus est, « et resurrexit tertiâ die, ascendit in cœlos, « et veniet judicaturus vivos et mortuos. Et in « Spiritum sanctum. Illos verò qui dicunt : « *Fuit aliquando cùm non esset*, et : *Antequàm « genitus est non erat*, et : *Ex non existentibus, « sive ex nihilo, factus est*; vel qui Dei Filium « ex aliâ hypostasi vel substantiâ esse, aut « creatum esse, aut mutari, vel converti posse « sentiunt, anathemate ferit catholica Eccle- « sia. » (Ed.)

« omnibus, inquit, ecclesiis, quæ universam « Europam, Africam atque Asiam implevе- « rant, ii, qui inter Dei ministros principem « locum obtinebant, simul convenêre. » Capite autem 9 : « Porrò ex his Dei ministris, inquit, « alii sermone sapientiæ, alii gravitate vitæ « et laborum tolerantiâ eminebant; alii mode- « stiâ et comitate morum erant ornati; ac « nonnulli quidem eorum ob provectam ætatem « maximo in honore erant; nonnulli et corpo- « ris et animi juvenili vigore enitebant. » Capite denique 14 addit eos ita in hoc de Christi divinitate dogma conspirâsse, ut unius fidei consonantia apud omnes obtineret.

4° Non tantùm omnes, qui concilio aderant, episcopos in id consensisse; sed omnes ubivis gentium ecclesias à quibus missi fuerant, in hoc Nicænæ synodi decreto spontè statim acquievisse, et per longum temporis intervallum, nullâ reclamante, perstitisse. Quamdiù enim vixit Constantinus imperator, nullus eam fidei temerare tentavit formulam, et Ariani nonnisi post ejus mortem in hoc facinus eruperunt. Ergo antiquam et communem omnium fidem Nicæna synodus sanxit. Quis ergo non miretur, quis patienter ferat Socinianorum impiam temeritatem, qui in augustissimam hanc synodum impotenter debacchari non dubitant, totque venerandos Patres palàm accusare non verentur, quòd antiquam fidem ab Apostolis profectam, et in Ecclesiâ per tria secula conservatam pessumdederint, novamque orbi christiano per nefas aut inscitiam obtruserint?

Ex testimonio Patrum Nicænâ synodo posteriorum, ipsorumque Arianorum confessione. — Sed ut liquidiùs adhuc pateat quantùm ab Arii deliramentis abfuerint priorum trium seculorum Patres, ea jam expendenda ratio est, quâ seculo IV Catholicos inter et hæreticos super eo capite disputatum sit. Cùm enim notior tunc esse posset mens veterum, cùm ob recentiorem memoriam, tùm propter pleniorem librorum et monimentorum illius ætatis, quàm nunc supersit, copiam; si fidei catholicæ vindices, traditionis et antiquitatis auctoritatem, ut sibi certissimè faventem, perpetuò ac confidenter Arianis objecerint, idque negare ausi non fuerint Ariani, sed contra confessi fuerint; utrumque sanè indubitatum argumentum est, non novam in Nicænâ synodo fidem, sed antiquam ac primævam sancitam esse. Atqui utrumque verissimum est, et facilè probari potest.

1° Enim Alexander, ecclesiæ Alexandrinæ episcopus, de primis Arianæ impietatis asseclis loquens, et quid, cùm eis antiqui Patres et Ecclesiarum consensio opponerentur, respondere solerent aperiens, in Epistolâ ad Alexandrum Constantinop. apud Theodoretum lib. 1, c. 4 : « Qui nullos ex antiquis, inquit, « sibi comparari volunt, nec eos quibus nos « ab ineunte ætate magistris usi sumus, ex- « æquari sibi patiuntur; sed nec ullum ex om- « nibus, qui hodiè sunt collegæ nostri, ad me- « diocrem scientiam pervenisse censent; solos « sapientes,.... solos dogmatum inventores se « esse jactantes, sibique solis ea revelata esse, « quæ nemini unquàm mortalium in mentem « venerint. » Ergo non modò Catholici contendebant antiquitatem omnem sibi favere ubique; sed etiam illud Ariani ipsi non diffitebantur, seque dogmatum suorum inventores esse non dissimulabant.

2° Athanasius in libro de Decretis Nicænæ synodi, num. 27, pag. 233 tom. 1 edit. Bened., post multa ex antiquis Patribus adducta testimonia : « En igitur, inquit, nos quidem hanc « sententiam (de Verbi divini consubstantialitate) à Patribus ad Patres transisse demon- « stramus; vos autem, ô novi Judæi,.... quos « Patres, qui vestris voculis faverint, exhibere « potestis? nullum certè prudentem et sapien- « tem unquàm proferetis; omnes enim à vobis « abhorrent, præter unum diabolum, qui..... « vestræ defectionis pater et auctor extitit. » In libro autem de Synodis Arimin. et Seleuc. num. 4, pag. 718, tom. 2 : « Adeò ut, inquit, « isti (Ariani).... dicant : Nobis primò revela- « tum est, et à nobis Christianorum fides in- « cipit. » Ibidem, num. 5, de Patribus Nicænis : « De paschate quidem ita scripsêre : *De- « creta sunt quæ sequuntur :* tunc enim decre- « tum est, ut omnes morem gererent; de fide « verò nequaquàm dixêre : *Decretum est;* sed : « *Sic credit catholica Ecclesia,....* ut declara- « rent non recentiorem, sed apostolicam esse « suam sententiam : quæque illi scripto tradi- « dêre, non ab illis inventa, sed ea ipsa sunt « quæ docuerunt Apostoli. »

3° Hilarius lib. 1 ad Constantium Augustum num. 5, pag. 1220 : « Quis non videt, inquit, « quis non intelligit? post quadringentos ferè « annos..... novella nunc et teterrima lues.... « Ariana effusa est. Ita illi, qui ante credide- « runt, inanem spem immortalitatis habuerunt? « Nuper didicimus commenta hæc fuisse in- « venta. »

4° Basilius l. 1 adv. Eunom. t. 3, p. 5, cùm hæreticus iste doctrinæ suæ novitatis conscius, initio operis sui lectores rogàsset, ne antiquitati nimiùm tribuendo, posterioribus aures obserarent, sic contra respondet « Quid tu narras? Non dabimus plus antiquitati? Non reverebimur Christianorum multitudinem, tam eorum qui sunt, quàm eorum qui fuerunt, ex quo Evangelium prædicatum est? Nullam rationem dignitatis eorum habebimus, qui omni spirituali gratiâ claruerunt, quibus tu omnibus inimicam hanc impietatis malam viam et hostilem nuper excogitàsti? sed claudentes simul oculos animi, exterminatâ ex animo cujuslibet sancti viri memoriâ,.... cavillationibus tuis mentem nostram supponemus?... omnes traditionem fidei, quæ omni præterito tempore sub tot sanctissimis viris evicit, commentis vestris impiis postponemus? »

5° Gregorius Nyssenus oratione 3 contra eumdem, tom. 2, pag. 126: « Sufficit ad nostri sermonis demonstrationem, inquit, quòd habeamus à Patribus venientem ad nos traditionem, velut hæreditatem quamdam per successionem ex Apostolis per sanctos sequentes transmissam, » etc.

6° Antiquis Patribus adeò diffidebant Ariani, ut cùm olim ad componenda dissidia à Theodosio imperatore publica disputatio inter eos, qui Christi consubstantialitatem et æternitatem profitebantur, et Arianos, qui ipsi initium tribuebant, indicta esset, et his ex illorum consilio proposuisset imperator, an veterum Patrum judicio in dirimendâ lite stare vellent, in id Ariani consentire noluerint, ut Socrates cap. 10, lib. 5, et Sozomenus lib. 7, cap. 12, perhibent. Nempe, inquit idem Socrates, « compertum erat veteres studiosè cavisse, ne « principium existentiæ Filio tribuerent; « quippe qui censerent illum Patri coæternum « esse. » Quod cùm non ignorarent Ariani, hâcce conditione in disputationem descendere non ausi sunt.

Etverò, cùm initio III seculi Artemas effutire non esset veritus, Christi divinitatem priscis Ecclesiæ doctoribus ignotam fuisse; eamdem traditionis auctoritatem ipsi opposuit Caius, singulorum Patrum opera et Ecclesiæ hymnos allegans, in quibus ab omni ævo in Ecclesiâ Christi divinitas prædicabatur, ut supra vidimus. Quocirca cùm traditione adversùs hæreticos eâ in parte pugnamus, iisdem armis utimur, quibus majores nostri eosdem olim feliciter debellârunt (1).

(1) Inexpugnabili sanè huic probationi quam, SS. Patrum scripta discutiendo, peritâ manu auctor exstruxit, aliud, brevius quidem atque facilius, sed non ideò minùs firmum et stabile, addere juvat argumentum, quod *præscriptionis* dicitur. Sic autem proponi potest: Christi divinitas et cum Patre consubstantialitas in totâ Ecclesiâ tenebatur, quando, ineunte seculo IV, Arius perversa sua dogmata spargere incœpit; ergo fides hæc semper in Ecclesiâ viguit, et a Apostolis fuit tradita. « Antecedens ex historiâ « Arianismi certum est, inquit Liebermann de « Trinit. part. 1, cap. 2, art. 1, § 2. Vix enim « impietatem suam spargere cœpit Arius, cùm « totus statim christianus orbis in eum surrexit, paucissimis tantùm episcopis exceptis, « qui hæreticâ pravitate infecti erant. In con« cilio Nicæno, ex omnibus Ecclesiæ partibus « congregato, à trecentis episcopis magnâ con« sensione definitum est, Filium Patri esse « consubstantialem: *Credimus in unum Deum,* « *Patrem omnipotentem.... et in Filium.... con*« *substantialem Patri.* »

Igitur superest tantùm ut probemus consequens et consequentiam; quo nihil facilius est. Enimverò consequens et consequentia necessariò admitti debent, si invictè demonstretur uniformem hanc Ecclesiæ fidem non ex aliqua mutatione prodiisse; atqui in promptu est hujusmodi demonstratio. Nam vel novum illud dogma clanculùm et insciis omnibus irrepsisset, vel palàm fuisset invectum; atqui neutrum dici potest. 1° Quidem non latenter et furtim irrepsit: idenim vel subitò, vel longo temporis decursu contigisset; porrò utraque suppositio absurda est. Prior quidem: nam absurdius nihil dici potest, quàm in omnibus simul Ecclesiis, non minùs loco quàm hominum indole et moribus disjunctis, in omnibus provinciis, urbibus, vicis; repentè mutatam, nemine etiam animadvertente, doctrinam quam quisque ab infantiâ hauserat, et in quâ institutus fuerat, adeò ut ne minimè quidem mutationis suspicio remaneret. Id inficiari non auderent adversarii. Nec minùs absurda est posterior. Agebatur enim de re gravissimâ, ex quâ scilicet tota Religionis christianæ summa pendebat; non scitu difficili, sed obviâ, et omnibus Ecclesiæ ritibus et cæremoniis consignatâ, atque adeò quasi positâ ante omnium oculos, non speculativâ ac indifferenti, sed graves quotidianasque obligationes inducente, à quibus nullus fidelium eximi poterat; posito enim quòd Christus sit Deus, quotquot erant Christiani cujuslibet ætatis et conditionis, debebant necessariò, et quidem quotidiè, ut scribit Plinius ad Trajanum, honores illi divinos exhibere: porrò sine manifestâ absurditate supponi nequit circa rem hujusmodi mutationem ita obscurè et latenter irrepsisse per omnes orbis christiani partes, ut nemo prorsùs innovationis sive ortum, sive progressum animadverterit; quis enim in animum inducet suum alios alia pastores aliquando in universâ Ecclesiâ docuisse, discrepantem insuper in rebus fidei sentiendi rationem extitisse inter ejusdem urbis cives, inter sodales et amicos, patrem et filium, propinquos et familiares, imò verò eosdem homines aliter

Sed hæc de variis cùm è Scripturâ, tùm è traditione Christi divinitatis argumentis satis dicta sint. Quòd si quis est, cui ista non sufficiant, haud certè scio quid ei satis futurum sit. Cùm enim singula per sese ineluctabili robore et eximiâ perspicuitate sint; simul collecta tantum sibi mutuò pondus tantamque lucem præbent, nullum ut aliud extet religio-

atque aliter pro diversis temporibus credidisse, et à primævâ quâ imbuti erant fide, ad novam aliquam devenisse credendi formam, neque tamen id à quoquam fuisse intellectum atque perspectum? Ergo 1° dici nequit illud dogma latenter et furtim, insciis omnibus, irrepsisse.

2° Nec magis dici potest, dogma hujusmodi palàm fuisse invectum. Nam communi hominum indoli prorsùs repugnat, ut omnes, non modò pastores Ecclesiæ, sed etiam fideles, posthabitâ conscientiâ, nulloque religionis sensu impediti, in consilium adeò flagitiosum et impium consenserint. Verùm etiam fingamus, talem consensionem possibilem fuisse in Ecclesiis ejusdem omninò communionis; at certè nullo pacto supponere licet in eam simul fuisse inductas varias sectas, quæ, jam tum rupto unitatis vinculo, nihil avidiùs quærebant et arripiebant, quàm occasiones Ecclesiam catholicam criminandi et redarguendi.

Sed parvipendamus prædicta argumenta, et innovationis manifestæ possibilitatem, contra omnem quidem rationem, concedamus, saltem eam non extitisse omninò fatendum est. Enimverò hujusmodi factum cùm esset tanti momenti, universale et stupendum penitùs, certissimis neque etiam paucis constaret monumentis. Extarent libri quibus nova doctrina exposita fuisset, argumentis confirmata et propugnata; quis enim sibi persuadeat ex tot hominibus, qui illius per orbem universum propagationi curam adhibuissent, nullum extitisse quem ad mandandum litteris novi dogmatis rationes et momenta impelleret, sive zelus opinionem suam latiùs atque citiùs diffundendi, sive discutiendi præjudicia, objectaque diluendi aut præcavendi necessitas, sive laudis acquirendæ studium, sive etiam desiderium suspicionem et accusationem levitatis, inconstantiæ, imò verò hæreseos et impietatis declinandi? Extarent itidem scripta quibus novello errore impugnato et confutato, pristina veritas continuâ traditionum serie aliisque rationum momentis vindicaretur; nam quisquis vel tantillùm perspectum habet quanta sit hominum in suis opinionibus tenendis pertinacia, præsertim ubi agitur de opinionibus ab infantiâ acceptis et ad Religionem attinentibus, is facilè intelliget fieri non potuisse, ut avitam fidem patienter ferrent à se avelli, néque ipsius propugnationem omni conamine susciperent. Extarent historiæ quibus memoraretur quis tantæ mutationis auctor, quantum ipsius ingenium, quæ virtutes aut vitia, quis zelus, qui labores et successus, quibus inprimis usus esset adjutoribus, quorum opere et industriâ res prosperè cessisset, quæ difficultates superatæ, quinam, veritatem propugnando, obstitissent, quis motus undique excitatus, quo tandem modo, sedatis omnium mentibus, devictâ ubique veritate, error tranquillè dominari incœpisset; namque hujus generis innovatio mundum universum invadere non potuit, quin existerent non leves in Ecclesiâ commotiones et perturbationes, ut omnium seculorum experientiâ compertum est: nimirùm ingens fuisset animorum æstus, efferbuissent dissensiones inter diversas Ecclesias et provincias, imò inter ejusdem civitatis aut etiam familiæ membra, aliis alios de hæresi criminantibus, novatores solemnioribus quorumdam saltem pastorum judiciis condemnati essent, et ab Ecclesiæ communione repulsi; quæ sanè facta hujus naturæ sunt, ut de iis historiæ tum publicæ, tum privatæ silere nequeant; atqui nulla hujusmodi scripta supersunt, quæ novam doctrinam defendant aut impugnent, nulla historia quâ hæc facta referantur, nulla quibus consignentur monumenta, nullum denique remanet ullius perturbationis eâ de re in totâ retrò seculorum serie vestigium, et nemo adhuc adversariorum istius mutationis auctorem, tempus et circumstantias assignare potuit. Quin etiam eventûs adeò stupendi memoria ita oblitterata erat IV seculo, ut Catholici in suæ causæ patrocinium præcedentium Patrum traditionem confidenter invocarent, quemadmodùm fidem faciunt opera SS. Athanasii, Basilii, Gregorii, Nysseni, Hilarii, etc.; Ariani autem tali judicio stare recusarent, prout referunt Socrates et Sozomenus; ergo dici nequit innovationem palàm et manifestè fuisse peractam; alùndè nec clanculùm atque latenter; ergo fides divinitatis Christi, quam Ecclesia ineunte seculo IV tenebat, non ex aliquâ mutatione ducebat originem; ergo semper viguit in Ecclesiâ, et ab Apostolis tradita est; ergo ab omnibus qui Catholici dici et esse volunt etiamnùm admitti debet.

Probatur demùm ratione theologicâ, quâ scilicet ii omnes profligantur, qui Christum esse Messiam, seu Prophetam et Dei Legatum ultrò fatentur. Sine impietate et absurditate dici nequit Christum fuisse insignem fraudum artificem, qui suâ potestate abusus sit ad decipiendos homines, et divinos honores sibi asserendos, Deumque ipsum ejus insuper fallaciæ fautorem et approbatorem extitisse; atqui si Christus non sit Deus, hæc duo absque ullâ tergiversatione asseri debent. 1° Quidem Christus insignis esset deceptor. Etenim nihil non egit ut Dei famam et nomen sibi compararet, nedùm divinos à se repelleret honores, seque merum hominem esse ingenuè fateretur, quemadmodùm fidelem Dei legatum et ministrum decebat, proutque SS. Joannes Baptista, Paulus et Barnabas sese gesserunt. Nimirùm non modò se omnibus prophetis antecellere prædicat, sed etiam tantùm ab eis distare, quantùm filiusfamiliàs à domesticis solet, affirmare non dubitat, Matth. 21. In omnibus ferè sermonibus Patrem suum dicit Deum, nec eo quidem sensu quo Deus Pater est omnium hominum, sed peculiari et germanâ significatione, siquidem se Filium Dei unigenitum gloriatur, Joan. 3. Asserit etiam se mundi salvatorem mundique lucem. Si ipsi fides, via est, veritas et vita; ipsi tradita est omnis potestas in cœlo et in terrâ; vita æterna est ut illum cum Patre cognoscant; sine ipso nemo fru-

nis christianæ caput, quod pluribus, disertioribus ac firmioribus momentis, innitatur.

Objectiones. — Nonnulla iis opponi possunt ex Liberio summo pontifice, Osio Cordubensi, Ariminensi concilio, et ratione quæ breviter dissolvenda sunt.

Ex Liberio summo pontifice. — Objicies itaque 1°: Liberius diu quidem Nicænæ synodi

ctum ferre potest, aut etiam aliquid facere; ipse dat vitam æternam et flumina aquæ vivæ, quam si quis biberit, in æternum non sitiet. Imò verò omnia sibi cum Patre esse communia pronuntiat, se itidem in Patre, et Patrem in se manere, seque unum esse cum Patre, atque adeò qui ipsum videt videre et Patrem. Ex his et aliis similibus multis audientes, ut par est, intelligunt ipsum se Deo æqualem, atque Deum facere; ipse verò in hâc eos opinione confirmat, nedùm ab eâ revocare, quantùm in se est, conetur; Petrum enim, ob præclaram suæ divinitatis confessionem, amplissimis honoribus donandum promittit; Thomam autem exclamantem: *Dominus meus, et Deus meus*, dulcibus quidem reprehendit verbis, non quòd se Deum confiteatur, sed quòd tam serò id crediderit; Judæis tandem indignantibus quòd se Deum venditaret, tantùm abest ut id neget, ut contra vividiùs, operum suorum testimonium invocando, inculcare satagat. Quid insuper aptius ad idem confirmandum excogitari potest, quàm quod sæpissimè repetit, Filium honorandum esse, sicut honoratur Pater, eâdem ratione in se credi oportere, quâ in Deum creditur, unumquemque paratum esse debere, ut animam suam pro ipso ponat, omnibusque omninò renuntiet? Postquàm autem his Apostolos suos documentis imbuisset, jubet eos eadem docere omnes gentes. Hi verò talibus formati institutionibus, ubique confidenter prædicant Christum esse Filium Dei incarnatum, qui in principio apud Deum existebat, per quem omnia facta sunt; proindèque ipsum Deum esse verum, super omnia benedictum in secula, et cætera hujusmodi luculentissima. Ergo 1° si Christus Deus non foret, non minori impietate quàm impudentiâ ad homines decipiendos suâ potestate abusus fuisset.

2° Suæ fraudis approbatorem et fautorem habuisset Deum. Enimverò si Christus Deus non esset, ut quid Deus tot et tam magnificis prophetarum oraculis, tantâque figurarum serie eum jam ab origine mundi prænuntiâsset? Nemo enim nescit illum fuisse à rerum ferè principio primis parentibus, et postea singulis patriarchis promissum, procul salutatum atque expectatum ab omnibus justis, deinde verò præfiguratum cæremoniis et sacrificiis antiquæ legis, à cunctis penè claris conspicuisque hominibus qui Hebraicæ gentis decus et ornamentum unquàm extiterunt, adumbratum, ab omnibus denique prophetis annuntiatum tanquàm generis humani unicam spem, Redemptorem mundi, lumen doctoremque gentium, desiderium collium æternorum, novi et eximii cujusdam fœderis conditorem, quem gentes essent deprecaturæ, cujus ipsi reges pulverem pedum lingerent, quem adorarent omnes Angeli Dei, cujus adventu cœlum et terra commoverentur, quem rediviva comitaretur aurea ætas, qui à dextris Dei Deus ipse sederet, et cujus thronus esset in seculum seculi mansurus.

Quomodò tantam ipsi Deus tribuisset potestatem, ut ejus nutu claudi ambularent, viderent cæci, mortui resurgerent, dæmones ejicerentur, calcabile sese præberet pelagus, tota natura mirâ docilitate obediret; præsertim verò ut hæc omnia cujuslibet generis miracula, non ope instrumenti velut Moyses, non multis conatibus, non fusis ad Deum precibus, non veluti alicujus minister, sed uno voluntatis jussu et tanquàm propriâ virtute patraret?

Quî factum est ut ipsius vita, non sine Dei nutu, inter stupendas penitùs transigeretur circumstantias, v. g., ut vix natum exultantes Angeli celebrarent, novo sidere duce Magi à longè adoraturi adducerentur, adhuc pueri sapientiam mirarentur doctores, vox cœlitùs delapsa bis Filium Dei declararet, illo in extremis posito, sol obscuraretur, defuncto autem commoveretur universa natura, quasi obstupescens suum lugeret Auctorem, aperirentur monumenta, mortui resurgerent, frangerentur saxa, ipse verò tertiâ die, ut prædixerat, surgeret è sepulcro, et tandem, multis cernentibus, propriâ virtute cœlum ovans conscenderet, tanquàm rex qui in proprium regnum revertitur?

Demùm quâ de causâ omnia promissa omnesque quas ediderat prophetiæ, post ejus mortem, jubente Deo ad amussim implerentur, nempe Spiritus sanctus in Apostolos descenderet, inauditum priscis temporibus donum miraculorum ipsis conferretur, illisque Christi divinitatem prædicantibus fidem adhiberet orbis universus, civitas sancta præfixo tempore, nullâque ex prædictis circumstantiis omissâ, destrueretur, etc.?

Quis enim non videat Deum tam diutino tamque magnifico prophetiarum et figurarum apparatu viam errori præparâsse, tantâ Christo concessâ potestate, et adeò stupendis circumstantiis vitâ ejus illustratâ, se fraudis concinnandæ præbuisse participem; denique ab eo prædicta et promissa diligentissimè exsequendo, ultimum fallaciæ quasi apposuisse sui patrocinii sigillum, cùm præsertim quo tempore Christus apparuit, homines proclives admodùm essent in idololatriam, virosque egregios divinis sæpissimè honoribus decorarent? Ergo fatendum est Christum esse Deum.

Sic iterùm contrahi potest hæc probatio: Vel Christus est Deus, vel insignis est et impius deceptor: atqui deceptoris nota procul ab eo releganda est; ergo, etc. Major demonstratur ex eo quòd Christus ejusdem se naturæ cum Deo non obscurè declaraverit, nedùm negaret, ut jam diximus; minor verò ideò indubitata haberi debet, quòd Deus eum, vel antequàm nasceretur, amplissimis honoribus dignum ostenderit; natum autem et cum hominibus conversantem infinitâ donaverit potentiâ, et continuâ protectione prosecutus fuerit; mortui denique sese in omnibus ostenderit approbatorem. Vide Massillon, serm de Divinit. Christi, in diem Circumcisionis, et Abbadie, tract. de Divinit. Christi. (Ed.)

fidem, et Athanasium ejus vindicem defendit; sed cùm anno 355 Berœam in exilium missus esset à Constantio imperatore, tandem in Arianorum partes concessit anno 357, et Syrmiensi fidei formulæ ab iis exaratæ, sibique à Demophilo Berœensis urbis episcopo oblatæ, et Athanasii damnationi, subscripsit; quâ de re epistolas dedit ad episcopos orientales, quæ extant apud Hilarium in fragmentis, cap. 6, num. 5. Ergo fides Nicæna ab omnibus non est suscepta. — Respondeo 1° catholicam fidem, nedùm ex unius viri, quantâlibet dignitate præfulgentis, facto pendeat; sic esse subnixam Dei verbo omniumque Ecclesiarum traditione ac consensu, ut everti nullatenùs queat. Respondeo 2° Liberium exilii tædio victum, et recuperandæ Sedis amore fractum, id fecisse; quæ autem per vim fiunt, ut monet Athanasius de hoc negotio agens, non tam haberi debent ut subscribentium, quàm subscribere cogentium sensa. Qui ergo voluerit genuinam ac sinceram Liberii mentem explorare, videat quid, cùm liber esset, sponte suâ senserit. Porrò, quod indubitatum est, antequàm relegaretur, pro Nicænâ synodo et Athanasio semper pugnavit, ipsique imperatori fortiter obstitit; postquàm autem exilio solutus est, quod vi adactus fecerat, id rescidit. Ergo. Respondeo 3° constare quidem inter eruditos Liberium Syrmiensi formulæ et Athanasii damnationi subscripsisse; sed incertum esse cuinam ex Syrmiensibus formulis assensus fuerit. Nimirùm Syrmii tres diverso tempore, nec ejusdem impietatis, editæ sunt ab episcopis Nicænæ synodo adversantibus fidei professiones; prima anno 351; secunda anno 357; tertia anno 359 : de quo consule Baronium in Annalibus; Petavium in Animadversionibus ad Epiphanium; Valesium in Notis ad Sozomenum, lib. 4, cap. 14; gallicum scriptorem vitæ S. Athanasii, in Notis, Blondellum in Primatu; et Tillemontium.

Prima igitur anno 351 græcè conscripta est à Marco Arethusio, aut potiùs ab Orientalibus in concilio Syrmiensi, contra Photinum ejusdem urbis episcopum, eadem cum Sabellio et Paulo Samosateno sentientem, coacto. In hâc autem formulâ præsules ὁμοουσίου quidem seu *consubstantialis* vocabulum tacent, nec Arii errorem damnant; sed tamen Christum esse Deum ex Deo confitentur, eique formulæ viginti septem adjungunt anathematismos, in quibus veram ei æternitatem ac divinitatem tribuere videntur, nisi quòd anathematismo 17 eum Patri subjectum dicunt, quod Arianam insaniam sapit. Hinc varia extiterunt de eâ sanctorum Patrum judicia. Sanctus enim Hilarius in lib. de Synodis, illam in catholicum sensum interpretatur. Hinc Philatrius de Hæres. cap. 65, illius auctores *episcopos sanctos* vocat; hinc Vigilius Tapsensis eamdem synodum *catholicam totius Orientis* appellat lib. 5 contra Eutychem. Athanasius autem contra hanc ipsam formulam enumerat inter varias illas Arianorum fidei professiones, quæ non minùs eorum impietatem, quàm inconstantiam arguerent.

Secunda fidei formula Syrmiensis anno 357 à nonnullis occidentalibus episcopis, præsertim Valente, Ursacio, Germinio ac Potamio condita est, et ab Athanasio in libro de Synodis Arimin. et Seleuc. rejecta, necnon et ab Hilario de Synodis, num. 11, sub hoc titulo repudiata : *Exemplum blasphemiæ apud Syrmium per Osium et Potamium conscriptæ;* quòd nempe à Potamio profecta esset, et ab Osio subscripta. Etverò impietate plena est ejusmodi fidei formula. In eâ enim 1° solus Pater *Deus* dicitur, et quidem *Filii Deus*, ut Filius ab ipsâ divinitate submoveatur. 2° Idem solus declaratur æternus, invisibilis et immortalis. 3° Non tantùm ὁμοουσίου seu *unius substantiæ*, sed etiam ὁμοιουσίου seu *similis substantiæ* vox interdicitur. 4° Filius Patri subjectus prædicatur, etc. Denique tam apertus erat hujus formulæ error, ut eam non modò impugnârint ac condemnârint in synodo Ancyranâ semi-ariani præsules orientales, Basilius Ancyranus et alii Nicænæ synodi inimici; sed etiam apud imperatorem effecerint, ut ab ipsis auctoribus revocaretur.

Tertia tandem formula Syrmiensis anno 359 operâ ejusdem Basilii Ancyrani prodiit in lucem, anni notam et consules in fronte inscriptos habens, quod inauditum hactenùs fuerat, et arguebat Arianorum fidem, esse *fidem temporum, non evangeliorum*, ut acutè observat S. Athanasius in libro de Synodis Arimin. et Seleuc. In eâ dicitur Filius Patri per omnia similis; *substantiæ* verò et *consubstantialis* nomina expunguntur (1).

(1) Operæ pretium est hîc referre trium formularum Syrmiensium verba, quæ ad scopum præsentem pertinent, ut traduntur à S. Athanasio, Epist. de Synodis. Hæc habet prima : « Credimus in unum Deum, Patrem « omnipotentem, ... et in unigenitum ejus « Filium, Dominum nostrum, Jesum Chri« stum, ex Patre natum ante omnia secula;

His positis, non mediocris est inter eruditos controversia cuinam ex his tribus formulis subscripserit Liberius; an primæ, quæ tolerabilior est et ab Hilario catholicum in

« Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem « omnia facta sunt, quæ in cœlis et quæ in « terrâ, visibilia et invisibilia; qui Verbum est « et Sapientia, lux vera et vita, qui in novis- « simis diebus propter nos homo factus « est.....

« 1. Eos porrò qui dicunt Filium ex non ex- « stantibus, aut ex aliâ substantiâ, et non ex « Deo esse, aut tempus vel seculum fuisse cùm « non existeret, alienos à se agnoscit sancta « et catholica Ecclesia.....

« 27..... Si quis negaverit Christum Deum, « Filium Dei esse ante secula, et Patri ad uni- « versorum creationem ministrâsse; sed ex « quo tempore ex Mariâ genitus est, Christum « ac Filium appellatum fuisse, et tunc incœ- « pisse Deum esse, anathema sit. »

Prima hæc formula græcè edita est in secundo concilio Syrmiensi, an. 351. Eam velut catholicam exponit S. Hilarius lib. de Synodis, uti reverà est, si in se spectetur, licet à Semiarianis exarata, et ideò inter Arianorum formulas à S. Athanasio recensita.

Secunda verò latinè edita est item Syrmii, an. 357, in conventu paucorum episcoporum, et est purè Ariana. Hæc autem continet : « Cùm nonnulla putaretur esse de fide disce- « ptatio, diligenter omnia apud Syrmium tra- « ctata sunt et discussa, præsentibus Valente, « Ursacio, Germinio et cæteris. Unum constat « Deum esse, ... et unicum Filium ejus, Je- « sum Christum Dominum, Salvatorem no- « strum, ex ipso ante secula genitum; duos « autem deos nec posse, nec debere prædi- « cari, quia ipse Dominus dixit: *Ibo..... ad « Deum meum et Deum vestrum.....* Quod verò « quosdam aut multos movebat de substantiâ, « quæ græcè οὐσία appellatur, id est, ut ex- « pressius intelligatur, ὁμοούσιον, aut quod di- « citur ὁμοιούσιον, nullam omninò fieri oportere « mentionem, nec quemquam prædicare, eâ « de causâ et ratione quòd nec in divinis Scri- « pturis contineatur, et quòd super hominis « scientiam sit..... nulla ambiguitas est majo- « rem esse Patrem. Nulli potest dubium esse « Patrem honore, dignitate, claritate, majes- « tate et ipso nomine Patris majorem esse Fi- « lio.... majorem Patrem, Filium subjectum « cum omnibus his quæ ipsi Pater subjecit. « Patrem initium non habere, invisibilem « esse, immortalem esse, impassibilem esse; « Filium autem natum esse ex Patre, Deum ex « Deo, lumen ex lumine..... »

Tertia denique edita est etiam latinè Syrmii octo annis post secundum concilium, scilicet an. 359. Hæc in eâ leguntur : « Credimus in « unum solum ac verum Deum Patrem omni- « potentem, creatorem et opificem omnium; « et in unum unigenitum Filium Dei, ante om- « nia secula, ante omne principium et ante « omne tempus quod excogitari potest, et ante « omnem comprehensibilem substantiam, im- « passibiliter ex Deo genitum; per quem se- « cula condita, et omnia facta sunt; natum « unigenitum, solum ex solo Patre, Deum de

sensum accipitur; an secundæ, quæ planè hæretica est; an tertiæ. Valesius arbitratur eum tertiæ subscripsisse; Blondellus secundæ, cui ex parte assentitur Petavius, Baronius et cæteri primæ. Ut autem quid vert propius esse nobis videatur, aperiamus :

Dicimus 1° Liberium non subscripsisse tertiæ Syrmiensi formulæ. Ut enim historia docet, Syrmiensi formulæ subscripsit Liberius ut ab exilio revocaretur, et quidem cùm Berœæ degeret. At non tantùm ab exilio revocatus fuerat; sed etiam Romam redierat cùm hæc tertia Syrmiensis formula edita est. Liberius nempe tertio exilii annò sedem suam recuperavit, ut refert Athanasius capite 37, aliique scriptores, hoc est, anno 358. Hæc autem tertia formula nonnisi anno 359 exarata est.

Dicimus 2° Liberium non subscripsisse secundæ formulæ impiæ Syrmiensi. Probatur multiplici formulæ hujus secundæ et illius in quam consensit Liberius, discrimine, 1° quòd ea formula; cui Liberius subscripsit, ab Orientalibus condita fuerit, non ab Occidentalibus. Hinc enim est, quòd Liberius ad Orientales epistolas dederit, ut quid à se factum esset, significaret, testeturque se eorum fidei formulæ subscripsisse. At secunda formula ab episcopis Occidentalibus conscripta fuerat. 2° Quòd hæc à Liberio subscripta formula, apud Hilarium dicatur esse edita à Basilio Ancyrano, Theodoro Heracleensi, et Sylvano Tarsensi. Atqui, ante secundam Syrmiensem formulam, obierat Theodorus Heracleensis, anno nimirùm 355. Eamdem acriter impugnavit Basilius Ancyranus, et illam in synodo Ancyranâ condemnavit. Denique Sylvanus Tarsensis ipsam non potuit approbare, cùm catholicus foret, multaque eâ de causâ ab Arianis passus fuerit. Ergo subscripta à Liberio formula non est impia Syrmiensis secunda. 3° Quòd in hâc ipsâ à Liberio subscriptâ formulâ non compareant nomina Germinii Syrmiensis episcopi, Ursacii, Valentis, et Potamii; quæ tamen legebantur in secundâ for-

« Deo, similem Patri suo, qui ipsum genuit.... « Nomen autem substantiæ, quòd simpliciùs « à Patribus positum, à populisque minimè in- « tellectum, offensionis causa sit, quòd etiam « in Scripturis non contineatur, de medio « tolli, et nullam omninò substantiæ mentio- « nem in Deo deinceps faciendam esse placuit, « quòd divinæ Scripturæ nusquàm de Patris et « Filii substantiâ meminerint. Patri autem Fi- « lium secundùm omnia similem dicimus, « quemadmodùm Scripturæ dicunt atque do- « cent. » (Ed.)

mulâ Syrmiensi ab ipsis compositâ. 4° Denique, quòd viginti duo episcopi à Liberio recenseantur, qui formulam illam edidissent, cui ipse subscripserat. At sex tantùm episcopi condiderant secundam Syrmiensem formulam (1).

Superest igitur ut primæ Syrmiensi formulæ subscripsisse dicatur Liberius. Quod cùm ita sit, fatendum quidem est Liberium in hoc negotio graviter peccâsse; sed tamen idcircò Arianam hæresim approbâsse dici non potest. Atque illud haud dubiè fuit, quod labantem ac fractum ejus animum in ruinam impulit. Oblatam sibi formulam respexit Liberius; nihil in eâ planè Arianum deprehendit; putavit itaque sine ullâ hæreseos labe eam suscipi posse, et pacis causâ suscipi oportere. Suscepit; et hoc utroque prætexit nomine culpam. Sic enim homines vulgò sibi ipsi malè blandiuntur, et indignam animi imbecillitatem publici boni obtentu tegunt.

Instabis 1° : S. Hilarius formulam hanc Liberii *perfidiam Arianam* vocat : « Hæc est, « inquit, perfidia Ariana. » At sola Syrmiensis secunda sic appellari potest. Ergo secundæ subscripsit Liberius. — Distinguo antecedens : Quòd à perfidis profecta esset, et eo quidem consilio atque animo ut symbolum Nicænum aboleretur, quòdque hoc facto Liberius ad Arianorum partes defecisset, concedo; quòd verbis ipsam hæresim propinaret, nego. Scilicet Hilarius perfidiam esse sentiebat quamlibet formulam fidei præter symbolum Nicænum. Sic enim in Constantium, num. 24 loquitur : « Quidquid præter fidem unam est, « inquit, perfidia, non fides est. »

Instabis 2° : At idem Hilarius lib. de Synod. primam Syrmiensem formulam probat et excusat. Ergo non potuit eamdem vocare postea *perfidiam*, nisi secum ipse pugnaret. — Respondeo non secum propterea pugnare Hilarium. In libro enim de Synodis formulam spectat quoad sola verba; in Fragmentis autem intendit in auctorum mentem et consilium, et in subscriptionis consectaria. Porrò hæc prima Syrmiensis formula, si nudum verborum corticem consideres, nihil admodùm mali præ se fert; at si penitiùs introspicias auctorum consilia et subscriptionis consectaria, perfidiâ plena erat. Hinc monachi Benedictini : « Neque inconstantiæ ar- « guendus est Hilarius, inquiunt, quòd eam- « dem fidei confessionem, cùm laudâsset aliàs, « nunc acriter carpat ac reprehendat. Nam- « que ut illi digni sunt laude, qui à malo re- « cedunt, ita qui à bono deficiunt, meritò « sunt vituperandi. At verò Orientalibus Fi- « lium ex nihilo et intra tempus extitisse olim « asserentibus, postea verò Syrmiensis fidei « confessione, Ancyranis decretis illustratâ, « ante tempora et ex Dei substantiâ confiten- « tibus, ad veram fidem accedere fuit, et quo- « dammodò catholicos evadere; contra Libe- « rio Syrmiensis fidei confessione sanctam « consubstantialis fidem supprimenti, à verâ « fide deficere fuit, et perfidum et hæreticum « quâdam ratione fieri; hæreticis enim com- « municans, et credendi legem, quam hære- « tico sensu tuebantur, quamvis intellectù « catholico ab eis recipiens, hæresis partes « communiebat, catholicus fide et interiori « conscientiâ, communione ac fortè etiam « rumore publico hæreticus. » Quo de ru-

(1) « Si Liberius secundæ formulæ sibi à Demophilo oblatæ subscripsisset, cùm hæc Arianam impietatem undequàque respiret, haud dubiè nihil amplius ab illo exigere debuissent Ariani, et ab exilio statim à subscriptione revocatus ille fuisset : atqui tamen non ita contigit. Liberius enim ad episcopos Orientales scripsit (Epistolam refert sanctus Hilarius fragmento 6), rogans ut pro eâ quâ apud imperatorem valeat gratiâ, suum ab exilio reditum obtineant, quem non priùs obtinuit, quàm alteri cuidam formulæ, tum cùm ab imperatore Syrmium vocatus est, subscripsisset : hæc autem formula non erat secunda Syrmiensis, ipsimet Constantio imperatori invisa; sed collectio quædam fuit tum formulæ adversùs Photinum editæ, tum illius quæ in synodo Antiochenâ in encæniis sancita fuit, ut constat ex Sozomeno, lib. 4 Hist. c. 15. » Ita Turnelius, quæst. 4, art. 2, sect. 4. Addi etiam potest alia probatio ex Billuarto desumpta. Sic habet ille : « Liberius Berœâ Syrmium vocatus à Constantio, subscripsit alteri formulæ sibi ab eodem Constantio oblatæ, ex consilio Basilii Ancyrani et aliorum Semiarianorum : atqui 1°, cùm Anomœi, seu puri Ariani, vulgâssent, Liberium Berœæ, non secùs ac Ostium, damnâsse ὁμοιούσιον, seu *similem*, et suscepisse ἀνόμοιον, seu *dissimilem*, quod erat dogma hæreticum in secundâ formulâ traditum, Liberius, ut huic falso rumori occurreret, subjecit formulæ quæ tunc illi oblata fuit, et cui subscripsit, anathema contra eos qui negabant Filium esse Patri similem in substantiâ, teste Sozomeno lib. 4, c. 15. Ergo neque Berœæ, neque Syrmii subscripsit Liberius formulæ quæ negabat Filium esse similem Patri in substantiâ, qualis erat secunda formula Syrmiensis. 2° Rumorem quem Anomœi sparserant, Liberium Berœæ damnâsse ὁμοιούσιον; et suscepisse ἀνόμοιον, Sozomenus vocat falsum : atqui non fuisset falsus, si Liberius Berœæ subscripsisset secundæ formulæ, utpote quæ idipsum hæreticum dogma continebat; ergo. » Tract. de Trinit. digress. historic. de Liberii lapsu. (Ed.)

more legendus Sozomenus libro 4, capite 15.

Instabis 3° : Propter hanc subscriptionem Hilarius ibidem anathema dicit Liberio, eumque apostatam fuisse significat. At neutrum fecisset, si Liberius formulam verbis catholicam amplexus duntaxat esset, qualis est prima Syrmiensis formula. — Nego minorem. Licet enim Liberius in solam primam Syrmiensem formulam consensisset, potuit tamen Hilarius triplici de causâ ei anathema dicere, eumque apostasiæ incusare : ac 1° quidem, propterea quòd aliam à Nicænæ fidei formulâ è manibus Arianorum accepisset, et suppressisset vocem ὁμοουσίου, quæ in communem fidei catholicæ tesseram suscepta fuerat ; 2° quòd in Arianorum partes transiisset ; 3° quòd Athanasium damnâsset eo tempore, quo Athanasii causa in publicam totius Ecclesiæ causam evaserat (1).

Instabis 4° : S. Hieronymus de Script. eccles. capite 97, de Fortunatiano Aquileiensi agens : « In hoc, inquit, habetur detestabilis, « quòd Liberium..... ad subscriptionem hære- « seos compulit. » In Chronico autem : « Liberius, inquit, tædio victus exilii, in hæ- « reticam pravitatem subscribens, Romam « quasi victor intravit. » Sic etiam Auxilius l. 1, cap. 25 : « Quis nesciat, inquit, quòd « Liberius, heu ! proh dolor ! Arianæ hæresi « subscripsit ? » Ergo. — Respondeo ista dici, quòd Liberius deseruisset symbolum Nicænum, suscepisset formulam Arianorum, proscripsisset Athanasium, et cum hæreticis societatem iniisset.

Instabis 5° : Probabilissimum est eam à Demophilo fuisse oblatam Liberio formulam, quæ eodem ipso tempore confecta erat ; non verò aliam, quæ ante sex annos prodierat in lucem. At anno 357 lapsus est Liberius, et eodem hoc anno confecta fuit secunda formula Syrmiensis ; prima verò edita fuerat anno 351. Ergo longè vero similius est secundam fuisse Liberio oblatam, quàm primam ; et secundæ potiùs quàm primæ subscripsit Liberius. — Respondeo 1°, secundam quidem formulam eodem anno esse confectam, quo lapsus est Liberius ; sed non constare priorne fuerit lapsu formula, an contrà. Respondeo 2°, etiamsi prior esset hæc formula Liberii lapsu, non esse verisimile eam hoc ipso anno fuisse Liberio oblatam ob locorum distantiam ; Berœæ enim subscripsit Liberius : at Syrmii edita non est secunda formula, nisi sub anni finem. Respondeo 3° offerri potuisse Liberio secundam formulam, nec tamen ab eo subscribi propter apertam impietatem. Potuit ergo Demophilus id à Liberio postulare, nec impetrare ; quo repudiato ei alteram mitiorem obtulerit, cui Liberius subscripsit. Cæterùm observandum est Liberium, cùm vi potiùs ac metu, quàm voluntate subscripsisset, à lapsu postea surrexisse, et prioris ignaviæ maculam ingenti fortitudine postmodùm eluisse. Nimirùm cùm omnes Ariminensis synodi Patres miserabiliter decepti Arianis cessissent, ipse immotus stetit, et Nicænam fidem adversùs omnes cùm apertos Arianorum impetus, tùm occultas aliorum insidias, strenuè propugnavit.

Ex Osio Cordubensi. — Objicies 2° : Osius Cordubensis, venerabilis ille senex et confessor, Nicæni symboli auctor et fortissimus vindex, pater episcoporum, totque conciliorum præses, Nicænam fidem ejuravit ; secundæ enim formulæ Syrmiensi subscripsit. Hinc Hilarius in libro de Synodis, num. 11, eam vocat exemplum blasphemiæ per Osium et Potamium conscriptæ ; et libro contra Constantium cap. 23, Arii deliramenta appellat.

(1) « Alii conjiciunt, inquit Turnelius, quæst. 4, art. 2, sect. 4, citata verba Hilarii fortè alienâ manu ad marginem exscripta, exindè in textum irrepsisse. Alii denique suspicantur, verba ista ab Hilario in quâdam volatili ac dissutâ chartâ, simul cum Epistolâ Liberii ad Orientales, descripta primùm fuisse, operi historico, quod tunc mente volvebat, suo tempore, cùm absolveretur, inserenda. Ita ferè assolent qui grande aliquod opus meditantur, fragmenta quædam, sententias, verba, prout sese menti objiciunt, obviæ chartæ mandare ad memoriam, et usum suo tempore applicandum ; non rarò autem contingit aliqua ex his quæ collecta fuerant memorialia reipsà non usurpari, sed rejici. Ita factitatum conjiciunt in causâ præsenti. Hilarius, lectâ Liberii ad Orientales plenâ ignaviæ Epistolâ, raptim eam chartæ tradidit, adjectâ istâ indignantis animi notulâ : *Anathema Liberio*, quæ tamen subindè procul dubio suppressisset, si opus absolvisset, quod tunc meditabatur. At illud reverà non absolvit : fragmenta duntaxat quædam dissuta, nec satis ordinata reliquit..... Conjecturæ istud est fundamentum, librum Fragmentorum, omnium judicio, scriptum ab Hilario fuisse, quo tempore Liberius sibi restitutus Ecclesiæ fidem egregiè tuebatur ; ac incredibile videri ut ei jam correcto, imò etiam acerrimo fidei patrono, tot anathemata diceret Hilarius, qui Orientalibus necdùm rectè sentientibus, quia tamen ad veritatem propiùs accederent, lib. de Synodis ita pepercit, ut nec laudes negârit. Verba sunt eruditorum Benedictinorum, præfat. in lib. Fragm. S. Hilarii. Eamdem conjecturam probaverat, suamque fecerat jam an. 1712, Quesnellius, in responsione ad D. de Witte. » (Ed.)

De quo insuper consule Phœbadium Aginnensem libro contra Arianos; Epiphanium hæresi 73; Severum Sulpicium lib. 2 Hist., inprimis autem Athanasium in Apologiâ contra Arianos, num. 90; de Fugâ suâ num. 5; et in Epist. ad monachos, num. 45. Ergo. — Respondeo id quidem verum esse, nec ullum eâ ætate fuisse luctuosiorem cujusvis episcopi lapsum; sed tria tamen ad eum quoquo modo excusandum animadvertenda, 1° centenarium fuisse Osium, cùm ad subscribendum exilio, ærumnis, plagis, et mortis metu, à Constantio imperatore coactus est. « Quid « igitur mirum, si fractus animo senex ac « tempore imbecillis, ad quoddam temporis « spatium illis cesserit? » ut Athanasius loquitur. « Si, ut loquitur Hilarius de Synodis, « num. 87, nimiùm sepulcri sui amans, in « ruinam præceps actus sit, deflenda res est, « non miranda. » 2° Osium, licet secundæ Syrmiensi formulæ subscriberet, et cum Ursacio ac Valente communicaret, nunquàm tamen Athanasium voluisse condemnare. 3° Osium non ita multò post resipuisse, et quod per vim fecerat, revocâsse. « Eam rem, « inquit Athanasius Epist. ad monachos, mi- « nimè neglexit senex; instante quippe morte, « vim sibi illatam quasi testamento declaravit, « Arianamque hæresim feriit anathemate, ve- « tuitque, ne quis illam reciperet. » Unde S. Augustinus, lib. 1 contra Parmenianum, cap. 4, Osium adversùs Donatistarum calumnias defendit, eumque in medio Ecclesiæ sinu mortem oppetiisse significat.

Instabis 1°: Faustinus et Marcellinus in Libello precum, quem obtulerunt imperatori Theodosio, testantur Osium, cùm in hæresi pertinax esset, et catholicos episcopos vexaret, in Hispaniâ à Deo percussum infeliciter obiisse. Ergo.—Respondeo eos non esse audiendos, quippe qui Osio aliisque eâ ætate lapsis ita infensi forent, ut, cùm universa Ecclesia ipsos benigniùs suscepisset, nefario schismate ab eâ segregari, quàm cum iis reconciliari maluerint. Eò autem minùs audiendi sunt, quòd nullus ejusdem ævi scriptor ipsis adstipuletur.

Instabis 2°: Isidorus Hispalensis, seu quisquis alius, in libro de Viris illustribus, capite 14, eamdem historiam refert. Ergo. — Respondeo illum auctorem hanc fabulam hausisse ex impuro illo Faustini et Marcellini schismaticorum fonte, qui primi illam in Osii odium procuderunt.

Ex concilio Ariminensi. — Objicies 3°: Patres synodi Ariminensis in fidei formulam ab Arianis conditam sibique oblatam, rejectâ Nicænâ, consenserunt. Ergo. — Distinguo antecedens: Vi ab imperatore illatâ fracti, et ambiguis verbis præ nimiâ simplicitate ab Arianis delusi, concedo; quòd doctrinam Arianam probarent, et Nicænam desererent fidem, nego. Quod ut clariùs innotescat, hujus concilii historia paucis attexenda est.

Scilicet cùm anno 359 Constantius imperator ad componenda omnia, quibus orbis christianus quatiebatur, dissidia, œcumenicum concilium convocare statuisset, illud ex votis et consilio Arianorum partitus est in duo, quorum alterum ab Orientalibus Seleuciæ, alterum ab Occidentalibus Arimini haberetur. Ariminum itaque convenerunt quadringenti circiter præsules, è quibus octoginta tantùm Arianis partibus implicati erant. Felicissima fuerunt synodi initia; cùm enim Ursacius et Valens Ariani episcopi suorum omnium nomine Patribus proposuissent tertiam Syrmiensem formulam ab imperatore probatam, in quâ vocibus οὐσίας et ὁμοουσίου omissis, Filius *Patri similis* dicebatur; eam omnes unanimi consensu respuerunt, et damnatâ Arii hæresi, Nicæno symbolo firmiter inhærendum esse decreverunt, Ursaciumque ac Valentem bis repugnantes anathemate perculerunt; quibus gestis, legatos miserunt ad imperatorem, qui ipsi actorum omnium rationem redderent.

Sic Patres Ariminenses. Sed tam læta exordia tristis exitus consecutus est. Synodi enim legatos in conspectum suum diu admittere noluit Constantius. Postmodùm autem eosdem diuturniori expectatione jam fatigatos, minis, precibus, promissis, falsis rumoribus, cæterisque id genus artibus sic adortus est, ut eosdem tandem in partes suas adduxerit. Formulæ enim Arianæ, in quâ Filius tantùm dicebatur *similis Patri*, subscripserunt, et vocibus οὐσίας et ὁμοουσίου exterminatis, latam à synodo in Ursacium ac Valentem sententiam rescidêre. Quod ubi Arimini compertum est, omnes illicò Catholici in legatos insurrexerunt; eosque in perfidiæ et ignaviæ pœnam è communione Ecclesiæ turpiter ejecerunt. Sed eosdem ipsi non multò post imitati sunt. Cùm enim nihil non moliretur imperator, ut omnes episcopos in suam sententiam pertraheret, Tauro prætorii præfecto, cui concilii cura demandata erat, scripsit ut eos urbe conclusos teneret, donec ei fuissent obsecuti; consulatum insuper pollicitus, si rem adoptatum finem perduceret.

Institit igitur Taurus, et synodi Patres longioris ab Ecclesiis suis absentiæ tædio, omnique ærumnarum genere ac fame ita vexavit, ut plerique animo deficere cœperint.

Ariani ubi id animadverterunt, quosdam callidè submiserunt, qui corda cæterorum sollicitarent pacis obtentu, aientes rem esse deplorandam, quòd ob duas voces à Scripturis non sancitas, omnes Ecclesiæ turbarentur; episcopos Orientales in formulam consensisse; nisi Occidentales eidem manus darent, nullam unquàm concordiam esse posse, et æterna fore certamina; satius esse si pacis causâ omnes ubivis gentium episcopi in unam eamdemque fidei formulam, quæ nihil haberet erroris, conspirarent.

Cùm verò his aures præbuissent Catholici, tum accesserunt cæterorum nomine Ursacius ac Valens, professique sunt se Arianos non esse et penitùs ab eorum blasphemiis abhorrere; porrò fidei formulam catholicâ ratione conceptam ab Orientalibus, imperatore auctore, oblatam, cum piaculo repudiari. Quis discordiarum finis foret, si quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret? postremò, si quid minùs plenè dictum præsenti fidei formulâ videretur, ipsi adderent, quæ addenda putarent; præbituros se his quæ essent adjecta consensum.

Favorabilis promissio pronis omnium animis excepta, nec ultra nostri repugnare ausi, jam quoquo modo finem rebus imponere cupientes. Itaque damnatur Arius, et in unumquodque ejus doctrinæ caput singula anathemata dicuntur à Catholicis; interrogatique Valens et Ursacius spontè annuunt, et cum catholico concilio singulis anathema dicunt. Imò etiam Patri æqualis et sine initio Dei Filius pronuntiatur. Tum Valens, tanquàm nostros adjuvans, subjecit sententiam cui inerat occultus dolus: « Dicamus, in« quit, si placet, Filium Dei non esse creatu« ram sicut cæteras creaturas. » Placuit, fefellitque audientes fraus professionis. Etenim his verbis, quibus similis esse cæteris creaturis Filius negabatur, creatura tamen, potior tantùm cæteris, pronuntiabatur. Ita neutra pars vicisse se penitùs aut victam putare poterat, quia fidei ipsa formula pro Arianis, professiones verò postea adjectæ pro nostris erant, præter illam quam subjunxerat Valens, quæ tum non intellecta, serò animadversa est.

His gestis concilium solvitur; læti omnes ad provincias revertuntur. Sed dolus diu non latuit. Cœperunt enim Valens et Ursacius passim suas jactitare, dicentes se Filium creaturam non negâsse, sed similem cæteris creaturis. Ad has triumphantium Arianorum voces oculos aperuerunt episcopi Ariminenses. « Ingemuit totus orbis, et se esse Aria« num miratus est. » Sed ut opportunum tanto malo remedium adhiberetur, errorem ac nimiam simplicitatem suam palàm ac publicè confessi sunt; quæque ab ipsis partim vi, partim fraude extorta fuerant, cæteri per orbem catholici præsules, inprimis verò Liberius summus pontifex, resciderunt. De hoc infelici concilio lege Athanasium de Synodis; Hilarium in Fragmentis; Hieronymum in Dialogo contra Luciferianos; Sulpitium Severum lib. 2 Hist.; Sozomenum lib. 4; Theodoretum lib. 2, è quibus ista excerpsimus.

Ex his porrò liquet Ariminenses Patres in hæresim non fuisse prolapsos; formula enim, in quam pacis causâ consenserant, nihil hæreticum præ se ferebat, si verba consideres; in reliquis autem cùm Arianam impietatem damnare studerent, ab Arianis fuêre præ nimiâ simplicitate decepti (1).

(1) Formula cui Patres Ariminenses subscripserunt, ipsa est quam tertiam Syrmiensem superiùs diximus, quæ in se spectata Ariana minimè est.

Etverò « si Patres Ariminenses, ait Billuartus III digress. historicâ de Concil. Arimin., hæresi Arianæ subscripsissent, eamque fuissent professi, id foret vel ratione formulæ Syrmiensis (tertiæ), vel ratione propositionis subdolè insertæ à Valente, quòd *Filius non sit creatura, sicut aliæ creaturæ*, quibus subscripsêre: atqui neutrum dici potest; ergo. Prob. minor, et 1° quantùm ad formulam Syrmiensem, quâ dicebatur *Filius similis Patri*, nihil fidei contrarium continebat, secundùm sensum obvium verborum, ut exponit Hieronymus Dial. contra Luciferian.: « Sonabant, inquit, « verba pietatem, et inter tanta mella præconii « nemo venenum insertum putabat. » In eâ quidem silebatur nomen οὐσία et *consubstantialis;* sed, inquit ibid. Hieron., « verisimilis ratio « præbebatur, quia *in Scripturis*, aiebant, *non « invenitur, et multos simpliciores novitate suâ « scandalizat, placuit auferri.* Non erat cura epi« scopis de vocabulo, cùm sensus esset in tuto. »

« Quantùm ad propositionem subdolè insertam à Valente, quòd *Filius non sit creatura sicut aliæ creaturæ*, non significat absolutè quòd sit creatura; de eo enim quòd non est creatura, potest verè dici quòd non sit creatura sicut aliæ creaturæ, ita ut sensus sit. « Non est ens creatum, sicut alia entia quæ sunt verè creata, sicut de justo verè dicitur: Non obsecundat suis passionibus, sicut alii peccatores, id est, sicut alii homines qui sunt peccatores. Et licet τὸ *aliæ* videatur insinuare quòd ipse etiam sit creatura, atque ideò propositio

Instabis: Dicti sunt tamen Ariminensis concilii Patres hæresi subscripsisse. Sic enim loquitur summus pontifex Liberius epist. 11 ad Orientales; S. Basilius epist. 52 ad Athanasium; Ambrosius in caput 6 Lucæ, Facundus Hermianensis, lib. 5, cap. 3; Augustinus epist. 50; imò et Hieronymus in eodem Dialogo, verbis modò adductis : « Ingemuit totus orbis, « et se esse Arianum miratus est. » — Distinguo antecedens: Quòd subscripserint formulæ ad impietatem suam subdolè insinuandam ab Arianis confectæ et à Nicænâ diversæ; præterea verò consenserint in verba ambigua, à se quidem catholico sensu intellecta, sed pravo potiùs intelligenda, concedo; quòd errorem ipsi scientes ac prudentes comprobaverint, nego. Hæc enim ipsa Hieronymi verba : « Ingemuit totus orbis, et se esse Arianum mira« tus est, » satis arguunt mentem Ariminensium præsulum. Non enim ingemuissent, nec se factos Arianos mirati essent, si errorem et impietatem Arianorum voluissent approbare. Et sanè Hieronymus eodem in Dialogo, istos præsules defendit et ab hæresi vindicat. Ait quidem eos fuisse dolis Ariminensibus irretitos ac deceptos; sed non fuisse Arianos; in concordiâ fidei permansisse; benè credidisse; hæreticos non fuisse. Athanasius pariter, optimus harum rerum judex, Epist. ad Rufinianum, testatur eos nunquàm transiisse ad impietatem; sed œconomiâ quâdam et pacis Ecclesiæ studio formulæ fidei sibi oblatæ subscripsisse. Id autem adeò verum est, ut cùm Lucifer Caralitanus, vir acris ingenii ac zeli ferventioris, Ariminenses episcopos Ecclesiæ communione et sedibus suis juxta canones pellendos contenderet propter perfidiam, cæteri omnes contra obluctati fuerint orientales et occidentales episcopi, communique decreto sancitum sit, eos in honoribus suis suscipi oportere, quòd nunquàm illi verè hæresim fuissent amplexati. Sed obstinatus in sententiâ suâ mansit Lucifer, et à totâ Ecclesiâ sese deplorando schismate segregavit, quod ejus nomine Luciferianum est appellatum. Huic autem Lucifero adhæserant Faustinus et Marcellinus, qui in Osium supra adducti sunt.

sit saltem æquivoca, quia tamen in formulâ Syrmiensi expressè dicebant heterodoxi se *credere in unigenitum Dei Filium, qui ante omnia secula et ante omne principium natus est ex Deo*, et Valens in publico cœtu anathema dixerat Ario et negantibus Filium esse ex Patre ante secula genitum, esse similem Patri, esse æternum cum Patre, Patres orthodoxi, non arbitrati dolum in labiis sacerdotum, nullatenùs putaverunt præfatâ propositione significari Filium esse creaturam, sed è contra non esse creaturam, et creaturas omnes dignitate præcellere. »

Imò verò, licet formula cui subscripserunt Ariana fuisset, non forent tamen propriè et formaliter hæretici, sed materialiter tantùm. Id apertè demonstrat eorum agendi ratio tum ante, tum post subscriptionem datam. Nam, ut ait Montagnus quæst. 4, art. 2, sect. 2, « bono, simplici ac catholico animo subscripsisse (eos) formulæ sibi ab Arianis oblatæ constat ex cautionibus quas adhibuerunt priusquàm subscriberent. Scilicet, ut observat S. Hieronymus, cùm rumor sparsus fuisset, Ursacium et Valentem sub ambiguis vocibus errorem involvere, oblatæ formulæ subscribere recusârunt Patres Ariminenses, donec Ursacius et Valens publicis declarationibus professi fuissent se ex animo Arianam impietatem detestari.

« Denique detectis hæreticorum fraudibus, pristinam subscriptionem revocârunt Patres. Scilicet cùm Ursacius et Valens aliique Arianarum partium socii triumphos agerent, ac ubique inclamarent episcopos Occidentis secum de fide consentire, se Filium Dei non creaturam negâsse, sed similem cæteris creaturis, tum ad fraudem reclamârunt Patres Ariminenses, et Arianorum blasphemias detestati sunt. « Concurrebant episcopi, inquit « S. Hieronymus, Ariminensibus dolis irreti« ti... contestantes corpus Domini et quidquid « in Ecclesiâ Dei sanctum est, se nihil mali « in suâ fide fuisse suspicatos. *Putavimus*, aie« bant, *sensum congruere cum verbis; nec in Ec« clesiâ Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio « est, aliud in corde clausum esse, aliud labiis « proferri timuimus*..... multaque alia quæ bre« vitatis studio prætereo, flentes asserebant, « parati et subscriptionem pristinam, et omnes « Arianorum blasphemias condemnare. »

« Atque hinc idem S. Hieronymus ab omni hæreseos labe Patres Ariminenses vindicat. Etenim Luciferianis conquerentibus de Catholicis, quòd dictos episcopos in pristinas sedes recepissent, « cur, respondet, damnâssent « eos qui Ariani non erant? Cur Ecclesiam « scinderent in concordiâ fidei permanentem? « Cur denique credentes benè, obstinatione « suâ facerent Arianos? » Eosdem ab errore in animo concepto excusant S. Gregorius Nazianz. Orat. 21, S. Damasus S. pontifex in Epistolâ synodicâ ad episcopos Illyrici, Sulpitius Severus, etc. » (Ed.)

Objectiones è ratione. — In iis, quæ è ratione ducuntur adversùs mysterium sanctissimæ Trinitatis, et speciatim contra Christi divinitatem, momentis potissimùm se jactavit Crellius sect. 2, lib. 2. Sed præcipua jam dissolvimus. Itaque pauca nunc supersunt, paucis attingenda, quibus etiam nonnullà alia mantissæ loco adjiciemus.

Objicies 4°: Si Christus est Deus Patri æterno consubstantialis, ipse sui erit Pater. Is enim est alterius Pater, ex cujus naturâ alter gignitur. Atqui, si Filius eamdem habet cum Patre

essentiam, ex suâ ipsius naturâ genitus est. Ergo est suî ipsius filius. — Nego sequelam majoris. Ad probationem distinguo majorem : Is est Pater, ex cujus naturâ, et à quo gignitur alter, concedo; ex cujus naturâ, sed à quo non gignitur, nego. Duo enim hæc simul necessaria sunt; natura quidem ut fundum et principium *quo;* persona autem tanquàm principium *quod*. Natura enim nec gignit nec gignitur, sed persona. Porrò Filius, etsi ex eâ naturâ procedat quam habet, non tamen à seipso originem ducit.

Instabis : Is censendus est Pater, cujus est actio quâ generatio fit. Atqui actio quâ intra Deum generatio fit, non minùs est Filii quàm Patris. Divina enim generatio fit per intellectionem. Atqui intellectio in Patre et Filio eadem est. Ergo. — Nego minorem. Ad probationem distinguo majorem : Divina generatio fit per intellectionem notionalem, id est, paternitate affectam et contractam, concedo : essentialem præcisè, nego. Filius autem unam et eamdem habet quidem cum Patre intellectionem essentialem; sed propria Patris est intellectio notionalis. Verùm hæc ex dicendis erunt planiora.

Objicies 5° : Qui Filius est, idem non potest esse æternus. Qui enim producitur, ex non ente fit ens. Proinde priùs debet non extitisse, et deinde ad existentiam pervenire. Ergo. — Nego majorem. Ad probationem distinguo : Quod producitur ex nihilo, concedo; è substantiâ ipsâ divinâ, nego.

Objicies 6° : Si Verbum generatur per intellectionem Patris, nondùm perfecta est generatio. Cùm enim intellectio divina necessaria sit, eadem semper manet æternùmque manebit. Atqui absurdum dictu est nondùm esse perfectam Verbi divini generationem. Ergo. — Distinguo majorem : Nondùm perfecta est, id est, nondùm transacta est, concedo; id est, aliquid ei deest, nego. Ab æterno igitur Filius genitus est, et semper gignitur et æternùm generabitur; quod juxta sanctos Patres designat hæc Patris æterni sententia : *Ego hodiè genui te :* semper enim est illud hodiè. De quo consule Origenem hom. 6 in Jeremiam; Augustinum epist. 174; Cyrillum lib. 10 Thesauri; Gregorium Magnum lib. 29 Moralium, cap. 1; Rupertum lib. 6 de Glorificatione Trinitatis, cap. 6; atque, ut compendio dicam, Petavium lib. 5 de Trinitate, cap. 9, num. 13. Cæterùm non idcircò huicce generationi aliquid deest, non magis certè quàm Dei cognitioni, quæ eadem semper manet.

Instabis : Vel Filius gignitur existens, vel non existens. Neutrum dici potest; non primum, si enim existit, nihil necesse est ut gignatur; non secundum, aliàs è nihilo educeretur. Ergo nullus in Deo est Filius. — Respondeo gigni existentem, sed vi ipsius generationis, non ante ipsam.

Objicies 7° : Qui aliquid se prius agnoscit, is æternus esse non potest. Atqui Filius aliquid se prius agnoscit, nempe Patrem. Ergo. — Distinguo majorem : Se prius duratione, concedo; origine, nego. At Pater origine solâ prior est Filio. Sic splendor sole est origine posterior, sed non tempore. Jam verò Verbum Dei non potest non esse æternum; alioqui ab æterno non intellexisset Pater; Verbum enim intellectioni coævum est.

Objicies 8° : Qui ab alio pendet, is non potest esse Deus. At Filius pendet à Patre. Effectus enim à causâ suâ pendet. Atqui Pater est causa Filii. Ergo. — Nego minorem (1). Ad probationem nego iterùm minorem. Pater enim Filii quidem principium est, sed non causa. Scilicet causa est principium influens in aliud, ut ex scholæ pronuntiatis compertum est. At Filius non est aliud à Patre; quandoquidem habet eamdem cum ipso naturam. Alius ergo est, quia alia persona est; non aliud, quia una eademque est natura. Porrò id solum ab altero pendere dicitur, quod ab ipso naturam productam accipit. Jam verò Filius naturam quidem accipit à Patre; sed communicatam duntaxat, non autem productam.

Instabis : Actorum 20, dicitur beatius esse dare quàm accipere. Ergo beatior est Pater, qui naturam suam communicat, quàm Filius qui eam accipit à Patre. — Distinguo antecedens : Beatius est dare eleemosynam egeno, concedo; naturam filio, subdistinguo : Quàm accipere cum dependentiâ, concedo; citra dependentiam, nego.

(1) Filius quidem lato sensu à Patre pendet, nimirùm quatenùs ab eo, tanquàm à principio, dimanat; non autem sensu stricto, ut in objectione intelligitur, qui aliquam juris et perfectionis inæqualitatem arguat; si enim posteriori modo Filius à Patre penderet, vel quoad existentiam, vel quoad liberum suæ voluntatis arbitrium : porrò neutrum dici potest; non pendet quidem quoad existentiam, cùm essentiale planè sit tum Filio ut gignatur, tum Patri ut Filium producat : nec quoad liberum voluntatis arbitrium, quasi Patris jussa Filius exsequi, propriè loquendo, teneatur; siquidem una est utrique numero voluntas, propter naturæ identitatem. (Ed.)

Objicies 9° : Pater æternus necessariò substantiâ differt à Filio. Ab eo enim differt, quà ingenitus est. At ingenitum esse est substantia. Vel enim est substantia, vel accidens. At non est accidens ; nullum enim accidens in Deo esse potest. Ergo. — Nego majorem (1). Ad probationem distinguo minorem : Ingenitum esse negativè, substantia est, concedo; ingenitum esse privativè, nego. Illud est ingenitum negativè, quod nec ex propriâ, nec ex generali ratione in Deo principium agnoscere potest; talis autem est natura divina. Illud verò est ingenitum privativè, quod licet ex specificâ suâ ratione nullum principium agnoscat, potest tamen ex ratione quâdam generali principium aliquod agnoscere ; talis est persona Patris ; licet enim nullum principium habere possit, quatenùs est Patris, ipsa tamen ratio personæ in Deo principium per se non excludit. Proinde ingenitum negativè est ipsa natura divina; ingenitum autem privativè non est substantia, sed proprietas Patris.

Sectio V.

An is de Christi divinitate articulus saluti necessarius sit.

Hactenùs Socinianos impugnavimus. Hos excipiunt alii, quos Semi-Socinianos meritò dixeris. Cùm enim nostram de sanctissimâ Trinitate doctrinam verissimam esse fateantur, eam tamen saluti non esse necessariam, nec inter fundamentales fidei articulos reponendam arbitrantur. Proinde cum iis, qui illam negant, communionem et societatem haberi non solùm posse, sed etiam oportere definiunt. Ita sentiunt, qui apud Batavos *Remonstrantes* appellantur. Ita opinatur eorum princeps Simon Episcopius lib. 4 Institut. theol. sect. 2, cap. 34. Hi ergo satis esse ad salutem decernunt, si quis Deum, et Christum tanquàm ejus legatum, noverit, eisque sub utroque nomine debitum honorem impendat, modò præterea servet omnia novæ legis mandata. Duobus autem ad id statuendum momentis utuntur. Primum est, quòd salus non speculativis notionibus, sed practicis potiùs præceptionibus contineatur, juxta illud Christi, Matth. 19, 17 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Alterum, quòd primis Ecclesiæ temporibus nullum sit hujus fidei necessitatis vestigium. Catholici autem contrà non modò non admittunt ejusmodi distinctionem inter articulos fidei fundamentales et non fundamentales, sed etiam, quamvis admitteretur, contendunt hoc dogma inter præcipuos et saluti necessarios numerandum esse; adeò ut citra æternæ vitæ jacturam, non solùm negari, sed etiam ignorari non possit (1).

(1) Respondere malim : Nego majorem. Ad probationem nego etiam majorem. Ingenitum non est substantia, neque tamen accidens esse potest, quod in Deo nullum est ; sed est relativum aliquid, aut potiùs relationis alicujus negatio : porrò relationes divinæ, si minùs realiter et identicè, at certè virtualiter ab ipsâ divinâ substantiâ distinguuntur, nec inter accidentia computari debent. Falsum est itaque quod subditur ad probationem, ingenitum vel ad substantiam pertinere, vel ad accidentia, quasi quidquid de Deo dicitur vel substantia esset, vel accidens aliquod. Audiatur S. Augustinus eamdem hanc objectionem ab Arianis propositam acutissimè confutans, lib. 5 de Trinit. cap. 3, 5, 6, 7 : « Si quidquid de « Deo dicitur secundùm substantiam dicitur, « ergo quod dictum est · *Ego et Pater unum* « *sumus,* S. Joan. cap. 10, v. 30, secundùm « substantiam dictum est. Una est igitur sub- « stantia Patris et Filii. Aut si hoc non se- « cundùm substantiam dictum est, dicitur ergo « aliquid de Deo non secundùm substantiam ; « et ideò jam non cogimur secundùm sub- « stantiam intelligere ingenitum... In Deo au- « tem nihil secundùm accidens dicitur..... « Quamobrem dicitur ad aliquid... secundùm « relativum.... Sicut enim genitus non ad se- « ipsum dicitur, sed quòd ex genitore sit ; ita « cùm dicitur ingenitus, non ad seipsum dici- « tur, sed quòd ex genitore non sit ostenditur. « In eodem tamen prædicamento, quòd rela- « tivum vocatur, utraque significatio vertitur : « quod autem relativè pronuntiatur, non in- « dicat substantiam. Ita, quamvis diversum « sit genitus et ingenitus, non indicat diver- « sam substantiam. » (Ed.)

(1) Fatentur omnes Catholici, sine salutis dispendio, à nemine posse rejici et impugnari SS. Trinitatis Incarnationisque mysteria juxta doctrinam symboli quod S. Athanasii dicitur, ubi sic pronuntiat : *Quam* (fidem) *nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit,* proindeque ab æternâ vitâ procul dubio arcendos esse infideles positivos, qui divina hæc documenta repudiant, quia id bonâ fidè fieri nequit. Atverò quod infideles negativos spectat, si qui sint qui absque suâ culpâ hæc mysteria penitùs ignorent, non una est theologorum sententia. Communior fortassis ea est, quam auctor hìc, sicut initio tractatûs, amplectitur, videlicet ab Evangelii promulgatione necessariam omnibus esse, et quidem necessitate medii, explicitam SS. Trinitatis et Incarnationis fidem ; attamen non pauci sunt, etiam inter insigniores scholæ magistros, qui doceant horum mysteriorum fidem explicitam esse quidem necessariam necessitate præcepti, atque adeò ad eam omnes, quantùm possunt, habendam teneri ; implicitam verò duntaxat esse de necessitate medii necessariam, idcircò etiamnùm salvandos esse, si qui sint, qui revelatam veri Dei cognitionem habentes, cum pro suo modulo fideliter colunt, et spem ali-

Assertio. — Hoc de Christi divinitate dogma inter præcipuos ac saluti necessarios fidei articulos est recensendum.

Probatur 1° ex naturâ veræ religionis et primario decalogi præcepto. 1° Enim certum est necessariam esse ad salutem mandatorum Dei observationem. Hinc Christus Matth. 19, 17 : *Si vis*, inquit, *ad vitam ingredi, serva mandata.* 2° Extra controversiam est esse aliquod de colendo Christo præceptum ad salutem quoque necessarium. Joan. 5, 22 : *Pater non judicat quemquam*, ait ipse Christus; *sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem.* Philipp. 2, 8 : *Deus*, inquit, *exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum.* 3° Non minùs constat solum Deum esse adorandum ; Deut. 6, 13 : *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies.* Quod non solùm cap. 10, v. 20, sed etiam Matth. 4, 10, repetitur à Christo : *Scriptum est*, inquit, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Quo quidem in loco duo occurrunt, quorum unum imperatur, alterum verò prohibetur. Deus enim adorari jubetur ; simul autem vetatur ne ejusmodi adoratio alteri, quàm Deo impendatur. Etverò, ne hoc fiat ubique sollicitè admonet. Exodi 34, 14 : *Noli adorare Deum alienum. Dominus zelotes nomen ejus, Deus est æmulator.* Capite autem 20 antea dixerat : *Ego Dominus Deus tuus... Non habebis Deos alienos coram me... Non adorabis ea* (idola), *neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios.* Proinde id sub gravissimâ pœnâ interdicit. Neque verò idola tantùm submovet, sed quemlibet alium à se. Isaiæ enim 42, 8 : *Ego Dominus*, inquit, *hoc est nomen meum ; gloriam meam alteri non dabo.* Capite 45, 6 : *Ego Dominus*, inquit, *et non est alter.* Versu 18 : *Ego Dominus, et non est alius.* Versu 22 : *Ego Deus, et non est alius.* Capite 48, v. 11 : *Gloriam meam alteri non dabo.* Inde etiam est, quòd maledictos esse pronuntiet, qui spem suam in homine collocant. Jeremiæ 17, 5 : *Maledictus homo*, inquit, *qui confidit in homine.*

Etverò ratio ipsa id docet. Ac 1° quidem Deum, ut omnium auctorem, esse supremo quodam cultûs genere prosequendum. 2° Hoc idem honoris et cultûs genus nulli unquàm creaturæ deferri posse. Cùm enim varii sint honoris gradus pro variâ rerum excellentiâ ac dignitate, nemo esse potest qui ad parem Deo honorem ac cultum unquàm evehatur. Quantùmlibet enim aliquis sit virtute et auctoritate excellens, infinito semper intervallo à Deo superatur; nec quisquam esse potest, cui tantùm debeamus, quantùm Deo. Ergo oportet ut Deus eximium quemdam ac singularem sibique uni proprium ab hominibus cultum accipiat; et licet eadem essent extrinsecùs honoris Deo et creaturæ exhibiti signa, non posset cultus interior non esse longè diversus; cùm longè alius necessariò sit de Deo

quam à peccato liberationis in mente retinent. Posteriorem hanc opinionem non minùs quàm aliam esse probabilem dicit D. Gousset, Epic. Petrocor. in opere Gallico cui titulus : *Justificatio Theologiæ moralis B. Liguorii*, p. 212. Re quidem verâ non omninò solidis rationibus prior sententia nititur, ut notat D. Bouvier tract. de Decalogo, c. 1, art. 1, § 2, punct. 2. « Unde, inquit, multi nunc eam rejiciunt, contenduntque fidem explicitam Trinitatis et Incarnationis, post sufficientem Evangelii promulgationem, necessariam esse ad salutem ex præcepto, non verò ex necessitate medii. Hinc inferunt 1° adultos in infantiâ baptizatos et mysteria Trinitatis et Incarnationis invincibiliter ignorantes, nihilominùs justificari et salvari posse, modò fide supernaturali credant Dei Redemptoris et alterius vitæ existentiam, parati quælibet alia revelata credere, si ea cognoscerent; 2° ipsos infideles juxta legis naturæ dictamen viventes, quibus revelatio evangelica nondùm innotuit, per fidem implicitam in Christum, et Dei remuneratoris explicitam, salvari posse; eâ viâ enim Cornelius fuit justificatus, inquit de Lugo, quia Evangelium nondùm erat perfectè promulgatum respectu ejus : porrò Evangelium similiter non satis est promulgatum respectu illius qui prædicta mysteria invincibiliter ignorat; et bonitati ac providentiæ divinæ repugnat, ut talem hominem rectè viventem damnet; 3° nihil inde pretii redemptionis Christi detrahi; nam sola inculpabilis ignorantia excusatur, et aliunde fides supernaturalis Dei remunerantis cum fide implicitâ in Christum difficilè inveniri potest, seclusâ speciali Dei assistentiâ, ubi lumen Evangelii nondùm affulsit; ergo. » Vide Liguorium, qui plurimos doctores in utramque partem citat, libro 2 de Præcept. virtutum theol., tract. 1 de Præcepto fidei, cap. 1, n. 2. Vide etiam Bergierum Dict. theol., verbo *fides*, art. 6.

Ex his patet quæcumque in præsenti sectione auctor dicit, contra Socinianos quidem valere, qui divinitatem Christi ipsamque Trinitatem non necessariò, etiam ab iis ad quos Evangelica revelatio pervenit, credi debere existimant; at saltem dubium esse utrùm ejus argumenta vim habeant demonstrandi explicitam Trinitatis et Incarnationis fidem vel ipsis infidelibus negativis prorsùs esse ad salutem necessariam : quod memoriâ diligenter retinendum est in totâ hâc quæstione expendendâ. (Ed.)

quàm de creaturâ mentis sensus, longèque alius in eum, quàm in ullam creaturam, animi affectus. Ergo est aliquod supremi cultûs genus, quod Deo dependendum est, eique soli convenire potest.

Quæ cùm ita sint, nemo salutem consequi potest, qui Deusne sit Christus, an non, ignorat (1). Id enim sciat necessarium est, ut nempe congruum honorem ac cultum ei deferat, et in alterutram primi ac maximi mandati partem non peccet, Deum videlicet non adorando, aut alium quàm Deum adorando. Cùm enim oporteat aliquem honorem et cultum Christo exhiberi, idque necessariè; sit autem duplex honoris ac cultûs genus, supremum nempe Deo proprium, et inferius creaturæ conveniens; par utrinque periculum est ac pœna, si ut Deum non adoret qui Deus sit, aut ut Deum adoret qui Deus non sit. Quid ergo sit Christus priùs nôsse debet, quàm ullum ei cultum exhibeat. At cultus iste ad salutem necessarius est. Ergo et Christi ut Dei notitia necessaria simul est.

Probatur 2° ex naturâ christianæ religionis, et baptismi conditione. Christus enim in cœlum jam ascensurus, Matth. 28, 19 : *Euntes*, inquit apostolis, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti*. Quibus verbis apud Marcum cap. 16, 16, hæc addit : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui verò non crediderit, condemnabitur*. Ergo fides ab eo requiritur ad salutem adipiscendam, qui in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti baptizatur. Quodnam verò esse potest aliud primum fidei hujus objectum, quàm illæ ipsæ personæ in quarum nomine baptizatur ? Debet ergo eas nôsse, et in eas credere, antequàm baptizetur ; nisi verò crediderit, condemnabitur. Ergo ad salutem sanctissimæ Trinitatis notitia omninò necessaria est ; adeòque et divinitatis Christi fides.

Etverò, quod antea monuimus, in baptismo quoddam fœdus initur Deum inter et hominem. Deus quippe homini pollicetur gratiam, præsidium et vitam æternam ; homo autem Deo spondet fidem, cultum, obedientiam. Itaque is nihil antiquius habere debet, quàm ut noverit quænam sit natura Patris et Filii et Spiritûs sancti, in quorum nomine baptizatur, ut quid cuique debeat nôrit. Si enim inter se æquales sunt, inesse quoque debet fidei, cultui et obedientiæ æqualitas ; sin minus, in iis discrepans modus est necessariò adhibendus. Ergo hæc notitia baptismo præeat necesse est. Obsequium enim nostrum, ut ait Apostolus Rom. 12, 1, debet esse rationabile. Atque hæc sanè causa est cur idem Apostolus Act. 19, 2, quosdam alloquens, qui se dicebant baptizatos, et Spiritum sanctum nihilominùs ignorabant, admirans et obstupescens : *In quo ergo*, inquit, *baptizati estis ?* hoc indicans trium personarum notitiam baptismo prævium esse oportere.

Hæc autem, quæ modò diximus, mirificè illustrantur ex duplici ritu in omni quondam Ecclesiâ usitato, adeòque ab Apostolis haud dubiè profecto. 1° Enim ante baptismum hinc quidem abrenuntiatio, illinc adscriptio à catechumenis exigebatur. Illi enim primò ad Occidentem versâ facie diabolo renuntiabant ; deinde verò ad Orientem conversi sese adscribebant Deo, quod Græci ἀποταξὶν et συνταξὶν vocant. Cujus quidem consuetudinis mentionem faciunt auctor Constitutionum apostolicarum, lib. 7, cap. 41 ; Tertullianus de Coronâ militis, cap. 3 ; Origenes Commentario in Epistolam ad Rom. ; Acta martyrum Scillitanorum apud Ruinartium pag. 80 ; Cyprianus epist. 7 ; Basilius de Spiritu sancto, cap. 27 ; Gregorius Nazianzenus orat. 40, in sanctum Baptisma ; Ambrosius de Mysteriis, cap. 2, et in Exameron lib. 1, cap. 4 ; auctor operis de Sacramentis, apud eumdem lib. 1, cap. 2 ; Cyrillus Hierosolymitanus catechesi mystagogicâ 1 ; Hieronymus in 1 Tim. cap. 6 ; Chrysostomus hom. 21 ad populum Antiochenum ; Dionysius, vulgò Areopagita, de eccles. Hierarch. cap. de baptismo ; Salvianus lib. 5 de Providentiâ ; Beda in caput 8 Tobiæ, et omnes omnium rituales Ecclesiarum. De quo ritu consuli insuper possunt è recentioribus, Viccecomes, Menardus, Thomasius, Cotelerius, ad supradictum Constitutionum locum ; Martinius de Baptismo, cap. 1, art. 13, num. 5 ; Bullus de Necessitate credendi in Christum, cap. 4, pag. 77 ; è Græcis Cabasilas in Expositione liturgiæ, cap. 1, etc.

Quænam verò esset hujusce renuntiationis et adscriptionis sententia, nos docent inprimis : 1° Hieronymus in caput 6 Amos, ad finem : « In « mysteriis, inquit, primùm renuntiamus ei qu « in Occidente est,.... et sic versi ad Orien« tem, pactum inimus cum Sole justitiæ, et ei « nos servituros promittimus. » 2° Theodore

(1) Nemo quidem salutem consequi potest, qui Deusne sit Christus, an non, ignoret suâ culpâ, aut cognitum non colat ; si autem absque suâ culpâ ignorat, valdè dubium est utrùm salvari nequeat. (Ed.)

tus *in Cantica* : « Reminiscere, inquit, sacræ « mystagogiæ, in quâ qui initiantur post ty- « rranni abrenuntiationem et regis confessio- « nem, » etc. 3° Cæsarius Arelatensis serm. 264 Appendicis, tom. 5 Augustini : « Consideret, « inquit, unusquisque.... quod in baptismi sa- « cramento promisit, et quia pactum cum « Domino fecit.... quando interrogatus est.... « *Abrenuntias ?* » etc. 4° Pirminus abbas tom. 4 Analectorum Mabillonii : « Fratres, inquit, « ad memoriam vestram reducimus, quale pa- « ctum in ipso baptisterio cum Deo feci- « mus ;.... cùm interrogati singuli : *Abrenun- tias diabolo ?* » etc. 5° Severus, patriarcha Alexandrinus, *in ordine baptismi:* « Abrenuntio « Satanæ ego qui baptizor, inquit, et.... con- « sentio tibi, Christe Deus.... Confiteor quo- « que et credo et baptizor in te, et in Patre « tuo, et in Spiritu sancto. » 6° Isaac, catho- « licus Armenus, *invectivâ* 1 : « Conversus, « inquit, ad Orientem, fœdus cum Deo pe- « pigit. »

Proinde loco diaboli, cujus ejurabant im- perium catechumeni, se uni Deo deinceps mancipabant, id est, Christo, qui aliquando solus in eo ritu nominabatur, aut Patri simul ac Filio et Spiritui sancto, qui vulgò disertè exprimebantur. Verùm sive unius Christi, sive trium simul personarum divinitatem agnosce- re tenerentur, utrumque ad rem nostram per- inde est. Quod etiam non obscurè significat Lucianus, seu quis alius, in Dialogo, cui no- men est Philopatris. Hic enim auctor, profa- nus quidem et christianæ religionis inimicus, sed ejus tamen morum ac consuetudinum non imperitus, catechumenum inducit, cùm ipsi nomen dare vellet, à Triephone, doctoris christiani personam sustinente, petentem : « Quemnam jurabo ? » cui Triephon respon- dens : « Deum, inquit, alte regnantem, ma- « gnum, immortalem.... Filium Patris, Spiri- « tum ex Patre procedentem, unum ex tribus, « et ex uno tria : hoc tu Jovem puta : hunc « existima Deum. » Ex hoc enim quivis intel- ligit hunc fuisse tunc in Ecclesiâ morem, ut qui ad baptismum venirent, hi pro Jove aliis- que falsis numinibus, Trinitatem deinceps, hoc est, trinum ac unum Deum adoraturos se esse profiterentur.

2° (Quod priori affine est) iidem catechu- meni fidem ac symbolum edocebantur dili- genter, et paulò ante baptismum, super iis in- terrogati, quid crederent aperire tenebantur ; quod legere est apud plurimos veteres, Cy- prianum epist. 70 ; Dionysium Alexandrinum Historiæ Eusebii lib. 7, cap. 8 et 9 ; auctorem actorum S. Genesii martyris à Ruinartio edi- torum ; Hilarium ad Matth. 15 ; Ambrosium de Mysteriis cap. 5 ; Optatum lib. 5 contra Parmenianum ; Cyrillum Hierosolymitanum cateches. mystag. 2 ; Cyrillum Alexandrinum lib. 12 in Joan. cap. 64 ; Augustinum de Ani- mâ et de ejus origine cap. 10 ; Leonem serm. 4 de Nativitate Domini ; Felicem III papam epist. 3 ad Petrum Fullonem ; ad hæc apud omnes ritualium librorum auctores et inter- pretes.

In istâ porrò fidei formulâ, sanctissimæ Tri- nitatis confessionem nunquàm omittebant cate- chumeni, et in tres personas, tanquàm unum Deum, credere se testabantur. Brevis enim hæc erat ac vulgaris formula : « Credo in Deum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, » seu ut græcè clariùs habetur : Πιστεύω εἰς Θεὸν, τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, id est : « Credo in Deum qui est Pater, et Filius, et « Spiritus sanctus, » De quo consule Episco- pium ipsum, et Bullum supra, et pag. 153 ; in symbolo autem orientali antiquissimo, quod fusiùs explicat Cyrillus, Cateches. 6 et sequentibus : « Credo in unum Deum Patrem « omnipotentem,..... et in unum Dominum « Jesum Christum, Filium Dei unigenitum,... « Deum verum, per quem omnia facta sunt,... « et in Spiritum sanctum, » etc. Idem est om- nium aliorum sensus.

Unde Cyrillus idem, Catechesi 2, catechu- menos alloquens : « Interrogatus est, inquit, « unusquisque, si credit in nomen Patris et « Filii et Spiritûs sancti ; et confessi estis. »

Ambrosius de Mysteriis cap. 5 : « Descen- « disti (in fontem), inquit ; recordare quid « responderis, quòd credas in Patrem, cre- « das in Filium, credas in Spiritum sanctum. » Vetustissimum Ecclesiæ Gallicanæ Sacramen- tarium, referens interrogationes fieri solitas, apud Thomasium : « Credis, inquit, Patrem « et Filium, et Spiritum sanctum unius esse « virtutis ?..... Credis Patrem et Filium et « Spiritum sanctum ejusdem esse potestatis ?... « Credis Patrem, et Filium, et Spiritum san- « ctum..... Deum esse perfectum ? »

Ad hanc autem fidei confessionem respi- ciens Tertullianus adversùs Praxeam, c. 13 : « Et Pater Deus, inquit, et Filius Deus, et « Spiritus sanctus Deus, et Deus unusquis- « que. » Sic et Cyprianus Epist. ad Jubaia- num : « Si baptizari quis apud hæreticos po-

« tuit, inquit,..... templum Dei factus est. « Quæro cujus Dei? si creatoris, non potuit « qui in eum non credidit; si Christi, nec hu- « jus fieri potest templum, qui negat Deum « Christum; si Spiritûs sancti, cùm tres unum « sint, quomodò Spiritus sanctus placatus ei « esse potest, qui aut Patris aut Filii inimicus « est? » Quocirca christianæ religionis et baptismatis prima ea lex ac conditio fuit, ut qui ad eam accederent, ii sanctissimam Trinitatem nôssent ac confiterentur.

Jam verò nullus extra religionem christianam, nullus baptismi expers salutem potest adipisci (1). Ergo nullus citra hanc fidem vitam æternam consequetur; quod ex Ecclesiæ et aliorum symbolorum mente conceptis verbis definit illud, quod Athanasii nomine circumfertur : « Quicumque vult salvus esse, « inquit, ante omnia opus est ut teneat ca- « tholicam fidem; quam nisi quisque integram « inviolatamque servaverit, absque dubio in « æternum peribit. Fides autem catholica hæc « est, ut unum Deum in Trinitate, et Trini- « tatem in unitate veneremur, » etc.

Probatur 3° speciatim ex necessitate fidei in Christum Dominum Jesum, non modò ut in Christum seu Messiam et legatum Dei, sed etiam ut in verum et unicum Dei Filium, uno verbo, ut in Deum; cujus quidem necessitatis cùm plurima sint in Scripturis testimonia, ea duntaxat brevitatis causâ afferemus, quæ ex Joannis Evangelio et Epistolâ primâ desumuntur.

Sed ut eorum vis nitidiùs percipiatur, observandum est Joannem cùm Evangelium, tùm Epistolam hanc scripsisse adversùs grassantes jam tum hæreses; quæ duæ potissimùm erant, una quæ Christum non verum hominem, sed specie tenùs duntaxat fuisse; altera quæ ipsum contrà nonnisi merum hominem extitisse definiebat; quas inter, velut olim inter duos latrones, Servator noster adhuc pati videbatur, quod elegantissimè ait auctor libri de Trinitate, Novatiano adscripti, cap. 30.

Prima Gnosticorum fuit, qui Docetæ, seu Phantasiastæ ideò dicti sunt, quòd Christum merum fuisse hominis simulacrum, et illum putativè duntaxat apparuisse arbitrarentur, ut loquitur Irenæus lib. 3, cap. 18.

Hanc Marcion postea amplexus est. Præterea verò iidem Gnostici Verbum quidem in Deo admittebant, seu Λόγον, sed ipsum longè infra Deum collocabant, adeò ut magnitudinem ignoraret; quod idem Irenæus monet l. 2, c. 48, et Tertullianus post ipsum l. contra Praxeam c. 8 : « Valentinus, inquit (ex « isto grege), probolas suas discernit et segre- « gat ab auctore, et ita longè ab eo ponit ut « Æon patrem nesciat. »

Secunda Cerinthi fuit et Ebionis (1), qui Jesum nonnisi hominem fuisse, et ante Beatam Mariam virginem nullatenùs extitisse asseverabant; ipsum proinde non Deum, sed creaturam; non Filium Dei verum et ex ipso genitum, sed adoptivum; non unicum, sed aliorum more à Deo adscitum ob virtutem opinabantur.

Huic autem impietati proprios addiderat errores Cerinthus, Gnosticorum deliriis affines. Existimabat enim ille alium esse Deum summum, alium mundi conditorem; alium esse Christum, alium Jesum. Itaque infra summum Deum, seu summam principalitatem, quemdam admittebat virtutum cœlestium ordinem, à quibus per apostasiam et defectionem, invito Deo, omnia facta essent; ab aliis quidem superiora, ab aliis autem infima. Aliam verò insuper agnoscebat virtutem cœlestem ac spiritualem, nomine *Christum*, qui à summo Deo missus, in Jesum illapsus esset aliquando, et per quoddam temporis spatium ab eo recessisset.

Quapropter Cerinthus Jesum à Christo distinguebat ac separabat; de quo Irenæus l. 1, c. 25 et 26; l. 3, c. 11, 18, 21; l. 4, c. 59; l. 5, c. 1.

Ebion autem Jesum pro Christo habebat; sed, ut diximus, perinde ac Cerinthus, eum non Filium Dei, non Deum, sed purum hominem fuisse statuebat; quod idem Irenæus et alii testantur.

Jam verò quòd contra primam hæresim, videlicet Docetarum, Evangelium et primam Epistolam conscripserit Joannes, cùm res ipsa clamat, tùm Irenæus idem disertè perhibet lib. 3, cap. 18. Quòd autem adversùs secundam stylum quoque direxerit, ipsemet iterùm Irenæus asserit ibidem et cap. 11 : « Volens, « inquit vir sanctus, per Evangelii annuntia-

(1) Nullus baptismi expers salutem potest adipisci, si baptismum recipere ultrò neglexerit; atverò si baptismum non potuerit suscipere, non omnis spes est ablata salutis; remanet enim chari as perfecta, quæ quandoquidem baptismi votum includit, certam ad cœlum viam parat. Vide tractatum de Baptismo. (Ed.)

(1) Vide de Ebione et Cerintho annotata circa tractatûs initium. (Ed.)

« tionem auferre eum, qui à Cerintho insemi-
« natus erat hominibus, errorem, etc. » Quod etiam Hieronymus tradit in libro de Script. eccles. in Joanne : « Joannes Apostolus, in-
« quit, Evangelium scripsit, rogatus ab Asiæ
« episcopis, adversùs Cerinthum aliosque hæ-
« reticos, et maximè tunc Ebionitarum do-
« gma consurgens, qui asserunt Christum
« ante Mariam virginem non fuisse. »

De utrâque verò testis est Tertullianus de Præscript. cap. 43 : « In Epistolâ, inquit,
« (Joannes) eos maximè Antichristos vocat,
« qui Christum negarent in carne venisse, et
« qui non putarent Jesum esse Filium Dei.
« Illud Marcion, hoc Ebion vindicavit. » Quo quidem in loco diligenter notandæ sunt hæ voces *Filium Dei;* ex quo intelligimus hanc fuisse communem Ebionitarum loquendi rationem, cùm negare vellent Christum esse Deum ; proinde hæc verba *Filius Dei et Deus,* tanquàm idem sonantia apud catholicos et hæreticos ejusmodi promiscuè fuisse usurpata ; adeò ut apud hæreticos *Christum non esse Deum,* et *Christum non esse Filium Dei,* idem prorsùs esset ; apud Catholicos contra *Christum esse Filium Dei,* et *Christum esse Deum,* pro uno eodemque acciperentur.

Quocirca non aliud Joanni fuit in Epistolâ primâ, quàm in Evangelio scopus. Hinc mira utriusque consensio, non in sententiis modò, sed etiam in verbis ; quod jampridem animadvertit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7, cap. 25 : « Evangelium, inquit,
« et Epistola sibi mutuò consonant, et eodem
« ordiuntur modo ; sic enim incipit Evange-
« lium : *In principio erat Verbum ;* Epistola ve-
« rò : *Quod fuit ab initio;* in illo dicitur : *Et*
« *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis,*
« *et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unige-*
« *niti à Patre*, hæc verò eadem habet (Epi-
« stola) paululùm immutata : *Quod audivimus,*
« *quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus,*
« *et manus nostræ contrectaverunt de Verbo*
« *vitæ, et vita manifestata est.* Hæc enim ille
« veluti modulationis præludia præmittit ad-
« versùs eos qui Dominum in carne advenis-
« se negabant, » etc. Hinc observatio nostra de Joannis proposito magis ac magis confirmatur.

Porrò, ex hâc observatione, prolixâ quidem, sed tamen necessariâ, dici non potest quanta lux utrique Joannis scripto et dicendis accedat. Utrobique enim Apostolus primò describit quid sit Christus ; tum quæ fides in eum requiratur, distinctiùs aperit. Primò, inquam, Christi personam describit Apostolus, et quâ ratione in illam duæ simul naturæ, divina videlicet et humana, confluxerint, docet. Sic Evangelii cap. 1, v. 1, adversùs commune Cerinthi et Ebionis dogma, qui Christum non fuisse ante Mariam decernebant : *In principio,* inquit, *erat Verbum,* hoc est, jam à mundi initio ; sic enim *principii* seu *initii* vox absolutè sumpta in Scripturis ubique usurpatur, ut Gen. 1, 1 ; 2, 8 ; Hebr. 1, 10 ; Psalmo, 101, 26 ; Matth. 19, 4, etc. Ibidem, aliam perstringens, nempe Gnosticorum hæresim, Verbum à Patre sejungentium : *Et Verbum,* inquit, *erat apud Deum.* Ibidem, ad Cerinthum et Ebionem rediens : *Et Deus,* inquit, *erat Verbum.*

Ibidem, versu 3, contra specialem insaniam Cerinthi et Gnosticorum, qui alium esse Deum, alium mundi creatorem statuebant : *Omnia,* inquit, *per ipsum facta sunt.* Ibidem, adversùs eosdem qui alium esse rerum superiorum, alium inferiorum conditorem volebant : *Et sine ipso,* inquit, *factum est nihil quod factum est.* Quod etiam optimus Joannis interpres Irenæus, utpote Polycarpi, qui Joannem audierat, discipulus, jampridem observavit lib. 5, cap. 18. Ibidem, versu 11, eosdem configens qui sentiebant Christum è cœlo venisse in mundum, tanquàm in alienum opus, ut homines nempe à Creatoris servitute liberaret : *In mundo erat,* inquit, *et mundus per ipsum factus est..... In propria venit, et sui eum non receperunt.* Quod quidem ex eodem Irenæo discimus l. 5, c. 11. Ibidem versu 14, adversùs eos omnes, ut monet idem Irenæus Ibidem, hoc est, tam Gnosticos, qui carnis humanæ veritatem in Christo non agnoscebant, quàm Cerinthianos et Ebionitas, qui ipsum nonnisi purum hominem esse decernebant, postquàm de Verbo pronuntiaverat quòd Deus esset : *Et Verbum,* inquit, *caro factum est, et habitavit in nobis.* Quod idem saltem ex parte notat Dionysius Alexandrinus, supra. Ibidem, Cerinthi et Ebionis doctrinam configens : *Et vidimus,* inquit, *gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre,* etc.

Ita etiam in epistolâ 1, c. 1, v. 1, Cerinthi et Ebionis impietatem revincens : *Quod fuit ab initio,* inquit. Ibidem, adversùs Gnosticos Docetas : *Quod audivimus,* inquit, *quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus quod manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ,* ut doce Dionysius Alexandrinus, supra. Ibidem, versu 2, contra hos ipsos : *Et vita* (substantialis

nempe, seu Verbum), inquit, *manifestata est.* Quòd enim *vitæ* nomine Verbum intelligat, ex ipso colligitur Evangelii capite 1, vers. 4, et hâc ipsâ Epistolâ cap. 5, vers. 20; ad hæc ex Tertulliano contra Praxeam, cap. 15, et Dionysio Alexandrino, supra. Ibidem, contra utrosque : *Annuntiamus,* inquit, *vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis.* Ibidem, adversùs peculiare Cerinthi et Ebionis dogma : *Ut et vos,* inquit, *societatem habeatis nobiscum, et societas nostrà sit cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo.*

Sic ergo describit quis sit Jesus Christus; postea verò subdit, quæ speciatim in eum fides ad salutem requiratur. Evangelii enim cap. 3, v. 14, ad Ebionem respiciens Apostolus, Christum inducit ita loquentem : *Sicut Moyses,* inquit, *exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Versu autem 18 : *Qui credit in me, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Versu 36 : *Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum.* Capite autem 17, v. 3, adversùs Cerinthum, qui Jesum non esse Christum sentiebat, sic Christum refert aientem : *Hæc est,* inquit, *vita æterna, ut cognoscant te* (ô Pater) *solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Cap. 20, v. 31, Ebionis et Cerinthi hæresim simul feriens : *Hæc autem scripta sunt,* inquit Evangelista operis sui scopum aperiens, *ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.*

Ad salutem igitur consequendam necesse est, ut contra utrumque agnoscamus Christum esse Filium Dei, hoc est, Deum.

Nec dicas cum Episcopio ad vitam æternam satis esse, si quis Christum esse Filium Dei credat; jam verò Socinianos confiteri Christum esse Dei Filium, non quidem naturâ, sed gratiâ, utpote quem habeant pro homine excellentissimo, à Deo in Filium et legatum adscito. Namque Servator noster eo sensu habendus est Filius Dei, quo loquebantur Christus et Apostolus. Atqui Christus 1°, cùm se Filium Dei dicebat, eo ipso se esse Deum significabat, quod adeò perspicuum erat, ut Judæi, quantùmvis stupidi, id intelligerent, idòque eum ut blasphemum lapidibus vellent obruere, Joan. cap. 10, v. 35, 36, etc. 2° Joannes ipse ad æternam quoque generationem respiciebat, cùm Jesum esse Filium Dei toties pronuntiabat. Eo enim modo ipsum esse Filium Dei inculcabat, quomodò Filius Dei ab Ebione et Cerintho negabatur. Contra hos enim scribebat. Cerinthus non inficiabatur Jesum esse Filium Dei adoptivum, ut nec Ebion; sed eo tantùm sensu, ipsum nolebant esse Filium Dei, quòd verus ipse Deus foret; Ergo contrà Joannes edicit ad salutem requiri, ut Jesum pro Filio Dei vero ac naturali, hoc est, pro Deo, habeamus. 3° Non tantùm Joannes postulat ut quoquo modo credamus Jesum esse Filium Dei; sed etiam ut agnoscamus eum esse unigenitum à Patre. Hæc porrò vox duo complectitur, primum, quòd Jesus è Patre genitus sit; alterum quòd solus eâ ratione sit Filius Dei. Hinc Tertullianus adversùs Praxeam, cap. 7, ista nomina expendens *primogeniti* et *unigeniti*, quæ Christo tribuuntur : « Primogenitus, inquit, ut ante omnia genitus; « et unigenitus, ut solus ex Deo genitus, pro« priè de vulvâ cordis ipsius. » Ista autem duo Filium non adoptivum, sed naturalem arguunt. Si enim ex Deo genitus est, naturâ certè et non gratiâ Filius est. Qui enim adoptivi filii sunt, ii à Patre æterno geniti non fuerunt; sed cùm à parentibus suis essent geniti, postmodùm à Deo benignè in filios sunt assumpti. Deinde, si solus est Filius Dei, sanè non est adoptivus; hoc enim modo solus non esset, sed multos haberet ejusdem dignitatis consortes, licet non pari gradu; quotquot enim sunt, fuerunt et futuri sunt justi, ii totidem sunt filii Dei adoptivi. Ergo, cùm Joannes non modò dicat Christum esse Filium Dei (quod tamen satis fuisset, habitâ ratione quæstionis Catholicos inter et Ebionitas agitatæ), sed etiam addat unicuique necessarium esse ad salutem, ut credat in Filium Dei unigenitum, profectò apertè indicavit neminem posse salutis æternæ compotem esse, qui Christi divinitatem ignoraret aut negaret. Verùm id dilucidiùs adhuc patebit ex Epistolâ 1, in quâ idem Apostolus hoc ipsum argumentum resumit.

Itaque, postquàm cap. 1, descripsit quid sit Christus, capite 2, v. 18, ad prædictos hæreticos accedens, de iis primò generatim sic loquitur : *Filioli, novissima hora est, et sicut audistis quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt.... Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Ex quo colligimus eos ab Ecclesiâ fuisse separatos, tanquàm Christi inimicos et hostes, quibuscum nulla

Christianis esse posset societas. Quod etiam notârunt olim Irenæus et Tertullianus, supra. Versu autem 22, Cerinthum primò solum, deinde ipsum etiam Ebionem percellens : *Quis est,* inquit, *mendax, nisi is qui negat quoniam Jesus est Christus? hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium. Omnis qui negat Filium nec Patrem habet.* Proinde, qui ejusdem est, quoad hoc caput, cum Ebione sententiæ, is Antichristus est, nec Patrem habet. At Sociniani tales sunt. Versu 24, sic pergit : *Vos,* inquit, *quod audistis ab initio, in vobis permaneat. Si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis. Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam. Hæc scripsi vobis de his qui seducunt vos.* Ergo catholica fides de hoc capite ad vitam æternam prorsùs necessaria est; et qui aliter docent, ut seductores fugiendi sunt.

Capite 3, v. 23, utrumque adhuc configens : *Hoc est mandatum ejus (Dei), ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi.* Capite 4, v. 1, 2 et 3, Gnosticos ex aliâ parte aggrediens, ut animadvertit Polycarpus, Joannis discipulus, in Epistolâ ad Philippenses : *Charissimi,* inquit, *nolite omni spiritui credere; quia multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei; omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* Ibidem, adversùs Cerinthum : *Omnis spiritus,* addit, *qui solvit Jesum, ex Deo non est; et hic est Antichristus,* etc. Versu 6 : *In hoc cognoscimus spiritum veritatis et spiritum erroris.* Ibidem, versu 9, contra Ebionem : *In hoc,* inquit, *apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Versu 15 : *Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo.* Per Christum itaque vivere non possumus, nec in Deo manere, nisi contra Ebionem asseramus et confiteamur Jesum esse Filium Dei, et quidem unigenitum. Hæc enim vox non est leviter prætermittenda; magnam enim habet emphasim, et ad æternam ipsius generationem necessariò est referenda : quod Episcopius ipse vidit, in eo secum et cum Apostolo pugnans, dùm hinc quidem adversùs Socinianos probat Christum esse Filium naturalem Dei, adeòque verum Deum, illinc verò necessarium illud idem cum Apostolo non judicat ad salutem. Vide Bullum de Necessitate credendi in Christum, pag. 92.

Capite 5, v. 1, peculiarem Cerinthi assertionem redarguens et damnans, ut nos docet Irenæus lib. 3, cap. 18 : Omnis, inquit, *qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est.*

Ibidem, versu 5, eumdem et Ebionem notans : *Quis est,* inquit, *qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei?* Versu 10 : *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, et hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet vitam; qui non habet Filium, vitam non habet. Hæc scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei..... Hic est verus Deus et vita æterna.* Quid expressius? Ibi enim Apostolus contra Cerinthum et Ebionem multis modis inculcat Christum esse Filium Dei, verum Deum, et vitam æternam; porrò hanc vitam non posse haberi, nisi in ipsum hæc fides habeatur. Ergo Sociniani aliique omnes qui hâc in parte Ebioni assentiuntur, ii haud dubiè extra salutis viam errant.

Probatur 4° Patrum auctoritate, qui rectam de Christi divinitate fidem saluti prorsùs necessariam esse definiunt. 1° Enim Ignatius in Epistolâ ad Ephesios, de iis loquens, qui Christum in carne Deum non agnoscebant : « Hos « oportet, inquit, ut bestias declinare. » Ibidem : « Ne igitur, inquit, quis vos seducat. » Ibidem : « Talis, inquit,.... in ignem inextin- « guibilem ibit, similiter et qui audit ipsum. » 2° Irenæus l. 3, c. 21, de Cerinthianis et Ebionitis agens : « Perseverantes, inquit, in « servitute pristinæ inobedientiæ moriun- « tur :..... ignorantes..... eum, qui..... est « Emmanuel, privantur munere ejus, quod « est vita æterna; non recipientes autem Ver- « bum incorruptionis, perseverant in carne « mortali, et sunt debitores mortis, antidotum « vitæ non accipientes. » 3° Origenes lib. 1 de Principiis, apud Pamphilum, in Apolog. Origenis tom. 9 Hieronymi, distinguens ea quæ Apostoli tanquàm necessaria omnibus, etiam rudioribus, prædicaverunt, ab aliis quæ minùs necessaria sunt, in priori ordine reponit catholicam de Christi divinitate fidem : « Species, « inquit,..... istæ sunt, primò quòd unus sit « Deus :..... deinde, quia Jesus Christus ante « omnem creaturam natus ex Patre est,..... « qui..... novissimis temporibus.... incarnatus

« est, cùm Deus esset, et homo factus, mansit « quod Deus erat. » Paris ergo necessitatis ista duo sunt juxta Origenem : primum, quòd unus sit Deus ; alterum, quòd Christus, cùm esset Deus, novissimis temporibus incarnatus sit. 4° Tertullianus in hâc Trinitatis fide novi Testamenti substantiam collocat, et eâ Christianos à Judæis sejungi docet libro contra Praxeam, sub finem : « Cæterùm, inquit, judaicæ « fidei ista res, sic unum Deum credere, ut « Filium annumerare ei nolis, et post Filium, « Spiritum. Quid enim erit inter nos et illos, « nisi differentia ista? Quid opus Evangelii? « Quæ est substantia novi Testamenti ?..... Si « non exinde Pater et Filius, et Spiritus san- « ctus, tres crediti, unum Deum sistunt? Vide- « rint igitur Antichristi, qui negant Patrem et « Filium, » etc. Proinde qui istâ fide carent, judice Tertulliano, ii ad novum fœdus non pertinent ; et Antichristi habendi sunt, qui eam negant. 5° Cyprianus in Epistolâ ad Jubaianum, de hæreticorum baptismate : « Si, « inquit, baptizari quis apud hæreticos po- « tuit,.... templum Dei factus est. Quæro cu- « jus Dei ? si Creatoris, non potuit, qui in « eum non credidit ; si Christi, nec hujus fieri « potest templum, qui negat Deum Christum ; « si Spiritûs sancti, cùm tres unum sint, quo- « modò Spiritus sanctus placatus ei esse po- « test qui aut Patris aut Filii inimicus est? » Ergo juxta Cyprianum, gratiæ et salutis expers est, quicumque non confitetur Christi divinitatem. 6° Auctor libri de Trinitate inter opera Tertulliani, qui Novatianus vulgò esse existimatur, c. 12 : « Osee propheta ait ex personâ « Patris, inquit,..... *Salvabo eos in Domino Deo « ipsorum.* Si Deus salvare se dicit in Deo, non « autem salvat nisi in Christo Deus ; cur ergo « homo dubitet Christum Deum dicere?..... « Imò, si non salvat nisi in Deo Pater Deus, « salvari non poterit à Deo Patre quisquam, « nisi confessus fuerit Christum Deum. » 7° Dionysius, romanus pontifex in Epist. contra Sabellianos, apud Athanasium in lib. de Decretis synodi Nicænæ, nostrum de sanctissimâ Trinitate dogma appellat augustissimum omnium, quæ in Ecclesiâ prædicantur ; de iis autem qui Filium creaturam esse dicebant : « Blasphemia igitur non vulgaris, sed maxima « habenda est :.... si enim factus est Filius, « erat igitur quando ille non erat. » Itaque ut blasphemos haberi vult, qui Christo divinitatem abrogare ausi fuerint. 8° Auctor libri de rectâ Confessione Justino adscripti : « Non « simplex, inquit, Patris et Filii glorificatio sa « lutem nobis affert ; sed sana Trinitatis con- « fessio eorum, quæ piis reposita sunt, bono- « rum fruitionem donat. » 9° Auctor Epistolæ ad Heronem diaconum, Ignatio affictæ : « Si « quis, inquit, hominem nudum dicit Domi- « num, Judæus est, Christi occisor. » Idem in Epistolâ ad Antiochenos : « Omnis, inquit, qui « unum annuntiat Deum in interemptione di- « vinitatis Christi, Filius est diaboli, et inimi- « cus omnis justitiæ. »

Vanum esset ac superfluum reliquos attexere ; quapropter ab iis referendis supersedebimus.

Probatur 5° perpetuo Ecclesiæ usu quæ è gremio suo semper expulit eos omnes qui catholicam de SS. Trinitate fidem violare, vel unius è tribus personis divinitatem impugnare attentârint. Primo enim seculo eruperunt Cerinthiani et Ebionitæ ; hos autem tanquàm Antichristos et seductores extra Ecclesiam positos insectatur Joannes Apostolus. Eosdem pro hæreticis habebant illi Ecclesiæ catholicæ episcopi, qui Joannem, ut adversùs eos scriberet, impulerunt. Cavendos eos esse monebat Ignatius Epistolâ ad Ephesios. Ipsis anathema dicebat Irenæus lib. 1, cap. 25 ; lib. 3, cap. 21, lib. 5, cap. 21, etc. Hos ipsos Origenes in Epistolam ad Titum, ut pestes fugiendos esse docet. Sic Eusebius lib. 3, cap. 27, Ebionæos in dæmonis ditionem redactos esse pronuntiat. Uno verbo ab omnium ecclesiarum communione segregati sunt. Unde Hieronymus epist. 89 ad Augustinum : « Si hoc verum est, « inquit, in Cerinthi et Ebionis hæresim delabi- « mur, qui... à Patribus anathematizati sunt. » Certè Epiphanius, Theodoretus, Philastrius, Augustinus et alii in hæreticis recensendis utrosque commemorârunt. Secundo seculo exeunte Theodotus Bysantinus, cùm Ebionitarum exitialem errorem renovare aggressus esset, à Victore episcopo romano tanquàm impius ex Ecclesiæ sinu ejectus est ; quod testatur vetustissimus scriptor Caius apud Eusebium lib. 5, cap. 28, ubi etiam narrat flebilem historiam Natalis cujusdam confessoris qui cùm in Theodoti partes transiisset et à Deo graviter admonitus ad Ecclesiam redire voluisset, vix ac ne vix quidem admissus fuit. Tertio seculo eamdem hæresim instauravit Artemas, qui perinde ac alii Ecclesiâ motus est. Quod Patres synodi Antiochenæ adversùs Paulum Samosatenum declarant, apud Eusebium lib. 7, cap. 30. Cùm enim Paulum Ecclesiæ communione et gradu

episcopali movissent : « Hic verò, inquiunt, « ad Artemam scribat; et qui cum Artemâ sen- « tiunt, cum illo communicent. » Eâ enim loquendi ratione indicant ipsum cum Catholicis deinceps non esse communicaturum. Eodem seculo extitit Paulus ille Samosatenus, qui in concilio posteriore Antiocheno non solùm exauctoratus, sed etiam omni Ecclesiæ societate propter eamdem causam interdictus est; quod alibi memoravimus, et ostendunt verba Patrum Antiochenorum jamjam à nobis laudata. Quarto seculo Christi divinitatem Arius, Spiritûs autem sancti Macedonius impugnârunt. Quâ autem ratione in eos animadverterit Ecclesia neminem latet. Arius enim in primâ synodo œcumenicâ, Nicænâ videlicet; Macedonius autem in secundâ, id est, Constantinopolitanâ, ab omnibus catholicis præsulibus propterea proscripti sunt.

Probatur 6° ratione. Nulla enim Ecclesiæ christianæ societas esse potest cum impiis et idololatris. Ut enim ait Apostolus 2 Cor. 6, 15: *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum idolis?* Atqui aut Sociniani impii sunt, aut reliqui Christiani idololatræ. Vel enim Christus est verus Deus, vel non; nihil enim potest esse medium. Porrò, si Deus est, ut profectò est et fusè demonstravimus, impii sunt Sociniani et quicumque ipsi divinitatem detrahunt; si verò Deus non est (quod absit), idololatræ necessariò sunt reliqui omnes Christiani, qui ipsum ut verum Deum adorant, cùm mera creatura sit. Ergo Socinianos inter ac reliquos Christianos nulla intercedere societas et communio potest. Quapropter is de Christi divinitate articulus inter præcipuos ac capitales omninò numerandus est.

Objectiones. — Objicies 1° cum Socino in cap. 1 Evangelii Joannis, Episcopio, supra, etc.: Religio christiana non in speculationibus posita est, sed in observatione mandatorum Dei, juxta illud Christi Matth. 19, 7 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Atqui hoc dogma mera speculatio est. Ergo. — Nego 1° majorem. Fides enim, ut à charitate distinguitur, speculativa est. At fides omninò necessaria est. Ut enim ait Apostolus ad Hebr. 11, 5: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Etverò credere Deum esse, et quidem unum, non minùs speculatio est, quàm credere Christum esse Deum. Atqui, ut ibidem docet Paulus, *Accedentem ad Deum oportet credere quia est.* Neque verò illud negant ipsimet Sociniani; quin etiam illi confitentur unicuique ad salutem necessarium esse, ut in Jesum Christum tanquàm Dei legatum credat; quod non minùs speculativum est, quàm alterum. Denique salus in Scripturis fidei persæpè adscribitur, et damnandus ille frequenter pronuntiatur qui non crediderit, ut liquet ex his quæ supra attulimus. Ergo falsa est prima illa Socinianorum et Remonstrantium assertio. Nego 2° minorem. Non enim illud dogma ad speculationem tantùm, sed etiam ad praxim spectat. Pro variâ enim de Christo sententiâ, varius esse debet ejus cultus; adeò ut inde aut impietas aut idololatria consequatur. Quis autem dicat impietatem et idololatriam ad praxim non pertinere? Certè idololatria, ut ait Tertullianus in eo, quem de illâ scripsit, libro, principale est crimen generis humani, et summus seculi reatus. Ut autem ait Sapiens Proverb. 11, 5: *In impietate suâ corruet impius.* Ergo, etc.

Objicies 2° : Justinus in Dialogo cum Tryphone Judæo, pag. 267, duo statuit, primum est, Jesum posse credi Christum, etiamsi non credatur Deus, nec ex virgine natus; alterum, quosdam extitisse è Christianorum cœtu ac societate, qui ipsum non Deum, sed hominem duntaxat ex hominibus genitum esse arbitrarentur. « Verumenimverò, inquit, ô Trypho, « stat illud, hunc esse Christum Dei, etiamsi « probare nequeam... ipsum... esse Deum, et « genitum... ex virgine... Quod si non demon- « stravero,... in hoc errâsse me tantùm æquum « fuerit dicere, non verò negare hunc esse « Christum illum, etiamsi tanquàm homo ex « hominibus genitus videatur, et electione « Christus factus esse asseratur. Sunt enim « nonnulli... ex genere nostro (ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου « γένους) confitentes ipsum esse Christum; sed « hominem ex hominibus genitum esse affir- « mant. Quibus ego minimè assentior. Neque « sanè plerique eadem mecum sentientes illud « dixerint, siquidem non hominum traditio- « nibus ac doctrinis jussi sumus à Christo cre- « dere; sed eis quas beati Prophetæ promul- « gârunt, et ipse Christus docuit. » Ex quo Episcopius ita primò arguit : Ergo Justinus Christum pro Messiâ haberi et coli posse certâ fide credidit, etiamsi negaretur esse Filius Dei æternus. — Distinguo consequens : Pro Messiâ haberi ex sententiâ Judæorum, concedo; ex mente Christianorum, nego. Est igitur illud, ut vocant, argumentum ad hominem. Nempe Judæi, quem Messiam expectant, hunc merum

hominem esse futurum opinantur. Atque id etiam profitetur eodem in loco Trypho Judæus pag. 268 : « Omnes nos, inquit, Christum ho- « minem ex hominibus nasciturum præstola- « mur. » Cùm ergo jam probâsset Justinus Jesum esse verum Messiam, et urgeret Justi- num Trypho ut eumdem Deum esse et ex vir- gine natum ostenderet, respondet sanctus ille martyr ex Judæorum doctrinâ stare illud posse, quòd Jesus sit Christus, quamvis aliunde pro- bari non posset ipsum esse Deum et ex virgine natum. At ibi non loquitur ex sententiâ suâ, neque ex mente Christianorum, cùm ipse post- modùm ex Prophetarum testimoniis evincat Messiam Deum esse, et ex virgine nasci om- ninò oportere ; itaque secum ipse pugnaret.

Instabis 1° : At Justinus notat quosdam fuisse tum Christianos, qui Jesum pro Christo habe- rent, licet ipsum nec Deum, nec ex virgine natum esse confiterentur. Ergo hæc ambo se- jungi possunt etiam ex sententiâ Christiano- rum; nec unum ab altero pendet. — Distinguo antecedens : Quosdam Christianos nomine te- nùs, et judaicis opinionibus addictos, concedo; Christianos catholicos et in Ecclesiâ positos, nego. Ergo Ebionitas illìc indigitat Justinus; quod eruditè ostendit Bullus in libello de fidei in Christum Necessitate, cap. 7. Illi porrò Je- sum quidem pro Christo habebant ; sed ipsum esse nudum hominem, communi hominum ritu ex Mariâ et Joseph prognatum asserebant. Præterea verò, cùm ex Judæis essent oriundi, et præjudicatis opinionibus nimiùm addicti, legem Mosaicam saluti prorsùs necessariam esse decernebant, ut testatur Epiphanius hæ- resi 3, num. 30. At iidem Ebionitæ, ut supra probavimus, extra Ecclesiam erant, età salute longè alieni apud omnes Catholicos habeban- tur. Cùm tamen illi Christianos sese appella- rent, propter commune illud nomen Justinus ait eos esse è genere Christianorum; quomodò in Apologiâ 2 de Simonianis et Gnosticis, om- nium hæreticorum perditissimis, loquens : « Omnes, inquit, qui ab his prodeunt Chri- « stiani vocantur. » Planè quemadmodùm phi- losophi, quibus cùm non sint communia do- gmata, nomen tamen, quod à philosophiâ dicitur, commune est. Quanquàm Bullus idem in hoc Justini loco mendum cubare suspicatur, unius litterulæ mutatione corrigendum. Putat enim pro ἡμετέρου, *nostro*, scribendum esse ὑμετέρου, *vestro;* ita ut Justinus notet hos Ebio- nitas esse ex genere Judæorum. Etverò, paulò ante de iisdem Ebionitis disserens Justinus, et Tryphonem alloquens : « Quòd si qui, inquit, « ex gente vestrâ sunt, ἀπὸ τοῦ γένους τοῦ ὑμετέρου, « in hunc Christum se credere dicentes. » Quod cùm ita sit, probabilissimum est Justi- num easdem etiam postea voces de iisdem usurpare voluisse.

Instabis 2° : At indicat Justinus se cum his Christianis societatem ac communionem co- luisse. — Nego antecedens. Indicat quidem se et alios plerosque Christianos ab iis dissentire ; sed de communione ac societate ne verbum quidem facit. Neque id mirum, cùm de iis obi- ter tantùm mentionem faceret, in aliud inten- tus.

Cæterùm, cum Ebionitis nec communione junctus fuit, nec jungi potuit. Et quidem jun- ctus non fuit. 1° Enim vix eruperant, cùm ab Apostolo Joanne, ut Antichristi et seductores, atque extra Ecclesiam positi, hortantibus epi- scopis, transfixi sunt. Quis autem sibi persua- deat Justinum de Ebionitis aliud quàm Apos- tolum Joannem et Ecclesiam sensisse ? 2° Idem ipse Justinus in eodem Dialogo, pag. 253, eos- dem Ebionitas tacito nomine perstringens : « Sunt, inquit, et fuerunt permulti qui athea « et blasphema et dicere et facere docuerunt, « in nomine Jesu progressi..... Alii namque « alio modo blasphemare docent factorem uni- « versitatis, et, qui ab eo venturus vaticiniis « promulgatus est, Christum, et Deum Abra- « hami et Isaaci et Jacobi, cum quibus nihil « nobis est communionis, atheos et impios..... « esse scientibus, quippe qui pro eo ut Jesum « colant et adorent, nomine duntaxat confi- « teantur, et Christianos se eo modo dicant, « quo plerique omnes in gentibus nomen Dei « inscribunt manufactis operibus. » Tales au- tem erant Ebionitæ et Cerinthiani. Ergo cum iis nullam communionem habuit. 3° An com- munionem coluisset cum iis qui contra diser- tam Evangelii sententiam et constantem Ec- clesiæ fidem Christum ex virgine natum non esse, et circumcisionem saluti prorsùs neces- sariam esse opinabantur ? quod nec Sociniani, nec Episcopius unquàm facerent.

Deinde verò cum Ebionitis communionem habere non potuisset Justinus, etiamsi maximè voluisset. Nec enim ullum potest esse du- bium, quin istiusmodi hæretici ab Ecclesiæ catholicæ conventibus summoperè abhorre- rent; 1° quia circumcisionem ut saluti ne- cessariam usurpabant : quod Ecclesia non re- cipiebat. 2° Quia in singulis Catholicorum sy- naxibus Christus ut Deus hymnis et orationibus

agnoscebatur, ut monitum est *supra* ad Plinium Juniorem II seculo. Non potuissent igitur Ebionitæ catholicis conventibus interesse, quin Christi divinitatem agnoscerent : quod aversabantur. 3° Iidem ex quatuor Evangelistis unum duntaxat, Matthæum videlicet, et quidem mutilatum, admittebant; Joannem verò præsertim refugiebant, ut qui contra eos ex professo scripsisset. De quo Irenæus lib. 1, cap. 26; lib. 3, cap. 24; et Epiphanius hæresi 31. Itaque cùm quatuor Evangelia in suis cœtibus religiosis, ut sacros ac planè divinos libros, Ecclesia quotidiè legeret, non potuissent eis adesse, quin eadem approbarent. 4° Non verebantur Paulum appellare *apostatam*, epistolasque ipsius scripta respuebant, ut docent Irenæus et Epiphanius modò allegati. Atqui hæc apud Catholicos ubique frequentabantur, ut divinitùs inspirata. Ergo Ebionitas inter et Catholicos communio aut societas intercedere non poterat. Denique Joannes supra : *Ex nobis*, inquit, *prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.*

Verùm hæc de Christi divinitate cùm è Scripturis, tùm è traditione ac ratione dicta sunto; quam quidem controversiam qui copiosiùs pertractatam habere voluerit, is adeat è nostris Petavium de Trinitate lib. 1, 2 et 3; Thomassinum de eodem argumento; illustrissimum episcopum Meldensem adversùs Juriæum; Cordemoyum adversùs Socinianos; Florium in Hist. eccles.; Tillemontium in Originibus ecclesiasticis; Elliam Du Pin in Bibliothecâ; ex heterodoxis autem Josue Placæum; Bullum in Defensione fidei Nicænæ; Wigbium, etc.

ARTICULUS III.

An Spiritus sanctus sit verè Deus æterno Patri consubstantialis.

Duo sunt hujusce contra Socinianos controversiæ capita. 1° Enim illi definiunt Spiritum sanctum non esse personam, sed merum accidens à Deo distinctum, meramve qualitatem creaturis inditam, aut nudam Dei efficaciam. 2° Multò magis inficiantur eum esse personam divinam æterno Patri consubtantialem.

Utrumque negabant (1) quidem inter veteres Pneumatomachos nonnulli; sed alii plerique ex eâ sectâ Spiritum sanctum personam esse fatebantur; at creatam à Filio autumabant.

(1) Prius negabant Sabelliani, et posterius Macedoniani. (Ed.)

Sectio I. — *An Spiritus sanctus sit persona.*

Si Spiritus sanctus est substantia quædam, idem non potest esse nisi substantia spiritalis, eaque completa, atque adeò veri nominis persona; quocirca ut Spiritum sanctum esse personam adversùs Socinianos evincamus, satis erit si eum non merum accidens aut meram Dei efficaciam esse demonstraverimus.

Assertio. — Spiritus sanctus non est accidens aut mera Dei efficacia; sed vera ac propriè dicta persona.

Probatur 1° ex locis quæstione III, supra, prolatis, quæ Spiritum sanctum cum Patre et Filio exhibent, ut postremam sanctissimæ Trinitatis personam. Primus est Matth. 3, 13; Marci 1, 10; et Lucæ 3, 22, ubi cùm baptizaretur Christus, narrant Evangelistæ auditam fuisse vocem Patris è cœlo, Spiritum autem sanctum apparuisse et descendisse super ipsum corporali specie sicut columbam, atque visum esse. Non enim accidentia, qualitates, gratia, etc., id genus, formas corporales assumunt, in hisve apparent aut videntur; sed id personarum proprium est. Secundus est Matth. 28, 19, ubi jubet Christus suos baptizari *in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti*. Ridiculum autem foret aliquem dici baptizari in nomine cujusdam qualitatis. Tertius Joannis 14, 16, ubi Christus : *Ego*, inquit, *rogabo Patrem, et alium Paracletum* (seu *consolatorem*) *dabit vobis*. Et c. 15, 26 : *Cùm venerit Paracletus*, inquit, *quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*, etc. Illic enim tria sunt quæ distinctam personam sonant. 1° Enim dicitur alius à Patre et Filio; 2° consolator; 3° testis. Quartus est 1 Joannis cap. 5, v. 20, ubi : *Tres sunt*, inquit Apostolus, *qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus*. Quid enim manifestius est, quàm ibi Spiritum sanctum duabus aliis personis annumerari, tanquàm veram et ejusdem rationis personam, ab iis distinctam ? Nisi enim Spiritus sanctus persona sit, non jam tres, sed duo duntaxat testes futuri sunt.

Probatur 2° ex actionibus personarum propriis, quæ constanter in Scripturis Spiritui sancto tribuuntur. Solarum enim personarum est 1° loqui, et quidem tanquàm principalem causam, per alium tanquàm aliquod instrumentum; 2° docere; 3° testimonium dicere; 4° revelare futura; 5° intelligere et scrutari profunda Dei; 6° præcipere ut aliqui ad mini

sterium ecclesiasticum assumantur, eosque reipsà assumere, et in gradu suo constituere; 7° largiri dona spiritalia pro suæ voluntatis arbitrio. Intelligentia enim ac voluntas, cæteraque id genus, quæ ex his consequuntur, solis personis inesse possunt; in accidentia verò non cadunt. Atqui hæc singula aliaque ejusmodi, Spiritui sancto in Scripturis adscribuntur; ac primum quidem Matth. 10, 19 : *Cùm tradent vos,* inquit Christus, *nolite cogitare quomodò aut quid loquamini :..... non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Joan. 16, 13 : *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem..... Quæcumque audiet loquetur.* Act. 2, 4 : *Repleti sunt omnes (Apostoli) Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Secundum Joan. 16, 13 : *Docebit vos omnem veritatem.* Tertium Joan. 15, 26 : *Ille testimonium perhibebit de me;* ut et Epist. 1, cap. 5, v. 20. Quartum Joan. 16, 13 : *Quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.* Quintum 1 Cor. 2, 10 : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Sextum Act. 13, 2 : *Ministrantibus autem illis Domino... dixit illis Spiritus sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Capite autem 20, v. 28 : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos.* Septimum 1 Cor. 12, 11. Postquàm enim Apostolus varia recensuisset gratiarum fidelibus collatarum genera : *Hæc autem omnia,* inquit, *operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*

Nec dicant Sociniani ista metaphoricè de Spiritu sancto dici, ut aliàs aliquando dicuntur de iis quæ non sunt personæ. Sic enim Rom. 3, 13, lex dicitur loqui; 1 Joan. 2, 27, unctio docere; ibid. cap. 5, v. 20, spiritus, aqua et sanguis testimonium perhibere. Præterquàm quòd enim non omnia, quæ attulimus, de ejusmodi rebus affirmantur, et maximè propria, 1° metaphoræ raræ sunt et infrequentes; unum enim dicitur de re quâpiam obiter et per transennam; aliud de aliâ aliquando; at ista perpetuò et constanter de Spiritu sancto inculcantur. 2° Metaphoræ adhibentur, ubi res aliunde perspicua est, nec ullum occurrit errandi periculum; sic nullus est errandi locus, ne lex, ne aqua pro personis accipiantur. At non ita est de Spiritu sancto. Ipsa enim *Spiritûs* vox proprié substantiam aliquam sonat. Cùm autem ipsi attribuuntur quæcumque sunt personarum, nemo est qui eo ipso non inducatur, ut putet ipsum reipsà esse personam. Id autem adeò verum est, ut omnes passim Christiani, etiam hæretici, de Spiritu sancto ita senserint. 3° Metaphoræ inter arguendum et docendum usurpantur, non autem ubi res gestæ narrantur. At Lucas historiam nudâ ac simplici oratione describens, Spiritum sanctum inducit ut loquentem, præcipientem, aliquos ad munia ecclesiastica assumentem, sibique addicentem. Ergo.

Probatur 3° ex iis locis ubi Spiritus sanctus unà cum Patre et Filio veris utique personis conjungitur, tanquàm individuus, et ejusdem conditionis comes, in iis, quæ extrinsecùs fiunt. Ita Matth. 28, 19, in formulâ baptismi, 1 Joan. 5, 20, in testimonio ferendo, et 2 Cor. 13, 13, in faustis apprecationibus : *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Spiritûs sancti, sit cum omnibus vobis,* etc. Cùm enim Pater et Filius veri nominis personæ sint, cur Spiritus sanctus excipieretur?

Probatur 4° ex aliis, ubi Spiritus sanctus à donis spiritalibus distinguitur, tanquàm eorum fons, auctor, principium ac causa. Quamvis enim illa dona non semel Spiritûs sancti nomine intelligantur, quòd ab ipso proficiscantur, attamen idem Spiritus sanctus frequenter ab illis etiam secernitur, ne ullus esset errori locus. Lucæ 4, 14 : *Et egressus est Jesus in virtute Spiritûs sancti.* Act. 1, 8 : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos.* 1 Cor. 12, 4 : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Versu autem 8 : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* In his enim locis Spiritus sanctus à donis suis distinguitur, sicut in modò allatis distinguitur à Patre et Filio. Ergo nec est Pater, nec Filius, nec donum aliquod spiritale.

Probatur 5° iis omnibus momentis, quibus modò ostendemus Spiritum sanctum esse Deum. Non potest enim Deus esse, quin simul persona sit.

Ista porrò omnia argumenta ad majorem vim simul conjungenda sunt. Nullum enim cujusvis rei exemplum proferri potest, cui hæc singula constanter attribuantur, et quæ tamen non sit persona. Neque verò ulla supererit via, quâ aliquis, v. g., persona fuisse demonstrari possit, si hanc tollas. Unde enim probamus Christum veri nominis personam extitisse? quia nempe inter homines apparuit

et visus est, quia locutus est et docuit, quia Apostolos assumpsit, etc. Ergo iisdem de causis idem statui oportet de Spiritu sancto.

Objicies 1° : Spiritus sanctus vocatur passim *Spiritus Dei*. At qui dicitur spiritus alicujus, is non est persona ab eo distincta. — Distinguo minorem : Qui spiritus alicujus dicitur, is non est persona ab eodem distincta, si *spiritûs* nomen pro ipsâ ejus essentiâ aut ipsius parte sumitur, concedo ; secus, nego. Multis itaque modis *spiritus* alicujus dicitur. Sic enim 1° *spiritum angeli* seu *angelicum* nominamus ipsum Angelum : proinde istud nomen pro ipsâ essentiâ Angeli accipitur. 2° Animam *spiritum hominis* appellamus cum Apostolo, et ita est ipsius pars. 3° Angeli vocantur *spiritus Dei* in Apocalypsi cap. 3, v. 1, quo loco vox ista personas à Deo distinctas significat. 4° Ventus ingens *spiritus Dei* nuncupatur Gen. 1, 2, ubi spiritus Dei non persona quidem est eo sensu, sed suppositum à Deo prorsùs diversum. Quocirca nihil est, cur qui spiritus alicujus dicitur, idem non sit persona ab eo distincta. Jam verò Spiritus sanctus dicitur quidem *Spiritus Dei* ; sed non est ipsa Dei essentia, nec ipsius pars, ut constat. Ergo debet esse persona à Deo distincta.

Instabis 1° : 1 Cor. 2, 11, Spiritus Dei comparatur cum hominis spiritu. Atqui hominis spiritus non est persona ab eo distincta. Ergo nec à Deo Spiritus Dei. — Distinguo antecedens : Comparatur in eo quòd noverit profunda Dei, ut spiritus hominis novit omnia, quæ in ipso sunt, concedo ; comparatur quoad naturam, nego. Confertur ergo quoad cognoscendi, sed non quoad subsistendi modum. Etverò inde consequens foret Spiritum Dei esse partem intrinsecam, ex quâ simul cum aliâ Deus componeretur.

Instabis 2° : Spiritus Dei ibidem dicitur esse in Deo seu in Patre. Atqui nulla persona in alterâ est. Ergo. — Nego minorem. Christus enim de se ait : *Ego in Patre, et Pater in me est*. Uterque tamen veri nominis persona est.

Objicies 3° : Spiritus sanctus nuncupatur *donum Dei ;* v. g., Act. 8, 20. Atqui donum non est persona. Ergo.—Distinguo minorem : Donum non est persona semper, concedo ; aliquando, nego. 1° Enim Christus Joan. 6, sæpè testatur se esse datum hominibus à Deo. Adde Isaiæ cap. 9 et ejusdem Joannis cap. 4, v. 10. An idcircò non erit persona ? 2° Christus idem Gal. 1, 4, *semetipsum dedisse* dicitur *pro peccatis nostris*. Etverò nihil obstat quominùs persona quæpiam alteram dono det, aut semetipsa ; quapropter rectè Spiritus sanctus dicitur *donum Dei*, id est, Patris et Filii ; imò potest et sui ipsius dici donum.

Objicies 3° : Spiritus sanctus dicitur effundi Act. 2, 4 et 33. Atqui effundi non competit personæ.—Nego minorem. Tam enim persona potest dici in aliquos effundi, quàm eâ quosdam indui. Atqui Christiani in baptismate dicuntur Christum induere.

Instabis : At ibidem significatur Spiritus sanctus esse distributus singulis Apostolis. Atqui una eademque persona in multos distribui non potest. — Nego majorem. Non enim legitur illic Spiritus sanctus esse distributus aut divisus ; sed Apostoli dicuntur esse repleti Spiritu sancto. Porrò, licet gratiæ dona dividantur, unus tamen idemque est Spiritus sanctus, ut monet Apostolus 1 Cor. 12, 4 et 11.

Objicies 4° : Spiritus sanctus dicitur duplicari, extingui, etc. 4 Reg. 2, 9 : *Dixit Elizeus* (Eliæ) : *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus*. 1 Thessal. 5, 19 : *Spiritum nolite extinguere*. Atqui hæc in personam non cadunt.— Respondeo ibi *Spiritûs* nomen pro ipsius donis et charismatibus sumi, quod non est infrequens, ut jam animadvertimus. Sed alibi ab iisdem distinguitur Spiritus sanctus.

Sectio II.

An Spiritus sanctus sit persona divina Patri et Filio consubstantialis.

Assertio.—Spiritus sanctus est verus Deus.

Argumenta.—Spiritûs sancti divinitatem et ipsius cum Patre et Filio consubstantialitatem aliquot generalibus momentis jam stabilivimus quæst. III, art. 1 et 2 ; sed nunc specialia quædam attexenda sunt cùm è Scripturis, tùm è traditione.

§ 1. *Argumenta primi ordinis.—E Scripturarum auctoritate.*

1. E nominibus et naturâ Dei. — Probatur itaque 1° : Ille est verus ac summus Deus, qui in veteri quidem Testamento *Jehovah*, in novo autem simpliciter *Deus* est dictus, et reipsà fuit olim Israelis Deus. Atqui Spiritus sanctus utroque hoc nomine insignitur, et Israelis Deus fuisse perhibetur.

Major constat ex dictis supra. Minor autem pluribus adstrui potest Scripturæ testimoniis.

Ac 1° quidem ex 2 Reg. cap. 23, v. 2, ubi David : *Spiritus Domini* (hebraicè *Jehovæ*) *locu-*

tus est per me, et sermo ejus per linguam meam. Versu autem 3, quis sit ille Spiritus continenter exponens : *Dixit Deus Israel mihi, locutus est fortis Israel*, etc. Similis est sententia Isaiæ 6, 9 : *Et dixit Dominus exercituum* (*Jehovah* de quo paulò ante) : *Vade, et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere.* At id de Spiritu sancto interpretatur Paulus Act. 28, 25 : *Benè Spiritus sanctus locutus est per Isaiam..... dicens : Vade*, etc. Etverò passim dicitur Deus esse locutus per Prophetas, v. g., Lucæ 1, 70 : *Sicut locutus est (Deus Israel) per os sanctorum, qui à seculo sunt, prophetarum ejus.* Et Hebr. 1, 1 : *Olim Deus loquens patribus in prophetis.* At idem ille Deus statuitur esse Spiritus sanctus Act. 1, 11 : *Oportet*, inquit Petrus, *impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David.* 2 Petri 1, 21 : *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Unde sic argumentamur : Qui locutus est per prophetas, est verus Deus, nullusque præter verum Deum per os eorum locutus est. Atqui Spiritus sanctus locutus est per prophetas. Ergo Spiritus sanctus est Deus. Jam verò idem ille Spiritus sanctus à Patre et Filio distinguitur, et tanquàm ab utroque alius exhibetur in plurimis novi Testamenti locis quæstione III allatis; præsertim verò Joannis 14, 16. Ergo Spiritus sanctus vera est persona divina, à Patre et Filio distincta.

2° Ex Psalmo 77, 41, ubi David de Israelitis loquens : *Tentaverunt Deum*, inquit, *et sanctum Israel exacerbaverunt ;* quod Psal. 94 ipsemet Deus testatur, versu 9 : *Tentaverunt me*, inquit, *patres vestri.* At tentâsse Spiritum sanctum iidem dicuntur Isaiæ 63, 10 : *Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt et afflixerunt Spiritum sancti ejus* (hebraicè *Spiritum sanctum ejus.*) Hebr. 3, 7 : *Quapropter, sicut dicit Spiritus sanctus,..... Tentaverunt me patres vestri.* Hinc sic disputamus : Israelitæ tentaverunt solum Deum in deserto; alibi enim demonstravimus Moysen non fuisse ab iis tentatum. Atqui iidem tentaverunt Spiritum sanctum. Ergo Spiritus sanctus est Deus.

3° Ex eodem capite 63 Isaiæ, vers. 10, 11, 12, 13 et 14, ubi Spiritus sanctus asseritur fuisse Israelitarum in deserto ductor. Atqui Deut. 32, 12, solus Deus ejus ductor fuisse pronuntiatur; *Dominus* (hebraicè *Jehovah*) *solus dux ejus fuit.* Ergo Spiritus sanctus est *Jehovah*, id est, verus Deus.

4 Ex Actorum cap. 5, v. 3, ubi S. Petrus sic Ananiam affatur : *Anania, cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto.....non es mentitus hominibus, sed Deo.* Unde sic colligimus : Ananias mentitus erat Spiritui sancto. At statim Petrus rem explicans addit, non hominibus, sed Deo mentitum esse. Ergo Spiritus sanctus est Deus. Qui locus, ut brevissimus, ita luculentissimus est.

Neque verò est quòd Crellius dicat, 1° Græcè esse *mentiri Spiritum sanctum*, seu *eum fallere ;* 2° *Spiritûs sancti* nomine apostolos intelligi, quos decipere volebat Ananias, et in quibus erat Spiritus sanctus. Utrumque enim vanum est. Ac primum quidem, sive voces, sive rem ipsam spectes. Mentiri enim alicui græcè dativo vel accusativo in Scripturis promiscuè exprimitur. De quo consule Deuter. 33, 29; Psal. 65, 3; Isaiam 57, 11. Deinde verò sive Spiritui sancto mentiri, sive fallere Spiritum sanctum voluisse dicatur Ananias, perinde est nobis. Is enim, cui mentiri, vel quem fallere voluit, appellatur Deus. Secundum verò ridiculum est. Quis enim unquàm fando audiit Apostolos Spiritûs sancti nomine fuisse insignitos? Præterea verò Apostoli à Spiritu sancto ibi secernuntur : *Non es mentitus hominibus, sed Deo*, inquit Petrus. Ergo.

5° Ex 1 Cor. cap. 12, v. 3, 4, 6 et 11; *Nemo*, inquit Apostolus, *potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Divisiones verò gratiarum sunt, idem autem Spiritus ; et divisiones ministrationum sunt; idem autem Dominus ; et divisiones operationum sunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Quocirca juxta Apostolum Deus est ille, qui hæc omnia operatur in omnibus. Atqui juxta eumdem, qui isthæc operatur est Spiritus sanctus. Ergo Spiritus sanctus est Deus.

II. Ex attributis divinis. — Probatur 2° : Ille est Deus, cui conveniunt Dei proprietates atqui Spiritui sancto conveniunt Dei proprietates. Ac 1° quidem æternitas. Is enim æternus est, à quo mundus est conditus. Atqui à Spiritu sancto conditus est mundus, ut mox ostendemus. Ergo. 2° Immensitas; Psal. 138, 7 : *Quò ibo à Spiritu tuo, et quò à facie tuâ fugiam?* etc. Sap. 1, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* 3° Vis ad intelligendum infinita, et rerum omnium notitia; 1 Cor. 2, 10 : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Joan. 16,13 : *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* 4° Omnipotentia ; Psal. 32, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et*

Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Lucæ 1, 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi* (1) *obumbrabit tibi.* 5° Majestas suprema, quæ sola templum apud Christianos habere potest; 1 Cor. 3, 16 : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Et cap. 6, 19 : *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti?*

III. Ex operibus Deo propriis. — Opera Deo propria, vel naturæ sunt, vel gratiæ, uti jam observavimus, ubi de Christi divinitate. Quæ autem gratiæ sunt, ea vel ad Christum, vel ad singulos fideles, vel ad totam Ecclesiam spectant. Porrò, ut rectè monet Didymus lib. 1 de Spiritu sancto, quorum una est operatio, una est substantia. Quapropter, si, quæ Patri et Filio opera tribuuntur, eadem adscribantur Spiritui sancto, nullum est dubium, quin Spiritus sanctus sit Deus. Jam verò eadem ipsi opera tribuuntur. Ac 1° quidem creatio; Psal. 32, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* 2° Rerum omnium conservatio; Psal. 103, 30 : *Emittes Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ.* 3° Christi conceptio; Luc. 1, 25 : *Spiritus sanctus superveniet in te.* 4° Ejusdem unctio et missio; Isaiæ 61, 1 : *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me;* et Lucæ 4, 18, et Act. 10, 37. 5° Ejusdem sanctificatio, Lucæ 4, 1 : *Plenus Spiritu sancto.* Ut enim ait Cerealis contra Maximinum cap. 11 : « An non Deus « est, qui implet Deum? » 6° Hominum à peccatis liberatio; 1 Cor. 6, 11 : *Abluti estis... in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.* 7° Gratiæ collatio; Act. 10, 45 : *In nationes gratia Spiritûs sancti effusa est.* 8° Justificatio; 1 Cor. 6, 11, supra : *Sanctificati estis,.... justificati estis.... in Spiritu Dei nostri.* 9° Charitatis diffusio; Rom. 5, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* 10° Adoptio fidelium in filios Dei; Rom. 8, 14 et 15 : *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* 11° Libertas filiorum Dei; 2 Cor. 3, 17 : *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* 12° Corporum resurrectio; Rom. 8, 11 : *Quòd si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* 13° Patratio miraculorum, quibus Ecclesia à Christo fundata est; Matth. 12, 28 : *Si in Spiritu Dei,* inquit ipse Christus, *ejicio dæmonia.* 14° Vocatio, constitutio et missio Ecclesiæ ministrorum; Act. 13, 2, et 28, 20, supra.

IV. Ex cultu ipsi debito. — Probatur 4° : Ille est verus Deus, cui supremum latriæ cultum, adorationem et fidem debemus. Atqui talis est Spiritus sanctus. 1° Enim baptisma confertur in nomine Spiritûs sancti, perinde ac Patris et Filii. At in baptismate fidem, obsequium, cultum, adorationem iis spondemus, quorum in nomine baptizamur, ut declaravimus quæst. III, art. 2, supra. Ergo. 2° Qui templum habet, huic debetur adoratio. Atqui Spiritus sanctus, ex modò dictis, in nobis templum habet. Ergo.

(1) Sunt qui hæc verba, *virtus Altissimi*, de Filio aut de Patre intelligenda putent, ut supra annotavimus. (Ed.

§ 2. *Argumenta secundi ordinis.* — *Ex traditione.*

Quæ ex traditione nobis momenta suppetunt, ea vel ex generalibus quibusdam Ecclesiæ usibus ac judicio, vel ex specialibus Patrum testimoniis eruuntur.

Argumenta generalia. — *Ex variis Ecclesiæ consuetudinibus, ejusque judicio.*

Quatuor sunt ex traditione deprompta argumenta, quæ generatim probant Spiritum sanctum in Ecclesiâ pro vero Deo semper habitum esse.

Primum petitur ex baptismatis formulâ, in quâ Patri et Filio adjungitur Spiritus sanctus, tanquàm unius cum utroque nominis ac naturæ. Hoc argumentum veteres maximè urgent, Athanasius oratione 3 contra Arianos, et ad Serapionem; Didymus lib. 2 de Spiritu sancto; Hilarius lib. 2 de Trinit.; Gregorius Nazianzenus orat. 3; Basilius lib. 5 contra Eunomium; Ambrosius lib. 1 de Spiritu sancto cap. 14; Augustinus tract. 6 in Joannem; Theodoretus lib. 5 contra hæres. cap. de Spiritu sancto, etc.

Secundum ex cultu christianæ religionis proprio. Cùm enim majores nostri primis seculis tanquàm athei traducerentur, Justinus, Athenagoras et alii, id falsum esse nomine omnium Christianorum prædicaverunt, quippe qui falsorum numinum loco Patrem, Filium et Spiritum sanctum, ut verum et unum Deum adorarent, quorum verba, ubi de Christo, laudavimus

Tertium ex antiquissimo δεξολογίας seu glori-

fication is ritu, quo idem Patri, Filio et Spiritui sancto honor, eademque gloria defertur (1). Illic autem ritus antiquissimus est, ut ex Ignatii et Polycarpi actis suprà; Clemente Alexandrino itidem suprà; Constitutionibus apostolicis, cap. 33, etc., liquet; et ubique receptissimus erat, ut constat ex S. Basilio lib. de Spiritu sancto, cap. 25. De hâc autem δοξολογία vide Bullum sect. 2, cap. 3, num. 6 et 11.

Quartum ex Macedonii ac Pneumatomachorum proscriptione. Simul enim illi eruperunt, ab omni Ecclesiâ tam orientali quàm occidentali pro hæreticis habiti sunt, ideòque in secundâ generali synodo damnati (2).

(1) Hæc doxologia triplici præsertim modo antiquitùs terminabatur, nimirùm : *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto;* vel : *Cùm Filio et Spiritu sancto;* aut etiam : *Per Filium in Spiritu sancto.* S. Basilius ostendit, libro de Spiritu sancto, c. 25, istarum particularum, *in, cum* et *per,* usum promiscuum esse; proindeque eamdem Spiritui sancto gloriam conferri, quovis modo exprimatur, sive in Patre et Filio, sive cum Patre et Filio, sive demùm per Patrem et Filium, sicque veteres quosdam hæreticos confutat, qui Spiritum sanctum Deum esse negabant, ex eo quòd *Scriptura* sacra *nequaquàm tradit Spiritum glorificari cum Patre et Filio, sed* tantùm *in* Patre et Filio. Non paucos ex veteribus laudat, qui de his doxologiis mentionem habuerant, nempe S. Irenæum, S. Clementem Romanum, S. Dionysium Alexand., Origenem, Julium African., etc. (Ed.)

(2) « Unanimis illa Ecclesiæ fides vel ex eo maximè fit manifesta, ait Turnelius, q. 4, art. 3, quòd statim ac quis Spiritûs sancti divinitatem impugnare palam ausus est, pro hæretico habitus fuit, pulsus ab Ecclesiâ, nec aliâ viâ potuit Ecclesiæ communioni restitui, quàm abjuratâ hæresi. Ita in concilio Alexandrino anno 362 ab hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus postulabatur ut execrarentur Arianam hæresim, tum eos qui dicebant Spiritum sanctum esse creaturam. Ita S. Basilius, epist. 78, non priùs Eustathium Sebastenum in communionem suam ascivit, quàm Spiritûs sancti divinitati subscripsisset. Idem erga Paulinum Antioch. observavit S. Epiphanius, hæresi 77. »

Verùm quid plura? Nam hæc Ecclesiæ catholicæ fides clarè et expressè declarata fuit in conciliis Nicæno primo et Constantinopolitano item primo. Scilicet « Nicænum concilium, addit idem theologus ibidem, in Symbolo fidei profitetur se *credere in Spiritum sanctum :* eadem igitur in Spiritum sanctum fides exigitur, quæ in Patrem et Filium; præcipuum autem fidei nostræ objectum Deus est; ergo Spiritus sanctus, in quem credere tenemur, est Deus verus et summus.

Concilium Constantinopolitanum primum, quod est secundum œcumenicum adversùs Macedonianos congregatum, expressiùs adhuc in Symbolo fidei Spiritûs sancti divinitatem adstruit his verbis : « Credimus in Spiritum « sanctum, Dominum et vivificantem, ex Patre

Argumenta specialia. — Ex diserti Patrum testimoniis.

Hæc Patrum testimonia duntaxat indicabimus, quòd ea fusè allata sint, partim quæst. III, art. 1, arg. 2, ubi de sanctissimâ Trinitate; partim quæst. IV, sect. 4, ubi de Christi divinitate ex professo disputavimus. 1° Itaque Justinus Apolog. 2 : « Filium, inquit, et Spi- « ritum sanctum (unà cum Patre) colimus et « adoramus. » 2° Athenagoras in Legatione pro Christianis : « Quis non miretur, inquit, « cùm audit, nos, qui Deum Patrem prædica- « mus, et Deum Filium, et Spiritum sanctum,.. « atheos vocari? » 3° Theophilus Antiochenus lib. 2 ad Autolycum, Trinitatem conceptis verbis adstruit constantem ex Patre et Verbo et Sapientiâ (seu Spiritu sancto), Patri coæternis. 4° Irenæus lib. 4, cap. 14, bis Spiritum sanctum distinguit à Patre et Filio tanquàm personam verè subsistentem. Ibidem cap. 17, Spiritum sanctum et Filium asserit esse productiones Patris ab omnibus creaturis diversas.

« procedentem et cun Patre et Filio adorandum « et glorificandum, qui locutus est per pro- « phetas. » Et in Epistolâ synodicâ ad episcopos Occidentis, centum et quinquaginta Patres Græci, quos inter aderat S. Gregorius Nazianz., qui coram synodo egregiam habuit orationem, sic loquuntur : « Ita fides tum à nobis, tum à « vobis, tum ab omnibus qui verbum veræ fi- « dei non pervertunt, approbari debet; quippe « cùm et antiquissima sit, et lavacro baptisma- « tis consentanea, et nos doceat credere in « nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti, hoc « est, in divinitatem, potentiam et substantiam « unam Patris et Filii et Spiritûs sancti, æqua- « lem dignitatem et coæternum regnum in tri- « bus perfectissimis hypostasibus, sive in tribus « perfectis personis; adeò ut neque quidquam « loci detur pestiferæ Sabellii hæresi, quâ con « funduntur personæ, hoc est, proprietates « tolluntur; neque blasphemia Eunomiano- « rum, Arianorum aut eorum qui Spiritum « sanctum oppugnant, quidquam habeat pon- « deris, quæ quidem essentiam, naturam, sive « divinitatem, discindit, et Trinitati, quæ in- « creata, et consubstantialis, et cæterna est, « naturam posteriùs genitam, aut creatam, aut « quæ sit alterius essentiæ, inducit. » Scripta fuit hæc Epistola, sicut ipsa inscriptio præ se fert, « reverendissimis fratribus ac collegis, « Damaso, Ambrosio, Brittoni, Valeriano..... « et cæteris sanctis episcopis in magnâ urbe « Româ convocatis. » Quo tempore scilicet Orientales Constantinopoli congregati fidem divinitatis Spiritûs sancti adversùs impietatem Macedonii vindicabant, eam et occidentales sub Damaso summo pontifice Romæ coacti prædicabant et adstruebant; et ita ex communi consensu Ecclesiæ utriusque, verè œcumenicum evasit concilium Const., quod 150 duntaxat episcopis constabat. » (Ed.)

libidem cap. 37, eos esse Patri coævos definit. Lib. denique 5, c. 12, « Spiritum sanctum in « Deo deputari ; afflatum autem hominibus « datum, seu animam, in conditione et facturâ « ostendi ait ; » id est, Spiritum sanctum in Deum seu pro Deo reputari, animam autem esse creaturam. 5° Clemens Alexandrinus Pædagogi l. 1, c. 5, Spiritum sanctum Deum esse, et ubique esse decernit. Libro autem 3, ad finem, Spiritum sanctum esse unum quid cum Patre et Filio, et eâdem glorià donandum esse statuit. 6° Tertullianus contra Praxeam cap. 9 : « Tertius est, inquit, Spiritus à Deo (Patre) « et Filio, sicut tertius à radice fructus ex « frutice :.... nihil tamen à matrice alienatur, à « quâ proprietates suas ducit,... ita Trinitas per « consertos et connexos gradus à Patre decurrens, et monarchiæ nihil obstrepit, et οἰκονομίας « statum protegit. » Paulò ante cap. 2, Patrem, Filium et Spiritum sanctum tres esse pronuntiaverat, « non statu, sed gradu ; non substantiâ, sed formâ ; nec potestate, sed specie ; « unius autem substantiæ, et unius statûs, et « unius potestatis. » Adde lib. de Pudicitiâ, cap. 21, ubi sic ait : « Trinitas est unius divinitatis Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. 7° Hippolytus martyr scripsit de uno Deo ac trino, Patre, et Filio, et Spiritu sancto. 8° Auctor Constitutionum apostolicarum lib. 6, cap. 11, Spiritum sanctum, perinde ac Filium, è creaturarum ordine eximit. 9° Cyprianus epist. 73, ad Jubaianum, tres personas distinguit, quarum unaquæque est Deus, Patrem, Christum et Spiritum sanctum. 10° Gregorius Thaumaturgus in Confessione fidei, Trinitatem admittit ex Patre, Filio et Spiritu sancto, in quâ nihil sit creatum aut servum, sed quæ glorià, æternitate, regno, atque imperio non dividatur. 11° Dionysius Alexandrinus in Apologiâ suâ Spiritum sanctum Patri ac Filio accenset, ubi agitur de consubstantialitate. 12° Denique Dionysius Romanus Epist. contra Sabellianos, divinam Trinitatem ex Patre, Filio et Spiritu sancto coalescentem in unum Deum universorum colligi pronuntiat.

Objectiones è Scripturâ. — Objicies 1° : Spiritus sanctus nunquàm in Scripturis dicitur Deus. Atqui Deus diceretur, si esset. Ergo. — Respondeo 1° : Nego majorem. Spiritum enim sanctum in Scripturis Deum apertè nominari multis testimoniis comprobavimus. Respondeo 2° : Etiamsi conceptis verbis non ita appellaretur, non idcircò divinitas ejus negari posset, quæ ex aliis capitibus satis insuper elucet ; quantò magis cùm locuples Ecclesiæ traditio, quæ altera fidei regula est, accedat !

Objicies 2° : Spiritus sanctus apud Joannem cap. 16, dicitur loqui non à semetipso, sed quæcumque audierit à Patre et Filio. Atqui id in Deum non cadit. — Nego minorem. Christus enim Deus est ; et tamen dicitur à semetipso non loqui. Igitur neuter à semetipso loquitur, quia neuter est à semetipso. Nempe id originem arguit ; cùm enim Filius quidquid habet, id à Patre acceperit, et Spiritus sanctus ab utroque, nihil docet Filius, nisi quod à Patre, nihil Spiritus sanctus, nisi quod ab utroque hauserit.

Objicies 3° : Rom. 8, 26, Spiritus sanctus dicitur postulare pro nobis : *Spiritus*, inquit, *adjuvat infirmitatem nostram ; nam quid oremus sicut oportet nescimus ; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Atqui Deus nihil petere potest aut postulare gemitibus inenarrabilibus. — Distinguo majorem : Postulat pro nobis, id est, facit ut postulemus, concedo ; ipsemet postulat, nego. Nam hoc ipso in loco : *Spiritus*, inquit Apostolus, *adjuvat infirmitatem nostram* ; et paulò ante, versu 15 : *Non accepistis spiritum servitutis iterùm in timore ; sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater.* Ideò ergo Spiritus dicitur postulare pro nobis, quia nos juvat ut oremus, et in eo, seu ejus ope, clamamus ; unde ad Gal. 4, 6, dicitur clamare : *Quoniam autem estis filii*, inquit Apostolus, *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater.*

Objicies 4° : Spiritus sanctus creatus est : Amos enim 4, 13, apud Septuaginta dicitur Deus formare tonitrua, et creare Spiritum. — Distinguo : Id est, ventum, concedo ; id est, Spiritum sanctum, nego. Hinc vulgatus interpres : *Ecce*, inquit, *formans montes, et creans ventum.*

Instabis : Joannis 1, 3, dicitur de Verbo : *Omnia per ipsum facta sunt.* Ergo et Spiritus sanctus. — Distinguo antecedens : Omnia quæ facta sunt, ut paulò post exponitur his verbis : *Et sine ipso factum est nihil quod factum est*, concedo ; omnia sine ullo discrimine, nego. Aliàs se ipse et Patrem fecisset.

Objectiones è Patribus. — Objicies 1° : Auctor apostolicarum Constitut. lib. 2, cap. 26, episcopum cum Patre, diaconum cum Christo, et diaconissam cum Spiritu sancto comparat :

additque Spiritum sanctum à se ipso quidquam non loqui aut facere; sed expectare Christi voluntatem. Ergo Spiritus sanctus inferior est utroque. — Distinguo antecedens : Quoad aliqua, concedo; quoad omnia, nego. In eo itaque confert, quòd ut Spiritus sanctus nihil præter Dei Patris et Christi voluntatem facit, sic nec diaconissa quidquam sine episcopo aut diacono agere debeat. Dicitur autem Spiritus sanctus expectare voluntatem Christi, quia eam executioni demandat.

Objicies 2° : Veteres Pneumatomachi, teste Rufino in Apologiâ pro Origene, jactabant auctorem libri de Trinitate, qui inter opera Tertulliani extat, et vulgò adscribitur Novatiano, ipsi autem Cypriano tribuebant, de Spiritûs sancti divinitate secum idem sensisse. — Distinguo antecedens : Jactabant immeritò, concedo; jure, nego. Diserta enim sunt hujus auctoris pro Spiritûs sancti divinitate testimonia, supra à nobis allata.

Objicies 3° : Adeò verum est Spiritum sanctum primis temporibus pro Deo habitum non esse, ut nec IV seculo vocaretur Deus, etiam post Nicænam synodum. Hinc beatus Hilarius (quod Erasmus notat in suis de Trinitate libris) Spiritum sanctum nunquàm donat hoc nomine. — Nego antecedens. Quod pluribus eorum temporum testimoniis constat, Athanasii nimirùm, Gregorii Nazianzeni, etc. Quod autem pertinet ab Hilarium, is quidem Spiritum sanctum non vocat Deum in iis libris; sed quod idem est, creaturam non esse definit lib. 12, ad finem; in commentariis autem ad Matthæum, cap. 33, de formulâ baptismatis agens : « Baptizantur, inquit in nomine Patris, et Filii, « et Spiritûs sancti, ut quorum una est divi- « nitas, sit una largitio, nomenque Trinitatis « est unus Deus. »

Objicies 4° : Basilius censuit Dei nomen sancto Spiritui non esse tribuendum, ut patet ex oratione 20 S. Gregorii Nazianzeni in ipsius laudem. — Distinguo antecedens : Non esse tribuendum œconomiæ causâ, concedo; quòd ipsum non putaret esse reipsà Deum; nego. Quocirca 1° certum est Basilium rectè semper de Spiritu sancto sensisse, ut liquet ex hâc ipsâ Gregorii Nazianzeni oratione. 2° Non minùs constat eum anathema illis semper dixisse qui Spiritum sanctum in creaturarum ordinem redigerent, ut perspicuum est ex ipsius epistolis 79 et 80, etc. 3° Eumdem per omnem vitam Spiritui sancto ea omnia semper adscripsisse, quæ Dei propria sunt; quin et generatim ubique prædicare consubstantialem esse sanctissimam Trinitatem, ut nôrunt qui ejus opera vel à limine salutârunt. Quando ergo existimavit à nomine *Dei* Spiritui sancto tribuendo abstinendum esse per aliquod temporis intervallum, id œconomiæ causâ fecit, donec hæretici furori et potentiæ suæ decoxissent. Calamitosis enim temporibus vivebat Basilius. Hinc Ariani in Catholicos debacchabantur; illinc fremebant Semi-Ariani Pneumatomachi. Cùm igitur periculum foret, ne si vires utrique conjungerent, omnes catholici præsules è sedibus suis exturbarentur ingenti Ecclesiæ malo, Basilius aliquantisper tempori cedendum esse ratus est, et hâc *Dei* voce supersedendum, modò aliunde recta sententia teneretur. Basilium quidem eâ de causâ multi è Catholicis in crimen vocârunt : ejus tamen consilium ac prudentiam laudaverunt alii, inprimis verò S. Athanasius et Gregorius Nazianzenus. Quidquid sit, si in eo peccâsset Basilius, imprudentia tantùm foret, non error. Sed de his consule gallicum scriptorem, qui Basilii et Gregorii Nazianzeni vitam eleganter non minùs quàm eruditè contexuit, lib. 4, cap. 20.

Objectiones è ratione. — Objicies 1° : Si Spiritus sanctus esset Deus, non minùs ad eum preces suas vetus Ecclesia direxisset, quàm ad Patrem. Atqui is usus non fuit. — Nego majorem. Ad solum enim Patrem preces publicas dirigendas esse censuit antiquitas; non quòd Filium et Spiritum sanctum non haberet pro divinis personis; sed quòd Pater sit fons divinitatis, et in salutis nostræ negotio Dei partes sustineat; cùm Filius spectetur tanquàm mediator, per quem habemus accessum ad Deum; Spiritus autem sanctus tanquàm earumdem precum principium et auctor.

Objicies 2° : Synodus ipsa Constantinopolitana non definiit Spiritum sanctum esse Deum, sed duntaxat Dominum cum Patre ac Filio adorandum et glorificandum. — Respondeo synodo satis visum esse, si Spiritûs sancti divinitatem reipsà assereret. Ut enim ait Gregorius Nazianzenus, non in verborum sono, sed in mente et sententiâ veritas sita est.

Objicies 3° : Spiritus sanctus, si est Deus, vel est genitus, vel ingenitus. Neutrum dici potest; si enim genitus est, idem est Filius; si ingenitus, idem est Pater. — Respondeo nec esse genitum nec ingenitum, sed spiratum.

ARTICULUS IV.

An divinarum trium personarum unica numero sit natura.

Hactenùs Patrem, Filium et Spiritum sanctum sibi invicem consubstantiales esse evicimus; sed cùm ea vox, quæ naturæ ejusdem communionem sonat, de iis etiam dici possit quorum una duntaxat specie, non autem numero natura sit, pluribus, v. g., hominibus, aut auri fragmentis; ut instituta à nobis quæstio absolvatur, indagandum insuper est, an una non specie modò, sed etiam numero natura sit trium personarum.

Et quidem utrovis modo *consubstantialis* vocabulum accipiatur, eo revincuntur Ariani, qui Patrem à Filio et Spiritu sancto toto genere suo differre arbitrabantur, cùm Patrem solum esse Deum; Filium verò et Spiritum sanctum meras esse creaturas definirent; sed non continuò expugnatus fuerit Tritheitarum error, qui, licet Patrem, Filium et Spiritum sanctum pro personis verè divinis ac consubstantialibus haberent, eos tamen esse tres deos aiebant, ob naturam divinam in singulis numero distinctam eo, quo apud homines natura multiplex est, modo.

Assertio. — Una numero in tribus personis natura est.

Probatur 1° è Scripturâ, quæ 1° ubique unum esse Deum prædicat. 2° Passim prohibet ne plures dii esse existimentur. 3° Patrem, Verbum et Spiritum sanctum tres ex unâ parte esse, ex alterâ verò unum quid esse pronuntiat; in quâ denique Deus ille qui singulari numero de se ipse loquitur, vetat ne quis alius præter ipsum agnoscatur, ut ex supra dictis manifestum est. Porrò, si natura divina reipsà multiplex foret, 1° non esset propriè unus Deus, quemadmodùm non est propriè unicus homo. 2° Nullum esset periculum, nullus error, si plures dii agnoscerentur. 3° Pater, Verbum et Spiritus sanctus non minùs naturis quàm hypostasibus suis distinguerentur. 4° Denique, qui apud prophetas loquitur singulari numero de se, sive sit Pater, sive Filius, sive Spiritus sanctus, non posset alios deos excludere. Ergo.

2° Multa ad id probandum è Patribus et traditione momenta eruuntur. 1° Quòd veteres non modò unum esse Deum ubique clament; sed etiam ut impios et stulto gentilium errore imbutos insectentur, qui plures deos invehebant: Hermas nimirùm lib. 2, mandato 1; Tertullianus contra Praxeam, cap. 13; Dionysius Romanus Epist. contra Sabellianos: Eusebius lib. 1 de eccles. Theolog. cap. 8, et lib. 1 contra Marcellum, cap. 4; Athanasius oratione 5 contra Arianos; concilium Sardicense apud Hilarium in lib. de Synodis; Basilius epist. 141; Gregorius Nazianzenus oratione 37; Nyssenus oratione catech.; Epiphanius hæresi 69, num. 77; Fulgentius ad Arianorum objecta num. 7, etc. Jam verò gentiles plures ejusdem rationis deos agnoscebant.

2° Quòd cùm explicant cur non sint plures dii, hanc causam afferant, quòd nempe unica sit natura divina, non multiplex; in quam nullus numerus cadat aut cadere possit; simplex eademque omninò in omnibus, non divisa in singulis; non distributa, sed singularis; non similitudine, sed identitate communis. Justinus in Dialogo cum Tryphone, pag. 358; Tatianus in oratione ad Græcos, pag. 145; Clemens Alexandrinus lib. 3 Pædagogi, ad finem: « Placare tuis, ô pædagoge, pueris,... « Fili et Pater, unum ambo, Domine. » Tertullianus contra Praxeam, cap. 2: « Unicum « Deum (hæresis) non aliàs putat credendum, « quàm si ipsum eumdemque et Patrem et Fi- « lium et Spiritum sanctum dicat; quasi non « sic quoque unus sit omnia, dùm ex uno om- « nia, per substantiæ scilicet unitatem, et « nihilominùs custodiat œconomiæ sacramen- « tum, quæ unitatem in Trinitatem disponit, « tres dirigens, Patrem et Filium et Spiritum « sanctum; tres autem, non substantiâ, sed « formâ;... unius autem substantiæ. » Cap. 12: « Si te adhuc numerus scandalizat Trinitatis, « quasi non connexæ in unitate simplici, quo- « modò unicus et singularis pluraliter loqui- « tur? » Cap. 19: « Si Filium nolunt secun- « dum à Patre reputari, ne secundus duos fa- « ciat deos dici,... rationem reddidimus, quâ « dii non duo dicantur,... quia etsi Deus dica- « tur (Filius),... non ideò duos deos faciat, sed « unum, hoc ipso quòd et Deus ex unitate « Patris vocari habeat. » Vide cap. 9 et 22. Dionysius Alexandrinus apud Athanasium, in Epist. de sententiâ Dionysii, et Damascenus; Dionysius Romanus apud eumdem Athanasium; Gregorius Thaumaturgus in Expositione fidei; Theognostus apud Athanasium in lib. de Decretis fidei Nicænæ, num. 25: « Filius « inquit,... est aliquid emanans ex Patris sub- « stantiâ, ita tamen ut nullam divisionem ea- « dem Patris substantia sit perpessa. » Lactantius lib. 4 Institut. cap. 29; Osius in synodo Nicænâ, apud Gelas.; Cyzicen. libro 1, capite

12, tomo 2 Conc. pag. 174; Eusebius supra ; Athanasius ipse in lib. de Synodis : « Si inquit, « unam agnoscimus et solam Patris deitatem, « hujusque Verbum esse Filium,..... quare « propterea non dicimus duos deos, sed unum « Deum? quia unica est species divinitatis.» Synodus Alexandrina anno 362 in Epist. synodicâ ; Marius Victorinus hymno 3; Hilarius in Psal. 122 : « Sequentes..... Evangelia,... divi- « nitatis unitatem in innascibili Deo, et in uni- « genito Deo , secundùm proprietatem atque « naturam , cum fide et veritate profitemur.» Lib. 7 de Trinit. num. 13 : « Non duos deos « connumerat nomen unum, quia unius atque « indifferentis naturæ unum Deus nomen est. « Cùm enim et Pater Deus est, et Filius Deus « est, et proprium naturæ divinæ nomen in « utroque sit, uterque unum sunt ; quia cùm « subsistat Filius ex nativitate naturæ, unita- « tem conservat in nomine ; nec ad professio- « nem duorum deorum nativitas Filii creden- « tium fidem cogit, quæ Patrem et Filium, ut « unius naturæ, ita unius profitetur et nomi- « nis.» Vide et lib. 8, necnon lib. de Synodis. Basilius epist. 43 et 141 : « Illis, qui nobis per « calumniam trium deorum doctrinam ac fi- « dem objiciunt, respondeatur nos Deum *non « numero , sed naturâ unum* confiteri. Quid- « quid enim numero dicitur unum, unum re- « verà, aut simplex naturâ non est. Deum au- « tem simplicem et incompositum confitentur « omnes.» Gregorius Nazianz. orat. 32 : « Una « his tribus (personis) natura Deus est,..... « quibus et simplex natura, et eadem essentia « est ; his propriè quoque unius vox convenit.» Orat. 37 : « Alius Pater, alius Filius , alius « Spiritus sanctus :..... atque ita inconfusa « trium personarum distinctio in unâ divini- « tatis naturâ..... conservatur..... *Tria hæc « unum, si divinitatem* spectes, et unum tria, si « proprietatum rationem habeas..... Si Deus, « inquiunt, et Deus, et Deus, quid causæ esse « potest quin tres sint dii?..... Nobis Deus « unus est, quoniam una deitas,..... etiamsi « tres personas credimus.» Nyssenus supra ; Damasus in Anathematismis, apud Theodore- tum in Historiâ Tripartitâ ; Ambrosius lib. 1 de Fide, cap. 2 ; l. 4, c. 2 , l. 5, c. 3 : « Pater « et Filius, quia unius substantiæ sunt , non « duo dii, sed unus Deus.» Vide in Symbolum Apostolorum cap. 5; in Exhortatione ad cle- rum ; de Dignitate conditionis humanæ, cap. 2 ; Hieronymus epist. 57 ad Damasum : « Tota « secularium litterarum schola nihil aliud hy- « postasin, nisi οὐσίαν novit. Et quis, rogo, « ore sacrilego tres substantias prædicabit? « una est Dei et sola natura, quæ verè est.» Philastrius hæresi 45 : « Trium itaque perso- « narum una est..... substantia..... et divini- « tas sempiterna,..... ut in distinctione nomi- « num ac trium personarum , non sit aliqua « naturæ diversitas.» Maximinus Taurinus hom. 6 in Epiphaniâ : « Nunquàm separari ab « invicem poterit, quod deitate est indivisum.» Gaudentius Brixianus serm. 7 de Exodo : « Unus « est Deus, ubi deitatis nulla divisio est..... « Patrem Deum, et Filium Deum, et Spiritum « sanctum Deum legimus, non deos, quia deos « non sinit dici unitas majestatis. Est enim « sola in Trinitate personarum distinctio, « non naturæ diversitas.» Augustinus lib. 1 de Trin. cap. 4; lib. 5, cap. 8, et lib. 7 , cap. 2, 3, 6; de Agone christiano, cap. 15 : « Nec « eos audiamus , inquit, qui indignantur et « stomachantur, quia non tres deos colendos « dicimus. Nesciunt enim quid sit una eadem- « que substantia, et phantasmatis suis illuden- « tur, quia solent videre corporaliter tria ani- « malia , vel quæcumque corpora tria locis « suis esse separata; sic putant intelligendam « substantiam Dei, et multùm errant.» Paulinus epist. 27 ad Victricium : « Fides..... co- « æternam Trinitatem unius divinitatis et sub- « stantiæ..... testatur..... ita ut..... *unitatem* « Trinitatis sine confusione jungens, et Trini- « tatem ipsius unitatis sine separatione distin- « guens.» Isidorus Pelusiota lib. 2, epist. 143; Proclus in Epist. ad Armenos ; Cyrillus lib. 4 contra Julianum, et lib. 10, et Dialogo 6 de Trinit. ; Boetius in libro : *Quomodò Trinitas est unus Deus, et non tres dii?* Fulgentius ad objectionem 7 Arianorum ; synodus Toletana an. 589; synodus Mediolanensis initio; Sophro- nius Hierosolymitanus Epist. ad Sergium, ibi- dem , act. 3; Anastasius Sinaïta lib. 1 de rec- tis Dogmatibus ; Cæsarius Dial. 1, interrog. 3; Theodorus Abucara opusc. 1; Harmenopu- lus in Professione fidei orthodoxæ; Cyparis- siota, decade 9, cap. 9, etc.

3° Quòd naturæ unitatem ternario hypostaseon numero opponant. Id autem ineptum fo- ret, si quot sunt personæ, totidem essent natu- ræ. Athenagoras in Legatione, pag. 10 et 11; Tertullianus contra Praxeam cap. 2, su- pra ; Hippolytus martyr lib. contra Noetum ; Dionysius Romanus in Epistolâ contra Sabel- lianos ; Eusebius lib. 1 de eccles. Theol. cap. 10 ; Athanasius Oratione 5 contra Arianos;

Gregorius Nazianzenus Orat. 37; Amphilochius apud Damascenum, in Eclogis cap. 1; Epiphanius Hæresi 62, num. 1; Basilius Orat. contra Sabellianos ; Ephrem in Confessione, etc.

4° Quòd in eo personas divinas à creatis distingui enucleatè decernant, cùm in his tot sint naturæ quot personæ, in Deo autem non item. Gregorius Nazianzenus Orat. 37 : « Tres « personæ nec voluntate scinduntur, aut potentiâ dividuntur, aut denique quidquam « eorum, quæ dividuis rebus contingunt, hic « quoque reperitur; sed *individua* in dividuis, « ut uno verbo dicam, est *divinitas*..... Quid « autem, dixerint fortassè? nonne apud ethnicos quoque deitas una est..... atque apud « nos genus universum humanitas una est? et « tamen dii non sunt unus, quemadmodùm « et multi homines. At illic communitas unitatem habet cogitatione solâ considerabilem ; « singularia autem et tempore et affectionibus, « atque adeò potentiâ et facultate, plurimùm « inter se divisa sunt..... At nostræ doctrinæ « non eadem est ratio... sed horum (Patris, « Filii et Spiritûs sancti) quodlibet unitatem « habet, non minùs ejus cum quo conjungitur, « quàm suî ipsius respectu, propter essentiæ « et potentiæ identitatem.» Ambrosius lib. 5 de Fide, cap. 3 : « Patrem et Filium asserendo « unius esse deitatis, non duos deos, sed unum « Deum dicimus..... quia ubi plures sunt, ibi « aut naturæ aut voluntatum et operationum « est differentia. Denique... duo homines dicuntur, quia licet unius naturæ sint jure « nascendi; tamen et tempore et cogitatione « et opere et loco distant ; et ideò non potest « unus homo dici in significatione et numero « duorum, quia unitas non est, ubi est diversitas; unus autem Deus dicitur.... Unde (homines)... nihil habent inter se, quod possit « ad unitatem individuæ substantiæ pertinere... Pater autem et Filius, quia unius substantiæ sunt, non duo dii, sed unus Deus.» Augustinus in Psal. 68, concione 1; Rufinus in Symbolum; Cyrillus Dial. 6 de Trinit. : « Intelligitur Deus Pater in se subsistere; subsistit verò Filius quoque peculiariter. Verumtamen licet propriam hypostasim uterque « habeat, distinctionem tamen (naturæ) prorsùs non admittunt. Neque enim sejungitur « à Patre Filius, quemadmodùm Angelus ab « Angelo, et inter nos hic ab illo..... alioqui « enim essent quoque duo dii; sed cùm una et « sola sit ac intelligatur deitas, viventem et « subsistentem in Patre Filium videbimus, et « vice versâ in Filio Patrem.» Damascenus lib. 1 de Fide orthodoxâ cap. 11, etc.

5° Quòd in hâc naturæ divinæ unitate et trium personarum distinctione mysterium esse agnoscant supra humani ingenii vires positum. Cyrillus Alexandrinus lib. 11 in Joan. pag. 996 : « Si nihil inter nos et Deum est « discriminis, divina nostris metiamur; sin « autem incomprehensibile est intervallum, « cur naturæ nostræ defectus canonem ac « normam Deo præfiniunt, ex eis quæ nobis « impossibilia sunt, necessitati subjicientes naturam omni necessitate potiorem?» Thalassus monachus Ecatont. 4, etc.

6° Quòd Tritheitas, simul atque eruperunt, tanquàm hæreticos è gremio suo excusserit Ecclesia. De quo vide concilium VI, act. 11 ; Maximum martyrem supra; Anastasium Sinaïtam lib. 1 de rectis Dogmatibus; Sophronium Hierosolymitanum Epist. ad Sergium, act. 3 concilii VI, Nicephorum, et alios qui hujus hæreseos meminerunt.

7° Quòd, cùm Hincmarus olim ex hymno in martyrum honorem cani solito, hæc verba : *Te Trina Deitas*, supprimi jussisset, ne triplex deitas per summum errorem agnosceretur, alii omnes in eo quidem cum ipso consenserint, quòd ea maxima impietas foret, sed tamen voces illas esse retinendas censuerint, quòd ad personas duntaxat designandas pertinerent. Vide historiam IX seculi.

8° Quòd synodus Lateranensis contra Joachimum abbatem, definierit, « unam quamdam « esse rem simplicissimam, quæ veraciter est « Pater et Filius et Spiritus sanctus..... quæ « non est generans, neque genita, neque procedens,» etc.

3° Accedit ratio, quæ apertè demonstrat plures Deos esse non posse, quòd videlicet plura esse non possint infinita, omni ex parte à se invicem distincta. Vel enim illa distinguerentur, vel non. Si non distinguerentur, non essent plura ; si autem distinguerentur, non essent infinita; haberet enim unumquodque aliquid, quod alteri deesset et quo ab ipso secerneretur.

Objectiones. — Objicies 1° : Tertullianus contra Praxeam, cap. 13, causam afferens cur Pater et Filius et Spiritus sanctus non dicantur tres dii, ait id fieri, ne licentiâ istâ martyria in Ecclesiâ deficerent. « Cæterùm, inquit, si ex conscientiâ, quâ scimus *Dei* no« men et *Domini* et Patri et Filio et Spiritui

« convenire, *Deos* et *Dominos* nominaremus, « extinxissemus faces nostras, etiam ad mar- « tyria timidiores, quibus evadendi quoque « pateret occasio, jurantibus statim per Deos « et Dominos, ut quidam hæretici quorum dii « plures. Itaque *Deos* omninò non dicam nec « *Dominos.* » Ergo Tertullianus sensit plures quidem reipsà Deos dici posse ob divinitatis partitionem; sed dici tamen non debere, ne exinde certa incommoda consequerentur. — Nego consequentiam. Hanc enim Tertullianus causam affert, sed non unicam; imò naturæ divinæ unitatem inter alias recenset. Nempe cùm Tertullianus evicisset Filium à Patre distingui, et utrumque *Dei* nomine pariter insigniri; ex eo autem Praxeas collegisset duos à Catholicis deos prædicari; respondet Tertullianus, dato, non concesso, si ita loquerentur Catholici, id non citra aliquam auctoritatis è Scripturâ petitæ speciem facturos : « Si tam « durus es, inquit, puta interim, et ut adhuc « ampliùs hoc putes, accipe et in Psalmo duos « deos dictos : *Thronus tuus, Deus,* » etc. Sed cùm Praxeas instaret et urgeret, ut plures igitur deos ubique prædicarent Catholici; Tertullianus reponit id non licere, 1° quia ex quo constituta est christiana religio, nunquàm id ab Apostolis in Scripturis usurpatum est; 2° quia differentiam esse oportet inter cultores unius et plurimæ divinitatis; 3° quia martyribus evadendi occasio pateret. Cæterùm longè abfuit Tertullianus ut naturam in Patre, Filio et Spiritu sancto divisam esse autumaret, ut olim multis ostendimus.

Objicies 2° : Ambrosius lib. 5 de Fide cap. 1, 2 et 3, adversùs Arianos disputans, qui ex eo quòd Filius statueretur esse Patri consubstantialis, consequens esse contendebant Patrem et Filium duos esse deos, sicut homo Pater et ipsius Filius sunt duo homines; excipit, ita loqui nefas esse, quòd Scripturæ duos deos nunquàm prædicent, aliunde verò omnes homines rectè unum hominem dici propter ejusdem naturæ communionem. Ergo. — Distinguo antecedens : Excipit inter alia, concedo; excipit hoc unum, nego. Nimirùm Ariani, cur si Pater et Filius sint consubstantiales, duo dici debeant dii, causam hanc adduxerant, quòd Scripturæ pluralem numerum maximè usurpent, ubi agitur de rebus consubstantialibus. Ad id autem respondet S. Ambrosius 1° : « Si legimus Scripturas divi- « nas, inveniemus, inquit, pluralitatem magis « in ea cadere, quæ diversæ discretæque sub- « stantiæ sunt, hoc est ἑτεροουσία : » quod ex iisdem Scripturis probat. 2° Addit in Scripturâ singularem contra numerum adhiberi passim, ubi sermo est de rebus consubstantialibus; sic, v. g, Adamum et Evam unum hominem et unam carnem nominari. 3° Denique, etiamsi plures homines dicantur, non posse tamen tres deos dici, quia videlicet homines illi « nihil habent inter se quod possit « ad unitatem individuæ substantiæ perti- « nere; in Deo autem generalis unitas sit,..... « nec divinæ unitas substantiæ, separetur,..... « et quod est unius substantiæ, separari non « possit. » Itaque hoc ipso in loco sententiam nostram adstruit Ambrosius. Quid si adjicias cætera quæ inter argumenta indicavimus?

Objicies 3° : Quidam Patres aiunt tres personas esse unius substantiæ, quo modo sunt tres aureæ molis particulæ. Augustinus in Psalmum 68 : « Dicimus Patrem, et Filium, « et Spiritum sanctum unius substantiæ esse. « Quid est unius substantiæ? v. g, si aurum « est Pater, aurum est Filius, aurum est Spi- « ritus sanctus. » Eusebius vulgò Emissenus, homiliâ 1 de Symbolo : « Sic complectitur uni- « tas Trinitatem, inquit, quo modo, verbi gra- « tiâ, si trium solidorum personæ uno ejus- « dem auri exprimantur metallo. » Atqui in his non est una numero natura. — Distinguo majorem : Quo modo auri particulæ aliquâ ex parte, concedo; omni ex parte, nego. Non igitur accurata est comparatio, nec ulla ejusmodi esse potest. Cæterùm id satis erat ad vocem ὁμοουσίου seu *consubstantialis*, exponendam, et Arianos revincendos; quod unum illic Patres spectant.

Objicies 4° : Multi ex antiquis naturam humanam pluribus communem cum naturâ divinâ quoad unitatem conferunt. Scilicet Cyrillus Alexandrinus lib. 9 in Joan. et dial. 1 de Trinit.; Maximus martyr dial. 1 de Trinit.; Damascenus lib. 3 de Fide, cap 6 et 8; Theodorus Abucara opusc. 2 et 38; Theorianus in Disputatione cum Armenis; eorumque omnium princeps Gregorius Nyssenus in duobus opusculis, altero adversùs Græcos de communibus notionibus, altero ad Ablabium de hâc quæstione : *Cur non dicuntur tres dii*, ubi ex professo de hoc argumento disserit. Atqui natura humana una est specie duntaxat, non numero. Ergo et divina.—Distinguo majorem : Comparant aliquâ ex parte, concedo; omni ex parte, nego. Quocirca observandum est 1° illos veteres doctores, unà cum aliis omnibus,

pro certo habuisse, et illic etiam disertè docuisse, naturam divinam prorsùs esse unicam, non multiplicem pro variis personis : proinde constat nihil apud eos esse, quod ex hâc parte nobis adversetur. 2° Quando naturam humanam cum divinâ comparant, non ideò utramque conferre, ut ostendant naturam divinam in singulas personas esse divisam, sed contra ut persuadeant, quemadmodùm natura divina unica est in multis, sic unam in multis hominibus naturam humanam esse ; adeò ut propriè dici non possit plures homines esse ; quòd si tamen plures appellantur, id abusione quâdam sermonis fieri. Ita Gregorius Nyssenus lib. de communibus Notionibus : « Neque enim « Petrum et Paulum, inquit, et Barnabam tres « οὐσίας, id est, *substantias*, dicimus, sed unam, « et unam dicentes substantiam, cujus est Pater, et Filius et Spiritus sanctus, consentaneè « dicimus unum Deum. Quinam igitur Petrum « et Paulum et Barnabam tres nominamus « homines, cùm sint unius essentiæ, quam « vocabulum *hominis* indicat?..... Ideò plures « et pauciores homines dicere cogimur, quia « mutatio ipsa personarum et varietas com- « munem loquendi extorquet usum, etiam « præter ipsam essentiæ rationem ; ita ut cum « personis essentias quodammodò numere- « mus. Est igitur Petrus et Paulus et Barna- « bas secundùm id, quod est homo, unus « homo :..... dicuntur autem multi homines « abusione quâdam, et non propriè. » Cyrillus Alexandrinus lib. 9 Comment. in Joan. : « Petrus est Petrus, et non Paulus ; et Paulus « non est Petrus. Verumtamen indistincti « manent naturâ. Una est enim in ambobus « ratio substantiæ, et eadem citra varietatem « ullam habent, quæ ad naturalem unitatem « colligantur. » Et dial. 1 de Trinit. : « Non « est fas in hominibus qui unam et eamdem « consubstantialitatis nacti sunt rationem, « unam et unam dicere substantiam, et uni- « cuique rei tribuere veluti propriam quam- « dam ac peculiarem rationem eam, quæ ad « communitatem pertinet. » Maximus martyr dial. 1 de Trinit. : « Petrus, Paulus et Timo- « theus tres hypostases sunt, et humanitas « una..... Quemadmodùm non sunt duæ hu- « manitates Petri et Pauli, sic non sunt..... « divinitates duæ Patris et Filii,..... Etenim « nos aliam et aliam habemus hypostasim, sed « non aliam et aliam humanitatem. » Joannes Damascenus libro 3 de Fide orthodoxâ, cap. 7 : « Sciendum est numerum esse differen- « tium rerum. Impossibile est enim ea numerari, quæ in nihilo differunt ; at secundùm « id quod differunt numerantur ; veluti Petrus et Paulus secundùm quòd uniuntur, non « numerantur. Quippe ratione naturæ uniri « duæ naturæ dici minimè possunt ; at hypostasi cùm differant, duæ hypostases dicuntur. » Theodorus Abucara in opusculo 2 : « Si velimus numerare Petrum et Paulum et « Joannem, non dicimus tres homines ; quoniam horum quidem unusquisque homo est, « sed homo non est ullus istorum..... Eodem « modo demonstratur Patrem et Filium et « Spiritum sanctum non esse tres deos, licet « horum quilibet Deus sit perfectus. »

Itaque nedùm assertionem nostram infringant, ei potiùs favent. Si quis autem error ibi sit, is non contra fidem est, sed contra communia philosophiæ placita, juxta quæ nulla est in rerum universitate natura, quæ reverà una sit et communis, quod illi veteres admisisse videntur. Eò autem delapsi sunt antiqui illi scriptores præ nimio Arianis repugnandi studio. Hæretici enim illi perpetuò à Catholicis quærebant, cur si plures essent personæ, quarum unaquæque est Deus, non essent pariter plures dii ; quandoquidem ubi tres sunt humanæ personæ, ibi quoque sunt tres homines. Duplex patebat ad respondendum via : prima, eaque facilis ac obvia, si diceretur aliam esse divinæ, aliam humanæ naturæ rationem ; humanam enim multiplicari pro personis, at non divinam ; et ita vulgò responderunt veteres, ut liquet ex supra dictis, ipsique adeò Cyrillus et Damascenus ; altera, si diceretur ne de hominibus quidem pluralem numerum usurpari debere, quoniam una omnibus natura inest ; varias enim esse personas, et varia individua, sed naturam humanam prorsùs eamdem in his omnibus simul esse ; atque hanc etiam viam iidem aut alii inierunt, ut omni ex parte Arianis os occluderent. Id quidem à vulgari philosophiæ nostræ usu abhorret ; sed si admittatur, nihil nobis officit 3° Tandem adde non paucos ex iis, qui ita locuti sunt, vixisse in Ecclesiæ catholicæ sinu, post expulsos ab eâ Tritheitas. Adeò verum est illos hâc loquendi ac disputandi ratione istam hæresim stabilire noluisse.

Cæterùm Petavium de his consule libro 4, cap. 9, et 14 ; Thomassinum tract. 2, cap. 27, 28, etc. (1).

(1) Vide primam Appendicem, ad calcem tractatûs.

Quæstio quinta.

De divinis processionibus.

Quandoquidem tres sunt in Deo personæ, distinctæ quidem inter se, sed ejusdem prorsùs naturæ et omninò æquales, Pater, Filius, et Spiritus sanctus; Filius autem ac Spiritus sanctus nec esse, nec intelligi possint sine origine, ordo rerum jam poscit ut de eorum processionibus disseramus. De iis autem quinque articulos instituemus: 1° de nomine et definitione divinarum processionum; 2° de earum existentiâ et numero; 3° de earumdem proprietatibus; 4° de ipsarum principiis: 5° de earum discrimine.

ARTICULUS I.

De nomine et naturâ divinarum processionum.

Procedere, ut vulgò sumitur, est ab uno loco in alium migrare. Hinc translatum est illud verbum ad significandam rei alicujus ex alterâ emanationem seu productionem. Est autem ea duplex, una transiens, altera immanens. Transiens dicitur, cùm effectus extra causam, à quâ procedit, positus est, ut inter homines filius est extra patrem. Immanens, cùm res producta intra principium suum habitat. Hæc autem iterùm duplex distinguitur, physica nempe seu imperfecta, et metaphysica seu perfecta: physica et imperfecta est, quando terminus productionis à principio suo pendet, et naturâ, utpote accidens, ab ipso differt: sic cùm homo cogitat, verbum ex ejus mente procedit, et intra eam manet; sed juxta communem et antiquam philosophandi rationem effectus est physicus et accidentalis ab homine pendens, naturâque ab eodem discrepans; metaphysica autem seu perfecta est, quæ citra dependentiam et naturæ differentiam fit; sic Verbum divinum à Patre æterno manare fides docet. Ejusmodi autem processionem Græci non infrequenter appellant προβολὴν (latinè *prolationem*) cujus quidem vocabuli varia, ut ita dicam, sors et fortuna fuit, non indigna quæ à nobis memoretur.

Primò enim ea vox, quæ per sese unius rei ex alterius substantiâ emanationem sonat, v. g., fructuum è radice emissionem, ut Basilius Epist. catholicâ, et Socrates, lib. 1, cap. 6, notant, sine ullâ hæsitatione ad exprimendam divinarum personarum originem, ut aptissima ab antiquissimis Ecclesiæ Patribus adhibita est; quod Tertullianus contra Praxeam, c. 8, testatur.

Sed mox odiosa plerisque evasit ob pravum ipsius apud Valentinianos usum. Valentinus quippe, ut discimus ex Irenæo lib. 1, et Tertulliano contra Praxeam, cap. 8, et contra Valentinianos, cap. 12, pleroma quoddam seu plenitudinem divinitatis ex triginta Æonibus conflatam admittebat; hos autem Æonas ex Bytho, seu æterno Patre, per varios gradus, et nescio quæ conjugia, nec sine ipsius substantiæ divisione propagatos esse opinabatur; eosdem autem ita separabat ab auctore, et ita longè ab eo ponebat, ut Æon patrem nesciret. Eos autem Æonas velut ex aere collatitio in honorem et gloriam Patris pulcherrimum pleromatis sidus, fructumque perfectum compegisse Jesum; adeò ut Servator noster ex omnium defloratione, et ex decerptis ab unoquoque partibus constructus esset. Hujusmodi porrò productiones προβολὰς appellabat. Hinc tanta voci isti infamia adhæsit, ut ipsam plurimi Patres rejecerint. Sic Origenes hanc eliminandam censet lib. 1 de Principiis, cap. 2, quòd divinam naturam in partes secet, et Deum Patrem, quantùm in se est, dividat; Athanasius in Expositione fidei, de Verbi generatione agens: « Verbum, inquit, non elocutione pronuntiatum, non cogitatione in animo conceptum, non perfecti profluvium, non segmentum impatibilis naturæ, non προβολὴν, seu prolationem, sed Filium per sese absolutum confitemur. » Adjunge Didymum lib. 2 de Spiritu sancto; et Cyrillum Alexandrinum hom. 12 paschali, ubi προβολὴν ita exponit, ut eam, quæ seminis decisione fit, generationem propriè solùm significet.

Quod cùm intelligerent hæretici, qui aut personarum divinarum distinctionem evertebant, aut æternam Verbi generationem inficiabantur, hâc nominis istius infamiâ tanquàm opportunâ occasione usi sunt, ut aliquem impietati suæ colorem oblinerent. Callidè enim simulabant se eâ duntaxat de causâ ab his Ecclesiæ dogmatibus alienos esse, quòd sine προβολῇ quâdam neutrum consistere posset; προβολὴν verò omnem inter Valentinianorum deliria esse relegandam. Hinc passim suos adversarios, hoc est, fidei nostræ vindices, et Catholicos omnes jactabant esse Valentinianâ labe contaminatos.

Ita Praxeas id objicit Tertulliano, c. 8 libri contra ipsum. Postmodùm Arius et ejus asseclæ hoc ipsum exprobrârunt orthodoxis, ut

rudioribus fucum facerent. Arius enim, in eâ Epistolâ, quam refert Hilarius lib. 6 de Trinit., profitetur se propterea Filium Patri ὁμοούσιον negare, ne, ut Valentinus, prolatione natum asseveret; Asterius verò apud Eusebium in libro 1 contra Marcellum, Eusebii Nicomediensis Arianorum antesignani mentem explicans, ait juxta ipsum, Filium non fuisse è substantiâ Patris genitum, ne hæreticorum more προβολὴν admitteret, neve Deus gignens et Filius genitus corpora esse censerentur et corporum passionibus obnoxii. Sic effectum est, ut ea vox apud plerosque sanctos Patres infamiâ laboraverit. Sed cùm alii considerarent, nomen hoc ex sese minimè malum esse, etsi quæ inessent humanæ generationi imperfectiones, eas ex hominum naturâ, non ex verbo isto proficisci; imò προβολὴν aptissimam esse ad substantialem Verbi et Spiritûs sancti emanationem exprimendam; hoc vocabulum nihilominùs usurpârunt, legitimo videlicet sensu intellectum. Irenæus enim ab eo se alienum non ostendit, dùm lib. 2, cap. 48, sic loquitur: « Si quis itaque nobis dixerit: Quo- « modò ergo Filius prolatus est à Patre? dici- « mus ei, quia prolationem istam, sive ge- « nerationem, sive nuncupationem,..... aut « quomodolibet quis nomine vocaverit, gene- « rationem ejus inenarrabilem existentem ne- « mo novit. » Tertullianus autem contra Praxeam, c. 8, objectam insuper ab hoc hæretico criminationem diluens: « Hoc, inquit, si « quis putaverit me προβολὴν aliquam introdu- « cere, id est, prolationem rei alterius ex alte- « râ, quod facit Valentinus,..... primò quidem « dicam tibi: Non ideò non etiam utatur et « veritas vocabulo isto, et re ac censu ejus, « quia et hæresis utitur? imò hæresis potiùs « ex veritate accepit quod ad mendacium strue- « ret. Prolatus est sermo Dei, an non? Hic « mecum gradum fige; si prolatus est, cognosce « προβολὴν veritatis, et viderit hæresis, si quid « de veritate imitata est. Jam nunc quæritur « quis quomodò utatur aliquâ re et vocabulo « ejus. Valentinus προβολὰς suas discernit et « separat ab auctore, et ita longè ab eo ponit, « ut Æon patrem nesciat..... Apud nos autem « solus Filius Patrem novit, » etc. Ergo nec pravus Valentinianorum usus, nec Patripassianorum criminationes obstiterunt, quominùs ea vox à primis etiam Patribus usurparetur. Sed IV seculo longè frequentiori in usu fuit, quòd nempe Arii, Filium è Patris substantiâ prodiisse negantis, errorem jugularet. Sic Gregorius Nazianzenus orat. 35, Patrem æternum non modò *genitorem*, sed etiam *prolatorem* vocat; ita alii quoque benè multi.

Quod cùm ita sit, mirum utique esse non debet, quòd id nomen, profligatis hæresibus istis et omni ambiguitate sublatâ, postea apud omnes vulgò theologos græcos obtinuerit ad significandam Filii, et præsertim Spiritûs sancti originem. De quo videndus est Joannes Damascenus, græcæ theologiæ princeps, lib. 1 de Fide, c. 13.

Quocirca processio, de quâ agimus, est æterna unius personæ divinæ ab alterâ seu à duabus simul origo ac productio.

ARTICULUS II.

De existentiâ et numero processionum divinarum.

Quatuor hîc observanda sunt, 1° *processionis* nomen dupliciter accipi, ac 1° quidem ut commune est Filii et Spiritûs sancti productioni; uterque enim procedere dicitur; 2° quatenùs est speciale ac proprium Spiritûs sancti productioni: cùm enim ambo distinguuntur, Filius quidem dicitur *gigni*, Spiritus autem sanctus simpliciter *procedere*.

2° Patripassianos et Arianos omnem à Deo ablegâsse processionem. Ac 1° quidem Patripassianos, quippe qui personas confunderent, et earum distinctionem perimerent. 2° Arianos, cùm illi Filium et Spiritum sanctum, non personas divinas et æternas, sed meras creaturas esse decernerent.

3° Macedonianos unam duntaxat agnovisse in Deo processionem, nempe Filii. Cùm enim illi de Filio rectè et catholicè sentirent, ipsum scilicet esse verum Deum de Deo; Spiritum sanctum in creaturarum ordinem redigebant. Super quo consuli possunt Epiphanius hæresi 73, num. 11; Philastrius, cap. 20; Augustinus de Hæresibus; Leo papa serm. 4 de Nativitate, cap. 5; Cassianus lib. 1 de Incarnatione, cap. 2; Zonaras et Balzamon in can. 1 synodi Constantinop., etc.

4° Valentinum contrà, longè plures quàm duas in Deo admisisse processiones. Ut enim supra meminimus, pleroma quoddam divinitatis ex triginta Æonibus constans excogitaverat, aut ab aliis inventum amplexus erat. Inter superiores autem Æonas conjugia quædam comminiscebatur, ex quibus inferiores prodiissent; de quo fusè Irenæus lib. 1.

Assertio I. — Est in Deo processio.

Probatur 1° ex Scripturis, quæ disertam

hujusmodi processionis mentionem faciunt. Psal. 2, 7 : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu ; ego hodiè genui te.* Non enim potest sine aliquâ processione intelligi generatio. Psalm. 106, 3 : *Ex utero ante luciferum genui te.* Eccli. 24, 5 : *Ex ore Altissimi prodivi*, inquit de se Sapientia. Michææas 5, 2, de Christo : *Egressus* (seu *origo*) *ejus*, inquit, *ab initio, à diebus æternitatis.* Joannis 8, 42, de se ipse Christus : *Ego*, inquit, *ex Deo processi et veni.* Prioribus enim verbis æternam originem suam, posterioribus autem temporalem in mundum missionem designat. Joannis 15, 26, de Spiritu sancto idem Christus : *Cùm autem venerit Paracletus*, inquit, *quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.*

Adde alia Scripturæ loca de Filio Dei unigenito, quæ supra attulimus. Neque enim Filius esse aut cogitari potest, quin ex Patre procedere simul concipiatur.

Probatur 2° ex symbolis ; ac 1° quidem ex Nicæno, in quo Filius dicitur *Deus de Deo*, et Spiritus sanctus *de Patre procedere* affirmatur ; 2° ex Athanasiano, in quo « Filius à Patre solo esse, Spiritus autem sanctus à Patre « et Filio non factus nec genitus, sed procedens » esse pronuntiatur.

Probatur 3° testimoniis Patrum quos superiori quæstione allegavimus ad probandam Filii ac Spiritûs sancti divinitatem, quippe quam habeant à principiis suis secum communicatam, nec aliâ profectò quàm processionis viâ.

Probatur 4° ratione multiplici. Prima petitur ex divinæ naturæ fœcunditate. Est enim illa perfectio quædam summa, quâ carere Deus non debet, et cui vulgò aptatur illud Isaiæ 66, 9 : *Numquid ego*, inquit Deus, *qui alios parere facio, ipse non pariam ? .... si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero ?* Quam in rem Athanasius, Oratione 2 adversùs Arianos : « Quòd si non fœcunda est, inquit, sed sterilis, divina substantia, ut illi « volunt, sit tanquàm lux non illuminans, aut « fons siccus, quomodò eos non pudet, cùm « procreatricem efficaciam illi tribuant, ac detracto eo quod secundùm naturam est, non « erubescunt id præ se ferre, quod ex voluntate pendet ? » Sic etiam Cyrillus l. 5 Thesauri : « Perfectus est, inquit, non solùm « quia Deus, sed etiam quia Pater. Quare qui « Deum negat Patrem esse, is fœcunditatem « aufert à naturâ divinâ, ut jam perfecta non « sit, quæ generandi virtute careat. » Accedit Damascenus lib. 1 de Fide, cap. 8, ubi : « Impossibile est, inquit, Deum fœcunditate naturali destitutum dicere. Porrò fœcunditas « in eo sita est, ut ex ipso, hoc est, ex propriâ « substantiâ, secundùm naturam similem generet. » Ita illi fide prælucente et ipsâ innixi ratiocinantur.

Secunda desumitur è divinarum personarum distinctione. Constat enim, et non ita pridem probavimus, tres esse in Deo personas. Atqui omnis earum distinctio in processione et origine fundatur. Cùm enim eamdem naturam habeant, eò solùm distingui possunt, quòd altera alteri eam communicet. Nimirùm in personis divinis duo tantùm mente secerni queunt, substantia videlicet et relatio originis, v. g., in Patre natura divina et paternitas. At personæ divinæ non distinguuntur per substantiam, utpote quam omnes unam omninò habeant. Ergo distinguuntur duntaxat originis relatione, paternitate nimirùm, filiatione, etc. Hinc natum est illud scholæ celeberrimum effatum : *Omnia in divinis sunt unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio.* Quod etiam docent Patres, et inprimis Augustinus tract. 39 in Joannem, ubi : « Hoc « solo, inquit, numerum insinuant, quod ad « invicem sunt. » Ergo processio in Deo admittenda necessariò est.

Tertia est, quòd, ubi est ordo, debeat esse aliquid primum. At inter personas divinas est ordo. Ergo debet esse quædam inter eas prima. Non potest autem esse prima, nisi ratione originis. Cæterà enim æquales sunt tres istæ personæ.

Objicies 1° : Processio cum Deo pugnat. Deus enim est à se. Atqui non potest admitti processio in Deo, quin Deus ab alio sit. Ergo nulla esse potest persona divina, quæ ab aliâ originem trahat. — Nego antecedens. Ad probationem distinguo majorem : Deus est à se, id est, natura divina à se est, concedo ; id est, quælibet persona divina à se est, subdistinguo : Eo sensu quòd causam non habeat à quâ producatur et pendeat, concedo ; eo sensu quòd principium nullum agnoscat, iterùm subdistinguo : Quoad naturam suam, concedo ; quoad hypostasim, nego. Porrò cùm Deus dicitur ens à se, spectatur penès naturam absolutè et confusè ; non verò hæc aut illa persona speciatim designatur. Attamen quælibet persona potest etiam dici non esse ab alio, nempe eo sensu, quòd ab aliquâ causâ extrinsecâ non producatur. Atque id præsertim intelligi

tur à philosophis, cùm Deus ens à se definitur. Ita enim definitur, quòd sit ens necessarium, non verò contingens, cujus generis sunt reliqua omnia ab ipsius arbitrio suspensa. Cæterùm ipsæ personæ, quæ ab aliis procedunt, nullum agnoscunt principium, etiam originis, quoad naturam suam, à quo illa producatur.

Instabis 1°: Atqui persona, quæ est Deus, nullum potest agnoscere principium. Deus enim est primum principium. Atqui primum principium à nullo alio procedere potest; aliàs non esset primum. Ergo. — Nego subsumptum. Ad probationem distinguo majorem: Deus est primum principium creaturarum, concedo; eo sensu quòd nulla persona in Deo esse possit, quæ ab aliâ originem ducat, nego.

Instabis 2°: Si quæ sit in Deo persona, alteram quasi principium habens, erit simul primum principium et non erit. Atqui hæc pugnant. — Distinguo majorem: Erit et non erit primum principium sub diverso respectu, conc.; sub eodem, nego. Sic pugna solvitur.

Objicies 2°: Non potest ulla cogitari processio immanens in Deo, quin aliqua sit, aut potiùs multiplex in Deo potentia passiva. 1° Enim ejusmodi potentia concipi debet in iis personis quæ naturam divinam accipiunt. 2° Debet etiam concipi in Patre Filium in sinu suo recipiente. Atqui potentia passiva Deo indigna est, et ab ipso penitùs removenda. — Nego majorem. Omnis enim potentia passiva aut aliquando caret eo actu quem recipit, aut eo saltem carere potest; alioqui non esset propriè dicta potentia. At Filius et Spiritus sanctus nec naturâ divinâ unquàm caruerunt, nec eâ carere potuerunt; nec Pater sine Filio, nec uterque sine Spiritu sancto unquàm esse potuit. Ergo.

Assertio II. — Duæ sunt in Deo processiones.

Probatur 1° Scripturarum testimoniis jamjam allatis, in quibus non modò Sapientiæ æternæ Verbique divini, sed etiam Spiritûs sancti processio memoratur. Probatur 2°: Tot sunt processiones, quot sunt in Deo personæ procedentes. Atqui duæ sunt in Deo personæ procedentes, Filius nempe ex Patre, et Spiritus sanctus ab utroque. Pater enim, utpote fons divinitatis, à nullo procedit. Probatur 3° ex numero facultatum in Deo immanenter operantium. Tot enim sunt processiones immanentes, quot sunt ejusmodi facultates. Atqui hæ duæ sunt, intellectus nimirùm et voluntas.

Objicies 1°: Intellectus et voluntas, et utriusque facultatis operationes in Deo non distinguuntur. Ergo non potest ab iis multiplex esse processio. — Distinguo antecedens: Non distinguuntur realiter, concedo; virtualiter, nego. At distinctio virtualis sufficit. Sic misericordia et justitia nonnisi virtualiter in Deo distinguuntur; et tamen distincti sunt realiter misericordiæ et justitiæ effectus, pœnæ nimirùm ac præmia. Sic unus idemque sol plures ex sese radios effundit, et simul alia indurat, alia liquefacit. Nempe non eadem requiritur in principiis, quæ in terminis reperitur distinctio. Ab uno enim eodemque principio plura procedere possunt. Porrò, intellectus et voluntas in Deo non distinguuntur, quia non opponuntur; processiones verò (passivæ scilicet, si ita loqui fas est) seu intellectûs et voluntatis termini, Filius et Spiritus sanctus distinguuntur, quia sibi invicem opponuntur, cùm Spiritus sanctus à Filio originem habeat.

Objicies 2°: Quod infinitum est, id unum sit necesse est. Atqui processio, si qua sit in Deo, infinita est. Ergo necessariò una est. — Distinguo majorem: Quod infinitum est in omni genere, concedo; in certo duntaxat genere, subdistinguo: Unum est in isto eodem genere, concedo; ita ut excludat aliud infinitum in alio genere, nego. Deus, quia infinitus est in omni genere, idem quoque unus est; sed processio duplicis est generis, altera nempe per intellectum, altera per voluntatem; atque adeò unaquæque debet esse tantùm in suo genere infinita. At quo in genere infinita est, in eo pariter est una. Sic processio quæ fit per intellectum, infinita est in genere intellectionis et in eo genere ita exhaurit divinam intelligendi facultatem, ut una necessariò sit, nec alteri ejusdem generis relinquat locum. At idcircò non excludit alterius generis processionem, eam nimirùm quæ fit per voluntatem, quæ in suo quoque genere infinita est et una.

Instabis: At prima processio totam communicat naturam divinam termino producto. Ergo non est alteri locus. — Distinguo antecedens: Totam et non totaliter, id est, et non omni modo quo communicari potest, concedo; totaliter seu omni modo, nego. Reverà processio prima totam naturam divinam communicat cum Filio; proinde Deus est verus ac perfectus. Sed hanc ei communicat solummodò per intellectum. Jam verò natura divina alio insuper modo communicari potest, hoc est, per voluntatem. Ut enim per intellectum fœcunda

est, sic etiam per voluntatem; uno verbo tota communicatur natura; tota intensivè, non extensivè, ut consuetis loquendi formulis utamur.

Assertio III. — Non sunt in Deo plures quàm duæ processiones.

Probatur 1° ex Scripturis, quæ duas duntaxat recensent. Probatur 2° : Tot sunt tantummodò processiones, quot sunt personæ procedentes. Atqui duæ sunt duntaxat personæ divinæ procedentes. Tres enim sunt omninò in Deo personæ. At Pater, utpote prima persona, ab aliâ non procedit. Ergo duæ tantùm supersunt, quæ ex aliquo principio procedere queant. Probatur 3° : Ut duæ sint solùm processiones, satis est quòd in Deo sint duæ duntaxat facultates immanenter operantes, et eæ necessariò ac semper agant. Non possent enim plures quàm duæ cogitari processiones, nisi vel quia plures essent quàm duæ facultates, immanenter operantes ; vel quia eæ non omnem necessariò vim suam exererent, ut nempe locus alteri supersit; vel quia cùm agere cœpissent, postea desinerent, ut cùm libuisset iterùm agere, novus exsurgeret actionis terminus. Atqui 1° non sunt plures, quàm duæ facultates immanenter operantes, intellectus nempe et voluntas. 2° Eæ facultates necessariò agunt. Neque enim Deus continere se potest ab intelligendâ et amandâ essentiâ suâ. 3° Semper agunt, cùm non possit Deus ab eo abstinere. Ergo.

Objicies 1° : Præter intellectum et voluntatem est in Deo bonitas. Ergo ex eâ debet aliqua oriri processio. — Nego consequentiam. Bonitas enim non est facultas activa, nec quidquam ex sese operatur. Si quis tamen eam ad aliquod causæ genus esse revocandam pertinaciter contendat, causa certè efficiens et producens non erit ; sed finalis tantùm, eò quòd moveat ad agendum (1).

Instabis 1° : Potentia saltem in Deo est, eaque operativa. Ergo. — Distinguo antecedens : Operativa ad extra, concedo ; ad intra, nego.

Instabis 2° : Est in Deo memoria. Atqui ea est immanens facultas. Ergo triplex esse debet processio. — Distinguo majorem : Est in Deo memoria metaphoricè, concedo ; propriè, nego. Non est igitur admittenda in Deo memoria, quia nihil obliviscitur. Dicitur autem in Scripturis recordari ἀνθρωποπαθῶς, quòd agat hominum more, qui quod obliti fuerant recordantur.

Objicies 2° : Filius non minùs intelligendi quàm volendi facultatem à Patre accipit. Atqui cum volendi facultate accipit spirandi vim. Ergo et cum intellectu debet accipere simul generandi facultatem. — Nego consequentiam et paritatem. Discriminis causa est, quòd accipiat intelligendi facultatem jam sui ipsius productione exhaustam, non autem accipiat voluntatem termini sui processione exhaustam, juxta nostrum videlicet intelligendi modum. Nempe, licet tres personæ sint simul naturâ et durat!one seu æternitate, non sunt tamen simul origine. Filius enim prior est origine, quàm Spiritus sanctus ; proinde tria possunt distingui originis instantia : primum in quo solus cogitetur Pater ; secundum in quo sit etiam Filius ; tertium in quo producatur Spiritus sanctus. Generatur autem Filius per intellectum ; et cùm ipse sit hujus intellectionis terminus infinitus, hanc facultatem exhaurit : proinde non potest illa facultas quidquam insuper producere. At nondùm concipitur volendi facultas, utpote posterior, exhausta. Cùm ergo voluntatem hanc nondùm exhaustam accipiat Filius, et eamdem quam habet Pater, unà cum ipso producit eâ viâ Spiritum sanctum. Ut enim est inter facultates quidam ordo, sic etiam est inter ipsas personas.

Objicies 3° : Fœcunditas, quæ in generandi ac spirandi facultate posita est, summa est, ut non ita pridem dictum fuit, in Deo perfectio. Ergo, si generandi facultas desit Filio, et utraque Spiritui sancto, ambo carebunt summâ aliquâ perfectione. Atqui personis divinis nulla deesse potest perfectio. — Distinguo antecedens : Summa est perfectio in naturâ divinâ, concedo ; in personâ divinâ, subdistinguo : Quæ eam habet, concedo ; perfectio quæ in quâlibet esse debeat, nego. Quocirca confitemur 1° summam hanc esse naturæ divinæ perfectionem, quòd utroque modo fœcunda sit. Fatemur 2° hanc esse pariter summam in Patre perfectionem, ut et in Filio, quòd spirandi vim habeat. Sed in Patre perfectio utraque relativa est, ut et in Filio spirandi vis ipsi cum Patre communis. At perfectiones relativæ personarum divinarum, nec postulant, nec possunt esse in singulis omnes (1). Relata enim sibi opponuntur, et sese

(1) Neque enim aliter quàm per facultates intellectûs et voluntatis bonitas Dei sese diffundit et exercetur. (Ed.)

(1) « Quasi à priori ratio hæc est, ait Turnelius, quæst. 2, art. 2, quòd omnis divina-

invicem excludunt. Quocirca paternitas, v. g., quæ perfectio est primæ personæ, non potest esse in Filio; aliàs Filius non esset. Perfectio igitur est secundùm quid simplex, eò quòd cum æquali pugnet; non enim minor est perfectio Filio quòd generetur, quàm Patri quòd generet; et sic de Spiritu sancto. Quòd autem Filius Verbum aliud non generet, et Spiritus sanctus alium voluntatis terminum non producat, id non ex defectu oritur, sed contra ex infinità eorum perfectione. Ideò namque Filius, qui est Verbum Patris, non generat aliud Verbum, quia ipse est Verbum infinitum, adæquans totam naturæ divinæ in eo genere fœcunditatem. Sic et Spiritus sanctus cùm divinam exhauriat voluntatem, non potest alium producere ejusdem voluntatis terminum. Quam porrò quisque perfectionem relativam non habet formaliter, hanc habet identicè, propter naturæ ejusdem communionem, ut supra declaravimus. Hæc autem omnia tradunt Patres.

Sic Gregorius Nazianzenus oratione 37 : « Neque, inquit, Filio aliquid deest ad hoc ut « sit Pater (nec enim defectus est filiatio); nec « tamen propterea Pater est; alioquin eâdem « ratione Patri aliquid deerit, nec enim Pater « Filius est; sed hæc defectum profectò non « arguunt. » Ibidem verò sic addit : « Filius « non est Pater; .... sed hoc est quod Pater; « neque Spiritus sanctus est Filius; ..... sed « hoc est quod Filius. Tria hæc unum divini- « tate sunt, et unum hoc proprietatibus sunt « tria. » Ambrosius lib. 4 de Fide, cap. 4, Arianos hoc momento utentes coarguens : « Gene- « ravit, inquiunt, Pater; non generavit Filius. « Quod hîc argumentum est inæqualitatis? Ge- « neratio enim paternæ proprietatis est, non « potentiæ. » Augustinus denique lib. 2 contra Maximinum Arianum, cap. 12, num. 2 : « Absit, autem, inquit, ut quomodò putas, « ideò sit Pater potentior Filio, quia creatorem « genuit Pater, Filius autem non genuit crea- « torem. Neque enim non potuit, sed non « oportuit. Immoderata enim esset divina ge- « neratio, si Filius nepotem gigneret Patri; « quia et ipse nepos, nisi avo pronepotem gi- « gneret, secundùm vestram mirabilem sa- « pientiam, impotens diceretur..... Non im- « pleretur generationis series, si semper alter « ex altero nasceretur, nec eam perficeret ul- « lus, si non sufficeret unus. » De quo Magistrum Sententiarum vide lib. 1, dist. 7.

Objicies 4° : Attributa divina, ipsaque primæ personæ paternitas, ex divinâ essentiâ procedunt. Atqui hæc processio non est eadem cum processione Filii aut Spiritûs sancti. Ergo alia ab istis duabus admittenda est. — Distinguo majorem : Ab essentiâ divinâ procedunt, ut à radice, idque emanatione tantùm virtuali, concedo; ut à principio productivo, et emanatione reali, nego. Hic quærimus quot sint processiones realiter distinctæ, tum inter se, tum à principiis, à quibus oriuntur. Tales autem tantummodò duæ sunt. Namque attributa, etsi fluere dicuntur ab essentiâ, nec ab eâ nec inter se distinguuntur; cogitantur ergo quasi ab eâ ut radice fluant; sed eam non agnoscunt ut principium aliquod reale à quo producantur.

ARTICULUS III.

De divinarum processionum proprietatibus.

Assertio. — Divinæ processiones sunt immanentes, substantiales, necessariæ, æternæ, metaphysicæ, et omnis imperfectionis expertes.

Ac 1° quidem immanentes sunt. Earum enim termini intra principia sua manent, v. g., Filius in Patre est. Unde Joan. c. 1, v. 1, *Et Verbum erat apud Deum.* Versu autem 18 : *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Hujus verò rei causa est, quòd processiones istæ sint ab intellectu et voluntate, quæ immanenter operantur, ut ipsi etiam philosophi docent.

2° Sunt substantiales (1). Hoc enim est discrimen Deum inter et creaturas, quòd, juxta pervulgatam philosophandi rationem, creaturæ cùm intelligunt ac volunt, nonnisi accidentales terminos producant. Verbum enim ab humanâ mente cogitando efformatum, accidens est, non substantia. At verò termini intellectûs et voluntatis Dei per se subsistunt,

rum personarum perfectio sit ab essentiâ, non à personalitate. Paternitas quippe, filiatio, spiratio, sive activa sive passiva, proprietates sunt personales, ac relativum quid sonant; relationes verò in suo formali conceptu perfectionem non exprimunt, saltem ab essentiâ distinctam. Cùm igitur eadem omninò sit in tribus personis divinis substantia seu essentia divina, non potest una esse alterâ perfectior.... Quòd si etiam daremus relationes esse perfectiones, una tamen alterâ perfectior dici non posset, cùm unaquæque in suo ordine summa sit et infinitè perfecta. » (Ed.)

(1) *Substantiales* hìc sonat idem ac *subsistentiales*, si dici fas est; hujus enim vocis ea vis est, ut significet processionum divinarum terminos esse per se subsistentes, seu veras et propriè dictas personas. (Ed.)

et veræ sunt personæ, eâdem cum principio suo substantiâ præditæ.

3° Necessariæ sunt. Non potest enim Pater non intelligere ac comprehendere se et quidquid secum est connexum, aut intelligendo non producere Verbum suum sibi æquale. Sic nec potest non amare se, utpote summum bonum, et hoc amore non producere voluntatis istius terminum, hoc est, Spiritum sanctum. Non ergo voluntate liberâ et accidentali Filium suum genuit Pater, quod Ariani putabant, et aliis disertiùs expresserat Eunomius, quem refellit Augustinus lib. 15 de Trinit. c. 20.

4° Æternæ sunt. Nullum enim fingi potest punctum, in quo se vel non intellexerit, vel non amaverit Deus. Hinc sancti Patres probant Filium ac Verbum Dei esse æternum, quòd, nisi hoc admittatur, consequens sit Patrem aliquando fuisse sine ratione ac sapientiâ, non quòd Filius sit ipsa sapientia Patris, quâ formaliter est sapiens; sed quia sapientia et intellectio Dei, nunquàm potuit esse sine proprio ac nativo termino suo.

5° Sunt metaphysicæ, hoc est, citra omnem mutabilitatem, dependentiam, aut naturæ diversitatem, in quo differunt ab iis quæ in creaturis cernuntur. Cùm enim creaturæ aliquid efficiunt, id non potest fieri, quin aliqua mutatio interveniat, cùm in principio sese movente et agente, tùm in termino recens producto; quin etiam id quod producitur, à principio suo pendet, et distinctam ab ipso naturam sortitur. At contrà Pater citra ullam mutationem producit Filium suum, nec ab ipso Filius pendet, et eamdem prorsùs cum ipso habet naturam.

6° Omnis imperfectionis sunt expertes. Neque enim generatio divina, v. g., ejusdem est cum humanâ conditionis, aut iisdem imperfectionibus obnoxia. Quapropter fucum faciebant Ariani, qui humana ad Deum transferentes contendebant, si qua admitteretur in Deo generatio, consequens fore, ut in Deo corpus et substantiæ divisio agnoscerentur; quos Patres confutant passim. Sic Athanasius in lib. de Decretis Nicænæ synodi: « Aliter, inquit, se « habet hominum generatio, aliter Filius à Pa- « tre oritur. Etenim progenies hominum par- « tes sunt quodammodò gignentium; quoniam « natura ipsa corporum non est simplex, sed « fluida et ex partibus composita: ..... Deus « autem cùm sit impartibilis, est et passionis « expers Filii Pater. » Gregorius Nazianzenus orat. 35: « Tuas illas, inquit, fluxiones et di- « visiones..... abjice, ac de incorporeâ illâ na- « turâ, quasi de corporeâ, disputare desine; « atque ita fortassè dignum aliquid generatione « divinâ concipere animo queas. » Cui Ambrosius concinens l. 1 de Fide, c. 5: « Non hæc « sunt, inquit, in Deo corporaliter æstimanda. « Incomprehensibiliter generatur Filius, im- « passibiliter generat Pater; et tamen ex se « generavit, et ante omnem intellectum gene- « ravit Deus verus Deum verum. »

Ut autem divinæ generationis imaginem aliquam adumbrarent, eam vulgò comparant luci quæ ex sole, aut igni qui ex alio igne oritur. Quo exemplo utuntur cùm veteres à nobis supra laudati, tùm Nicæni præsules in Symbolo, ac deinceps vulgò sancti Ecclesiæ doctores. Hilarius libro 6 de Trinitate: « Vera fidei pro- « fessio est, inquit, ita Deum ex Deo natum, « ut lumen ex lumine, quod sine detrimento « suo naturam præstat ex sese, ut det quod « habet, et quod dederit habeat. » Libro autem 7: « Quæro nunc, inquit, utrùm divisio « ac separatio sit, cùm ignis ex igne est? Aut « numquid abscinditur natura, ne maneat, « aut non sequitur natura, ne insit, cùm ac- « censo lumine ex lumine per quemdam qua- « si nativitatis profectum, naturæ nulla de- « fectio sit, et tamen sit lumen ex lumine? » Ita quoque Victor Uticensis in Professione fidei.

Sed in hoc exemplo cavenda est luminis divisio, ne eodem videlicet modo naturæ distinctio inter Patrem et Filium cogitetur. In quo erravit quidam Hieracas, cujus meminit Hilarius eodem in libro 6: « Hieracas, inquit, « nesciens unigeniti nativitatem, nec evange- « licorum sacramentorum virtutem adeptus, « unius lucernæ duo lumina prædicavit, ut ly- « chnorum bipertita divisio substantiam Patris « et Filii emularetur. » Ergo diligenter attendendum est ut luminis identitas nihilominùs servetur: quod monet Athanasius eodem de Decretis synodi Nicænæ libro: « Quando audi- « mus, inquit, consubstantialem (Filium), ne- « quaquàm delabentes ad humanos sensus par- « titiones et divisiones deitatis cogitemus, sed « tanquàm de incorporalibus agitantes, uni- « tatem naturæ et identitatem lucis non divi- « damus. »

ARTICULUS IV.

De principiis divinarum processionum.

Notanda. — Ut controversia ista dilucidiùs innotescat, observandum est 1 philosophos

actionis duo principia vulgò distinguere, alterum *quod*, cui scilicet actio ipsa adscribitur, et illud est suppositum; unde hoc effatum manavit : *Actiones sunt suppositorum;* alterum *quo*, id est, formam, quâ suppositum agit. Principium autem *quo* rursùs in proximum et remotum dividitur; remotum est natura, quæ principium est omnis motûs; proximum verò est potentia seu facultas, cujus propriè est actio; sic cùm homo intelligit, principium *quod* est ipse homo; principium *quo* remotum est ipsius natura intelligens; principium autem *quo* proximum est mens seu intellectus. 2° Quamvis in Deo, utpote simplicissimo, natura, intellectus, voluntas, intellectio, volitio, sint reipsà quid unum et idem, et cum his relationes ipsæ, quæ aliàs à sese invicem quatenùs oppositæ distinguuntur, ut olim, ubi de attributis Dei, ostendimus; attamen solent theologi facilitatis gratiâ, atque ut sanctissimæ Trinitatis mysterium commodiùs explicent, singula ista mente secernere, atque ita varia divinarum processionum principia statuere (1).

Variæ opiniones. — Constat 1° apud omnes theologos principium *quod* esse ipsammet personam producentem; sic principium *quod* generationis Filii est Pater, qui solus propriè generare dicitur. Sed cùm nonnulli quondàm extiterint hodièque sint theologi, qui naturam Patris à Filii naturâ numero distinxerint, et utriusque essentiam à Spiritûs sancti substantiâ, atque adeò dicere non dubitaverint naturam Patris propriè etiam generare, de eo paucis disputandum erit.

2° Non minùs indubitatum est in scholis naturam esse principium *quo* remotum : sed difficultas est per quid proximè in actum erumpat; de quo plures sunt sententiæ. Prima est Durandi, qui in 1, dist. 6, quæst. 2, et dist. 7, putat naturam esse principium divinarum processionum, per suam infinitatem ac fœcunditatem, adeò ut præcisis per mentem intellectu et voluntate, nihilominùs Filius et Spiritus sanctus ex eâ procedere censerentur. Secunda est S. Bonaventuræ ibidem, qui censet principium *quo* proximum cujuslibet processionis esse solam relationem ei respondentem, v. g., paternitatem respectu Filii. Tertia est reliquorum vulgò theologorum, qui statuunt intellectum et voluntatem esse principia proxima divinarum processionum; actiones verò productivas esse intellectionem et volitionem.

Verùm, cùm generandi facultas et generatio Patri, spiratio autem Patri et Filio propriæ sint, unus verò in personis tribus sit intellectus, una intellectio, una voluntas, una volitio omnibus communis, atque ista cohærere non videantur, ut ab hoc nodo sese extricent iidem theologi, duplicem intellectionem et volitionem distinguunt, essentialem unam, quæ omnibus peræquè competat, notionalem alteram, quæ solis personis producentibus conveniat.

Sed inde quæstio enascitur, quo pacto essentiales à notionalibus discrepent. Henricus igitur Gandavensis quodlibeto 6, quæst. 1; Scotus in 1, dist. 2, quæst. 7; Durandus in 1, dist. 7, quæst. 2, arbitrantur (licet non unâ ratione rem exponant), notionales esse quosdam actus distinctos ab essentialibus. Cùm ergo alius sit actus intelligere, alius dicere seu Verbum producere, alius velle, alius spirare, non mirum est, inquiunt, si intelligere et velle tribus personis insint, dicere autem soli Patri, et spirare Patri ac Filio solis conveniant. Cæteri verò existimant essentiales et notionales non distingui ut actus à se planè diversos; sed notionales actus nihil aliud esse quàm ipsosmet essentiales, quatenùs connotant relationes sibi proprias. Itaque generationem, esse ipsammet divinam intellectionem quatenùs adjunctam habet paternitatem, adeò ut intellectio notionalis ab essentiali se tota non differat, sed tantùm ut includens ab inclusâ; quia scilicet notionalis est ipsamet essentialis, et præterea aliud quidpiam complectitur, nempe relationem.

Sed hinc alia lis emergit de ejusmodi relatione. Dubium enim est quæ illi partes tribuendæ sint. Nimirùm quidam definiunt eam esse comprincipium, ita ut cum intel-

(1) « Idque cum fundamento in re, inquit Montagnus quæst. 5, art. 4, propter summam scilicet divinæ naturæ perfectionem, quâ fit ut, etsi omninò simplex, pluribus tamen distinctis æquivaleat. » Imò verò, ut addit Turnelius, quæst. 2, art. 3, tanti commodi et utilitatis est distinctio illa virtualis in divinis, ut sine illius subsidio impossibile omninò foret mysterium Trinitatis et Incarnationis intelligere. Quare enim communicatâ Filio essentiâ, non communicatur simul persona Patris, quæ ab essentiâ realiter non distinguitur? Quare Pater divinus incarnatus non dicitur, nec reverà est, licet una et eadem sit ipsius natura cum Filio, qui incarnatus est; et hæc natura non sit, ut dictum est, realiter à personis distincta? Non alia certè ratio proferri à nobis potest, quàm quòd inter naturam et personam sit virtualis distinctio, quâ fit ut communicetur natura, non communicetur persona, et una persona incarnetur, alterâ non incarnatâ. » (Ed.)

lectu in Filii productionem influere cogitetur; alii autem contendunt eam esse duntaxat quamdam conditionem productioni necessariam.

Assertio I. — Non potest dici propriè essentia essentiam, natura naturam, substantia substantiam generare et producere in Deo.

Probatur 1° iis omnibus testimoniis Patrum qui suprà asserunt unam esse et eamdem trium personarum essentiam, naturam ac substantiam. Atqui quod propriè gignit ac producit, ab eo distingui debet quod gignitur et producitur. Probatur 2° speciatim ex illo auctore, qui sub Bedæ nomine commentarios edidit in Boetii libros de Trinitate, et ex Euthymio parte 1 Panopliæ, tit. 7, in fine, ubi: « Gigni, inquit, non est naturæ, sed hypostasis. Nam si esset naturæ, neutiquàm in eâdem naturâ genitum consideraretur et ingenitum. » Probatur 3° ex concilio Lateranensi sub Innocentio III. Cùm enim Petrus Lombardus in Sententiis suis dixisset, « quoniam summa quædam res est Pater, Filius, et Spiritus sanctus, et illa non est generans, neque genita, neque procedens; » Ipsum autem idcircò hæreseos et insaniæ arguisset Joachimus abbas, statuens contrà inter Patrem, Filium et Spiritum sanctum non intercedere unitatem naturæ propriè dictam ac veram, sed collectivam tantùm, et similitudinariam, quemadmodùm dicuntur multi homines unus populus, atque adeò naturam unam gignere alteram; summus pontifex hanc Joachimi abbatis doctrinam confodiens: « Nos, inquit, cap. 2, sacro approbante concilio, credimus et confitemur, cum Petro Lombardo, quòd una quædam summa res est essentia... quæ veraciter est Pater et Filius, et Spiritus sanctus: ... et illa res non est generans, neque genita, neque procedens; sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus sanctus qui procedit. » Probatur 4° omnium exinde theologorum consensione (1); quo in loco consulendi sunt præsertim S. Thomas 1 parte, quæst. 39, art. 5, et in opusculo contra Græcorum errores cap. 4; Andreas Latinorum theologus in synodo Florentinâ sess. 19; Franciscus Mayronis in scholiis ad lib. 16 Augustini de Trinit. cap. 20; hæc autem verissima scholarum decreta temerè exagitat recens auctor, nempe Faydit, qui dùm eas castigare suscipit, in gravem ipse Tritheitarum errorem imprudenter prolabitur.

Objicies 1°: Non pauci veteres Filium vocant essentiam de essentiâ, aut sapientiam de sapientiâ, aut etiam voluntatem de voluntate; Athanasius oratione 5 contra Arianos; Epiphanius in Ancorato pag. 751; Augustinus l. 7 de Trinitate, cap. 2; Fulgentius de Fide ad Petrum c. 2. Ergo. — Distinguo antecedens: Quòd ista omnia sint in ipsum communicatione à Patre derivata, concedo; quòd ipsa in eo propriè genita et producta sint, nego.

Instabis: At illud vulgatissimum est apud antiquos in Deo esse naturam gignentem et naturam genitam, substantiam Filii è Patre natam esse, sapientiam è sapientiâ esse oriundam, et cætera id genus; sic enim loquitur Ignatius Martyr epist. 3; Justinus apol. 2; Clemens Alexandrinus Strom. l. 1, 4 et 5; Tertullianus contra Praxeam cap. 8, et contra Hermogenem cap. 19; Gregorius Nyssenus lib. 2 et 12 adversùs Eunomium; Hilarius lib. 9 de Trinit., lib. de Synodis et de Fide Orientalium; Epiphanius hæresi 76, ad argumentum 5 Aetii; Augustinus lib. 2 de Trinit. c. 7; lib. 7, cap. 3 et 6; lib. 15, cap. 7 et 13; Idacius in præfatione operis contra Warimadum; Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 2; synodus Toletana XV; Anselmus Monolog. c. 33, etc. Imò Sapientia ipsa Proverb. 8, 23: *Nondùm erant abyssi*, inquit, *et ego jam concepta eram*. Ergo natura propriè dici potest generans et genita. — Distinguo antecedens: Naturam gignentem et genitam, substantiam natam, sapientiam oriundam, id est, personam naturâ, sapientiâ et cæteris id genus prædita, seu in concreto, concedo; id est, naturam, substantiam et sapientiam in abstracto, subdistinguo: Gignentem et genitam, id est, sese communicantem et communicatam, concedo; id est, propriè productam, nego. Triplici sensu usurpari potest hæc locutio, 1° ita ut nomina abstracta formarum, naturæ videlicet, substantiæ, sapientiæ, etc., pro concretis, id est, personis ipsis, ut sæpè fit, accipiantur; 2° ita ut gignere et gigni nihil aliud sit quàm communicare et communicari; 3° ita ut natura in abstracto sumatur (quæ maximè propria significatio est), et gignere idem est ac producere juxta vulgarem notionem. Duplex prior interpretatio catholica est; tertia

(1) Ratio non minùs decretoria quàm simplex vulgò affertur, videlicet essentiam sive in Deo, sive in creaturis, non per se et immediatè, sed per suas tantùm agere facultates. (Ed.)

verò probari non potest. Primam afferunt Petrus Lombardus in 1, dist. 5; S. Thomas 1 parte, quæst. 39, art. 5, et reliqui vulgò scholæ doctores. Secundam præfert Petavius lib. 6 de Trinit. cap. 12, eamque veterum menti magis esse consentaneam putat. Nos utramque amplectimur; ita ut primam ad antiquiorum dicta, secundam ad recentiorum sententias referendam esse existimemus.

Objicies 2° : Ricardus Victorinus lib. 6 de Trinit. cap. 22, Lombardum tacitò nomine perstringit, quòd neget substantiam gignere substantiam. — Distinguo antecedens : Hâc in parte à Lombardo solâ loquendi ratione discrepans, concedo; quasi naturam reipsà gigni voluerit, nego. Lombardus igitur habitâ ratione vulgaris notionis, quam *generationis* nomen præ se tunc ferebat, id est, distinctionis, nolebat dici substantiam gignere substantiam, quia unica substantia in Deo est : Patres verò aliter loquentes explicari oportere statuebat; Ricardus autem contrà censebat veterum dictis esse inhærendum, ita ut generatio pro communicatione sumeretur, nec ullum discrimen inveheret. Re itaque ipsâ concordabant, sed de loquendi modo altercabantur. Lege Petavium ibidem, num. 3.

Objicies 3° : Ideò natura humana in abstracto non generat, quia scilicet in abstracto non existit, sed tantùm in individuis multiplicata. Ergo, cùm datura divina existat contrà in abstracto, potest per se ipsa generare. — Nego antecedens. Quòd enim natura humana communis non generet, id non oritur duntaxat ex eo quòd in solis individuis existat, sed ex eo maximè quòd, si alteram generaret, jam duæ essent naturæ humanæ communes; quod absurdum est. Jam verò quantò absurdius fuerit duplicem esse naturam divinam, id est, infinitam (1)!

Assertio II. — Natura divina, præcisis per mentem intellectu et voluntate, non est per sese principium divinarum processionum.

Probatur 1° Quia, ut modò ostendemus, juxta Scripturam et Patres, Filius quidem per intellectum, Spiritus autem sanctus per voluntatem procedit. Probatur 2° : Quia hæc opinio tot incommoda secum importat, ut meritò ab omnibus theologis explosa sit. Hâc enim positâ explicari non potest, 1° cur *Filius* Verbum dicatur, non item Spiritus sanctus; quod enim reponit Durandus, ita *Filium* dici, quia videlicet est primus à Patre procedens, quemadmodùm Verbum in hominibus priùs in mente effingitur, quàm voluntas in actum erumpat, id dilutum ac frigidum est; 2° cur Filius esse censeatur origine prior, quàm Spiritus sanctus; 3° cur Spiritus sanctus è Filio potiùs procedat quàm Filius è Spiritu sancto; 4° cur duæ sint tantùm processiones, non plures, non infinitæ; 5° cur processio Filii potiori jure *generatio* appelletur, quàm Spiritûs sancti. Si enim sola natura divina per sese sit ex æquo principium utriusque processionis, nihil assignari potest, quo una ab alterâ ita distinguatur; et cùm natura una sit, humana mens non capit, cur non exhauriatur infinitâ aliquâ processione; quòd si unâ non exhauritur, cur duabus exhaurietur? quidni infinitas eâdem ratione admittat? Atque hinc est quòd alii hanc Durandi doctrinam temeritatis, alii erroris, alii hæreseos notâ configant.

Objicies 1° : Natura divina, seclusis per mentem intellectu et voluntate, fœcunda esse intelligitur, quatenùs infinita est. Ergo iis præcisis concipi debet ut principium divinarum processionum. — Distinguo antecedens : Fœcunda radicaliter et remotè, concedo; proximè, nego. Non enim cogitatur fœcunditatem istam exercere, nisi per proprias sibi facultates

Instabis : Naturæ creatæ per sese agunt et producunt. Ergo multò magis divina. — Nego antecedens. Media enim semper intercedit naturam inter et actionem potentia seu facultas.

Objicies 2° : Multi è sanctis Patribus indicant naturam esse principium generationis Filii. Hilarius enim libro de Synodis. ad anath. 24 : « Omnibus, inquit, creatis substantiam » Dei voluntas attulit; Filio verò natura dedit. » Idacius Præfatione operis contra Warimadum, ait naturam de se Filium generare; Augustinus lib. 15 de Trinit. cap. 20, Christum esse Filium Dei naturâ; Damascenus lib. 1 de Fide cap. 8 et 13, generationem esse opus naturæ. Ergo. — Distinguo antecedens : Esse principium remotum, concedo; unicum, nego. Quo circa Patres illi, cùm hæc et similia dicunt, non

(1) Falsum insuper omninò est quod in consequente supponitur, nempe divinam naturam existere in abstracto. Etenim, ait Turnelius q. 2, art. 3, « existit illa et subsistit reipsà in tribus personis, per personales et hypostaticas earum proprietates contracta, non aliter; atque philosophi, qui Deum unum concipiebant, ignoratâ personarum trinitate, non concipiebant haud dubiè essentiam divinam abstractam ab omni individuo seu personâ, sed confusè Deum tanquàm personam subsistentem sibi animo repræsentabant » (Ed.)

ad nostram quæstionem spectant, sed ad fidei dogma, quo Christus naturâ suâ Dei Filius esse creditur, in quo ab hominibus reliquis et Angelis differt, qui creati sunt, et gratiâ duntaxat à Deo in filios asciti; ita verò adversùs Arianos et ejusdem generis hæreticos loquebantur. Cæterùm Hilarius non fideliter exscribitur (1).

Instabis 1° : Iidem et alii passim prædicant Filium è substantiâ Patris genitum esse. — Distinguo : E substantiâ quam generatione secum communicatam acceperit, concedo; è substantiâ, quasi ex uno, quod habuerit, generationis principio, nego. Iis enim ac similibus verbis nihil aliud significare voluerunt majores nostri, quàm Christum non ex nihilo esse creatum, sed ex ipsâ Dei substantiâ, quam generatione acceperit cum Patre eamdem.

Instabis 2° : Veteres plerique definiunt Filium è toto Deo procedere. Ergo ex naturâ. — Distinguo antecedens : E toto Deo procedere, eo sensu quòd totam divinitatem habeat, non autem aliquam ejus duntaxat partem, idque adversùs hæreticos, qui contrarium docebant, ut olim monuimus, concedo; quòd non sit aliqua peculiaris facultas per mentem ab essentiâ distincta, ex quâ proximè prodire intelligatur, nego.

Instabis 3° : Adeò non distinguunt illi ejusmodi facultates, ut etiam asserant Filium à Patre voluntate esse genitum. Justinus Apolog. 2; Marius Victorinus lib. 1 adversùs Arium, etc. — Distinguo antecedens : Voluntate, id est, spontaneâ naturæ inclinatione, non cæcâ necessitate, concedo; quasi voluntas sit principium proximum ejus processionis, nego. Igitur ex antiquis non pauci, quod non diffitemur, ita locuti sunt, quos cùm imitati essent præsules synodi Syrmiensis adversùs Photinum, anathematismo 25; Hilarius libro de Synodis, id scriptum esse testatur, ne data hæreticis occasio videretur, ut necessitatem Deo Patri gignendi ex se Filii adscriberent, tanquàm naturali lege cogente, invito se ediderit. Ita ergo locuti sunt adversùs quosdam hæreticos. Sed cùm alterâ ex parte Ariani eâdem loquendi ratione uterentur, ut significarent Filium non naturaliter, nec ex ipsâ substantiâ Patris, sed ex libero illius decreto prodiisse, plerique alii definierunt Filium non esse voluntate genitum : v. g., Athanasius oratione 2 et 4 adversùs Arianos; Gregorius Nazianzenus orat. 35; Nyssenus lib. 1 contra Eunomium; Epiphanius hæresi 69, etc. De quo consulendus est Petavius lib. 6, cap. 8.

Instabis 4° : Imò verò asserunt Filium è Patris voluntate procedere. Sic Patres synodi XV Toletanæ, aliique ibidem à Petavio laudati, quibus etiam multi adjici possent. — Distinguo antecedens : Procedere è Patris voluntate in sensu identico, quia nempe in Deo essentia, intellectus et voluntas sunt quid unum, ut iidem Toletani præsules exponunt, concedo; in sensu virtuali, nego.

Assertio III. — Solæ relationes non sunt principia divinarum processionum.

Probatur 1° ex omnibus Patribus, quos modò vidimus asserere Filium ex naturâ et essentiâ Dei generari. Damasceni verba afferre satierit : « Generatio, inquit lib. 1 de Fide, cap. 8, « sempiterna est, ut quæ naturæ opus sit. » Probatur 2° ex S. Anselmo, qui de processione Spiritûs sancti disputans, Monologii cap. 54, aliàs 52: « Non ex eo procedit (Spiritus sanctus) « inquit, in quo plures sunt Pater et Filius, « sed ex eo in quo unum sunt. Nam non ex « relationibus suis, quæ plures sunt (alia enim « est relatio Patris, alia Filii); sed ex ipsâ suâ es- « sentiâ, quæ pluralitatem non admittit, emit- « tunt Pater et Filius tantum pariter bonum. »

Probatur 3° ratione. Principia enim divinarum processionum actuosa esse debent. Atqui relationes naturâ suâ nihil omninò agunt, nec ipsarum est agere. Ergo.

Et verò, relatio, v. g., paternitatis, vel spectatur quatenùs est forma hypostatica Patris, vel quatenùs est respectus ad Filium. Jam verò, quatenùs est forma hypostatica, Patrem quidem constituit, sed nihil omninò producit; quatenùs autem respicit ad Filium, non est ipso origine prior, relata enim sunt simul naturâ et cognitione, ut vulgare fert scholæ adagium; principium autem debet concipi ut origine prius eo quod producitur.

Objicies 1° : Non pauci ex antiquis existimant Patrem ex hypostasi suâ Filium generare. Atqui hypostasis Patris in relatione posita est. Ergo. — Distinguo majorem : Id est, ex semetipso tanquàm ex principio *quod*, concedo; id est, ex relatione tanquàm ex principio *quo*, nego. Hæc enim verba usurpant ad declarandam Filii cum Patre consubstantialitatem.

(1) Sic se habet S. Hilarii textus : « Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei attulit; sed naturam Filio dedit ex impassibili ac non natâ substantiâ perfecta nativitas. » Fatendum tamen S. Doctorem mox subjungere : « Nec dissimilem sui edidit natura naturam; » quod à verbis objectis parùm differt. (Ed.)

Objicies 2° : Illud solum est processionis Filii principium, à quo solo habet prima persona ut sit Pater. Atqui id habet à solâ paternitate. Ergo. — Distinguo majorem : A quo ut principio agendi ac generandi habet, ut sit Pater, concedo ; à quo ut formâ hypostaticâ, nego. Prima ergo persona habet ut sit Pater, 1° à naturâ divinâ, quæ ex se fœcunda est; 2° ab intellectu, per quem fœcunditas ista sese exerit ; 3° à paternitate, ut propriâ formâ hypostaticâ, quâ constituitur. Porrò, ne in creaturis quidem illud est principium generationis, quod est forma hypostatica generantis. Homo enim per vim suam, non per hypostasim generat.

Objicies 3° : Principium processionis debet distingui à producto. Atqui solæ relationes in Deo distinguuntur. Ergo.—Distinguo majorem. Principium *quod*, concedo; principium *quo*, subdistinguo : Penès aliquid sui, aut sibi adjunctum, concedo; omni ex parte, nego. Igitur in Deo distingui debet principium *quod*, seu persona producens à termino producto; principium etiam *quo* debet aliquâ ex parte ab eodem distingui (principium enim distinguitur ab eâ re cujus est principium), sed non omni ex parte; imò verò cùm principium *quo* sit forma in quâ debet assimilari terminus productus personæ producenti, quò magis una erit forma, eò perfectior erit assimilatio, ac proinde generatio.

Assertio IV. — Intellectus et voluntas sunt principia proxima divinarum processionum.

Probatur 1° ex Scripturis.

1° Enim Sapientia cap. 7, de se ipsâ loquens : *Ego*, inquit, *ex ore Altissimi prodivi.* Os autem Altissimi nihil aliud esse potest quàm mens et intellectus, quo Pater dicit et loquitur. 2° Joannes in Evangelio, cap. 1, v. 1, et in Epistolâ 1, cap. 5, v. 7, et in Apoc. 19, 3, Filium vocat *Verbum Dei.* Atqui Verbum è mente propriè procedit. Ergo.

Jam verò si Filius ex mente procedit, consequens est ut Spiritus sanctus è voluntate procedere existimetur. 1° Enim idcircò in Scripturis charitas et bonitatis opera ei adscribuntur, quæ ad voluntatem pertinent. 2° Si ex unâ facultate una persona fluat, ordo postulat ut altera ex alterâ facultate similiter manet. 3° Si non procedat è voluntate Spiritus sanctus, vel procedit ex ipsâ naturâ immediatè, vel ex eâdem quâ Filius, intelligendi facultate. At non ex naturâ; sic enim prior esset ejus processio quàm Filii, cùm natura cogitetur esse facultatibus suis prior. Non ex intellectu; ita enim Spiritus sanctus verî quoqu nominis Verbum foret. Ergo.

Probatur 2° ex Patribus. 1° Enim Tatianus in Oratione ad Græcos, asserit Filium Dei, ut pote Patris Verbum, per rationalem vim substitisse. 2° Athenagoras in Legatione pro Christianis, Filium esse Dei Verbum in ideâ, et ideò Verbum, quia Pater est rationalis. 3° Irenæus lib. 2, cap. 48 : « Deus, inquit, « totus existens mens, et totus existens Λόγος, « quod cogitat, hoc et loquitur; et quod loqui« tur, hoc et cogitat. » Ergo è cogitatione Verbum oritur, 4° Clemens Alexandrinus in Admonitione ad gentes, pag. 62 : « Filius, inquit, « mentis legitimus divinum illud Verbum. » 5° Tertullianus contra Praxeam cap. 5, eâ de causâ Filium appellat *Dei rationem,* quòd cogitando Pater illum producat. 6° Basilius hom. 6 in caput 1 Joannis : « Cur Verbum dicitur? in« quit, ut ostendatur ex mente processisse. » 7° Gregorius Nazianzenus orat. 36 : « Verbum « porrò dicitur, inquit, quia ita se habet ad « Patrem, ut sermo ad mentem. » 8° Gregorius Nyssenus Epist. contra Apollinarem : « Generatur, inquit, in corde, id est, in« teriùs in mente, Verbum, generatione « quâdam incomprehensibili atque incor« poreâ. » 9° Augustinus, postquàm de Verbo diutiùs disseruisset lib. 15 de Trinit., tandem cap. 13 : « Verbum, inquit, natum est... « de Patris scientiâ, de Patris sapientiâ. » Vide et lib. 9. 10° Cyrillus lib. 6 Thesauri, assertione 5 : « Si stultum est, inquit, arbitrari ni« hil ab humano intellectu prodire, quia et « Dominus hoc asserit, et res ipsa clamat, quo« modò non erit absurdum supremum intel« lectum, qui Deus est, quique omnem intel« lectum excedit, infœcundum opinari, aut « generationem ipsius corporum legibus subji« cere? præsertim cùm noster intellectus non « corporis more generet. » Vide et lib. 7, cap. 1. 11° Proclus de Fide ad Armenos : « Verbum, « inquit, ex illâ mente inseparabiliter et pro« cedens et manens est Filius. » 12° Fulgentius lib. 3 ad Monimum, cap. 7 : « Sic est « Verbum, inquit, apud Deum, sicut est in « mente verbum..... Cùm enim mens apud « se verbum habet, utique cogitando habet : « quia nihil aliud est apud se dicere, quàm « apud se cogitare. Cùm ergo mens cogi« tat,... cogitando intra se verbum generat. »

Quod autem pertinet ad Spiritum sanctum, Patres iidem significant illum è voluntate procedere; quâ de re potissimùm disputat

Augustinus lib. 6 de Trinit. cap. 12, et lib. 15, cap. 17, ubi Spiritum sanctum idcircò notat appellari *amorem, dilectionem, charitatem,* non autem *Filium,* quia voluntas imaginem suî ut mens non efformat.

Probatur 3° duplici ratione. — Prima est, quòd divinæ processiones sint productiones ad intra; proinde debeant ab iis facultatibus proximè manare, quæ solæ operantur ad intra. Atqui intellectus et voluntas sunt in Deo ejusmodi facultates. Ergo. — Secunda est, quòd ea sententia cæteris anteponenda sit, quæ reliquis est aptior ad varia mysterii sanctissimæ Trinitatis capita exponenda. Atqui talis est nostra sententia. Hâc enim positâ, quàm fieri commodissimè potest, explicatur, 1° cur secunda persona dicatur *Verbum*, non item tertia; quia nempe secunda sola per intellectum procedit; 2° cur processio Filii prior sit quàm Spiritûs sancti; intellectûs enim actio voluntati semper præit; 3° cur Spiritus sanctus procedat à Filio, non contrà; eò quòd nimirùm Filius eo, quo procedere cogitatur, instanti originis voluntatem à Patre accipit, nondùm ullâ productione exhaustam; 4° cur duæ sint processiones, non plures, cùm processiones tot esse debeant, quot facultates; 5° cur processio Filii generatio potiùs esse censeatur, quàm Spiritûs sancti, quia videlicet actio intellectûs vi suâ assimilativa est, non item voluntatis.

Objicies 1° : Intellectus et voluntas non sunt productivæ substantiarum ac personarum. Ergo Filius ac Spiritus sanctus non procedunt ab intellectu et voluntate. — Distinguo antecedens : Intellectus et voluntas finita, concedo; infinita, nego. Intellectus enim et voluntas in Deo producere debent ad intra. In Deo autem nullum accidens est. Ergo quidquid in eo producitur, substantia et persona est.

Objicies 2° : Tam principia processionum distingui inter se debent, quàm ipsi processionum termini. Atqui intellectus et voluntas realiter non distinguuntur; Spiritus autem sanctus et Filius realiter distinguuntur. Ergo intellectus et voluntas non sunt principia processionum Filii ac Spiritûs sancti. — Nego majorem. Multis enim exemplis evidenter probari potest ex unâ eâdemque re plura non solùm à se invicem distincta, sed etiam omninò diversa, posse procedere : sic ex uno Deo infinita rerum genera profecta sunt. Causa autem, cur processionum quidem termini realiter inter se distinguantur, non verò principia, est quòd in divinis ibi sit duntaxat realis distinctio, ubi intercedit relationis oppositio. At inter principia divinarum processionum nulla intercedit relationis oppositio; unum enim ab altero non producitur. Contrà verò Spiritus sanctus producitur à Filio.

Objicies 3° : Intellectio et volitio sunt tribus personis communes. Atqui actio generativa debet esse propria Patri; spiratio autem Patri et Filio. Ergo illæ non sunt in intellectione et volitione positæ; atque adeò processionum illarum principia non sunt intellectus et voluntas. — Distinguo majorem : Intellectio et volitio essentiales, concedo; notionales, nego. Porrò, Filius et Spiritus sanctus procedunt ex actibus notionalibus.

Objicies 4° : Si intellectus est principium processionis Verbi, nihil est cur Spiritus sanctus non producat cum Patre idem Verbum, siquidem habet eumdem intellectum. Atqui hoc falsum est. Ergo. — Nego majorem. Nam Pater, cùm sit prima persona, et in primo originis instanti habere concipiatur intellectum voluntatemque fœcundam, primò producit intellectûs terminum, qui secunda est persona. Hæc autem persona secunda, cùm intellectum à Patre accipiat suî ipsius productione exhaustum, Verbum aliud à se non producit quidem; sed cùm in illo secundo originis instanti, nondùm positus esse intelligatur voluntatis terminus, hunc simul cum Patre producit, quia unam eamdemque habet cum ipso voluntatem. In tertio verò originis instanti, quo tertia persona procedit, jam utraque facultas exhausta est per duplicis termini infiniti productionem. Proinde nihil illa ad intra ampliùs producere potest.

Assertio V. — Intellectus et voluntas non sunt principia divinarum processionum per actus essentiales, sed per notionales, quibus scilicet relationes propriæ adjunctæ sint.

Probatur ex Patribus, qui generandi potentiam propriam esse Patri statuunt. Ambrosius libro 4 de Fide cap. 4 : «Generatio paternæ «proprietatis est, inquit, non potentiæ.» Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 2 : «Proprium «Patris est, inquit, quòd Filium genuit.» Atqui intellectus et volitio essentiales sunt omnibus personis communes, non quibusdam propriæ. Ergo (1).

(1) Præterea id ipsâ ratione constat; nam, ut ait Montagnus, q. 5, art. 4, « principium *quo* processionum debet esse simul et distinctum à termino producto, et assimilativum; porrò in Deo sola intellectio et volitio non dis-

Assertio VI. — Relationes adjunctæ intellectioni et volitioni essentialibus, non sunt comprincipia influentia, sed tantùm conditiones ad productionem necessariæ.

Probatur eâdem, quâ assertio III, ratione. Relationes enim nihil agunt aut operantur.

Assertio VII. — Intellectio et volitio notionales ab essentialibus non discrepant, ut actus ab actibus, sed duntaxat ut includens et inclusum.

Probatur 1° : Quia si differrent ut actus ab actibus, alia esset actio intelligere, v. g., alia dicere, seu Verbum producere; sicque Verbum esset quidem terminus dictionis paternæ, sed non intellectionis divinæ. Atqui Verbum est terminus divinæ intellectionis, ut ex Patribus modò allatis patet, et ratio ipsa postulat. Ergo. Probatur 2°: Si intellectio et dictio duo forent intellectûs diversi actus, vel diversa haberent objecta, vel si unum duntaxat, illud saltem diversâ ratione attingerent. Atqui utrumque falsum est; aliàs Filius et Spiritus sanctus aut non omnia nôssent, quæ cognoscit Pater; aut aliâ saltem ratione nôssent, quo perfecta æqualitas perimeretur. Ergo.

Objicies 1° : Actio productiva distingui debet ab eâ quæ productiva non est. Atqui actio notionalis productiva est; non item essentialis. Ergo. — Distinguo majorem : Debet distingui vel ratione suî, vel ratione alicujus adjuncti, quod includat, concedo; ratione suî præcisè, nego.

Objicies 2° : Si dicere idem est quod intelligere, quicumque intelligit, is etiam dicere censendus foret, seu Verbum producere. Atqui hoc falsum est. Filius enim et Spiritus sanctus non minùs quàm Pater intelligunt; nec tamen Verbum ullum producunt. Ergo.— Distinguo antecedens majoris : Si idem est ex omni parte, concedo; si idem est tantùm in ratione actûs, nego. Porrò dicere et intelligere, sunt quidem unus et idem intellectûs actus: sed dicere relationem habet adjunctam, nempe paternitatis, quæ impedit quominùs dicere Filio conveniat aut Spiritui sancto.

ARTICULUS V.

De discrimine processionis Filii ac Spiritûs sancti.

Ex dictis jam liquet eò processiones illas differre, quòd una ab intellectu, altera à voluntate fluat. Sed ultra progredimur, et inquirimus an sola processio Verbi dicenda sit *generatio*, et quâ de causâ.

Generatio autem definitur: *Origo viventis à vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ* (1). 1° Vocatur *origo*, id est, emanatio, processio; quod commune est cujuslibet productionis nomen. 2° Additur *viventis*, ut à generationis proprietate submoveantur quæcumque vitæ expertia sunt, etiamsi aliunde è viventibus oriantur; sic ungues, capilli, calculi, si accuratè loqui voluerimus, non dicuntur generari. 3° *A vivente*, quia nempe non est veri nominis generatio, nisi utrumque, gignens videlicet et genitum, vitâ præditum sit; sic Adamus è luto fictus quidem, sed non genitus affirmatur. 4° *Principio conjuncto*, quo quidem duo significantur : 1° Illud unde procedit aliud vivens, ut propriè censeatur ex eo generari, debere esse principium activum illius productionis; 2° eidem debere conjungi per aliquid suî; sic, cùm liberi procreantur, parentes agunt, et aliquam substantiæ suæ partem cum iis communicant. Deficiente autem primâ conditione, Eva ex Adami costâ elaborata, ipsius filia dici non potest, quòd in eo opere Adamus passivè solùm se habuerit. Quia autem secunda deest, angeli et homines nequeunt dici ex Deo geniti esse. Licet enim vivant et à Deo vivente proficiscantur, nihil tamen habent in se divinæ substantiæ. 5° *In similitudinem naturæ*, quibus verbis duo pariter indicantur, 1° ad generationem requiri ejusdem naturæ, saltem specificæ, communionem; sic vermes è corpore humano erumpentes non dicuntur ab homine generari, quòd eamdem, specie saltem, cum ipso naturam non habeant; 2° actionem, quæ *generatio* nuncupatur, in hanc naturæ similitudinem naturâ suâ tendere oportere. Ea enim propria vis est generationis, ut simile quid naturâ edat. Satis autem est, si eò tendat per sese, quamvis fortè effectum non sortiatur; ita muli jure dicuntur ab equis esse geniti.

Sectio I.

An generatio dici debeat Verbi processio, et quidem sola.

Assertio I. — Processio Verbi dicenda est *generatio*.

Probatur 1° ex Scripturis. Ac 1° quidem ex iis locis, ubi hoc vocâbulum usurpatur. Psal.

(1) Vide quæ dicta sunt de generatione in primâ dissertatione prævià. (Ed.)

tinguitur à terminis productis, quibus communis est; sola etiam relatio non est assimilativa; imò relationibus personæ à se invicem distinguuntur; ergo intellectio, volitio et relatio simul sunt in Deo proximum et immediatum principium divinarum processionum.» (Ed.)

2, 7 : *Ego hodiè genui te.* Sic et Psal. 109, 3 : *Ex utero ante luciferum genui te.* Et Isaiæ 53, 8 : *Generationem ejus quis enarrabit* (1) ? 2° Ex aliis, ubi prima quidem persona *Pater*, secunda autem *Filius* appellatur. Ea enim processio jure dicitur *generatio*, cujus principium est Pater, terminus verò Filius. Atqui, etc. Sic Joan. 3, 35 : *Pater diligit Filium*, etc. Ergo.

Probatur 2° ex constanti Ecclesiæ fide et Patrum traditione quam supra repræsentavimus.

Probatur 3° ratione. Ea enim processio rectè *generatio* appellatur, quæ est origo viventis à vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ. Atqui talis est Verbi processio. 1° Enim est *origo*, ut vel ex ipso nomine liquet ; 2° *Viventis à vivente* : Joan. 5, 26 : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso ;* 3° *Principio conjuncto.* Non enim partem aliquam duntaxat substantiæ Patris habet Filius, sed totam substantiam ; Joan. 10, 30 : *Ego et Pater unum sumus.* Et versu 38 : *Pater in me est ;* 4° *In similitudinem naturæ.* Ad Hebræos enim 1, 3, nominatur *figura substantiæ ejus*, idque ipsâ vi processionis, ut paulò post declarabitur.

Objicies : Generatio mutationem, substantiæ divisionem, ac multiplicationem includit. Atqui hæc in Deum non cadunt. Ergo. — Distinguo majorem : Generatio imperfecta, qualis est humana, concedo ; generatio ex sese, ac genèratim, nego. Ista enim generationis allata mox notio non complectitur. Quod autem speciatim pertinet ad naturæ multiplicationem, certè, si generatio eò tendat ut simile naturâ producat, tantò illa perfectior est, quantò magis natura erit eadem.

ASSERTIO II. — Sola Verbi processio dici debet *generatio*.

Probatur 1° ex Scripturis, quæ non solùm nunquàm tribuunt hoc nomen alteri processioni, sed etiam conceptis verbis definiunt Verbum esse Filium Dei unigenitum ; Joannis Evang. cap. 1, v. 14 et 18 ; c. 3, v. 16 et 18 ; 1 Epist. c. 4, v. 9.

Probatur 2° ex symbolis apostolico, Nicæno, Constantinopolitano, Athanasiano, ut vulgò nominatur, aliisque fidei professionibus, quæ aut apud Patres, aut in conciliis occurrunt. Ubique enim Christus dicitur Filius Dei unicus, aut unigenitus.

(1) Jam notavimus, q. 1, art. 1, in eo textu non de æternâ Verbi generatione mentionem fieri, ut probabile est, sed de filiis ab ipso generandis. (Ed.)

Probatur 3° Ecclesiæ judicio, quæ pro hæreticis semper habuit eos, qui plures Filios admittebant in Deo. Tales fuêre Valentiniani teste Irenæo lib. 1, cap. 1 ; talis Marcion, ut perhibent Justinus Apolog. 2 ; Tertullianus lib. 4 adversùs ipsum, cap. 6 ; Athanasius in Sabellianos ; Optatus lib. 4. De quo consule Cotelerium ad lib. 6 Constit. cap. 11.

Probatur 4° unanimi Patrum consensu. Quâ in parte consulendi sunt inprimis Clemens Alexandrinus lib. 1 Pædag. cap. 5, pag. 102 ; Canon apostolicus 41, aliàs 49 ; auctor Constitut. apostol. lib. 6, cap. 11 ; Eusebius lib. 4 Demonst. evang. cap. 3, etc.

Objicies 1° : Christus dicitur *primogenitus Dei.* Atqui primogenitus fratres habet filios ex eodem Patre genitos. Ergo præter Verbum est aliquis alter in Deo Filius, nempe Spiritus sanctus. — Distinguo majorem : Dicitur primogenitus, quòd nullus ante ipsum genitus sit, concedo ; habitâ ratione aliorum consequentium, subdistinguo : Inter creaturas, è quibus Deus filios sibi postmodùm adscivit, concedo ; respectu Spiritûs sancti, nego. Primogenitus ergo in Scripturis appellatur is ante quem nullus genitus est, licet nullus exinde filius consecutus fuerit ; sic Maria dùm in lucem Christus edidit, dicitur peperisse primogenitum suum. Si autem dicitur Christus *primogenitus Dei* respectu aliorum consequentium filiorum, id de creaturis intelligendum est, non de Spiritu sancto ; vocatur enim idcircò *primogenitus omnis creaturæ.*

Instabis 1° : Vel Spiritus sanctus genitus est perinde ac Verbum, vel est ingenitus. Atqui non est ingenitus. Ita enim solus Pater nuncupatur. — Nego majorem (1). Spiritus enim sanctus nec genitus est, nec ingenitus, sed procedens, seu non genitus.

Instabis 2° : Qui vivens de vivente principio conjuncto procedit, naturâ similis principio suo, is meritò *genitus* nominatur. Atqui talis est Spiritus sanctus. Ergo. — Distinguo majorem : Si naturâ similis sit principio suo vi processionis divinæ et formaliter, concedo ; si materialiter tantùm et identicè, nego. Hæc ex dicendis illustrabuntur.

SECTIO II.

Cur sola processio Verbi dicenda sit generatio, non autem Spiritûs sancti.

Ardua est hæc quæstio, et ipsa, ut ita dicam,

(1) Spiritus sanctus innatus est per exclusionem generationis ; Pater verò per exclusionem processionis cujuscumque. (Ed.)

mysterii viscera rimatur. Quocirca, ne modestiæ fines videamur transilire, cautio est adhibenda.

Notanda. — 1° Itaque observandum est, nullam hujus discriminis causam, quæ evidens sit, et undequaquè satisfaciat, assignari posse. Id enim arguunt omnia illa cùm Scripturæ tùm Patrum loca, quæ olim fusè allegavimus, ut demonstraremus hoc mysterium supra omnem humanæ mentis captum esse positum. Deinde hoc ipsum speciatim plurimi veteres confitentur. Hippolytus martyr de hoc arcano disserens homil. contra Noetum : « Apud se, inquit, « Pater servat, revelaturus tunc sanctis, qui « ut faciem ejus videant digni erunt. » Athanasius epist. 1 ad Serapionem : « Hæc, inquit « (quod nempe Verbum Filius sit, at Spiritus « sanctus non item), sufficiunt fidelibus. Huc- « usque enim humana pertingit cognitio; huc- « usque cùm ventum est, Cherubim pennis « obvelant faciem ejus. » Basilius in oratione contra Sabellianos : « Filius, inquit, à Patre « per generationem, Spiritus verò ex Deo « modo arcano et ineffabili. » Gregorius Nazianzenus orat. 23 : « Nam si rationem inqui- « ris, inquit, quid iis relinques, quos solos « cognoscere invicem, et à se ipsis cognosci « Scriptura testatur, aut iis etiam nostrûm, « qui posteà divinitùs illuminabuntur? » Augustinus lib. 3 contra Maximinum cap. 14 : « Quid inter nasci et procedere, inquit, inter- « sit..... explicare quis potest?..... Hæc scio; « distinguere autem inter illam generationem « et hanc processionem nescio, non valeo, « non sufficio. »

2° Ejusmodi rationem non esse curiosè ac contentiosè indagandam, et in susceptis adversùs hæreticos importuniùs hâc in parte instantes pugnis, ab ullâ id genus proferendâ, abstinendum esse; majores enim nostri exemplis suis et verbis id nos docuêre. Irenæus lib. 2, cap. 48, adversùs hæreticos disputans, qui Verbi generationem exponere se posse gloriabantur : « Inenarrabilis, inquit, genera- « tio ejus cùm sit, quicumque nituntur gene- « rationes et prolationes enarrare, non sunt « compotes sui, ea, quæ inenarrabilia sunt, « enarrare promittentes. » Athanasius oratione 2 contra Arianos, qui omnia scrutari volebant, in eoque Catholicis erant molesti : « Ludos, « inquit, curiositatibus suis infames agunt, « voluntque scrutari profunda Dei, quæ nullus « scit, nisi Spiritus Dei. » Oratione autem 3 : « Indecorum est quærere, inquit,... quomodò « generat Deus, et quis sit modus generatio « nis Dei. Insanus enim sit, qui talia audeat... « Sed ut tale aliquid sciscitari impium est, et « eorum proprium, qui ignorant Deum; ita « neque fas est in Filii percontandâ genera- « tione eamdem audaciam sumere. » Basilius homil. 29 : « Credis genitum esse? ne quære « quomodò... Sin audire me non vis, sed con- « tentiosè pergis, rideo te, vel potiùs temeri- « tatem tuam defleo. » Gregorius Nazianzenus oratione 1, de Filio : « Quomodò, inquit, geni- « tus est? id enim indignabundus repeto. Dei « generatio honoretur silentio. » Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 11 : « Deum quidem, « inquit, habere Filium crede. Quinam verò id « fiat, ne curiosè quærito. » Cur autem ita gerere nos debeamus aperit Augustinus, seu quis aliusauctor libri contra Felicianum, cap. 8 : « Hoc, inquit, fides credat, intelligentia non « requirat, ne aut non inventum putet incre- « dibile, aut repertum non credat singulare. »

Scilicet hæretici, dùm nihil affertur quod perspicuum sit et animos omninò persuadeat, fidem catholicam irrident, et è scholarum certaminibus triumphos agunt; quò fit ut in errore suo pervicaciores sint, et alios in eamdem secum ruinam trahant, quasi his duntaxat fides nostra innitatur.

3° Modestè tamen inter Catholicos hujus rei causam investigari, et verisimilem afferri posse. Sancti enim doctores, qui hæreticorum temeritatem divina pervadere tentantium, tam acriter retundebant, non solùm sine ullâ reprehensione, sed etiam laudabiliter in hoc discrimine enucleando, quantùm fieri potest, versati sunt, pluresque illius explicandi vias tradiderunt: præcipuas recensebimus. 1° Enim Augustinus ideò Verbum esse Filium, non autem Spiritum sanctum asserit, quòd Filius ex uno quidem procedere queat, non possit autem procedere è duobus, nisi ex Patre et matre; unde consequens foret Spiritum sanctum, qui à Patre et Filio procedit, si Filius diceretur, habiturum esse Filium pro matre, quod absurdissimum est. « Utrumque intelli- « gitur, inquit lib. 15 de Trinit. cap. 26, quan- « tùm à talibus, quales nos sumus, intelligi « potest, cur non dicatur natus esse, sed po- « tiùs procedere Spiritus sanctus; quoniam « si et ipse Filius diceretur, amborum utique « Filius diceretur, quod est absurdissimum. « Filius quippe nullus est duorum, nisi patris « et matris. Absit autem ut inter Deum Pa- « trem et Deum Filium aliquid tale suspice-

« mur. » etc. Augustino præiverant Basilius epist. 43 et Gregorius Nyssenus lib. 1 contra Eunomium. Eumdem verò assectati sunt auctor opusculi de Trinitate et de Unitate Dei, cap. 3; Paschasius diaconus lib. 1 de Spiritu sancto, cap. 12; Isidorus Originum l. 7, etc.... 2° Idem Augustinus l. 5 de Trinit. c. 14, aliam rationem affert; propterea nempe Spiritum sanctum non dici Filium, quia processit non ut natus, sed ut datus : « Exiit, inquit, non « quomodò natus, sed quomodò datus : et ideò « non dicitur Filius. » Quam sententiam non pauci deinceps usurpârunt ex antiquis. 3° Alii alias causas adduxerunt, quas apud Petavium de Trinit. lib. 7, cap. 13, vide; v. g., ne si duo Filii in Deo admitterentur, infinita filiorum multitudo, ut apud homines, ita in Deo cogitaretur; ne si Spiritus sanctus esset Filii Filius, putaretur Patris æterni nepos, etc.

Quod cùm ita sit, illud sanè vitio verti non debet theologis, quòd in id accuratiùs incubuerint, cùm iis tot ac tanti viri exemplo suo præluxissent. Sed cùm hâc in parte quisque pro virili desudat, in varias sententias abierunt.

Variæ opiniones. — Prima est Richardi Victorini lib. 6 de Trinit. cap. 18; Alensis parte 1, quæst. 42, membro 2, et nonnullorum aliorum, qui putant Verbum dici Filium, quia à Patre naturam fœcundam accipit, non item Spiritus sanctus, quia fœcundam non accipit.

Secunda est S. Bonaventuræ in 1 sentent. dist. 13, quæst. 2; Richardi de Mediâ-Villâ ibid. art. 1, quæst. 3, qui triplicem distinguunt ex Deo procedendi rationem; ac 1° quidem secundùm voluntatem, quo modo creaturæ à Deo productæ sunt; 2° præter naturam, quo pacto Eva ex Adamo facta est; 3° secundùm naturam, ut Seth ab Adamo procreatus est. Censent porrò Filii processionem secundùm naturam fieri debere, non secundùm voluntatem. Cùm ergo Spiritus sanctus è voluntate manet, ipsum non posse esse Filium definiunt.

Tertia est Scoti ibidem, quæst. unicâ, Aureoli, et aliorum, qui aiunt Verbi processionem seipsâ esse generationem; Spiritûs autem sancti processionem seipsâ esse spirationem; neque aliud esse quærendum hâc in parte.

Quarta est Bartholomæi Torres, episcopi Canariensis, quæst. 27, art. 2; Vasquesii 1 parte, disp. 113, cap. 7, et aliorum quorumdam, qui existimant Verbum quidem esse Filium, non item Spiritum sanctum (1); quia videlicet Filius cùm debeat esse similis Patri, omnes ejus characteres etiam personales exprimat necesse est : proprium autem est Verbi, ut hujusmodi imago Patris sit, cùm sit expressa ipsius similitudo, eo ipso quòd Verbum est.

Quinta est Suaresii lib. 11 de Trinit. c. 6, n. 14, Isamberti, etc., qui statuunt ideò Verbum esse Filium, quia à Patre procedit sub ratione intellectionis actualis, quæ est ultima Dei differentia, et veluti gradus ejus constitutivus. Itaque cùm intellectionem istam vi processionis suæ accipiat Verbum, vi ejusdem processionis naturam divinam accipit; adeòque vi processionis suæ procedit in similitudinem naturæ cum Patre; quod non similiter Spiritui sancto convenit, utpote qui procedat per voluntatem.

Sexta est denique S. Thomæ quæst. 27 et 34, Cajetani, Capreoli, Ferrariensis, Bannesii, qui opinantur idcircò Verbum esse Filium, quòd nempe procedat per intellectum, cujus hæc propria vis est, ut terminum sibi assimilet, Spiritum autem sanctum non esse Filium, eò quòd à voluntate procedat, cujus natura non est ut similem terminum producat.

Assertio I. — Filius eò non censetur genitus, quòd à Patre naturam fœcundam accipiat, nec naturæ similitudo generationis definitione expressa, in ejusmodi fœcunditate sita est.

Probatur 1° ex naturâ generationis in universum, quæ fœcunditatem per sese non postulat, nedùm eam in notione suâ includat. Sic muli generantur, nec tamen illi fœcundi sunt; sic non pauci liberi verè geniti reperiuntur, naturâ tamen suâ steriles. Quamvis autem fœcunditas in quolibet genito reperiretur, non eò certè censeretur genitus. Eò enim quispiam Filius esse censetur, quòd si-

(1) Quia licet uterque vi processionis Patri similis sit in naturâ, Filius tamen solus procedit ut Patris imago. Itaque isti theologi distinguunt rationem imaginis à similitudine naturæ, arbitrantes non ipsam duntaxat naturam, sed etiam notionales seu personales Patris characteres imagine exprimi; atque Filium non ideò præcisè genitum volunt quòd vi processionis Patri similem habeat naturam, quod vel ipsi Spiritui sancto convenit; sed quia insuper notionales et personales Patris proprietates repræsentat, estque ejus imago utpote per intellectum procedens, quod non convenit Spiritui sancto. (Ed.)

milem naturam accepit à Patre; fœcunda autem ne sit, annon, de eo ne cogitatur quidem, quia videlicet prius est genitum esse Filium, quàm fœcundum esse, et fœcunditas generationi velut extrinseca et adventitia esse existimatur.

Probatur 2° speciatim ex naturâ divinæ generationis. 1° Enim si Verbum, ut Filius sit, debet esse fœcundum, ita debet esse fœcundum, ut Pater fœcundus est. At Filius profectò non est eo modo fœcundus, quo Pater. Nam Pater ita fœcundus est, ut et per mentem Filium producat, et per voluntatem Spiritum sanctum. Atqui non est ita fœcundus Filius, utpote qui per intellectum nihil producat, nec alterum filium gignat. 2° Si Filius eò genitus esse statueretur, quò fœcundus est, et producit Spiritum sanctum, eò esset Filius quò spirator. Atqui hoc falsum est; priùs enim esse Filius cogitatur, quàm spirator; deinde verò Filius est per respectum ad Patrem; spirator autem per respectum ad Spiritum sanctum. Ergo.

Probatur 3°, quia si in istâ fœcunditate reponeretur naturæ similitudo quam generatio poscit, inde consequens foret, 1° Spiritum sanctum nullatenùs esse naturâ similem cum Patre et Filio; siquidem nullâ ex parte fœcundus est; 2° Filium non habere perfectam cum Patre naturæ similitudinem, cùm non habeat eamdem fœcunditatis rationem. Atqui neutrum dici potest, idque catholicis auribus intolerabile foret; 3° longè perfectiorem esse in hominibus quàm in Deo generationem, quia apud homines Filius eâdem prorsùs generandi facultate præditus est quâ Pater; quod Filio Dei non competit. Atqui hoc absurdum est. Ergo.

Objicies 1° : Quod convenit omni filio, illud est de naturâ generationis. Atqui fœcunditas omni filio sive creato, sive increato convenit. Ergo. — Distinguo majorem : Quod convenit ut primarium generationis constitutivum, concedo; ut appendix eaque non omninò necessaria, nego. Hæc ex primâ probatione intelliguntur.

Objicies 2° : Eò Filius divinus constituitur, quò similitudinem habet cum Patre, quam non habet Spiritus sanctus. Atqui fœcunditate solâ Filius quamdam habet cum Patre similitudinem, quam non habet Spiritus sanctus. Cæterà enim prorsùs similes sunt. — Distinguo majorem : Si illud in quo posita est hujusmodi similitudo sit quid primum in generatione, concedo; si duntaxat secundarium quid, nego. Porrò fœcunditas est aliquid duntaxat secundarium. Ita è cæco nascatur cæcus, non ideò magis erit filius, quàm alter, qui non sit cæcus. Differt autem Filius à Spiritu sancto non modò per fœcunditatem istam; sed etiam per peculiarem sibi processionis rationem. Fœcunditas verò ad intrinsecam generationis notionem non pertinet, sed processionis modus.

Assertio II. — Non ideò Verbi processio dicitur generatio, quòd sit secundùm naturam; processio verò Spiritûs sancti non item, quòd sit secundùm voluntatem.

Probatur multifariàm. 1° Enim non intelligitur cur processio Verbi sit secundùm naturam, non item Spiritûs sancti, cùm una per intellectum, altera per voluntatem fiat. 2° Procedere secundùm naturam vel idem est quod procedere necessariò, non autem liberè, vel idem est quod procedere ex fœcunditate naturæ divinæ. Atqui neutro ex capite ullum est discrimen Filii inter ac Spiritûs sancti processionem. Spiritus enim sanctus necessariò, non liberè producitur, et perinde ac Filius ex naturâ divinâ, ut principio remoto, procedit. 3° Videntur illius sententiæ auctores in voce ambiguâ ludere, dùm aiunt, hinc quidem, unum esse ex Deo procedendi modum, nempe secundùm voluntatem, quâ ratione creaturæ ab ipso proficiscuntur; illinc autem eum, qui ita procedit, non posse esse verum Dei Filium. Nam duo sunt modi ex Deo procedendi secundùm voluntatem; ac 1° quidem liberè et ad extra, quo modo creaturæ procedunt cùm creantur; 2° ad intra et necessariò per communicationem divinæ naturæ, quo modo solus Spiritus sanctus procedit. Reipsà non potest esse Dei Filius naturalis, qui ab ipso procedit secundùm voluntatem liberam, dùm ad extra ab ipso creatur; sed difficultas semper manet, cur alter procedendi secundùm voluntatem modus ad generationem non sufficiat, quandoquidem ille videatur meritò dici *genitus*, qui è vivente vivens, et naturâ similis procedit.

Assertio III. — Multò minùs propositæ difficultati faciunt satis, qui respondent Filii processionem seipsâ esse generationem, et Spiritûs sancti processionem seipsâ esse spirationem.

Probatur. Quia idem nodus semper superest. In eo enim quæstionis cardo vertitur, cur Verbi processio sit seipsâ generatio, non

item Spiritûs sancti. Hanc autem causam, quam inquirimus, illi nullatenùs aperiunt.

Assertio IV. — Filius non ideò dicitur genitus quòd à Patre procedat, ut ipsius imago per mentem expressa.

Probatur. Vel enim illa imaginis ratio posita est in reali naturæ similitudine, vel in intentionali naturæ Patris ac personalium ipsius characterum expressione. Atqui neutrum asseri potest. Non prius, tum quia illius opinionis auctores hancce realem naturæ similitudinem sufficere non putant ad generationem; tum quia si satis illa esset, non appareret ratio cur Spiritus sanctus non esset Filius perinde ac Verbum, cùm naturâ perinde similis sit Patri. Non posterius, tum quia hæc intentionalis repræsentatio ad generationem non requiritur, ut ex generationis definitione compertum est, et ex humanâ generatione speciatim innotescit, quæ certè non tendit in ejusmodi similitudinem intentionalem, nec eam efficit; tum quia illa intentionalis repræsentatio ad generationem non sufficit. Si quis enim homo seipsum noscat, intentionalem id genus suî imaginem ac repræsentationem effingit; nec tamen idcircò dicetur generare; nec fœtus ille mentis propriè *filius* nominabitur. Adde quòd characterum personalium Patris repræsentatio non sit necessaria ad generationis notionem, et citra eam filius esse possit. Quotusquisque enim est filius qui corporis lineamentis ac conformatione patrem omninò exprimat? An verò non erit idcircò veri nominis filius? Imò eo ipso filius est, quòd ab ipso naturam eamdem accipit.

Objicies 1° : Plurimi sunt sancti Patres, qui affirment Verbum esse Filium Patris, eò quòd ipsius sit imago, quorum testimonia Vasquez laudat, et prolixiùs refert Petavius. — Distinguo antecedens : Quòd ipsius sit imago naturalis, et quidem vi processionis, concedo; intentionalis, qualis mente effingi solet, nego. Constat enim veteres illos ad naturæ similitudinem perpetuò respexisse, ut illicò deprehendet, qui eorum verba expendere voluerit.

Objicies 2° : Eò magis aut minùs dicitur quispiam esse patris alicujus filius, quò magis aut minùs eum repræsentat. — Distinguo antecedens : Populari more, concedo; accuratè loquendo, nego. Potest enim quispiam alterum repræsentare, nec tamen ejus esse filius; contra autem potest esse quis filius ejus, cui nec vultu, nec corporis conformatione similis sit.

Objicies 3° : Si ad generationem sufficit naturæ ejusdem communicatio, ignis ex altero accensus dicetur ex eo genitus, ejusque filius. Atqui hoc insulsum est. — Nego majorem. Ad generationem enim in universum necessaria est naturæ ejusdem viventis communicatio; ad filium autem constituendum vivens rationale. At ignis non vivit; multò autem minùs est rationalis.

Assertio V. — Verbum divinum non est propterea Filius Dei, quòd per intellectum procedens, vi originis istius intellectionem accipiat actualem, tanquàm propriam Dei naturam.

Probatur. Hæc enim doctrina falso innititur fundamento, quòd nempe natura Dei in intellectione actuali reponenda sit. Id enim, ubi de divinis attributis, propugnari non posse demonstravimus, quia natura est in re quâlibet quid primum, fonsque cæterorum; intellectio verò actualis priorem se agnoscit intelligendi facultatem; facultas autem ipsa naturam.

Assertio VI. — Positâ communi philosophandi ratione, nulla probabilior causa afferri potest, cur Verbum divinum sit Filius, non verò Spiritus sanctus, quàm quòd Verbum divinum per intellectum procedat, vi suâ in naturâ assimilantem, Spiritus autem sanctus per voluntatem, cujus eadem proprietas non sit.

Probatur 1° ex Scripturis. Dùm enim illæ Verbum appellant *Filium*, eum verò, qui non est Verbum, non vocant *Filium*, satis arguunt Filium esse, quia Verbum est; Spiritum autem sanctum eò non esse Filium, quò non est Verbum.

Probatur 2° ex Patribus. Theophilus enim Antiochenus lib. 1 ad Autolycum : « Sapien« tiam si dixero (Christum), inquit, Filium ejus « dico. » Clemens Alexandrinus in Protreptico: « Verbum, inquit, genuinus est mentis Fi« lius. » Ambrosius lib. de Incarnatione Christi cap. 3 : « Si multa Verba, inquit, multi « Filii. » Augustinus in Psal. 44 ad hæc verba : *Eructavit cor meum verbum bonum; dico ego*, etc. « Ipsum *dico*, inquit, generationem Filii « significat. » Tractatu 44 in Joannem : « Eo « ipso Filius, inquit, quòd Verbum. » Tract. 48 : « Verbum Dei, inquit, semper cum Patre, « et semper Verbum; et quia Verbum, ideò Fi« lius. » Epist. 49, ait Christum dici Verbum et ideò Filium, quia Verbum. Denique lib. 9 de Trinit. cap. 12, ideò Verbum esse Filium asseverat non autem Spiritum sanctum,

« quia mens notitiam suam gignit, cùm se « novit, et amorem suum non gignit, cùm se « amat. » Adde Athanasium orat. 2 et 3 contra Arianos; Basilium homil. in cap. 1 Joan.; Gregorium Nazianzenum orat. 36; Isidorum Pelusiotam lib. 4, epist. 141; qui adversùs Arianos disputantes ex eo colligunt Christum esse verum Dei Filium, quòd sempiternum ipsius sit Verbum. Agmen claudet Anselmus Monologii cap. 8, ubi, « Verbum, inquit, mox ut « consideratur, se prolem esse ejus à quo est « evidentissimè probat, promptam præferendo « Patris imaginem; at amor apertè se prolem « negat. »

Probatur 3° ratione. Generatio enim est actio quæ tendit in naturæ similitudinem. Atqui intellectio divina vi suâ tendit in similitudinem substantialem. Intellectio enim generatim tendit in aliquam similitudinem, quam efformet. Ut autem similitudo duplicis est generis, altera intentionalis tantùm, altera substantialis, atque hæc perfecta est, illa imperfecta; sic duplicis generis est intellectio, creata videlicet ac divina, hæc quidem perfecta, illa autem imperfecta. Ut ergo intellectio generatim vi suâ tendit in aliquam generatim similitudinem producendam, et intellectio creata seu imperfecta vi suâ tendit in similitudinem imperfectam seu intentionalem; sic intellectio divina seu perfectissima vi suâ tendit in similitudinem perfectam seu substantialem; proinde generatio est.

Jam verò voluntatis divinæ non est eadem ratio. Voluntatis enim proprius fœtus non est similitudo quæpiam aut unitas; sed pondus, impulsus et affectus. Uno verbo voluntas generatim tendit per se duntaxat in unitatem tantùm metaphoricam, non veram, non realem, non propriè dictam: atque adeò voluntas, etiam perfectissima, vi suâ non tendet nisi in unitatem metaphoricam, in eo quidem genere perfectissimam, sed tamen intra metaphoricæ unionis genus semper inclusam. Differentia enim specifica, ut aiunt logici, genus quidem extendit, sed non mutat. Atqui ad generationem requiritur similitudo realis et substantialis, unitas naturæ vera, non metaphorica. Ergo voluntas divina poterit quidem producere pondus, affectum et impulsum infinitum; nunquàm verò similitudinem realem aut veram naturæ unitatem. Proinde ejus actio nunquàm poterit esse generatio.

Objicies 1°: Non minùs voluntas divina similem in naturâ producit, quàm intellectus. Non minùs enim Spiritus sanctus similis est Patri et Filio in naturâ quàm Filius Patri. Ergo nullum discrimen est. — Distinguo antecedens: Non minùs producit similem in naturâ, sed non eodem modo, concedo; eodem, nego. Terminus enim intellectionis divinæ naturâ similis est Patri vi processionis suæ formaliter; quia intellectio perfectissima ex sese tendit in ejusmodi similitudinem. At terminus voluntatis divinæ non est similis in naturâ, nisi materialiter et identicè, quia nempe reperitur in Deo, et quidquid est in Deo, Deus est. Quapropter, si fieri posset ut esset perfectissima quædam intellectio, quæ non esset divina, nihilominùs eadem produceret substantialem principii et objecti sui similitudinem. At nisi voluntas perfectissima eadem foret divina, terminus quidem ipsius esset perfectissimus in ratione affectûs et impulsûs, sed non ideò substantialis ille foret, aut naturâ idem cum principio aut objecto suo.

Instabis 1°: At intellectus Patris non producit substantialem similitudinem, nisi quia divinus est; sicut voluntas ejusdem Patris similem in naturâ producit terminum quia divina est. Ergo utriusque eadem ratio est. — Nego antecedens et paritatem. Discriminis autem ratio est, quòd omnis intellectus, ut sic, tendat vi suâ in aliquam similitudinem. Intellectio itaque et similitudo duo quædam superiora genera sunt sibi mutuò respondentia, et à speciebus suis ex æquo abstrahentia, et per differentias specificas sibi invicem convenientes contracta. Intellectio enim genus quoddam est cujus duæ sunt species, creata videlicet seu imperfecta, et divina seu perfecta. Pariter similitudo quoddam est genus, cujus duæ sunt species; imperfecta nimirùm, seu intentionalis, et perfecta, seu substantialis. Similitudo generatim respondet intellectioni in universum; similitudo intentionalis seu imperfecta speciatim respondet intellectioni imperfectæ et creatæ; similitudo autem substantialis seu perfecta speciatim respondet intellectioni perfectæ seu divinæ. Ut igitur intellectio generatim vi suâ tendit in similitudinem generatim, ita intellectio imperfecta vi suâ tendit in similitudinem intentionalem et imperfectam, et intellectio perfecta seu divina in similitudinem perfectam seu substantialem. Quocirca, intellectus quidem Patris non producit similitudinem substantialem, nisi quà divinus est; sed quà divinus est, vim propriam in eodem genere addit intellectui generatim,

et similitudinem inchoatam ac veluti suspensam determinat actione suâ ad similitudinem substantialem. Jam verò non est idem ferendum de divinâ voluntate judicium. Voluntas enim genus quidem est abstrahens à perfectâ, seu divinâ, et imperfectâ, seu creatâ; quod autem voluntati generatim respondet, non est unitas generatim et abstrahens à metaphoricâ et substantiali; sed contra voluntati generatim spectatæ respondet unitas quædam determinata, id est, metaphorica. Amor enim generatim nonnisi metaphoricè amantem et amatum unit, hoc est, per affectum. Cùm ergo species generi subjectæ illud necessariò participent, nec extrà exire possint, quantùmlibet sit perfecta voluntas, vi suâ non tendet nisi in unitatem metaphoricam, cui ex genere suo ambæ addicuntur. Quocirca intellectio divina, formaliter quatenùs est actio perfectissima, vi suâ terminum assimilat in naturâ; contrà autem volitio divina vi suâ non habet terminum naturâ similem, quatenùs est actio divinæ ac perfectissimæ voluntatis præcisè, sed quatenùs recipitur in naturâ divinâ, quæ omnia sibi identificat (1).

Instabis 2°: Si voluntas generatim ex sese tenderet tantùm in unitatem metaphoricam, nullus cujuslibet voluntatis terminus posset esse unus, nisi metaphoricè, cum principio suo et objecto, atque adeò Spiritus sanctus, qui hujusmodi terminus est, nunquàm posset esse Deus. Atqui Spiritus sanctus est Deus.— Distinguo majorem: Terminus voluntatis cujuslibet non posset esse unus, nisi metaphoricè, ratione suæ processionis et formaliter, concedo; materialiter et ratione subjecti in quo recipitur, si ita loqui fas est, nego.

Instabis 3°: Homo fictus nunquàm potest evadere homo verus. Ergo pariter terminus, qui ex se non est nisi metaphoricè unus, non potest unquàm evadere substantialiter unum quid cum principio suo. — Nego consequentiam et paritatem. Ratio autem disparitatis est quòd homo fictus nullâ ex parte habere possit aliquid quo fiat homo verus. At Spiritus sanctus in Deo procedit; quidquid autem in Deo est, Deus est.

Objicies 2°: Spiritus sanctus formaliter et per se est Deus divinaque persona. Ergo ut talis procedit. — Nego consequentiam. Aliud enim est Spiritum sanctum talem esse, aliud verò talem procedere vi suæ processionis. Sic Eva per se et formaliter erat homo; nec tamen homo fuit vi originis suæ; poterat enim ex Adami costâ aliud quidvis fieri.

Objicies 3°: Spiritus sanctus est Deus et persona divina ab alio. Ergo Deus est et divina persona vi suæ processionis. — Nego consequentiam. Ut enim ab alio sit Deus et divina persona, satis est quòd ab alio sit, et habeat divinam naturam, quocumque tandem modo habeat, sive formaliter ex vi processionis suæ, sive materialiter tantùm et identicè; ut autem esset Deus et divina persona vi suæ processionis, necesse foret ut ipsius processio ex sese in personam et substantiam tenderet, quod voluntati non convenit.

Objicies 4°: Spiritus sanctus vi suæ processionis in Deo procedit, vel ut quoddam accidens, vel ut quoddam subsistens. Atqui non procedit ut quoddam accidens. Ergo ut persona subsistens, eaque divina. — Nego majorem. Præcisè enim procedit tantùm ut terminus infinitus infiniti amoris. Quòd autem sit subsistens, id non habet ex vi processionis suæ, sed suæ, ut ita dicam, in Deo immanentiæ et receptionis, quia Deus omnia quæ in ipso sunt, sibi identificat. Quapropter terminus voluntatis generatim est pondus aut impulsus, isque vel finitus vel infinitus pro variâ voluntatis conditione. Quòd autem sit accidens aut subsistens, id non haurit ex propriâ differentiâ, sed ex subjecto. Aliæ enim differentiæ sunt propriæ, intrinsecæ, et quæ intra eamdem lineam genus propagant ac continuant; aliæ autem sunt extrinsecæ, tantùm et de subjectis petitæ. Sic color generatim per albi rationem contrahitur, tanquàm

(1) Alia fieri solet instantia, quæ sic fermè à Billuarto exponitur, dissert. 2, art. 5: « Est de ratione amoris perfectissimi producere unionem perfectissimam; atqui unio perfectissima est identitas substantialis; ergo. — Respondeo: Distinguo majorem: Est de ratione amoris perfectissimi producere unionem perfectissimam amantis cum re amatâ, concedo; unionem perfectissimam ipsius amoris seu impulsûs cum amante aut re amatâ, nego. Amor enim seu impulsus, qualiscumque sit, nihil est aliud, quàm via et tendentia ad unionem, non sui ipsius, sed amantis cum amato; hic autem non est quæstio de unione amantis cum re amatâ, sed de unione ipsius amoris cum ipso amante vel objecto amato: non enim Spiritus sanctus est amans, aut res amata, sed est amor et impulsus amantis in rem amatam. Amantes sunt Pater et Filius, res amata essentia divina; Spiritus sanctus est terminus amoris amborum. Undè quòd sit unum et idem cum essentiâ divinâ amatâ, non provenit formaliter ex eo quòd sit amor procedens à voluntate, sed ex eo quòd sit actus immanens in Deo, et quòd quidquid est in Deo sit substantialiter Deus. » (Ed.)

per propriam et intrinsecam sibique subjectam differentiam, et ita speciatim albus dicitur; at cùm marmoreus, naturalis, artificialis, argenteus dicitur, ista à subjectis, quibus inest, ducuntur. Ita quoque intellectio generatim contrahitur per imperfectam seu creatam, et per increatam seu perfectissimam, tanquàm per proprias differentias, sicut similitudo dividitur in imperfectam, seu intentionalem, et perfectam, seu substantialem. Quando igitur intellectio generatim tendit in similitudinem generatim, id ex se habet; cùm tendit intellectio imperfecta in similitudinem imperfectam seu intentionalem, id habet ex propriâ suâ et intrinsecâ differentiâ; quemadmodùm, cùm intellectio perfectissima tendit in similitudinem perfectissimam, seu substantialem, id ex propriâ pariter differentiâ accipit. At voluntas generatim, quod satis inculcari non potest, non tendit nisi in unum metaphoricè; proinde quantùmcumque perfecta voluntas cogitetur, ea intra unitatem metaphoricam ex sese semper concludetur. Quòd autem terminus hujus voluntatis, qui vi processionis suæ debet tantùm esse unum quid metaphoricè, fiat unum realiter ac verè, quòd sit subsistens, quòd persona, eòque differat ab accidentali, id à subjecto suo habebit, non præcisè ab origine suâ.

Objicies 5° : Intellectio generatim non tendit, nisi in similitudinem intentionalem. Ergo intellectio divina non aliam ex sese nata est similitudinem efformare. — Nego antecedens. Tendit enim duntaxat in similitudinem generatim. Unde si intellectio est perfectissima, tendit in perfectissimam similitudinem, seu substantialem.

Objicies 6° : Si pater seipsum et naturam suam cognoscendo Verbum exprimit naturâ sibi simile, oportet Verbum idem naturâ simile esse rebus omnibus quas simul Pater cognoscit, et ex quarum cognitione Verbum illud producit. Atqui hoc absurdum est. Ergo. — Nego sequelam. Pater enim res alias noscit in naturâ suâ ac seipso, atque adeò cùm res aliæ non sint objectum ejus cognitionis, nisi quatenùs eas in naturâ seque ipso tanquàm fonte continet, non debet rerum aliarum, sed sui ipsius solummodò imaginem producere.

Quæstio sexta

De divinarum personarum proprietatibus ac relationibus.

ARTICULUS I.

An admittendæ sint in singulis personis divinis quædam proprietates, et in quo illæ positæ sint.

Duo hîc in controversiam veniunt, primum, an in singulis personis quædam sint proprietates, quibus quasi formis constituantur ac distinguantur; alterum, an illæ in relationibus unicuique peculiaribus sitæ sint.

1° Enim Præpositivus, qui inter exordia theologiæ scholasticæ floruit, teste S. Thomâ quæst. 32, art. 2, et quæst. 40, art. 1, negavit ullas esse divinarum personarum proprietates, quibus constituerentur ac distinguerentur, utpote quæ se ipsis tales forent. Eum secutus est Gregorius Ariminensis in 1, dist 26 et 27. Eumdem, qui in theologicas scholas stylum acuit recens scriptor; sed aliâ de causâ, quòd nempe statuat Filium nihil aliud esse quàm ipsam essentiam Patris productam.

2° Joannes de Ripis antiquus pariter theologus in 1, dist. 26, proprietates quidem admittit, sed eas esse absolutas, non relativas putat.

Assertio I. — Admittendæ sunt in singulis personis quædam proprietates, quibus illæ constituantur ac distinguantur.

Probatur 1° ex Patribus, quorum is fuit perpetuus ab ineunte Ecclesiâ sensus. Tertullianus enim contra Praxeam, cap. 2, de divinis personis agens : « Tres (sunt), inquit, non « statu, sed gradu; nec substantiâ, sed formâ; « nec potestate, sed specie. » *Speciem* quippe, *formam*, et *gradum* appellat, id quod unicuique personæ proprium est, ipsamque constituit, et ab aliâ distinguit. Basilius lib. 2 contra Eunomium : « Proprietates personarum, inquit, « notæ quædam et formæ, quæ in substantiâ « considerantur, dividunt quod est commune « propriis characteribus; at ejusdem commu- « nionem substantiæ non discindunt. » Gregorius Nazianzenus orat. 32 : « Tres sunt per- « sonæ, inquit, non naturis, sed proprietati- « bus, distinctæ. » Ita et orat. 23, 24, 29, 37, 39. Adde Gregorium Nyssenum lib. 1 contra Eunomium ; Chrysostomum orat. 5 contra Anomæos; Isidorum Pelusiotam lib. 2, epist. 42; Leontium de Sectis, initio, Damascenum lib. 1 de Fide, cap. 10 etc.

Probatur 2° ex conciliis. 1° Enim VI synodus act. 11, probavit epistolam Sophronii patriarchæ Hierosolymitani, in quâ ait esse ejusmodi proprietates personarum divinarum figurativas. 2° Synodus Toletana II in Professione fidei, asserit unionem hypostaticam factam esse in singularitate personæ, non in unitate naturæ divinæ, in id quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati. 3° Synodus Lateranensis sub Innocentio III, capite *Firmiter* : « Sanctissima Trinitas, inquit, secundùm com « munem essentiam est indivisa, secundùm « verò personales proprietates discreta. » 4° In Florentinâ sess. 1, pronuntiatur « divinas « personas per suas proprietates differre. » Quod sess. 18 Joannes, Latinorum theologus, omnium nomine fusiùs persequitur.

Probatur 3° ex usu Ecclesiæ. In præfatione enim missæ de sanctissimâ Trinitate sic canit : « Ut in personis proprietas, in essentiâ uni« tas, et in majestate adoretur æqualitas. »

Probatur 4° ratione. In iis enim agnoscendum est aliquid proprium quo constituantur ac distinguantur, quæ non se totis quidem differunt, sed aliquâ saltem suî parte. Atqui personæ divinæ non se totis quidem à se invicem differunt, una enim est omnium essentia ; sed aliquâ suî parte. Ergo præter hanc communem essentiam oportet aliquid agnosci, quo singulæ constituantur ac distinguantur.

Objicies 1° : Christus Joan. 10, 30 : *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus*. Ergo. — Respondeo cum Augustino id intelligi de essentiâ : « *Unum sumus*, inquit lib. 6 de Trinit. cap. 3, « dictum est :..... secundùm essentiam, non « secundùm relativum. »

Objicies 2° : Joannis 14, 8 : *Philippe*, inquit Christus, *qui videt me, videt et Patrem*. At si quid foret Patri proprium, qui videret Filium, non continuò videret Patrem. Ergo. — Distinguo majorem : Videt et Patrem, propter naturæ ejusdem communionem et necessariam utriusque connexionem, concedo ; quòd nihil sit iis proprium, nego. Augustinus tract. 70 in Joannem num. 2 : « Dictum est, inquit, *Qui « me videt, videt et Patrem*, non utique ut ipse « sit Pater, qui Filius, sed quòd à Patris simi« litudine in nullo prorsùs discrepet Filius. »

Objicies 3° : Christus Joan. 16, 15, testatur omnia, quæ Patris sunt, sua esse. Ergo nihil est proprium. — Distinguo antecedens : Omnia absoluta, concedo ; relativa, nego. Gregorius Nazianzenus orat. 24 : « Omnia, inquit, « quæcumque habet Pater Filii sunt, exceptâ « causâ ; quidquid item Filius habet, idem « quoque Spiritûs sancti est, si filietatem ex« cipias. »

Objicies 4° : Hebr. 1, 3, Christus vocatur *imago* et *figura substantiæ Patris*, seu, ut græcè est, ὑποστάσεως. Ergo omnia exprimit, quæ Patris sunt. — Distinguo antecedens : Quòd eamdem naturam habeat, eòque ipsum referat, concedo ; quòd nihil uterque propriè habeat, nego. Damascenus orat. 3 de Imaginibus : « Imago nativa est, inquit,.... per omnia et si« milis, exceptâ ingeniti proprietate et pater« nitate. »

Objicies 5° : Plerique omnes Patres asserunt unam esse trium personarum formam. Athanasius orat. contra Sabellii gregales ; Augustinus epist. 241, etc. Ergo non sunt variæ formæ, quibus constituantur ac distinguantur. —Distinguo antecedens : Unam formam, id est, naturam deitatis, concedo ; id est, nullam esse proprietatem, nego. Omnium mentem breviter explicat Augustinus ibidem : « Una forma, in« quit, quia una deitas. »

Objicies 6° : Si quid esset Patri proprium quod non inesset Filio, multa essent in Patre distincta. Atqui omnia quæ in Patre sunt, ea sunt quid unum et idem. Ergo. — Distinguo majorem : Essent distincta virtualiter, concedo ; realiter, nego. Distinctio autem virtualis ad id satis est, cùm æquivaleat reali.

Assertio II. — Personarum ejusmodi proprietates, quibus illæ constituuntur ac distinguuntur, sunt relationes ipsis peculiares.

Probatur 1° ex Scripturis, quæ, ubi personas propriis nominibus designant, vocabula relationes sonantia usurpant, Patris nimirùm, Filii et Spiritûs sancti.

Probatur 2° ex Patribus.

Basilius epist. 349 : « Communis est, in« quit, divinitatis ratio ;..... hypostasis verò « cernitur in proprietate paternitatis, filietatis « et virtutis sanctificantis. » Gregorius Nazianzenus orat. 23 : « Communis est, inquit, Pa« tri quidem et Filio et Spiritui sancto..... di« vinitas ; proprium autem est, Patris quidem « esse ingenitum ; Filii verò, generatio ; Spi« ritûs sancti, processio. » Oratione autem 24 adhuc clariùs. Admonet enim, cùm legitur illud : *Ego et Pater unum sumus*, essentiæ conjunctionem ob oculos habendam ; cùm autem Patris et Filii et Spiritûs sancti nomen auditur, proprietates tres esse cogitandas. Gregorius Nyssenus in libro de communibus Notionibus : « Non tempore, inquit, dividuntur

« à se invicem personæ divinitatis, neque loco, « non voluntate, non studio;..... sed hoc so- « lum quod Pater Pater est, et non Filius; Fi- « lius est Filius, non Pater; similiter et Spi- « ritus sanctus neque Pater neque Filius. » Augustinus tractatu 39 in Joannem : « Hoc « solo, inquit, numerum insinuant, quòd ad « invicem sunt, non quòd ad se sunt. » Fulgentius in libro de Trinit.: « Relativa nomina, « inquit, Trinitatem faciunt; essentialia verò « nullo modo triplicantur. » Boetius in libro de Trinit. : « Substantia, inquit, continet uni- « tatem ; relatio multiplicat Trinitatem. « Concilium Toletanum VI : « In relatione persona- « rum, inquit, numerus cernitur. » Anselmus libro de Processione Spiritûs sancti : « Unitas, « inquit, non amittit aliquando suam conse- « quentiam, ubi non obviat aliqua relationis « oppositio. » Unde manavit illud scholæ effa- tum : *Omnia in divinis esse unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Synodus denique Floren- tina in Decreto fidei, eâ de causâ statuit : « Omnia, quæ Patris sunt, ipsum Patrem uni- « genito Filio suo, gignendo dedisse, præter « esse Patrem. »

Probatur 3° ratione, eâque evidenti. Id enim per quod unaquæque persona constituitur ac distinguitur, debet esse ipsi proprium ac sin- gulare. Atqui in divinis absoluta omnia com- munia sunt, nec ulla est distinctio, nisi ubi obviat relationis oppositio. Ergo (1).

Quâ verò ratione tres personæ divinæ rela- tionibus constituantur ac distinguantur, post hæc enucleatiùs aperiemus. Ut autem tres personæ sunt, sic accuratè loquendo tres sunt duntaxat proprietates, quales hic intelligimus, paternitas nimirùm, filiatio et spiratio passiva, quia hæ solæ divinas personas constituunt. Quatuor tamen vulgò proprietates theologi enumerant, addendo nimirùm innascibilita- tem, quæ personæ Patris propria est; sed tunc proprietas non sumitur pro eo quod personam constituit, sed pro eo quod uni personæ pe- culiare est.

(1) En altera et quidem apertissima ratio, quæ etiam ostendit rem proximè ad fidem ac- cedere. Fides enim docet solum Filium fuisse incarnatum ; proindeque unionem Verbi cum naturâ humanâ non immediatè in eo quod tribus personis divinis commune est, scilicet naturâ, factam fuisse, sed in eo quod est Filio proprium et singulare, id est, in personâ ; ergo Filius habet proprium et peculiare aliquid quo constituitur et distinguitur ab aliis personis, quod de Patre et Spiritu sancto pariter dici potest. (Ed.)

ARTICULUS II.

De existentiâ, essentiâ, perfectione et numero divinarum relationum.

Hic non disputamus de relationibus Dei ad creaturas, sed de iis quas habent tres personæ divinæ ad se invicem. Cùm autem constet ex iis, quæ modò disseruimus, aliquas esse in di- vinis personis relationes, superest duntaxat ut quæramus, 1° an illæ sint reales, non tantùm secundùm esse *in*, sed etiam secundùm esse *ad*, id est, non solùm quatenùs personis insunt, sed etiam quatenùs alias respiciunt ; 2° an dici debeant perfectiones ; 3° quot sint.

Sed ut pateat quinam illi sint quibuscum certaturi sumus, observandum est 1° recen- tiorem illum auctorem, qui eo animo de Tri- nitate scripsit, ut scholæ principes carperet, et theologiam ab ipsis, ut quidem ait, pessum- datam instauraret, arbitrari nullas esse in personis divinis relationes reales. 2° Paluda- num in 3, dist. 1, quæst. 2, et Capreolum in 1, dist. 33, art. 1, existimare relationes divi- nas esse quidem reales secundùm esse *in*, non verò secundùm esse *ad*. 3° Scotum quodlibeto 5, Durandum in 3, dist. 1, quæst. 3, num. 13, et nonnullos alios sentire eas non esse perfe- ctiones. 4° Nullum esse de numero relationum dissidium, omnesque theologos unanimi con- sensione quatuor admittere.

Assertio I. — Relationes divinarum perso- narum sunt reales.

Probatur 1° ex doctrinâ Patrum mox expo- sitâ. Quidquid enim constituit ac distinguit veram ac propriè dictam personam, illud reale esse debet. Atqui personæ divinæ relationibus suis constituuntur ac distinguuntur. Ergo. Probatur 2° ratione. Ubi enim vera est ac rea- lis origo unius ab altero ejusdem naturæ, ibi verus est, realis ac mutuus producentis ac producti respectus. Atqui in Deo ejusmodi sunt origines.

Objicies 1° : Augustinus lib. 7 de Trin. cap. 1, comparat relationem Patris cum eâ quam herus habet ad servum suum. Atqui hæc non est realis. Ergo. — Resp.: Positâ minore, distin- guo majorem : Comparat in eo quòd sit relatio ac respectus, concedo ; in eo quòd sit relatio ejusdem conditionis, nego. Id liquet ex hujus capitis lectione. Nihil enim aliud ibi spectat Augustinus, quàm ut declaret in Deo alia esse absoluta, alia relativa ; absoluta, ut esse mag- num, sapientem, etc. ; relativa, ut esse Pa- trem, Verbum, imaginem, etc. Quod hominis

exemplo illustrat, in quo hominèm esse, absolutum quid est; dominum verò esse atque herum, est aliquid relativum.

Instabis : Ibidem lib. 5, cap. 16, relationem Dei confert cum variâ et arbitrariâ relatione nummi ad pretium à principibus figendum. Atqui relatio nummi ad pretium est relatio rationis. Ergo. — Distinguo majorem : Relationem Dei ad creaturas, concedo; Dei Patris ad Filium, etc., nego. Itaque de relationibus divinarum personarum verba illic non facit; sed explicat quomodò Deus sine ullâ suî mutatione creaturarum Dominus evaserit. « Si « nummus, inquit, potest nulla sui mutatione « toties ad pretium dici relativè, ut neque cùm « incipit dici, neque cùm desinit, aliquid in « ejus naturâ vel formâ, quâ nummus est, mu- « tationis fiat; quantò faciliùs de illâ incom- « mutabili Dei substantiâ debemus accipere, « ut ita dicatur relativè aliquid ad creaturam! « ut quamvis temporaliter incipiat dici, non « tamen ipsi substantiæ Dei accidisse aliquid « intelligatur, sed illi creaturæ ad quam di- « citur. »

Objicies 2° : Quidquid reale est, aut substantia est aut accidens. Atqui relationes illæ nec sunt substantia divina, nec possunt esse accidentia. Ergo non sunt admittendæ. — Distinguo majorem : Substantia est aut accidens, aut modus proprietasve substantiæ, concedo; necessariò substantia ipsa aut accidens, nego. Quæ ex philosophis nota sunt. Hinc Augustinus lib. 5 de Trinit. cap. 5 : « Quamvis, in- « quit, diversum sit Patrem esse et Filium « esse, non est tamen diversa substantia, quia « hæc non secundùm substantiam dicuntur, « sed secundùm relativum ; quod tamen rela- « tivum non est accidens, quia non est muta- « bile. » Divinarum ergo personarum relationes non extrinsecùs adveniunt, nec mutationi obnoxiæ sunt, atque adeò non sunt accidentia. At non sunt etiam divina ipsa substantia simpliciter; hæc enim est communis, illæ propriæ. Quocirca cogitandæ sunt tanquàm formæ quædam internæ ac modi substantiales, ab essentiâ, non quidem realiter, sed virtualiter, distincti; proinde non physica est, sed metaphysica ad summum divinarum personarum ex essentiâ communi et singulari proprietate compositio.

Objicies 3° : Relata mutuam à se invicem dependentiam includunt. Atqui dependentia in Deum non cadit. Ergo. — Distinguo majorem : Id est, mutuam connexionem et exigentiam, concedo; dependentiam propriè dictam, nego.

Objicies 4° : Licet Deus creaturas produxerit, nullam tamen relationem realem ad illas habet. Ergo nec ad Filium à se genitum. — Nego consequentiam et paritatem. Discrimen est quòd actio, per quam creaturas produxit Deus, sit ipsi extrinseca ac transiens; proinde denominationem tantùm extrinsecam creatoris ipsi possit indere. At productiones divinarum personarum sunt internæ, substantiales, æternæ, et terminos habent ejusdem naturæ.

Assertio II. — Divinæ relationes sunt reales etiam secundùm esse *ad*.

Probatur 1° ex testimoniis Patrum mox allegatorum, qui ubi de distinctione personarum divinarum agunt, relationes spectant secundùm esse *ad*. Probatur 2° ratione iis innixâ. Principium enim distinctionis realis debet esse reale. Atqui divinæ personæ eo solùm à se invicem distinguuntur quod ad se sint, ut iidem Patres et synodi definiunt. Ergo.

Assertio III. — Relationes illæ sunt perfectiones.

Probatur 1° ex Patribus. 1° Enim Cyrillus lib. 1 Thesauri cap. 6, ait perfectum esse Patrem, non solùm quà Deus est, sed etiam quà Pater. 2° Damascenus lib. 1 de Fide, cap. 11, conceptis verbis perfectiones appellat divinarum personarum proprietates. Adde S. Thomam, quæst. 40, art. 3.

Probatur 2° ratione multiplici. 1° Enim quidquid veri nominis est ens, illud est quædam perfectio. Atqui reales sunt divinæ relationes. Ergo. 2° Quod constituit divinam personam in proprio suo esse, id oportet esse perfectionem quamdam summam, et suo in genere infinitam: Atqui divinæ personæ relationibus constituuntur. Ergo. 3° Quod personis divinis fœcunditatem tribuit, perfectum quid est. Atqui relationes ad fœcunditatem divinarum personarum pertinent. Ergo. 4° Quod perficit, illud est perfectio. Atqui subsistentia relativa Filii naturam humanam sibi conjunctam perficit. Ergo. 5° Quod adoratur, illud perfectio est excellentissima. Atqui relativæ divinarum personarum proprietates ab Ecclesiâ et Patribus dicuntur adorandæ. Ergo (1).

(1) Apprimè quidem auctor demonstrat relationes divinas, etiam secundùm esse *ad*, esse perfectiones ; at non in eo præcisè versatur difficultas. Cùm enim divinæ relationes, etiam

Objicies 1° : Si relationes personis propriæ sunt perfectiones, erit in unâ personâ perfectio quædam quæ alteri non inerit. Atqui nulla est persona divina, quæ omnes complecti non debeat perfectiones. Ergo. — Distinguo majorem : Quæ alteri non inerit directè et formaliter, concedo; indirectè, materialiter et identicè propter naturam divinam, cui omnes simul insunt, nego. De quo olim quæst. III, art. 1, ad objectiones è ratione petitas, disseruimus.

Objicies 2° : Si relationes sint perfectiones, vel sunt perfectiones simpliciter simplices, vel simplices secundùm quid. Atqui neutrius generis sunt. Ergo. — Concessâ majore, quam multi negant, aientes esse quid medium, nempe perfectiones simplices, nego minorem, et dico esse perfectiones simplices secundùm quid, non quòd ullam involvant imperfectionem; sed quòd æqualem excludant ab eodem subjecto perfectionem. De quo ibidem, et in tractatu de Attributis.

Assertio IV. — Quatuor sunt in Deo relationes, paternitas, filiatio, spiratio activa et passiva.

Probatur. Quia quælibet processio duplicem omninò postulat relationem, unam producentis ad productum, alteram producti ad producentem. Atqui duæ sunt in Deo processiones, una Filii, altera Spiritûs sancti. Ergo quatuor omninò esse debent relationes: prima paternitatis Filium respicientis; secunda filiationis ad Patrem spectantis; tertia spirationis activæ, quâ Pater et Filius simul respiciunt Spiritum sanctum; quarta spirationis passivæ, quâ Spiritus sanctus ad utrumque refertur

ARTICULUS III.

De distinctione divinarum relationum cùm à se invicem, tùm ab essentiâ.

Relationes mox expositæ conferri possunt vel secum invicem vel cum essentiâ; si autem secum invicem componuntur, vel comparantur cum relationibus sibi oppositis, v. g., paternitas cum filiatione; vel cum relationibus sibi non oppositis, sed, ut loquuntur, disparatis, v. g., paternitas et filiatio cum spiratione activâ.

Multi olim divina attributa ab essentiâ realiter distinxerunt, ut monuimus in tractatu de Attributis. Durandus verò, quod ad institutum nostrum propiùs pertinet, in 1, dist. 13, quæst. 2, num. 14, paternitatem filiationemque à spiratione activâ realiter distinguit.

Assertio I. — Relationes divinæ cum essentiâ comparatæ ab eâ realiter non distinguuntur.

Probatur 1° ils omnibus momentis, quæ olim adduximus, ubi egimus de divinorum attributorum ab essentiâ distinctione, et inde sunt ab eo repetenda, qui pleniorem hâc de re disputationem habere voluerit. Probatur 2° hoc apud omnes recepto effato : *Omnia* videlicet *in divinis esse unum, ubi non obviat relationis oppositio*. Atqui nulla oppositio essentiam inter et relationes intercedit.

Assertio II. — Relationes originis ab oppositis sibi realiter distinguuntur.

Probatur: 1° Enim ea realiter distinguuntur, quæ sibi invicem opponuntur : neque enim potest aliquid esse sibi ipsi oppositum. 2° Quæ constituunt personas realiter distinctas, debent esse à se invicem realiter distincta. Atqui relationes ejusmodi sunt.

Assertio III. — Relationes divinæ ab iis, quæ tantùm disparatæ sunt, realiter non distinguuntur : v. g., paternitas et filiatio non distinguuntur à spiratione activâ.

Probatur 1° ex concilio Lateranensi sub Innocentio III, cap. *Damnamus*, extra. de summâ Trinit. Ibi enim definitum est non esse in Deo quaternitatem. Atqui, si paternitas et filiatio distinguerentur à spiratione activâ, in Deo foret rerum distinctarum quaternitas, nempe paternitas, filiatio, spiratio activa, et spiratio passiva. Probatur 2° ex constanti eodem, quod jam laudavimus, pronuntiato. In divinis enim omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Atqui, inter

secundùm esse *ad*, sint aliquid reale in Deo existens, nec à divinâ essentiâ realiter distinctum, nemo est qui unquàm negaverit absolutam essentiæ divinæ perfectionem ipsis, vel secundùm esse *ad*, communicari et inesse. Verùm quæstio est an, præter absolutam essentiæ perfectionem, quam in se imbibunt, aliam vi et ratione sui esse *ad* habeant relativam et virtualiter à priori distinctam, sicut attributa absoluta, v. g., Sapientia, Bonitas, præter perfectionem essentiæ, aliam virtualiter ab eâ distinctam et sibi propriam habent. Vel iterùm quæstio est an relationes divinæ, non modò quatenùs sunt relationes et ab essentiâ virtualiter distinctæ, sed etiam vi conceptûs sui relativi aliquam perfectionem habeant, quæ huic conceptui relativo sit propria, et non oriatur à perfectione absolutâ essentiæ, sed ab eâ virtualiter distinguatur. Affirmant nonnulli, ut Suarez, Gabriel, Contenson, Bancel, etc.; negant verò alii, ut Cajetanus, Capreol. Billuart., etc. Vide postremum hunc theologum, eâ de quæstione abstrusâ, dissert. III, art. 5, et dissert. IV, art. 2.

relationes disparatas non obviat ejusmodi oppositio. Ergo.

Objicies 1° : Quæ terminos habent realiter distinctos, ea realiter sunt distincta. Atqui paternitas, v. g., et spiratio activa terminos habent realiter distinctos, Filium videlicet et Spiritum sanctum. — Nego majorem. Non enim tanta requiritur in principiis distinctio, quanta reperitur in terminis, quemadmodùm non semel animadvertimus.

Objicies 2° : Spiratio activa, quæ in Filio est, à Patre in ipsum processit. Ergo à paternitate distinguitur. — Distinguo antecedens : Processit à Patre ut principio eam communicante, non secùs ac naturam divinam, concedo ; producente, nego.

Objicies 3° : Spiratio passiva nullam habet oppositionem cum paternitate et filiatione, et tamen ab iis realiter distinguitur. Ergo. — Distinguo antecedens : Non habet immediatam, concedo ; mediatam, nego. Paternitas enim et filiatio postulant spirationem activam, quâ mediante opponuntur Spiritui sancto.

Objicies 4° : Tam spiratio activa in Patre, mediante paternitate, opponitur filiationi, quàm filiatio, mediante spiratione activâ, opponitur spirationi passivæ. Atqui. Ergo, etc. — Nego majorem ac paritatem. Cujus quidem negationis duplex est causa. 1ª Est, quòd paternitas sit prior spiratione activâ, non contrà ; proinde paternitas non intercedat media inter spirationem activam et filiationem. 2ª Est, quòd Filius, mediante spiratione activâ, producat Spiritum sanctum, contrà vero Pater, mediante spiratione activâ, non producat Filium, atque adeò nulla esse possit inter illas relationes oppositio, nec immediata, nec mediata.

ARTICULUS IV.

De officio divinarum relationum.

Jam probavimus supra in universum divinas personas constitui relationibus ac distingui ; sed explicandum nunc superest an solæ relationes id præstent, et quâ ratione.

Ut autem controversiæ cardo clariùs appareat, observandum est 1° in humanâ generatione activâ tria reperiri, ac 1° quidem personam generantem, 2° actionem quâ producit filium, 3° relationem ex illâ efflorescentem generantis ad genitum ; tria simul occurrere in passivâ, sed ordine inverso : 1° enim est generatio passiva, tanquàm via ad terminum tendens ; 2° est ipsa persona producta, id est, filius ; 3° respectus est mutuus filii ad patrem. Quæ quidem omnia pariter extant, servatâ proportione, in omnibus rerum productionibus.

2° In Patre divino, præter paternitatem, esse innascibilitatem, seu ingeniti rationem, quæ distincta est et propria ejus notio. Neque enim Pater eò cognoscitur ingenitus, quòd Pater est, cùm una eademque persona cogitari possit simul et alteram generare, et ab alterâ genita esse, quod utrumque apud homines cernitur.

3° In Patre et Filio, præter paternitatem et filiationem, quibus constitui videntur, esse spirationem activam, quâ ambo propriè Spiritui sancto opponuntur.

4° Relationes, cùm personis insint simul et eas ad alias referant, posse concipi sub duplici respectu, 1° secundùm esse *in*, seu quatenùs insunt, 2° secundùm esse *ad*, seu quatenùs alias respiciunt.

5° Relationes divinas, si ut in se reipsà sunt, spectentur, easdem simul tribus officiis fungi. 1° Enim constituunt divinas personas ; 2° actus notionales determinant ad productionem, et ad eam requiruntur ; 3° personas ad se invicem referunt. Sed cùm hæc munia per mentem distingui possint ac debeant, hinc relationes illæ, juxta nostrum intelligendi modum, per inadæquatos conceptus spectantur, 1° ut formæ quædam hypostaticæ, 2° ut origines, 3° ut actu referentes.

6° Ex his duas non mediocres difficultates enasci, primam, quo pacto fieri possit ut paternitas, v. g., constituat personam Patris, cùm paternitas ex generatione exsurgat, eâque sit posterior, generatio autem personam Patris supponat jam constitutam, siquidem actiones sunt suppositorum, alteram, quâ ratione Pater et Filius per paternitatem et filiationem, quibus constituuntur, à Spiritu sancto distinguantur, cùm non per eas, sed per spirationem duntaxat activam ipsi opponantur. 7° Denique, harum difficultatum pondere pressos theologos in varias partes scindi, et in diversas opiniones abire (1).

(1) Qui difficillimam hanc quæstionem altiùs scrutari voluerit, adeat Turnelium, quæst. 3, art. 3, ubi probare nititur personas divinas in ratione communi personæ constitui per relationes, secundùm esse *in* spectatas, seu prout sunt formæ hypostaticæ ; in ratione autem talis personæ, per relationes, spectatas secundùm esse *ad* ; adeat etiam Billuartum, dissert. 4, art. 2, ubi, pro solitâ suâ subtilitate, duplicem in esse *ad* distinguit conceptum, quorum priori duntaxat personarum divinarum constitutionem adjudicat ; adeat præsertim Joannem à S. Thomâ, dissert. 16, art. 1. (Ed.)

1ª Est Vasquesii disp. 159, cap. 5, qui propterea definit primam personam, non per paternitatem, sed per innascibilitatem constitui. 2ª Richardi Victorini et S. Bonaventuræ in 1, dist. 26, art. 1, quæst. 3, arbitrantium divinas personas originibus constitui ac distingui. 3ª Ferrariensis lib. 4 contra gentes, cap. 24 et 27, et Capreoli in 1, dist. 26, qui existimant personas divinas, non iisdem relationibus constitui ac distingui. 4ª Est Suaresii lib. 3, c. 6 et 7, statuentis personas constitui ac distingui per relationes secundùm suum esse *ad* consideratas. 5ª Est nonnullorum è recentioribus, qui censent divinas personas iisdem relationibus constitui ac distingui, sed non eodem modo consideratis; iis enim per esse *in* constitui, et per esse *ad* distingui. 6ª Aliorum, qui decernunt relationes divinas secundum suum esse *in* esse simul constitutivas et distinctivas.

Assertio I. — Pater non constituitur per innascibilitatem, seu ingeniti rationem.

Probatur 1° ratione S. Thomæ quæst. 40, art. 3, ad 3. Ingeniti enim ratio nihil ponit, ut loquitur, seu nihil est positivi; sed negativè tantùm dicitur. At constitutivum divinæ personæ non potest in negatione quâpiam consistere. Ergo. Probatur 2° aliâ ratione. Si enim innascibilitas sit aliquid positivum, vel illud est absolutum vel relativum; nihil enim medium intercedit. At 1°, si quid absolutum sit, eo non potest persona divina constitui. Divinas enim personas absolutis proprietatibus non constitui, suprà jam demonstravimus. 2° Si relatio sit, vel distinguitur à paternitate, vel non; si distinguitur, ergo plures erunt quàm quatuor relationes; si autem non distinguitur, ergo in sententiam nostram hoc recidit. Proinde non potest innascibilitas assignari, ut quæ Patrem constituat.

Objicies : Non pauci Patres ingeniti rationem afferunt tanquàm proprietatem, quâ constituitur ac distinguitur Pater. Gregorius Nazianzenus orat. 23; Hilarius lib. 12 de Trinit.; Damascenus lib. 1 de Fide, cap. 2, etc. — Distinguo antecedens : Ingeniti rationem, ut est quid idem reipsà cum paternitate, concedo; ut concipitur ab ipsâ distincta, nego. Duo enim sunt hujus responsionis argumenta, 1° quòd Patres ad istas scholæ minutias non descendant; 2° quòd in locum innascibilitatis paternitatem longè frequentiùs substituant, ut videre est apud Petavium lib. 4, cap. 10.

Assertio II. — Divinæ personæ non constituuntur per origines

Probatur 1° : Quod posterius aut prius esse concipitur, quàm persona constituta, illud non potest personam constituere. Atqui origines sunt aut posteriores aut priores personis. Generatio enim, v. g., posterior est personâ generante, eamque supponit; prior autem est Filio, quia ex eâ exsurgit. Probatur 2° : Quod constituit divinas personas, debet cogitari ut forma quædam hypostatica et permanens. At origines concipiuntur ut quidam fluxus ab unâ personâ ad alteram.

Objicies : Patres non semel constitutionem et distinctionem divinarum personarum ab originibus repetunt; v. g., Gregorius Nazianzenus orat. 37 : « Quòd unus, inquit, genitus « non sit, et alter sit genitus, et quòd alter « procedat, hoc effectum est ut alius Pater, « alius Filius, alius Spiritus sanctus appelle« tur. » Ita quoque Cyrillus Alexandrinus dial. 1 de Trinit.; Augustinus lib. 1 de Fide et Symbolo, cap. 9, etc. Ergo. — Distinguo antecedens : Ab originibus, quales sunt reipsà, concedo; quatenùs virtualiter distinguuntur, et præcisè spectantur, nego. Patres ergo in sensu reali loquuntur, non in sensu virtuali ut aiunt scholæ.

Assertio III. — Eædem omninò relationes constituunt ac distinguunt divinas personas.

Probatur 1° ex eo quòd in rebus omnibus, ut philosophi notant, idem sit constitutivum et distinctivum. Probatur 2° eâ ratione, quâ innititur illud scholæ placitum, scilicet : *Non potest constitui res aliqua, præsertim persona, quin per se et in se sit una.* At quo una est, eo indivisa est in se, et divisa à quolibet alio. Ergo eo distinguitur, quo constituitur.

Objicies : Pater et Filius constituuntur per paternitatem et filiationem; nec tamen per illas à Spiritu sancto distinguuntur, sed per spirationem activam. Ergo non eædem sunt relationes, quæ constituant simul ac distinguant divinas personas. — Nego majorem. Pater enim et Filius per paternitatem et filiationem non solùm constituuntur, sed etiam distinguuntur à Spiritu sancto; ad quod satis est quòd utraque postulet ex sese spirationem activam, quæ immediatè Spiritui sancto opponitur. Hinc enim consequens est primarium distinctionis fontem, ac primam radicem esse in Patre paternitatem; in Filio autem filiationem. At profectò paternitas et filiatio ex se postulant spirationem activam, cùm non supponant voluntatem ullâ termini productione exhaustam. Ergo.

Assertio IV. — Relationes secundùm esse *ad* consideratæ non constituunt nec distinguunt divinas personas.

Probatur. Eo sensu relationes non constituunt nec distinguunt divinas personas, quo sensu eas supponunt esse jam constitutas. Atqui relationes secundùm esse *ad* consideratæ supponunt personas jam constitutas; una enim persona ad alteram referri non potest, nisi sit; prius quippe est esse, quàm referri. Id verò omnium clarissimè liquet in Patre. 1° Enim cogitatur esse Patris persona. 2° Generare concipitur. 3° Generatione produci Filius intelligitur. 4° Denique Pater referri ad Filium, et Filius ad Patrem. Proinde persona Patris antè intelligitur constituta, quàm Filius concipiatur productus, ad quem referatur. Relationes enim secundùm esse *ad* simul sunt, nec altera alteram antevertere potest. Jam verò, etsi Pater non sit Filio prior tempore, naturâ, aut dignitate; eo tamen prior est origine et ordine; atque adeò non potest constitui per relationem, quatenùs ipsum refert ad Filium jam productum.

Assertio V.—Divinæ personæ constituuntur ac distinguuntur per relationes secundùm esse *in* spectatas.

Probatur 1° ex confutatione aliarum omnium opinionum. Probatur 2° auctoritate S. Thomæ quæst. 40, art. 4, ubi: « Proprietas personalis Patris, inquit, potest considerari dupliciter, uno modo ut est relatio; et sic secundùm intellectum supponit actum notionalem; quia relatio, in quantùm hujusmodi, fundatur supra actum; alio modo secundùm quòd est constitutiva personæ; et sic oportet quòd præintelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni. »

Probatur 3° efficaci ratione. Cùm enim jam demonstraverimus relationibus divinas personas constitui, et quo constituuntur, eodem distingui, vel utrumque fit per relationes secundùm esse *in*, vel secundùm esse *ad* consideratas. At non constituuntur per relationes secundùm esse *ad*. Ergo per relationes secundùm esse *in*. Etverò constitutivum est quid primum in re. At relatio priùs est secundùm esse *in*, quàm secundùm esse *ad*.

Objicies 1° : Si relatio constituat personam divinam, ejus est velut forma hypostatica. Atqui id esse non potest. Ergo.— Nego minorem.

Instabis 1° : Si personalitas divina in relatione posita esset, nomen *personæ* relativè diceretur. Atqui ex Augustino lib. 7 de Trinit. cap. 6, nomen *personæ* ad se, non autem relativè dicitur.— Ergo. Distinguo minorem : Nomen *personæ*, juxta generalem et confusam significationem, ad se dicitur, non relativè, concedo; juxta specialem in Deo ac distinctam notionem; nego.

Instabis 2° : Relatio supponit rem jam constitutam. Ergo ipsam non potest constituere. — Distinguo antecedens : Relatio accidentalis, concedo; substantialis, subdistinguo : Secundùm esse *ad*, concedo; secundùm esse *in*, nego.

Objicies 2° : Si Pater constituatur relatione paternitatis, debet concipi Filius esse antequàm generetur. Debet enim concipi esse, simul atque concipitur esse Pater. At persona Patris debet concipi esse, antequàm generet. Ergo. — Distinguo majorem : Si constituatur relatione paternitatis secundùm esse *ad*, concedo; secundùm esse *in*, nego. Non debet enim concipi Filius esse, nisi cùm Pater actu refertur ad ipsum, quia relata, secundùm hanc rationem, sunt simul naturâ et cognitione. At Pater, juxta aliam rationem, debet concipi ut persona jam constituta, antequàm generet.

Instabis 1° : At relatio non est, nisi referat. Ergo non potest constituere Patrem, antequàm generâsse Filium et ad eum referri cogitetur. Distinguo antecedens : Nisi referat in actu primo aut secundo, hoc est, nisi referat reipsà aut ad referendum apta intelligatur, concedo; nisi simul esse et referre actu cogitetur, nego. Prius enim est relationem subjecto inesse, quàm illud ad terminum referre. Prius est uno verbo esse *in*, quàm esse *ad*.

Instabis 2° : At nullum aliud est munus, nullus alius formalis effectus relationis, quàm actu referre. — Ergo. Distinguo antecedens : Relationis accidentalis, concedo; substantialis, subdistinguo : Secundùm esse *ad*, concedo; secundùm esse *in*, nego.

Instabis 3° : Paternitas, quatenùs est hypostatica forma Patris, et secundùm esse *in* spectata, vel relatio est, vel non, sub illo respectu; si relatio non sit, immeritò definitur relationibus constitui divinas personas; si relatio sit, necesse est ut sub illo respectu referat. — Respondeo paternitatem esse relationem, sed non sub explicito relationis conceptu.

Objicies 3° : Relationes secundùm esse *in* consideratæ non distinguunt personas à se

invicem. Ergo nec constituunt.—Nego antecedens.

Instabis 1° : Juxta antiquos doctores, eo tantùm divinæ personæ distinguuntur, quod ad se invicem sint. Ergo.—Distinguo antecedens : Eo realiter spectato distinguuntur, concedo; eo formaliter spectato, nego. Nihil enim aliud volunt Patres, quàm relationibus constitui ac distingui personas divinas; atque id sanè verissimum est. Sed non decernunt eas distingui per relationes illas secundùm esse *ad* spectatas. Eo enim respectu jam supponunt eas in se constitutas, atque adeò distinctas.

Instabis 2° : Non distinguitur Pater à Filio, nisi cùm est Filius. At quando cogitatur relatio secundùm esse *in* constituere Patrem, tunc in illo rationis instanti nondùm Filius esse concipitur; debet enim Pater 1° constitui; 2° generare; 3° denique ex illâ generatione Filius efflorescit. Ergo non distinguitur Pater à Filio per relationem secundùm esse *in* consideratam. Distinguo majorem : Non distinguitur explicitè et actu, concedo; radicaliter et verè, nego. Eo enim ipso quòd constituitur in se, eo, inquam, ipso, fit indivisus in se et divisus ab alio quolibet, licèt nondùm esse intelligatur ullus alius à quo distinguatur. Sic Adamus cùm solus homo esset, per differentiam suam propriam divisus erat à quolibet alio, qui esse posset, licèt nondùm actu à quoquam distingueretur, eò quòd nullus tunc foret.

Quæstio septima.

De divinarum personarum notionibus.

Quæ in scholis non leviter agitari solet de notionibus, quæstionem vix attingunt nonnulli, quòd eam non magni ad sanctissimæ Trinitatis mysterium momenti esse, totamque ex theologorum arbitrio ac placitis ferè pendere existiment. Sed nos non omittemus; et quæ spinosa atque intricata plerisque apparet, planam atque apertam, quantùm in nobis erit, faciemus.

ARTICULUS I.

An quædam admittendæ sint in Deo notiones.

Notio, juxta S. Thomam, est ratio propria cognoscendi personam divinam, seu aliquid peculiare, quo personæ divinæ à se invicem dignoscuntur. Proinde concipitur instar formæ cujusdam abstractæ, quâ veluti notâ insigni ac charactere, persona una vel duplex ab alterâ distinguatur. Præpositivus, cujus non ita pridem mentio facta est, censuit, ut refert S. Thomas quæst. 32, art. 2, non esse admittendas in Deo ejusmodi notiones, ratus videlicet abstracti à concreto distinctionem non posse cum infinitâ Dei simplicitate consistere.

Assertio. — Admittendæ sunt in divinis personis notiones.

Probatur 1° ex Patribus 1° Enim Justinus Martyr, seu quisquis alius, in Expositione fidei, certas id genus notas et signa commemorat, quibus personæ divinæ innotescant, et à se invicem distinguantur. 2° Basilius lib. 2 contra Eunomium, proprietates, ut ita dicam, notificativas, γνωριστικὰς ἰδιότητας. Et epist. 43, signa notionalia recenset. 3° Gregorius Nyssenus lib. 1 contra Eunomium iisdem verbis utitur. 4° Cyrillus Alexandrinus lib. 1 Thesauri cap. 5, asserit generare esse Patris notionem. 5° Augustinus lib. 5 de Trinit. cap. 5 : « Alia, inquit, notio est quâ in« telligitur genitor, alia quâ ingenitus. » Quamvis enim ibi Augustinus de notione formali, seu de ideâ, loqui videatur, eo tamen apertè significat aliquid esse in Patre, quod hisce notionibus respondeat.

Probatur 2° ratione. Quamvis enim quæ in singulis personis sunt, ea omnia reipsà sint quid unum et idem, certum est tamen ea non esse ejusdem omninò rationis. Fides enim docet alia esse quæ tribus personis simul communia sint, alia quibus personæ à se invicem distinguantur. Eadem fides docet alio Patrem referri ad Filium, alio ad Spiritum sanctum. Sic Filius aliâ ratione Patrem, aliâ Spiritum eumdem sanctum respicit. Ut igitur hæc Catholicis exponantur, et hæreticis alterutrum impugnantibus occurratur, varia, pro humano more et nostræ mentis captu, quæ ad divinam usque simplicitatem assurgere non potest, distinguenda fuerunt, instar formarum quarumdam, quarum ope isthæc singula ritè explicarentur. Sic dicimus personas divinas naturâ suâ esse quid inter se unum; sed proprietatibus suis à se invicem differre, Patrem paternitate respicere Filium, spiratione activâ Spiritum sanctum. Cùm itaque hinc in Deo sit hujusce discriminis fundamentum, illinc verò necessitas nobis incumbat, profectò nihil fuit cur vereretur Præpositivus ne ista cogitandi et loquendi ratio divinæ simplicitati

officeret. Nullum enim id Dei perfectioni repugnet, summam contrà ejus perfectionem arguit, quòd una eademque res simplicissima tot officiis, tot distinctis aliàs rebus æquivaleat. Distinctio enim non realis, sed virtualis tantùm inter ista agnoscitur.

ARTICULUS II.

Quot notiones divinarum personarum admittendæ sint.

De hoc secundo capite propria lis est. Quocirca, ut dirimatur, observandum est, 1° omnes theologos consentire jam in id, ut quinque duntaxat admittant notiones, in Patre nimirùm innascibilitatem et paternitatem, in Filio filiationem, in utroque simul spirationem activam, et in Spiritu sancto spirationem passivam. 2° Nihil tamen hâc de re ab Ecclesiâ esse definitum, atque adeò, modò aliàs fides in vado sit, aliter sentire fas esse. 3° Scotum liberâ hâc sentiendi facultate usum, sextam notionem addidisse, nempe inspirabilitatem in Filio. 4° Ad legitimam notionem quinque conditiones à theologis requiri.

1 Est (1), ut sit reipsà aliquid unum; si quid enim esset ex variis complexum ac compositum, aut notio nullatenùs foret, aut multiplex foret notio. 2ª Ut sit quiddam proprium uni vel duplici tantùm personæ; notiones enim usurpantur ad dignoscendas personas à se invicem; non possunt autem eo dignosci, quod omnibus simul commune est. 3ª Ut ad originem pertineat. Cùm enim penes origines solummodò distinguendis personis inservit, id ad originem spectet necesse est. 4ª Ut sit quædam dignitas, aut dignitatem saltem sonet. Quandoquidem enim *persona* nomen est dignitatis, ejusdem generis esse oportet, quo illa nobis tanquàm peculiari titulo innotescit. 5ª Ut sit aliquid permanens, et, si ita loqui fas est, infixum; non quiddam fluens ex eâque manans. Persona enim est aliquid per se et in se subsistens, stabile ac fixum. Proinde quod ipsam constituit aut distinguit aut in notitiam deducit, ejusdem debet esse conditionis. Etverò debet ipsa intelligi, antequàm illud cogitetur quod ex ipsâ proficisci statuitur.

Atque hæ sunt conditiones, quas unanimi consensu, nec sine causâ, constituerunt theologi. Qui autem has mente memori repostas habuerit, is nullo negotio diluet, quæcumque contra communem scholarum sententiam opponi queunt.

Assertio I. — Quinque sunt notiones admittendæ, scilicet innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa, et spiratio passiva.

Probatur 1° ex Patribus qui totidem enumerant, v. g., Basilius epist. 43, et Damascenus lib. 1 de Fide, cap. 9.

Probatur 2° generali ratione. Tot enim admitti oportet notiones, quot necessariæ sunt ut divinæ personæ cognoscantur, et à se invicem distinguantur. Atqui ad id quinque prædictæ requiruntur. 1° Enim ut tres personæ à se invicem distinguantur, quatuor necessariæ sunt relationes, ut jamdudùm probavimus. Deinde verò, ut Pater omni ex parte cognoscatur, innascibilitas adjungi debet. Duo enim Pater habet, nempe quòd aliarum personarum principium sit, et quòd à nullo ipse principio sit, quæ quidem, juxta nostrum concipiendi modum, à se invicem discrepant, nec unum ex altero intelligitur, ut acutè notavit olim Augustinus l. 5 de Trinit. c. 6 : « Non ideò quis Pater, inquit, quia ingenitus, « nec ideò ingenitus quia Pater. » Etverò potest aliquis esse alterius principium, et ipse tamen principium habere. Cùm ergo æternus Pater non eò præcisè intelligatur esse omnis principii expers, quòd principium sit, præter paternitatem quâ Filium, et spirationem activam, quâ Spiritum sanctum producere concipitur, innascibilitas adjicienda est, ut ipse à nullo oriri sciatur. Hæ enim potissimæ sunt notionum partes, ut certum personarum numerum figant.

Probatur 3° speciatim, eò quòd singulæ mox assignatæ, conditiones omnes habeant ad legitimam notionem requisitas. Nihil enim est ex his quod non sit reipsà unum ac proprium; nihil quod ad originem non pertineat, et dignitatem non sonet; nihil denique quod permanens ac stabile non sit.

Objicies 1° : Non plures esse debent notiones, quàm proprietates et relationes. Atqui tres sunt duntaxat personales proprietates, quatuor autem relationes. Ergo. — Nego majorem. Ista enim variis de causis admittuntur. Proprietates enim sunt quibus divinæ per-

(1) Perspicuitas postulat ut, relictâ primâ auctoris conditione, dicatur : 1ª Est, ut sit formalitas, seu ratio quædam unius et ejusdem completæ proprietatis, non inadæquata et partialis, sed totalis et adæquata. Etenim inadæquatæ formalitates sufficienter cognoscuntur, cognitâ proprietate completâ, in quâ includuntur. Hinc ratio doni in Spiritu sancto non est notio, quia sufficienter in spiratione passivâ inclusa cognoscitur. (Ed.)

sonæ constituuntur; relationes quibus opponuntur; notiones verò quibus perfectè cognoscuntur. Cùm itaque tres sint solummodò personæ, tres duntaxat earum constitutivæ proprietates admittendæ sunt; cùm duæ sint tantùm processiones hinc et inde oppositionem importantes, consequens est quatuor omninò relationes esse posse; sed ut omni ex parte cognoscantur, opus est innascibilitate. Ut enim, quia Filius est à Patre, non ideò intelligitur esse principium Spiritûs sancti, atque adeò in ipso, ut innotescat omni ex parte, præter filiationem agnoscitur spiratio activa; sic Pater, eò quòd Filium habeat, non statim intelligitur nullum habere principium; quod ut percipiatur, innascibilis seu principii expers esse admittitur.

Objicies 2° : Non sunt admittendæ in unâ eâdemque personâ plures notiones. Vel enim illæ distinguerentur, vel non; si distinguuntur, persona composita est; si non distinguuntur, una potest dici esse alia (1). Atqui paternitas non potest dici esse spiratio activa. Ergo. — Nego majorem. Ad probationem dico eas non distingui, quia non opponuntur. Ad id autem quod additur, si ita est, unam posse dici aliam, distinguo : Una potest dici esse alia in sensu identico et reali, concedo; in sensu formali, nego. Porrò, quæ pertinent ad origines et fundantur in actu quodam, ut loquuntur scholæ, sumuntur vulgò in sensu formali, ac proinde juxta communem loquendi rationem, de se invicem non dicuntur. Quæ regula maximè observanda est.

Objicies 3° : Innascibilitas in notionum numerum venire non potest. Ergo non sunt quinque notiones. — Nego antecedens, cùm omnibus ad legitimam notionem necessariis conditionibus instructa sit.

(1) Diversæ quidem personæ notiones non distinguuntur identicè, id est, quoad entitatem; cùm enim sibi invicem non opponuntur, neque ulla distinctio, juxta vulgare effatum, esse potest, ubi non obviat relationum oppositio, eadem sit omnibus entitas necesse est; distinguuntur autem formaliter, et per mentis abstractionem, quia scilicet sub variis respectibus considerari possunt, diversasque ideas in mente excitant : sic paternitas concipitur tanquàm forma Patris constitutiva, innascibilitas autem ad omnimodam aseitatem ordinem dicit : porrò hæc distinctio formalis infinitæ Dei simplicitati non nocet. Nam simplicitas solà partium compositione destruitur : atqui notiones non sunt divinæ essentiæ partes diversæ; sese enim invicem ita includunt, ut una non minùs dicat, quàm duæ simul junctæ. (Ed.)

Instabis 1° : Notio debet esse aliquid reale. Atqui innascibilitas est mera negatio principii. Ergo. — Distinguo : Reale quoad entitatem suam, concedo; quoad significandi modum præcisum et inadæquatum, nego. Porrò innascibilitas idem omninò reipsà est cum paternitate et ratione primi principii, quæ certè positiva sunt, licèt negativo nomine exprimantur, et juxta præcisum suum conceptum, originem duntaxat negare videantur.

Instabis 2° : Notio debet esse perfectio. Atqui ejusmodi non est innascibilitas. — Distinguo majorem : Debet esse perfectio per sese, concedo; juxta præcisam suam rationem, subdistinguo : Aut perfectionem aliquam sonare, concedo; necessariè perfectio esse, nego. Ad notionem igitur satis est, si juxta vulgarem concipiendi modum, dignitatem aliquam et perfectionem sonet; talis autem est innascibilitas; summæ enim dignitatis et perfectionis esse censetur, quòd aliquis sit à se, non ab alio.

Instabis 3° : Si innascibilitas perfectionem sonet, imperfectio erit esse ab alio, atque adeò imperfecti erunt Filius ac Spiritus sanctus. — Nego sequelam. Utrumque enim perfectio est, et quidem infinita in divinis personis. Quæ enim inter ipsas fons est divinitatis, et quæ divinitatem accipit, infinita esse debet.

Instabis 4° : Erit saltem aliquid in Patre dignitatem ac perfectionem sonans, quod non erit in Filio. Atqui hoc absurdum est. Ergo. — Respondeo 1° veteres Patri peculiarem quamdam dignitatem adscripsisse, quòd totius fons divinitatis et origo est. Respondeo 2° eamdem hanc difficultatem de spiratione activâ, quæ in Patre et Filio est, imò de paternitate, filiatione et ipsâ spiratione passivâ moveri posse, siquidem illæ omnes relationes sunt maximæ perfectiones. Respondeo 3° : Distinguo majorem : Quod non erit in Filio formaliter, concedo; identicè, nego. Filius igitur formaliter spectatus non habet quæ propria sunt Patris; ut nec Pater ea, quæ Filii sunt; sed sua omnia vicissim habent ambo per ejusdem naturæ communionem, cui omnia identificantur.

Objicies 4° : Spiratio activa non debet notionibus accenseri. Ergo. — Nego antecedens.

Instabis 1° : Notio debet aliquid esse proprium. Atqui spiratio activa contrà est quid-

plam commune. — Distinguo majorem : Debet aliquid esse proprium uni vel duabus saltem personis, concedo; uni tantùm, nego. Notiones enim adhibentur ad divinas personas distinguendas. Pater porrò et Filius à Spiritu sancto per hanc spirationem activam distinguuntur. Neque obstat quòd illa sit ambobus communis; est enim ipsis propria, quatenùs Spiritum sanctum respiciunt. Potest enim aliquid esse proprium simul ac commune pro vario respectu.

Instabis 2° : Si spiratio activa sit notio, cùm notio sit aliqua positiva perfectio, perfectiores erunt Pater et Filius, quàm Spiritus sanctus. Spiritus enim sanctus unam duntaxat notionem habet, duas Filius, totidem Pater, aut potiùs tres. — Respondeo 1° eamdem hanc difficultatem in relationes recidere. Duas enim habent Pater et Filius, unam duntaxat Spiritus sanctus. Respondeo 2° : Nego sequelam. Easdem enim perfectiones habet Spiritus sanctus identicè; quod ejusdem omninò est perfectionis. Neque enim perfectius quiddam est isthæc habere formaliter, quàm identicè.

Assertio II. — Non sunt plures quàm quinque notiones.

Probatur 1° ex Patribus superiori assertione adductis. Plures enim non numerant. Probatur 2° unanimi scholarum consensione, cui repugnare non levis videtur esse temeritatis. Probatur 3° ratione. Nulla enim præter allegatas supra notiones afferri potest, quæ omnes conditiones requisitas habeat.

Objicies 1° : Omnipotentia est notio peculiaris Patris, ut sapientia Filii. — Nego antecedens. Ista enim sunt attributa per se tribus simul personis communia.

Objicies 2° : Origines debent esse notiones, generatio videlicet activa et passiva, quandoquidem personas distinguunt. — Nego antecedens. Origines enim sunt velut actiones fluentes, ac veluti viæ ab unâ personâ ad alteram. Notio autem debet esse quid permanens.

Instabis : Non minùs generatio activa et generatio passiva inter notiones recensendæ sunt, quàm spiratio activa et passiva. Atqui spiratio activa et passiva inter notiones enumerantur. Ergo. — Distinguo minorem : Spiratio activa et spiratio passiva sumptæ pro relationibus personarum, concedo; sumptæ pro originibus, nego. Spiratio itaque activa, v. g., relatio simul est ac origo seu via quâ producitur Spiritus sanctus; non accensetur autem inter notiones quatenùs origo est, sed quatenùs est relatio Patri et Filio infixa. Relatio autem illa *originis* vocabulo exprimitur, quòd nomina desint propria. At in Patre et Filio origines et relationes distinctis vocibus exponuntur. Relationes enim sunt paternitas et filiatio; origines autem generatio passiva et activa.

Objicies 3° : Tàm inspirabilitas et ingenerabilitas admitti debent in Patre, tanquàm notiones distinctæ, quàm innascibilitas. Ergo. — Nego antecedens et paritatem. Discrimen est quòd innascibilitas, juxta vulgarem cogitandi rationem, dignitatem et perfectionem sonet, non item ingenerabilitas et inspirabilitas. Nullatenùs enim produci, nullum omninò habere principium, et esse à se, spectantur ut aliquid honorificum et eximium; sed hoc vel illo speciali modo non produci, id ad perfectionem pertinere non existimatur; aliàs in homine forent eò plures perfectiones, quò plures sunt modi quibus non producitur. Perfectionis ergo esset quòd non, ut angeli, creetur; quòd, ut Adamus, è limo non fingatur; quòd, ut plantæ, è radice non surgat, etc., quod ridiculum est. At non generari et non spirari, est certo quodam modo non produci. Ergo neutrum dignitatem aut perfectionem significat.

Objicies 4° : Fontem esset otius divinitatis proprium est Patri et dignitatem arguit. Ergo ista notio in Patre insuper est agnoscenda. — Distinguo antecedens : Et id paternitate et spiratione activâ jam continctur, concedo; secùs, nego.

Objicies 5° : Ingenerativitas, seu non posse producere alterum Filium, debet admitti tanquàm notio singularis in Filio. — Nego antecedens. Id enim instar perfectionis alicujus non concipitur in Filio, quòd non possit generare, imò, juxta pervulgatum sentiendi morem, illud potiùs pro imperfectione haberetur; sed neutrum est verum.

Instabis : At summa perfectio est, quòd totam generandi facultatem exhauriat. Atqui Filius idcircò est ingenerativus, seu Filius generare non potest, quòd totam generandi facultatem exhauriat. Ergo ingenerativitas summa quædam est in Filio perfectio. — Distinguo majorem : Summa perfectio est, quæ filiatione includitur, concedo; à filiatione distincta, nego. Quapropter ingenerativitas, si confusè concipitur, nullam ex se perfectionem significat; si autem distinctè, quatenùs est in Filio divino, perfectionem quidem continet, sed ea perfectio filiatione sa-

tis intelligitur. Eo enim ipso quòd Verbum cogitatur à Deo produci, eo, inquam, ipso satis intelligitur unum esse posse, quia debet esse infinitum. Quocircà ingenerativitas confusè accepta non est notio; distinctiùs autem intellecta non est notio à filiatione distincta.

Objicies 6° : Inspirabilitas tam debet esse in Filio notio quædam peculiaris, quàm in Patre innascibilitas. Ut enim à nullo Pater producitur, sic per spirationem Filius non producitur.—Nego antecedens. Ut enim modò probavimus, aliquo speciali modo non produci, id dignitatem et perfectionem non sonat.

Instabis : At eò inspirabilis est, quòd per intellectum procedat. Atqui ex intellectu divino procedere, est summa perfectio. Ergo. — Distinguo minorem : Summa perfectio quæ filiatione includitur, concedo; ab eâ distincta, nego.

Objicies 7° : Secunda persona non modò Filius est ac spirator, sed etiam Patris Verbum, imago, etc., iisque cognoscitur. Ergo Verbi et imaginis ratio tanquàm peculiaris notio adjungenda est.— Nego consequentiam. Quòd enim Verbum sit et imago Patris, filiatione satis exprimitur, cùm Filius omninò sit imago Patris sui, et Filius non sit nisi quatenùs est Verbum.

Objicies 8° : Principii ad intrà productivi ratio non minùs communis est Patri et Filio quàm spiratio activa, nec minùs eos à Spiritu sancto distinguit. Ergo non minùs inter notiones recensenda est. — Distinguo antecedens : Communis est per mentem, concedo; reipsà, subdistinguo : Et ista principii ratio spiratione activâ includitur, concedo; ab eâ distinguitur, nego. Isthæc igitur principii communis ratio, vel per mentem exprimitur, vel talis cogitatur, qualis reipsà est : si spectatur quatenùs per mentem concipitur, non est notio, cùm notio debeat esse in re ipsâ; si autem spectatur quatenùs est reverà in Patre et Filio, à spiratione activâ non distinguitur.

Objicies 9° : Tam improductivitas debet esse in Spiritu sancto peculiaris notio, quàm in Patre innascibilitas. Ut enim notio Patris esse censetur, quòd à nullo producatur, et primâ sit Trinitatis persona, ita Spiritûs sancti propria notio esse existimanda est, quòd nullum producat, et ultima sit ejusdem Trinitatis persona. — Nego majorem et paritatem. Una enim conditio deest, quòd scilicet non producere, dignitatem et perfectionem non arguat, juxta nostrum concipiendi modum; non produci autem contrà arguat perfectionem.

Instabis : At ideò Spiritus sanctus non producit, quòd sit terminus ultimæ facultatis divinæ ad intrà productivæ, eamque exhauriat. Atqui istud est summa perfectio. — Distinguo minorem : Summa perfectio spiratione passivâ inclusa et expressa, conc.; ab eâ distincta, nego. Vide supra, object. 5.

Objicies 10° : Ingenerabilitas in eodem sancto Spiritu est notio quâ à Filio distinguitur. Eò enim distinguitur à Filio, quòd pariter non generetur. — Nego majorem. Non est enim notio, quia non sonat dignitatem ac perfectionem. Certo enim modo non produci, non habetur, juxta communem judicandi rationem, tanquàm perfectio.

Objicies 11° : Spiritûs sancti propria quædam est ratio, quòd sit Dei donum, amor, vinculum, etc. Ergo.— Distinguo antecedens : Peculiaris ratio spiratione passivâ contenta et satis significata, concedo; distincta, nego.

Objicies 12° : Innascibilitas non minùs Spiritui sancto competit, quàm Patri. Spiritus enim sanctus non nascitur nec generatur. Ergo, si innascibilitas est in Patre notio, eodem jure eadem esse debet in Spiritu sancto.—Distinguo antecedens : Innascibilitas sumpta pro ingenerabilitate, concedo; sumpta pro omnimodâ improducibilitate, nego. Innascibilitas porrò peculiarem Patris notionem non constituit, nisi quatenùs producibilitatem et omne principium submovet. Non ergo eadem est in Patre et Spiritu sancto.

Objicies 13° : Sicut spirare commune est Patri et Filio, ita Filio et Spiritui sancto commune est produci. Ergo utrumque pari jure in notionum numerum venire oportet.—Nego consequentiam. Discrimen est quòd spirare, quod commune est Patri et Filio, sit aliquid reipsà unum ipsis conveniens. At produci commune non est Filio et Spiritui sancto, nisi per mentem; reipsà enim diversâ ratione producuntur. Atquod per mentem effingitur, id notionibus accenseri non potest, quia mens non notiones efformat, sed eas in rebus ipsis supponit.

Quæstio octava.

De iis quæ personis divinis communia sunt.

Persona à Boetio libro *de duabus naturis* esse definitur *naturæ rationalis individua substantia*, seu *subsistentia*.

1° Dicitur *substantia* seu *subsistentia*, id est,

aliquid per se subsistens ; quod argumento est *personæ* nomen accidentibus non convenire. 2° Additur *individua*, id est, maximè singularis, completa, et alteri tanquàm supposito incommunicabilis. 3° *Naturæ rationalis*, hoc est, in eo naturarum genere, quæ rationis sunt ac intelligentiæ participes. Illud enim est discriminis suppositum inter et personam, quòd suppositum sit vox generalis, quæ de substantiis quibuslibet completis dicitur, sive rationis expertes sint sive compotes; *personæ* verò vocabulum sit dignitatis nomen, iis proprium quæ intelligentiâ præditæ sunt.

Duo igitur includit persona, naturam videlicet intelligentem, et ultimum illius complementum, quo veluti obsignetur, et incommunicabilis efficiatur, quodque *personalitas, subsistentia* et *hypostasis* appelletur ; sed *personæ* nomen directè per se et primariò *personalitatem* sonat. Hinc, eâ multiplicatâ, plurali numero effertur. Jam verò quid sit ultimus ille terminus, seu subsistentia, seu hypostasis, et naturæ quid addat, an sit aliquid ab ipsâ realiter distinctum, an modus, an negatio, non attinet hîc curiosiùs scrutari, cùm id ex professo expendant in metaphysicis philosophi, et theologi ubi de incarnatione.

Circa hæc autem nomina duo supererunt observanda : primum est, *hypostaseos* ac *subsistentiæ* nomen apud antiquos passim pro personis ipsis sumi ; alterum est, olim gravem et fluctuosam extitisse de *hypostaseos* voce controversiam. Cùm enim *hypostasis*, ex vi nominis sit idem omninò quod *substantia*, et à veteribus modò pro *naturâ*, modò pro *personâ*, vox illa accepta fuisset, post concilium Nicænum quæstio inter Catholicos exorta est, an una hypostasis, an triplex dicenda foret, quæ quidem in tantum erupit incendium, ut eo omnis penè Oriens conflagraverit. Deplorandum id dissidium fuit, quod viros orthodoxos et sanctos ita commisit, ut illi sese invicem tanquàm hæreseos fautores accusarent. Qui enim unam hypostasim agnoscebant, ii Sabellii partes fovere ; qui multiplicem, ii Arii causam adjuvare dicebantur. Sed motus isti tandem compositi sunt ; et unanimi omnium consensione firmatum est, ut *hypostaseos* nomen deinceps nonnisi de *personâ* aut ejus *subsistentiâ* intelligeretur. Super eo consulendi sunt Athanasius, Basilius, Hieronymus, ac præ cæteris Petavius lib. 4, cap. 1 et 4.

Nunc ad propositum nostrum accedamus. Illc porrò non ea duntaxat persequi instituimus quæ omnibus simul personis, sed etiam quæ pluribus earum competunt ; atque adeò agemus de illarum attributis absolutis, existentiâ, subsistentiâ, circuminsessione et missione.

ARTICULUS I.

An omnia divinitatis attributa tribus personis communia sint.

Duo hîc quæruntur : primum an omnes absolutæ divinitatis proprietates, v. g., omnipotentia, bonitas, sapientia, justitia, etc., ex æquo tribus personis competant ; alterum, an non tamen ex his aliquæ certis de causis meritò quibusdam personis attribui, et, ut loquuntur, appropriari possint.

Assertio I. — Omnes absolutæ proprietates divinitatis tribus personis sunt communes.

Probatur 1° ex iis quæ de Filio et Spiritu sancto supra disseruimus. Inter alia enim demonstravimus utrumque iisdem cum Patre proprietatibus esse præditum.

Probatur 2° generali quodam ac diserto Scripturæ testimonio ; Joannis enim 16, 15 : *Omnia quæcumque habet Pater*, inquit Christus, *mea sunt*. At eadem est ratio Spiritûs sancti. Ergo. Probatur 3° ex Patribus, qui id, datâ quâlibet occasione, aut etiam ex professo docent, ut supra non semel animadvertimus. Probatur 4° ratione. Cùm enim proprietates illæ sint naturæ appendices, ubicumque natura est communis, ibi communes quoque esse proprietates oportet. Atqui natura divina eadem est in tribus personis. Ergo. Id autem eodem jure intellige de iis omnibus, quæ extrinsecùs fiunt, operibus. Cùm enim illa ab omnipotentiâ proficiscantur, et eadem omnibus personis insit omnipotentia, hinc manavit illud vulgare scholæ pronuntiatum : *Indivisa* videlicet *esse opera sanctissimæ Trinitatis ad extrà*.

Assertio II.—Sunt quædam proprietates absolutæ, quæ certis personis specialiter attribui meritò possint, v. g., Patri omnipotentia, et quæ hinc consequuntur ; Filio sapientia, et quæ ejusdem sunt generis ; Spiritui sancto bonitas, charitas, et quæ ad eumdem ordinem spectant.

Probatur 1° Scripturarum usu frequentissimo. Pater enim Eccli. 24, 2, ideò appellatur *creator omnium*. Joannis 14, 10 : *Pater in me manens*, inquit Christus, *ipse facit opera*. Hinc etiam 1 Cor. 8, 6, dicitur is esse *ex quo omnia*, quia nempe primum omnium principium est,

ex quo cætera tam divina quàm creata prodierunt. Filius simili ratione, quia per intellectum à Patre processit, vocatur non solùm proprio nomine *Verbum*, sed etiam peculiari titulo *Dei sapientia*, Prov. 8; Eccli. 24, 1; 1 Cor. 1, 24; necnon et *Dei virtus* ibidem, eò quòd omnia per Verbum facta sint. Denique eâdem de causâ ibidem, c. 8, v. 6, is *per quem omnia*. Sic Spiritus sanctus 1 Joannis 4, 6, *charitas* nominatur, ut quidem sentiunt Patres. Ei certè tribuuntur charitatis in nos diffusio, Rom. 5, 5, et 15, 30; hominum sanctificatio, Rom. 1, 4; 2 Thessal. 2, 12; 1 Petri 1, 2, ut et reliqua, quæ eòdem referuntur, et à nobis, ubi de Spiritu sancto, sigillatim exposita sunt.

Probatur 2° Ecclesiæ traditione et Patrum testimoniis. 1° Enim in symbolis Deus Pater hâc ratione nuncupatur omnipotens, creator cœli et terræ; Christus, is per quem omnia facta sunt; Spiritus sanctus, per quem locuti sunt prophetæ. 2° Clemens Romanus supra Christum appellat sceptrum majestatis Dei; Tatianus mundi principium; Theophilus Dei mentem ac prudentiam. 3° Propterea Origenes apud Photium cap. 8, et Theognostus apud eum codice 106, dixerunt pervadere quidem Patrem quæcumque sunt; Filium verò duntaxat rationis participem; Spiritum autem ea tantùm quæ salutem adepta sunt. De quo legendi sunt Huetius Origenian. lib. 2, pag. 46 et 47, et Bullus in Defensione fidei Nicænæ, sect. 2, cap. 10, num. 9. Inde etiam est quòd idem Origenes in caput 1 Joannis, et Methodius apud Photium codice 235, rerum quidem creationem Patri, exornationem autem Filio, utpote sapientiæ ascribant. 4° Augustinus lib. 15 de Trinitate cap. 17, id ex professo exponens: « Sicut unicum Dei Ver- « bum, inquit, propriè vocamus nomine *sa-* « *pientiæ*, cùm sit universaliter et Spiritus « sanctus et Pater ipsa sapientia; ita Spiritus « sanctus propriè nuncupatur vocabulo *chari-* « *tatis*, cùm sit universaliter charitas et Pater « et Filius. » 5° Paschasius diaconus lib. 1 de Spiritu sancto, cap. 9, idem versans argumentùm: « Quantùm in Scripturis sanctis, « inquit, manifestissimè deprehenditur, alia « Pater ipse per se, alia specialiter per Fi- « lium, alia per Spiritum sanctum, licèt sub « privilegio potentiæ communis, operatur. « Quia sumus, ad Patrem propriè referri vide- « tur: ..... quòd verò rationis et sapientiæ... « capaces sumus, illi specialiter qui est ratio « et sapientia, ... id est, Filio, deputatur; « quòd autem vocati regeneramur, innovati « sanctificamur, per divina eloquia personæ « Spiritûs sancti evidenter adscribitur. »

Probatur 3° ratione. Id enim fit convenienter originibus et accommodatè ad personas, necnon ad earum manifestationem conducit. Cur autem et quo pacto id fiat, ita doctè et subtiliter explicat S. Thomas, ut nihil suprà: quocircà operæ pretium erit ad ipsum fontem lectores remittere, 1 part., quæst. 39, art. 7 et 8.

ARTICULUS II.

An una sit trium personarum existentia absoluta. an triplex etiam relativa.

Quidam è recentioribus, ut animadvertit Suarez in 3 part., disp. 11, sect. 1, eò visi sunt propendere ut nullam in Deo communem et absolutam existentiam agnoscerent. Plures autem contrà ex antiquioribus censuerunt, præter existentiam absolutam et communem divinitatis, tres esse relativas, quarum singulæ singulis personis competant. Ita Richardus à S. Victore lib. 4 de Trin. cap. 16; Scotus in 1, dist. 11, quæst. 2, quibus superiore seculo accesserunt Suarez lib. 3, cap. 5, et Isambertus noster quæst. 30, disp. 2, art. 2.

Assertio I.—Est quædam in Deo existentia absoluta et communis.

Probatur. Illud non potest, divinitati denegari, quod in ipsius notione includitur. Atqui existentia, et quidem necessaria, in ipsâ divinitatis notione includitur. Deus enim est ens à se, ut ipsemet ait Exodi 3: *Ego sum qui sum*. Ergo.

Assertio II.— Non sunt variæ (1) ac distinctæ pro numero personarum existentiæ relativæ.

Probatur ex Patribus. 1° Enim Athanasius in Epist. ad Africanos, existentiam cum essentiâ confundit. Atqui tres non sunt essentiæ personarum divinarum. Ergo. 2° Augustinus lib. 7 de Trinit. cap. 6; « Non est aliud, in- « quit, Deo esse, et Patrem esse. » Proinde eâdem existentiâ Pater est, quâ Deus est. 3° Dionysius, vulgò Areopagita, de divinis Nominibus, cap. 2: « Unicum est, inquit, in... « Trinitate, et commune supersubstantialis « existentia, superdivina deitas, superbona « bonitas. » Ibi enim comparat existentiam

(1) Opinionem contrariam defendere nititur Turnelius quæst. 5, art. 2; sed illum planè confutat Billuartus dissert. 3 art. 4; quos lege, si libet. (Ed.)

cum ipsâ divinitate. Ut ergo triplex divinitas non est, sed una communis, ita existentia. 4° Sophronius act. 11 synodi VI, identitatem substantiæ et cogitationem existentiæ promiscuè usurpat. 5° Damascenus in Dialecticâ ex philosophorum placitis essentiam et existentiam unum quid et idem esse pronuntiat.

Probatur insuper duplici ratione. 1° Enim existentia appendix est naturæ ; atque adeò ubi unica natura est, ibi unica debet esse existentia. 2° Absurdum est duplicem uni eidemque rei existentiam tribuere. At singulæ personæ et natura divina sunt quid unum et idem inter se. Ergo non oportet aliam esse naturæ, aliam personæ cujuslibet existentiam.

Objicies 1° : Non pauci Patres existentias tres commemorant : v. g., Basilius lib. 4 contra Eunomium, propriam Filii existentiam admittit; Cyrillus Alexandrinus dial. 2 de Trinit. peculiarium existentiarum proprietates; Damascenus de duabus Christi Voluntatibus, diversam cujusque personæ existentiam. Ergo. — Distinguo antecedens : Existentias tres, id est subsistentias, concedo; existentias, ut à nobis sumuntur, nego. Nimirùm ὑπάρξεως seu *existentiæ*, et ὑποστάσεως seu *subsistentiæ*, vocabula apud Græcos sæpissimè confunduntur, ut notat Petavius lib. 4 de Trinit. c. 2, n. 12. Itaque non est mirum, si hoc sensu tres existentias antiqui recensuerint.

Objicies 2° : Augustinus lib. 7 de Trinit. cap. 4 : « Aliud est, inquit, Deo esse, aliud « Patrem esse. » Ergo alia est personæ Patris existentia, alia deitatis. — Distinguo antecedens : Aliud est, id est, alia notio, concedo; id est, alia existentia, nego. Nihil enim aliud sibi vult illîc Augustinus, quàm *Dei* ac *Patris* voces diversa significare.

Objicies 3° : Quælibet productio tendit ad existentiam. Ergo, ubi sunt plures productiones, ibi multæ sunt existentiæ. — Distinguo antecedens : Ad existentiam vel producendam vel communicandam, concedo; producendam, nego. Productio igitur sic tendit in existentiam, ut in naturam. At necessariò non tendit in naturam producendam; aliàs plures essent divinarum personarum naturæ.

Objicies 4° : Unaquæque res suam habet existentiam. Atqui divinæ personæ sunt res à se invicem distinctæ. — Distinguo majorem : Suam vel propriam vel communem, concedo; propriam, subdistinguo : Si naturam propriam habeat, concedo ; secùs, nego. Res per existentiam non distinguuntur; proinde necesse non est ut existentiæ multiplicitas rerum distinctionem comitetur.

Instabis : Relationes, ut à naturâ divinâ præcisæ, sunt aliquid ; non enim sunt nihil. Atqui quod est quidpiam, illud propriâ existentiâ præditum est. Ergo relationes divinarum personarum, propriam habent existentiam, etiam quatenùs à naturâ divinâ præcisæ et abstractæ cogitantur. — Distinguo majorem : Sunt aliquid, id est, aliquæ reales proprietates ac naturæ divinæ modi, concedo; id est, aliquid seorsim existens, nego. Ex hoc enim consequens foret propriam eodem jure assignari oportere existentiam omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatis et justitiæ divinæ. Hæc enim singula, quatenùs à naturâ divinâ secernuntur, sunt aliquid, et non sunt merum nihil.

ARTICULUS III.

An triplex sit subsistentia relativa; an etiam una communis et absoluta.

Subsistentia definiri solet ultimus substantiæ terminus, quò fit ut per sese et in se subsistat, nec alteri tanquàm supposito communicari possit.

Quotuplex autem subsistentia sit in Deo in scholis disputatur, et de eo variæ sunt opiniones ; prima est eorum qui unicam agnoscunt subsistentiam absolutam ; nullam verò relativam. Ita Durandus in 1, dist. 1, quæst. 2, num. 12; Scotus in 1, dist. 1, quæst. 26, etc. Illi enim arbitrantur duo in personâ esse distinguenda, primum, quòd in se subsistat, non in alio ; alterum, quòd alteri sit incommunicabilis. Jam verò censent personas divinas ab absolutâ subsistentiâ id habere, quòd in se subsistant; à relativis autem, quòd alteri supposito non communicentur. Itaque unam agnoscunt subsistentiam absolutam, tres verò incommunicabilitates relativas. Secunda est aliorum, qui quatuor subsistentias admittunt, unam videlicet absolutam, et tres insuper relativas : sic Cajetanus 1 parte, quæst. 29, art. 4, et quæst. 39, art. 4 ; Suarez lib. 4, cap. 4, etc. Tertia denique Alensis 3 parte, quæst. 2, membro 3 ; Bonaventuræ in 3, dist. 2, art. 1, quæst. 3 ; Henrici Gandavensis 3, parte, quæst. 53; Richardi, Capreoli, et reliquorum vulgò theologorum, qui tres duntaxat subsistentias, easque relativas, in Deo constituunt ; nullam verò absolutam.

Sed de nomine ferè quæstio est. Si enim subsistentia, ut vulgò solet, accipiatur, nul-

lus esse potest dubitandi locus, quin tres sint tantùm subsistentiæ. At quartam addunt supradicti theologi, quòd velint subsistentiam posse etiam sumi pro perseitate excludente dependentiam ab aliquo; quo sensu subsistentiam adscribunt absolutam divinitati, cùm illa per sese, et quatenùs à relationibus præcidi-tur, à nullo pendeat et per se existat. Verùm immeritò. Cùm enim de loquendi ratione agitur, ea pars est amplectenda, quæ traditioni maximè consentanea est. Quatuor autem subsistentias seu hypostases nullus unquàm è veteribus admisit.

Assertio I. — Tres sunt in Deo subsistentiæ.

Probatur 1° ex Patribus: Athanasius, seu quis alius, sermone de Deiparâ: « Unum Deum, « inquit, in tribus subsistentiis prædicamus, « in quibus una sit substantia. » Ambrosius in Symbolum Apostolorum, cap. 2: « Catholi-« cum est, inquit, ut et unum Deum secundùm « unitatem substantiæ fateamur, et Patrem, « et Filium et Spiritum sanctum in suâ quem-« que subsistentiâ sentiamus. » Ibi subsistentiam ad instar formæ unicuique propriæ exprimit, quâ per sese subsistere intelligatur. Cyrillus Alexandrinus Dial. de Trinit. lib. 3: « Omnis fidei nostræ sermo hùc tendit, ut « unam videamus deitatis naturam, quæ in « tribus subsistentiis propriè subsistit. » Faustus Rhegiensis epist. 5: « Sicut in subsisten-« tiâ triplex est, inquit, ita in substantiâ « simplex. » Paschasius diaconus l. 1 de Spiritu sancto, cap. 4, tres pariter esse definit hypostases vel subsistentias; sed non tres substantias. Synodus V generalis collat. 8, anathematismo 1: « Si quis, inquit, non confitetur « unam deitatem in tribus subsistentiis seu « personis adorandam, anathema sit. » Sophronius patriarcha Hierosolymitanus in Epistolâ quæ refertur et probatur act. 11 synodi VI: « Trinitatem, inquit, in unitate credimus; « Trinitatem quidem tribus subsistentiis; uni-« tatem verò singularitate divinitatis. » Romana synodus sub Agathone act. 4 ejusdem VI synodi, unitatem quidem essentiæ, Trinitatem verò personarum seu subsistentiarum profitetur. Synodus Mediolanensis, quæ in eodem VI concilio allegatur, definit simili ratione Trinitatem esse unius essentiæ, uniusque substantiæ in tribus subsistentiis. Theodorus patriarcha Hierosolymitanus act. 3 VII synodi, verba Sophronii usurpans in Synodico suo: « Trinitatem, inquit, in unitate credimus; Tri-« nitatem quidem tribus subsistentiis; unita-« tem verò singularitate divinitatis. Divisa est « enim numeratis subsistentiis, et numerata « personarum diversitatibus; identitate autem « substantiæ et naturæ unita omninò partitio-« nem non recipit. »

Alios adjungit Petavius lib. 4 de Trinit., c. 3; ex quibus liquet hanc esse majorum nostrorum constantissimam loquendi rationem, à quâ temerè discedunt illi, qui tres subsistentias non agnoscunt.

Nec dicas subsistentias illic sumi in concreto, seu pro personis. 1° Enim quamvis sic vulgò accipiatur, nonnulli sunt tamen, qui eas pro personarum formis accipiant, ut Ambrosius supra, et modò Theodorus Hierosolymitanus subsistentias usurpant pro ipsarum personarum diversitatibus et proprietatibus, quibus constituuntur ac numerantur. 2° Eo ipso quòd tres subsistentiæ in concreto, ut aiunt, admittuntur, eo, inquam, ipso tres esse indicantur subsistentiæ in abstracto, seu, ut recens loquitur theologus, tres subsistentialitates; concreta enim ex formis propriis et subjectis constant.

Probatur 2° ratione. Ubi enim tres sunt personæ, ibi tres necessariò agnoscendæ sunt personalitates. Atqui personalitas nihil aliud est, quàm subsistentia naturæ rationalis. Ergo in naturâ divinâ tres omninò sunt subsistentiæ.

Assertio II. — Illæ tres subsistentiæ sunt relativæ.

Probatur 1° ex Patribus. Illi enim, qui mox memorati sunt, iidem subsistentias idem esse quod personarum proprietates ac formas significant. Personarum autem proprietates et formas esse relativas supra demonstravimus. Iis adde Gregorium Nazianzenum, orat. 39, quem refert Facundus Hermianensis lib. 1: « Deum cùm nomino, inquit, uno lumine « illustramini et tribus; tribus quidem secun-« dùm uniuscujusque proprietates, seu sub-« sistentias, » etc. Probatur 2° ratione multiplici. 1° Enim sola relativa in Deo multiplicantur, ut probavimus. Atqui plures sunt subsistentiæ. Ergo eæ sunt relativæ. 2° Cùm Verbum caro factum est, naturæ humanæ conjunctio cum Deo facta est in subsistentiâ Verbi, ut definit VI synodus act. 8. At facta certè est in subsistentiâ relativâ. Si enim facta esset in subsistentiâ quâdam communi et absolutâ, tres simul personæ censendæ essent incarnatæ. Ergo subsistentia relativa in Filio

admittenda est. Si autem in Filio, eodem jure in Patre et Spiritu sancto. 3° Denique relationes in Deo iis omnibus officiis funguntur, quibus subsistentia in aliis omnibus rebus ; relationes enim constituunt ac complent personas divinas, easque incommunicabiles aliis efficiunt. Ergo.

Objicies 1° : Augustinus lib. 7 de Trinit., c. 4 : « Omnis res, inquit, ad seipsam subsistit; « quantò magis Deus! » Ergo nulla est relativa subsistentia. — Distinguo majorem : Subsistit, id est, existit, ut cap. 5 declarat se hanc vocem accipere, dùm ait : « Hoc est Deo esse, « quod subsistere, » concedo ; subsistit subsistentiâ propriè dictâ, nego. *Subsistentiam* ergo illic pro *substantiâ* usurpat, quanquàm et relationes non sunt subsistentiæ secundùm esse *ad*, sed secundùm esse *in*.

Objicies 2° : Relatio supponit subsistentiam. Ergo non potest esse ipsa subsistentia. — Distinguo antecedens : Relatio accidentalis, concedo ; substantialis, nego.

Objicies 3° : Spiratio activa est etiam relatio subsistens. Ergo, ut quatuor sunt relationes, ita quatuor relativæ subsistentiæ. — Nego consequentiam. Aliud enim est spirationem esse relationem subsistentem, aliud esse subsistentiam. Non est autem subsistentia, 1° quia non est propria uni personæ ; 2° quia non constituit personam, ut supra observavimus ; sed constitutam supponit.

Assertio III. — Non est admittenda in Deo quarta subsistentia, quæ absoluta sit et communis.

Probatur 1° ex Patribus, inter quos nemo est qui quatuor subsistentias seu hypostases admiserit. Tria enim temporum intervalla secerni possunt in usurpandâ *hypostaseos* voce : 1°, cùm ante ullas de eâ controversias motas variè ab antiquis accipiebatur, modò scilicet pro naturâ, modò pro personâ, aut ejus differentiâ ac veluti formâ ; 2° seculo IV, quo magnâ animorum contentione de eâ inter Catholicos certatum est, quod non ita pridem retulimus ; 3° exinde, postquàm motus compositi sunt. Atqui his variis temporibus nulla unquàm à quoquam de quatuor hypostasibus mentio facta est. Primo enim temporis intervallo, qui hypostasim cum essentiâ confundebant, hi unam duntaxat agnoscebant hypostasim ; qui verò aliter, tres duntaxat. Secundo autem temporis intervallo ingentia quidem hinc et inde certamina fuerunt, unane an triplex hypostasis dicenda foret ; de quartâ verò nihil unquàm auditum. Tertio tandem, ex quo turbæ illæ desierunt, omnes Catholici in id consensère, ut tres hypostases agnoscerent, et eas reipsà constanter, tum in scriptis, tum in conciliis admiserunt, nec ulli unquàm de quatuor subsistentiis seu hypostasibus quidquam in mentem venit. Ergo (siquidem à communi veterum, cùm sentiendi, tùm loquendi ratione discedere theologi non debent, et vocum novitates fugiendas esse monet Apostolus, nobisque, ut ait Augustinus lib. 10 de Civit. Dei, cap. 23, ad certam regulam loqui fas est) non sunt profectò quatuor subsistentiæ seu hypostases in Deum invehendæ.

Probatur 2° speciatim Cyrilli Alexandrini et Sophronii Hierosolymitani auctoritate. Illic enim act. 13 synodi VI, ait in Deo neque substantiam confundi, neque ad unam subsistentiam posse deduci. Ille verò suprà asserit naturam divinam propriè subsistere tribus personarum subsistentiis. Ergo non subsistit per communem aliquam et absolutam subsistentiam.

Probatur 3° ratione. Illud enim non est admittendum, quod non solùm inutile et noxium est, sed etiam pugnam seu contradictionem involvit. Atqui talis est subsistentia absoluta. 1° Enim inutilis est. Quidquid enim illa præstaret, id abundè præstant subsistentiæ illæ relativæ, quas esse admittendas probavimus ; constituunt enim personas, easque complent, et per oppositionem suam easdem incommunicabiles faciunt. 2° Noxia foret, utpote quæ quatuor in Deum supposita, quatuorque personas induceret. Subsistentia enim generatim ubicumque occurrit, suppositum facit ; quando autem in naturâ intelligentiæ compote reperitur, personam constituit ; is quippe est necessarius et formalis ejus effectus. Ergo, si præter subsistentias tres relativas, quæ tres constituunt personas, quarta est admittenda quæ divinitatem subsistere faciat, quartum inde suppositum et quarta persona exurget. Nemo autem est qui quatuor in Deo supposita quatuorve personas agnoscere audeat.

Nec dicat Cajetanus hâc absolutâ subsistentiâ fieri suppositum imperfectum seu dimidiatum. 1° Enim si subsistentia vera sit, suppositum pariter veri nominis esse oportet, et quandoquidem natura est rationalis, veri quoque nominis persona. 2° Summa Dei perfectio ejusmodi dimidiatum suppositum non patitur.

Tertia denique ratio est, quòd subsistentia illa absoluta contradictionem involvat. Sub-

sistentia enim est ultimus naturæ terminus et ultimum ejus complementum, quo alteri tanquàm supposito incommunicabilis efficitur. Talis ergo esse deberet subsistentia absoluta. At talis esse non potest. 1° Enim non est ultimus naturæ divinæ terminus, nec ultimum ejus complementum, siquidem illi ultrà accedit relativa insuper subsistentia, quâ completur ac terminatur. Ergo. 2° Non facit eam incommunicabilem. Natura enim divina, prout abstrahitur à divinis relationibus, non est incommunicabilis; imò non solùm communicabilis est, sed etiam reipsà communicatur. Ergo.

Nec dicas subsistentiæ hoc quidem esse munus, ut substantiam faciat per se existere; non verò ut eam faciat incommunicabilem. Nam 1° vulgaris contrà ac receptissima hæc est subsistentiæ definitio, quâ dicitur ultimus substantiæ terminus, eam alteri tanquàm supposito incommunicabilem efficiens; à communi autem notione et perpetuo usu non est leviter ac temerè recedendum. 2° Nullus assignari potest alter subsistentiæ effectus, quàm ultimò substantiam complere eamque incommunicabilem facere. Quis enim alius assignari potest? An quòd substantia existat? at id habet per existentiam suam. An quòd instar accidentis non inhæreat? at id substantia habet ex sese; natura enim humana in Christo, sublatâ per mentem subsistentiâ Verbi, non est accidens.

Objicies 1° : Non pauci Patres unam esse omnium personarum subsistentiam seu hypostasim definiunt : Hieronymus Epist. ad Damasum; Augustinus de Trinit. lib. 7, etc. Atqui hæc absoluta esse debet. Ergo. — Distinguo majorem : Unam subsistentiam seu hypostasim, id est, substantiam, concedo; id est, ultimum substantiæ complementum, nego. Jam enim non semel monuimus hâc ætate grave dissidium extitisse de *hypostaseos* vocabulo, aliis illud pro *substantiâ*, aliis pro *personâ* sumendum esse contendentibus. Priores partes tuebantur Hieronymus et Augustinus unà cum pluribus aliis.

Objicies 2° : Romana synodus sub Agathone act. 4 concilii VI, pronuntiat unam esse trium subsistentiarum subsistentiam. — Respondeo mendum esse antiquæ versionis latinæ; legendum verò esse, unam trium subsistentiarum substantiam.

Objicies 3° : Natura divina, quatenùs intelligitur ante relationes personales et ab iis abstrahitur, est infinita, atque adeò omni perfectionis genere ornata. Atqui subsistentia est aliqua perfectio. — Distinguo majorem : Infinita in genere essentiæ, concedo; in omni genere, nego. Igitur, ut præscindit à relationibus, spectatur ut mera Dei essentia; proinde eatenùs debet esse infinita; sed non idcircò debet cogitari ut subsistens, quia nondùm intelligitur ut completa et terminata; hoc enim in statu nondùm ei inesse concipiuntur relationes, quibus completur ac terminatur. Certè, si ex eo quòd infinita sit, deberet includere subsistentiam, quia perfectio illa est, deberet quoque includere relationes divinas, cùm illæ sint etiam perfectiones; quod tamen est contra hypothesim; ab iis enim fingitur abstracta, et iis priùs intellecta.

Objicies 4° : Subsistentia absoluta est perfectio quædam. Ergo inesse debet essentiæ etiam ante relationes. — Distinguo majorem : In creatis, concedo; in Deo, nego. Esset enim in Deo inutilis et noxia, et pugnantia importaret.

Objicies 5° : Etiamsi de relationibus divinis non cogitetur, attamen concipitur Deus. At vox illa *Dei* concreta est; proinde non solùm formam, sed etiam subjectum significat. Quocircà independenter à relationibus aliquod in Deo subjectum intelligitur. Atqui illud subjectum habens divinitatem, est aliquid subsistens. Ergo independenter à relationibus est aliqua in Deo subsistentia. — Respondeo vocem illam *Dei* formam quidem et subjectum significare, sed diversâ ratione, formam nempe directè et clarè; subjectum verò confusè tantùm et indirectè (1). Quapropter subjectum eâ designatum sunt tres personæ, sed obscuriùs expressæ. Etverò hoc subjectum vel est triplex divina persona, vel commune quoddam suppositum, seu communis persona. Atqui nulla est in Deo persona communis, nullum commune suppositum.

Objicies 6° : Subsistentia prior est facultatibus et operationibus. Atqui nulla esse potest in Deo subsistentia prior facultatibus et operationibus, nisi absoluta; relativæ enim ex operationibus ipsis efflorescunt. Ergo. — Distinguo majorem : Subsistentia creata, concedo; divina, nego. Cujus discriminis hæc

(1) Fieri potest ut quis Deum, præcisis relationibus, directè sibi videatur concipere tanquàm subjectum, et per se subsistentem; sed is error est, qui tum ex humanæ mentis infirmitate, tum ex inaccessâ sublimitate mysterii nascitur; non enim reverà Deus, nisi in tribus personis, subsistit: mentisque nostræ abstractiones nihil novi ipsis rebus addere possunt. (Ed.)

ratio est, quòd in rebus creatis facultates et actiones, juxta vulgarem philosophandi rationem, habeantur pro accidentibus, adeòque supponere debeant substantiam in suo genere jam completam ac constitutam. At in Deo facultates, operationes et termini operationum sunt substantiæ. Subsistentia autem non potest esse substantiâ, quam terminat, prior. Ergo non potest esse prior facultatibus, operationibus et processionum terminis. Hæc certè argumentandi ratio subsistentias relativas funditùs tolleret, et suppositum aliquod absolutum personamque communem inveheret.

Instabis : Actiones sunt suppositorum. Ergo suppositum prius esse debet actionibus. — Distinguo antecedens : Actiones quibus propriè aliquid producitur, concedo ; secus (1), nego. Porrò, si actiones spectentur in Deo, quatenùs aliquid iis producitur, iis prius intelligitur suppositum ; sic persona Patris concipitur jam constituta, cùm generat. Generatio enim est intellectio notionalis. Jam verò intellectio notionalis non est citra relationem paternitatis. Priùs autem illa relatio concipitur, ut forma hypostatica, quàm ut origo. Idem puta de Filio respectu Spiritûs sancti. Sanè adversarii nullum in Deo suppositum admittunt, quod intellectu et intellectione prius esse cogitetur. Quid ergo sibi volunt, cùm hæc nobis obtendunt ?

Objicies 7° : Deus à suis relationibus præcisus, est aliquid subsistens ; non enim est accidens. Atqui non est eo in statu subsistens per subsistentias relativas, à quibus præciditur. Ergo per subsistentiam aliquam absolutam. — Distinguo majorem : Est aliquid per se subsistens, id est, per se existens, et non inhærens, et independens à subjecto, concedo ; id est, ultimò completum, terminatum et incommunicabile, nego. Sic humanitas in Christo per sese, et quia substantia est, independenter à personalitate Verbi, est aliquid per se existens, et non inhærens ; sed non idcircò propriam habet subsistentiam, quâ terminetur ultimò ac compleatur, cùm ejusmodi complementum habeat à Verbi hypostasi.

Objicies 8° : Personæ divinæ conveniunt in ratione communi subsistentiæ. Ergo datur subsistentia ipsis communis. — Distinguo antecedens : Conveniunt in ratione subsistentiæ communi per mentem, concedo ; reipsà, nego. Subsistentia enim reipsà non potest esse communis, cùm incommunicabilitatis contrà origo sit.

Objicies 9° : Gentiles philosophi et Judæi cùm Deum concipiunt, eum in animo informant ut subsistentem. Atqui non concipiunt ut subsistentem subsistentiis relativis ; plures enim in Deo personas non agnoscunt. Ergo ut subsistentem subsistentiâ quâdam absolutâ, quæ una sit, ut una est natura. — Distinguo minorem : Non concipiunt ut subsistentem subsistentiis relativis, atque id per errorem, concedo ; secùs, nego. Mirum est ex errore argumentum veritatis ab adversariis peti. Inde profectò eodem jure sequeretur esse aliquam personam communem, seu potiùs unicam. Deum enim gentiles philosophi ac Judæi tanquàm personam unam infinitis perfectionibus præditam concipiunt.

Etverò, si accuratè expendantur mox allata momenta, nullum ferè esse apparebit, quod subsistentiam absolutam adstruere videatur, nisi simul suppositum commune, et personam communem adstruat. Hoc tamen adversarii nolunt admittere. Cur ergo primum obtrudere conantur, à quo secundum separari ac divelli non potest ? Aut utrumque simul confiteantur aut neutrum.

ARTICULUS IV.

De circuminsessione divinarum personarum.

Circuminsessio, quam Græci περιχώρησιν vocant, est substantialis unio rerum sibi invicem inexistentium. Duplex autem illa est, perfecta et imperfecta. Perfecta est earum rerum, quæ sibi invicem ita insunt, ut sese mutuò pervadant ac penetrent usquequàque, nec altera ullibi sit extra alteram. Imperfecta est eorum, quæ ita sibi invicem insunt, ut unum tamen altero latiùs pateat ; talis est circuminsessio quam inter duas Christi naturas, divinam nimirùm et humanam, agnoscunt Gregorius Nazianzenus orat. 51 ; Theodorus Raithuensis de Incarnatione, et Joannes Damascenus lib. 3 de orthodoxâ Fide, cap. 5.

Assertio. — Admittenda est divinarum personarum circuminsessio.

Probatur 1° ex Scripturis. Joannis enim 10, 38 : *Pater in me est,* inquit Christus, *et ego in Patre.* Capite autem 14 10 : *Pater in me manens, ipse facit opera.*

(1) Actionibus propriè dictis, quibus aliquid realiter producitur, ut sunt creatio, generatio et spiratio activæ, hîc opponuntur actiones impropriè dictæ, quibus aliquid non, propriè loquendo, producitur, sed quasi derivatur ab alio, ut à radice ; qualia sunt attributa divina et ipsa paternitas, quæ veluti derivatur ab essentiâ. Priores sunt suppositorum, ut patet ; non autem posteriores. (Ed.)

Probatur 2° ex Patribus : 1° Enim Athenagoras suprà docet esse in Patre Filium, et in Filio Patrem unione et virtute Spiritûs sancti. 2° Tertullianus contra Praxeam, cap. 25 : « Connexus Patris in Filio, et Filii « in Paracleto tres efficit cohærentes, qui « tres unum sint, non unus. » 3° Dionysius Romanus supra : « Necesse est, inquit, uniri « omnium Deo Dei Verbum, et in Deo manere « et habitare Spiritum sanctum. » 4° Dionysius Alexandrinus itidem suprà : « Ignorant « (obtrectatores), inquit, Patrem à Filio alie- « nari non posse,.... neque Filium à Patre,.... « siquidem *Patris* vocabulum communionem « declarat; in amborum verò manibus esse « Spiritum sanctum, qui neque à mittente, ne- « que à ferente segregari possit. » 5° Gregorius Thaumaturgus in Laudatione Origenis idcircò pronuntiat Patrem à Filio tantùm non circumambiri. 6° Basilius epist. 42 : « Neque enim « potest, inquit, aliqua ullo pacto excogitari « vel sectio vel divisio, ut sive Filius absque « Patre intelligi, sive Spiritus à Filio sejungi « queat. » 7° Hilarius lib. 8 de Trinit. : « Pater « in Filio est, inquit, et Filius in Patre, per in- « separabilis naturæ unitatem. » 8° Ambrosius lib. 10 in Lucam, ad cap. 20 : « Pater Deus, « inquit, et Filius Deus ; sed unus Deus, quia « Pater in Filio, et Filius in Patre. » 9° Hieronymus in c. 3 Ezechielis : « Filius, inquit, est « locus Patris, et Pater locus est Filii, dicente « Domino Salvatore : *Ego in Patre, et Pater in « me.* » 10° Augustinus lib. 6 de Trinit. cap. 10 : « In summâ Trinitate, inquit, tantùm est una « (persona), quantùm tres sunt, nec plus ali- « quid sunt duæ, quàm una. Ita et singula « sunt in singulis, et omnia in singulis et in « singulo. » 11° Cyrillus Alexandrinus eâdem de causâ statuit lib. 7 Thesauri, Patrem esse Filii locum naturalem. 12° Dionysius, vulgò Areopagita, de divinis Nominibus, cap. 2 : « Una est, inquit, et communis mutua in « sese invicem..... hypostaseon mansio et « habitatio,.... supra omnem motum unita, « ac nullâ parte confusa, quemadmodùm fa- « cium lumina (ut sensibilibus et appositis utar « exemplis) quæ in unâ domo sunt, et tota in « se totis invicem sunt pura atque sincera.... « Itaque vides in domo, cùm plures sunt faces, « in unum lumen conjuncta esse omnium « lumina,.... cùm tota sint in totis sine mix- « tione temperata. » 13° Fulgentius de Fide ad Petrum, cap. 1 : « Per hanc, inquit, unitatem « naturalem, totus Pater in Filio et Spiritu « sancto, totus Filius in Patre et Spiritu san- « cto est, totus quoque Spiritus sanctus in Pa- « tre et Filio ; nullus horum extra quemlibet « ipsorum est. » 14° Damascenus de orthod. Fide, cap. 11 : « In se invicem insunt hypostases, non ut confundantur, sed ut sibi hæ- « reant, secundùm Domini sermonem dicentis : « *Ego in Patre, et Pater in me :*..... indivisa « enim in divisis, ut uno verbo dicam, est di- « vinitas. Planè quemadmodùm in tribus ab « invicem contiguis solibus..... una est lumi- « nis commixtio et conjunctio. » Libro autem 3, cap. 5 : « Easdem (personas)... et unitas et in « se invicem sine ullâ confusione commean- « tes novimus (περιχωρούσας)..... Quamvis enim « per se quæque subsistat,.... tamen unita « sunt essentiâ. » 15° Tandem Euthymius in Panopliâ, parte 1, tit. 2 : « In se autem invicem « inesse (personas) dicimus, inquit, tum ob « earum mutuam cohærentiam, et quod invi- « cem continent, tum quòd loco circumscribi « capique nequeant, tum denique quòd una sit « illorum divinitas. »

Quæres undenam propriè ac proximè repetenda sit illa divinarum personarum circumincessio. — Resp. 1° propriè ac proximè, atque, ut aiunt, formaliter repetendam esse ex ejusdem naturæ communione ; quod indicant Hilarius, Ambrosius, Fulgentius, Damascenus et Euthymius supra ; quibus adjungi possent Cæsarius ad q. 3, Cyrillus Alexandrinus libro 12 Thes. ; Bernardus serm. 5 de Verbis Isaiæ, etc. Respondeo 2° consequenter vel antecedenter posse desumi ex originibus et communi immensitate. Origo enim, cùm sit immanens, causa est cur Verbum et Spiritus sanctus in principiis suis residere debeant, et principia in terminis, propter naturæ ejusdem communionem ; immensitas autem communis facit ut ubicumque una persona est, ibi sint et aliæ. Hinc plurimi Patres istam divinarum personarum mutuam in sese invicem habitationem ex utroque illo fonte derivant, ut videre est supra apud Euthymium, et latiùs apud Petavium lib. 4, cap. 16, num. 13 ; et lib. 5, cap. 9, num. 3.

Neutra tamen est ratio formalis. Nam 1° quod spectat ad originem, ea quidem postulat ut termini sint in principiis, non autem ut principia terminis suis vicissim inexistant, nisi addatur ejusdem naturæ consequens communio. 2° Immensitate sublatâ, divinæ personæ nihilominùs in sese invicem esse meritò cogitarentur. Etverò duarum Christi naturarum est

circuminsessio; nec tamen communis est ambabus immensitas.

De circuminsessione eruditè scripserunt Genebrardus lib. 2 de Trinit.; Bellarminus lib. 2 de Christo, cap. 5; Petavius lib. 4, cap. 16, et Bullus sect. 4, ad finem.

ARTICULUS V.

De missione divinarum personarum.

Articulum hunc nonnullis quæstiunculis concludemus. Quæres itaque 1° an divinis omnibus personis mitti competat. — Respondeo omnibus quidem competere ut veniant, ut mittantur autem, quibusdam duntaxat. Ac 1° quidem omnes personæ ad creaturas venire possunt. Joannis enim 14, 23 : *Si quis diligit me*, inquit Christus..., *Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* 2° Non omnes mittuntur. Ut enim observat Augustinus lib. 2 de Trinit. c. 5 : « Pater nusquàm legitur missus; » quod idem inculcat lib. 4, cap. 20; et lib. contra serm. Arian. cap. 4; et post ipsum Fulgentius in Fragm. lib. 8 contra Fabianum; Alcuinus lib. 3 de Trinit. cap. 4. Photius tamen codice 277, asserit juxta Chrysostomum Patrem esse à Spiritu sancto missum; sed fallitur Photius, ut docet Petavius lib. 8 de Trinit. cap. 1, num. 14. Etverò aliud est *venire*, aliud *mitti*. Potest enim quis à se ipso venire; non potest autem, nisi ab alio, mitti. 3° Quibusdam tamen missio convenit, ut Filio et Spiritui sancto. Ac 1° quidem Filio; Joannis 8, 16 : *Qui misit me Pater.* Galat. 4, 4 : *Misit Deus Filium suum.* Deinde autem Spiritui sancto : Joannis 15, 26 : *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Et cap. 16, 7 : *Mittam eum ad vos.*

Quæres 2° quid sit missio. — Respondeo (1) esse processionem ac destinationem unius personæ ab aliâ ad effectum aliquem temporalem. Duos enim complectitur respectus, videlicet ad mittentem, et ad rem quam operatura est. Prior originem notat; posterior effectum peculiarem propter quem persona mittitur, ut animadvertit S. Thomas quæst. 43. Neque verò aliter vocem hanc Scriptura de divinis personis usurpat.

Ex quo colliges missionem, partim quidem esse æternam (nempe penès processionem), partim verò temporalem (propter opus certo tempore factum); sed cùm, ut acutè observat Isambertus noster, æterna processio, utpote per sese indeterminata et indifferens ad mitti et non mitti, materiæ rationem habeat, effectus autem temporalis, utpote processionem ad missionem determinans, instar formæ sit; propterea missionem simpliciter dicendam esse temporalem, et in tempore fieri, juxta illud Galat. 4, 4 : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Et istud Joannis 7, 39 : *Nondùm erat Spiritus datus, quia Jesus nondùm erat glorificatus.* Quod etiam arguunt hæc futuri temporis verba mox allata : *Mittam vobis à Patre;* et : *Mittam eum ad vos.* Quidam tamen Patres missionem definiunt esse æternam processionem. Cyrillus lib. 2 in Joan. cap. 3, et lib. 4; Gregorius Magnus hom. 26 in Evangelia, etc.

Sed isti *missionis* nomen impropriè usurpant. Cæteri enim Patres convenienter Scripturis missionem esse temporalem decernunt. Gregorius Nazianzenus orat. 38; Chrysostomus hom. 39 in Joan. et alii, quos Petavius recenset supra, num. 4.

Quæres 3° an missio sit quid notionale et certis personis proprium, an commune toti Trinitati. — Respondeo esse quid notionale. Vel enim activè sumitur vel passivè; si activè, solius est mittentis personæ; si passivè, solius est missæ. Nec dicas effectum esse communem toti Trinitati; opera enim ad extra toti Trinitati esse adscribenda. Nam effectus ille communis quidem est efficienter, ut aiunt; sed non habitudinaliter; v. g., humana Christi natura opus fuit totius simul Trinitatis; sed peculiaris tamen erat hujus naturæ habitudo cum secundâ personâ, quæ eam hypostaticè sibi conjunxit. Idem judica de aliis omnibus.

Quæres 4° an personæ ab iis solis mittantur, à quibus procedunt. — Respondeo ita esse. Nec enim unquàm aliter Scriptura loquitur. Etverò mittere, quamdam, si ita loqui fas est, auctoritatem sonat. Nulla autem est in divinis personis auctoritas, nisi penès originem quâ una aliam producit. Patres apud eumdem Petavium ibidem vide eodem modo ratiocinantes. Equidem Isaiæ 61, 1, Christus de Spiritu sancto loquens : *Ad annuntiandum*, inquit, ... *misit me.* Sed de Christo ut homine et præconis officio fungente, ea esse intelligenda, nemo est qui non agnoscat.

(1) Processio quidem est conditio ad missionem prærequisita; sed non est propriè quasi pars constitutiva missionis; unde rectiùs definiri missio videtur, unius personæ à personâ ex quâ procedit destinatio ad aliquem effectum temporalem. (Ed.)

Nonnulli sunt tamen è veteribus qui dicant ipsum etiam Verbum missum esse à Spiritu sancto; v. g., Ambrosius lib. 2 de Fide, cap. 4, in Symbolum cap. 6, et lib. 3 de Spiritu sancto, cap. 1, etc. Sed ii minùs accuratè locuti sunt. Sunt et alii, qui asserant Filium à se ipso esse missum; v. g., Augustinus lib. 2 de Trin. cap. 5. Sed *missionis* nomine effectum illum significant, quem missio complectitur. Is porrò reipsà est ab omnibus simul personis.

Quæres 5° quotuplex sit missio. — Respondeo duplicem esse; visibilem unam, qualis Filii fuit in incarnatione, et Spiritûs sancti in Christi baptismate, dieque Pentecostes; invisibilem alteram, de quâ Scripturæ variis in locis; sic Sapiens 9, 10, de Sapientiâ : *Mitte illam de cœlis sanctis;* et versu 17, de Spiritu sancto : *Miseris Spiritum sanctum tuum.* Galat. 4, 6 : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.*

Quæres 6° an Filius et Spiritus sanctus mitti invisibiliter dicantur, quoties in animis hominum aliquid operantur. — Respondeo non mitti propriè, nisi ad habitandum; proinde nonnisi cum gratiâ sanctificante, quod subtiliter explicat S. Thomas quæst. 43, art. 3.

Quæres 7° an in hujusmodi missione invisibili mittantur tantùm penès dona ab iis profecta, an etiam penès substantiam : ita ut nova et inexplicabilis inde exsurgat divinarum istarum personarum, quoad substantiam, cum animâ unio. — Respondeo eos mitti etiam secundùm substantiam, quod et Scripturarum auctoritate et Patrum testimoniis fusè adstruit Petavius lib. 8, cap. 4, 5, 6 et 7 (1).

(1) Non existimandum est cum Magistro Sententiarum lib. 1, dist. 17, Spiritum sanctum ipsam esse charitatem et sanctificantem gratiam, nullumque inesse præterea charitatis habitum; in hôc enim duplex, nec levis quidem, error continetur. Nam concilium Trid. sess. 6, can. 11, sedulò gratiam hanc à Spiritu sancto distinguit, nec obscurè illam esse habitum quemdam supponit, quamvis à nomine habitûs abstineat. Id porrò non traditioni tantùm, sed ipsi etiam Scripturæ concinit, in quâ charitas velut qualitas animæ inhærens et à Spiritu sancto producta ubique exhibetur, v. g., Rom. c. 5, v. 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Eâdem de causâ cum omnibus ferè theologis minimè probandam putamus Petavii opinionem, qui docet quidem contra Magistrum Sententiarum creatos quosdam charitatis aliarumque virtutum habitus existere, sed nihilominùs contendit Spiritum sanctum ipsam esse formam quâ immediatè justi sumus. Non satis est enim doctissimo viro creatos et supernaturales virtutum habitus admisisse, nisi etiam immediatam nostræ justificationis formam hujusmodi esse habitum, et à Spiritu sancto, velut effectum à causâ, distingui fateatur.

At verò non inde concludendum, quoad dona duntaxat mitti Spiritum sanctum, non quoad ipsam personam et substantiam; ubi enim inæstimabile justitiæ donum in animam effuderit, ipse in eam statim illabitur ad manendum, simulque cum eo mittitur Filius. Pater autem non mittitur quidem, sed venit tamen, ut vulgò aiunt; quod facili negotio probari potest.

1° Quidem id apertè docet Scriptura sacra : *Si quis diligit me*, ait Christus Joan. 14, 23, *diligetur à Patre meo, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus;* ergo quoties anima exornatur charitate, atque adeò gratiâ justificante, quæ, nisi sit ipsa charitas, ab eâ saltem separari non potest, juxta scholæ doctrinam, toties in eam descendit immensa Trinitatis majestas. Idem clamat discipulus quem diligebat Jesus, 1 Epist. c. 4, v. 16 : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Hinc alibi dicitur, Rom. 5, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hinc centies declaratur divinis oraculis Spiritum sanctum in hominibus justis habitare, v. g., Joan. 14 : *Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.... Apud vos manebit et in vobis erit;* 1 Corint. 6 : *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?* Joan. 7 : *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum : nondùm enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondùm erat glorificatus.* Hi omnes textus, innumerique alii quos proferre facile esset, adeò clarè ipsam Spiritûs sancti personam et substantiam nobis, quocumque tandem modo, communicari significant, ut ad ejus charismata et dona, nisi per vim et distorsionem, omninò restringi nequeant.

2° Maximum etiam robur huic propositioni accrescit ex doctrinâ Patrum et clarissimorum theologorum. Infinita propemodùm et luculenta veterum Patrum loca eam in rem congessit doctissimus Petavius lib. 8, c. 4, 5, 6, 7. Eximia etiam scripsit, ut eamdem sententiam assereret, Cornelius à Lapide in v. 4 Epist. 2 S. Petri c. 1, ubi plurimos appellat idipsum expressè docentes; inter quos SS. Ambros., August., Leon., Bonavent., Thom., Suar. Hic postremus eam doctrinam ita certam esse contendit, ut contrariam censeat esse erroneam.

3° Ipsa ratio auctoritati aliquantulùm suffragari videtur. Nam gratia sanctificans perfe-

Quæstio nona.

De divinis personis sigillatim.

ARTICULUS PRIMUS.

De Patris personâ.

Quæ ad Patrem spectant, ita jam nota

sunt, ut sola ipsius nomina supersint exponenda.

Primum porrò est *ingeniti* (græcè ἀγεννήτου); ex quo innumerabiles adversùs catholicam fidem nodos texuerunt veteres hæretici, maximè verò Ariani; atque inter hos potissimùm Eunomiani. Cùm enim Dei naturam in *ingeniti* nomine sitam esse contenderent, inde colligebant, 1° solum Patrem esse Deum, utpote qui solus ingenitus sit; 2° Filium eâdem de causâ non esse Deum, utpote genitum; 3° eumdem esse Patri dissimilem, cùm nihil ab ingenito divèrsum magis esse posse videatur, quàm quod genitum est; 4° se omni ex parte Deum mente comprehendere, ex his postremi jactabant; imò se tam plenè Deum nôsse, quàm Deus ipse se novit, quòd hanc ingeniti notionem perfectè se capere gloriarentur.

Verùm ut hæ futiles argutiæ dissolvantur, observare pretium erit, 1° duas esse voces, sono quidem et scribendi ratione ferè similes; sed quæ in diversum planè sensum trahi queant, γεννητὸν videlicet et γενητὸν, hisque oppositas ἀγέννητον et ἀγένητον. 2° Has ipsas voces accipi posse vel strictiùs et accuratiùs, vel minùs accuratè. 3° Si strictiùs et accuratiùs sumantur, iis diversa omninò significari. Sic enim γενητὸν idem est quod *creatum*, et ἀγένητον idem quod *increatum;* γεννητὸν verò idem est quod propriè *genitum*, et ἀγέννητον idem quod *ingenitum*. Hoc sensu quælibet persona divina est ἀγένητος, quòd increata sit; atque ita Filium appellat Origenes lib. 6 contra Celsum; nulla est enim γενητὸς seu *creata;* solus denique

etissimam amicitiam Deum inter et animam constituit: porrò amicitia perfectissima, præsertim si sit spiritualis, amicos inter se modo perfectissimo unire debet ac copulari; proindeque gratia sanctificans intimam Spiritûs sancti in homine justo præsentiam postulat. Idcircò si Deus non esset ubique, nec animæ intimè conjunctus, jam realiter præsens illi fieret, in câque quasi in templo, palatio ac thalamo suo substantialiter inhabitaret, atque veluti cum sponsâ castè deliciaretur. Quin etiam arcuor est unio Spiritûs sancti cum animâ, quàm ipsum conjugale vinculum, et rectiùs cum unione animæ et corporis conferretur. Nam sicut anima corpus vivificat, et ad ampliorem dignitatem evehit, ita Spiritus sanctus est principium vitæ spiritualis animæ, illamque elevat ad statum qui omnem ordinem naturalem transcendit, unde S. Petrus asserit gratiam sanctificantem esse donum *pretiosum* et omnium *maximum*, 2 Epist. c. 1, v. 4. Oh! si scirent homines donum Dei, illud ob turpem sæpiùs et momentaneam voluptatem non amitterent, aut saltem amissum diligentiùs recuperare conarentur. (Ed.)

idem Filius hâc eâdem notione est γεννητὸς, quòd solus generatione producatur. Hoc discrimen inter γενητὸν et γεννητὸν, post synodum Nicænam præsertim, usurpatum est, ut observat Damascenus libro 1 de Fide, capite 9. Itaque Verbum esse γεννητὸν, id est, *genitum*, affirmabant; γενητὸν verò dicere refugiebant, ne creatum esse putaretur. 4° Si minùs accuratè capiantur, easdem voces promiscuè usurpari, ac secum invicem confundi; ita ut productionem quamlibet ex æquo significent; et γενητὸν quidem de generatione, γεννητὸν verò de omni productione, etiam eâ quæ fit per creationem, intelligatur. Atque ita vetustiores Patres passim locuti sunt. Et hinc est, 1° quòd in Scripturis et apud antiquos creaturæ dicantur esse γεννητὰ· 2° quòd Spiritus sanctus ab Eusebio γεννητοῖς accenseatur; 3° quòd Filius vocetur ab Origene, Eusebio, etc., γενητὸς Θεός· 4° quòd ei contra à plerisque ἀγεννησία tribuatur, aut tribui posse censeatur, Ignatio videlicet Epist. ad Ephesios; Hippolyto martyre fragm. 60 apud Anastasium Bibliothecarium; Athanasio de Synodis pag. 709, et orat. 2 contra Arianos; Gregorio Nysseno lib. 1 contra Eunomium, etc. Scilicet ἀγέννητον et ἀγένητον confundebant, et utroque nomine Christum insigniri posse statuebant, quòd increatus sit. Quin et ipsa ad latinos scriptores transiêre. Tertullianus enim de Carne Christi, cap. 5, ἀγέννητον exprimens, vocavit Christum *non natum*, id est, non factum; Irenæi autem vetus interpres lib. 4, cap. 17, Spiritum sanctum, non secùs ac Filium, *Patris progeniem* appellat, quod Irenæus haud dubiè γέννημα dixerat.

5° Quod ex mox dictis consequens est, *ingeniti* vocabulum tripliciter posse sumi, 1° prout excludit creationem; 2° prout excludit generationem; 3° prout submovet omne productionis genus. Primo modo commune est tribus simul personis; et inde est quòd Christus non rarò ἀγένητος et ἀγέννητος nuncupatus fuerit; secundo sensu commune est Patri et Spiritui sancto, quem idcircò ἀγέννητον appellat Hieronymus apud Magistrum Sententiarum lib. 1, dist. 13; eo fermè modo quo Adamus ab ignoto quodam scriptore apud Chrysostomum hom. 99, tom. 5, vocatur *ingenitus*, quòd generatione non sit productus; tertio autem sensu proprium est naturæ divinæ ac Patri æterno.

6° Eamdem hanc vocem, quatenùs removet quodlibet productionis genus, non eâdem ratione de naturâ divinâ et Patre usurpari. D.

hoc enim privativè, de illâ verò negativè dicitur. Scilicet negatio est absentia formæ in subjecto ad eam nullatenùs apto, ut absentia visûs in lapide; privatio verò absentia ejusdem formæ in subjecto ad eam vel ex ratione suâ specificâ, vel ex genericâ saltem apto; sic absentia visûs non solùm in homine, sed etiam in talpâ, *cæcitas* nominatur, quia nimirùm ex specificâ suâ conditione homo est visioni aptus, talpa autem ex genericâ saltem, id est, quatenùs animal; cùm animal generatim nullam involvat ad videndum repugnantiam. Jam verò natura divina repugnantiam ex sese et omni ex parte habet ut producatur; proinde ingenita est negativè; Pater autem privativè duntaxat, quia licet ut prima ac talis persona eamdem repugnantiam includat, eam tamen non habet præcisè ut persona divina generatim, quandoquidem ratio personæ in Deo non excludit per sese omnem productionem; si enim per sesè excluderet, nulla foret persona divina, quæ produci posset. Quòd enim *ingeniti* nomen nihil positivi, sed negationem solùm aut privationem sonet, vox ipsa satis arguit, et jamdudùm notârunt Patres, quos Petavius refert lib. 5, cap. 2, num. 5, et cap. 3, quem de toto hoc argumento consule ibidem, necnon et Huetium lib. 2 Origen. et Bullum in Defensione fidei Nicænæ sect. 2, cap. 2, num. 6, cap. 8, num. 3; cap. 9, num. 9; et sect. 3, cap. 5, num. 3.

Sed hæc de primo nomine sufficiant nobis.

Secundum est nomen *Patris*, quod alteri multis de causis anteponendum est. 1° Enim *Patris* nomen in Scripturis est usitatissimum; *ingeniti* verò vox in iis non occurrit. 2° Hæc quidem apud vetustiores infrequens est, illud autem ubique apud eos reperitur. 3° *Patris* vocabulum est simplex; *ingeniti* verò infinitis cavillationibus obnoxium. 4° Ita judicârunt Patres. Athanasius oratione 2 contra Arianos; Basilius lib. 1 et 4 contra Eunomium; Gregorius Nyssenus lib. 1 contra eumdem. De quo adeundus est idem Petavius lib. 5, cap. 2, num. 13, et cap. 3, num. 14.

Hoc porrò *Patris* nomen de Deo notionaliter et essentialiter dicitur; ac notionaliter quidem, per respectum ad æternam Verbi generationem, quo modo proprium est Patri; essentialiter verò per respectum ad creationem, vel ad gratuitam hominum in Dei filios adoptionem; quo sensu commune est toti Trinitati, Jobi 38, 18: *Quis est pluviæ pater?* Matth. 4 9 *Pater noster*. Paternitas verò notionalis non solùm aliâ quâlibet nobilior est, sed etiam reipsâ prior, ut liquet. Unde Paulus Ephes. 3, 14: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terrâ nominatur.* Attamen quoad appellationem, homines priùs dicti sunt *Patres*, quàm Deus, et ab hominibus ad Deum id vocabulum manavit, ut monet S. Basilius lib. 5 contra Eunomium.

Tertium nomen est *principii*, quod de Patre, tanquàm proprium, solet usurpari: non quòd solus ille sit principium creaturarum. Ut enim ait Augustinus epist. 105, « non « sunt separata opera inseparabilis Trinita- « tis; » aut quòd solus inter divinas personas principii ad intrà producentis rationem obtineat: Filius enim cum ipso est principium Spiritûs sancti; sed quòd solus ille sit principium sine principio. « Principium enim, in- « quit Bernardus lib. 5 de Consideratione, « cap. 6, propriè est, quod principio caret. » Hinc Pater ab Augustino lib. 4 de Trinit. cap. 20, concilio Toletano XI, et Florentino sess. 14, vocatur *principium totius deitatis*, à concilio autem Wormatiensi *principium totius Trinitatis* appellatur, non quòd ipse suî, aut naturæ divinæ principium sit, sed per distributionem accommodam, quòd sit principium cæterarum personarum, quæ in uno Deo sunt.

Notandum tamen est, 1° principium græcæ ἀρχὴν dici; sed cùm ἀρχὴ non solùm originem, sed etiam initium existendi sonet, Filium aliquando à græcis Patribus ἀναρχον vocari, quòd æternus sit. 2° Cùm omnia facta sint per Verbum, Filium habitâ ratione creaturarum, non rarò peculiari jure principium et ἀρχὴν ab antiquis nuncupari; quod apud Tatianum supra extat, et pluribus probat Petavius lib. 5, cap. 5.

Quartum est *causæ*, quod Græci passim adhibent, et olim non pauci inter Latinos usurpare non dubitârunt, v. g., Marius Victorinus lib. 1 adversùs Arium; Hilarius lib. 11 et 12 de Trinit.; Augustinus lib. 83 Quæstionum num. 16; quin et Anselmus lib. de Processione Spiritûs sancti, necnon et Richardus Victorinus lib. 5 de Trinit. cap. 7. Nempe illi *causam* idem omninò esse cum *principio* statuebant. At contrarius exinde usus apud Latinos invaluit; quòd nimirùm *principii* nomen visum fuerit esse generalius, et in universum significare id unde simpliciter aliquid sit; nullam verò in terminum dependentiam, aut naturæ

diversitatem invehere; contrà verò causa sit propriè principium influens esse in aliud (1), quod naturæ discrimen arguit. De quo lege S. Thomam in opusculo contra Græcos, synodum Florentinam in litteris unionis, et sessione 23, denique Petavium lib. 5, num. 7.

Quintum est *auctoris*, quod apud veteres Ecclesiæ latinæ doctores occurrit, Hilarium lib. 9 de Trinit.; Phœbadium Aginnensem contra Arianos; Augustinum serm. 11 de Verbis Domini secundùm Matth.; Prudentium in Apotheosi; Faustum Rhegiensem, etc. Sed cùm ambigua vox esset, et Patrem inter ac Filium æqualitatem tollere nonnullis videretur, illâque ideò libenter uterentur Ariani, eam sub distinctione, ut aiunt, recepit Augustinus lib. 3 contra Maximinum, cap. 5 et 14; planè autem rejicit Cerealis contra Maximinum, cap. 9: nunc ab eâ vulgò, et quidem tutiùs, abstinetur.

Sextum est αὐτοθεοῦ, seu *Dei à se*, quod ipsi tanquàm peculiare adscribit Origenes suprà, eò quòd ipse quidem à nullo, reliquæ verò personæ divinitatem ab ipso secum communicatam habeant. Idem tamen vocabulum de Christo alio sensu dicitur ab Eusebio suprà, etc.

Cætera omittimus, quæ ex dictis satis superque comperta sunt.

ARTICULUS II.

De personâ Filii.

SECTIO I.

De variis Filii nominibus.

Plura sunt secundæ personæ vocabula, quorum alia ipsi sunt propria; alia per appropriationem duntaxat peculiaria; alia denique ipsi cum aliis personis communia.

Primi generis sunt isthæc: Primum *Filii*, quòd solus generatione procedat; atque hoc omnium est in Scripturis usitatissimum. Secundum est *Verbi*, quòd ex intellectu originem suam ducat: Joan. 1, 1; ejusdem Epist. 1, cap. 5, v. 7; et Apoc. 19, 13; græcè Λόγος. Pater tamen aliquando vocatur Λόγος et *Verbum*, v. g., ab Irenæo lib. 2, cap. 48; Ambrosio lib. de Filii Divinitate cap. 5; et Mario Victorino lib. 3 contra Arium. Verùm illa vox ibi sumitur non notionaliter, sed essentialiter pro ratione et intelligentiâ, eoque sensu ab iisdem Filius *Verbum de Verbo* appellatur. Eâdem quoque ratione Spiritus sanctus à nonnullis nominatur *Verbum Filii* ac *Verbi*. Sic enim loquuntur Marius Victorinus lib. 3 contra Arium; Basilius lib. 5 contra Eunomium; Idacius contra Varimadum, quòd nempe intelligentia quædam sit de secundâ personâ procedens.

Ad hoc porrò nomen referri oportet vocabulum *rationis* et *sermonis*, quo secunda persona frequenter à veteribus insignitur. Aptior autem est *Verbi* vox quàm *Sermonis*, quòd *Verbum* sit internus mentis fœtus; *sermo* autem vox extrinsecùs prolata

Tertium est *Imaginis*. Nempe imago est similitudo ad repræsentandum expressa; atque adeò tria postulat, 1° ut aliquâ ex parte conveniat cum eo, cujus imago est, et ex aliâ differat; 2° ut ab ipso originem trahat, quod Augustinus monet lib. de Genesi ad litteram; 3° ut vi processionis suæ hanc similitudinem habeat. Isthæc autem soli secundæ personæ competunt. Itaque nomen *imaginis* reverà *Filio* tanquàm peculiare tribuitur, Coloss. 1, 15; ut et *characteris* ac *figuræ*, Hebr. 1, 3 *splendoris*, ibidem; *candoris lucis æternæ*, Sap. 7, 25; *speculi sine maculâ Dei majestatis*, ibidem versu 26. Atque sic passim antiqui Ecclesiæ doctores Filium nuncupant. Nonnulli tamen Spiritum sanctum *Filii imaginem* vocant; sed impropriè loquuntur. Etsi enim naturâ similis sit Filio, et ab ipso procedat, hanc tamen similitudinem vi originis suæ non obtinet. De quo vide Petavium lib. 7, cap. 7.

Secundi generis sunt voces *Sapientiæ* (1) ac *virtutis Dei*. Ita enim vulgò dicitur Filius, cùm in Scripturis, tùm in Patribus, v. g., Tertulliano Apologet. cap. 21, etc.

Tertii generis sunt 1° nomen αὐτοθεοῦ, quod Filio tribuit Eusebius suprà, quia Deus est verè ac per se; sed cùm vox eadem significet insuper eum, qui Deus est à se, Christum esse αὐτοθεὸν negat Origenes itidem suprà. Neque enim Filius divinitatem aut essentiam habet à se, quod Calvinus aliique ejusdem sectæ imperitè dixerunt quos idcircò *Auto-*

(1) Causæ, prout nunc accipitur, respondet effectus. Cùm igitur Filius factus nullatenùs dici queat, absonum videtur nomen causæ Patri applicare, ad significandum ab ipso Filium genitum esse. (Ed.)

(1) Filius dicitur Patris Sapientia, non quòd sit ipsamet sapientia per quam Pater sapiens est; nam sapientia quâ sapiens est ad essentiam pertinet, proindèque tribus personis communis est; sed quòd terminus est sapientiæ et intelligentiæ Patris. Itaque, quando dicitur Patrem Verbo intelligere, sensus est, Verbum Patris intelligentiæ terminum esse, non verò ipsam intelligentiam. (Ed.)

theanos theologi nostri appellavêre. De quo vide Lindanum dial. 2; Genebrardum lib. 1 de Trinit.; Bellarminum lib. 2 de Christo, cap. 19; Petavium lib. 6, cap. 11.

2° Vocabulum *Spiritûs*, aut *Spiritûs sancti*. Id enim ad intelligenda veterum scripta diligenter observandum est (quod insolens multis fortè videatur) olim nimirùm à priscis Ecclesiæ Patribus, et à nonnullis etiam post Nicænam synodum, Filium non semel *Spiritûs* aut *Spiritûs sancti* nomine fuisse appellatum. Ita enim ipsum ipsiusve divinitatem vocant Barnabas in Epistolâ suâ, num 6; Hermas lib. 3, similitudine 5; Ignatius in titulo Epistolæ ad Smyrnæos; Justinus Apolog. 2; Tatianus Oratione ad Græcos; Irenæus lib. 5, cap. 1, Tertullianus Apologet. cap. 21; Cyprianus de idolorum Vanitate; Lactantius lib. 4, c. 6 et 8; Phæbadius lib. adversùs Arianos; Epiphanius lib. 3 adversùs hæreses, etc., ut notat Grotius ad Marci cap. 2, vers. 8, et post ipsum Bullus sect. 1, cap. 2, num. 5, etc. Quod quidem ex variis Scripturæ locis deprompserant; nimirùm ex Threnis Jeremiæ cap. 4, vers. 7, juxta Septuaginta, Marci 2, 8, Hebr. 9, 14; 1 Petri cap. 3, vers. 18, 19, 20, etc. Quæ cùm ita sint, immeritò sanè Tertullianus et Lactantius, ob eam loquendi rationem in crimen vocati sunt, quasi de Spiritu sancto non rectè senserint, ut olim notavimus.

Sectio II.

Ex quarum rerum cognitione Verbum procedat.

Quæ cognoscit Pater, ea sunt, 1° essentia divina; 2° attributa absoluta ejusdem naturæ; 3° attributa relativa, ac divinæ personæ; 4° res possibiles; 5° futura omnia. Constat apud omnes theologos Verbum procedere ex cognitione essentiæ divinæ et absolutorum attributorum; sed de reliquis variæ sunt opiniones.

I. Est Scoti in 1, dist. 22, quæst. 1 et alibi, existimantis Verbum ex nullâ aliâ, quàm divinæ essentiæ ejusque absolutorum attributorum, cognitione procedere. — II. Puteani, qui ad quæst. 34 et 35 S. Thomæ, definit illud insuper procedere ex cognitione Patris, non verò cæterarum personarum aut rerum creatarum. — III. Vasquesii 1 parte, disp. 142, cap. 3, ubi statuit Verbum præterea produci ex cognitione suî ipsius; sed nullatenùs ex cognitione Spiritûs sancti aut reliquorum. — IV Turriani disp. 28, dub. 3, ac nonnullorum aliorum, qui Spiritûs sancti cognitionem pari jure requirunt ad Verbi divini processionem; sed possibilium notitiam ad eam concurrere non putant. — V. Cajetani, Goneti et aliorum vulgò Thomistarum, qui censent Verbum quidem etiam produci ex cognitione possibilium, sed non ex notitiâ futurorum (1). — VI. Est cæterorum, qui decernunt Verbum ex rerum omnium divinarum ac creatarum, quæcumque illæ sint, notitiâ, formaliter ac per se procedere.

Assertio I. — Verbum divinum procedit ex cognitione divinæ essentiæ et attributorum ipsius absolutorum.

Probatur 1°: Cùm enim verbum quodlibet ex cognitione procedat, Verbum sanè divinum ex illius saltem rei cognitione procedere debet, quod est objectum primarium divinæ intellectionis. Atqui essentia divina omnesque ejus dotes absolutæ sunt primarium divinæ cognitionis objectum. Ergo. Probatur 2° unanimi scholarum consensione.

Assertio II. — Verbum præterea procedit ex cognitione Patris, seu ex eâ notitiâ, quam de se ipso habet Pater.

Probatur. Verbum enim procedit ex illius objecti cognitione, quod exprimit ac repræsentat. Atqui Verbum vi processionis suæ Patrem exprimit ac repræsentat, utpote quod ipsius imago sit. Probatur 2°: Ex eâ enim notitiâ procedit Verbum, quam habet Pater cùm ipsum producit. Atqui quantùmlibet finxeris varia rationis instantia in divini Verbi processione, Pater sui ipsius notitiam habuisse censendus est, cùm Verbum ex sese emisit. Eo enim ipso instanti, etiam rationis, Pater intelligendus est se nôsse, quo censetur esse. Atqui prior est origine Pater, quàm Filius. Ergo et priùs origine se novit, quàm ipsum

(1) Cajetanus et alii Doctores, qui eamdem opinionem tenent, non absolutè negant Verbum ex cognitione futurorum procedere; fatentur enim illud ex futurorum notitiâ procedere per accidens et concomitanter; sed negant tantùm illud ex eâ cognitione per se et directè procedere. Quod ut accuratiùs intelligatur, sciendum est aliquid per se et directè ex alio procedere, quando ex eo procedit tanquàm ex formali principio, id est, tanquàm ex principio quod aliquam ipsi entitatem confert, seu etiam quod ita per se concurrit ad ipsius productionem, ut, eo deficiente principio, aliquid entitatis ipsi deesset; procedere autem per accidens et concomitanter, quando ab eo procedit, non tanquàm ex principio formali et influente in ipsius entitatis productionem, sed tanquàm ex aliquo, quod in principio formali per accidens contineatur inclusum. (Ed.)

gignat. Proinde illum ex suî ipsius notitiâ procreat.

Assertio III. — Verbum procedit etiam ex cognitione suî ipsius ac Spiritûs sancti.

Probatur 1° : Verbum enim divinum procedit ex perfectissimâ et comprehensivâ divinæ essentiæ notitiâ ; aliàs enim non esset Verbum infinitum ac perfectissimum, siquidem aliud eo perfectius cogitari posset, illud nempe quod ex ejusmodi comprehensivâ cognitione procederet. Atqui non potest essentia divina comprehensivè cognosci, quin tres personæ divinæ cognoscantur. Ad comprehensivam enim rei cujuspiam cognitionem, necessum est, ut tota quanta est, tam intensivè quàm extensivè cognoscatur ; atque adeò ea saltem cognoscantur quæcumque in ipsâ sunt formaliter. Atqui persona quælibet est formaliter in naturâ divinâ. Etverò natura divina non potest perfectè et comprehensivè cognosci, nisi saltem clarè cognoscatur, ut subsistens. Atqui non potest cognosci clarè ut subsistens, nisi cognoscantur tres personæ, quandoquidem illa nonnisi per relativas personarum hypostases subsistit.

Probatur 2° : Verbum enim procedit ex cognitione comprehensivâ Patris. Atqui Pater non potest comprehensivè cognoscere seipsum, quin simul cognoscat Filium et Spiritum sanctum. 1° Enim relata sunt simul naturâ et cognitione. At tres personæ divinæ ad se invicem mutuò referuntur. Ergo. 2° Non potest Pater sese cognoscere, quin videat in se vim generatricem, et spirationem activam. Atqui neutram potest intueri, quin ambarum simul terminos videat, Filium nempe ac Spiritum sanctum. Ergo Verbum non potest procedere ex cognitione Patris, quin simul procedat ex cognitione suî ipsius ac Spiritûs sancti. Ista porrò cognitio est intuitiva, seu rerum existentium. Filius enim ac Spiritus sanctus, utpote personæ divinæ, non possunt cognosci nisi ut existentes, et quidem necessariò, ut ex Dei notione compertum est. Jam verò ad argumenti utriusque vim perinde est, sive personæ habeantur tanquàm objectum cognitionis divinæ primarium, sive tanquàm secundarium duntaxat ; cognitio enim comprehensiva ad utrumque sese extendit, et utrumque complectitur, quia omnia includit, quæ in re sunt, aut cum eâ sunt necessariò connexa.

Objicies 1° : Verbum est imago illius objecti ex cujus cognitione procedit. Atqui non est imago suî ipsius aut Spiritûs sancti. Ergo ex suî ipsius ac Spiritûs sancti notitiâ non procedit. — Distinguo majorem : Est imago vel intentionalis, vel naturalis, concedo ; naturalis, subdistinguo : Si ab ipso insuper activè producatur, concedo ; secùs, nego. Duplex igitur est imago, intentionalis videlicet, ac naturalis ; intentionalis est objecti quod cognoscitur, mente expressa similitudo, quo modo verbum quodlibet est imago cujuslibet illius objecti, ex cujus cognitione efformatur ; naturalis autem est, quæ naturam similem habet principio à quo producitur ; quales sunt imagines parentum liberi ab ipsis procreati. Verbum ergo repræsentatio est intentionalis eorum omnium, ex quorum notitiâ producitur ; sed solius Patris est imago naturalis.

Instabis : Objectum activè concurrit ad verbi cujuslibet productionem. Ergo Verbum divinum activè ab eo producitur, ex cujus, tanquàm objecti, notitiâ procedit. — Nego antecedens ; quod ex philosophiâ compertum est.

Objicies 2° : Cognitio ex quâ procedit Verbum priùs esse debet intelligi, quàm ipsum Verbum. Ergo non ex suî ipsius cognitione ac Spiritûs sancti procedit ; alioqui seipso ac Spiritu sancto simul prius foret ac posterius. Objectum enim simul est cum cognitione, aut potiùs ipsâ prius est. Ergo primò se ipso prius esset, ut objectum, et posterius, ut objecti cogniti fœtus ; deinde prius est Spiritu sancto, utpote illius principium ; posterius autem esset, si ex ipsius notitiâ procederet. — Distinguo antecedens : Cognitio debet priùs esse prioritate *à quo*, concedo ; prioritate *in quo*, nego. Prioritas *à quo*, est prioritas originis, quâ fit ut unum ab alio procedat, sive eo naturâ, tempore aut ratione sit posterius, sive non ; prioritas autem *in quo* est quâ unum altero priùs existit, aut existere meritò cogitatur. Inter divinas porrò personas admittitur quædam prioritas *à quo*, sed non *in quo*, quia æqualiter sunt æternæ : atque adeò prioritas *à quo* rectè consistit ac cohæret cum simultate *in quo*. Itaque Pater et ejus cognitio sunt priores quàm Filius, prioritate *à quo*, quia Verbum ex iis activè procedit ; sed non idcircò objecta ipsa priora esse censenda sunt, istâ etiam prioritate *à quo*, quia nimirùm ex ipsis activè non procedit, sed tantùm objectivè. Ex quo patet quomodò Filius non sit se ipso prior, et quomodò Spiritus sanctus non sit prior Verbo, etiamsi Filius et Verbum, cùm ex suî, tùm ex

Spiritûs sancti notione objectivâ producatur. Cæterùm, cùm Filius et Spiritus sanctus non minùs sint æterni quàm Pater, nullum potest aut debet fingi instans, in quo non extiterint, atque adeò in quo non cogniti fuerint à Patre. Cùm igitur eos à primo, ut ita loquar, æternitatis puncto cognoverit Pater, et Verbum ex eâ cognitione produxerit, quam habuit cùm illud generavit, utique Verbum suum ex istiusmodi notitiâ expressit.

Instabis 1° : Objectum præintelligitur cognitioni. Ergo. — Distinguo antecedens : Cognitioni mentium creatarum, concedo ; Dei, nego. Omnia enim in Deo peræquè sunt æterna.

Instabis 2° : Juxta nostrum concipiendi morem, Pater debet priùs ea intelligere ex quorum cognitione producit Verbum, quàm ipsum Verbum existat. Ergo et ea priùs debent esse concipi, quàm existat Verbum. — Distinguo antecedens : Juxta nostrum concipiendi morem imperfectum et emendandum, concedo ; qui rectus sit et rebus ipsis consentaneus, nego.

Instabis 3° : Personæ divinæ ex quarum cognitione Pater Verbum exprimit, debent concipi jam existere eo instanti, quo primùm, si ita loqui fas est, intellexit Pater. Atqui Pater haud dubiè prior est Filio. Ergo Filius ipse ac Spiritus sanctus priùs debent concipi extitisse, quàm Verbum produceretur. — Nego consequentiam. Transitur enim à prioritate *à quo* ad prioritatem *in quo*. Pater quippe Filio quidem prior est origine, et prioritate *à quo ;* sed non ideò priùs extitit quàm Filius ; si autem non priùs extitit quàm Filius, quomodò Filius seipso prior extitisse putabitur, aut eo Spiritus sanctus ?

Assertio IV. — Verbum divinum procedit ex cognitione rerum possibilium.

Probatur 1° ex Patribus, quorum omnium instar erit Augustinus lib. 11 Confess. cap. 7, ubi de Verbo divino loquens : « Sempiternè, « inquit, dicitur, et eo sempiternè dicuntur « omnia ; » Verbo autem omnia dici, idem est quod ex omnium rerum cognitione Verbum produci. Ergo. Probatur 2° ratione. Verbum enim procedit, ut jam notavimus, ex comprehensivâ divinæ essentiæ notitiâ. Atqui non potest cognosci comprehensivè essentia divina, quin simul omnipotentia, quæ ipsius est proprietas, comprehendatur. Non potest autem comprehendi omnipotentia divina, quin simul ea videantur, quæ cum ipsâ necessariò connexa sunt, et quidem eodem modo, quo sunt connexa. At possibilia non modò in universum, sed etiam sigillatim cum omnipotentiâ divinâ connexa sunt ; in quo differt omnipotentia divina à potentiis et facultatibus creaturarum, quæ cum objectis suis generatim duntaxat consideratis connexæ sunt. Porrò cognitio ista rerum possibilium merè abstractiva est, quia rerum est non existentium.

Objicies 1° : Essentia divina, et quæ in eâ sunt formaliter, priùs videntur à Patre, quàm res possibiles. Atqui pro illo priori instanti, Verbum ex Patris notitiâ procedit. — Nego majorem. Essentia quidem est objectum primarium cognitionis ; res verò possibiles duntaxat secundarium, quia non videntur nisi in essentiâ ; sed utrumque objectum simul ac semel à Patre cognoscitur, sicut imago simul cum speculo conspicitur, licet speculum causa sit videndæ imaginis. Nullum ergo assignari potest instans, in quo, antequàm res possibiles cognoscantur, procedat Verbum.

Objicies 2° : Priores erunt res possibiles quàm Verbum, si ex earum cognitione Verbum exsurgat. Atqui, etc. Ergo, etc. — Nego sequelam majoris. Alioqui concederent adversarii Spiritum sanctum esse priorem Verbo, et Verbum esse se ipso prius, cùm fateantur ipsum ex omnium personarum cognitione procedere. Non sunt ergo res possibiles Verbo priores, quia nulla alia est quàm originis prioritas in Deo ; prioritas autem originis non objecto competit, sed principio ; unde solus Pater eâ ratione prior est Verbo.

Objicies 3° : Si Verbum ex cognitione rerum possibilium ab æterno processit, ab æterno quoque ad eas respectum habuit. Atqui Deus ab æterno respectum non habuit ad creaturas. — Distinguo minorem : Respectum fundatum in actione transeunte, qualis est creatio, gubernatio, etc., concedo ; fundatum in actione immanente, nego. Omnis ergo respectus Dei ad creaturas fundatus in aliquâ actione transeunte, temporalis est, non æternus ; sed aliquis esse potuit æternus ab actione immanente oriundus. Is porrò est duntaxat respectus rationis, non realis.

Assertio V. — Verbum procedit etiam ex cognitione futurorum (1).

(1) Hic probare intendit auctor Verbum ex cognitione futurorum, non modò per accidens et concomitanter, sed etiam per se procedere. Plures autem existimant iis quæ congerit argumentis prius quidem optimè demonstrari, non verò posterius ; atque adeò in oppositam

Probatur 1° ex Scripturis. Ex eâ enim cognitione oritur Verbum, quam ipsi communicavit Pater. Atqui Pater rerum omnium tam divinarum quàm creatarum et omnium futurorum ac faciendorum scientiam Filio communicavit vi generationis. Lucæ 10, 22 : *Omnia*, inquit, *mihi tradita sunt à Patre meo.* Joan. 5, 19 : *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem... Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quæ ipse facit;* cap. 7, v. 17 : *Mea doctrina, non est mea, sed ejus qui misit me;* cap. 8, v. 28 : *A meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor;* cap. 14, v. 10 : *Verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor*, etc. Quæcumque igitur ad salutem pertinentia mysteria docebat; quæcumque de rebus venturis edebat vaticinia; quæcumque id genus operabatur, horum omnium scientiam, quæ ipsi inerat, sicut et potestatem, ad Patrem æternum referebat. Ergo utramque ab eo communicatam acceperat.

Probatur 2° ex Patribus. 1° Enim plerique veteres non aliâ de causâ Patrem Filio præcepisse ut cuncta faceret, docuerunt, quàm quòd ipsi rerum omnium faciendarum notitiam ac voluntatem suam ei communicaverit, ut ad Justinum ostendimus. 2° Gregorius Nazianzenus orat. 36 : « Manifestum est, inquit, « quòd rerum earumdem faciendarum formas « imprimit Pater (Filio); exequitur autem « Verbum, » etc. 3° Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 8, hanc præcipiendi rationem exponens ait, « non esse heri vocem; sed, ut « dignum est, voluntatis trajectionem, velut « formæ cujusdam expressionem in speculo à « Patre in Filium sine tempore dimanantem. » 4° Ambrosius lib. 2, cap. 4, de ejusmodi scientiâ loquens : « Dedit generando (Pater), « non largiendo. » 5° Augustinus lib. 15 de Trinit. cap. 12, 13, 14 et 15, definit Verbum esse genitum ex eâ omni scientiâ et cognitione quam habet Pater; et quam rerum omnium scientiam Filius habet, hanc à Patre nascendo ipsum accepisse. Sic, postquàm de futuris prolixè disputavit cap. 14 : « Novit omnia « (Filius), inquit, quæ Pater; sed ei nôsse, de « Patre est, sicut esse; et ideò... quidquid est « in eâ scientiâ, de quâ genitum est (Verbum), « et in ipso est; quod autem in eâ non est, « nec in ipso est... Novit itaque omnia Deus « Pater in se ipso, novit in Filio, sed in se ipso « tanquàm se ipsum; in Filio tanquàm Verbum « suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in « se ipso. Omnia similiter novit ei Filius, in « se scilicet, tanquàm ea quæ nata sunt de iis, « quæ Pater novit in se ipso; in Patre autem, « tanquàm ea de quibus nata sunt. Sciunt « ergo invicem Pater et Filius; sed ille gi- « gnendo, iste nascendo. » Vide Petavium lib. 2, cap. 4, num. 6; et lib. 6, cap. 4, num. 8.

Probatur 3° ratione. 1° Enim Verbum ex cognitione Patris procedit, qualis est cùm generatur. Atqui ab æterno Pater, cùm Verbum gignit, futura omnia novit. 2° Ex earum rerum notitiâ gignitur Verbum, quas exprimit, ac repræsentat. Atqui res omnes repræsentat Verbum divinum; aliàs non esset infinitum, nec ad omnia se extenderet. 3° Verbum producitur cognitione comprehensivâ naturæ divinæ, atque adeò procedit ex notitiâ eorum omnium, quæ in eâ sunt formaliter. Atqui decreta de rebus futuris, earumque notitia ab omni æternitate in Deo fuit. Ergo.

Objicies 1° : Anselmus Monologii cap. 30, sic loquitur : « Sive Deus cogitetur, nullâ aliâ « existente existentiâ, sive aliis existentibus, « necesse est Verbum illius coæternum illi « cum ipso esse. » Ergo idem esset Verbum, etiamsi nulla omninò forent futura. — Distinguo consequens : Idem esset Verbum quoad entitatem (1), concedo; quoad repræsentatio-

abeunt sententiam. Porrò sic eam confirmare conantur : Ex hoc tantummodò Verbum per se procedere dicendum est, quòd in ipsius entitatem producendam directè aliquid confert : atqui futurorum cognitio nihil directè in producendam Verbi confert entitatem; ergo. Et verò cùm necessario Verbum procedat, non potest per se procedere ex cognitione liberâ et contingenti, quam non esse in Deo absolutè non repugnat; ergo. Demùm illud non per se et directè ad productionem Verbi concurrit, quo sublato, idem prorsùs esset Verbum : atqui sublatâ futurorum cognitione, Verbum idem remaneret; ergo. Vide Turnelium quæst. 6, art. 2, Gonetum disput. 9, art. 1 et 3, Billuartum, dissert 5, art. 3. (Ed.)

(1) De hâc ipsâ auctoris responsione sic habet Billuartus, dissert. 5, art. 3 : « Dùm respondet doctissimus Witasse Verbum in hâc hypothesi invariatum manere, quoad entitatem, non quoad repræsentationem quam de facto habet; concedit hâc responsione quod intendimus, scilicet cognitionem futurorum non concurrere per se ad productionem Verbi, quoad ejus entitatem, seu essentiam, sed tantùm quoad repræsentationem accidentalem, quam habet ex hypothesi. » Hinc apparet non impossibile esse sententias speciè contrarias conciliare. Etenim probabile est de solo nomine controversiam moveri, videlicet ex eo quòd voces, *procedere per se*, diversimodè intelligantur. (Ed.)

nem, subdistinguo : Quoad repræsentationem divinæ essentiæ, divinarumque personarum, concedo; quoad eamdem repræsentationem, quam nunc habet, nego. Positâ enim rerum futuritione, eas exprimit Verbum; secùs autem non eas repræsentaret. Anselmus porrò capite sequenti definit Patrem, eodem illo Verbo, quo dicit se ipsum, dicere quæcumque fecit; nec tamen Verbum dici posse creaturarum Verbum aut imaginem, quia eas tantùm repræsentat, quatenùs sunt in essentiâ Dei.

Instabis 1° : At saltem ex eo sequitur Verbum necessariò non procedere ex hujusmodi notitiâ. Ergo non procedit ex eâ formaliter. — Distinguo antecedens : Necessariò, id est, necessitate absolutâ, concedo; hypotheticâ, nego. Cùm res futuræ potuerint à Deo non decerni, necessitas nulla fuit absoluta, ut Verbum ex earum notitiâ procederet; sed posito quòd decretæ fuerint, et à Patre cognitæ, debuit eas exprimere. Est enim Verbum expressio totius notitiæ Patris. Idem itaque judicium ferendum est de Verbo, quod de hâc Patris notitiâ. Sicut igitur Pater potuit res futuras non cognoscere, quia potuit eas non decernere; sed posito quòd decreverit, eas necessariò nôsse debuit; ita Verbum eas repræsentare.

Instabis 2° : Objectum, ex cujus notitiâ Verbum originem trahit, debet esse ejusdem cum ipso necessitatis. Atqui tales non sunt res futuræ. Ergo. — Distinguo majorem : Objectum primarium, id est, divina essentia, concedo; secundarium, nego. Verbum enim non objecti, sed cognitionis conditionem sequitur, quoad necessitatem essendi, licet objecti conditionem sequatur, quoad repræsentandi necessitatem. Itaque, si cognitio necessaria est quoad entitatem, Verbum quoque ita necessarium est. At cognitio Dei omninò necessaria est quoad se. Equidem cognitio illa potuit ad futura non extendi; sed eodem jure Verbum potuit ea non exprimere. Non est ergo Verbum necessarium quoad omnimodam suam repræsentationem; sicut cognitio non est necessaria, quoad omnem suam terminationem, nisi hypotheticè, ut modò declaravimus.

Instabis 3° : Verbum non procedit ex rebus creatis. Ergo non procedit ex futurarum rerum cognitione.—Nego consequentiam. Aliud enim est procedere ab aliquo, aliud procedere ex notitiâ rei alicujus. Id enim ex quo Verbum procedit, ipsius est principium productivum; id autem ex cujus cognitione procedit, est tantùm objectum. Porrò creaturæ quidem sunt objectum illius cognitionis è quâ procedit Verbum; sed solus Pater est ipsius principium.

Objicies 2° : Verbum non procedit ex eâ notitiâ, quæ supponit Verbi productionem. Atqui notitia rerum futurarum talis est. Supponit enim decreta libera. At decreta libera sunt à totâ simul Trinitate. Ergo. — Nego minorem. Notitia enim illa tam æterna est, quàm Verbi productio. Ad id autem quod additur : Decreta libera sunt à Trinitate totâ, distinguo : Sed simul à Patre, ut eorum ac divinitatis fonte, concedo; secùs, nego. Non igitur negamus decreta illa esse Filii et Spiritûs sancti; sed neque negari potest ea esse ex Patre. Cùm ergo à Patre sint, in Filium ab ipso transfunduntur, ut Patres docent. Eadem tamen simul etiam efformat Filius, quia eamdem cum ipso voluntatem habet. Hæc enim simul consistere possunt; neque unum cum altero pugnat.

Objicies 3° : Si Verbum ex cognitione liberâ gignatur, liberè gignetur. Atqui Verbum liberè à Patre gigni, Arianorum est error. Ergo. — Distinguo majorem : Liberè gignetur penès accidentariam quamdam repræsentationem, concedo; penès entitatem, nego. Arianorum autem error fuit, Verbum esse quid penès entitatem suam creatum libero Dei decreto, non secùs ac reliqua omnia. Cùm autem generatio naturam spectet absolutè, dici non debet Verbum ullatenùs esse liberè genitum.

Objicies 4° : Posset dici Pater fundamentaliter, non verò formaliter Filio communicâsse futurorum notitiam, et rerum faciendarum voluntatem, eo videlicet sensu, quòd ipsi essentiam suam communicaverit, in quâ postea Filius ipse unà cum Patre de rebus futuris decreta ediderit, ac consequenter eas noverit; non verò quòd ipsi notitiam hanc formalem et decreta ipsa edita indiderit. Ergo gratis asseritur Filius ex ejusmodi notitiâ procedere. —Nego antecedens. Formalem enim communicationem postulant ea cùm Scripturæ tùm Patrum loca, quæ allegavimus.

ARTICULUS III.

De personâ Spiritûs sancti.

Sectio I

De nominibus Spiritûs sancti

Tertia sanctissimæ Trinitatis persona vocatur

1° *Spiritus sanctus.* Ita quippe passim in Scripturis nominatur. Quamvis enim Pater et Filius sint spiritus, et ambo sint sancti, non secùs ac tertia persona, ac proinde tota Trinitas appellari jure possit *Spiritus sanctus,* ut observat Augustinus lib. 5 de Trinit., ea tamen vox tertiæ personæ, tanquàm propria, multis de causis attribuitur. Ac 1° quidem quia (1) *Spiritûs* vocabulum per sese motum et impulsum sonat; Spiritûs autem sancti processio ex amore fit, cujus id est peculiare, ut amantem voluntatem in rem amatam ferat, inclinet et impellat. 2° Quia cùm Spiritus sanctus commune sit vinculum Patris et Filii, nomen utrique commune meritò ei adscriptum est, ut ex nomine quod utrique commune est, utriusque communio significetur, ut ibidem loquitur idem Augustinus. 2° *Charitas* (2),

(1) « Spiritus sanctus, ait Habertus c. 7, procedit per voluntatem, estque terminus divini amoris... Amor autem est quædam voluntatis spiratio, seu impulsio, in rem amatam, à quâ spiratione dicitur Spiritus sanctus, quasi sanctè spiratus... quo (verbo *sanctus*) designatur puritas summa amoris ex quo procedit. »

(2) Spiritus sanctus dicitur *amor* et *charitas,* tum quia per voluntatem procedit, unde amor vulgò nasci creditur, tum quia terminus est, et quidem subsistens ac personalis, mutui amoris Patris et Filii. Hinc patet Spiritum sanctum non esse ipsum formaliter amorem quo Pater et Filius amantes essentialiter constituuntur; essentialis enim iste amor tribus personis communis est; neque etiam formaliter amorem quo Pater et Filius sese mutuò diligunt; sed, ut diximus, terminus est hujus amoris. Proinde hæc propositio, Pater et Filius sese et omnia diligunt Spiritu sancto, non est vera, nisi eo sensu quòd Pater et Filius, sese et omnia diligendo, Spiritum sanctum producant.

Item Spiritus sanctus nuncupatur *vinculum, nexus, unio, complexus, osculum* Patris et Filii, quia est terminus amoris quo sibi invicem uniuntur, colligantur, sese complectuntur et osculantur.

Hic vulgò quærunt theologi ex quarum rerum amore procedat Spiritus sanctus, et communiùs respondent, 1° Spiritum sanctum per se procedere ex amore omnium quæ in Deo sunt formaliter, scilicet ex amore substantiæ, attributorum et personarum. Ratio est quia, utpote infinitus amoris terminus, ex perfectissimo amore procedere debet: atqui amor perfectissimus esse nequit, nisi ad hæc omnia extendatur. 2° Ipsum per accidens et concomitanter procedere ex amore creaturarum futurarum. Procedit quidem; amor enim ex quo procedit, cùm sit perfectissimus, omnia complectitur amabilia; per accidens verò tantùm et concomitanter; cùm enim ipsius processio necessaria sit, esse debet amor ex quo procedit necessarius: porrò amor creaturarum absolutè necessarius non est, siquidem liberè creatæ sunt. 3° Tandem eum non procedere ex amore possibilium. Etenim cùm amare sit bonum velle, nullumque bonum reipsà velit Deus entibus nunquàm futuris, licet possibilia sint; siquidem nihil ipsis unquàm daturus est; inde manifestè sequitur nullum esse possibilium amorem; proindeque Spiritum sanctum ex eo amore non posse procedere. Circa quod notandum, quamvis Deus non amet ipsa entia possibilia, horum tamen possibilitatem illum amare; siquidem hæc possibilitas realiter in divinâ essentiâ existit. (Ed.)

unio, vinculum, complexus, etc., qui quidem tituli notionales sunt, eò quòd Spiritus sanctus à Patris et Filii voluntate, tanquàm amor, procedat, eosque conjungat. Vide Athenagoram suprà; Augustinum lib. 13 Confess. cap. 9, et lib. 15 de Trinit. cap. 16, 17, etc. 3° *Dei donum,* quod ipsi certâ ratione singulare est. Etsi enim tota Trinitas se ipsa dare queat, et Filius in Scripturis non semel legatur esse nobis datus; hoc tamen de Spiritu sancto propriè dicitur, quia nimirùm duo postulat donum, si strictiùs hoc nomen accipiatur; ac primum quidem, ut à dante proficiscatur ac distinguatur; alterum, ut ex voluntatis inclinatione procedat. Jam verò hoc postremum Spiritui sancto propriè competit ex originis suæ ratione. Porrò Spiritus sanctus ut donum, ab æterno ex Patre et Filio processit, licet in tempore duntaxat donatus fuerit; quod idem docet Augustinus lib. 15 de Trinit. cap. 15. 4° *Paracletus;* quo nomine insignitur non semel apud Joannem, propterea quòd, cùm ascendisset Christus in cœlum, in Apostolos mœstos, tristemque Ecclesiam, tanquàm consolator delapsus sit. 5° *Dei sapientia,* quod, (etsi nonnullis mirum fortè videbitur, quia is est pervulgatus Filii titulus), apud veteres tamen est frequentissimum; sic enim eum nuncupant Theophilus Antiochenus lib. 2 ad Autolycum, pag. 94; Irenæus lib. 4, cap. 17; Origenes lib. 6 contra Celsum, pag. 232; Hippolytus de Deo uno et trino. De quo consule Petavium lib. 7 de Trinit. cap. 12, num. 17, ubi Spiritum sanctum ita dictum putat, quòd ab illo sapientiæ donum in angelos et homines diffundatur.

Sectio II.

An sicut ex Patre, ita ex Filio procedat Spiritus sanctus.

Sex erunt hujus sectionis capita. 1° Enim quæremus quænam origo et quis progressus fuerit hujus controversiæ; 2° An reverà Spiritus sanctus à Filio procedat; 3° An, si non à Filio procederet, ab ipso distingueretur; 4°

An symbolo Constantinopolitano rectè inserta sit vocula, *Filioque;* 5° Quandonam addita sit; 6° Denique an Spiritus sanctus ex Patre et Filio tanquàm ab uno principio procedat.

CAPUT PRIMUM. — *De origine et progressu hujus controversiæ.*

Jam apud omnes constat Spiritum sanctum è Patre procedere. De quo tamen Catholicos inter et eos, quorum dux Eunomius extitit, Arianos, non levis olim quæstio fuit. Cùm enim hi Filium et Spiritum sanctum in creaturarum ordinem redigerent, de utriusque origine ita statuebant, ut Filium à solo Patre factum, Spiritum autem sanctum vicissim Filii proprium opus esse contenderent. Quâ de re legendi sunt inprimis Basilius lib. 2 contra Eunomium; Epiphanius hæresi 76; Arianorum sermo apud Augustinum tom. 8; Ratrammus Corbeiensis lib. 2 contra Græcos; Bellarminus lib. 2 de Christo, cap. 21, etc. Hanc autem impietatem ut confoderet Constantinopolitana synodus œcumenica, symbolo Nicæno has voces inter alias intexuit : *Qui à Patre procedit;* quod cùm Christus ipse longè antea pronuntiâsset, is error brevi concidit, qui ad Patrem pertinet.

Sed postea enatus est alter de ipso Filio, à quo Spiritum sanctum non procedere Græci arbitrabantur. Quæ quidem lis cùm antiquissima sit ac summâ animorum contentione agitata, et utramque Ecclesiam non modò sæpè commiserit, sed etiam hactenùs disjungat, de ipsius origine ac progressu pauca delibanda sunt, ut quid unoquoque seculo ad hanc rem pertinens occurrat, omnibus innotescat.

Quinto igitur seculo, circa annum 430, cùm Cyrillus Alexandrinus in Nestorium scribens, anathematismo 9, eos non esse Catholicos definiisset, qui dicerent Spiritum sanctum *non proprium Filii,* sed ab ipso alienum; Theodoretus, qui Joanni Antiocheno, Nestorii amico ac fautori, adhærebat, in hujus anathematismi confutatione respondit, id quidem esse rectum, si Spiritus sanctus ideò dicatur proprius Filii, quòd ipsi consubstantialis sit; si verò ita intelligatur, ut ex Filio et per Filium existentiam habeat, id esse blasphemum et impium. Ex quo eruditi plures, Hugo Etherianus lib. 2 contra Græcos; Bellarminus lib. 2 de Christo, cap. 21; Petavius lib. 7 de Trinit. cap. 1; Garnerius dissert. 3 de Fide Theodoreti cap. 1, et alii colligunt Theodoretum extitisse primum illius erroris, qui in Græcorum animis tam altas radices egit, architectum; de quo postea. Quidquid verò sit, septimo sanè seculo, circa annum 640, Græci jam insurgebant in Latinos Spiritum sanctum à Filio procedere docentes, quorum adversùs populares suos patrocinium idcircò suscepit è græcâ gente scriptor S. Maximinus, martyr celeberrimus, in Epist. ad Marinum; de quâ Manuel Calecas, Josephus Methonensis, et ex iis Petavius lib. 7, cap. 2, num. 2.

Sed octavo seculo longè acrior exarsit disputatio; quo factum est ut eâ de re plures sub Pipino et Carolo Magno synodi in Galliâ, Italiâ, et Germaniâ habitæ fuerint. Prima est Gentiliacensis ad Lutetiam anno 767, in quâ, ut ait Ado in Chronico, quæstio ventilata est inter Græcos et Romanos de Trinitate, et utrùm Spiritus sanctus, sicut procedit à Patre, ita procedat à Filio. Secunda Forojuliensis anno 791, in quâ Paulinus Aquileiensis doctissimam de hoc argumento orationem habuit. Tertia Francofordiensis, quæ omnium est celebratissima; de quo Cointium et conciliorum collectionem consule.

Ineunte verò nono seculo cùm eadem ferveret contentio, duæ aliæ insuper habitæ sunt. Una est Aquisgranensis anno 809, ex quâ Carolus Magnus epistolam scripsit de hâc lite, quam monachus quidam Hierosolymitanus, nomine Joannes, moverat, uti narrant idem Ado, Adelmus in Annalibus, et Petavius lib. 7, cap. 1, num. 2. Hunc autem Joannem esse Damascenum, insignem illum Ecclesiæ contra Iconoclastas defensorem, existimat Pithæus in libro de Processione Spiritûs sancti. Altera est Arelatensis anno 813, quam vide capitulo 1.

Verùm sub ejusdem seculi finem hic ignis in apertum incendium erupit operâ Photii pseudopatriarchæ Constantinopolitani, viri quidem eruditi, sed scelesti, qui tanquàm Græcorum schismatis auctor habendus est. Ille enim cùm, ob ejectum è Constantinopolitanâ sede Ignatium à Nicolao summo pontifice damnatus esset, non modò in ipsum sententiam retorsit, sed etiam virulentas adversùs eumdem et omnes Latinos litteras conscripsit, in quibus hoc eis inter alia objicit, quòd Spiritum sanctum è Filio procedere definirent. Objecta capita Nicolaus misit ad Hincmarum Remensem, aliosque episcopos Gallos, rogans ut quid eis respondendum esse arbitrarentur, ad se conscriberent. Paruerunt nostri, Græcosque confutârunt Odo Bellovacensis ut disci-

mus ex epist. 5 Hincmari; Æneas Parisiensis, cujus opus extat tom. 7 Spicilegii; sed omnium accuratissimè Ratramnus Corbeiensis monachus quatuor libris, quos ejusdem Spicilegii tom. 2 edidit Lucas Dacherii. Sed Græci nihilominùs exinde Photio adhæserunt, et in hunc errorem ita delinceps conspirârunt, ut hâc potissimùm tesserâ à Latinis sejuncti sint.

Undecimo autem seculo instauratâ pugna est et perfectum schisma, incentore præsertim Michaele Cerulario, Constantinopolitano itidem patriarchâ, et favente Constantino Monomacho imperatore. Michael enim ambitione immoderatâ amplificandæ dignitatis æstuans, et irâ inflammatus in Latinos, ubique promulgare cœpit eos omnes ut ab Ecclesiæ sinu exclusos spectari oportere, quòd et fidem temerare, et voculam *Filioque* in symbolum intrudere ausi essent. De quo Leo IX summus pontifex in epist. ad annum 1054; Anselmus lib. de Process. Spiritûs sancti; Sigebertus ad eumdem annum; Baronius, etc.

Cùm ergo discordiæ lues magis ac magis in dies augeretur, ut tanto malo necessarium ac congruens remedium adhiberetur, varia subinde concilia ad reconciliandos animos et sopiendam controversiam coacta sunt. Ac 1° quidem Barense in Italiâ anno 1097 sub Urbano II, summo pontifice, ubi Anselmus insigne sibi peperit nomen in defendendâ adversùs Græcos Spiritûs sancti è Filio processione; de quo etiam, rogante Hildeberto Cœnomanensi, opusculum scripsit, ut discimus, cùm ex Eadmero, ipsius vitæ auctore, et Guillelmo Malmesburiensi, tùm ex Hildeberto, epistolâ 5, etc. 2° Lateranense IV Romæ sub Innocentio III anno 1215, cui unà cum aliis non paucis Ecclesiæ græcæ præsulibus interfuerunt patriarchæ Constantinopolitanus et Hierosolymitanus, et in quo ad concordiam cum Latinis illi redierunt, ut liquet ex ejusdem concilii capitulo 4, Godefrido Coloniensi monacho, etc. 3° Lugdunense II in Gallià anno 1274 sub Gregorio X, in quo pax à concilio Lateranensi sancita, quæ non satis firma steterat, inter utramque Ecclesiam redintegrata est, annitente potissimùm Michaele Palæologo, Græcorum imperatore, cujus et græcæ Ecclesiæ episcoporum nomine legati ad summum pontificem et synodum missi errorem palàm ejurârunt, ac symbolum, cui insertæ erant hæ voces, *Filioque*, unà cum Latinis in sacris solemni ritu decantârunt, ut constat ex actis concilii; Trithemio in Chronico Hirsaugiens. Blondo decade 2, lib. 8; Guaguino lib. 7; Matthæo Westmonasteriensi, etc., quibus consonant scriptores Græci, Pachymeres lib. 5; Nicephorus Gregoras lib. 5, etc. 4° Florentinum anno 1439, sub Eugenio IV, Græcis imperante Joanne Palæologo, qui eò ipse accessit cum patriarchâ Constantinopolitano aliisque benè multis Ecclesiæ græcæ præsulibus, quos inter eminebat eruditionis famâ Bessarion, qui cùm, agnito errore gentis suæ, in Latinorum partes transiisset, in cardinalium ordinem est cooptatus. In eâ igitur synodo, post varias ac prolixas de Spiritûs sancti processione dissertationes, Græci tandem in eamdem cum Latinis fidei formulam consensêre, uno obluctante Marco Ephesino, qui Græcorum causam ibi acriter propugnaverat. Cùm autem hîc gratiâ plurimùm valeret apud suos, in patriam reversus, eorumdem animos pro innatâ levitate facilè pervertit, et ab inito fœdere revocavit (1).

Caput II. — *Quid de Spiritûs sancti processione à Filio sit statuendum.*

Assertio. — Spiritus sanctus à Filio procedit.

(1) Marcus Ephesinus non omnes Græcos à fœdere revocavit; sed, ut ait Billuartus, diss. 5, art. 4, « multos in suas partes pertraxit. Nulla tamen fuit edita fidei professio contraria Florentinæ; unde error eorum qui inter Græcos nunc à nobis dissident, censeri debet personalis, et non totius Ecclesiæ Græcæ.

Nota (etiam) Græcos non negâsse, nec negare omnem respectum Spiritûs sancti ad Filium; concedunt namque Spiritum sanctum esse Spiritum Filii, et esse à Patre per Filium; imò quòd sit à Filio, quòd effluat, scaturiat, emanet, spiretur à Filio, non tamen quòd procedat ab illo; quia existimant id importare duo principia, nec Patrem et Filium esse unicum illius processionis principium, eò quòd procedere apud ipsos designet processionem ex principio quod ab alio non procedit; unde videtur quæstio quasi de nomine, nata ex ignorantiâ vel protervià; quia si quis rectè consideret, inveniet verbum processionis inter omnia quæ ad originem qualemcumque pertinent communissimum esse, et minùs quàm quodvis aliud modum originis determinare; utimur enim eo ad designandum qualemcumque originem, sicut quòd linea procedat à puncto, radius à sole, rivus à fonte, et similiter in quibuscumque aliis. Unde quod quomodocumque est ab alio, potest dici ab illo procedere, non tamen quod quomodocumque ex alio procedit, potest dici ab illo effluere, spirari, generari, mitti, vel emanare. Hoc ipso itaque quòd conceditur Spiritum sanctum esse aliquo modo à Filio, necessariò concedi debet quòd ab illo procedat. » (Ed.)

Probatur 1° ex Scripturis, ex quinus quadruplex hujus rei argumentum exprimi potest. Ac 1° quidem ex iis locis in quibus Filius ea omnia habere dicitur quæ habet Pater. Joan. 16, 15: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Ibidem cap. 17, v. 10: *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt;* quod verum esse oportet, salvâ tamen in utriusque proprietate distinctivâ ac constitutivâ. Unde Augustinus ad hæc verba; Gregorius Nazianzenus orat 24; Cyrillus in Responsione ad Orientalium objecta, ad anathema 9; Damascenus orat. 3 de Imaginibus, et alii vulgò Patres colligunt omnia, quæ Patri insunt, eadem Filio competere, exceptâ paternitate. At Pater habet vim spirandi Spiritum sanctum, eaque non est paternitas. Ergo illam eamdem vim habet cum Patre Filius. 2° Specialiùs ex eodem capite 16. Nam ibi Christus de Spiritu sancto loquens: *Non loquetur,* inquit versu 13, *à semetipso; sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.* Ex his enim verbis perspicuum est, 1° Spiritum sanctum non locuturum, nisi quod audierit à Filio; 2° eumdem scientiam suam à Filio accipere; 3° causam, cur scientiam hanc à Filio accipiat, istam esse, quòd quæcumque habet Pater, eadem habeat Filius. At scientia in Deo non distinguitur ab ejus essentiâ ac naturâ. Ergo Spiritus sanctus à Filio naturam suam accipit. Unde Augustinus tract. 99 in Joan.: « Ab illo audiet, inquit, à quo procedit; audire illi scire est; scire verò esse. » Quod adeò verum est, ut Græci ipsi Patres arguant ex hoc loco Spiritum sanctum à Filio procedere; Epiphanius in Ancorato num. 67; Cyrillus lib. 11 Comment. in Joan., etc., quos refert Petavius l. 7, c. 5.

Nec obstat quòd dicat Christus futuro tempore: *Accipiet.* Nam Christus 1° loquitur de Spiritu sancto, non quatenùs ab ipso producitur, sed quatenùs ab ipso mittendus erat; missio autem temporalem effectum sonat, qui tunc futurus erat, et ad quem Christus respiciebat. 2° Ut ait Augustinus ibidem, « in eo « quod sempiternum est, cujusvis temporis po« natur verbum, sive præteriti, sive præsentis, « sive futuri, non mendaciter pônitur, quia quod « æternum est, et fuit, et erit, et est; fuit, quia « nunquàm defuit; erit, quia nunquàm deerit; et « est, quia semper est. » Hucusque Augustinus.

3° Ex iis locis, in quibus Spiritus dicitur mitti à Filio; Joannis 15, 26: *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Ibidem, cap. 16, 7: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* At missio originem arguit, ut supra docuimus. Etverò missio aut per imperium, aut per consilium, aut per originem fit. At Spiritus sanctus non mittitur à Filio, ut servus per imperium; nec per consilium, ut à sapientiore mittitur, qui minùs sapit; ergo per originem. Denique ita dicitur Spiritus sanctus mitti à Filio, quo modo à Patre, Joannis 14, 29. At ideò mitti dicitur à Patre, quia ab ipso procedit. Ergo, etc.

4° Tandem ex iis, ubi Spiritus sanctus dici tur *Spiritus Christi* seu *Filii;* Act. 16, 7: *Non permisit eos Spiritus Jesu.* Rom. 8, 9: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Galat. 4, 6: *Misit Deus Spiritum Filii sui,* etc. Eo autem modo dicitur *Spiritus Filii* his in locis, quo in aliis dicitur *Spiritus Dei et Patris;* Matth. 20: *Spiritus Patris vestri... loquitur in vobis;* et Rom. 8, 11: *Quòd si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis.* Unde sic arguimus: Ideò Spiritus sanctus dicitur *Spiritus Patris,* quia ab illo spiratur; ergo pariter à Filio spiratur, cùm *Filii Spiritus* eodem jure nominetur. Nulla alia certè potest afferri causa cur ita appelletur. Si enim, ut quidam Græculi somniârunt, ideò dicitur *Spiritus Filii,* quòd ipsi consubstantialis sit, et à Patre cum Filio procedat, profectò Verbum tam dici deberet, aut saltem posset *Filius Spiritûs sancti,* quàm Spiritus sanctus vocetur *Spiritus Filii.* Atqui hoc absurdum est. Ergo.

Probatur 2° ex Patribus cùm Græcis tùm Latinis, qui ante exortum schisma floruêre. Ac primò quidem ex Græcis, quorum in hâc causâ potior est apud populares auctoritas. 1° Enim Athanasius orat. 3 contra Arianos, num. 24, tom. 1, pag. 574 edit. Bened.: « Quæcumque Spiritus habet, inquit, hæc à « Verbo habet. » Epist. 9 ad Serapionem num. 20, pag. 669, de Spiritu loquens: « Ex Verbo « inquit, quod ex Patre esse conceditur, effulget, et ab eodem mittitur ac datur. » Epist. 3 « ad Serapionem num. 1: « Qualem scimus pro« prietatem esse Filii ad Patrem, eamdem ad « Filium habere Spiritum sanctum comperie« mus; et quemadmodùm Filius dicit: *Omnia « quæcumque habet Pater, mea sunt;* ita hæc « omnia per Filium in Spiritu esse deprehen-

« demus. » Libro autem de humanâ Christi Naturâ : « Noverat (David), inquit, apud Pa« trem Filium esse fontem Spiritûs sancti. » Quæ clarissima sunt. 2° Basilius lib. 2 adversûs Eunomium, qui productionem Spiritûs sancti soli Filio adscribebat, statuit contra etiam à Patre esse Spiritum sanctum, 1° quia nulla Filii operatio à Patre divisa est : « Nec « est aliquid in rebus, quod Filio insit, et à « Patre alienum sit : *Omnia*, inquit, *mea, « tua sunt, et tua mea.* Quomodò ergo Spiritûs « causam et originem unigenito soli attri« buit? » 2° Quia non sunt duo principia, sed unum omninò : « Si igitur, inquit, duo « principia invicem opposita statuens, ista lo« quitur (Eunomius), cum Manichæo et Mar« cione conteretur. » 3° Quia Apostolus utrumque conjungit, Patrem nempe et Filium, aiens modò Spiritum esse Patris, modò Filii : « Quo pacto autem dividere Spiritum à Deo « non habet manifestum periculum, Apostolo « conjunctim nobis tradente, et modò Christi « Spiritum dicente, et modò Dei? » Libro autem 5, definit, ut Filius est Verbum Patris, ita Filii Verbum esse Spiritum sanctum, quia ex Deo est per Filium. Cùm autem hæretici, ex eo quòd Spiritus sanctus è Filio procedat, colligerent ipsum dici oportere *Filii Filium*, respondet Basilius non tamen idcircò dicendum esse *Filium Filii :* « Quia licet ex « Filio effulgere ostendat (Apostolus), cùm « *Filii Spiritum*, sicut Dei (Patris) ipsum nomi« navit,... *Filium* verò *Filii* dicere cavit, ut « unus sit Pater Deus,... et unus Filius æter« nâ generatione generatus,... unus autem et « Spiritus sanctus. » Quo loco, ut liquet, tota disputatio in eo velut cardine vertitur, quòd Spiritus sanctus à Filio procedere apud omnes censeretur.

3° Gregorius Nyssenus lib. 1 contra Eunomium : « Ut Patri, inquit, conjunctus est Fi« lius, et cùm ex illo esse habeat, non tamen « posterior existit; sic etiam Spiritus sanctus proximè hæret Filio, qui solâ cogitatione, se« cundùm rationem principii, priùs considera« tur productione Spiritûs sancti,... adeò ut, « detractâ principii ratione, nullâ re sancta « Trinitas à se ipsâ dissideat. » Ipi enim perspicuè docet Filium esse principium Spiritûs sancti, eoque solo Filium ab ipso distingui, quia in Deo sola origo mutua personas distinguit. Quod et in Epistolâ ad Ablabium conceptis verbis pronuntiat. At certè Spiritus sanctus à Filio distinguitur. Ergo ab ipso originem trahit.

4° Didymus Alexandrinus lib. 2 de Spiritu sancto, illa Christi verba exponens : *Non enim loquetur à semetipso*, « hoc est, inquit, « non sine me et Patris arbitrio,.... quia non « ex se, sed ex Patre et me est. Hoc enim « ipsum, quòd subsistit, à Patre et me illi « est, » etc.

5° Epiphanius hæresi 62, num. 5 : « Semper cum Patre Filioque Spiritus est; non « Patris veluti frater, non Patris nepos; sed à « Patre procedens, et accipiens à Filio; à Pa« tre Filioque non alienus, sed ex eâdem sub« stantiâ eâdemque divinitate ex Patre et « Filio. » Hæresi, 74 num. 7 : « Spiritus san« ctus, inquit, ex ambobus oritur, Spiritus è « Spiritu. Deus enim est Spiritus. » Ibidem num. 10 : « Spiritus à Patre, inquit, procedit, « et à Filio accepit. » In Ancorato, num. 8 : « Spiritus Patris, inquit, et Spiritus Filii,... « inter Patrem Filiumque medius, ex Patre « et Filio procedens. » Ibidem num. 67 : « Cùm « Christus, inquit, ex Patre credatur Deus ex « Deo, et Spiritus ex Christo, sive ab ambo« bus, ut Christus his verbis asserit : *Qui à « Patre procedit;* et : *Hic de meo accipiet.* » Ibi sanctus ille doctor non modò idem quod nos docet, sed etiam iisdem Scripturæ testimoniis adstruit, ut alii suprà.

6° Cyrillus Alexandrinus lib. 1 de Adoratione : « Spiritus, inquit,... est... Patris et « Filii, qui substantialiter ex utroque, nimi« rùm ex Patre per Filium profluit. » Libro 10 Comment. in Joannem, postquàm asseruit Spiritum sanctum nôsse quæcumque sunt Filii, hanc causam affert : « Nullo docente, inquit, « scit omnia, quæ sunt ejus, ex quo et in quo « est. » In Epistolâ autem ad Nestorium : « Quamvis Spiritus, inquit, in subsistentiâ « propriâ sit, quatenùs Spiritus est, non Fi« lius; est tamen ab ipso non alienus. Profun« ditur autem ab ipso, non minùs profectò « quàm ex Deo et Patre. » Libro denique 34 Thesauri : « Cùm ergo Spiritus sanctus, in« quit, in nobis existens conformes nos effi« ciat Deo, *procedat autem ex Patre et Filio*, « perspicuum est divinæ ipsum esse substan« tiæ, substantialiter in ipsâ et ex ipsâ proce« dentem. »

7° Anastasius Sinaïta lib. 1 de rectis Dogmatibus : « Dominus, inquit, ostendens ex « semetipso Spiritum existere, insufflans « discipulis dixit : *Accipite Spiritum san« ctum.* »

Atque hæc speciminis loco sufficiant ex Pa-

tribus græcis. Deindè verò ex Latinis inter alios laudantur, 1° Tertullianus contra Praxeam, cap. 4 : « Filium, inquit, non aliunde deduco, « sed de substantiâ Patris : ... Spiritum non « aliunde puto, quàm à Patre per Filium. » 2° Marius Victorinus lib. 1 contra Arium, de Filio et Spiritu sancto disserens. : « Duo ergo « et isti, inquit, alius ex alio ; ex Filio Spiri- « tus sanctus, sicut ex Deo Filius ; conrationa- « liter et Spiritus sanctus ex Patre. » 3° Hilarius de Trinit. lib. 2, verba faciens de Spiritu sancto : « Loqui de eo non necesse est, in- « quit, quia de Patre et Filio auctoribus con- « fitendus est. » 4° Ambrosius lib. 1 de Spiritu sancto cap. 10 : « Spiritus quoque sanctus « cùm procedit à Patre et Filio, non sepa- « ratur à Patre, non separatur à Filio. » In opere autem de Symbolo, cap. 3 : « Spiritus « sanctus, inquit, verè Spiritus est, proce- « dens quidem à Patre et Filio, sed non est « ipse Filius, » etc. Vide et cap. 1 et 4, etc. 5° Augustinus lib. 4 de Trinitate : « Nec pos- « sumus dicere, inquit, quòd Spiritus sanctus « et à Filio non procedat. Neque enim frustra « idem Spiritus et Patris et Filii Spiritus dici- « tur. » Adde lib. 15, cap. 17 et 26, et tract. 99 in Joannem. 6° S. Leo epist. 93, dicit esse alium qui genuit, alium qui genitus est, alium qui de utroque processit. 7° Idacius contra Varimadum, Spiritûs sancti originem declarans : « Certa, inquit, et manifesta origo Spi- « ritûs sancti Pater et Filius. » 8° Gennadius Massiliensis lib. de eccles. Dogmatibus, cap. 1 : « Credimus unum esse Deum, inquit, Patrem « et Filium et Spiritum, Patrem eò quòd Fi- « lium habeat, Filium eò quòd Patrem habeat, « Spiritum sanctum eò quòd sit ex Patre et « Filio procedens. » 9° Fulgentius lib. de Fide ad Petrum, cap. 11 : « Firmissimè tene, « inquit, et nullatenùs dubites... Spiritum san- « ctum, qui Patris et Filii unus est Spiritus, « de Patre et Filio procedere. » 10° Vigilius contra Eutychen lib. 1 : « Audi manifestiùs, « inquit, proprium Patris esse genuisse, « et proprium Filii natum esse, proprium « verò Spiritûs sancti procedere de Patre Fi- « lioque. »

Alios, qui adjici poterant, prætermittemus.

Ex his autem in promptu est Græcorum duplex effugium præcludere. Primum est, suprà laudatos Patres qui aiunt Spiritum sanctum à Filio procedere aut mitti, nomine *Spiritûs sancti* intellexisse dona ab ipso collata, quæ eadem sunt Patris et Filii. Alterum est, à plerisque non dici Spiritum sanctum è Filio, sed per Filium procedere. Aiunt enim per Filium idem esse ac cum Filio. Non itaque significari eo Spiritum sanctum è Filio procedere, sed è Patre simul cum Filio, seu non secùs ac Filius ipse à Patre procedit. Sed utrumque vanum est.

Ac primum quidem. Præterquàm quòd enim Scripturæ de Spiritu sancto, ut est auctor donorum et ab ipsis distinguitur, sermonem habent ; antiqui verba faciunt, 1° de personâ Spiritûs sancti, de cujus productione controversia erat ; ut Athanasius, Basilius, Gregorius Nyssenus. 2° Ubi aiunt Spiritum sanctum è Filio esse, agebant speciatim de ejus æternâ origine, et internâ propriâque distinctione, ut Gregorius Nyssenus. 3° Alii addunt vocem hanc *substantialiter* aut similem, ne quis id de accidentali perperàm interpretaretur. 4° Eâdem ratione loquuntur de Spiritûs sancti processione è Filio, quâ de Patre. At de Patre profectò, quoad personam, suam originem ducit. Ergo. 5° Statuunt Spiritum sanctum eodem modo de Filio procedere, quo Filius ipse ex Patre est. 6° Non de missione, sed de existentiâ conceptis verbis alii disputant. Ergo, etc.

Secundum verò : nam hæ particulæ *ex* et *per* idem sonant ; quod olim ex Scripturis adversùs Socinianos ostendimus, quodque adversùs Arianos (eodem discrimine utentes, ut conficerent Filium, per quem omnia facta esse leguntur, non ejusdem esse naturæ cum Patre, ex quo Paulus asserit esse omnia) jamdudùm notârunt Patres, v. g. Basilius, lib. de Spiritu sancto, cap. 2. Absurdum porrò est et inusitatum, quod comminiscuntur Græci *per* et *cum* idem omninò esse. Fatendum itaque est particulam *ex* arguere potiùs primarium fontem. Atque inde est, quòd tot antiqui decernant Spiritum sanctum è Patre per Filium procedere. Ejusdem verò locutionis causa altera fuit, quòd nempe, cùm Eunomius olim soli Filio Spiritûs sancti productionem adscripsisset hæreticis obnitendi studio, Catholici plures non tantùm inculcare cœperint Spiritum sanctum etiam è Patre procedere, sed insuper à Filio non prodire, nisi per virtutem acceptam à Patre, seu à Patre per Filium ; non quòd Filius solus Spiritum sanctum proximè producat, Pater autem remotè duntaxat ; sed quòd cùm uterque ex æquo proximè producat, Pater tamen non

producat, nisi per virtutem cum Filio communicatam; ita ut Patrem inter et Filium medius interjaceat. Hæc ergo tunc prudens erat loquendi ratio. At nunc altera, quâ dicitur Spiritus è Filio procedere, prudentior est, quòd Græci exinde intervenerint, qui priori hâc loquendi ratione, *per Filium*, perperàm abutantur.

Probatur 3° ex conciliis. 1° Enim Cyrilli Epistolam ad Nestorium, in quâ, ut vidimus, disertè definit Spiritum sanctum è Filio non minùs quàm è Patre procedere, approbârunt quinque generalia concilia, III seu Ephesinum act. 1; IV seu Chalcedonense act. 5; V collat. 6 et 8; VI act. 18; VIII act. ultimâ. 2° Idem statuerunt concilia recentiora ex utràque Ecclesiâ coacta; Lateranense IV sub Innocentio III; Lugdunense II sub Gregorio X; et Florentinum (1) sub Eugenio IV. 3° Plurima alia accedunt, Toletanum I anno 400 in Profess. fidei; Bracarense I anno 412; Bracarense II an. 563; Toletanum III an. 589 cap. 2; Toletanum IV anno 633; VI anno 653; XI anno 675; XII anno 681; XIII anno 683; XVII anno 694; Gentiliacense anno 767; Forojuliense anno 791; Francofordiense anno 794; Aquisgranense anno 809; Arelatense anno 813; Barense anno 1097; Constantinopolitanum anno 1280, tomo 11 concil.

Probatur 4° duplici ratione. 1° Enim Filius, cùm ipsius processio sit prior processione Spiritûs sancti, à Patre fœcundam voluntatem, necdùm termino exhaustam, accipit. Atqui, si accipit voluntatem fœcundam, debet non secùs ac Pater Spiritum sanctum ex eâ producere. 2° Si Spiritus sanctus à Filio non procederet, ab ipso non distingueretur. Atqui haud dubiè distinguitur. Sed de hoc rursùs infrà.

Objicies 1°: Scripturæ quidem testantur Spiritum sanctum è Patre procedere, Joan. 15, 26. At idem non perhibent de Filio. Ergo. — Nego consequentiam. 1° Enim satis est si hoc ipsum perhibeant verbis idem sonantibus. Atqui id præstant. 2° Græci præter Scripturas, traditionem nobiscum agnoscunt, tanquàm alteram fidei nostræ regulam; quæ tota nobis favet.

Objicies 2°: Constantinopolitana synodus I, quæ est œcumenica II, dùm in symbolo originem Spiritûs sancti explicaret, de solo Patre mentionem fecit. Ergo. — Distinguo antecedens: De solo Patre mentionem fecit, quia de eo solo quæstio erat, nec ullum erat de Filio dubium, concedo; quòd Filium excludi vellet, nego. Hæc igitur est synodorum religio, ut nihil definiant, ac multò magis ut in Symbolum nihil inferant, nisi quod omninò necessarium est. Jam verò, ut monuimus initio capitis superioris, nullus tunc error erat de Spiritûs sancti processione è Filio; sed Eunomius negabat ipsum è Patre esse; quod in causâ fuit cur hoc, non istud, tunc definiretur et symbolo insereretur. Cùm autem alter de Filio exortus est, alia additio facta est, et symbolo pariter indita.

Objicies 3° : Theodoretus negat Spiritum sanctum à Filio procedere. 1° Enim in Confutatione anathematismi 9, quòd Spiritus sanctus ex Filio aut per Filium existentiam habeat, id tanquàm impium et blasphemum explodit. 2° In Epist. ad monasteria, ubi in Cyrillum invehitur: « Blasphemat, inquit, teste « Hugone Etheriano, et in Spiritum sanctum, « dùm non ex Patre solo illum asserit proce- « dere juxta Domini vocem; sed ex Filio « eumdem habere existentiam. Hi sunt Ægypti « partus, et malo patre deteriora germina. » 3° In Expositione Epist. ad Rom. c. 8, v. 11: « Spiritum sanctum, inquit, et Dei appellavit « et Christi (Apostolus) : non quòd, ut volunt « hæretici execrandi, ex Deo per Filium crea- « tus sit; sed quia ejusdem est cum Patre et « Filio substantiæ. Et ex Patre quidem proce- « dit, juxta evangelicam doctrinam; ejus autem « gratia iis, qui digni sunt, per Christum sup- « peditatur. » 4° In Epistolam 1 ad Cor. 2, 12, ad hæc verba : *Non spiritum mundi accepimus, sed..... qui ex Deo est* : « *Dei* nomen, inquit, « in nomen *Patris* commutat, ad excludendam « processionem à Filio; sed ipse qui à Patre « procedit Spiritus, occulta mysteria nos do- « cuit. » 5° Denique hæret. Fabul. lib. ult. cap. 3, ubi ex professo exponit quid de Spiritu sancto sit credendum, ejus quidem à Patre processionem commemorat, non autem à Filio. Ergo eam non admisit.

Respondeo hæc sanè difficillima esse, sed ad sublevandam tamen Theodoreti (1) causam multa posse observari. 1° Græcos iis ferè non minùs premi quàm Latinos. Græci enim hâc formulâ *per Filium* utuntur libentissimè; utrumque autem *ex Filio* et *per Filium* pariter

(1) Legatur concilium Florentinum, in quo præsens quæstio multùm agitata fuit et diligenter examinata. (Ed.)

(1) De Theodoreto vide, si lubet, Turnelium, q. 6, art. 3. (Ed.)

negat Theodoretus. — 2° Theodoretum illîc respicere, non ad quæstionem Græcos inter et Latinos jam agitatam; sed ad eam, quæ olim fuerat Catholicos inter et Eunomianos, qui aiebant Spiritum sanctum esse proprium Filii opus, aut *ex Deo per Filium creatum esse;* hæc enim postrema verba extant apud Theodoretum in Epistolam ad Rom. Hæreticos autem hujusmodi nominatim persequitur in Epist. ad monasteria, quæ tomo 5 concil. legitur, et tomo 5 Theodoreti in Epist. ad Rom. et in lib. ult. hæret. Fabul. c. 3. — 3° In hanc reipsà sententiam à Theodoreto accepta esse B. Cyrilli verba, quasi Cyrillus ibi ad Eunomium ac Macedonium accessisset. In Epistolâ enim ad monasteria : « Blasphemat verò, inquit, et « Spiritum sanctum, non ex Patre ipsum pro- « cedere dicens, sed ex Filio esse,.... propin- « quat Macedonii propinquæ culturæ. » — 4° Quam Theodoretus locutionem adversùs Cyrillum usurpat, eamdem adversùs Pneumatomachos jam antea usurpari consuevisse, ut discimus ex symbolo Theodori Mopsuesteni, apud Marium Mercatorem. — 5° In hâc eâdem Epistolâ ad monasteria, qualis in conciliis et apud Theodoretum occurrit, non reperiri exclusivam particulam *solus*, quâ potissimum innititur Hugo Etherianus. — 6° In Comment. in Epist. ad Cor. non extare hæc verba : *Ad excludendam processionem à Filio,* nec antecedentia, in quibus tamen vis fieri potissimùm solet. — 7° Theodoretum, cùm infinitos habuerit adversarios, oculatos profectò ac vigilantissimos; cùm Cyrillus ex professo in eo reprehendendo totus esset; cùm synodus V nihil eorum prætermiserit quæ Theodoretum in invidiam adducere possent, hæcque adversùs Cyrillum scripta speciatim damnaverit, à nemine tamen ullius circa Spiritum sanctum erroris fuisse tunc accusatum. Quis autem sibi persuadeat id futurum fuisse, si reverà errâsset in eo, quod tanti momenti erat, capite, cùm levissima quæque ei objicerentur? quod quidem momentum non in Græcos valet, qui responderent ideò non fuisse accusatum erroris, quòd rectè doceret; sed in eos è Latinis scriptores, qui Theodoretum cum Theodoro Mopsuesteno Græcorum errori initia fecisse autumant. De his autem liberum esto penès lectorem judicium.

Objicies 4° : S. Maximus martyr, cùm Latini in Epistolâ synodicâ dixissent Spiritum sanctum è Filio procedere, atque id Græcis displicuisset, Latinos excusat in Epistolâ ad Marinum, quia etsi asserant Spiritum è Filio procedere, non idcircò tamen sentiunt ipsum esse principium Spiritûs sancti, quod solus est Pater. Ergo. — Distinguo antecedens : Non sentiunt esse principium, id est, primum fontem, concedo ; principium simpliciter, nego. Vide Petavium lib. 7, cap. 17, num. 12, ubi monet hanc principii notionem apud Græcos esse pervulgatam.

Objicies 5° : Damascenus lib. 1 de Fide orthod. cap. 11 : « Spiritum sanctum, inquit, « et ex Patre esse statuimus, et *Patris Spiri-* « *tum* appellamus. At verò eum non ex Filio « esse dicimus, sed *Filii Spiritum* nominamus. » Ergo juxta Damascenum Spiritus sanctus non ex Filio, sicut ex Patre, procedit.

Respondeo 1° quosdam è nostris concedere Damascenum in eo errore esse versatum ; de quo videndus est S. Thomas quæst. 36, art. 3, Pithæus, etc. Respondeo 2° posse tamen ita benignè explicari, ut juxta ipsum Spiritus sanctus è Filio, tanquàm è primo originis suæ fonte, non procedat; quo sensu ex Patre procedit. Hunc enim primum fontem designat particula *ex,* ut jam notavimus, et ex Demetrio Caleca et Bessarione animadvertit Petavius lib. 7, cap. 17, num. 8. Etverò Damascenus ibidem Patrem comparat soli, Filium radio, Spiritum autem sanctum splendori qui ex radio oritur. Capite autem 18 definit Spiritum sanctum esse imaginem Filii, sicut Filius imago est Patris : « Imago Patris est « Filius, inquit, ac Filii Spiritus. »

Objicies 6° : Rusticus diaconus libro contra Acephalos : Spiritus, inquit,.... utrùm..... à « Filio eodem modo, quo à Patre, procedat, « nondùm perfectè habeo satisfactum. » Ergo de ejusmodi saltem processione dubitavit. — Respondeo hanc dubitationem non in rem ipsam, sed in modum cadere. Cæterùm, si de re ipsâ dubitavit, unus inter Latinos eâ in re hæsit.

Objicies 7° : Cùm in Galliis agitaretur quæstio de Spiritûs sancti è Filio processione, et symbolo Constantinopolitano insertum esset vocabulum *Filioque,* super utroque capite legati Romam missi sunt ad Leonem III summum pontificem. Atqui Gallos improbavit Leo. Ergo. — Distinguo minorem : Improbavit quoad additionem symbolo factam, concedo; quoad fidem de Spiritûs sancti è Filio processione, nego. Imò verò professus est idem se cum Gallis hâc in parte sentire, ut videre est in actis legationis, tom. 2 conc. Galliæ, et apud Coiutium ad annum 810.

Caput III. — *An, si Spiritus sanctus à Filio non procederet, ab ipso distingueretur.*

Hanc adversùs Græcos rationem superiori capite protulimus, quòd nempe, si Spiritus sanctus à Filio non procederet, ab ipso non distingueretur. Quæ, si quid valet, ostendit à Græcis, quantùm in ipsis est, everti mysterium Trinitatis. Sed hanc illi validam esse negant; imò vim ejus infringunt inter nostros nonnulli, ut Henricus quodlib. 5, quæst. 9, et Scotus in 1, dist. 11, qui existimant Spiritum sanctum à Filio distinctum iri, etiamsi ab ipso per impossibile, ut aiunt, non procederet.

Assertio. — Spiritus sanctus à Filio non distingueretur, si ab ipso non procederet.

Probatur 1° ex Patribus, qui id aut disertè pronuntiant, aut saltem ea doctrinæ principia constituunt, ex quibus illud perspicuè eruitur. 1° Enim Gregorius Nazianzenus orat. 37, de Filio et Spiritu sancto disserens : « Mutua, inquit, eorum relationis differentia, « diversa ipsis nomina procreavit; » id est, eos distinguit. At non esset relatio Filii ad Spiritum, aut vicissim, si Spiritus sanctus è Filio non procederet. 2° Gregorius Nyssenus lib. 1 contra Eunomium, suprà : « Detractâ principii « ratione, inquit, nullâ re sancta Trinitas à « se ipsa dissidet. » Epistolâ ad Ablabium : « Differentiam, inquit, quæ ex ratione prin- « cipii ejusque quod est à principio, minimè « denegemus; quo uno alterum ab altero dis- « cerni comprehendimus. » Proinde unicam distinctionis divinarum personarum causam esse putat relationem originis, quâ altera ab alterâ procedit. Atque adeò juxta ipsum non distingueretur à Filio Spiritus sanctus, si ab ipso non procederet. 3° Augustinus tract. 39 in Joannem : « Hoc solo numerum insinuant, « quòd ad invicem sunt. » Atqui respectum non haberet ad Filium Spiritus, si ab ipso non oriretur. 4° Conciliorum Toletanorum I et XI Patres in Professione fidei : « Credimus, « inquiunt, Spiritum sanctum esse Paracletum, « qui nec Pater est nec Filius, eò quòd sit à « Patre Filioque procedens. » Ubi originem tanquàm veram distinctionis causam assignant. 5° Denique Anselmus de Processione Spiritûs sancti : « Relationis oppositio, inquit,..... pro- « hibet Patrem, Filium et Spiritum de se in- « vicem dici. » Ibidem : « Nec unitas, inquit, « amittit aliquando suam consequentiam, ubi « non obviat aliqua relationis oppositio; » id est, in Deo omnia sunt unum, ubi non intercedit relationis oppositio. At si Spiritus sanctus è Filio non procederet, nulla esset inter utrumque relationis oppositio; essent enim non oppositæ, sed disparatæ duntaxat amborum relationes. Ergo.

Probatur 3° multiplici ratione. 1° Enim, ut modò observavimus, eo in casu relationes Filii et Spiritûs sancti essent tantùm disparatæ, sicut paternitas et spiratio activa. Ergo non magis realiter à se distinguerentur relationes Filii et Spiritûs sancti, quàm paternitas et spiratio activa. 2° Eadem esset ratio terminorum voluntatis et intellectûs, si ii non opponerentur, quæ est actionum utriusque facultatis. Atqui actiones intellectûs et voluntatis in Deo à se invicem non distinguuntur, quia non opponuntur. Ergo nec termini ipsi Filius et Spiritus sanctus distinguerentur. 3° Denique, reverà tanta est naturæ divinæ simplicitas, ut in eâ omnia debeant esse quid unum omninò, nisi ubi res ipsæ repugnant. At non repugnant nisi per oppositionem. Nulla porrò est oppositio, citra originis unius ab alterâ relationem.

Objicies 1° : Anselmus de Processione Spiritûs sancti, cap. 3, definit Filium et Spiritum sanctum eò præcisè distingui inter se, quòd diverso modo procedant, unus nascendo per intellectum, alter procedendo per voluntatem : « Habent utique à Patre esse Filius et Spiritus « sanctus, inquit; sed diverso modo, quia alter « nascendo, alter procedendo..... Et ideò..... « etsi per aliud non essent plures Filius et « Spiritus sanctus, per hoc solum essent di- « versi. » Atqui, licèt Spiritus sanctus à Filio non procederet, nihilominùs ex voluntate procedere cogitaretur, ut et Filius ex intellectu. Ergo etiam in eo casu, juxta Anselmum, à sese invicem ambo differrent.

Respondeo 1° de hoc Anselmi loco varias esse opiniones theologorum. Alii enim putant eum ita reipsà sensisse; alii admisisse tantùm eo in casu, Filium inter et Spiritum sanctum distinctionem rationis; alii tandem ipsum quidem ex diversâ origine repetere utriusque distinctionem; sed eò esse diversam originem, quòd Spiritus sanctus è Filio procedat. Verùm his prætermissis, respondeo 2° : Distinguo majorem : A diverso processionis modo distinctionem Filii ac Spiritûs sancti repetit in hypothesi Græcorum, concedo; absolutè et juxta propriam mentem, nego. Græcorum igitur mentem ibi exponit, et quid illi concedere ac confiteri debeant, aperit. Cæterùm toto

hoc opere, ipse postmodùm illud præsertim agit, ut demonstret Spiritum sanctum, quia à Filio distinguitur, ab ipso procedere. Hinc et librum suum ita concludit : « In hoc itaque « quòd Deus ad Deum dicitur, personarum ad- « mittit pluralitatem et diversitatem. »

Objicies 2° : Eo in casu remaneret eadem personarum distinctio, in quo idem adhuc superesset earumdem personarum constitutivum ac distinctivum. Atqui posito quòd Spiritus à Filio non procederet, res ita esset ; constitutivum enim ac distinctivum Filii est filiatio ; Spiritûs autem sancti est spiratio passiva. Atqui hoc in casu filiatio et spiratio passiva esset. Ergo. — Nego minorem. Filius enim distinguitur ac constituitur per filiationem ; sed quatenùs adjunctam habet aut habere postulat spirationem activam. Distinguitur enim à Patre per filiationem præcisè ; sed à Spiritu sancto nonnisi mediante spiratione activâ, per quam ei opponitur. Non esset ergo in Filio idem, quod nunc est, constitutivum ac distinctivum omni ex parte. Similiter spiratio passiva nunc non distinguit nec constituit adæquatè Spiritum sanctum, nisi quatenùs utrumque, Patrem scilicet et Filium, respicit; in eâ autem hypothesi non respiceret Filium. Ergo.

Objicies 3° : Etiamsi Spiritus sanctus à Patre non procederet, ab ipso tamen distingueretur. Ergo pariter à Filio distingueretur, quamvis ab ipso originem non duceret. — Esto antecedens, quod multi negant, nego consequentiam. Ad distinctionem enim in Deo satis est oppositio mediata, ut liquet ex paternitate et filiatione, quæ à spiratione passivâ realiter distinguuntur, licèt ei mediatè duntaxat opponantur. Jam verò Pater opponeretur mediatè Spiritui sancto, nempe mediante Filio, cui spirationem activam tribuisset. Proinde eo in casu Spiritus sanctus mediatè procederet à Patre. Itaque ab ipso distingueretur, etiamsi ab eo proximè non procederet. Atenim, si non procederet à Filio Spiritus sanctus, nec immediatè nec mediatè ei opponeretur Filius. Namque eo in casu Spiritum sanctum non produceret Pater per vim aliquam sibi à Filio datam.

Objicies 4° : Etiamsi Filius non procedat à Spiritu sancto, attamen ab ipso distinguitur. Ergo pari jure Spiritus sanctus ab eo distingueretur, quamvis ab ipso non procederet. — Nego consequentiam et paritatem. Disparitas est, quod, etiamsi Filius non procedat à Spiritu sancto, est tamen inter utrumque relationis oppositio, quæ in origine fundatur. Filius enim est principium Spiritûs sancti. At si tollas processionem Spiritûs sancti à Filio, jam nulla est inter utrumque relationis oppositio, cùm nulla sit unius ab altero origo.

Objicies 5° : Etiamsi Spiritus sanctus à Filio non procederet, attamen esset terminus processionis ex voluntate proficiscentis, sicut Filius esset terminus processionis ex intellectu. Atqui illæ processiones diversæ sunt ac distinctæ. Ergo et termini à se invicem distincti forent. — Distinguo minorem : illæ processiones sunt distinctæ formaliter et virtualiter, concedo ; realiter, nego. Sicut igitur inter intellectionem et volitionem divinam nulla est distinctio realis, sed rationis tantùm, quia sibi invicem non opponuntur ; sic nulla esset inter utriusque terminos, nisi eorum alter aliunde ab altero procederet. Non enim præcisè distinguuntur, quia unus per intellectum, alter per voluntatem procedit, sed quia terminus intellectûs cùm voluntatem accipiat fœcundam, is terminum voluntatis producit ; ex quo relationis exsurgit oppositio.

Objicies 6° : Filiatio et spiratio passiva nunc non opponuntur inter se ; et tamen distinguuntur. Ergo etiam tunc distinguerentur. — Distinguo antecedens : Non opponuntur directè et immediatè, concedo ; mediatè, nego. Filiatio enim opponitur spirationi passivæ, mediante spiratione activâ quam habet adjunctam.

Caput IV. — *An rectè addita sit symbolo Constantinopolitano vocula,* Filioque.

Cùm symbolum sit publica fidei tessera, consequens est, 1° summâ religione esse observandum, ut ad ostendendam unius fidei perpetuitatem semper idem, quantùm fieri potest, perseveret ; 2° si quæ in eo facienda sit mutatio, eam non privatâ, sed publicâ tantùm auctoritate in illud esse inferendam. Itaque ad quodlibet additamentum inserendum duo necessaria sunt, nempe potestas legitima, et justa necessitas. De quibus jam est in præsenti negotio disputandum.

Assertio. — Rectè addita est symbolo vocula, *Filioque*.

Probatur. Ad id enim duc tantùm requiruntur, potestas idonea, et causa gravis. Atqui utraque hic intervenit. Ac 1° quidem potestas

maxima, nempe Ecclesiæ; 2° urgens necessitas, nimirùm error de Spiritûs sancti è Filio processione exortus, aliive eòdem spectantes. Ergo id fieri potuit ac debuit; eòque magis quòd post exortum hunc de Spiritûs sancti è Filio processione errorem, symbolum errandi occasionem imperitis præbere facillimè posset. Probatur insuper exemplis conciliorum Nicæni ac Constantinopolitani. Iisdem enim de causis hæ voces, *Filioque*, decursu temporis Symbolo sunt adjectæ, propter quas olim à Nicænis Patribus et Constantinopolitanis aliæ in idem symbolum contra Arii ac Macedonii impia dogmata inculcatæ fuerant. Atqui nemo dixerit non rectè has ab Ecclesiâ fuisse insertas. Ergo nec aliud ferri potest de aliis judicium. Eadem enim semper manet auctoritas Ecclesiæ; et similis ratio obtinebat. Probatur denique decreto synodi Florentinæ, quæ, post excussam diligenter hinc et inde controversiam, consentientibus Græcis simul ac Latinis, ita pronuntiavit : « Definimus, inquit, « explicationem verborum illorum, *Filioque*, « veritatis declarandæ gratiâ, et imminente « tunc necessitate, licitè et rationabiliter fuisse « Symbolo appositam. »

Objicies 1° : Ephesina synodus œcumenica, parte 3, act. 6, edixit, « alteram fidem ne- « mini licere proferre, vel conscribere, aut « componere, præter eam quæ definita est à « sanctis Patribus Nicææ congregatis cum « sancto Spiritu. Qui autem ausi fuerint aut « componere fidem alteram, aut proferre,..... « hos, si quidem sunt episcopi aut clerici, alie- « nos esse, episcopos ab episcopatu, et cleri- « cos à clericatu, decrevit; si verò laici fue- « rint, anathemati subjici. » Atqui additio illa *Filioque* peregrina est, et in symbolo Nicæno, seu, quod idem est, Constantinopolitano non erat. Ergo eam fieri non licuit. — Distinguo majorem : Non licet alteram fidem proferre, id est, contrariam, concedo; consentaneam, subdistinguo : Non licet ulli privato, concedo; Ecclesiæ ipsi, nego. Duo ergo sunt quæ synodus Ephesina prohibet, et alia duo quæ significat.

1° Enim prohibet ne altera fides præter Nicænam proferatur, id est, ne quid contrarium huic fidei inducatur. Quòd autem ea mens synodi fuerit, non alia, ex multis colligitur. 1° Enim id satis arguit occasio, quâ decretum illud editum est. Nempe cùm Charisius, Philadelphiæ presbyter, quoddam concilio symbolum obtulisset, novum, ac erroribus inquinatum, cui Nestorius ejusque sequaces subscribere cogebant eos qui ad Ecclesiam revertebantur, id sanxit synodus. Propositum itaque Patribus fuit ejusmodi temeritatem comprimere, et nova id genus symbola explodere. 2 Synodus Ephesina adeò abfuit à rejiciendâ quâlibet fidei professione, quæ consentanea esset Nicænæ, ut cùm Charisius idem propriam fidei suæ formulam à Nicænâ et Constantinopolitanâ diversam, eodem tempore præsulibus exposuisset, Charisium eumdem benignè ipsa exceperit, ut ex eâdem actione constat, et monet Julianus cardinalis sess. 11 synodi Florentinæ. 3° Cùm Joannes Antiochenus, qui synodo Ephesinæ et Cyrillo ejus duci acriter diuque adversatus fuerat, restitutâ pace, in concordiæ signum suam fidei professionem, quæ multa addebat symbolo Nicæno, ad eumdem Cyrillum misisset, non solùm idem Joannes fidenter pronuntiat se novam fidei formulam à Nicænâ diversam non condere, eamque tantùm exponere se, sed etiam Cyrillus ipse Joannem mirificè laudat, eamque fidei professionem amplectitur. At nemo sanè synodi Ephesinæ mentem meliùs nôsse potuit quàm Cyrillus. Ergo non quamlibet aliam fidei professionem, etiam Nicænæ conformem, rejicere voluit. 4° Synodus Chalcedonensis paulò post Ephesinam coacta, postquàm symbolum Nicænum et Constantinopolitanum recitavit act. 5, prolixam adjecit fidei expositionem adversùs peculiares Eutychis errores; et nihilominùs exinde canonem Ephesinum laudans : « Definivit sancta synodus, inquit, alteram « fidem nulli licere proferre, aut conscribe- « re :..... eos autem, qui audent componere « fidem alteram,..... hos si episcopi fuerint, » etc., ut suprà. Ergo non existimabat synodus œcumenica Chalcedonensis nihil adjici licere, quod fidei consentaneum foret. 5° Cùm summus pontifex Leo Iad revincendam ejusdem Eutychis impietatem, in Epistolâ doctissimam ac elegantissimam fidei declarationem edidisset, eamque Epistolam nonnulli rejiciendam esse clamarent, quia juxta canonem Ephesinum non licebat quidquam præter Nicænam fidem inducere novi, synodus Leonis defensionem suscepit in Allocutione ad imperatorem, notavitque synodi quidem Nicænæ formulam principali loco esse oportere; attamen nullatenùs esse vetitum, ut cùm novi emergunt errores, novæ fidei expositiones cudantur : « Ne quis, inquiunt Patres, Epistolæ ejus se- « riem accuset, asserens quòd non liceat cui- quam exponere fidem, præter Patres qui

« apud Nicæam concorditer convenerunt; unam « quidem esse velut principali loco 318 Pa- « trum doctrinæ confessionem, lex nobis Ec- « clesiæ præcipit :... his autem qui doctrinam « rectam pervertere moliuntur,..... oportet « occurrere, » etc. 6° Synodus VII, act. 7, postquàm symbolum Constantinopolitanum pro more recitavit, peculiarem profert adversùs Iconoclastas fidei expositionem, nec idcircò in decretum Ephesinum se quidquam committere rata est. Ergo synodus Ephesina non vetuit ne, exponendæ fidei causâ, quidquam novi antiquis fidei formulis adderetur; cùm exinde contrà, mos semper fuerit nova pro loco et necessitate eis annectere. Unde S. Maximus martyr apud Josephum Methonensem pro concilio Florentino : « Omnes, inquit, post Nicæ- « nam synodum.... Patres, atque omnis syno- « dus orthodoxorum,..... non aliam omninò « fidei definitionem induxerunt, eo ipso quo de « suis verbis aliquid inseruerunt, ut vos affir- « matis, strenuè delirantes, et penitùs insa- « nientes; sed ipsam ut primam et unicam à « 318 Patribus sancitam, firmam et ratam esse « voluerunt, explicantes eam, ac velut apertiùs « explanantes, propter eos, qui illam ejusque « dogma pravis interpretationibus ad suam de- « torquent impietatem. »

2° Si confiteamur synodi Ephesinæ verba etiam ad quaslibet novas fidei formulas extendi debere, addendum est hunc canonem ad privatos spectare, non ad Ecclesiam ipsam. Atque hic sanè proprius est hujus canonis scopus, qui si teneatur, omnis difficultas ruit. Quòd enim ad privatos tantùm pertineat hæc prohibitio, ne à quoquam nova fidei formula in publicos usus edatur, non pertineat autem ad Ecclesiam, id perspicuum est, 1° quidem ex occasione illâ, quâ natum est illud decretum, ut modò observabamus; 2° ex ipsis decreti verbis : « Hos, si quidem sunt episcopi, « aut clerici, » etc. 3° Ex pœnâ depositionis aut anathematis adjunctâ; neque enim synodus Ephesina anathemati subjicere voluit Ecclesiam universam; 4° ex re ipsâ : Ecclesia enim semper eadem est, nec ipsa sibi suam auctoritatem eripere potuit, aut unquàm voluit. Si ergo Ecclesia tempore Arii potuit nonnulla ad symbolum Apostolorum addere, et alia tempore Macedonii, quidni eâdem semper facultate polleat? Hæc ergo duo prohibuit Ephesina synodus, sed hoc præsertim postremum.

Verùm alia duo insuper significavit : primum est symbolum novum non esse condendum; alterum, si quid unquàm antiquo Symbolo insereretur, illud fieri non oportere, nisi gravi urgente necessitate

Instabis 1° : Synodus ipsa Ephesina noluit Symbolo inserere vocem *Deiparæ*, licet opportuna admodùm esset ad frangendum Nestorii errorem. Ergo id argumento est nihil adjici voluisse, etiam fidei consentaneum, nec à privatis modò, sed etiam ab Ecclesiâ. — Distinguo antecedens : Noluit inserere, quòd id non esset necessarium, concedo; quòd esset vetitum, nego. Scilicet in Symbolo Christus clarissimè prædicatur *Deus dè Deo, natus èx Mariâ virgine*. Proinde necessaria non erat additio vocis *Deiparæ*.

Instabis 2° : Cyrillus in Epist. ad Joann. Antiochenum, tom. 3 Concil. pag. 1112, pronuntiat se non passurum, ut ab aliquo fides illa, seu fidei symbolum, concutiatur, quod à sanctis quondàm Patribus Nicænis editum est : « Neque enim aut nobis, inquit, aut ulli om- « ninò alteri vel unam vocabulam ibi positam « immutare, aut unam etiam syllabam præter- « ire permittimus. » — Nego consequentiam. Aliud enim est symbolum convellere, aut ejus voces immutare; aliud est quidpiam fidei consentaneum inserere.

Instabis 3° : In synodo Chalcedonensi act. 2, cùm judices proposuissent ut nova fidei formula, quæ symbolis Nicæno et Constantinopolitano consentanea esset, ipsis adjungeretur, præsules contrà clamârunt : « Expositionem « alteram nullus facit; neque tentamus, neque « audemus exponere. Docuerunt enim Patres, « et in scriptis custodiuntur quæ ab eis sunt « exposita, et citra ea dicere non possumus. » Ergo ne synodo quidem generali fas est novam fidei expositionem condere. — Distinguo consequens : Cùm necesse non est, concedo; si sit necesse, nego. Antiquitatis ergo studio ac reverentiâ ita clamabant præsules, ne nova in dies symbola cuderentur, citra nullam necessitatem, quod judices postulabant; satis enim dilucidè Eutychis error, de quo agebatur, alioqui symbolo confossus fuerat, dùm hinc Christus in eo dicitur *Deus*, illinc autem additur ipsum esse *factum hominem* : his quippe verbis duplex Christi natura apertè adstruitur, quam Eutyches negabat.

Instabis 4° : Synodus VII œcumenica post allatum symbolum Nicænum et Constantinopolitanum act. 7 : « Hæc est fides Apostolo- « rum, inquit... Nos leges Patrum custodimus;

« nos eos, qui addunt quid, vel adimunt, de « Ecclesiâ anathematizamus. » Ergo non licet quidquam addere. — Distinguo antecedens : Post allata symbola Nicænæ et Constantinopolitanæ synodorum, multaque iis adjuncta ad fidei declarationem, et præsertim contra Iconoclastas, concedo ; post allata illa symbola, nihilque iis adjectum, nego. Hoc itaque exemplum nobis omninò favet. — Instabis 5° : Cùm Carolus Magnus ex synodo Aquisgranensi legatos misisset ad Leonem III, ut ipsum consuleret super processione Spiritûs sancti à Filio, et additione voculæ, *Filioque*, Symbolo factâ, et in ecclesiis Gallicanis decantari jam solitâ, quoad primum caput respondit Leo pontifex se idem cum Gallis sentire, nempe Spiritum sanctum à Filio procedere : « Ita sentio, inquit, ita teneo; » sed quod spectat ad alterum, hanc improbavit additionem, et ut non ampliùs decantaretur, ipsis auctor fuit ; ac propterea in duabus argenteis tabulis, quas ad confessionem S. Petri reposuit, symbolum Constantinopolitanum sine hâc additione exarari voluit. De quâ memorabili historiâ post Smaragdum abbatem, qui colloquii acta eodem ævo scriptis mandavit, Anastasium Bibliothecarium in Leone III, Magistrum Sententiarum lib. 1, distinct. 11, legi possunt è recentioribus Baronius, Binius, Sirmundus, et Cointius in Annalibus Francorum ad annum 810. — Distinguo antecedens : Hanc additionem improbavit, tractando, non definiendo, quòd ipsi videretur nulla hactenùs hujus faciendæ additionis sat gravis necessitas, aut ad eam faciendam sat magna auctoritas accessisse, concedo ; quasi existimaret nullatenùs eam fieri posse, nego. 1° Enim fassus est Leo III legatis, se multùm ab eo abesse ut diceret hanc additionem ab Ecclesiâ fieri non posse ; factam tamen non probat, quia à quibusdam duntaxat ecclesiis hactenùs invecta fuerat. 2° Ut indicaret se circa id nihil pronuntiare velle, conceptis verbis monuit eosdem legatos se ista non affirmando, sed cum iis tractando duntaxat disserere. At postmodùm gravior longè necessitas fuit, et omnis Ecclesia in eamdem additionem conspiravit.

Quod autem Symbolum sine ejusmodi additione exaraverit, et in Ecclesiâ palàm proponi jusserit, id fecit studio antiquitatis, non quòd censeret aut statuere vellet nihil unquàm in illud inseri posse.

Objicies 2° : Non potuit hæc additio fieri, inconsultis Græcis. Attamen inconsultis iis facta est. Ergò. — Nego majorem. Satis enim est si, cùm ab universâ occidentali Ecclesiâ admissa est, id non ignoraverint Græci, nec tamen reclamaverint ; cùm autem reclamare cœperunt, jam non essent audiendi, sed ab errore et schismate revocandi. At utrumque verum est. Nono enim demùm seculo hæc additio apud universam Ecclesiam occidentalem obtinuit, paulò ante Photium, qui cùm hâc de re graves querelas instituisset, ne à suis quidem popularibus catholicis auditus est. Postea enim habitum est ex utràque gente concilium VIII œcumenicum, in quo res tantâ utrinque concordiâ gestæ sunt, ut ne leve quidem expostulationis vestigium appareat. Postmodùm quidem reclamârunt ; sed eo tempore schismate inquinati erant. Non debebat igitur additio jampridem facta, post rescindi ; sed potiùs ob errorem contrarium confirmari, nec debebant Græci tunc audiri, sed corrigi. Non enim hîc de eo tempore disputamus, quo hæc additio primùm invecta est à nonnullis duntaxat ecclesiis, quibus tamen sua non defuisse ad id agendum idonea momenta persuasum habemus.

Caput V. — *Quandonam hæc additio,* Filioque *facta sit.*

Hâc in parte, tria sunt sedulò secernenda. Aliud enim est quærere quandonam hæc vocula, *Filioque,* in quasdam fidei professiones inferri cœperit ; aliud quandonam in symbolum Constantinopolitanum manaverit ; aliud denique quandonam symbolum Constantinopolitanum cum ejusmodi additamento decantari consueverit. Porrò hîc potissimùm investigamus quandonam hoc vocabulum in symbolum Constantinopolitanum invectum fuerit ; de quo variæ sunt opiniones.

I. Est eorum qui id adscribunt concilio ipsi Constantinopolitano, rati voculam hanc nunquàm ab ejus symbolo abfuisse. Ita illi, quos tacito nomine Petavius refert lib. 7, cap. 2, num. 2 ; quâ in sententiâ versatum quoque esse conjicit num. 4 Ratramnum Corbeiensem, lib. 2 contra Græcos ; sed immeritò, ut saltem nobis videtur. — II. Est Manuelis Calecæ, qui in libro contra Græcos existimat hanc additionem esse factam eâdem ætate, jussu Damasi summi pontificis, et auctoritate cujusdam numerosæ synodi tunc habitæ. — III. Est Andreæ Colossensis sess. 7 concilii Florentini ; Bellarmini lib. 2 de Christo, cap. 21, et quorumdam aliorum, qui arbitrantur

eam VII seculo, circa temporâ concilii VI œcumenici, in ingenti quâdam occidentalis Ecclesiæ synodo sancitam. Quò fortè referri potest S. Thomas, qui 1 parte, quæst. 36, art. 2, ait hanc additionem opus esse cujusdam magnæ synodi, cujus tempus non assignat. — IV. Est Juliani cardinalis in concilio Florentino, mutationem hanc VII œcumenicæ synodo attribuentis, ex vetusti cujusdam historici fide, quem Martinum Polonum esse quidam affirmant. — V. Est longè plurium, qui summo pontifici Nicolao I id adscribunt. Ita inter cæteros Petavius lib. 7, cap. 2. — VI. Est Maimburgi, qui scripsit de historiâ schismatis Græcorum, quique in Benedictum VIII et XI seculum hoc rejicit. — VII. Denique est communis theologorum, quæ statuit hanc additionem paulatim obtinuisse, paucis primò auctoribus, multis sequentibus exinde, omnibus tandem consentientibus.

Assertio I.— Hæc vocula non es à concilio Constantinopolitano in symbolum inserta.

Probatur. 1° Enim ubicumque occurrit symbolum Constantinopolitanum in antiquis monimentis, v. g., in actis concilii Ephesini aut Chalcedonensis, vox ista non apparet. 2° Si id esset opus synodi Constantinopolitanæ, cùm ex Græcis illa tota constaret, Græciique omnes eam amplectantur, nulla omninò quæstio foret.

Assertio II. — Hæc additio non est Damasi pontificis.

Probatur. 1° Enim nulla est uspiam hujus instituti à Damaso facti mentio. 2° Aut nunquàm Græci reclamâssent, aut citiùs reclamâssent. 3° Leo III, summus pontifex, IX seculo ineunte, huic additioni non tantoperè restitisset, nec potuisset symbolum sine hâc additione palàm proponere, ut morem, qui hactenùs obtinuerat, illibatum servaret. Nec dicas esse quoddam symbolum inter opera Hieronymi Damaso adscriptum, in quo hæc vocula compareat. Est enim hoc opus suppositicium, et longè recentioris ævi.

Assertio III. — Non est facta hæc additio in numerosâ quâdam Latinorum synodo circa tempora concilii VI.

Probatur. 1° Enim nullum extat hujus synodi vestigium. 2° Nec Leo III repugnâsset, nec tanta ipsum inter et Gallicanos episcopos altercatio extitisset.

Assertio IV. — Non est facta hæc additio consensu utriusque Ecclesiæ in VII synodo.

Probatur. 1° Enim illa non legitur in hujus synodi codicibus. 2° Græci statim à synodo VII reclamare non essent ausi. 3° Anastasius Bibliothecarius, qui synodi VII acta latinè vertit, paulò postquàm habita fuit, hanc additionem non commemorat. Nec dicas venerandum quemdam VII synodi codicem in synodo Florentinâ fuisse adversùs Græcos prolatum, in quo hæc additio extabat. De quo vide synodum ipsam VII in collectione conciliorum, et synodum Florentinam sess. 5. Namque hic codex, quamtùmvis antiquus, haud dubiè interpolatus fuerat; nec unus est contra reliquos omnes audiendus.

Assertio V. — Ineunte V seculo, hoc vocabulum ab Hispanis in proprias fidei professiones inferebatur.

Probatur. 1° Enim extat in concilio Toletano I, in Professione fidei adversùs Priscillianistas, tom. 2 conc. 2° In concilio Bracarensi I, tom. 2 Conc. 3° In concilio Hispalensi, tom. 3 Conc. 4° In concilio Bracarensi II, tom. 3 Conc.

Assertio VI. — Apud eosdem Hispanos in symbolo Constantinopolitano extabat sub finem VI seculi, ac publicè decantari tunc apud eos cœpit, idemque mos deinceps obtinuit.

Probatur prima pars ex actis III concilii Toletani anni 589. Ibi enim symbolum Constantinopolitanum cum hâc additione legitur.

Probatur secunda pars ex canone 2 ejusdem synodi, ubi constituit, « ut per omnes ecclesias Hispaniæ et Galliciæ, secundùm formam orientalium Ecclesiarum, concilii Constantinopolitani 150 episcoporum symbolum recitetur, ut priusquàm Dominica dicatur oratio, voce clarâ à populo decantetur. » Nempe Justinus II anno 563 in Oriente edixerat, teste Joanne Biclariensi, « ut symbolum Constantinopolitanum..... in omni catholicâ Ecclesiâ à populo concineretur, priusquàm Dominica dicatur oratio. » Et ante ipsum Timotheus patriarcha Constantinopolitanus anno 510 eamdem consuetudinem in Ecclesiam suam induxerat, ut perhibet Theodorus Lector lib. 2 Collect. De quo cardinalis Bona de Rebus liturgicis lib. 2, cap. 8, num. 2.

Probatur tertia pars ex conciliis Toletanis consequentibus à nobis suprà allegatis, et ritu missæ Mosarabicæ; de quo Mabillonius in Præfatione rerum liturgicarum lib. 1, cap. 4, num. 10.

Assertio VII. — Tam additio, quàm decantandæ additionis consuetudo, ab Hispanis ad Gallos et Germanos VIII saltem seculo manaverunt.

Probatur prima pars de additione, ex conciliis Forojuliensi et Francofordiensi : de quibus cap. 2, suprà.

Probatur secunda pars de Symboli cantandi ritu, 1° ex Valafrido Strabone, qui in libro de Rebus eccles. cap. 22, asserit « apud Gallos et « Germanos, post dejectionem Felicis hæretici, sub gloriosissimo Carolo Francorum rege « damnati, idem Symbolum latiùs et crebriùs « in missarum cœpisse officiis iterari. » At si postea latiùs et crebriùs, ergo antea, licèt non ita crebrò, nec tot in locis, mos idem invaluerat. Damnatus est autem Felix anno 792 in concilio Ratisbonensi. 2° Ex missâ à Flacco Illyrico editâ, quam VIII seculo non esse recentiorem plures eruditi existimant. In eâ enim Symbolum cum additione hâc recitatur. 3° Ex actis legationis ad Leonem III post concilium Aquisgranense anno 810. Ex his enim constat eam consuetudinem non modò viguisse ab aliquo saltem temporis intervallo; sed etiam id egisse Gallos, ut ea à Sede apostolicâ probaretur; de quo dissentientes vide Mabillonium suprà, cap. 3, num. 6, et Cointium.

Assertio VIII. — Nono ineunte seculo, utrumque apud Gallos frequentabatur; nondùm autem erat in usu Romæ.

Probatur utraque pars ex actis legationis ad Leonem III, cujus historiam nuper retulimus.

Assertio IX. — Sub finem seculi IX, Sedes apostolica additionem istam in Symbolum admiserat.

Probatur 1° ex Photio, qui inter cætera id objecit Nicolao I, summo pontifici, ac Latinis omnibus : « Præter illa, inquit, quæ comme- « moravimus,.... sacrum etiam Symbolum... « falsare aggressi sunt. » 2° Ex Ratramno Corbiensi, qui criminationem hanc diluit lib. 2, cap. 2. Ibi enim postquàm demonstravit Symbolo apostolico, à synodis Nycænâ et Constantinopolitanâ esse nonnulla addita, de particulâ *Filioque* sic pergit : « Sed neque, inquit, epi- « scoporum 150 tanta constat auctoritas, ut « quod illis licuit (nempe addere quidpiam), « non liceat tam romano pontifici, quàm uni- « versis Christi Ecclesiis. » Illic enim, ut patet, quod de romano pontifice, et latinâ Ecclesiâ dixerat Photius, id fatetur Ratramnus; sed factum defendit. 3° Ex Manuele Calecâ, qui testis est Photium id romano præsuli exprobrâsse. 4° Ex S. Antonino in Chronico, parte 3, tit. 22, cap. 13, num. 10, ubi rem istam enucleatè narrat. De quo etiam Pithæus in lib. de Processione Spiritûs sancti. Hanc quidem de Symbolo criminationem ipse Nicolaus non refert in Epistolâ suâ ad Gallos; sed hoc ipsius silentium tot disertis testimoniis non præponderat. Quòd autem id neget in concilio Florentino, sess. 7, Andreas Colossensis, hoc assertionis nostræ veritatem non convellit; sed argumento potiùs est ipsum in hâc historiæ parte non satis fuisse versatum.

Assertio X. — Symbolum idem anno 1014 sub Henrico I imperatore et Benedicto VIII summo pontifice Romæ decantari cœpit.

Probatur 1° auctoritate Bernonis Augiensis, qui, instigante imperatore, id à summo pontifice fieri cœpisse perhibet; de quo insuper consuli possunt Baronius ad hunc annum; Bona lib. 2, cap. 8, num. 2; et Mabillonius l. 1, cap. 2, num. 6.

Assertio XI. — Sub Gregorio X in concilio Lugdunensi anno 1274, eadem hæc additio utriusque Ecclesiæ consensu probata est.

Probatur ex actis concilii, et iis, quos *supra* allegavimus, auctoribus.

Caput VI. — *An Pater et Filius sint unum idemque principium Spiritûs sancti.*

Gregorius Ariminensis in 1, dist. 12, quæst. 1, et Durandus dist. 29, quæst. 2, arbitrantur Patrem et Filium duo esse principia Spiritûs sancti.

Assertio. — Pater et Filius sunt unum Spiritûs sancti principium (1).

Probatur 1° auctoritate Patrum.

1° Enim Basilius, lib. 2 contra Eunomium, suprà, disertè definit eos non esse duo principia. 2° Augustinus, libro 5 de Trinit. cap. 4 : « Fatendum est, inquit, Patrem et Filium « principium esse Spiritûs sancti; non duo « principia. » 3° Anselmus in opusc. de Processione Spiritûs sancti, cap. 9 : « Sicut non « credimus, inquit, Spiritum sanctum esse de « hoc unde duo sunt Pater et Filius, sed de « hoc in quo unum sunt; ita non dicimus duo « ejus principia, sed unum principium. »

Probatur 2° decretis conciliorum. Ac 1°

(1) Agitur de principio *quo*, id est, quæritur utrùm actio per quam Spiritus sanctus producitur, una eademque sit in Patre et Filio. Principium autem *quod* videtur esse duplex, ut notat Theologus Tolosanus. Principium enim *quod* est persona cui actio tribuitur : atqui actio quâ producitur Spiritus sanctus, duabus tribuitur personis, licèt duæ istæ personæ in eâ actione, et quatenùs spirantes, non distinguantur. Eo fortassis sensu, intelligi debent Durandus et Gregorius Ariminensis. (Ed.)

quidem Lugdunensis cap. unico, de summâ Trinitate in sexto, ubi : « Damnamus, inquit, « et reprobamus omnes, qui temerario ausu « asserere præsumpserint, quòd Spiritus sanctus ex Patre et Filio, tanquàm ex duobus « principiis, et non (1) tanquàm ex uno, pro- « cedit. » 2° Florentini, in Formulâ unionis, ubi : « Definimus, inquit, Spiritum sanctum « ex Patre et Filio, tanquàm ab uno principio « et unicâ spiratione, procedere. »

Probatur 3° ratione. Vox quippe illa *principium* substantiva est, atque adeò directè ac præcipuè *formam* significat. Ergo plurali numero dici non debet, nisi ubi multiplex est forma, quâ principia agant. At Pater et Filius sunt principium Spiritûs sancti per spirationem activam. Ea autem unica est. Igitur Pater et Filius sunt unum ejus principium, non duo principia.

Objicies 1° : S. Hilarius de Trinit. lib. 2, Patrem et Filium vocat auctores Spiritûs sancti. Ergo sunt duo principia. — Distinguo antecedens : Duos auctores adjectivè, hoc est, duas personas ipsum producentes, concedo; substantivè ac propriè, nego. Lege S. Thomam quæst. 36, art. 4.

Objicies 2° : Non pauci sunt Patres, qui dicant Filium esse proximè ex Patre; Spiritum verò sanctum mediatè tantùm, eoque amborum originem distinguant; Gregorius Nyssenus Epist. ad Ablabium, et lib. 1 contra Eunomium, etc. Cyrillus lib. 1 Thesauri; Anastasius Sinaita, etc. De quo Petavius libro 7, c. 11. Ergo Pater non eâdem ratione, quâ Filius, est principium Spiritûs sancti, atque adeò non sunt unum et idem principium. — Distinguo antecedens : Filium esse proximè, Spiritum verò sanctum mediatè, mediatione supposi-

(1) Nec quemquam moveat vox illa, *tanquàm*, quasi adhiberetur ad restrictionem aliquam, sive attenuationem, insinuandam; usurpata est enim duntaxat ad copulanda inter se alia verba, et clariùs significandum Patrem et Filium rationem principii, et quidem unius, habere respectu Spiritûs sancti, quo ferè sensu dicitur Joan. 1 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Ratio evidens est: nam Græci objiciebant Latinis *tanquàm* grave inconveniens (en exemplum ejusdem generis), quòd duo Spiritûs sancti principia statuerent; Latini autem id omninò negabant. Proinde si particula, *tanquàm*, ad correctionem et imminutionem usurparetur, sensus esset Spiritum sanctum re quidem à duobus principiis procedere, sed quæ unius tamen vicem et speciem gereret; quod objectam non solveret difficultatem, sed potiùs dolosam æquivocationem rebus fidei perfidè admixtam et insertam argueret. (Ed.)

et existentiæ, concedo; mediatione virtutis et actionis, nego. Eò itaque Filius dicitur esse proximè à Patre, quòd prima sit persona à Patre producta; Spiritus verò sanctus mediatè, quòd postrema sit persona, à Patre quidem procedens, sed interposito Filio, à quo simili ratione producitur; non verò quòd Spiritûs sancti productionem propiùs attingat vi suâ Filius, quàm Pater.

Objicies 3° : Augustinus lib. 15 de Trinit. cap. 17 et 27, et tract. 99 in Joan., ait Spiritum sanctum principaliter procedere à Patre. Ergo non est unum et idem cum Filio principium; alioqui nullum esset inter ambos discrimen. — Distinguo antecedens : Principaliter, hoc est, tanquàm è primo fonte spirationis, concedo; quasi non sit una eademque spirandi vis, nego. Statim quippe mentem suam explicat in hunc modum : « Ideò addidi, *principaliter*, quia... Filio... hoc quoque Pater « dedit. » Quod autem Augustinus *principaliter* vocat, hoc idem *naturaliter* appellat in libro dogmatico, et *propriè* Petrus Damiani opusc. 38, cap. 7.

Objicies 4° : Spiratio non minùs relationem postulat, quàm actionem voluntatis. Ergo non minùs Pater et Filius dici debent duo principia propter duas relationes suas, quàm unum principium propter unam eamdemque voluntatis actionem. — Nego consequentiam. Licèt enim spiratio relationem simul et actionem voluntatis significet, eas tamen diverso modo complectitur; nempe actionem voluntatis ut actionem productivam, quæ propriè constituat principium; relationem verò, ut conditionem duntaxat adjunctam et quadamtenùs extrinsecam. Non mirum igitur si unum principium ambo dicantur propter unam eamdemque actionem, non duo principia, propter duplicem relationem (1).

(1) Hîc quæritur utrùm dici possit Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere.

Respondeo cum Billuarto diss. 5, art. 6, « affirmativè; sic enim locuti sunt Patres « Græci, et inter Latinos S. Hilarius lib. 12 « de Trinitate. Ratio est quia Filius habet à « Patre quòd ab eo procedat Spiritus sanctus; « ergo potest dici quòd Pater per Filium spi- « ret Spiritum sanctum, sive, quod idem est, « quòd Spiritus sanctus procedat à Patre per « Filium; quo etiam sensu dicitur de opera- « tionibus ad extra, Joan. 1 : *Omnia per ipsum « facta sunt.* » Ita Billuartus.

Cavendum tamen est ne hæc loquendi ratio pravo sensu accipiatur, quasi nempe significaretur, Filium esse veluti facultatem, aut ministrum, aut etiam instrumentum, quo Pater Spiritum sanctum produceret; atque adeò

Quæstio decima.

De loquendi ratione in exponendo sanctissimæ Trinitatis mysterio observandâ.

Quæ ad voces varias pertinent in hoc explicando mysterio usurpari solitas, ea, quantùm necesse est, in antecessum, prout occasio se dedit, occupavimus (1). Quocircà id dunta-

Spiritum sanctum mediatè solùm à Patre, immediatè verò à Filio procedere. Enimverò jam dictum est spirationem communem esse Patri cum Filio, qui idcircò sunt unum Spiritûs sancti principium. Igitur sensus est Filium ex suâ generatione habere, ut producat Spiritum sanctum, id est, spirationem activam ex Patre in Filium vi originis manare. (Ed.)

(1) Nonnulli theologi, ut Franciscus Amicus Societatis Jesu, tract. de Deo Trino, disputat. 29, fusè admodùm de præsenti materiâ loquuntur, multasque regulas statuunt, quæ sive ob earum multitudinem, sive ob verborum obscuritatem et subtilitatem quæstionis, non magnam lucem afferunt: imò verò quibusdam videri potest his obscuritatem, potiùs quàm lucem, diffundi. Undè satiùs duximus, non eas quidem regulas penitùs omittere, sed ad tres tantùm illas reducere, quæ alias omnes propemodùm complectantur.

Regula prima: Cavendum summoperè est à locutionibus quæ distinctionem tum naturæ, tum attributorum absolutorum, significent. Ratio aperta est: unica enim in Deo natura est et essentia, neque etiam absoluta attributa multiplicantur. Hinc 1° dici nequit, in Deo est *triplicitas*, neque, *Deus est triplex*. Nam juxta communem usum, voces istæ non solas personas, sed ipsam multiplicant naturam. Secùs dicendum de verbis, *trinitas* et *trinus*, quæ, sic usu volente, non naturam, sed solas personas multiplicare intelliguntur. Hinc 2° dici non potest: *Aliud est Pater, aliud Filius;* atrectè dicitur: *Alius Pater, alius Filius;* pronomina enim neutrius generis substantiam indicant, utpote informia, generis autem masculini pronomina, utpote quæ formata sunt, personam directè respiciunt. Hinc 3° dici nequit divinas personas esse à se invicem alienas, extraneas, separatas, diversas, disjunctas; quæ nomina distinctionem et diversitatem in ipsâ naturâ et substantiâ significant. Item dici non debent similis naturæ, quia id plures esse naturas supponit. Verùm rectè dicitur eas esse distinctas, discretas, oppositas. Hinc 4° dici nequit in Deo tria esse individua; plura enim individua diversam numero naturam indicant, siquidem individuum est aliquid indivisum in se et divisum à quolibet alio. Hinc 5° dicere nefas est: *Essentia generat,* aut *generatur, producit,* aut *producitur;* « hæc enim, ait Theologus Tolosanus c. 4, supponere videntur « aliam esse essentiam quæ generat, aliam « quæ generatur. Dici tamen potest: *Deus ge-* « *nerat, Deus producitur,* eò quòd ibi vox, *Deus,* « non sumitur absolutè pro essentiâ divinâ, « sed relativè tantùm pro unâ speciali perso- « nâ, quæ verè Deus est. »

xat superest, ut de nominum substantivorum et adjectivorum efferendorum ratione pauca annotemus.

ARTICULUS I.

Quâ ratione efferri possint ac debeant nomina substantiva concreta

Nomina substantiva eò potissimùm ab adjectivis secernuntur, quòd cùm adjectiva subjectum directè, et formam indirectè tantùm, nimirùm ut ei adjacentem, significent; substantiva contrà formam ipsam directè, et subjectum nonnisi confusè arguant. Hinc est quòd nomina substantiva plurali numero non efferantur, nisi ubi forma ipsa multiplicatur; adjectiva autem contrà subjectorum conditionem sequantur; atque ut hæc singularia sunt, vel multiplicia, ita singulari vel plurali numero usurpentur.

Jam verò nominum substantivorum, quæ de Deo dicuntur, non unum est genus. Alia enim sunt quæ propriè pertinent ad essentiam et quæ tribus personis communia sunt, v. g., nomen *Dei;* alia quæ ad personarum distinctionem spectant; alia denique, quæ tam de personis, quàm de essentiâ possunt dici, ut *res, ens,* etc., quæ à philosophis *transcendentalia* appellantur. Quibus positis,

Asserimus 1° nomina substantiva, quæ transcendentalia sunt, pro vario sensu quo accipiuntur, vel singulari vel plurali numero

Regula secunda: Cautè admodùm vitandum est quidquid personarum distinctionem tollit; sicut enim una est natura, ita tres sunt in Deo personæ realiter distinctæ. Hinc 1° dici nequaquàm debet: *Deus est solus,* vel *solitarius;* nam hæc verba non deorum tantùm, sed etiam personarum pluralitatem excludunt; at dici potest: *Deus est unus;* in hâc enim phrasi vox, *unus,* in divinam naturam, non in personas cadit. Hinc 2° dici nequit: *Filius unus est cum Patre;* quia sic excluderetur Spiritus sanctus; sed dici posset: *Filius cum Patre unum est;* namque vocabulum istud tunc ad ipsam substantiam referretur.

Regula tertia: Prorsùs fugiendæ sunt loquendi rationes, quibus tollitur personarum æqualitas; cùm enim divinæ personæ eamdem numero naturam habent communem, æquales omninò sunt inter se. Hinc dicere non licet: Personæ divinæ sunt discrepantes, dispares, disparatæ, dissimiles, differentes, et cætera hujusmodi, quæ naturæ differentiam exhibent.

Cæterùm quicumque de SS. Trinitate sermonem habet, diligenter attendat necesse est, quis sit communis loquendi usus, et quænam rerum adjuncta. Sunt enim ambiguæ quædam locutiones, quas sapiens quisque vitare debet, aut saltem explicare, ne fortè aliis scandalum generet, auresque fidelium temerè offendat.

(Ed.)

efferri posse. Sic Damasus in Epistolâ synod. ad Illyricos missâ; Gelasius Cyzicenus in actis Nicænæ synodi, parte 2, cap. 12; Augustinus lib. 1 de Doctr. Christ. cap. 5, ut et tractatu 11 in Joannem, et concilium Lateranense in Decreto fidei, tres personas definiunt esse unam rem; contrà Anselmus in libro de Incarnatione Verbi, cap. 3, et Theodorus Abucara opusc. 2, tres esse res pronuntiant.

Asserimus 2° nomina substantiva, quæ ad Patris et Filii ac Spiritûs sancti distinctionem referuntur, plurali numero esse efferenda; sic dicimus esse tres personas.

Asserimus 3° nomina substantiva, quæ ad communem unitatem spectant, non esse plurali numero usurpanda; ita tres Deos non dicimus. Attamen apud veteres nomina ejusmodi substantiva non semel adjectivè sumuntur, aut plurali numero efferuntur. Ita Justinus aliique supra, Filium ac Spiritum sanctum vocant *secundum ac tertium Deum*, id est, secundam et tertiam personam, quæ divinitatem habeat; sic Methodius apud Photium codice 235, Patrem et Filium appellat *duas potestates*, id est, duas personas omnipotentiâ prædictas, etc.

ARTICULUS II.

Quomodò efferri debeant nomina adjectiva.

Nomina adjectiva, cùm subjectum propriè significent, quando de Deo usurpantur, in quo tres sunt personæ, plurali numero efferri debent. Ita symbolum, quod vulgò Athanasii dicitur, ait tres personas esse sibi invicem coæternas, licèt una sit in tribus æternitas, etc. Sed, ut modò notabamus nomina substantiva non infrequenter à veteribus adjectivè accipi; sic observandum est nomina adjectiva non rarò contrà sumi substantivè, quod fit ubi singulari numero efferuntur. Ita Augustinus tract. 39 in Joan.: « Non sunt tres « dii, inquit,.... non sunt tres omnipotentes. » Symbolum Athanasii pari ratione negat dici *tres æternos, increatos, immensos, omnipotentes;* quod et prohibet synodus Toletana XI in fidei Professione. Ita quoque Fulgentius in libro de Trinit., definit non esse tres bonos; quo modo etiam loquitur Alcuinus quæst. 6 de Trinit. Porrò nomina hæc cùm singulari numero efferuntur, substantivè accipi, non adjectivè, argumento est certo et evidenti symbolum idem Athanasianum. Postquàm enim absolutè pronuntiavit non esse tres æternos, sed unum æternum, nihilominùs addit tres personas esse sibi invicem coæternas.

Sed hæc sufficiant de mysterio sanctissimæ Trinitatis, cui sit benedictio, et honor et gloria, et potestas in secula seculorum. Amen.

Appendix prima.

Hujusmodi quandoquidem tota ferè tractatûs summa in eo posita sit, ut tres simul in unicâ simplicissimâque substantiâ admittantur personæ; existimavimus nos gratum aliquid lectoribus atque utile præstituros, si in tanti momenti quæstionem plenius pertractandam incumberemus. Nobis igitur iterùm demonstrandum est, talem esse divinæ substantiæ opulentiam, ut, citra ullum unitatis dispendium, in tres personas infinitas dilatetur, atque adeò nec unitati fœcunditatem, nec fœcunditati unitatem officere. Eâ de re Thomassinus plurima luculentissimè quidem scripsit capita, in eximio suo tractatu de SS. Trinitate. Ad propositum nostrum satis erit selecta quædam ex iis hîc tradere, quibus augeatur fides, spes dilatetur, ignescat charitas, tota denique mens ad cœlestia quasi rapiatur. Proferemus igitur fragmentum capitis 4, integrum caput 5 cum maximâ parte capitum 6 et 28. Ut aliquem verò instituamus ordinem, hæc omnia ad duo capita revocabimus. In priori referentur quæ generatim probant in Deo unitatem et fœcunditatem simul consociari; posterius autem constabit ex iis quæ specialiùs demonstrant, divinarum personarum unitatem esse omnium perfectissimam, cùm sit reciproca immeatio, seu inexistentia, sive etiam consubstantialitas.

CAPUT PRIMUM.

Nec unitati Dei fœcunditatem, nec fœcunditati unitatem officere.

Ut Thomassini ordinem, quantùm fieri po-

test, retineamus, præsentem quæstionem solvemus primùm ex Patribus Græcis, deinde verò ex Latinis; unde duplex erit articulus.

ARTICULUS PRIMUS.

Deum esse unitatem ipsam summè fœcundam. Ex Patribus Græcis.

I. Athanasio una est et plena Divinitas; Unitas et plenitudo Deitatis in Patrem et Filium extenditur à Patre in Filium influens. Nec enim Unitati illi competere potest, ut sterilis sit, cùm plenitudo sit; nec plenitudini, ut dividatur, cùm Unitas sit. Patris substantiam non ex parte accipit Filius, quia ejus substantiæ dos propria et natura est, ut plenitudo et infinitas sit. Deus unus, primus et solus est, sed cùm illa unitas plenitudo sit, non ex parte, sed sese ut est effundens; qui inde generatur Filius, Deus, unus, primus, et solus ipse est, quia tota est Deitatis paternæ plenitudo. Athanasius Orat. 4 cont. Arian.: « Non autem ex « parte aliquâ forma Deitatis conficitur, sed ex « integrâ Deitate Patris, essentia Filii consur- « git, et solidus Deus : ideòque, cùm par esset « Deo, non rapinam arbitratur, esse se æqua- « lem Deo. » Et infrà : « Unus enim solus Deus « et primus est. Neque ea ad demolitionem « Filii referuntur, absit : est enim ille ipse in « uno primo et solo, ut unius, solius, et primi « unicum Verbum, sapientia et splendor. Est « autem ipse et primus et plenitudo primæ et « unicæ Deitatis, in totum interim ipse plenus « ac integer Deus. Ἔστι καὶ πρῶτος καὶ αὐτὸς « πλήρωμα τῆς τοῦ πρώτου καὶ μόνου Θεότητος. »

II. Unitas enim cùm partes non habeat, aut tota et eadem habetur, aut non habetur; sine suâ plenitudine non habetur. Vide autem, ut idem Athanasius sic unum et unum Patrem esse et Filium prædicet, ut dualitatem non admittat; aut si admittat, mox retractet; ut duos numero esse fateatur, sed ita ut unum substantia sint. Ita enim ipsi quidem in substantiâ suâ duo non sunt, sed unum; duo autem à nobis dicuntur, duo numerantur, quia id nostræ infirmitati indulgetur, naturam inenarrabilem narranti. En verba Athanasii in Oratione adversùs Sabellianos : « Habes igitur « Filium, habes Patrem, ne extimueris dua- « litatem : naturâ enim distincti non sunt : « neque item, qui de duobus loquitur, abalie- « nat genitum à genitore. Neque ob alteram « illam insaniam, quâ dicunt, unam non posse « esse duorum Deitatem, ideò nefas dictu exi- « stimaveris unum esse Deum, quia et Pater « qui unus est, sit Deus : et Filius qui alter « est, sit Deus : cùm ille utpote Filius, iden- « titatem habeat cum Patre, ipse interim ta- « men Pater non est, sed unitus naturâ cum « Patre, ut duos quidem numero esse, unam « tamen in ambobus perfectam essentiam con- « stituas. Duos autem non bifidos ex duabus « partibus ; sed duos prorsùs integros : eò « quòd integer sit et perfectus Filius ex integro « et perfecto Patre, character paternæ sub- « stantiæ. »

Perspicis, ut Patrem et Filium agnoscat, dualitatem deprecetur; quòd in summâ et principe unitate unum sint omnia, eoque dualitas non facilè admittatur. Quippe ubi natura, ubi substantia una est, et summè una est, dualitas non est. Fatetur numero duos esse, sed unam amborum perfectam essentiam; eam porrò esse perfectionem et integritatem, et unitatem amborum, ut nihil sit in Patre, quod non manet in Filium : nihil in Filio, quod non manet à Patre : ita quippe necesse est, quando unitas ab unitate manat, quando unitas sese qualis quantaque est effundit et dilatat. Id valent illa Christi verba : *Ego et Pater unum sumus. Ego in Patre, et Pater in me est. Qui videt me, videt et Patrem.* Ex summæ Unitatis fœcunditate et prole, manifestissimè id totum elucescit. Unde paulò post Athanasius : « Qui igitur in genitore genitus? aut « rursùs genitor in genito? quomodò ille in « isto? aut iste in illo? Quoniam iste talis est « qualis ille, et ille talis qualis iste; atque ita « fit ut duo unum sint, eò quòd non divarient, « neque disjungantur, neque sub aliâ specie, « aut sub diverso charactere Filius intelliga- « tur; sed quòd Deus sit quemadmodùm et « Pater. »

III. Et rursùm non multò post, ut Pater et Filius, Unitas et partus Unitatis, dici potiùs debeant unus et unus, quàm duo, vel dualitas. Cujus resanè permira illa, sed tamen expeditissima ratio ab Athanasio statim suggeritur, quòd unitas à seipsâ non deficit, fœcunditate suâ non perimitur : non obscuratur, sed illustratur; non dividitur, atque ita nec dualitas fit; ita enim perimeretur. Universa plenitudo Deitatis et Unitatis, ita est in Patre, ut sit et in Filio, et vicissim sic in Filio, ut et in Patre : propterea quòd non possit vel Unitas esse, nisi plenitudo sit; nec plenitudo esse, nisi Unitas sit. « Igitur « in Patre Filium esse, et Patrem in Filio, « hoc nihil est aliud, quàm illum qui ex Deo « genitus est, naturaliter talem esse, qualis est

« genitor Pater, eumque ostendere paternam « formam in se, et se vicissim ostendi in pa- « ternâ substantiâ. Unus igitur et unus : dua- « litas, non divisa est naturâ ; cùm sit indefi- « ciens ad suam integritatem. Universa enim « plenitudo et integritas Deitatis est Pater, « ut Pater : universa item plenitudo Deitatis « est Filius, ut Filius : quandoquidem ambo- « rum una forma intelligitur, quæ integrè se « in utroque et solidè exhibet. » Ideò et fidentissimè sic mox pronuntiat sanctus Pater, frustra de Unitatis amore et tuitione sese jactare eos qui infesti sunt catholicæ de Trinitate doctrinæ. Unitas enim qualiscumque demùm, quæ Trinitati hypostaseon non potest sociari, illa Judaica, jejuna, imperfecta et sterilis unitas est, et ad extremas quasdam angustias arctata. Vel in ipsis enim naturis creatis, sive corporeis, sive incorporeis, bifariàm unum dicitur ; unum egestate et privatione omnium, aut penè omnium, longissimè dissitum ab eo quod universitate unum est. Unus est mundus, unus est sol, sui generis universitate. Unum est animalculum quodlibet et pulvisculi granum, sed egestate unum est. Unus est Deus universitate, quia unum omnia est, nec ejus unitatis amplitudini pugnat, ut hypostasibus trina sit. « Nullus igitur repudians hanc Tri- « nitatem, unitatem existimet se invenire pos- « se, sed in Trinitate unum existimet. »

IV. Ab hâc Athanasii doctrinâ non recedebat Gregorius Nazianzenus, ex quo non pœnitebit hæc primùm decerpsisse, tum posteà paulò accuratiùs expendisse, Orat. 13 : « At « ego Deitatis principium temporis expers, in- « separabile atque infinitum statuens, et prin- « cipium, et ea quæ à principio manant, pari « honore prosequor : illud, quia talium est « principium ; hæc, quia tali modo, et talia, et « ex tali, nec tempore, nec naturâ, nec cultu « et veneratione distincta ; unum divisim exi- « stentia, et conjunctim divisa, dictu licèt « mirum : non minùs ob relationem, quam « inter se habent, laudanda, quàm unumquod- « que per se acceptum et intellectum ; perfe- « ctam ex tribus perfectis Trinitatem, unitate « nimirùm ob divitias motâ, binario autem « superato ; propterea quòd Deitas supra ma- « teriam et formam sit, ex quibus corpora « constant : Trinitate verò propter perfectio- « nem definitâ ; hæc enim prima binarii com- « positionem superat, ut nec Deitas angusta « maneat, nec in infinitum diffundatur. Illud « enim parcum ac jejunum : hoc confusum. « Illud Judaicum prorsùs : hoc ethnicum, ac « multorum deorum cultum redolens. »

Principium Deitatis Nazianzeno Pater est, Θεότητος ἀρχὴ : quæ à principio manant, τὸ ἐκ τῆς ἀρχῆς, Filius et Spiritus sanctus. Tria illa unum divisim existunt, ἓν ὄντα διηρημένως : et conjunctim divisa sunt, καὶ διαιρούμενα συνημμένως : summæ venerationis cultu prosequenda sunt, tum propter relationem quam inter se habent, ut omninò sejungi non possint : tum sigillatim etiam et sejunctim spectata. Nec enim in eis nisi una, summa et simplicissima Unitas est, eadem in tribus, eadem in uno trium quolibet ; eadem, inquam, et perfecta et tota. Nec enim aliter Unitas summa et opulentissima esset. Ita *perfecta est ex tribus perfectis Trinitas* : τρίας τελεία ἐκ τελείων τριῶν, Scilicet *Unitate ob divitias motâ* : μονάδος μὲν κινηθείσης διὰ τὸ πλούσιον. Hoc ipsum illud est Augustini effatum : Trinitatem exurgere divinarum hypostaseon ex copiosâ unitatis magnitudine. Quod autem ait Nazianzenus, ob divitias motam esse Unitatem, hoc ipsum est quoà supra jam non semel ex aliis Patribus audivimus, dilatatam esse Unitatem, et ita adsplenduisse Trinitatem. Motione enim res quælibet dilatatur, dilatatione movetur et fundit sese.

V. Si quæras autem quare Unitas sese movens, atque ita ad dualitatem progressa, non ibi rursùs conquieverit, ut jam hypostases essent duæ, nec plures essent, Pater et Filius, respondet Nazianzenus, non ut rationem et causam tam ineffabilis arcani nobis aperiat, sed ut ne illaudatum illud arcanum prætermittat ; quando jam illud animadversum à nobis est, hymnos hos esse potiùs, quàm sermones nostros de Deo uno et trino. Respondet, inquam, Nazianzenus, dualitate designari naturas materiales et divisibiles, quæ materiâ et formâ constant, binarioque suo divisioni et interitui obnoxiæ sunt. Ideò unitatem sese moventem ac dilatantem progressam esse ultra binarium, adeòque ad Trinitatem pertigisse, quæ jam perfecta et indivisibilis est. Certè vel illi ipsi qui de numeris olim accuratissimè scripsêre, ternarium præ cæteris admirati sunt. Addit denique sanctus doctor, æquum pulchrumque fuisse, ut in plures hypostases se dilataret unitas, non ut in infinitum multiplicaretur. Parcum enim et jejunum esse, ac Judaicum, intra unam cohiberi personam : superfluum autem, confusum et gentilitium in plures pluresque effundi. Quæ mihi quidem videntur à Gregorio dicta, non quò plenam

nobis hìc intelligentiæ lucem accenderet ; sed ut quod, etiamsi tantùm probabile et plausibile, mens humana parturit, id quoque Deo consecraret : gnarus alioqui trium non ampliùs personarum prædicationem traditionemque invaluisse jam inde ab humani generis ortu, ut infra declarabitur : nec de rationibus et demonstrationibus ad id excogitandis magnoperè laborandum esse. Postquàm enim declaratum est certissimis rationibus, Unitatem illam summam, quæ Deum maximè decet, et quæ constantissimè Deus ipse est, non solam, non solitariam, sed amplissimam et opulentissimam esse in suo etiam ipsius sinu, et in duas saltem personas dilatari : jam facillimè acquiescit sobrius et cordatus quisque, ut non plures in eâ esse quàm tres personas, Scripturæ, Traditioni, consensioni assentiamur Ecclesiarum et antiquissimæ et universali.

VI. Audiendus rursùm nobis est et commentandus Gregorius : « Ego contra unam « vocem, eamque brevem et compendiosam, « habeo ; Trinitas verè Trinitas est, fratres. « Trinitas porrò non diversarum rerum enu- « meratio est. Quid enim alioqui prohibeat, « quin et decadem, et centuriam, ac myriadem « nominemus, si cum tot numeris componatur? multa quippe multòque his plura in « numerum cadunt : sed æqualium et honore « parium complexio, nomine scilicet ea quæ « naturâ unita sunt, connectente, nec, quæ « solutionem nesciunt, per dilabentem nume- « rum dissipari sinente. Sic sentimus, sic « animo affecti sumus, ut, quam relationem « atque ordinem hæc inter se habeant, Tri- « nitati ipsi soli, ac purgatâ mente hominibus, « quibus, vel in hâc vitâ, vel in posterum « Trinitas id patefecerit, noscendum relinqua- « mus. » Audis Trinitatem verè Trinitatem esse, atque ideò rerum diversarum enumerationem non esse, sed æqualium et honore parium complexionem. Nec enim Trinitas illa numerus est, sed unitas explicata. Hinc illa trium æqualitas, consubstantialitas, coæternitas, identitas. Nisi enim hæc adsint, jam numerus erit ; jam disjungi à seipsâ, jam dispergi ac separari poterit. Hæc ut capiantur, et amplitudine quâdam mentis, et puritate opus est. Cùm se dilatet enim divina Unitas, quidni et mens nostra illi utcumque intelligendæ et capiendæ sese dilatet? Ut se dilatet autem, opus est, ut creata omnia, creatorumque omnium imagines à se ejiciat, quòd nihil horum satis aptari Deo possit. Porrò hæc ipsa creatarum omnium imaginum ejectio, ut Deo uno impleatur mens, illud ipsum enimverò est, quod puritas mentis dicitur.

VII. Hùc quoque pertinent, quæ alio loco habet idem Nazianzenus, Orat. 39 : « Deum « porrò cùm dico, uno eodemque triplici lu- « mine perstringamini : triplici quidem, quan- « tùm ad proprietates sive hypostases, si cui « hoc verbum magis arridet, sive personas ; « neque enim de vocabulis dissidebimus, quam- « diu syllabæ ad eamdem sententiam ferent : « uno autem, quantùm ad substantiæ, hoc est, « divinitatis rationem. Distinguitur enim indi- « stinctim, ut sic loquar, et distinctim con- « nectitur. Unum enim in tribus divinitas est, « et tria unum, ea, inquam, in quibus divini- « tas est ; vel ut magis propriè dicam, quæ « Divinitas est. Excessus autem ac defectus « missos faciamus ; nec per unionem confu- « sionem, nec rursùs per divisionem sejun- « ctionem efficientes. Æquo enim intervallo à « nobis absint, et Sabellii contractio, et Arii « divisio ; mala ex diametro opposita, et im- « pietate paria. Quid enim necesse est Deum « vel malè connectere, vel ad inæqualitatem « scindere? »

Est igitur non tantùm Trinitas, sed et Deitas unum idemque triplex lumen : ἓν φῶς καὶ τρία. Tres enim vel proprietates, ἰδιότητες, vel hypostases, vel personæ, πρόσωπα, cùm tres hæ voces promiscuæ habendæ sint : Tres, inquam, personæ unitate naturæ constringuntur, sive hanc Deitatem, sive substantiam dicas. Ea verò et distinguitur indistinctè, et distinctim connectitur. Unum enim in tribus divinitas est, et tria unum. Quæ omnia eòdem vergunt, ut unitas capiatur, quantùm dabitur, et suæ simplicitatis retinentissima, et in tres personas sese dilatans. Sabellius eam dilatationem non capiebat, ideòque tres personas in unam contrudebat. Arius eam unitatem non sapiebat, ideò in sinum Deitatis etiam dispares et creatas personas intrudebat. Unitas ut se dilatet, et pluribus personis opus est ; et ut Unitati hæc dilatatio non officiat, consubstantiales sint hæ personæ, necesse est. Ita enim Deus nec malè connectitur, quod audebat Sabellius, nec ad inæqualitatem scinditur, hoc enim Arius.

VIII. Venio ad Basilium à Gregorio suo nunquàm discedentem. Sic ergo ille verbis aliis non aliam doctrinam tradit, Orat. 27 cont. Sabell. : « Licet enim numero duo sint Pater « ac Filius, naturâ tamen divisi non sunt,

« neque qui duas personas dicit, statim alienationem inducit. Unus Deus est et Pater, unus « Deus et Filius, non dii duo. Quoniam identitatem habet Filius ad Patrem. Non enim aliam « in Patre divinitatem intueor, et aliam in Filio; neque aliam illius, et aliam hujus naturam pono. Ut igitur perspicua tibi sit personarum proprietas ac differentia, numera seorsùm Patrem, seorsùm quoque Filium. Ne verò « in errorem plurium deorum deficias, unam « in utroque essentiam confitere. Hoc pacto et « Sabellius cadet, et Anomæus conteretur. »

Igitur fatetur duos esse Patrem et Filium, et duos numero dici posse, δύω τῷ ἀριθμῷ. Etsi enim numerus nec sit ullus in Deo, nec esse possit, propter numerorum multiplices imperfectiones, id tamen hominibus indulgendum fuit, ut humano ingenio et more, ut humanis verbis de Deo loquerentur, quæ non ipsi, sed ipsis essent accommodata. Itaque Scripturæ ipsæ, quæ nostris scilicet utilitatibus serviebant, in has voces nobis præiverunt; præformàruntque nobis non solùm quid de Deo crederemus, sed et quid loqueremur; ne æterno lingua nostra silentio damnaretur de summo Bono suo. Tres ergo in Scripturis divinis divinæ personæ numerantur, tres numero dicuntur. At ne qua inde fidei nostræ labes invehatur, sic Pater et Filius dicuntur duo esse numero, ut non dividantur naturâ, φύσει, ut negetur duos deos esse posse, vel dici; ut *identitatem Filius dicatur habere ad Patrem*, ταυτότητα ἔχει ὁ υἱὸς πρὸς τὸν Πατέρα. Idque propterea quòd non aliam habeat Pater atque Filius divinitatem aut naturam. Quæ hìc ταυτότης dicitur, non consubstantialitas, non æqualitas tantùm est, sed identitas; id quippe postulat ratio summæ et principis Unitatis, ut ne eam quidem sectionem admittat, quæ inter consubstantiales et æquales substantias reperitur.

Eòdem referenda sunt et hæc Basilii, quæ ab eo paulò post subjiciuntur, plenam in singulis personis esse Divinitatem, adeòque summam esse trium inter sese identitatem, summam unitatem, quâ major alia cogitari non possit, etsi possit pauperior ac jejunior. Plenitudo hæc et perfectio Deitatis, ut in singulis personis sit, quod dicitur esse, necessum est ut earum unitas illa sit, quæ tres personas indivisè complectatur. « Est quidem Pater perfectam habens ac nullius indigam essentiam, radix et fons Filii ac sancti Spiritûs « existens. Est verò et Filius in plenâ divinitate vivens Verbum, et progenies Patris, « nullâ in re deficiens. Plenus est autem et « Spiritus, non pars alterius, sed perfectus, « et totus in seipso considerandus : conjunctus « quidem indivulsè Patri est Filius, conjunctus « item Filio est Spiritus. » Et paulò post : « Quandocumque igitur sanctam Triada con« jungamus, noli quasi tres unius cujusdam « rei inseparabilis partes cogitare; impia nam« que est hæc cogitatio; sed trium perfectorum « et incorporalium inseparabilem conjunctio« nem intellige. » Nec plena, nec perfecta foret persona quælibet, aut personæ cujuslibet unitas, si non totam illam, et totam illam eamdem complecteretur aliarum personarum plenitudinem, perfectionem et unitatem.

IX. Eòdem revolvuntur, quæ habet alibi Basilius in libro de Spiritu sancto, ubi illud monet, ut ne cui religio sit in percensendis divinis personis numeros adhibere : sed ne inde occasionem quisquam scelestus captet plures deos invehendi. Nec enim ubi personas divinas numeramus, ea est illarum, vel numerorum compositio. Non dicimus unum, duo, tria; non dicimus primum, secundum, tertium. Sed ubi tres numeravimus, illos statim summæ arctissimæque unitati includimus, quòd unus, unus, et unus tres quidem dicantur à nobis; sed unum sint essentiæ et substantiæ unitate simplicissimâ. « Quòd si et numerus « adhibendus est, nequaquàm est per eum de« pravanda veritas. Aut enim silentio hono« rantur ineffabilia, aut piè numerantur san« cta. Unus Deus et Pater, et unus unigenitus « Filius, et unus Spiritus sanctus. Unamquam« que personam singulariter efferimus : cæte« rùm ubi numerandum est, haudquaquàm « indoctè numerando eas proferimus, quasi « plures deos intelligamus. Neque enim juxta « compositionem numeramus, ab uno ad plura « facientes incrementum, ut dicamus, unum, « duo, tria, neque primum, secundum, ac « tertium. Ego enim Deus primus, et ego po« sterior. Secundum autem Deum nunquàm « antehàc, ac ne hodie quidem audimus, eò « quòd Deum ex Deo adorantes, etiam pro« prietatem profitemur personarum, mane« musque in uno principatu; non dissipantes « divinæ naturæ rationem in multitudinem « subdivisam : eò quòd unam in Deo Patre, « et Deo unigenito formam, ut ita loquar, « contemplamur, inseparabili Deitatis essen« tiâ unitam. Filius enim in Patre, et Pater « in Filio, quandoquidem hic talis est, qualis « ille; et ille, qualis hic : atque hâc quidem

« in parte unum sunt. Itaque juxta persona-
« rum proprietatem, unus sunt et unus; at
« juxta communem naturam, unum sunt
« ambo. »

Nec multò post advertit Basilius, sic et Spiritum sanctum unum dici, non quomodò creata natura vel persona quælibet una est; sed sicut Pater unus est, Filius unus est, atque adeò Spiritum sanctum Patri et Filio tam intimum, tam conjunctum esse, quàm unitas unitati conjunctissima est. « Neque enim unus
« est è vulgo, sed quemadmodùm unus est
« Pater, et unus Filius, ita et unus est Spiri-
« tus sanctus; à creaturarum naturâ tantùm
« semotus, quantùm probabile est singularem
« numerum à compositis distare. Patri verò et
« Filio in tantùm unitus est, quantùm consortii
« habet unitas cum unitate. »

X. Nec ab his abludunt, quæ habet Dionysius libro de divinis Nominibus : « Oportet
« itaque et nos à multis ad unum virtute divinæ
« unitatis conversos, singulariter laudare to-
« tam et unam Divinitatem; unum, quod est
« omnium causa, ante omne unum et multitu-
« dinem. » Et paulò post : « Quod autem est
« unum supra substantiam, et quod est unum,
« et omnem numerum definit, ipsum est et
« unius, et numeri, et omnis rei principium
« et causa, et numerus, et ordo. Quamobrem
« et Unitas quæ laudatur, et Trinitas quæ est
« Divinitas supra omnia, non est Unitas, neque
« Trinitas à nobis, aut alio quopiam eorum
« quæ sunt cognita; sed ut quod in ipsâ est
« supraquàm in unum copulatum, et fœcundi-
« tatem Dei verè laudamus; trinum et unum
« Deum nominamus illum qui supra omne
« nomen est. »

Ubi perspicis Unum illud quod Deus dicitur, et est, totam et unam esse Deitatem, τὴν ὅλην, καὶ μίαν Θεότητα : unum esse omnium causam et ante unum, ante multitudinem. Si tres personæ divinæ unum essent illâ unitate duntaxat, quâ tres homines, verbi gratiâ, et consubstantiales sibi, et absolutissimè æquales unum sunt, non illa esset tota et una Divinitas; imò nec tota esset, nec una; unicuilibet enim trium horum deesset, quidquid substantiæ et perfectionis adesset aliis : itaque tota non esset : imò nec una esset, tot ab aliis unitatibus sibi æqualibus divisa. Nec certè ante omne unum esset, nec ante multitudinem; quin multitudo esset longè infra unum dejecta. Denique cùm ex Dionysio Deitas illa sit vel Unitas, vel Trinitas, quam ne cogitare quidem possimus, non ergo illa est, quæ tres suas hypostases dividi sinat, uti dividuntur, verbi gratiâ, tres angeli : vel in unam conflet, ut una est angeli cujuslibet hypostasis; sed illa potiùs est, quæ tam trina sit, quàm trium angelorum; et longè præcellentiùs simpliciùsque una sit, quàm cujuslibet angeli. Ita enim erit *plusquàm unita divina fœcunditas* : ὑπερηνωμένον τὸ θεογόνον : ita erit supra omne nomen, et supra omnem essentiam, ὑπερώνυμον, ὑπερούσιον. Ita denique veritati constabunt, nec exaggeratè dicta videri poterunt, quæ mox ibidem subjicit Dionysius : « Nulla autem Uni-
« tas, vel Trinitas, neque numerus, neque
« unitas, vel fœcunditas, nec aliud quidpiam
« eorum quæ sunt, aut eorum quæ alicui exi-
« stentium sunt cognita, explicat arcanum
« illud, omnem rationem et mentem superans
« superdeitatis, superessentialiter supra omnia
« superexistentis; hujus neque nomen neque
« rationem est assignare, sed inaccessum om-
« nibus eminet. »

Ab his non dissonant quæ disserit Pachymeres in c. 1 de div. Nom.: « Deus superemi-
« net, quia non substantia, sed supra substan-
« tiam, et infinitus existit; neque mens est,
« sed supra mentem unitas. Unitatem verò
« audiens, ne quis cogitet diversorum quo
« rumdam ad unitionem concursum; non
« enim de talibus modò sermo est, sed de Deo
« prorsùs incomposito, et supra ea quæ unius
« substantiæ sunt unito. Nam quid uno magis
« simplex, et unius substantiæ est? tamen Dei
« unitas supereminenter supra idipsum est, et
« omnibus mentibus inconceptibile est illud
« unum, quod ibi mentem superat. » Hinc rursùs Pachymeres inferiùs : « Hinc in omnibus
« fermè divinis Scripturis Deum sanctè collau-
« datum cernimus, ut monadem quidem et
« unitatem, quoniam monas incomposita est
« et individua, unitas autem unitiva est, et
« unita, et unifica, ut repræsentet Dei indivi-
« duitatem. »

Articulus II.

De eodem ex Patribus Latinis.

I. Agmen ducet Hilarius, qui unitatem moventem se, aut se dilatantem, dùm contemplatur, eo ipso Patrem intuetur et Filium; est quippe Pater summa Unitas, quæ dùm se dilatat ac propagat, hæc ipsa propagatio ejus et dilatatio, progenies ejus est, et Filius. Non potest autem consubstantialis non esse parenti hæc progenies, quæ ipsissima est Patris sub-

stantia, incorruptibiliter et ineffabiliter sese dilatans. Missio eadem dici potest. Nam Unitas sese movens ac extendens, et mittens dici potest, quà unitas; et missa, quà propagata. Ita in Deo totum unum est. « Missi autem et « mittentis significatio hìc non aliud, quàm « Patrem et Filium docet: cæterùm veritatem « non adimit naturæ, neque in Filio peremit « nativæ Divinitatis proprietatem: quia nemo « ambigit naturam auctoris in Filii nativitate « connasci : ut ex uno consistat in unum, « quod per unum non discernatur ex uno; « atque ita unum sint per quod unus ex uno « est.» De Trinit. l. 4.

Quæ eadem paulò prolixiùs infra, l. 7, ab eodem sancto Patre edisseruntur his verbis : « Hoc est illud : *Dei Filius sum;* hoc est illud : « *Ego et Pater unum sumus;* hæc est nativitatis « natura, hoc salutaris fidei sacramentum, « non dividere quod unum sunt, nec nativita- « tis adimere naturam; et ex vivente Deo vi- « ventis Dei veritatem confiteri. Non enim ex « compositis atque inanimis Deus, qui vita est, « et subsistit.» Et mox : « Totum in eo quod « est, unum est. Ut quod spiritus est, et lux et « virtus et vita sit : et quod vita est, et virtus « et spiritus. Nam qui ait : *Ego sum, et non* « *demutor*, non demutatur ex partibus, nec « fit diversus ex genere. Hæc enim quæ supe- « riùs significata sunt, non ex partibus in eo « sunt, sed totum hoc in eo unum et perfe- « ctum omnia Deus vivens est. Vivens igitur « Deus, et æterna naturæ viventis potestas est : « et quod cum sacramento scientiæ suæ ex eo « nascitur, non potuit aliud natum esse, quàm « vivens. Nam cùm ait : *Sicut misit me vivens* « *Pater, et ego vivo propter Patrem;* docuit vi- « tam in se per viventem Patrem inesse. « Deinde cùm dicit : *Sicut enim Pater habet* « *vitam in semetipso, sic et Filio dedit vitam ha-* « *bere in semetipso*, omnia viva sua ex vivente « testatus est. Quod autem ex vivo vivum na- « tum est, habet nativitatis profectum, sine « novitate naturæ. Non enim novum est, quod « ex vivo generatur in vivum.»

Ubi vides Unitatem Dei et Deum ipsum, vitam et viventem, sese movere et dilatare; nam vitâ motus est : hæc porrò vita, hæc motio et dilatatio Unitatis, ipsamet est generatio Filii. Nam vivere Deo idem est ac intelligere; intelligere unum atque idem est, ac Verbum, Sapientiam, Filium generare. Est quidem Deus supra hæc omnia et nomina sua, et verba, ac cogitata nostra; sed his tamen illum, sin minùs elucidare, certè adumbrare necesse nobis et beatum fuit, dùm ulteriùs nihil possumus. Unitas ergo vivens, eòque se dilatans, et sese movens, vitam vivit, quæ et ipsa Unitas est; et vita hæc ejus ipsa intellectio, Verbum, Sapientia, Filius ejus est, ineffabiliter unum cum ipso. Quam enim vivens vitam vivit, illa et ab eo gignitur, et unum idemque cum ipso est. Nec enim vivens vitam vivit, nisi eam quæ ipsemet est. Ita unum, totumque in Deo vivens et vita, Pater et Filius est. Ita Pater Filium mittit, dùm vivens vitam mittit, emittit. Ita Pater in Filio, et Filius in Patre est, quia vivens in vitâ, vita in vivente est : quò magis liqueat quàm non possint hæc non Unitatis ipsius naturæ consentire. Ita perspicua et indubitatissima patet Filii cum Patre, cùm immensitas, tùm æternitas. Si Pater enim æternùm vivit, æternam utique vitam vivit, et hæc vita Filius ejus est. Si nullo fine clauditur vivens Pater, nullo etiam clauditur vita quam vivit, Filius quem generat. Denique sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso; quia sicut Pater vitam vivit, et vivendo vitam generat, Verbum et Filium; ita Filius vitam vivit, et propagat ex semetipso Spiritum sanctum.

II. Cùm his præluceat dogmatibus Scriptura, Traditio, Catholicæ toto orbe Ecclesiæ fides, nihil dubitationis in animo cujusquam residere potest. Sed sepositis his veritatis adminiculis, viderunt et philosophi Unitatem in summo rerum et causarum fastigio locatam, opulentissimam, fœcundissimam, viventem, sese explicantem et dilatantem etiam in seipsâ, et hanc suam vitam, intelligentiæ utique et sapientiæ vitam viventem, adeòque intra se eam sapientiæ vitam æternam propagantem, et propagando generantem. Ubi verò duplex ista lux copulatur, et illa auctoritatis, et hæc intelligentiæ qualiscumque, jam lumen tantum effunditur, quo vitæ hujus nostræ mortalis caligo suavissimè sanctissimèque illustratur.

Premit et hoc argumentum Leo Magnus ab Unitate sumptum, ubi ait nihil quemquam rectè sentire de Trinitate, nisi unum idemque sit totum, quod sentit. Quantùmcumque enim Trinitas personarum cogitetur, à verâ Trinitate, quæ est Deus, recedi, nisi summa et individua Unitas teneatur. Videri quidem alicui poterit Leo solam urgere personarum æqualitatem : at ne hæc quidem constabit æqualitas, nisi sit identitas; nec identitas, nisi sit et

summa Unitas. Si summa sit enim et plenissima Pater Unitas, nec idem cum illo Deus, nec æqualis illi Filius erit, nisi in Filio sit illa ipsa Unitas summa, quæ unum et omnia, unum omnia est, unum omnia in se præcontinet, et ex se effundit; denique ita unum omnia est, ut par illi sit nihil, et nihil secundum. Etsi enim nostro more secundus quandoque dicatur Filius, est tamen verè primus, ut totum Patrem, totam Patris substantiam in sese continens et summam illam Unitatem, quæ secundas tenere nunquàm potest, usque adeò essentialiter primas tenet. Leo Mag. Serm. 3 de Pentec.: « Quantumcumque illud « est quod humano intellectu de essentiâ paternæ deitatis attingitur, nisi unum atque « idem est, cùm vel de Unigenito ejus, vel de « Spiritu sancto cogitatur, non piè sapitur; « sed nimis carnaliter caligatur; et ipsum « quod de Patre congruenter sentiri videbatur, « amittitur, quia à totâ Trinitate receditur, si « in eâ unitas non tenetur. Nullâ autem ratione verè est unum, quod aliquâ est in« æqualitate diversum.» Et mox: « Nam cùm « illis et sempiternitas sit communis et deitas, « nec omnipotens Pater, nec incommutabilis « æstimatur, si aut minorem se genuit, aut « quem non habuit, habendo profecit.»

III. Non pigebit et ex Boetio aliquid delibâsse in hanc rem nostram; ex libello nempe ejus de Unitate et Uno. Luculentè enim prorsùs, sic in summo rerum et causarum omnium vertice Unitatem primam et simplicissimam, et fœcundissimam tamen ille locat, ut ex eâ manent omnia, ad illam revocentur, illam imitentur omnia, pro suo quæque gradu et modo, alia perfectiùs, alia imperfectiùs, longè perfectiùs naturæ intelligentes et rationales, ut quæ omnium proximæ sint primæ Unitati; et quanquàm formâ et materiâ et ipsæ constent sui generis, indivisibilis hæc tamen utraque sit, nec dissolvi unquàm possit, cùm res corporeæ ex materiâ et formâ componantur lege dispari, et prorsùs divisibili ac solubili; propterea quòd longiùs abscesserunt à summâ arce unitatis et simplicitatis, in regionem veluti quamdam longinquam dissimilitudinis. Cùm intelligentes ergo et rationales angelorum hominumque substantiæ mediam quamdam stationem obtineant inter naturam divinam et corpoream, æquum est unitatem divinæ naturæ incomparabiliter antistare supra earum et naturam et unitatem: quod non aliter meliùs cogitari potest, quàm ut divina Unitas et summè una sit, et plures hypostases complectatur, cùm naturæ angelicæ ita in plures scindantur hypostases, ut in unam individuam unitatem nunquàm possint earum plures coalescere. Hùc trahi posse visa mihi sunt hæc Boetii verba, ex mediâ, ut apparet, Aristotelis Philosophiâ; ne nobis invidiam quisquam faciat, quasi uni Platonicorum philosophiæ addictis. « Esse, et unum inseparabiliter comitantur se, et videntur simul « naturâ; quia enim creator unus est, ideò « rebus quas condidit hoc in munere dedit, ut « unaquæque esset etiam una.» Et paulò post: « Forma ergo existens in materiâ, quæ perficit « et custodit essentiam cujuslibet rei, unitas « est descendens à primâ Unitate, quæ creavit « eam. Prima enim et una unitas, quæ est « unitas sibi ipsi, creavit aliam unitatem, quæ « est infra eam.» Et rursùm: « Quantò enim « unaquæque unitas propinquior fuerit primæ « et veræ Unitati, tantò materia formata per « illam erit magis una, et simplex; et è converso, quantò remotior fuerit à primâ Uni« tate, tantò erit multiplicior et compositior; « et ob hoc unitas quæ duxit ad esse materiam « intelligentiæ, est magis una, et simplex, et « non multiplex nec divisibilis essentialiter; « sed si divisibilis est, hoc siquidem accidentaliter est, et ideò hæc unitas simplicior, et « magis una est omnibus unitatibus quæ ducunt ad esse cæteras substantias, eò quòd « immediatè adhæret primæ unitati quæ creavit eam. Sed quia Unitas subsistens in materiâ intelligentiæ, est unitas simplicitatis, « ideò necessariò unitas subsistens in materiâ « animæ, quia infra eam est, crescit et multiplicatur, et accidit ei mutatio et diversitas; « et sic paulatim descendendo à superiori per « unum gradum materiæ, inferior unitas augetur et multiplicatur, quousque perveniatur ad materiam, quæ sustinet quantitatem, « scilicet, substantiam hujus, quæ quia à primâ « unitate remotissima est,» etc. Et aliquantò post: « Forma enim est quasi lumen, eò quòd « sicut per lumen res videtur, sic per formam « cognitio et scientia rei habetur, non per materiam; sed hoc lumen in quibusdam est « clarius, in quibusdam obscurius, prout materia, cui infunditur forma, est clarior et « obscurior. Quò enim materia fuerit sublimior, fit subtilior, et penetratur tota à lumine, et ideò substantia ipsa sapientior et « profectior, sicut intelligentia et rationalis « anima.» Ac denique: « Non uno modo, sed

« pluribus, dicitur aliquid ab unitate unum. « Unum enim aliud est essentiæ simplicitate « unum, ut Deus. Aliud simplicium cognitione « unum, ut angelus et anima, quorum unum- « quodque est unum conjunctione materiæ « formæ. Aliud est continuitate unum, ut ar- « bor et petra. »

IV. Audiendus nunc nobis hìc est Bernardus de Considerat. lib. 3, cap. 7, 8 : « Non est compositus Deus, merum simplex « est. Et ut liquidò noveris, quid simplex di- « cam, idem quod unum. Tam simplex Deus, « quàm unus est. Est autem unus, et quomodo « aliud nihil, si dici possit, unissimus est. » Si unus est Deus, quo modo nihil aliud; si unissimus est, suffragante Bernardo; si ita habet philosophia, ipsâ ita commendante naturâ, ita vociferante ipso rationis lumine, ipso naturæ instinctu; ergo ita unus est, ut plures hypostases distinctas suâ unitate unissimâ complectatur. Quam enim cumque aliam illi unitatem appinxeris, non hæc erit, quo modo nulla alia, non hæc erit unissima, no- hæc erit sibi fœcundissima, quando ab unitate religata pendet fœcunditas.

Rursùs autem idem paulò post, c. 8, Bernardus sic luculentissimè : « Dicamus itaque « tres, sed non ad præjudicium unitatis. Di- « camus unum, sed non ad confusionem Tri- « nitatis. Neque enim nomina vacua sunt, nec « absque significantiâ cassæ voces. Quærit « quis quomodò illud, quod catholicum esse « dicimus, possit esse? Sufficiat ei tenere sic « esse. Atque hoc non rationi perspicuum, « nec tamen opinioni ambiguum, sed fidei « persuasum; sacramentum hoc magnum est, « et quidem venerandum, non scrutandum. « Quomodò pluralitas in unitate, et hâc uni- « tate? aut ipsa unitas in pluralitate? Scrutari « hoc temeritas est, credere pietas est, nôsse « vita, et vita æterna est. » Fatetur Bernardus necdùm nobis esse perspicuum, quomodò summa illa et individua naturæ unitas cum personarum Trinitate cohæreat, id credi debere vehementissimè affirmat; cùm et æquissimum et perspicuum sit, nobis mortale hoc ævum agitantibus, impervium et inexploratum esse debere, quod Deus, quod in Deo summum est. Quanquàm autem perspicuum etiam nobis esse dixerimus, quòd et unus et unissimus sit Deus, et sic unus quomodò aliud nihil; adeòque quòd ejus fœcunditas summæ unitati nihil detrahat; non tamen perspicuum nobis ex eo fit, quomodò id se habeat. Longè aliud est enim, quòd sit quidpiam, et quomodò sit. Quòd fœcunditas unitati, unitas fœcunditati in Deo non pugnet, non certum tantùm nobis esse potest, sed et manifestum. At quomodò id ita se habeat, nulli mortali facilè manifestatur.

V. Sed audiendus jam rursùs hìc est Bernardus eo ipso loco, cùm varias unitatis species et classes pernumerâsset, nec Boetii locum supra positum omisisset. « Verùm hæc « omnia quid ad illud summum, atque, ut ita « dicam, unicè unum, ubi unitatem consub- « stantialitas facit? Huic uni quodvis illorum « si assimiles, erit quoquo modo unum; si « compares, nullo. Igitur inter omnia quæ rectè « unum dicuntur, arcem tenet unitas Trinita- « tis, quâ tres personæ una substantia sunt. « Secundo loco illa præcellit, quâ è converso « tres substantiæ una in Christo persona sunt. « Porrò hæc et quæcumque alia dici una pos- « sunt, summæ illius unitatis imitatione, non « comparatione, una appellari, vera sobriaque « probat consideratio. Nec abducimur ab hâc « unitatis professione, assertione trium, cùm « in hâc Trinitate non recipiamus multiplici- « tatem, sicut nec solitudinem in unitate. « Quamobrem cùm dico unum, non me Tri- « nitatis turbat numerus, qui essentiam non « multiplicat, non variat, nec partitur. Rur- « sùm cùm dico tria, non me arguit intuitus « unitatis, quæ illa quæcumque tria, seu illos « tres, nec in confusionem cogit, nec in sin- « gularitatem redigit. »

Pulcherrima sunt hæc, ubi ait sanctus Pater, in summâ unitatis arce regnare Trinitatem, quæ ita una est, ut tres ejus personæ una substantia sint. Si non aliter enim una substantia essent, quàm tres angeli, aut tres homines, aliàs absolutissimè æquales, unum etiam naturâ sunt, jam non teneret Trinitas una arcem illam unitatis, naturis omnibus creatis inaccessam. Illud quoque seriò pensitandum est, quòd secundo loco præcellentissimam illam unitatem constituit Bernardus, quâ duæ Christi naturæ, divina et humana, vel tres, corpus, anima rationalis, Deitas, in unam copulantur hypostasin. Quanquàm enim hæc unitas secunda ab illâ primâ deficiat, unissima tamen et ipsa potest dici, quòd ea non sit alia, quàm ipsa Verbi hypostasis, inviolabili et individuæ unitati suæ perfectam humanitatem vindicans, sibique socians.

VI. Sunt et præstantissima quæ idem Bernardus alibi disputat adversùs Abaelardum in

Epistolâ ad Innocentium II papam datâ. Illud ibi primùm jure conqueritur, quòd scholasticis calliditatibus innutritus, nihil esse in Deo etiam profiteretur, cujus ipse non haberet rationes in animi sui penu. Illud verò fidei christianæ inimicum esse declarat Bernardus, quæ Deum utique evehit, quæ evectum profitetur supra id omne, quod vel sermone, vel mente attingere possumus. « Et dùm para- « tus est de omnibus reddere rationem, etiam « quæ sunt supra rationem et contra rationem « præsumit, et contra fidem. Quid enim ma- « gis contra rationem, quàm ratione ratio- « nem conari transcendere? Et quid magis « contra fidem, quàm credere nolle quidquid « non possit ratione attingere? » Bernard., Epist. 190. Cùm ergo Trinitatem ipsam divinam perspicuis ille rationibus explanare niteretur, gradus, modos, numeros in eâ comminiscebatur, atque ita profanus novator totum illud arcanum labefactabat sacramentum. « Et sic promittens intellectum audito- « ribus suis in his etiam quæ sublimiora et « sacratioria profundo illo sinu sacræ fidei con- « tinentur, ponit in Trinitate gradus, in ma- « jestate modos, numeros in æternitate. »

Longè aliam nos pergimus viam, qui etsi rationis lumen, et conscientiæ innatæ radios à Creatore insitos, etsi sanioris philosophiæ si qua sint præsidia, non repudiemus, hæc ipsa tamen omnia fidei famulari cogimus, et avitarum traditionum sanctorumque Patrum auctoritati sese accommodare. Quinimò nullas in medium afferimus rationes, nisi quas sancti Patres jam olim nobis suppeditârunt. Cùm verò id unum maximè moliamur, ut Unitati summæ totum tribuamus, et ad eam omnia referamus, ne eâ quidem aspergi poterimus suspicione, quasi gradus, modos et numeros in Trinitate ponamus.

VII. Sic autem rursùs aliquantò post Bernardus, et præclarissimè, et ante dictis convenienter: « Ille verò dignè pro suâ possibili- « tate divinam æstimat magnificentiam, qui « nil in eâ cogitat dispar, ubi est totum sum- « mum; nil distans, ubi totum est unum, nil « hians, ubi totum est integrum; nil denique « imperfectum, vel egens, ubi totum est to- « tum. Totum nempe est Pater, quod Pater et « Filius et Spiritus sanctus. Totum Filius, « quod ipse, et Pater, et Spiritus sanctus, « Totum Spiritus sanctus, quod et ipse et « Pater et Filius. Et totum unum est totum, « nec superabundans in tribus, nec imminu- « tum in singulis. Nec enim verum summum- « que bonum quod sunt, inter se particula- « riter dividunt, quoniam nec participaliter id « possident; sed hoc ipsum essentialiter sunt. « Nam quod alter ex altero, vel alter ad alte- « rum veracissimè dicitur, personarum sanè « designatio est, non unitatis divisio. Licet « namque in hâc ineffabili et incomprehensi- « bili Deitatis essentiâ, alter et alter, id qui- « dem requirentibus proprietatibus persona- « rum, sobriè catholicèque dicatur, non tamen « ibi est alterum et alterum; sed simplex « unum; ut nec præjudicium faciat unitati « Trinitatis confessio; nec proprietatum sit « exclusio, vera assertio unitatis. »

His verbis: *Totum summum, totum unum, totum integrum, totum totum,* illud certissimè declaratur, quod hìc hactenùs adstruimus, totum hoc arcanum quantum quantum est, non esse nisi Unitatis summæ copiosam magnitudinem, infinitatem, dilatationem, fœcunditatem, citra vel minimum unitatis, aut simplicitatis detrimentum. Inde enim illud efficitur, ut et tria sit illa Unitas, et summè una. Ita singula quælibet trium personarum non minùs totum est, quàm tota earum Trinitas: quia et tribus et singulis eadem inest summa et simplicissima, et opulentissima Unitas. Nec enim summa illa Unitas particulatim dividitur, sed et tota sibi est, et tota singulis in personis est; quod summæ Unitatis et opulentissimæ, ea sit vis, ea indoles, ut dividi non possit; tum quia summoperè una est; tum quia summa omnium plenitudo est. Quod enim Pater ad Filium, Filius ad Patrem sit, non ea est Unitatis divisio, sed dilatatio, et ejusdem ad seipsam relatio. Totum ergo illud est *simplex unum*, immensæ et infinitæ Unitatis divitias exhaustas in tres personas explicans et dilatans.

VIII. Quando excidit nobis articulo superiore Eulogius episcopus Alexandrinus, hìc saltem audiendus nobis est, ne articulum hunc, præter morem nostrum, contraxisse, aut decurtâsse videamur. Ita ergo habet ille apud Photium in Bibliothecâ, codice 230: « Indivisus enim Pater à suâ ipsius sapientiâ « et virtute sanctificantis Spiritûs, in unâ « naturâ adorandus; nec in unum atque unum « Deum dividendus, quemadmodùm in nobis, « qui incommunicabili proprietatum discri- « mine et differentiâ operationis distinguimur « et separamur, totâque divisione ab invicem « per differentiam subsistimus. Quapropter

« non est in illâ, ut in nobis dicendum, hoc « hujus esse primum, aut aliud hujus secun- « dum, aut tertium. Unitas enim verè est Tri- « nitas, et Trinitas unitas. Nec quia unitas « est, idcircò contrahit Trinitatem. Nec quia « Trinitas, dividit unitatem. Neque enim unum « in divinâ substantiâ, ut in rebus creatis ac- « cipimus, in quibus nec unum propriè est « intelligere. Nec enim unum numero in nobis, « etiam propriè est unum. »

Hinc patet ita indivisum esse Patrem à sapientiâ et charitate suâ, à Filio et Spiritu sancto, ut non possit dividi in unum et unum Deum; aut in primum, secundum et tertium, ut in angelis et hominibus usuvenit. Sic enim æquales et consubstantiales possunt esse tres angeli, itemque tres homines, et unum naturâ, ut tamen et dicantur et sint unus, et unus et unus; primus et secundus et tertius. At nihil ejusmodi est in Deo, quia *Unitas est verè Trinitas; et Trinitas Unitas;* Μονὰς ἀληθῶς ἡ Τριὰς, καὶ Τριὰς ἡ Μονάς. Et quia *nec Unitas contrahit Trinitatem, nec Trinitas dividit Unitatem.* Discriminis ratio in promptu est; natura nempe creata quælibet vix una numero sibi est; nedùm possit, cum aliis sibi simillimis, sed distinctis hypostasi, una esse. Quàm multa enim sunt in angelis singulis, quàm multa in quolibet homine, quæ prohibeant, ne unitatis cumulatissima gloria tribui illis possit.

IX. Ab his non discrepat Nazianzenus, orat. 24, tomo 1, ubi ait: « Caput autem sermonis « hoc sit: cum Seraphinis divinam gloriam « prædica, tres sanctitates in unam dominatio- « nem contrahentibus, primamque essentiam « hactenùs indicantibus. » Κεφάλαιον τοῦ λόγου: Recapitulatio hæc est: « Seraphinis tres san- « ctitates in unam dominationem contrahenti- « bus; » vel unam dominationem, aut dominatricem Dei naturam in tres sanctitates dilatantibus: συναγόντων τὰς τρεῖς ἁγιότητας εἰς μίαν κυριότητα. Unde et mox idem Nazianzenus ait à Paulo, qui in tertium cœlum abreptus aliquando fuerat, quamlibet Deitatis personam promiscuè nunc ante, nunc post alias; nunc sejunctim, nunc conjunctim nominari; nonnunquàm tres, aliàs unam, vel duas memorari: quòd ita præjudicatum sit, unà earum quâlibet reliquas omnes et contineri, et intelligi, et nominari; quòd unum ineffabile et simplicissimum sit totò illa Trinitas, ideòque nec à seipsâ quoquo modo possit sejungi. « Sed eam- « dem personam nunc prænumerans, nunc « connumerans, nunc subnumerans: quorsùm « hoc? nempe ut naturæ æqualitatem osten- « dat: nonnunquàm etiam trium, interdùm « duorum, aut unius mentionem facit: tan- « quàm videlicet reliquæ personæ simul se- « quantur. »

Alibi verò, orat. 40, idem Gregorius ita primùm quasi præfatur de divinâ naturâ, quæ lux ipsa est summa et inaccessa, quam nec mente, nedùm sermone assequimur; qui mundi intelligibilis sol est, et sensibili sole utcumque conjectandus, purgatis tantùm oculis mentis contemplandus et amandus, atque amore ipso magis magisque manifestandus: sibi uni comprehendendus; sui luminis extra se in homines et angelos pauxillulùm effundens; in tres hypostases dispensatus et indivisus; infinitam amplitudinem suam in unitate et identitate possidens; non copiâ opulentus, sed unitate, et unius luminis effulgescentiâ. « Ac quidem Deus summum et inaccessibile « lumen est, quod nec mente percipi, nec ver- « bis explicari potest; naturam omnem ratio- « ne præditam illuminans; hoc in intelligibi- « libus, quod sol in sensibilibus; eò se magis « contemplandum nobis præbens, quò accura- « tiùs animos purgaverimus; eò rursùs magis « amandum, quò magis contemplati fuerimus; « eò denique magis cognoscendum, quò magis « amaverimus. » Et ibidem confestim: « Sese « ipse speculans et comprehendens, ac perexi- « guè ad externa diffundens. Lumen porrò hoc « dico, quod in Patre et Filio et Spiritu sancto « consideratur: quorum opulentia, naturæ « identitas est, atque una eademque splendoris « prosultatio. » Pulcherrima sunt hæc Nazianzeni verba: « Quorum opulentia naturæ iden- « titas est: Ὧν ὁ πλοῦτος ἡ συμφυΐα. » Hæc enim *opulentia*, illa ipsa est *copiosa magnitudo* Unitatis apud Augustinum. Et rursùm: Τὸ ἓν ἕξαλμα τῆς λαμπρότητος, una eademque effulgescentia splendoris. Unus enim cùm sit sol, in radiorum lumen explicat et dilatat ipse se; et per hoc radiorum lumen rursùs dilatat sese in illam infinitam lucem, quæ ea pervadit, ad quæ radii non pertingunt. Hæc est illius Unitatis dilatatio et magnificentia, sive magnitudo; velut imago quædam Solis intelligibilis, qui multò præstantiùs Unitatem suam simplicissimam dilatat, et exporrigit in plures hypostases, velut in plura lumina, ex quibus unus tamen Sol, unum lumen exsurgit, unum et immensum.

Non paulò splendidiora sunt tamen hæc in-

ferius Nazianzeni verba ad eamdem trinæ et tamen simplicissimæ Unitatis intelligentiam, si quà sperare id detur : « Trium infinitorum « infinitam conjunctionem ; Deum unumquem- « que, si separatim consideretur ; ut Patrem, « sic Filium ; ut Filium sic Spiritum sanctum ; « servatâ suâ cuique proprietate ; Deum rursùs « tria hæc, si simul cogitentur : illud, propter « eamdem essentiam ; hoc, propter unum prin- « cipatum. Vix unum animo concepi, cùm sta- « tim tribus circumfulgeo. Vix tria distinguere « incipio, cùm ad unum statim sublimis feror. « Si unum quodpiam trium menti meæ se ob- « jiciat, id totum mihi esse videtur, atque im- « plentur oculi, majorque etiam pars oculorum « aciem fugit. Hujus magnitudinem compre- « hendere nequeo, ut ei, quod reliquum est, « plus tribuam. Quòd si rursùs tria hæc animi « consideratione contraxero, unum splendo- « rem cerno, utpote qui lumen unitum distin- « guere, aut dimetiri nequeam. »

Tria ergo sunt infinita, quæ videlicet infinitate ipsâ suâ in unitatem coalescant naturæ. Quid enim non complectatur, quid extra se relinquat, quod infinitum est? Ideò statim subditur infinita conjunctio, sive Unitas : Ἔχων ἀπείρων ἄπειρον συμφυίαν. Ipsa enim infinitas unum cogit esse, quod infinitum est. Si plura enim essent, singula utique finita essent, et eorum unum quodque tum reliqua excluderet, tum ab iis excluderetur. « Deus unusquisque « si separatim consideretur, servatâ suâ cui- « que proprietate ; Deum rursùs tria hæc, si « simul cogitentur. » Deus ergo Pater, etsi seorsim unus consideretur, duas alias hypostases in se continet, quia unus est Unitate illâ infinitâ, quæ universitas dicitur, et unum omnia est. Nec aliter de Filio, vel de Spiritu sancto sentiendum ; quia et ipse illa eadem Unitas est, copiosissimæ magnitudinis opulentiâ complectens omnia, adeòque tres etiam hypostases divinas complectens. *Illud propter eamdem essentiam*, ἐκεῖνο διὰ τὸ ὁμοούσιον, hoc est, unaquæque sigillatim persona Deus est, et totus Deus est, quia non alia est ejus unius substantia, quàm trium personarum, sed ipsissima una est ; ideò et in unâ quâlibet Trinitas est. *Hoc propter unum principatum :* τοῦτο διὰ τὴν μοναρχίαν. Hoc est, tres conjunctim personæ unus Deus est, quòd ad Patrem, ut ad principium et fontem totius Deitatis personæ duæ aliæ referantur, ut ab eo manantes, et ad eum recurrentes. « Vix unum animo con- « cepi, cùm statim tribus circumfulgeo. » Uni-

cuilibet enim earum personarum insunt reliquæ duæ ; ut ne cogitari quidem ferè possint, quin omnes statim animo occursent. Ecquis enim Patrem cogitaverit, sine Filio, aut Filium sine Patre? Ecquis Spiritum sine spirante, vel spirantem sine Spiritu? In uno ergo quolibet tres adsunt, insuntque : « Vix tria « distinguere incipio, cùm ad unum statim sub- « limis feror. » Illa quippe Trinitas ita Trinitas est, ut non sit numerus ; ut sit etiam unitas et simplicitas ; ut non sit nisi amplitudo, magnitudo, et dilatatio inviolabilis Unitatis. « Si « unum quodpiam trium menti meæ se obji- « ciat, id totum mihi esse videtur : atque im- « plentur oculi, majorque etiam pars aciem « oculorum fugit. » Exempli gratiâ, si Pater occurrat animo, verissimè unus ille id totum est ; tum quòd tota in eo Deitas sit, tota summæ Unitatis opulentia ; tum rursùs quòd in Patre etiam et sit et cernatur Filius ac Spiritus sanctus ; itaque solius Patris cogitatione et lumine sic totus impletur mentis oculus, ut nec id totum capiat, nedùm aliud quid simul capere possit. Ita habet res et de Filio et de Spiritu sancto. « Hujus magnitudinem com- « prehendere nequeo, ut ei, quod reliquum « est, plus tribuam. » Hoc est : Ne totam quidem magnitudinem Unitatis in personâ Patris capere sufficio ; non ergo in mentem venire potest, ut quod Patri defuerit, id duabus aliis tribuam personis ; quin Patrem video omnia anticipâsse in seipso, ut ne cogitari quidem possit superesse aliquid, quod aliis personis sigillatim adscribatur ; cùm has ipsas personas Pater in seipso prægestet, quia ex seipso in seipso effundit. Id enim etiam persuadet Unitatis infinita magnitudo. « Quòd si rursùs « tria hæc animi consideratione contraxero, « unum splendorem cerno, utpote qui lumen « unitum distinguere aut dimetiri nequeam. » Hoc est, cùm vel maximè enitor tres personas considerare, tres enim certissimè sunt, non possum quin statim Unitas trium simplicissima impleat totamque occupet mentem meam ; est enim illa Trinitas ipsamet Unitas, sed opulentissima ; ipsamet simplicitas, sed copiosissima ; itaque quodcumque in his contuitus lumen fueris, si cæterâ inde abscindas lumina, jam ipsum, jam divinum non erit lumen.

Propè aberat ab hâc doctrinâ Isidorus Pelusiota, cùm hæc scriberet l. 2, ep. 1, 2 : « Mi- « nimè quidem oportet divinitatis naturam « Judæorum more in unum Deum ac Patrem « contrahere, verùm in sanctam atque ejus-

« dem essentiæ Trinitatem quasi dilatare. Si- « quidem personarum qualitatem atque hy- « postaseon proprietatem distinguentes, per « essentiæ identitatem, eam rursùs in unum « Deum contrahimus. » Judaicæ ergo penuriæ est Deitatis naturam in unum Deum ac Patrem contrahere : Τῆς Θεότητος φύσιν συστέλλει : Christianæ et fidei et magnanimitatis est eam in sanctam et consubstantialem Trinitatem quasi dilatare : Κατευρύνειν ὥσπερ εἰς ἁγίαν, καὶ ὁμοούσιον τριάδα. Hæc dilatatio unius Deitatis in Trinitatem, illa ipsa est magnitudo, opulentia, infinitas Unitatis divinæ ; hæc contractio ipsissima est trium personarum in unitatem simplicissimam copulatio.

Sed longè præclarior est proxima Pelusiotæ epistola, ubi illud primum testificatur, quando unus dicitur Deus, non ad unitatem, quæ numerorum exordium est, spectari, sed ad Trinitatis mysterium. « Nam qui unum Deum esse « dicit, non ad unitatis numerum, verùm ad « Trinitatis mysterium concurrit, » epist. 143. Tum multis ille probat usque adeò unius et trinæ Deitatis doctrinam in veteri etiam Testamento commendari, ut et Philo Judæus ita professus sit, et eâ de causâ genti ipsi Judaicæ bellum penè indixerit. Unum hic illud ex eâdem epistolâ adjiciam, ubi ait Isidorus, gentilitium esse plures in Deo naturas, easque pugnantes comminisci ; Judaicum esse unam Deo hypostasin, seu personam tribuere. At Deitatem in sanctam Trinitatem dilatare, πλατύνειν : et statim hypostases in unam substantiam colligere, τὰς ὑποστάσεις εἰς μίαν οὐσίαν συνάγειν, id sanum et certissimum esse dogma : « Etenim varias ac dissidentes naturas docere, « gentilitium est ; unam autem personam, seu « hypostasin, Judaicum. At personas in san- « ctam Trinitatem dilatare, atque in unam es- « sentiam colligere, rectissimum ac verissimum « dogma est. »

CAPUT II.

Divinarum personarum unitatem esse omnium perfectissimam, cùm sit reciproca immeatio, atque adeò consubstantialitas.

I. Perspicuum est non ita posse tres homines, Petrum, Paulum et Barnabam, unum hominem dici, sicut tres divinæ personæ unus Deus dicuntur et sunt ; propter hanc etiam rationem, quòd divinæ hypostases sese mutuò immeent, sintque in singulis singulæ et omnes, quod quadrare nullis creatis personis potest. Ordiemur à Cyrillo. Ita enim ille ratiocinatur, non posse Filium creatis accenseri naturis, cùm Creator earum ipse sit, et ideò sit, quia Patrem et totam ejus potestatem in se manentem habet. Sicut ipsemet ait : *Ego in Patre, et Pater in me. Pater in me manens, ipse facit opera.* Ubi liquidum hanc inexistentiam Patris in Filio, non ejus generis esse, atque sunt immeationes aliquorum inter se corporum, liquidorum, sive aridorum ; non ejus etiam generis, atque immeationes animarum et corporum ; nam penitissimè ineunt animæ sua corpora, ut ea substantivè perficiant vegetentque ; non ejus etiam generis, quo Divinitas Verbi humanitatem assumptam immeat, ut ad unitatem suæ personæ illam asciscat ; sed longè alterius esse generis, et cui nihil usquàm par esse possit, aut secundum. Scilicet ut tota Patris potestas, vita, substantia, sapientia, essentia, ipsissima sit essentia, substantia, sapientia, vita, potestas Filii. Ea est sententia Cyrilli in his verbis, tomo 5, parte 1. « Non ergo opus est, neque creatura ob id cre- « andi facultatem habens, quia non veluti una « creaturarum est ; sed quia cùm proprium ger- « men essentiæ Patris, totum illum in seipso « ostendens, habet quoque creandi potestatem, « ut Pater. »

II. Ita Cyrillus in Thesauro. A quibus non abhorrent, quæ leguntur apud illum in Dialogo 3 de Trinitate ; ideò unum esse Deum tres hypostases, quia consubstantiales sunt ; et ideò consubstantiales esse, quòd in propriâ naturâ habeat Pater Filium, Filius Patrem, uterque Spiritum sanctum, Spiritus sanctus vicissim utrumque. Ita quælibet persona cæteras in se includit, gestat, ostendit. « Con- « substantialitatis rationem in hoc adjutricem « et auxiliatricem adhibebimus, quæ dualitatem « in hypostasibus in unum quiddam constrin- « git ; et quod diffundi videtur in proprieta- « tem singularem ac peculiarem, in identita- « tem utique contrahere potest ; ut neque du- « plicitas de simplici et incompositâ prorsùs « naturâ à quovis prædicetur, neque depre- « hendamur dualitatem in hypostasibus tollere, « quod timemus ne videamur simplicitatis ra- « tionem lædere. Quòd autem vera sint ea quæ « de consubstantialitate dicuntur, testimonia « de Filio ex sacris litteris nobis prolata de- « clarant. Solus enim existens Pater naturâ « et verè Deus, solum existentem Deum natu- « râ verèque Filium ad subsistendum in propriâ « hypostasi et ad naturalem identitatem aliter « non admisisset, nisi esset ipse quidem ex

« ipso et in ipso; haberetque vicissim Filius « in propriâ naturâ genitorem, atque idcircò « censerentur dici et esse unum. » Et paulò post : « Qui videt me, videt et Patrem. Ego « et Pater unum sumus. Quod quidem verum « est. Quandoquidem enim ex Dei et Patris « substantiâ Filius effulsit, existit ipse quidem in « suo Patre, sed in se manifestat per identita- « tem naturalem etiam genitoris substantiam. »

III. Ac luculentissimè rursùs dialogo 7 simplicissimam Dei naturam ait Trinitate hypostaseon quodammodò dilatari, ἐξευρυνομένη : ac rursùs unitate naturali, et omnimodâ identitate ad unum concurrere, πρὸς ἕν τι συντρέχουσα : quamlibet denique personam reliquas in sese possidere. « Simplex itaque et incomposita est « illa omnium suprema natura, hypostaseon « quidem proprietatibus, et personarum ac « nominum differentiis dilatata, et in sanctam « tendens Trinitatem : verumtamen unitate « naturali, et omnimodâ identitate, ad unum « quiddam concurrens, Dei nimirùm nomen « et rem. Ita ut et in unoquoque tota intelli- « gatur natura, unà cum ejus proprietate, hy- « postaticâ nimirùm. Manet enim unumquodque « id quod est, unione cum aliis naturali, illa « quoque possidens in suâ naturâ. Est enim « Pater in Filio, et sancto Spiritu : similiter « quoque, Filius et Spiritus, in Patre et in se « mutuò. »

Jam verò in Commentariis in Evangelium Joannis, ita corporeas aliquas Cyrillus ablegat immeationes, ut alias accersat magis appositas ad aperiendam Patris et Filii mutuò sese immeantium identitatem substantiæ, ἑνότητα οὐσίας, naturalemque unitatem et similitudinem, τὴν κατὰ φύσιν ἑνότητα καὶ ὁμοιότητα. Sic ergo ille : « Ipse alicubi Salvator ait, se esse in Patre et « Patrem similiter in ipso. Sed patet omnibus, « non esse illud intelligendum, sicuti corpus in « corpore, aut vas in vase, ita Patrem in Filio « contineri, aut vicissim hunc quodammodò « Patri imponi; sed hunc in illo, et illum in « hoc esse videri, ceu in identitate substantiæ « per omnia simili, et naturali unitate ac si- « militudine; veluti si quis in imagine formam « suam contemplans et exquisitam vultûs sui « similitudinem admirans, verè clamare dica- « tur : Ego in hâc tabellâ, et tabella in me est. « Aut quemadmodùm si dulcis qualitas mellis « impressa linguæ de seipsâ dicat : Ego in « melle, et mel in me est : Aut si calor ex igne « naturaliter prodiens, emissâ voce dicat : « Ego in igne, et ignis in me. »

Alibi verò inferiùs ideò Patrem in Filio et vice versâ Filium in Patre, et esse ait et videri, intelligique, quia quod proprium est Patris essentiæ, τὸ ἴδιον αὐτὸ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας, pervadens in Filium, ostendit in ipso Patrem. Tota enim plenitudo paternæ Deitatis, cùm ipsamet summa sit simplicitas, ita Filio à Patre communicatur, ut totus in Filio sit Pater, quantus maximus est, ideòque videatur Pater in Filio : « Unde Filius alicubi ait se in Patre qui- « dem esse; sed habere vicissim Patrem in « seipso. Quod enim proprium est Patris sub- « stantiæ naturaliter pervadens in Filium, « ostendit in ipso Patrem; Pater autem vicis- « sim habet in seipso Filium per omnia æquali « substantiæ identitate radicitùs infixum, et « ex ipso quidem genitum; non tamen per « divisionem ullam, sive disjunctionem loca- « lem, sed inexistentem et semper coexi- « stentem. »

IV. Hauserat hæc Cyrillus à summo illo et splendidissimo Ecclesiæ Alexandrinæ lumine, Athanasio, qui Patrem in Filio, Filium in Patre esse dicit, propterea quòd Patris divinitas Filii sit, Filii divinitas Patris sit, una sit utriusque divinitas; et ideò qui videt alterum, utrumque videat. Est enim Filius imago Patris absolutissima, in quâ Pater videtur. « Qui « enim, inquit Athanas., Orat. 4 contra Aria- « nos, eo modo cognitum habet Patrem et « Filium unum esse, ille quoque cognitum « habet Patrem in Filio, et Filium in Pa- « tre esse. Nam Filii divinitas Patris est, « illaque ipsa in Filio consistit; et qui illud « comprehendit, is quoque sibi persuasum ha- « bet, quòd qui vidit Filium, viderit et Patrem; « quippe cùm in Filio sit, et conspiciatur Pa- « tris divinitas. »

Illud quoque mox addit Athanasius plenitudinem divinitatis Patris ipsam esse Filii essentiam; nec enim ex parte, sed totum Deum esse Filium. Τὸ πλήρωμα τῆς τοῦ Πατρὸς θεότητός ἐστι τὸ εἶναι τοῦ υἱοῦ, καὶ ὅλος Θεός ἐστιν ὁ υἱός. Quo nihil aptius dici potuit, scilicet naturæ divinæ essentiam et proprietatem positam esse in summâ totius entis et omnium bonorum plenitudine, in summam quamdam unitatem et simplicitatem collectâ; ut non possit non persona quælibet divina complecti personas alias et totam earum substantiam, cùm plenitudo dici non possit, quæ his careat. « Non autem ex parte « aliquâ forma Deitatis conficitur, sed ex in- « tegrâ Deitate Patris essentia Filii consurgit, « et solidus Deus; ideòque cùm par esset Deo,

« non rapinam arbitratur, esse se æqualem « Deo. »

V. Ideò et quanquàm omnes homines quodammodò unus homo sint, et hos Christus peculiariùs adhuc adunare laboraverit et ipsos sibi invicem et sibi ipsi, negat tamen Athanasius ita unum esse eos posse, sicut Pater et Filius unum naturâ sunt. Affectu nos unanimi sumus, et voluntatis studio, eoque utcumque imitamur propositam nobis in exemplum naturæ unitatem in Patre et Filio. Unde ibidem Athanasius : « Nobis igitur dissimile est Verbum, quod tamen simile est suo Patri. Quapropter illud quidem naturâ et ex vero unum « est cum suo Patre : nos autem invicem inter « nos cognati, et ex uno omnes progeniti, et « una omnium hominum natura, unum inter « nos affectu et animo efficimur, habentes pro « archetypo exemplari Filii cum Patre naturalem unitatem. » Et infra : « Volens nos vero, « et firmo, et indissolubili invicem affectu conciliatos esse, ex sese mutuatus est exemplum, « et dicit : *Ut sint unum, quemadmodùm et nos;* « utque in nobis est indivisibilis unitas, ita « quoque et ipsi addiscentes ex nobis indivisibilem nostram naturam, inter se perpetuò « concordiam servent : certior enim imitatio « hominibus, quæ ductum rerum naturalium « sequitur. »

Denique hanc esse in Patre et Filio substantiæ verissimam identitatem, quam mutuâ amoris reciprocatione homines imitentur, ita idem paulò post Athanasius : « Verbum igitur « verè et essentialiter identitatem naturæ « cum Patre obtinet : Τὸν ὄντως καὶ ἀληθῶς ταυτότητα τῆς φύσεως τῷ πατρὶ ἔχει. » Nobis autem datum est, ut imitemur : *Ego in illis, et tu in me.*

VI. Inexistentia ergo personarum divinarum mutua, ipsa est totius earum substantiæ unitas indivisa, quod longè perfectius et mirabilius est, quàm plurium disciplinarum in eâdem hominis mente infusio. Eo exemplo utitur Athanasius, producto in medium Daniele, cujus ingenium omnibus Chaldæorum disciplinis imbutum fuerat ; producto et Salomone, in cujus mente disciplinæ et scientiæ omnes videbantur domicilium sibi fixisse. Immeatio fit quandoque mutua corporum ; at longè intimior est hæc disciplinarum in hominis mente penè infinitarum immeatio ; sed ne hæc quidem, ut ait Athanasius, ad illam accedit, quâ personæ divinæ sibi mutuò insunt ; eò maximè, quòd una est verè et simplicissimè trium substantia. Ita enim fit, ut quælibet persona et ipsa sit quod est, et totam aliarum plenitudinem complectatur, utque in quâlibet quælibet videatur cum suis proprietatibus omnibus. Audi Athanasium ipsum in Oratione contra Sabellianos : « Nam et Pater suum esse ad plenum possidet, « et citra ullum defectum, et est radix et fons « Filii et Spiritûs sancti. Itidem quoque Filius « est, vivitque in plenâ integrâque Deitate, ut « Verbum et germen Patris sui citra ullum « defectum. Plenus quoque Filio Spiritus sanctus, non pars alicujus, sed integer per se ; « atque ita verè Trinitas coadunata est sine « ullis intervallis. Nihil enim est quod illos dis- « tineat ; coexistunt æternaliter, cùm nullum « ævum intercedat. Formam porrò unam et « eamdem ex se reddunt, Patre quidem in Fi- « lio spectabili, Filio verò et in Spiritu intelli- « gibili, et ab homine in participatum recepto. » Et mox : « Accipiamus igitur indivisam coexi- « stentiam, invicem sibi coexistentibus sine « ullo intervallo : et tres cùm reverà sint, unam « formam intelligamus ; quæ quidem incipit à « Patre, sed resplendet in Filio, apparet rursùm et demonstratur in Spiritu sancto. »

VII. Edidit Basilius luculentam contra Sabellianos Orationem, ex quâ pauca hîc statim libabo, in quibus certissimè propositum illi fuit Athanasium imitari, et tantùm non ipsissima ejus verba exscribere. « Est quidem Pa- « ter perfectam habens ac nullius indigam es- « sentiam, radix et fons Filii ac Spiritûs sancti « existens ; est verò et Filius in plenâ divinitate, « vivens Verbum, et progenies Patris, nullâ in « re deficiens. Plenus est autem et Spiritus, « non pars alterius, sed perfectus et totus in « seipso considerandus. Conjunctus individuè « Patri est Filius, conjunctus item Filio est « Spiritus. »

Subjicit mox Basilius, non ita cogitandas nobis esse tres divinas personas unius naturæ, tanquàm unius rei inseparabilis partes ; sed velut tria perfecta et incorporalia, quæ non in morem corporum sese immeent ; non in modum disciplinarum uni menti inhærentium sibi etiam cohæreant ; sed ut tria perfecta, quorum perfectissima plenitudo id flagitat, ut quidquid substantiæ et perfectionis in quolibet eorum est, sit et in aliis ; non simile, non æquale tantùm, sed prorsùs idem. Si non eadem enim summa unius perfectio esset et in aliis, non esset summa, non esset tota in singulis plenitudo perfectionis. « Quandocumque « igitur sanctam Triada conjungimus, noli

« quasi tres unius cujusdam rei inseparabilis « partes cogitare; impia namque est hæc cogi- « tatio : sed trium perfectorum et incorpora- « lium inseparabilem conjunctionem intel- « lige. »

VIII. Distinguit alibi Basilius notiones personales ab essentialibus Dei perfectionibus; et notiones quidem, γνωρίσματα, ut quòd Pater à nullo sit, quòd Filius à Patre genitus sit, quòd Spiritus sanctus procedat; has, inquam, notiones communicari negat; at cæteras absolutas dotes omnes ita communes tribus esse, ut ex his ne cogitari quidem possit persona trium una, quin cæteræ protinùs adsint, et obversentur. « Hujus gratiâ, inquit epist. 42, « in communicatione τῆς οὐσίας nullam dicimus « habere convenientiam aut communionem « notiones istas in Trinitate consideratas. » Et mox : « Juxta illa verò, infinitum esse, et in- « comprehensibilem, et increatum, et nullo « loco circumscriptum, et quidquid hujusmodi « est, nulla est variatio in naturâ illâ vivificâ, « in Patre, inquam, et Filio et Spiritu sancto; « sed continua quædam in illis et indivulsa « communicatio intelligitur. Et quibuscumque « sanè cogitationibus majestatem quisquam « unius earum, quæ in Trinitate creduntur « personæ, contemplabitur, per easdem ad con- « templandam sine omni variatione et Patris « quoque, et Filii, et Spiritûs sancti gloriam « accedet. » Et aliquantò inferiùs : « Si quis « verè Filium apprehenderit, habebit et ipsum « utrinque, hinc Patrem illius, illinc Spiritum « sanctum unà compactum. Neque enim à Pa- « tre abscindi poterit qui semper est in Patre : « neque à proprio Spiritu sejungetur unquàm, « qui in ipso operatur omnia. Consimiliter et « qui Patrem assecutus fuerit, et Filium unà « cum illo et Spiritum sanctum eâdem virtute « assecutus est. Non enim potest aliqua ullo « pacto excogitari vel sectio, vel divisio, ut « sive Filius absque Patre cogitari, sive Spiri- « tus à Filio sejungi queat, sed ineffabilis quæ- « dam in istis, et quæ nullâ cogitatione appre- « hendi poterit, tam communio, quàm discre- « tio deprehenditur, quâ neque per differen- « tiam τῶν ὑποστάσεων continuatio naturæ dis- « sipatur, neque per eam secundùm οὐσίαν « communionem proprietas notionum confun- « ditur. »

IX. Unus superest ex Græcis expendendus nobis hîc Damascenus. Observat ille alia re, alia ratione et cogitatione unum esse, vel plura. Homines re et non ratione tantùm plures esse. Sui enim seorsim quisque eorum compos est corporis, suæ similiter quisque animæ. Ad hæc loco, tempore, ætate, moribus, ingenio, instituto differunt. Reapsè ergo plures sunt. At cogitatione unâ intelligitur esse eorum natura, cùm singuli quique homines animalia sint rationalia et mortalia; singuli carnem habeant animâ rationali et intellectuali vegetatam. Ubi hæc quæ communia illis omnibus sunt, animo sese nostro objiciunt, communem aliquam formam nobis intùs fabricamus in mente nostrâ, quæ omnes illos amplectatur, omnibus consentiat. At in Deo totum contra est. Tres enim Personæ, Pater, Filius et Spiritus sanctus reipsà unum sunt, unus Deus, una natura et substantia, et ipsamet essentia simplicissimæ unitatis. Quæ naturam consectantur dotes omnes absolutæ Deitatis, unum et ipsæ atque idem sunt. At hypostases ipsæ et hypostaseon proprietates, Paternitas, Filiatio, Processio passiva reipsà distinguuntur inter sese, quamvis ab ipsâ naturâ communi, intellectu et cogitatione tantùm differant. Ita ergo habet Damascenus (orthod. Fid., lib. 1, c. 11) : « Operæ « pretium est nôsse, aliud esse re considerare, « et aliud ratione atque intelligentiâ. In omni- « bus sanè creaturis, distinctio suppositorum « reipsà consideratur; re enim Petrus à Paulo « distinctus concipitur. Communio autem et « naturæ affinitas et unio ratione et intelli- « gentiâ consideratur. Mente enim concipimus « Petrum et Paulum ejusdem naturæ esse, et « unius naturæ communionem habere. Quis- « que enim eorum est animal rationale mor- « tale; et quisque eorum caro est animata, « animâ quidem rationali et intellectuali. Hæc « igitur communis natura ratione est conside- « randa. Nam supposita non in se invicem sunt. « Proprium quidem est unumquodque, et in- « dividuum; igitur per seipsum separatum. « Habet etiam plurima ipsum ab altero diri- « mentia. Nam ea loco distinguuntur, et tem- « pore discrepant, et sententiâ dirimuntur, et « robore et formâ, videlicet figurâ, et habitu, « et complexione, et dignitate, exercitio, et « omnibus insitis proprietatibus. Maximè au- « tem omnium differunt, quòd non in se in- « vicem, sed seorsùm existunt. Unde et duo « et tres homines dicuntur, et multi. Hoc au- « tem in omni conspici creaturâ promptum « est. »

Ita ille de naturis creatis, ubi vides illud à Damasceno diligenter observari, ita differre

humana supposita, ita esse plures homines, non unum, quòd nequaquàm illi sese immeent, quòd nequaquàm alii in aliis sint : Οὐ γὰρ αἱ ὑποστάσεις ἐν ἀλλήλαις εἰσὶν. Nec enim posse eas sibi mutuò inexistere hypostases humanas, cùm tot intercedant discrimina, tot rerum penè omnium dissidia. Itaque hominum pluralitas et distinctio non intellectu, sed re ejusmodi est.

Jam verò ut in Deo res sese longè aliter habeat, sic ibidem mox ille : « In sanctâ autem et « supersubstantiali, et omnia transcendenti, et « incomprehensibili Trinitate è diverso compe- « ritur. Nam istic commune et unum re consi- « deratur, propter coæternitatem et identitatem « substantiæ et operationis et voluntatis, et con- « silii conspirationem, et propter potestatis et « virtutis et bonitatis identitatem, non dixi simi- « litudinem, sed identitatem, et propter unam « motionis exuberantiam. Una enim est substan- « tia, una bonitas, una virtus, una voluntas, « unus actus, una potestas, una et eadem, non « tres ad invicem similes; sed una et eadem, « trium personarum motio; unaquæque enim « ipsarum se habet ad aliam nihilo minùs « quàm ad seipsam. Hoc autem est, quia se- « cundùm omnia unum sunt Pater, Filius et « Spiritus sanctus præter ingignentiam, gi- « gnentiam, et processionem. Ratione autem « et intelligentiâ hoc distinctum; nam unum « agnoscimus Deum in solis quidem proprie- « tatibus Paternitatis, Filietatis et Processio- « nis, secundùm causam et causale, et perso- « nalem perfectionem, id est, existentiæ mo- « dum, differentiam intelligimus. »

Vides hîc in Deo omnia unum esse, non jam cogitatione, sed re; ne similitudine quidem tantùm, sed identitate : ταυτότητι. Expressè enim Damascenus : *Non dixi similitudinem, sed identitatem.* Οὐκ εἶπον ὁμοιότητα, ἀλλὰ ταυτότητα. Ex summâ autem illâ omnium in tribus unitate fit ut sibi immaneant et inexistant personæ : « Immanentes et in se invicem, per- « sonæ existunt, non quòd confundantur, sed « quòd se inhabitent quidem secundùm Domini « sermonem inquientis : *Ego in Patre, et Pater « in me.* » Id enim proprium est unitatis, id proprium est Divinitatis. Individua est in individuis divinitas, ut aiebat supra Nazianzenus, et hîc ex eo Damascenus, et perinde ac si tres soles inessent sibi mutuò, et unum solem constituerent. « Impartilis enim in partientibus, aut paucis absolvam, Divinitas, et sicuti in « tribus ad invicem contiguis solibus, et indi- « stanter se habentibus, una est luminis com- « mixtio et conjunctio. »

X. Venio ad Latinos, et præ cæteris ad Hilarium, qui duos negat esse Deos, Patrem et Filium, quia nec Pater sine Filio potest esse, nec Filius sine Patre, quia denique in Patre Filius, in Filio Pater est. Natura quippe Deitatis ista est, ut sit summa et infinita bonitas, summa fœcunditas, atque adeò æqualis sibi prolis fœcunda. Non potest summa bonitas non esse fœcundissima et suî prodiga, nec id potest, inquam, nisi prolis sibi æqualis parens sit. Ita dilucidum et expeditum est quod aît Hilarius, Patrem et Filium duos non esse deos, sed unum Deum, quia Pater sine Filio ne cogitari quidem potest. Perinde est enim ac si diceret, essentiam ipsam summæ bonitatis et fœcunditatis, sese effundentem in prolem et bonitatem sibi parem, non esse duas summas bonitates, sed unam, quia nec una summa fœcundissima bonitas intelligi, vel cogitari ritè potest, sine æquali sibi prole. Verissimè ergo aît Hilarius, tunc à nobis duos prædicatum iri deos, si duos patres, vel duos filios diceremus; nequaquàm autem si unum constituamus Patrem, verè et plenissimè Patrem, hoc est, fructu fœcunditatis et paternitatis suæ non carentem. An potest enim vel cogitari Pater sterilis et sine prole? Nemo mentis compos id dixerit. Ergo si Deus illud est quo melius cogitari non potest; summa autem bonitas et fœcunditas, suo et pari sibi fructu non carens, id sit quo melius cogitari non potest : inde fiet ut nec Deus satis dignè cogitetur, ni cogitetur ut Pater, et non disparis sibi prolis Pater. Deus dignissimè pro virili nostrâ cogitatus, habet in se Patris nomen, id est, amplissimæ bonitatis et fœcunditatis. Patris nomen habet in se etiam Filii nomen. Atque quantùmcumque enitamur, ut unum cogitemus Deum et Patrem, nec Deum rectè cogitare possumus sine Patre, nec Patrem sine Filio; et ubi Filius Patri adjungitur Deo, non deitas multiplicatur, sed Patris explicatur fœcunditas, sine quâ nec Pater esset.

Hæc est certissimè Hilarii doctrina, cujus aurea nunc nobis hîc intexenda sunt verba (de Trinit. l. 7) : « Filius in Patre est et in Filio « Pater, non per transfusionem refusionemque « mutuam, sed per viventis naturæ perfectam « nativitatem. Ita in Deo Patre et in Deo Filio « neque duos connumerabis deos, quia unum « uterque sunt; neque singularem prædicabis, « quia uterque non unus est. Non habet igitur « fides apostolica duos deos, quia nec duos

« patres habet, nec duos filios. Confitendo Pa-
« trem confessa Filium est : credens in Filium,
« credidit et in Patrem, quia et nomen Patris
« habet in se Filii nomen. Non enim nisi per
« Filium Pater est : et significatio Filii, de-
« monstratio Patris est, quia non nisi ex Patre
« sit Filius. In unius itaque confessione non
« unus est, dùm et Patrem consummat Filius,
« et Filii ex Patre nativitas est. »

Pulcherrima hæc sanè sunt, nec minùs præclara quæ sequuntur in eamdem sententiam, quam vix satis unquàm vel elucidare poterimus, vel inculcare. Si posset Pater sine Filio prædicari, vel credi, tunc duos prædicaret deos, qui utrumque prædicaret Deum. Ubi verò unum prædicat Deum Patrem, utique unum Deum prædicat, etsi Pater sine Filio, nec esse, nec intelligi possit. Semel uno constituto Deo Patre, ne Ariani quidem reclamabunt. An verò postea prohibere poterunt, quin Patrem sequatur Filii nativitas, quin Filium sequatur consubstantialitas cum Patre ? Id volebat Christus, cùm aiebat : *Ego in Patre, et Pater in me,* id est, non potest ita solus dici, vel credi Deus Pater, quin eâ fide et confessione Filii divinitas contineatur. Nec enim Pater sine Filio est ; nec Filius sine consubstantialitate. Non potest ita unus dici Deus, ut solitarius sit, si modò Pater est. Nunquàm enim sine Filio est Pater, ideòque nunquàm solitarius. Id volebat Christus, etiam cùm aiebat : *Ego et Pater unum sumus ;* quasi dixisset : Ne potest quidem concipi Pater Deus unus, quin prolis sibi consentaneæ Pater sit, ut jam proles hæc contineatur in Patris Dei nomine, ut unus cum eo Deus : « Duos itaque prædicet
« deos, qui potest unum prædicare sine uno :
« aut singularem Deum doceat, qui possit ne-
« gare unum uni per naturæ virtutem, et per
« sacramentum generationis et nativitatis non
« inesse. Naturam quoque disparem diversam-
« que deputet ad utrumque, qui nesciat Patrem
« et Filium quòd unum sint prædicatos. De-
« leant hæretici evangelicam Filii de se profes-
« sionem : *Ego in Patre, et Pater in me ;* et :
« *Ego et Pater unum sumus,* ut possint vel duos
« deos prædicare, vel solum. Non sunt natu-
« rarum significationes in naturæ unius pro-
« prietate ; nec duos deos Dei ex Deo veritas
« perficit ; nec singularem Deum Dei patitur
« nativitas ; nec non unum sunt, qui in invi-
« cem sunt. »

Nec facilè prætereunda, quæ hìc subjicit Hilarius, vicissim inesse Patrem Filio, Filium Patri ; quia ita ex Patre Filius est, ut totus in eo Pater sit, atque adeò et ipse totus in Patre ; ita unus ex uno est, ut totus ex toto sit ; nec quidquam sui sibi servet Pater, quod non transfundat in Filium : id enim decet summè bonum, summum bonum summè fœcundum, summum Patrem. Una eademque et indissimilis est natura Dei, essentia ipsa summæ bonitatis, et fœcunditatis, quæ ut in Patre, ita et in Filio est ; ideòque unus Deus est Pater cum Filio in unâ et eâdem secum naturâ genitæ summæ unitatis et bonitatis, quam multiplicari posse ne in cogitationem quidem cadit. « In invicem autem sunt, cùm
« unus ex uno est : quia neque unus uni aliud
« ad generationem, quàm quod suum est dedit ;
« neque unus ab uno aliud per nativitatem ob-
« tinet, quàm unius. Apostolica igitur fides,
« sive Patrem prædicabit, prædicabit Deum
« unum ; sive Filium confitebitur, confitebitur
« Deum unum ; quia et eadem atque indissi-
« milis Dei natura sit in utroque ; quod dùm
« et Pater Deus et Filius Deus est, et unum
« sit naturæ nomen utriusque, unus utrum-
« que significat. Nam ex Deo Deus, vel in Deo
« Deus, nec duos deos perficit cùm unus ex
« uno in naturæ nomine unius maneat. »

XI. Ab his non dissonabant, quæ disputabat Anselmus in Epistolâ de Processione Spiritûs sancti adversùs Græcos. Observabat autem ille, ut punctus puncto, linea lineæ, superficies superficiei additur quandoque ita, ut non existat inde nisi unus punctus, una linea, et una superficies ; cujusmodi possent et alia addi exempla ; ita lumen lumini, æternitatem æternitati addi, et unum tamen esse lumen, unam æternitatem ; nec enim plures possunt esse æternitates, vel plura lumina veritatis. Ita et Deo Patri Deum adjungi Filium, qui ab eo nascitur, et Deum Spiritum sanctum, qui ab eo procedit ; nec inde tamen existere nisi unum Deum, quia et Deus nascens in eo est de quo nascitur, et Deus procedens in eo est de quo procedit. Certè linea ubi lineæ, et superficies ubi superficiei additur, major fit et linea et superficies, tametsi una persistat. Non tamen ad Deum idem trahi potest, quia in Deo nulla quantitas est, nullæ partes ; sed totus est, quidquid est ; ideòque unus est, quidquid est. Audi Anselmum, post exempla proposita puncti, lineæ et superficiei : « Hoc itaque
« modo quamvis non sint plures æternitates,
« si tamen dicitur æternitas in æternitate,
« non est nisi una æternitas ; et lumen in lu-

« mine, unum tantùm lumen est. Eodem modo « quæcumque de Dei dicuntur essentiâ, si in « se replicentur, nec quantitatem augent, « nec pluralitatem admittunt. Quoniam autem « Deus est æternitas, sicut extra æternitatem « nihil est omninò, ita extra Deum penitùs « non est aliquid. Atque sicut æternitas non « est nisi una æternitas in æternitate, sic Deus « in Deo unus est, solus est Deus. Habemus « autem ex verâ fide, Deum esse de Deo « nascendo : et Deum de Deo procedendo; sed « quoniam non est aliquid extra Deum, cùm « nascitur Deus de Deo : vel cùm procedit « Deus de Deo, non erit nascens vel procedens « extra Deum, sed manet in Deo. Quoniam « ergo Deus in Deo non est, nisi unus Deus; « cùm nascitur Deus de Deo, unus solus est, « Deus gignens et genitus : cùm procedit Deus « de Deo, unus tantummodò Deus est, et pro- « ducens, et de eo qui procedit. Unde inevita- « biliter sequitur, quoniam Deus nullas habet « partes, sed totus est quidquid est : unum « eumdemque, et non alium et alium Deum « totum esse Patrem, totum esse Filium, to- « tum esse Spiritum sanctum. Quare Pater et « Filius et Spiritus sanctus, per hoc quia cùm « est Deus, in Deo non est nisi unus Deus, ser- « vant in Deitate ad similitudinem unius ho- « minis singularitatem. »

XII. Non injuriâ videri possit cuipiam Anselmus secutus esse Augustinum, qui tamen non paulò luculentiori exemplo rem illustrat, plurium virtutum in eâdem animâ habitantium, atque ita sese immeantium; non eo solùm sensu, quòd in unâ habitent indivisibilis animæ rationalis substantiâ; sed etiam quòd ipsæ ita distinctæ sint, ut aliæ alias complectantur, si sui ordinis perfectionem consecutæ sint. Fortitudo, prudentia, temperantia, justitia, et distinctæ virtutes sunt, et in sui veluti quodam apice indistinctæ. Nec enim suis numeris absoluta habebitur fortitudo, exempli gratiâ, nisi prudens, et temperans et justa sit. Nec aliter se res habet in tribus aliis. Ergo hæ virtutes ita sese mutuò immeant, non tantùm quòd omnes in unius animæ spiritali substantiâ domicilium nactæ sint, sed quòd aliæ in aliis sint, et in singulis universæ; alioqui ne sint quidem, quod sunt, vel esse debent in generis sui perfectione. Quantò ergo magis eodem se res habebit modo in divinæ et incommutabilis naturæ Dei multiplici simplicitate, et simplici multiplicitate! « Si enim virtutes quæ sunt in animo humano, quamvis « alio atque alio modo singulæ intelligantur, « nullo modo tamen separantur ab invicem, « ut quicumque fuerint æquales, verbi gratiâ, « in fortitudine, æquales sint et prudentiâ, et « temperantiâ, et justitiâ. Si enim dixeris « æquales esse istos fortitudine, sed illum « præstare prudentiâ, sequitur ut hujus forti- « tudo minùs prudens sit, ac per hoc nec for- « titudine æquales sunt, quando est illius for- « titudo prudentior. Atque ita de cæteris « virtutibus invenies, si omnes eâdem consi- « deratione percurras. Non enim de viribus « corporis agitur, sed de animi fortitudine. « Quantò ergo magis in illâ incommutabili « æternâque substantiâ incomparabiliter sim- « pliciore quàm est animus humanus, hæc ita « se habent! Humano quippe animo non hoc « est esse, quod est fortem esse, aut pruden- « tem, aut justum, aut temperatum. Potest « esse enim animus, et nullam istarum habere « virtutum. Deo autem hoc est esse, quod est « fortem esse, aut justum esse, aut sapientem « esse, et si quid de illâ simplici multiplicitate, « vel multiplici simplicitate dixeris, quo sub- « stantia ejus significetur. »

Fortitudo ne fortitudo quidem erit, nisi sit prudens, temperans et justa; et hinc Dei utcumque auguranda in multiplicitate simplicitas, et ex mutuâ omnium inexistentiâ unitas. Sed ulteriùs progreditur Augustinus, declaratque divina attributa longè perfectiùs alia aliis inesse, et unum omnia esse, puta bonitatem, sapientiam, magnitudinem. Nam eadem est Dei bonitas, quæ sapientia, et vicissim; eadem est magnitudo, quæ sapientia et bonitas. Non mole enim, sed virtute bonitatis et sapientiæ magnus est Deus. Ita igitur hæc sibi mutuò insunt, ita et plura et unum sunt, ut alia ab aliis sejuncta ne cogitari quidem possunt. Ad eumdem modum insunt sibi Pater et Filius et Spiritus sanctus, ut ne cogitari quidem Pater possit sine Filio, qui ab eo nascitur; nec Spiritus sanctus sine illo principio, à quo spiratur et procedit. Inde fit, ut quanquàm solus quandoque dicatur Pater, quia solus Filium gignit, non tamen verè solus vel esse, vel cogitari possit sine Filio, cùm in Patre Filius non possit non comprehendi. « Deus « verò multipliciter quidem dicitur magnus, « bonus, sapiens, beatus, verus, et quidquid « aliud non indignè dici videtur; sed eadem « magnitudo ejus est, quæ sapientia; non enim « mole magnus est, sed virtute. Et eadem bo- « nitas, quæ sapientia et magnitudo, et ea-

« dem veritas quæ illa omnia. Et non est ibi « aliud beatum esse, et aliud magnum, aut sa- « pientem, aut verum, aut bonum esse, aut « omninò ipsum esse. Nec quoniam Trinitas « est, ideò triplex putandus est; alioquin mi- « nor erit Pater solus, aut Filius solus, quàm « simul Pater et Filius. Quanquàm non inve- « niatur quomodò dici possit aut Pater solus, « aut Filius solus, cùm semper atque insepa- « rabiliter et ille cum Filio sit, et ille cum Pa- « tre; non ut ambo sint Pater, aut ambo Fi- « lius, sed quia semper in invicem, neuter « solus. »

Probat et alibi Augustinus æqualem unumque esse cum Patre Filium, ab exemplo hoc eodem virtutum sibi mutuò æqualium, sibi inexistentium. Nec enim minor potest esse Patre Filius, vel quantitate, vel qualitate quâlibet, cùm in Deo nec quantitas esse possit ulla, nec qualitas. An ergo Patre minor dicetur Filius potestate, vel prudentiâ, vel fortitudine? At id dici non potest. Tum quia si minor esset Filius potestate, quàm prudentiâ, invidus esset Pater; si minor esset prudentiâ, quàm potestate, injustus esset Pater, qui potestatem prudentiæ, prudentiam potestati non æquâsset; tum quia in Deo hæc omnia unum sunt, idipsum sunt, nec aliud in illo potestas, quàm sapientia; aut aliud sapientia, quàm justitia et potestas. Quinimò virtutes hæ omnes in rationali et intellectuali naturâ potiùs ejusmodi sunt, quàm in Deo, in quo non sunt nisi eminentissimæ, eâ et ratione et simplicitate et unitate, quæ ne intelligi quidem à mortalibus potest, etsi possit utcumque ostieri. Prorsùs hæc omnia in naturas intellectuales à summâ illâ sapientiæ luce, ab illâ summâ unitatis divinæ arce effunduntur; et per ea vult se Deus à nobis coli, cogitari, dici; cùm ipse super hæc omnia sit, et ultra hæc omnia. « Quid ergo dicturus es? ait Augustin. « Serm. 40 de Temp. c. 6, 7. Si potestate æqua- « les sunt, sed minor Filius prudentiâ, injustus « est Deus, si minori prudentiæ potestatem « dedit æqualem. Si prudentiâ æquales sunt, « sed minor est Filius potestate, invidus est « Deus, quia æquali prudentiæ potestatem de- « dit minorem. In Deo autem omne quod di- « citur, idipsum est. Neque enim in Deo aliud « potestas, et aliud prudentia, et aliud forti- « tudo, et aliud justitia, aut aliud castitas. « Quidquid horum de Deo dicis, neque aliud « et aliud intelligitur, et nihil dignè dicitur, « quia hæc animarum sunt, quas illa lux per- « fundit quodammodò, et pro suis qualitati- « bus afficit, quo modo, cùm oritur corpori « bus lux ista visibilis, si auferatur, unus est « corporibus omnibus color, qui potiùs dicen- « dus est unus color; cùm autem illata illus- « traverit corpora, quamvis ipsa unius modi « sint, pro diversis tamen corporum qualita- « tibus, diverso eos nitore aspergit. Ergo ani- « marum sunt istæ affectiones, quæ benè sunt « affectæ ab illâ luce, quæ non afficitur, et « formatæ ab illâ quæ non formatur. Et statim « ibidem : Tamen ista de Deo dicimus, fratres, « quia non invenimus melius, quod dicamus. « Dico justum Deum, quia in verbis humanis « nihil melius quod dicamus, invenio. Nam est « ille ultra justitiam. »

Harum quidem virtutum nominibus non rarò Scriptura Deum nobis designat; sed et eadem illum quandoque dicit et irasci, et prioris alicujus consilii pœnitere, ut hinc admoneamur, tam illa à Deo, quàm hæc removenda, si qua Deo dignè loqui moliamur. Etsi enim horum alia aliis longiùs absint à Deo, absunt tamen ab eo omnia longissimè; et super hæc omnia invenitur à nobis *silentium ineffabili cordis voce laudandum.* Mirificè consentit hoc silentium cum unitate et simplicitate Dei, quæ jubet ab eo removeri omnia, quæ utcumque naturis creatis competere possunt. « Jus- « tum quidem Deum dicis; sed intellige ali- « quid ultra justitiam, quam soles et de homine « cogitare. Sed Scripturæ justum dixerunt, « propterea et pœnitentem dixerunt, et nes- « cientem, quod jam non vis dicere. Quomodò « ergo illa quæ jam exhorres, intelligis pro- « pter infirmitatem tuam dicta, sic et ista quæ « magnipendis, pro aliquâ firmitate validiore « dicta sunt. Qui autem et ista transcenderit, « et de Deo, quantùm homini conceditur, di- « gnè cogitare cœperit, inveniet *silentium ineffabili cordis voce laudandum.* » Ita ergo virtutes et dotes omnes divinæ mutuò sese immeant, ut in unitatem quamdam summam redigantur; ut eo exemplo intelligamus divinas hypostases ita sibi inesse mutuò, ut in unam summam et ineffabilem naturæ unitatem colligantur.

Appendix secunda.

COMPENDIUM TRACTATUS DE SS. TRINITATE, AD USUM EORUM QUIBUS DOCTRINAM CHRISTIANAM FIDELI POPULO TRADERE ET EXPLICARE MUNUS INCUMBIT.

Priusquàm ad id veniamus, quod in præsenti

Appendice præcipuum esse videtur, pauc quædam præmittenda nobis occurrunt, de necessitate christianam plebem docendi, non modò quæ SS. Trinitatem spectant, sed etiam quæ ad alia Religionis præstantiora mysteria atque dogmata pertinent: postea verò summatim exponemus quæ de Trinitate dicenda sint; demùm breve aliquid de docendi ratione subjungemus. Idcircò tota Appendix tribus sectionibus absolvetur.

SECTIO PRIMA.

De necessitate docendi ea quæ ad SS. Trinitatem aliaque mysteria et dogmata pertinent.

Priscis Ecclesiæ temporibus, qui populis christianis pabulo cœlestis doctrinæ pascendis vacabant, præcipuam in eo ponebant operam, ut divina mysteria planâ assiduâque expositione in eorum animis altiùs defigerent. Non equidem indormiebant in tradendis morum disciplinis rectæque vitæ semitâ monstrandâ; verùm fidei dogmata, ne sublimioribus exceptis, libentiùs exponebant; et nihil non moliebantur ut ea, ex summis veluti regionibus demissa, vulgi intelligentiæ accommodarent; rati scilicet inter christianas virtutes præcipuum quodam sensu locum tenere fidem, utpote quæ non cæterarum modò fundamentum est, sed etiam, ubi idoneis est institutionibus informata, mentes grandioribus assuefacit cogitationibus, à terrenisque ad cœlestia sursùm rapit. Quinimò ex his dogmatibus præclarissimas regulas atque efficacissima benè vivendi ineitamenta facili admodùm illatione deducebant. Res enim credendæ intimâ connexione cum rebus agendis colligantur; et nedùm mysteria habenda sint velut speculativæ tantùm et infructuosæ quædam veritates, quæ parùm ad mores pertineant, ut arbitrantur non pauci etiam pastores, nihil est quod magis ad informationem vitæ conferat, atque vehementiùs ad virtutes incitet. « Nous ne connaissons aucun dogme enseigné « par la vraie religion, inquit Bergierus, Dict. « theol. verbo *dogme*, duquel il ne s'ensuive « des conséquences morales, et qui ne soit un « motif de vertu. S'il en est un qui puisse paraître purement spéculatif, c'est celui de la « sainte Trinité; mais, sans ce mystère, celui « de l'Incarnation et de la rédemption du « monde par le Fils de Dieu, ne peuvent pas « subsister. Soutiendra-t-on que le bienfait de « la rédemption ne nous engage à rien, que « ce n'est point un motif de reconnaissance « envers Dieu, de zèle pour notre propre salut et pour celui du prochain? » Et verbo *Mysteria* sic habet: « Si l'on retranche du « Symbole chrétien le mystère de la sainte « Trinité, tout l'édifice de notre religion s'é« croule; la divinité de Jésus-Christ ne peut « plus se soutenir; les effusions de l'amour di« vin à notre égard se réduisent à rien. Ce « mystère ne nous est point proposé comme « un dogme de foi purement spéculatif, mais « comme un objet d'admiration, d'amour, de « reconnaissance. Dieu, éternellement heu« reux en lui-même, a créé le monde par son « Verbe éternel; c'est par lui qu'il le con« serve et le gouverne. Ce verbe divin, con« substantiel au Père, a daigné se faire « homme, se revêtir de notre chair et de nos « faiblesses, habiter parmi nous, pour nous « servir de maître et de modèle; il s'est li« vré à la mort pour nous; il se donne en« core à nous sous la forme d'un aliment, afin « de nous unir plus étroitement à lui. L'Es« prit divin, amour essentiel du Père et du « Fils, après avoir parlé aux hommes par les « prophètes, a été envoyé pour nous éclairer « et nous instruire; communiqué par les Sa« crements, il opère en nous par sa grâce, et « préside à l'enseignement de l'Église. Ces « idées sont non seulement grandes et subli« mes, mais affectueuses et consolantes; elles « élèvent l'âme et l'attendrissent. Dieu, tout « grand qu'il est, s'est occupé de nous de « toute éternité; tout son être, pour ainsi « dire, s'est approprié à nous. L'homme, quoi« que faible et pécheur, est toujours cher à « Dieu; par les excès de sa bonté pour nous, « nous pouvons juger de la grandeur du bon« heur qu'il nous destine. Il n'est pas éton« nant que cette doctrine ait fait des saints. « Que l'on ne vienne plus nous demander à « quoi servent les mystères..... Nous sommes « bien mieux fondés à dire: De quoi servirait « la religion, sans ces augustes objets de « croyance? » Nam, ut alibi dicit. « S'il n'y « avait point de dogmes à croire, sur quoi « porterait la morale? » Vide etiam Frayssinous Colloq. in mysteria, part. 2.

Mysteria igitur non immeritò spectari possunt vel tanquàm firmum et stabile fundamentum in quo doctrina moralis universa nititur, vel tanquàm uberrimi totidem fontes, unde omnia scaturiunt principia, quæ morum disciplinam irrigant atque fœcundant. Hinc enim tot insignium virtutum semina jam ab

Ecclesiæ incunabulis efflоruerunt, quæ paganis etiam, christiano nomini infensissimis, movebant admirationem, præclaramque laudem Religioni conciliabant. Hinc tantus gloriæ Dei dilatandæ zelus, quo incitati Apostolorum imitatores innumeri, relictis omnibus, ad extremas oras inter pericula et adversa pervenerunt, ut Evangelii lumen undique diffunderent. Hinc præsertim illa nunquàm satis miranda fides, quæ, neglectis tyrannorum minis, spretisque suppliciis, inter medios enses ignesque intrepida permansit, tandemque omnimodam persecutorum rabiem superavit.

Absit quidem à nobis ut acti temporis immodici laudatores, præsentis verò criminatores esse velimus ; at certè nemo negare ausus fuerit non pristinum esse jam fidei robur, non primævum charitati fervorem, non cæteris demùm virtutibus primigenium Christianismi succum et recentem quasi meduliam. Quænam autem hujus rei causa assignanda est? Non unicam sanè adscribendam putamus ; verùm existimamus hanc cæteris annumerandam esse, quòd fidelibus christiana dogmata rariùs jamdudùm exponi à verbi divini præconibus consueverunt ; unde factum est, ut pluribus in locis, licèt homines sint disciplinis secularibus cæteroquin exculti, vix tantùm fidei et cognitionis mysteriorum remaneat, quantùm ad salutem requiratur.

Ne fucum tamen sibi faciant quibus commissa est animarum cura ; communior enim opinio esse videtur explicitam præcipuorum mysteriorum cognitionem omnibus esse necessitate medii necessariam ; et licèt opposita sententia non minùs probabilis multis appareat, saltem inconcussum apud omnes est illam cognitionem esse de necessitate præcepti; proindeque gravissimam pastoribus obligationem incumbere, ut divina hæc mysteria fideles sibi commissos doceant. Quomodò enim populi credere possent, nisi audierint? Aut *quomodò audient sine prædicante?* Rom. 10. Quam igitur excusationem habebunt pastores, qui, non ut aliis tradant, depositum custodiunt, sed pseudosapientium more, de quibus Apostolus ad Rom. 1, veritates istas *in injustitiâ detinent?*

Neque dicas excelsiora hæc esse dogmata, quàm ut fidelium captui inter concionandum accommodari valeant. Si enim usque adeò vulgi intelligentiam transcendunt, ut quid Deus ea jubet ab omnibus credi? Numquid injustus est ut impossibilia præcipiat? Et certè majorne vis ingenii hominibus iis inerat, quibus priorum seculorum doctores verbum fidei annuntiabant? Nemo id dixerit. Et tamen, ut supra diximus, utque nôrunt omnes in eorum scriptis legendis tantillùm versati, toti sunt ut dogmatum scientiam fidelibus imprimant. Quid autem in his diutiùs immoremur exemplis, cùm ad probandum magis idonea in promptu habeamus? Num enim præstantiori pollebant intelligentiâ Judæi et gentiles, quibus ipsi Salvatoris primi discipuli hanc doctrinam evangelizabant? Nonne gentium Apostolus fatebatur inter recenter conversos ad fidem *non multos esse sapientes, non multos nobiles,* 1 Corinth. 1? Nec ideò minùs ex pleno corde undequàque profundebat sublimis hujus sapientiæ flumina, quæ in ipso fonte potaverat. Enimverò quisquis divinarum ipsius Epistolarum non omninò jejunus est, compertum habere debet nullum esse dogma aut mysterium, quantùmvis obscurum, quod non totis viribus inculcare conetur. Nunquàm eum videas informandis moribus animum intendentem, quin priùs dogmata quædam exposuerit, ex quibus demùm benè vivendi principia derivat; quæ etiam eò majorem persuadendi vim habent, quò ex sublimiori fonte dimanant; quemadmodùm torrentis undæ tantò citatiori feruntur impetu, quantò excelsior est locus unde labuntur.

At verò quid plura de Apostolis et Ecclesiæ doctoribus? Ipse qui hominum mentes finxit, deditque omnibus intellectum, qui etiam unus est Magister noster, ita discipulos suos compellabat, quando misit eos in mundum, ut bonum doctrinæ semen diffunderent : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti,* id est, quam à me accepistis doctrinam omni creaturæ quæ sub cœlo est confidenter prædicate ; inprimis autem inculcate omnibus, quicumque sint, sive sapientes, sive indocti, excelsum fidei mysterium Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, et qui illud crediderint, baptizentur, ut salvi fieri possint.

Vana igitur futilisque est allata plerùmque excusatio, et fatendum est fideles, etiam indoctos, ad mysteriorum cognitionem satis explicitam assurgere posse. Fieri quidem potest ut primas his de rebus tractationes non omninò intelligant; quid enim mirum si ea primò capere non valeant, de quibus nunquàm ferè, nisi à teneris, cùm rebus intellectualibus percipiendis vix erant idonei, audierunt? At

paulatim talibus documentis assueti, ad difficiliora tandem intelligenda apti efficientur ; et si frequentiùs hæc auribus eorum ingeminentur, in dies firmior evadet illorum fides, mens erigetur, christianarum virtutum incitabitur zelus, Deoque juvante, mores ad evangelicam perfectionem reformabuntur.

His omnibus accedit et alia ratio, quæ non parùm oratores sacros ad sermones de divinis mysteriis sæpiùs ad populum habendos impellere deberet. Delectationem dico atque voluptatem, quæ iis rebus meditandis et pertractandis annexa est. Quid enim jucundius esse potest pastoribus, quàm cum subditis sibi populis de his colloqui mysteriis, quorum contemplatione ipsi in cœlo Angeli suavissimè pascuntur ? Quid verò christianæ plebi dulcius, quàm tales audire sermones, quibus juvantibus, æternæ felicitatis gaudia veluti præcipiant ? Namque cùm *hæc est vita æterna, ut cognoscant solum verum Deum, et quem misit Jesum Christum*, Joan. 17, 3, cognitio Dei ejusque mysteriorum jure dici potest felicis hujus vitæ prægustatio quædam atque primitiæ. Et inde est quòd plurimi Sancti nullâ re se tantâ dulcedine perfundi affirmarent, quantâ meditationibus, quæ circa Deum contemplandum versantur. « Quid enim pulchrius, quidve dulcius, ait S. Augustinus Medit. c. 37, quàm, « inter tenebras hujus vitæ multasque amaritudines, divinæ dulcedini inhiare, et illic « teneri mente, ubi vera haberi gaudia certissimum est ? » Et continuò in has voces atque suspiria erumpit : « Dulcissime, amantissime, « pulcherrime, quando te videbo ? quando apparebo ante faciem tuam ? quando satiabor « de pulchritudine tuâ ?..... Anima mea omnia « quæ creata sunt transcendat, et perveniat « ad te ; atque in te solo oculos fidei figat, tibi « inhiet, tibi intendat, te meditetur, te con« templetur, te sibi ante oculos ponat, verum « et summum bonum, et gaudium sine fine « mansurum. » Illustrissimus Bossuetius ad loquendum de SS. Trinitate inductum se postremâ hâc ratione fatetur, quam sic adornat, Sermone de myst. SS. Trin. ab initio : « Quand « je considère en moi-même l'éternelle félicité « que notre Dieu nous a préparée ; quand je « songe que nous verrons sans obscurité tout « ce que nous croyons sur la terre, que cette « lumière inaccessible nous sera ouverte, et « que la Trinité adorable nous découvrira ses « secrets ; que là nous verrons le vrai Fils de « Dieu sortant éternellement du sein de son « Père, et demeurant éternellement dans le « sein du Père ; que nous verrons le Saint« Esprit, ce torrent de flammes, procéder des « embrassements mutuels que se donnent le « Père et le Fils, ou plutôt qui est lui-même « l'embrassement, l'amour et le baiser du Père « et du Fils ; que nous verrons cette unité si « inviolable, que le nombre n'y peut apporter « de division, et ce nombre si bien ordonné, « que l'unité n'y met pas de confusion ; mon « âme est ravie, Chrétiens, de l'espérance « d'un si beau spectacle, et je ne puis que je ne « m'écrie avec le Prophète : *Que vos tabernacles sont beaux, ô Dieu des armées ! mon « cœur languit et soupire après la maison du « Seigneur*, Psal. 83. Et puisque notre unique « consolation dans ce misérable pélerinage, « c'est de penser aux biens éternels que nous « attendons en la vie future, entretenons-nous « ici-bas, mes Frères, des merveilles que nous « verrons dans le ciel, et parlons, quoique en « bégayant, des secrets et ineffables mystères « qui nous seront un jour découverts dans la « sainte cité de Sion, dans la cité de notre « Dieu, *que Dieu a fondée éternellement*, Psal. « 47. »

His momentis, ni fallor, satis demonstratur, pastoribus, qui munus suum explere velint, satagendum esse, ut claros et nitidos interdùm sermones ad populum habeant de mysteriis, inter quæ primum locum tenet mysterium sanctissimæ Trinitatis, atque etiam de præcipuis Religionis dogmatibus. Si autem id semel persuasum habeant, nullum dubium est, quin theologiæ pars dogmatica majori in honore apud illos habeatur.

SECTIO II.

Quid in sacris concionibus dicendum sit de SS. Trinitatis mysterio.

Quidquid de SS. Trinitatis mysterio inter concionandum dicendum est, pertinet vel ad explicandam mysterii naturam, vel ad exponendum quid SS. Trinitati à fidelibus debeatur. Igitur in duo capita commodè dividitur secunda hæc sectio.

CAPUT PRIMUM

Quid dicendum circa mysterii naturam.

Mysterii natura complectitur generalia quædam, quæ SS. Trinitati in universum spectatæ conveniunt, deinde verò quædam singulis personis propria atque specialia. De quibus seorsim in duplici articulo agendum.

ARTICULUS PRIMUS. — *Quid dicendum circa SS. Trinitatem generatim consideratam.*

Hìc recurrit alia divisio; mysterium enim in genere duobus constat, nempe naturæ divinæ unitate et trinitate personarum. Idcircò duplex erit paragraphus.

§ 1. *Quid dicendum circa divinæ naturæ unitatem.*

Ante omnia, ita dilucidè demonstretur necesse est, unicam in Deo naturam, seu, quod idem est, unicum esse Deum, ut ex dicendis postea de trinitate personarum, nemini, quantùmvis obtuso sit ingenio, in mentem venire queat, tres deos prædicari. Ad id præcavendum non parùm juvabit, si concionator, à confutando polytheismo ducens exordium, ejus absurditatem veluti subjiciat oculis, ipsique ridiculum lepido, sed gravi tamen, sermone aspergat. Dein verò miseram ethnicorum vicem ex animo dolens, sermonem peritè transferet ad christianam Religionem, cujus beneficium insigne celebrabit, commendabitque documenta, concitatâ ac nervosâ dicendi vehementiâ ostendens, ejus voce fugatam toto penè orbe tam diutini erroris densam caliginem, invectum veritatis lumen, idola confracta, ignotumque antea Deum unicum ubique debitis laudibus celebratum fuisse. Subinde inconcussas planasque unitatis Dei probationes, tum ex Scripturis, tum ex traditione, tum ex Ecclesiæ liturgiâ et definitionibus, tum ex populorum ferè omnium nunc consensione, tum ex ipsâ ratione proferet. Plurimam demùm ponet operam in exponendâ unicæ hujus infinitæque naturæ opulentiâ; cui rei maximè inserviet præclarum quod ipse sibi Deus nomen assumpsit, Moysem alloquens Exod. 3: *EGO SUM QUI SUM. Sic dices filiis Israel: QUI EST misit me ad vos.* Nullum enim nomen est Deo dignius, nullum aptius ad significandum Deum esse ens prinè infinitum, quod videlicet omnes perfectiones, nullâ exceptâ, in se complectatur. Cætera entia aliquo modo determinata sunt et circumscripta, atque adeò quando nos ipsos definire volumus, solemus dicere: Ego sum *hic* vel *ille;* Deus autem simpliciter et absolutè pronuntiat: EGO SUM; id est: Ego sum cui nihil omninò deest; Ego sum, non sapiens modò, sed ipsa substantialis Sapientia; Ego sum ipsamet potentia, bonitas, pulchritudo, justitia, charitas veritasque, et si qua alia est perfectio; Ego sum ex quo omnia, per quem omnia et in quo omnia. Vide eâ de re Bossuetium Elev. in myster. prim. hebd. medit. 3; Fenelonium, Demonst. exist. Dei, part. 2; D. Laurentie, Introductio ad Philosophiam, cap. 8, divis. 1.

§ 2. *Quid dicendum circa personarum trinitatem.*

Ex dictis de infinità naturæ divinæ opulentiâ, mens jam ad ipsius fœcunditatem admittendam mirum in modum præparatur, nec adeò ipsi supra fidem videri debet, quòd in tres personas dilatetur, quibus constituendis sufficiens prorsùs existat. Statim igitur probandum occurrit, 1° tres in Deo personas esse, realiter à se invicem distinctas. Non desunt loca in Scripturis, quibus id evinci valeat; sed præsertim ea promenda sunt, quibus tres personæ divinæ exhibentur simul aliquid operantes, ut fit, v. g., in ipsâ Verbi Incarnatione, Luc. 1, 35, in Baptismo Christi Matth. 3, 16 et 17, et in promissione Spiritûs sancti, Joan. 14, 16. Potentissimæ etiam nec obscuræ probationes suppetunt ex Ecclesiæ fide, quæ non in symbolis et conciliorum decretis tantùm, sed et in precibus ejus atque omnibus ferè cæremoniis relucet. Non parùm item ad rem faciet aliquos SS. Patrum textus selectos, commendatâ priùs eorum auctoritate, proferre. Nisi orationem contrahendi necessitate constringeremur, quàm multos hìc atque eximios citare possemus! At piaculum fuerit præstantissimum hunc locum omittere, in quo clarissimus noster Bossuetius, mirâ concinnitate solitâque eloquentiâ, quosdam tum veteris, tum novi Testamenti textus secum invicem conferens, atque raptim perstringens, vividam et dilucidam inde eruit SS. Trinitatis demonstrationem. Nullum fortassis exemplum afferri potest, aptius ad ostendendum quâ ratione diversa Scripturæ verba cum aliis alia componi debeant, ut ipsis ex mutuâ collatione novum lumen et robur accrescat. Sic habet vir illustrissimus Oratione in histor. univers. part. 2, c. 19: « Ils (les Apôtres) ont ordre... « de se répandre par toute la terre pour *in-* « *struire les nations, et les baptiser au nom du* « *Père, du Fils et du Saint-Esprit,* Matth. 28... « Les gentils sont appelés à la connaissance « de Dieu par les ordres de Jésus-Christ res- « suscité : une nouvelle cérémonie est insti- « tuée pour la régénération du nouveau peu- « ple; et les fidèles apprennent que le vrai « Dieu, le Dieu d'Israël, ce Dieu un et indivi-

« sible, auquel ils sont consacrés par le bap-
« tême, est tout ensemble Père, Fils et Saint-
« Esprit.

« Là donc nous sont proposées les profon-
« deurs incompréhensibles de l'être divin, la
« grandeur ineffable de son unité, et les ri-
« chesses infinies de cette nature, plus féconde
« encore au dedans qu'au dehors, capable de
« se communiquer sans division à trois per-
« sonnes égales.

« Là sont expliqués les mystères qui étaient
« enveloppés, et comme scellés dans les an-
« ciennes Écritures. Nous entendons le secret
« de cette parole : *Faisons l'homme à notre*
« *image*, Genes. 1; et la Trinité marquée dans
« la création de l'homme, est expressément
« déclarée dans sa régénération.

« Nous apprenons ce que c'est que cette
« Sagesse *conçue*, selon Salomon, Proverb. 8,
« *devant tous les temps dans le sein de Dieu*, Sa-
« gesse qui fait toutes ses délices, et par qui
« sont ordonnés tous ses ouvrages. Nous sa-
« vons qui est celui que David a vu *engendré*
« *devant l'aurore*, Ps. 109; et le nouveau Tes-
« tament nous enseigne que c'est le Verbe, la
« parole intérieure de Dieu, et sa pensée éter-
« nelle, qui est toujours dans son sein, et par
« qui toutes choses ont été faites.

« Par là nous répondons à la mystérieuse
« question, qui est proposée dans les Prover-
« bes, 30 : *Dites-moi le nom de Dieu, et le nom*
« *de son Fils, si vous le savez.* Car nous savons
« que ce nom de Dieu si mystérieux et si ca-
« ché, est le nom de Père, entendu en ce sens
« profond qui le fait concevoir dans l'éternité
« Père d'un Fils égal à lui, et que le nom de
« son Fils est le nom de Verbe; Verbe qu'il
« engendre éternellement en se contemplant
« lui-même, qui est l'expression parfaite de
« sa vérité, son image, son Fils unique, *l'é-*
« *clat de sa clarté, et l'empreinte de sa substan-*
« *ce*, Hebr. 1.

« Avec le Père et le Fils nous connaissons
« aussi le Saint Esprit, l'amour de l'un et de
« l'autre, et leur éternelle union. C'est cet
« Esprit qui fait les prophètes, et qui est en
« eux pour leur découvrir les conseils de Dieu,
« et les secrets de l'avenir; Esprit dont il est
« écrit Isai. 48 : *Le Seigneur m'a envoyé, et son*
« *Esprit*, qui est distingué du Seigneur, et qui
« est aussi le Seigneur même, puisqu'il en-
« voie les prophètes et leur découvre les
« choses futures. Cet Esprit qui parle aux
« prophètes, et qui parle par les prophètes,
« est uni au Père et au Fils, et intervient
« avec eux dans la consécration du nouvel
« homme.

« Ainsi le Père, le Fils, et le Saint-Esprit,
« un seul Dieu en trois personnes, montré
« plus obscurément à nos pères, est claire-
« ment révélé dans la nouvelle alliance. In-
« struits d'un si haut mystère et étonnés de
« sa profondeur incompréhensible, nous cou-
« vrons notre face devant Dieu avec les Séra-
« phins que vit Isaïe, 6, et nous adorons avec
« eux Celui qui est trois fois saint.

« C'était au Fils unique, *qui était dans le*
« *sein du Père*, Joan. 1, et qui, sans en sor-
« tir, venait à nous, c'était à lui à nous dé-
« couvrir pleinement ces admirables secrets
« de la nature divine, que Moïse et les pro-
« phètes n'avaient qu'effleurés. »

Probandum est 2° tres illas divinas personas prorsùs æquales esse; quod facilè evincetur ex iis Scripturæ locis, ubi vel promiscuè laudantur, vel ex æquo operantes exhibentur, ut, v. g., Isai. 6, 3, Genes. 1, 26, Matth. 28, 19; sed præcipuè ex certâ et expressâ Christi declaratione, qui absque ullâ tergiversatione sic pronuntiat : *Ego et Pater unum sumus*, Joan. 10, 30; *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt*, ibid. 16, 15, et cætera hujusmodi. Hæc quidem solum Filium spectant, at procul dubio et de Spiritu sancto dici possunt, qui semper eodem ponitur loco, et pari honore dignus exhibetur. Illam verò personarum æqualitatem non satis erit generatim comprobâsse, nisi divinæ proprietates recenseantur per singulas, et tribus personis communes declarentur. Ad id multùm proderit Symbolum Athanasianum. Juvat hic proferre luculenta quædam ex SS. Patribus, quæ non modicam utilitatem habebunt ad demonstrandam divinarum personarum æqualitatem. Agmen ducet S. Basilius, qui lib. 3 contra Eunomium sic habet : « Fuitne unquàm ho-
« mo sic audax, qui divinorum dogmatum
« innovationes induceret? Cur enim necesse
« est, si dignitate ac ordine tertius est Spiri-
« tus, naturâ quoque ipsum tertium esse?
« Namque ipsum secundum esse à Filio, pie-
« tatis sermo fortassè tradit; naturâ verò ter-
« tiâ uti, nec à divinis Scripturis docti sumus,
« nec ex antecedentibus possibile est conse-
« quenter colligi. Nam quemadmodùm Filius
« ordine quidem à Patre secundus est, quo-
« niam ab illo est, et dignitate, quoniam origo
« atque causa essendi Pater ipsi est, et quo-

« nian. per ipsum accessus et adductio ad « Deum Patrem ; naturâ verò nullo modo se- « cundus, quoniam in utroque una est Deitas; « ita videlicet et Spiritus sanctus, et sic di- « gnitate et ordine secundus à Filio est, ut « illud concedamus; non tamen verisimiliter « alienæ ipsum esse naturæ inde conseque- « tur. » Et aliquantò post : « Sic profectò et « Spiritus sanctus, dignitate quidem ordinis « tertius est. Accepimus enim ipsum tertium « à Patre et Filio numeratum, cùm ipse Do- « minus in traditione salutaris baptismi ordi- « nem tradiderit his verbis : *Euntes baptizate « in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* « In naturam autem tertiam à Filio ac Patre « dejectum Spiritum, nullibi audivimus. »

Audiatur nunc Ambrosius ita Patrem com- pellans lib. 1 de Fide, c. 4 : « Ad te nunc, « omnipotens Pater, cum lacrymis verba con- « verto. Ego te quidem inaccessibilem et in- « comprehensibilem dixerim; sed Filium tuum « minorem non ausim dicere. Nam cùm illum « splendorem gloriæ et imaginem substantiæ « tuæ legerim, vereor ne minorem imaginem « tuæ dicendo substantiæ, minorem substan- « tiam tuam dicere videar, cujus imago sit « Filius, cùm plenitudo tuæ divinitatis omnis « in Filio sit. Immensum te, Filiumque tuum, « et Spiritum sanctum, incircumscriptum, « inæstimabilem, inenarrabilem legi libenter, « credo libenter. Et ideò æstimare non pos- « sum, ut examinare possim. »

Nec minùs præclara sunt sequentia S. Au- gustini epist. 66 : « Hæc Trinitas unius est « ejusdemque naturæ atque substantiæ, non « minor in singulis, quàm in omnibus : nec « major in omnibus, quàm in singulis ; sed « tanta in solo Patre, vel in solo Filio, quanta « in Patre simul et Filio ; et tanta in solo « Spiritu sancto, quanta simul in Patre, et « Filio, et Spiritu sancto. Neque enim Pater « ut haberet Filium de seipso, minuit seipsum; « sed ita genuit de se alterum se, ut totus ma- « neret in se ; et esset in Filio tantus, quan- « tus et solus. Similiter et Spiritus sanctus « integer de integro, non præcedit unde pro- « cedit, sed quantus cum illo, tantus ex illo, « nec minuit eum procedendo, nec auget hæ- « rendo. » His concinunt quæ lib. 6, c. 10, de Trinit., addit : « In illâ enim Trinitate sum- « ma origo est rerum omnium, et perfectissi- « ma pulchritudo, et beatissima delectatio. « Itaque illa tria, et ad se invicem determinari « videntur, et in se infinita sunt. Sed hîc in « rebus corporeis, non tantum est res una, « quantùm tres simul; plus aliquid sunt duæ, « quàm una res. Cæterùm in illâ summâ Tri- « nitate tantùm est una, quantùm tres simul; « nec plus aliquid sunt duæ, quàm una. Et in « se infinita sunt. Ita et singula sunt in sin- « gulis, et omnia in singulis, et singula in « omnibus, et omnia in omnibus, et unum « omnia. Qui videt hoc, vel ex parte, vel per « speculum, et in ænigmate, gaudeat cogno- « scens Deum, et sicut Deum honoret et gra- « tias agat. Qui autem non videt, tendat per « pietatem ad videndum, non per cæcitatem « ad calumniandum ; quoniam unus est Deus, « sed tamen Trinitas. »

Ab his non discrepat Zeno Veronensis Ser- mone in hæc verba : *Cùm tradiderit regnum Deo et Patri :* « Totum Pater, totum possidet « Filius, unius est quod amborum est, quod « unus possidet, singulorum est, Domino ipso « dicente : *Omnia, quæcumque habet Pater, « mea sunt;* iterùm : *Pater, omnia mea tua « sunt, et tua omnia mea ;* quia Pater in Filio, « et Filius manet in Patre ; cui affectu, non « conditione, charitate, non necessitate de- « corè subjicitur ; per quem Pater semper « honoratur. Denique inquit : *Ego et Pater « unum sumus.* Unde non diminutivâ, sed reli- « giosâ, ut dixi, subjectione, est Filius Patri « subjectus : cùm quo originalis, perpetuique « regni una possessio, coæternitatis, omni- « potentiæque una substantia, una æqualitas, « una virtus majestatis augustæ, unito in lu- « mine una dignitas retinetur ; si quid enim « Filio detraxeris, ad Patris cujus habet to- « tum, injuriam pertinebit : nec est in illo « aliquid, quod sit inferius ; quia sicut Pater, « nec plùs potest habere, nec minùs ; alter « enim in alterius plenitudine infusus est; ut « sit omnia in omnibus Deus benedictus Pa- « ter in Filio, Filius in Patre cum Spiritu « sancto. »

Legi merentur quæ de inenarrabili divina- rum personarum æqualitate egregiè scripsit Bossuetius Meditat. in Evang. dieb. 23, 24, 58, 70 et 71.

Articulus II. — *Quid dicendum circa speciales singulis personis proprietates*

Tot erunt in præsenti articulo paragraphi, quot sunt in SS. Trinitate distinctæ personæ.

§ 1. *Quid de Patre dicendum.*

Hîc erit demonstrandum Patrem esse pri-

num principium, totius Trinitatis fontem, radicem unde cæteræ personæ efflorescunt, originem cujuslibet entis atque perfectionis, ex quo nempe dimanat omnis paternitas in cœlo et in terrâ, item omnis potentia, denique omne donum perfectum. Hæc abundè probant Scripturæ et Patres universi. Maximè verò omnium celebranda erit infinita illa fœcunditas, quâ Filium sibi prorsùs similem et æqualem ab æterno generat. Audiamus eâ de re Bossuetium sublimia, ut assolet, meditantem, elevat. in myst. hebdom. 2, elev. 1 : « Pourquoi « Dieu n'aurait il pas de fils? Pourquoi cette « nature bienheureuse manquerait-elle de cette « parfaite fécondité qu'elle donne à ses créa- « tures? Le nom de Père est-il si déshonorant « et si indigne du premier être, qu'il ne puisse « lui convenir selon sa propriété naturelle? « *Moi qui fais enfanter les autres, ne pourrai-* « *je pas enfanter moi-même.* Isai. 66? Et s'il « est si beau d'avoir, de se faire des enfants « par l'adoption, n'est-il pas encore plus beau « et plus grand d'en engendrer par nature?

« Je sais bien qu'une nature immortelle n'a « pas besoin comme la nôtre, mortelle et fra- « gile, de se renouveler, de se perpétuer, en « substituant à sa place des enfants, qu'on « laisse au monde quand on le quitte; mais « en soi-même, indépendamment de cette né- « cessaire réparation, n'est-il pas beau de pro- « duire un autre soi-même par abondance, « par plénitude, par l'effet d'une inépuisable « communication, en un mot, par fécondité, et « par la richesse d'une nature heureuse et « parfaite?....

« Dieu le Père n'a pas besoin de s'associer à « quelque autre chose que soi, pour être père et « fécond : il ne produit pas hors de lui-même « cet autre lui-même; car rien de ce qui est hors « de Dieu n'est Dieu; Dieu donc conçoit en lui- « même; il porte en lui-même son fruit, qui lui « est coéternel... Sa conception n'est pas distin- « guée de son enfantement; le fruit qu'il porte « est parfait dès qu'il est conçu, et jamais il « ne sort du sein qui le porte. Qui est porté « dans un sein immense, est d'abord aussi « grand et aussi immense que le sein où il est « conçu, et n'en peut jamais sortir. Dieu l'en- « gendre, Dieu le reçoit dans son sein, Dieu « le conçoit, Dieu le porte, Dieu l'enfante; et « la Sagesse éternelle, qui n'est autre chose « que le Fils de Dieu, s'attribue, dans Salo- « mon, Prov. 8, et *d'être conçue*, et *d'être en-* « *fantée* et tout cela n'est que la même chose.

« Dieu n'aura jamais que ce Fils; car il est « parfait, et il ne peut en avoir deux : un seul « et unique enfantement de cette nature par- « faite en épuise toute la fécondité, et en at- « tire tout l'amour. C'est pourquoi le Fils de « Dieu s'appelle lui-même l'Unique, le Fils « unique, *Unigenitus*, Joan. 1; par où il mon- « tre en même temps qu'il est Fils non par « grâce et par adoption, mais par nature. Et le « Père, confirmant d'en haut cette parole du « Fils, fait partir du ciel cette voix : *Celui-ci* « *est mon Fils bien-aimé, en qui je me suis plu,* « Luc. 19 : c'est mon Fils; je n'ai que lui, et « aussi de toute éternité je lui ai donné, et lui « donne sans fin tout mon amour. »

§ 2. *Quid dicendum de Filio.*

Infinita propemodùm sunt quæ de Filio dici possent, sed præcipuis laudibus ornanda est æterna ejus generatio, quâ ex Patris substantiâ, ipsi non impar, imò et consubstantialis, ante Luciferum effulget; unde dicitur *vapor virtutis Dei, emanatio claritatis omnipotentis Dei sincera, candor lucis æternæ, speculum sine maculâ Dei majestatis, imago bonitatis illius*, Sapient. 7, *splendor gloriæ et figura substantiæ ejus*, Hebr. 1. Non prætermitti debent quædam alia nomina, inde derivata quòd per intelligentiam generetur; vocatur nempe Intelligentia Dei, Sapientia et Verbum. Egregias hujus descriptiones in divinis Libris reperire est, præcipuè verò Proverb. 8, Sapient. 6 et 7; Eccli. 1, et Baruch. 3. Quàm pulchra sunt etiam quæ scripsit Bossuetius de Filio Dei æternâque ejus generatione! Legantur inprimis Serm. de Trinitatis mysterio, punct. 1, ab initio, et Elevat. in myst., hebd. 2, elev. 2, 3, 4; hebd. 12, elev. 7, 8, 9 et 10, ex quibus quædam non proferre non possumus. « Où vais-je me perdre, inquit hebd. 12, « elev. 7, dans quelle profondeur, dans quel « abîme! Jésus-Christ avant tous les temps « peut-il être l'objet de nos connaissances? « Sans doute, puisque c'est à nous qu'est « adressé l'Évangile. Allons, marchons sous la « conduite de l'aigle des Évangélistes, du bien- « aimé parmi les disciples,..... de Jean, *enfant* « *du tonnerre*, Marc. 3, qui ne parle point un « langage humain, qui éclaire, qui tonne, « qui étourdit, qui abat tout esprit créé sous « l'obéissance de la foi, lorsque par un rapide « vol fendant les airs, perçant les nues, s'éle- « vant au-dessus des Anges, des Vertus, des « Chérubins et des Séraphins, il entonne son

« Evangile par ces mots : *Au commencement « était le Verbe*, Joan. 1. C'est par où il com- « mence à faire connaître Jésus-Christ. Hom- « mes, ne vous arrêtez pas à ce que vous « voyez commencer dans l'Annonciation de « Marie. Dites avec moi : *Au commencement « était le Verbe.* Pourquoi parler du commen- « cement, puisqu'il s'agit de celui qui n'a « point de commencement ? C'est pour dire « qu'au commencement, dès l'origine des cho- « ses, *il était ;* il ne commençait pas ; *il était ;* « on ne le créait pas, on ne le faisait pas ; *il « était*, et qu'était-il ? Qu'était celui, qui sans « être fait, et sans avoir de commencement, « quand Dieu commença tout, était déjà ? « Etait-ce une matière confuse, que Dieu « commençait à travailler, à mouvoir, à for- « mer ? Non, ce qui était au commencement « *était le Verbe*, la parole intérieure, la pen- « sée, la raison, l'intelligence, la sagesse, « le discours intérieur ;.... discours où est « substantiellement toute vérité, et qui est la « vérité même.

« Où suis-je ? Que vois-je ? Qu'entends-je ? « Tais-toi, ma raison, et sans raison, sans « discours, sans images tirées des sens, sans « paroles formées par la langue, sans le se- « cours d'un air battu, ou d'une imagination « agitée, sans trouble, sans effort humain, « disons au dedans, disons par la foi, avec un « entendement, mais captivé et assujetti : « *Au commencement*, sans commencement, « avant tout commencement, au dessus de « tout commencement, *était* celui qui est, et « qui subsiste toujours, *le Verbe*, la parole, « la pensée éternelle et substantielle de Dieu. « *Il était*, il subsistait ; mais non comme « quelque chose détachée de Dieu ; *car il était « en Dieu* (ibid.). Et comment expliquerons- « nous, *être en Dieu ?* Est-ce y être d'une ma- « nière accidentelle, comme notre pensée est « en nous ? Non, le Verbe n'est pas en Dieu « de cette sorte. Comment donc ? Comment « expliquerons-nous ce que dit notre aigle, « notre Evangéliste ? *Le Verbe était chez Dieu, « apud Deum ;* pour dire qu'il n'était pas quel- « que chose d'inhérent à Dieu, quelque chose « qui affecte Dieu, mais quelque chose qui de- « meure en lui, comme y subsistant, comme « étant en Dieu une personne, et une autre « personne que ce Dieu en qui il est. Et cette « personne était une personne divine ; *elle « était Dieu* (ibid.). Comment Dieu ? Etait-ce « Dieu sans origine ? Non ; car ce Dieu est « Fils de Dieu ;.... toujours produit, toujours « dans son sein..... Dieu comme lui ; *car le « Verbe était Dieu* (ibid.) ; Dieu en Dieu, Dieu « de Dieu, engendré de Dieu, subsistant en « Dieu ; Dieu, comme lui, *au-dessus de tout, « béni aux siècles des siècles. Amen. Il est ainsi*, « dit S. Paul, Rom. 9. Ah ! je me perds ;..... « je ne puis plus dire qu'*Amen, il est ainsi ;* « mon cœur dit : *il est ainsi, Amen.* »

Si nunc quæras imagines quasdam et simi- litudines æternæ Filii generationis, quid ve- nustius et elegantius excogitari potest, quàm ista hebd. 2, elev. 3 ? « Voyez cette délicate « vapeur, que la mer doucement touchée du « soleil, et comme imprégnée de sa chaleur, « envoie jour et nuit, comme d'elle-même, « vers le ciel, sans diminution de son vaste « sein..... Ainsi, dit Salomon, *la Sagesse*, « que Dieu engendre dans l'éternité, *est une « vapeur de sa toute-puissante vertu, et une très- « pure émanation de sa clarté*, Sapient. 7....

« Considérez cet éclat, ce rayon, cette « splendeur, qui est la production et comme « le fils du soleil ; elle en sort sans le dimi- « nuer, sans s'en séparer elle-même, sans « attendre le progrès du temps. Tout d'un « coup, dès que le soleil a été formé, sa splen- « deur est née et s'est répandue avec lui, et « on y voit toute la beauté de cet astre. Ainsi, « disait Salomon, la Sagesse, sortie du sein de « Dieu, *est la délicate vapeur, la très-pure éma- « nation*, le vif rejaillissement, *l'éclat de sa lu- « mière éternelle*, ibidem ; ou, comme parle « saint Paul, Hebr. 1, c'est *le rayon resplen- « dissant de la gloire de Dieu, et l'empreinte de « sa substance....*

« Lorsqu'un sceau est appliqué sur de la « cire, cette cire, sans rien détacher du sceau « qui s'imprime en elle, en tire la ressem- « blance tout entière, et se l'incorpore, en « sorte qu'on ne peut plus l'en séparer. Re- « gardez-la bien ; aucun trait ne lui est échap- « pé ; et cependant tout est demeuré dans le « sceau, sous lequel elle a pris sa forme. Ainsi « le Fils de Dieu a tout pris du Père, sans lui « rien ôter ; il en est la parfaite image, l'em- « preinte, l'expression tout entière, non de « sa figure, car Dieu n'en a point, mais, com- « me parle saint Paul, *de sa substance....* Il en « porte les traits ; c'est pourquoi il dit, Joan. 14 : « *Qui me voit, voit mon Père....*

« La Sagesse, éternellement conçue dans le « sein de Dieu, *est un miroir sans tache de sa « majesté, et l'image de sa bonté*, Sap. 7. C'est

« quelque chose de trop grossier pour le Fils « de Dieu, que l'impression d'un cachet, ou « que l'expression de la ressemblance dans une « image, qu'on taille avec un ciseau, ou qu'on « fait avec des couleurs. La nature a quelque « chose de plus délicat; et voici dans de claires « eaux et dans un miroir, un nouveau secret « pour peindre et faire une image. Il n'y a « qu'à présenter un objet ; aussitôt il se peint « lui-même, et cet admirable tableau ne dé- « génère par aucun endroit de l'original; c'est « en quelque sorte l'original même..... Pour « achever ce portrait, on n'a pas besoin du « secours du temps, ni d'une ébauche impar- « faite; un même instant le commence et « l'achève. »

Et elev. 4 : « Tout cela est mort..... Dieu a « fait une image plus vive de son éternelle et « pure génération. Et afin qu'elle nous fût « plus connue, c'est en nous-mêmes qu'il l'a « faite. Il l'a faite lorsqu'il a dit, Gen. 1 : *Fai-* « *sons l'homme*.... Il voulut faire quelque chose « qui fût vivant comme lui, intelligent comme « lui, saint comme lui, heureux comme lui. »

§ 3. *Quid dicendum sit de Spiritu sancto.*

Postquàm clarè et dilucidè, quantùm humana imbecillitas sinit, expositum fuerit quâ ratione Spiritus sanctus ex mutuo Patris et Filii amore procedat, vivida subjicietur explicatio nominum, quibus, ob divinam suam processionem, insigniri ab hominibus solet. Nimirùm amor vocatur, eò quòd substantialis est amoris terminus, atque adeò totus veluti amor. Nuncupatur vinculum amoris, sive quòd fructus infinitus est mutui amoris Patris et Filii, quos ideò quasi inter se colligare videtur; sive quòd rationales creaturas intimâ secum invicem unione conjungere per continuam gratiæ suæ communicationem nititur. Paracletum illum dicimus, ad confitendum ex ipso, tanquàm ex fonte inhexausto, omnes profluere consolationes, quibus hujus vitæ tristitias et mœrores levari posse confidimus. Denique doni quandoque nomen obtinet, quia Spiritus sanctus amor est, ex quo procedunt omnia dona. Hic, nec intempestivè, subjungi posset expositio quædam donorum et fructuum Spiritûs sancti, de quibus Cursûs completi Theolog. tom. 16, append. 1, habetur. De iis quæ Spiritui sancto propria sunt vide Bossuetium Elev. in myster. hebd. 2, elev. 5, et Medit. in Evang. dieb. 23, 24, 25 et 71.

CONCLUSIO PRIMI CAPITIS

Priusquàm ad aliud sermo transferatur, non abs re erit, quæ fusiùs in primo hocce capite dicta fuerint, compendiosâ oratione contrahere, ut uno intuitu omnia dilucidè percipiantur. Ad ea verò audientium captui facilùs accommodanda, appositè adhibebitur una aut altera SS. Trinitatis imago, ex rebus notissimis desumpta. Unum hìc juvat exemplum citare ex Bossuetii Sermone de SS. Trinitate.

« Comme la Trinité très-auguste, inquit, a « une source et une fontaine de divinité, ainsi « que parlent les Pères grecs, un trésor de vie « et d'intelligence, que nous appelons le Père, « où le Fils et le Saint-Esprit ne cessent ja- « mais de puiser; de même l'âme raisonnable « a son trésor qui la rend féconde. Tout ce « que les sens lui apportent du dehors, elle le « ramasse au dedans, elle en fait comme un « réservoir, que nous appelons la mémoire ; et « de même que ce trésor infini, c'est à dire, « le Père éternel, contemplant ses propres « richesses, produit son Verbe, qui est son « image, ainsi l'âme raisonnable, pleine et « enrichie de belles idées, produit cette parole « intérieure, que nous appelons la pensée, ou « la conception, ou le discours, qui est la « vive image des choses. Car ne sentons-nous « pas, Chrétiens, que, lorsque nous concevons « quelque objet, nous nous en faisons en nous- « mêmes une peinture animée, que l'incompa- « rable saint Augustin appelle *le fils de notre* « *cœur, filius cordis tui,* de Trin. lib. 11, cap. 7? « Enfin, comme en produisant en nous cette « image qui nous donne l'intelligence, nous « nous plaisons à entendre, nous aimons par « conséquent cette intelligence ; et ainsi de ce « trésor, qui est la mémoire, et de l'intelligence « qu'elle produit, naît une troisième chose, « qu'on appelle amour, en laquelle sont ter- « minées toutes les opérations de notre âme; « ainsi du Père, qui est le trésor, et du Fils, « qui est la raison et l'intelligence, procède « cet Esprit infini, qui est le terme de l'opé- « ration de l'un et de l'autre; et comme le « Père, ce trésor éternel, se communique sans « s'épuiser, ainsi ce trésor invisible et inté- « rieur, que notre âme renferme en son pro- « pre sein, ne perd rien en se répandant ; car « notre mémoire ne s'épuise pas par les con- « ceptions qu'elle enfante, mais elle demeure « toujours féconde, comme Dieu le Père est « toujours fécond. » Lege etiam ejusdem Orat.

in hist. univ., 2 part. c. 19; elev. 6, 7 et 9 hebd. 2, necnon D. Frère *Homo per Revelat. cognit.*, lect. 2 et 3. Alia similitudinum exempla inferiùs proponentur sect. 3.

Caput II.

Quid SS. Trinitati à fidelibus debeatur.

Ad quatuor præsertim erga SS. Trinitatem tenentur fideles, videlicet fidem, spem, amorem et imitationem, de quibus separatim disputandum.

Articulus primus. — *Quid de fide SS. Trinitatis dicendum.*

Tria sunt à pastoribus circa fidem SS. Trinitatis exponenda, 1° ejus necessitas, 2° illius rationi congruentia, 3° ejus utilitas.

§ 1. *De fidei SS. Trinitatis necessitate.*

Jam diximus fidem hujusce mysterii planè necessariam ad salutem esse, sive necessitate medii, ut multis placet, sive saltem necessitate præcepti; quod diligenter inculcandum est fidelibus, ut planè cognitum habeant, tum dubia de hoc mysterio procul esse propulsanda, tum etiam gravem sibi incumbere obligationem quæ ad illud pertinent, quantùm in se est, discendi, et sibi subditis hujus cognitionis copiam faciendi. Probationes habentur in ipso Tractatu, quæst. 4, art. 2, sect. 5; nam quæ ibi dicuntur de necessitate fidei in Christi divinitatem, pari jure dici possunt de necessitate credendi SS. Trinitatis mysterium.

§ 2. *De fidei SS. Trinitatis congruentiâ cum ratione.*

In præsenti paragrapho demonstrandum est, eos qui firmâ fide SS. Trinitatis mysterium tenent, rationis legibus parere, nedùm temerè et irrationabili modo se gerant. Promptæ quidem sunt invictæ penitùs probationes; quid enim rationi consentaneum magis esse potest, quàm Dei revelantis imperio obtemperare, solemnibus cedere universæ Ecclesiæ definitionibus, documenta tandem atque vestigia sequi tot præstantissimorum doctorum, qui à temporibus apostolicis continuâ serie hanc fidem non tradiderunt modò, sed ipsi ex animo constanter adhæserunt? Ut autem hæc SS. Patrum auctoritas major appareat, concionator summam eorum eruditionem, præcellens ingenium, morum gravitatem et vitæ integritatem, cum tot impiorum temeritate, dissolutâ vivendi ratione et stupendâ in rebus ad religionem pertinentibus ignorantiâ, conferre poterit.

Posteaquàm hæc fuerint gravi probationum pondere confirmata, nec jam timendum erit ne vacillet auditorum fides, tunc generaliori quodam modo, et absque speciali singularum objectionum expositione, dici poterit: At objici solent ab impiis et christianæ Religionis desertoribus plurimæ difficultates, quæ vix ab humanâ ratione solvi queant. Et confestim reponendum, falsum omninò esse eas difficultates planè esse insolubiles, nullam enim esse, quam torrente veritatis sole non in fumum sæpiùs redegerint Patres atque theologi, qui idcircò ab hujus mysterii fide non sunt vel tantisper revocati: præterea nihil magis forsitan ad mysterii certitudinem et fidem confirmandam idoneum esse, quàm has ipsas difficultates; doctrinam enim de SS. Trinitate, si ab homine aliquo esset, ne minimam quidem cum ratione repugnantiæ speciem præ se habituram fuisse, neminem videlicet tam ineptum esse, qui, dùm alios fallere instituit, ipsis à ratione in speciem absona credenda proponat: imò verò adeò sublimem esse doctrinam hanc, atque supra humanæ intelligentiæ vim positam, ut nullus mortalium eam invenire et confingere unquàm potuisset: et certè maximè decuisse infinitam Dei intelligentiam, aliquid soli sibi notum in thesauris scientiæ retinere; item summam decuisse ipsius majestatem, hominum mentes subjicere fidei jugo et obsequio; et supremam Sapientiam, ita permixtas lumini tenebras in rebus Religionis relinquere, ut humana sanari posset superbia, et locus merito daretur; tandem ad infinitam Dei naturam pertinere, ut veluti obvolvatur mysteriis, et *lucem inhabitet inaccessibilem*, 1 Timoth. 6; mirum igitur esse hominem, qui pulvis est et cinis, immensam Dei majestatis altitudinem scrutari audere, quem tremens adorare deberet. Deinde, converso ad Deum sermone, fidentiori vocis sono vehementiorique dicendi copiâ, actum fidei eliciat concionator, quo iidem sensus audientium animis altiùs imprimantur. Hic ad exemplum proponere juvat pulcherrima hæc verba Ludov. Franc. D'Argentan, Colloc. theologiq. 6, art. 2: « O Dieu de majesté, que vous êtes admirable « dans ce grand mystère, et que la bassesse de « l'esprit de l'homme est éloignée de comprendre toutes vos merveilles! Mais je m'en « réjouis, ô mon Dieu, je sens mon cœur tout « comblé de joie, de ce que vous êtes un Dieu

« si grand, et de ce que vous renfermez en « vous des perfections infinies, que nul autre « que vous ne saurait comprendre. Hélas! si « vous n'étiez que ce que la faiblesse de notre « esprit humain pourrait concevoir, vous ne « seriez pas Dieu, parce que vous ne seriez pas « infini. Je ne demande pas à vous entendre, « ni à vous comprendre clairement, ô divins « oracles ; mais je demande à vous croire fer- « mement. Oui, je m'attache à vous à l'aveu- « gle, je ferme les yeux pour vous croire sans « vous voir, ni sans concevoir rien de vos « ineffables grandeurs. Mais un jour viendra « que vous me les ouvrirez au ciel, pour voir « clairement, pour envisager à découvert, et « pour admirer éternellement toutes ces mer- « veilles, qui suspendent dans un ravissement « éternel l'esprit de Dieu même. Oh! quand « viendra cet heureux moment, après lequel « je ne veux cesser d'aspirer? *Quando veniam, « et apparebo ante faciem Dei,* ps. 41.

Et ibid. art. 3 : « Taisez-vous, langues des « mortels ; humiliez-vous, esprit humain ; « anéantissez-vous, mon âme, en la présence « de cette majesté infinie ; c'est par l'hom- « mage d'une ferme foi, d'une profonde humi- « lité et d'un respectueux silence, qu'elle veut « être honorée, et non par les vains efforts « que vous pourriez faire pour comprendre « quelque chose de ses grandeurs. Ne voyez- « vous pas aussi que Dieu ne vous commande « pas dans sa loi de le connaître clairement, « mais de l'aimer très-ardemment? Contentez- « vous de fermer les yeux pour marcher avec « soumission dans les ténèbres de la foi ; mais « dilatez votre cœur pour le désirer, pour « soupirer après lui, et pour l'aimer de toutes « vos forces. Il ne vous est pas accordé en « terre de le connaître tel qu'il est ; c'est le « privilége des bienheureux qui sont dans le « ciel. »

§ 3. *De utilitate fidei SS. Trinitatis.*

Non operosum erit ostendere plurimam in SS. Trinitatis fide utilitatem reponi. Enimverò nihil efficacius esse potest ad contundendam hominis superbiam, ex quâ omnia penè ipsius mala derivantur. Cùm insuper humana ratio supra modum sit jugi impatiens, quanta meritorum seges eos manet, qui Deo, intellectu majora revelanti, ultrò se submiserint ! Ita enim gratum Deo esse istud rationis obsequium Ecclesia existimat, ut in commendatione animæ præcipuum misericordiæ et veniæ obtinendæ motivum exhibere non dubitet, quòd qui in extremis positus jamjam ante judicem stabit, in SS. Trinitatem firmiter crediderit. « Ne memineris iniquitatum ejus an- « tiquarum ;... sed memento miserationum « tuarum, et gloriæ nominis tui ; licèt enim « peccaverit, tamen in te credidit, teque Deum « et Salvatorem suum unà cum Patre et Spi- « ritu sancto fideliter adoravit. » Illud punctum claudet vehemens adhortatio, quâ fideles incitabuntur ad firmiùs in dies SS. Trinitatis mysterio adhærendum, spe fore ut, evacuatâ demùm fide, discussis mysteriorum umbris, Deum facie ad faciem videant, lumenque in lumine contemplentur, et eò quidem pleniùs atque perfectiùs, quò magis fuerint in fide stabiles et confirmati, dùm in terris agerent.

Articulus II. — *Quid dicendum de spe in SS. Trinitatem.*

Ostendendum statim ab initio, non immeritò SS. Trinitatem postulare, ut in se omnem spem nostram fidenti animo reponamus ; quandoquidem ipsius natura bonitas est, divitiæ autem omnium bonorum plenitudo. Re quidem verâ omnia bona, quæ sive ad ordinem naturalem pertinent, sive ad supernaturalem, ex hoc fonte inexhausto profluunt, ita ut nihil sperare possimus, quod ab eo non manaverit. Nullâ certè potiori de causâ, quàm ut id nobis frequenter in memoriam revocet, Ecclesiæ consuetum est, ut omnes orationes suas et cæremonias, præsertimque sacramenta, invocato nomine SS. Trinitatis, ordiatur et absolvat. Ut autem huic motivo ex naturâ SS. Trinitatis in se spectatâ vis aliqua addatur, fusiùs recenseri poterunt quæ ex singulis divinis personis beneficia suscepimus. Dein operæ pretium erit vividâ dicendi ratione commonstrare quàm felix sit Christianorum conditio, quibus talis ac tanta spes inter hujus vitæ pericula et adversa permissa est. Huic capiti demùm finem imponet actus spei in SS. Trinitatem ferventissimus.

Articulus III. — *Quid de amore erga SS. Trinitatem dicendum.*

Hùc affluit magna rationum copia, ad persuadendum et inspirandum amorem erga SS. Trinitatem ; id enim expostulant tum summa et infinita ipsius perfectio, quæ omnes in se amabilitates complectitur, tum innumera beneficia quæ in nos ab incunabulis indesinenter congessit. Inter cætera verò, speciali digna

est attentione mirabilis illa unio, ad quam nos secum his jam in terris evexerunt divinæ personæ, donec intimiùs in cœlis in unum consummemur. Pater scilicet nos in filios adoptavit; Filius autem dedit semetipsum pro nobis, et in sui mystici corporis membra nos assumpsit; Spiritus sanctus in suâ nos templa consecravit, et copiosam in nos effudit sanctitatem. Si quis igitur nunc SS. Trinitatem toto cordis affectu non amat, quanta sit ejus ingratitudo dici non potest.

ARTICULUS IV. — *Quid dicendum de SS. Trinitatis imitatione.*

Cùm quædam imitanda sunt quæ tribus personis conveniunt, quædam verò quæ sunt singulis propria, duo erunt in præsenti articulo paragraphi.

§ 1. *De imitatione SS. Trinitatis generatim.*

Probatâ generali Deum imitandi necessitate, juxta Christi sententiam Matth. 5, 48 : *Perfecti estote, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est,* aliaque Scripturæ loca, explicandum erit quæ et qualis esse debeat hæc imitatio; non enim vult Deus ut ipsum in omnibus imitemur, sed in quibusdam tantùm; sic ferre nequit supremum ejus dominium summamque independentiam nos æmulari; at infinitam charitatem, patientiam, justitiam, sanctitatem, cæteras denique virtutes nos imitari jubet, quantùm possumus. Vide Bossuetium Sermone 1 in Festum Annuntiationis part. 1, Elev. in myster. hebd. 4, elev. 6. Hic juvat exscribere eximium quemdam locum ex opere cui titulus : *Homo per Revelationem notus,* auctore D. Frère. « Les traits de la divinité, inquit lect. « 2, sont dans ses perfections; et la ressem- « blance divine dans l'homme est dans la par- « ticipation à ces perfections. Ainsi Dieu est « saint; que l'homme soit saint, et il porte la « ressemblance divine. Dieu est miséricor- « dieux; que l'homme soit miséricordieux, il a « le trait divin; et pour tout dire en un mot, « Dieu est parfait; que l'homme s'efforce d'ê- « tre parfait, il possédera l'empreinte ineffable « de Dieu, et fera reluire ainsi en lui-même la « ressemblance du Créateur.

« Ecoutons saint Ambroise nous exprimant « cette pensée, dans son livre *de Conditione « dignitatis humanæ* : « De même que Dieu, qui « a créé l'homme à son image et à sa ressem- « blance, étant la charité par essence, est bon « et juste, doux et patient, pur et miséricor- « dieux, et orné de toutes les autres perfec- « tions que l'Ecriture lui attribue; ainsi l'hom- « me a été créé pour posséder dans son cœur « la charité de son Dieu, pour être comme lui « bon et juste, doux et patient, pur et miséri- « cordieux. Plus l'homme est rempli de ces « vertus, plus il s'approche de Dieu, plus il « porte l'image de son Créateur. Mais si, dé- « généré de cette noble ressemblance, il s'égare « dans la voie du vice et du crime, voie qui le « détourne de sa fin, voie qui le sépare de son « Dieu, alors on verra s'accomplir en lui ces « paroles de l'Ecriture : *L'homme élevé au « comble de l'honneur et de la gloire, n'a point « compris sa dignité; il s'est comparé aux ani- « maux dépourvus de raison, et il leur est devenu « semblable.* Quel plus grand honneur pour « l'homme, que d'être créé, pour ainsi dire, « orné du glorieux vêtement des mêmes ver- « tus que ce grand Dieu, duquel il est dit dans « l'Ecriture : *Le Seigneur a régné; le Seigneur « s'est revêtu de sa gloire,* c'est-à-dire de l'é- « clat de toutes ses perfections, et de la beauté « qui résulte de leur assemblage ? Est-il pour « l'homme un plus grand déshonneur, est-il « un plus déplorable excès de misère, que de « se dépouiller de toute la gloire que lui pro- « cure la ressemblance de son Créateur, pour « se ravaler lui-même jusqu'à se rendre sem- « blable aux animaux sans raison ? »

§ 2. *De imitatione singularum personarum.*

1° Cùm Pater *se suo contuitu beat,* ut canit Ecclesia Hymn. Fest. omn. SS., et in istâ contemplatione, quâ Filium suum producit, à diebus æternitatis sibi complacet, eum si velimus imitari, oportet ut in scientiâ Dei, quantùm in nobis est, crescere nitamur. Hæc autem cognitio acquiritur creaturarum, in quibus summæ ejus perfectiones relucent, frequenti consideratione; sacræ Scripturæ et SS. Patrum lectione religiosâ, meditandi divinam naturam assiduitate, et præsertim orationis quotidiano usu. « Quelle est, inquit Lud. Franc. d'Argentan, colloq. 6. art. 5, la fin de nos plus « douces espérances? N'est-ce pas de passer « toute l'éternité sans faire autre chose que de « contempler les grandeurs de Dieu et d'ai- « mer sa beauté de toute notre âme dans « l'heureux séjour de la béatitude, où tous les « saints ne font autre chose ? Eh ! comment « pourrons-nous trouver notre parfaite béati- « tude dans un exercice que nous n'aurons « point goûté ni pratiqué, ni presque pas mê-

« me connu durant le cours de notre vie mor-
« telle ? Qu'est-ce, à vrai dire, que le temps,
« sinon l'apprentissage de l'éternité ? Quoi !
« je croirai que je n'aurai qu'une seule chose
« à faire éternellement, tenir mon esprit et ma
« volonté uniquement attachés à Dieu, et que
« tout le reste ne me sera rien en comparai-
« son ; et je la regarderai à présent comme la
« moindre et la dernière de mes affaires, lui
« préférant presque tout le reste ? Quoi ! je
« serai persuadé que de contempler et d'ai-
« mer Dieu, sera le souverain plaisir de mon
« âme, durant toute l'éternité ; et à présent
« je n'y prends aucun goût ? L'oraison, qui
« est un essai de cette souveraine béatitude,
« me semble ennuyeuse ; je la considère pres-
« que comme une occupation inutile, et je
« pense que c'est un temps perdu ! O igno-
« rance des mortels, que vous êtes extrême !
« O aveuglement des hommes, que vous êtes
« digne de larmes ! Hélas ! saurions-nous rien
« faire de plus grand, dans le temps, que ce
« qui doit faire toute la grandeur de l'éternité ? »

2° Quod autem ad Filium attinet, quasi primaria ipsius proprietas est, ut Patris naturam omninò referat, perfectaque sit illius imago ; ac proinde illum imitabimur, si integram in nobis et illæsam custodiamus imaginem Dei, quam gerimus ; si eam virtutum atque perfectionis zelo excolere, et ampliùs in dies exornare studeamus.

3° Tandem Spiritûs sancti ille imitator existit, qui ita se dilectioni Dei et proximi tradit, ut totus veluti amor efficiatur. Igitur qui divino huic Spiritui similis esse exoptat, dilectionem in omnibus spiret, nihil nisi amorem loquatur, dilectionem cunctis insinuet, fiat quasi dilectionis stimulus, et amoris vinculum inter homines.

Hæc sunt quæ fidelibus de SS. Trinitate exponenda judicamus. Non existimamus tamen omnia omnibus pariter explicari debere ; sed pastoris aut prædicatoris uniuscujusque erit perpendere, quid auditorum suorum intelligentiæ accommodatum sit, quid verò eorum captum excedat. Omnes autem persuasum habeant paucissima esse, de quibus sermo, si simplex sit et nitidus, ad vulgarem sensum descendere omninò non possit.

SECTIO III.

De ratione docendi ea quæ ad SS. Trinitati mysterium pertinent.

Si humana tantùm et naturalis augustissimi hujus mysterii fides hominum mentibus instillanda foret, necessariò confugiendum esset ad solita argumentationum momenta, ut ad illud credendum adducerentur ; verùm fides supernaturalis et divina toto cœlo à naturali distat, nec iisdem rationibus suaderi debet ; non enim humanæ artis aut industriæ opus est, sed Dei, qui solus in hominum mentes supernaturale lumen inferre, eorumque voluntates ad assentiendum suâ gratiâ inclinare potest. Quapropter quidquid de SS. Trinitate dicendum est, minùs rationibus naturalibus niti debet, quàm revelatione ; atque ex Traditionis et Scripturarum fontibus necesse est pura veritatis flumina derivari in sermones, qui de his rebus habentur ; alioquin inutiles essent et infructuosi. *Prædica verbum*, ait Apostolus 2 Tim. 4, non humanum sanè, sed divinitùs hominibus datum, verbum vitæ æternæ, verbum gratiæ ; *quod utile est ad docendum* præ omnibus. Ipsi enim singularis inest persuadendi vis et efficacia, et, Deo sic ordinante, potentissimum est ad destruendum *omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, et ad redigendum in captivitatem omnem intellectum in obsequium Christi*, 2 Cor. 10. His armis instructus concionator habebit *os et sapientiam cui non poterunt resistere adversarii*, Luc. 21.

Non hæsitans ergo loquatur, non timidâ voce, sed cum dignitate et potestate, confisus nimirùm illius auctoritate pro quo legatione fungitur. Quando Christus cœlestem suam doctrinam tradebat, *erat docens sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ et Pharisæi*, Matth. 7 ; ita sese gerere debet prædicator, præsertim ubi de SS. Trinitatis mysterio sermo est. Nam Christus, cui *data est omnis potestas in cœlo et in terrâ*, Apostolis eorumque successoribus dixit : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti ; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*, Joan. 20, Matth. 28. Judæus scandalizetur, Græcus irrideat, cui hæc doctrina stultitia est ; *quod stultum est Dei sapientius est hominibus*, 1 Cor. 1. Cæterùm, *placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*, ibid., *ut fides non sit in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei*, ibid. 2.

Audiatur Lud. Fr. d'Argentan in hanc rem pulchrè disserens Colloq. 6, art. 4 : « Quel « conseil profond de la divine sagesse, inquit,

« de vouloir que les Apôtres commencent à « instruire le monde par le mystère adorable « de la Trinité, quoiqu'il soit le plus incom- « préhensible de nos mystères, et le plus ca- « pable d'étonner, et même de rebuter tout « esprit qui n'aurait encore aucune teinture « de la foi !

« Pourquoi n'a-t-il pas ordonné qu'ils com- « mençassent par quelque chose de plus sen- « sible et de plus aisé à entendre, afin de « conduire peu-à-peu leurs esprits à se sou- « mettre à la croyance de ce mystère ? C'est « qu'il y a bien de la différence entre la science « qui nous vient du ciel, et celle qui naît de la « terre. Quand on nous apprend les sciences « humaines, on commence par les principes, « qui nous sont les plus connus, et dont tout « le monde demeure d'accord ; et puis on « nous éclaire peu à peu, nous conduisant à « des vérités plus profondes et plus cachées, « que nous n'eussions pu concevoir, si on les « eût proposées d'abord. Cette conduite est « nécessaire, quand il s'agit des sciences ac- « quises, parce qu'il faut que l'esprit tire sa « science de lui même, et que, raisonnant sur « des principes qu'il connaît naturellement, « il développe des conséquences qu'il ne voyait « pas. Mais la science qui nous vient du ciel, « va d'un pas tout contraire ; l'esprit humain « n'en a pas les principes dans lui-même ; « ils sont tous renfermés dans l'esprit de Dieu, « qui en est le trésor infini. Elle ne se produit « pas en nous par la force des raisonnements ; « il ne faut qu'écouter simplement ce que « Dieu nous dit, et le croire d'une ferme foi. « Elle ne descend pas de l'esprit Dieu dans « notre esprit, pour dépendre de nos lumières « naturelles ; elle vient pour les éclipser, pour « régner en souveraine et pour commander. « Elle ne se présente pas au jugement de « l'homme, pour être examinée comme par « son juge ; mais elle vient pour l'instruire « comme son disciple. C'est pour cela qu'elle « entre dans une âme avec majesté, et qu'elle « lui présente d'abord le plus éclatant et le « plus incompréhensible de tous nos mys- « tères, afin de le captiver davantage, lui im- « primant un plus grand respect.

« Aussi les Apôtres, qui ont été les premiers « docteurs qui nous ont enseigné cette divine « sagesse du ciel, eurent la commission de « leur divin Maître de nous parler avec auto- « rité comme des oracles : *Euntes docete « omnes gentes* : Allez, instruisez tous les hom- « mes qui sont sur la terre. Il ne leur dit « point : Préparez-vous, disputez contre eux, « et tâchez par de vives raisons, de les faire « entrer dans vos sentiments. Cela serait bon, « s'il était question d'une science humaine ; « mais la divine ne dispute point ; elle enseigne « avec autorité. Il ne leur dit point : Allez, exhor- « tez-les, et leur persuadez par une puissante « éloquence, de recevoir votre doctrine. Cela « serait bon, s'il s'agissait d'inspirer quelques « sentiments naturels, ou d'émouvoir les « passions humaines ; mais la foi parle simple- « ment, et veut que l'on croie fidèlement tout « ce qu'elle propose. Il ne leur dit pas même : « Insinuez-vous doucement dans leurs esprits, « et leur proposez au commencement des cho- « ses plausibles ; flattez-les d'abord, et leur pro- « mettez de grands avantages, pour les gagner « peu à peu, avec tous les artifices dont vous « pourrez vous aviser. Rien de tout cela ; mais « il parle en maître et en souverain : Allez, in- « struisez-les, soyez les maîtres de tous les « hommes qui sont au monde, et les faites vos « disciples : *Docete omnes gentes*. Apprenez-leur « d'abord qu'il est nécessaire de croire un Dieu « en trois personnes, le Père, le Fils et le « saint Esprit.

« Mais, Seigneur, lui eussiez vous dit, toutes « les nations de la terre se rendront-elles assez « dociles, pour s'aller aussitôt soumettre vo- « lontairement à vos apôtres, qui sont des « hommes simples et grossiers, afin d'être « enseignées par eux ? Mais tant de sages poli- « tiques, et tant de savants philosophes, qui « sont les appuis de la religion païenne, vou- « dront-ils bien être les disciples de simples pê- « cheurs, quand ils viendront leur proposer « des choses inouïes et inconcevables à l'esprit « humain ? Mais enfin tant de riches, tant de « nobles, tant de puissants, et tant d'esprits « fiers, qui se croient les maîtres du monde, « et qui se font écouter des peuples comme des « oracles, et comme s'ils étaient les dieux de « la terre ; tous ces gens-là iront-ils rendre aus- « sitôt cette humble déférence à des hommes « pauvres et abjects, qu'on ne connaît point, et « qui n'ont nulle autorité qui paraisse, de les « écouter, de les croire, et de recevoir tout « ce qu'ils diront comme des vérités certaines, « sans les concevoir ni les entendre ?

« Vous verrez, vous eût-il répondu, vous ver- « rez la force invincible de la foi divine. Ce « que jamais la science des plus beaux esprits « n'aurait su faire entendre à personne ; ce

« que l'éloquence des plus grands orateurs « n'aurait pu persuader à un seul homme : et « enfin ce que la puissance absolue des plus « grands monarques n'aurait pu gagner sur « l'esprit humain, la foi divine l'obtiendra « doucement, sitôt qu'elle paraîtra au monde « toute éclatante des lumières éternelles de « cette grande vérité : *il y a un seul Dieu en « trois personnes, le Père, le Fils et le saint Es- « prit.* Et ne voyons-nous pas que tant de mil- « lions des plus beaux esprits, des plus savants « et des plus nobles qui fussent au monde, se « sont soumis à croire avec une profonde hu- « milité, mais avec une très-ferme foi, des « vérités si profondes et si obscures, seulement « parce que la foi les a enseignées; tandis que « tout ce qu'il y a eu de plus grands philoso- « phes de l'antiquité, avec toute la force et l'évi- « dence de leurs raisonnements, en proposant « même des choses plausibles, et qui flattaient « les inclinations humaines, n'ont jamais pu « obtenir des hommes, de marcher dans leurs « lumières, ni d'adopter leurs sentiments !

« Eh ! d'où vient que la foi divine gagne plus « d'esprits par ses ténèbres, que la science « humaine par son évidence, sinon qu'elle « porte en tête le mystère adorable de la très- « sainte Trinité? Et comme c'est le tout-puis- « sant mystère qui opère tout au dedans de « Dieu, c'est aussi lui qui opère tout au dehors « de Dieu sur les âmes. C'est lui qui fait naître « des enfants adoptifs de Dieu au sein du bap- « tême. La grâce n'en produit pas un seul, « qu'il ne préside à sa naissance, *baptizantes « eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs san- « cti;* comme si les trois personnes divines « qui avaient concerté ensemble sur la pre- « mière formation de l'homme, quand elles « dirent : *Faisons l'homme à notre image et « ressemblance,* convenaient de nouveau pour « le reproduire ici, le reformant plus noble- « ment à leur ressemblance, lorsqu'il naît de « nouveau à la vie divine, comme une vivante « image du Père, du Fils et du Saint-Esprit. « C'est lui qui est le flambeau des fidèles, « pour les conduire dans les voies de Dieu. « C'est lui qui est la force et la défense du « chrétien. »

Vides quanta mysteriis, et maximè mysterio SS. Trinitatis, à Deo virtus indita sit, ad hominum mentes occupandas et fidei mancipandas obsequio; proindeque quanta prædicatores, dùm ista, rationi licet in speciem repugnantia, populis exponunt, fiducia deceat? Vides quàm parùm proficiant in talibus concionibus *persuasibilia humanæ sapientiæ verba*, quæ idcircò respuebat Apostolus 1 Cor. 2?

Attamen ne quisquam inde concludendum putet, nullam diligentiam aut præmeditationem in hujusmodi orationibus postulari. Etenim quamvis humanâ arte et eloquentiâ divina fides cordibus infundi nequeat, quis non intelligat de tanto mysterio temerè et inconsultè dicere nefas esse, ne sermonis inconsiderantiâ fidei aditus præcludatur? Imò verò cùm de rebus agatur quæ non ita plerùmque sunt vel ad credendum vel ad intelligendum faciles, summâ prudentiâ opus est, tum in præcavendis quæ opponi possunt difficultatibus, ne incautè dicta in offensionem cedant infirmis; tum in orationis partibus ordinandis, ut ex aptâ rerum dispositione copiosius lumen ipsis affundatur; tum in verbis eligendis, ut illa potissimè adhibeantur, quæ præ cæteris idonea sunt ad veritates animis audientium accommodandas et instillandas. Ipse etiam stylus nonnihil curæ exigit; nimia enim in dicendo incuria rerum gravitati ac dignitati haud equidem congrueret, fastidiumque nata esset movere audientibus. Procul sanè removeri debent exquisitiora et ambitiosa ornamenta, non autem naturalis quidam et minimè fucatus nitor, quo fit ut res cæteroquin arduæ cum majori voluptate et delectatione audiantur. Inter omnia verò ornamenta nullum congruum, imò necessarium, magis est, quàm sapiens et consideratus delectarum similitudinum usus, quo nihil efficacius fingi potest, ad obscuras quæstiones planas faciendas, et in mentibus defigendas. Quamobrem utilissimum nobis visum est, hìc exhibere plurimas similitudines, quas adhibere solebant SS. Patres ad explicanda quæ ad SS. Trinitatem pertinent, quasque Thomassinus eruditissimè collegit et egregiis commentariis illustravit. Convenientiùs simul et luculentiùs absolvi non posse existimamus præsentem appendicem ipsumque tractatum de SS. Trinitate. Sic igitur habet vir doctissimus, cap. 18 et 26 :

« I. Emerget luminis aliquid ad explanationem unius et trinæ Deitatis, si splendidissima ejus vestigia in naturis primùm intellectualibus persequamur, et tum postea in materialibus. Exercetur et acuitur mens in his vestigiis considerandis, et his veluti gradibus sensim provehitur, ut in fide tanti sacramenti robore-

tur, et ad ejus intelligentiam, sin minùs attingat, certè propiùs in dies accedat. Jam audiamus Augustinum ita loquentem, et hæc nobis sublustria hujus tanti arcani vestigia indigitantem Confess. l. 13, c. 11 : « Trinitatem « omnipotentem quis intelligit? Et quis non « loquitur eam, si tamen eam? Rara anima, « quæ cùm de illâ loquitur, sciat quid loqua- « tur. » Non despondet intelligentiam, sed nec de eâ desperat. Raram dicit animam, non dicit nullam, quæ Trinitatem intelligat. Illud certè monet : ad eam per contentiones et rixas minimè perveniri sed pace pietate, meditatione, sedulâ mentis exercitatione circa ea vel symbola, vel vestigia, quæ nos ad illud penetrale perducant, qualia sunt illa tria, esse, nôsse, velle, quæ ita tria sunt, ut unum sint; non ut summa illa Unitas Trinitasque, sed ut ejus pulcherrimum speculum ac simulacrum, cui insuefacti, ulteriùs postea forsitan eluctabuntur, vel supernè potiùs allicientur. « Et contendunt et dimicant, et ne- « mo sine pace vidit visionem istam. Vellem ut « hæc tria cogitarent homines in seipsis. Lon- « gè aliud sunt ista tria, quàm illa Trinitas. « Sed dico, ubi se exerceant, et probent, et « sentiant quàm longè aliud sunt. Dico autem « hæc tria, esse nôsse, velle. »

« II. Hos certè nobis supra præscripsimus modestiæ et sobrietatis limites, ut exercitamenta tantùm aliqua proponeremus, eaque ex sanctis Patribus decerperemus; ut ex his sentiatur, quàm procul simus ab illâ luce, et ita pro nostro modulo nos illi sensim aptemus, quò eam nondùm quidem in seipsâ, sed in splendidissimis quibusdam veluti speculis intueri possemus. Inter ea specula et lucidissima trinæ Unitatis simulacra non postremum locum obtinet, quod hìc nobis ab Augustino repræsentatur. « Dico autem hæc tria, esse, « nôsse, velle. Sum enim, et novi, et volo ; « sum sciens et volens ; et scio esse me et velle; « et volo esse, et scire. In his igitur tribus « quàm sit inseparabilis vita, et una vita, et « una mens, et una essentia, quàm denique « inseparabilis distinctio, et tamen distinctio, « videat qui potest. Certè coram se est, atten- « dat in se, et videat, et dicat mihi. Sed cùm « invenerit in his aliquid et dixerit, non jam « se putet invenisse illud quod supra ista est « incommutabile, quod est incommutabiliter, « et vult incommutabiliter. »

« Nemo nostrûm est, qui non hæc tria intra se sit, sentiat et experiatur, et qui non videat hæc tria ita distincta esse, ut conjunctissima sint, et singula singulis immeent, ut mirum in modum et tria sint, et unum nihilominùs sint. Quis enim non ita hæc cum Augustino sciat sentiatque, et intùs ex insitâ conscientiâ dicat : *Sum, novi, volo; sum sciens et volens; Scio esse me et velle; Volo esse et scire?* Ita hæc reciprocè commeant, nec possunt à se disjungi. Nec aliud intelligeretur, si diceretur, vivere, intelligere, velle ; nam esse animæ vita est ; cùm vix capi possit antè anima esse, cui postea accedat vivere. Essentia ergo animæ vita ; et hæc non qualiscumque vita, sed intelligentia est; nec exsucca et jejuna intelligentia, sed affectu et amore, pro rerum quæ intelliguntur meritis, ebria. Vivere ergo, intelligere, amare, una et triplex vita est, distincta, sed inseparabilis.

« Pulcherrima hæc est Trinitatis imago, sed imago, et quidem nonnihil decolor, donec perveniatur ad illam viventem essentiam, quæ ut est, ita et vivit, et intelligit, et vult incommutabiliter; et hoc est ejus esse, totum vivere, totum intelligere, totum amare. Ecqua enim summa essentia, quæ non sit et vita? Ecqua vita, quæ non sit intelligentia? Ecqua intelligentia, quæ non amando delicietur? Tria ergo hæc in singulis sunt; simplicia sunt et multiplicia ; unum sunt et tria; tria sunt, non sectione unitatis, sed magnitudine et fœcunditate. Sed quis hæc facilè cogitet? quis in eâ cogitatione diù consistat? In hujus ergo inaccessi arcani imagine naturis intellectualibus appictâ consultissimum est oculos defigere, et ita ad divinorum intelligentiam præparari. Ita sanè Augustinus, qui hæc eadem rursùs non multò post inculcat nobis, mente per orationem ad Deum arrectâ; ubi et illo nostram infirmitatem solatio levat, quòd æquum non sit, ut quemadmodùm se scit incommutabile lumen, ita sciatur à naturâ creatâ, quæ nec lumen est, nec incommutabilis, sed supernè illuminata et commutabilis. « Nam sicut omninò tu es, tu scis solus, qui « es incommutabiliter, et scis incommutabi- « liter, et vis incommutabiliter. Et essentia « tua scit et vult incommutabiliter, et scien- « tia tua est et vult incommutabiliter, et vo- « luntas tua est et scit incommutabiliter. Nec « videtur justum esse coram te, ut quemad- « modùm se scit lumen incommutabile, ita « sciatur ab illuminato commutabili. Ideòque « anima mea sicut terra sine aquâ tibi; quia « sicut se illuminare de se non potest, ita se

« satiare de se non potest. Sic enim apud te « fons vitæ, quomodò in lumine tuo videbimus « lumen. » Confess. l. 13, c. 10.

« III. Præluxerat Ambrosius Augustino in hæc omnia. Ita enim ille animam senserat esse pulcherrimam imaginem Trinitatis, quòd ubique tota esset in suo corpore, tota in toto, tota in singulis partibus; ideòque non major, non minor usquàm; sed tanta in minoribus, quanta in majoribus, quanta in omnibus. Senserat et in eo esse hanc imaginem, quòd instar Dei anima esset, viveret, saperet; intelligeret, saperet, amaret; et hæc tria esset ipsa, etsi una et simplex esset. Ita enim Deus vivit, sapit, amat, ut hæc tria unum sint; unum quia ex uno; ita sunt duo, ut ipsum sint, quod ipsum est; etsi non ipse sint, ut nec ipse ipsa est. Sanè nec in animâ sapere et amare idem est omninò quod esse, etsi separata hæc non sunt. Ambrosius, tomo 1 : « Nec enim (anima) in « majoribus corporis sui membris major, et « in minoribus minor, sed in minimis tota, « et in maximis tota. Et hæc est imago unitatis « omnipotentis Dei, quam anima habet in se. « Quæ quoque quamdam sanctæ Trinitatis habet « imaginem. Primò in eo, quia sicut Deus est, « vivit, et sapit, ita anima secundùm suum « modum est, vivit, et sapit. »

« Hæc Ambrosius in libro de Dignitate conditionis humanæ, ubi hæc paulò inferiùs et non paulò elegantiùs addit : « Ideò autem di- « citur Deus Pater, quia ipse est ex quo, et « sapientia est quâ ordinantur omnia, et « dilectio quâ se volunt omnia ita mane- « re ut ordinata sunt. Ex quo ergo, et qui ex « eo, et quo se diligunt ipsa duo, tria sunt; « et illa tria ideò unum, quia sic sunt ex uno « illa duo, ut tamen ab eo non sint separata; « sed ex ipso sunt, quia non à se, et in ipso, « quia non separata; et ipsum ipsa quod ipse; « et ipsum ipse quod ipsa; et non ipsum ipsa « qui ipse : et non ipsa ipse quæ ipsa. Ista duo « Deus est, et ipse Deus tria est, et unumquod- « que horum trium Deus est, et omnia tria illa « non dii, sed Deus est. »

« Denique in eumdem sensum addit Ambrosius Deum esse vim illam ineffabiliter magnam, innumerabiliter sapientem, incomparabiliter suavem; ita distinctis his tribus, ut indivulsa sint. Magnitudo enim Dei ipsa est ejus sapientia et beatitas : rursùm Sapientia Dei ipsa est ejus amplitudo, et inexhausta suavitas; denique infinità sapientiæ suavitate magnus est Deus; à quo et anima habet ut et ipsius magnitudo, sapientia, felicitas ita tres sint, ut et unum sint; quanquàm non ita tria sint, ut tres sint personæ, sicut in Deo; nec ita unum sint, ut hæc unitas possit tres personas in unam individuam vincire naturam. Sed distare imaginem necesse est à veritate. « Deus dicitur vis « illa ineffabiliter magna, et innumerabiliter « sapiens, ut scriptum est : Magnus Dominus « noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus « non est numerus, et incomparabiliter suavis, « ut alibi dicit : Suavis Dominus universis, et « miserationes ejus super omnia opera ejus. « Ex quâ, et per quam, et in quâ sunt omnia « quæ sunt, reguntur omnia quæ sunt, conti- « nentur omnia quæ sunt. »

« Aliam, si tamen aliam, oculis ibidem Ambrosius objicit mox imaginem, mentis, intelligentiæ, sive scientiæ et amoris. Mens enim scire gignit, et amat scire; et hæc tria una anima sunt. A mente gignitur scientia; à mente et scientiâ proficiscitur amor scientiæ. Una est ergo et suo quodam modo trina mens, sese primùm intelligens, diligensque. Utcumque hæc imitantur creatricem omnium unitatem et Trinitatem; sed illud assequi non possunt, ut tria hæc tres distinctæ hypostases sint, et unitas hæc ita omnipotens sit, ut tres personas in unitatem constringat naturæ individuæ. « Mens ergo scire gignit, et amat « scire quod scit. » Et statim ibidem : « Illud « enim scire mens gignit, et cùm genitum est, « scientia potest dici. Sunt ergo jam duo, mens, « et quod ipsa mens scit : restat tertium utrius- « que commune. Omnis mens quidquid scit, « amat. Amor non minùs quàm inter duo est, « amantem et quod amatur. Unus est ergo « amborum amor, qui et tertius est. Non au- « tem potest negari, hoc totum unam esse ani- « mam, et unam animam hæc tria esse. Sicut « enim hæc tria verè una anima sunt, sic non « minùs verè una anima est hoc unum, hoc « alterum, et hoc tertium. Comparet igitur se « hæc creatura tam eminens Creatori suo su- « pereminenti sibi, excepto hoc, et multùm « supra se amoto, quòd omnis bonitas, et omne « bonum, et omnis bonitatis et boni dulcedo « Creatoris à seipso est; creatura verò non so- « lùm quod est, sed etiam quod talis est, ab a « est, non à se; et ipsa quod est, semper est. »

« Turbata nonnihil sunt quæ sequuntur, sed nihil caliginis est in his quæ paulò post habentur, ubi declarat Ambrosius in his aliquod æternitatis et incommutabilitatis consortium, aliquam saltem umbram agnosci

posse, et ita animam *suo quodam modo incommutabilem* esse posse, cum postquàm esse cœperit, et sit, et sciat semper, semper esse et scire velit; quin et hanc scientiam et hunc amorem ex sese semper gignat. « Nam semper « anima est postquàm esse cœperit, et scit, et « scire vult. Comparet ergo, ut dixi, se anima « eo modo quo potest, Creatori suo, ut dica- « tur mens Pater, quia gignit scire : dicatur « scire Filius, quia ex alio est, et non est aliud « quàm ipsum, ex quo est : dicatur amor Spi- « ritus sanctus quia amborum est eorum qui « se amant. Unde in nostris Scripturis sæpiùs « amor, id est, charitas, quæ in Deo est erga « nos, et quæ à nobis in Deum, Spiritus ipse « appellatur. Et hæc de imagine. »

« IV. Accuratiùs hanc eamdem similitudinem pertractavit Augustinus in operosissimo illo opere, quod de Trinitate inscripsit, et ubi non dissimulat ipse hoc sibi fuisse propositum, ut quod fide jam tenebat, diligentiùs et ulteriùs quæreret; nec ita inveniri à se posse speraret, in hâc mortali statione, quin superesset semper quod quæreret. Hanc nobis propositam regulam non piget nos ad fastidium usque inculcare, quia nec Augustinum piguit, et quia non nescimus, ita non paucos fidei suæ inhærescere, ut ægrè ferant, si qui huic præsidia, huic lucis incrementa aliqua à se quæri, et comparari profiteantur. Non aliud certè id fuerit, quàm totam sanctorum Patrum, necnon et scholarum theologiam labefactare. Audiendus de hoc ipso Augustinus de Trinit. l. 9, c. 1 : « Tutissima est enim quæ- « rentis intentio, donec apprehendatur illud « quò tendimus, et quò extendimur; sed ea « recta intentio est, quæ proficiscitur à fide. « Certa enim fides utcumque inchoat cognitio- « nem, cognitio verò certa non perficietur, « nisi post hanc vitam, cùm videbimus facie « ad faciem. Hoc ergo sapiamus, ut noverimus « tutiorem esse affectum vera quærendi, quàm « incognita pro cognitis præsumendi. Sic ergo « quæramus, tanquàm inventuri; et sic in- « veniamus, tanquàm quæsituri. Cùm enim « consummaverit homo, tunc incipit. De cre- « dendis nullâ infidelitate dubitemus, de intel- « ligendis nullâ temeritate affirmemus : in illis « auctoritas tenenda est, in his veritas exqui- « renda. »

« V. Mens quælibet, ut ait Augustinus, et seipsam novit, et per seipsam se novit; corpora per corporeos oculos, mentes aliorum ex seipsâ, seipsam per sese novit, ut sibi intima et sibi intùs semper præsentissima. Nec enim aliorum mentes per ipsas, sed per seipsam novit, quæ non potest non se nôsse, ubi tantisper se in se recipit, et cogitat, et cogitare se advertit. Nec tantùm seipsam mens novit, sed et amat. Et hoc totum ipsamet est, hæc tria ipsa est, et in his tribus una est, sese in sese intelligendo et amando retorquens; una existens, intelligens et amans hæc tria, esse, intelligere, amare. Unum hîc est principium, mens, vita, et vitalis essentia; ab eo manant alia duo, et ad id referuntur, intelligere et amare : « Ubi ergo Trinitas? Attenda- « mus quantùm possumus, et invocemus lucem « sempiternam, ut illuminet tenebras nostras, « et videamus in nobis, quantùm sinimur, « imaginem Dei. Mens enim amare seipsam « non potest, nisi etiam se noverit; nam quo- « modò amat quod nescit? Aut si quisquam « dicit ex notitiâ generali, vel speciali mentem « credere se esse talem, quales alias experta « est, et ideò amare seipsam, insipientissimè « loquitur. Unde enim mens aliquam mentem « novit, si se non novit? neque enim ut ocu- « lus corporis videt alios oculos, et se non « videt, ita mens novit alias mentes, et igno- « rat semetipsam. Per oculos enim corporis « corpora videmus. » Et paucis interjectis : « Mens ergo ipsa sicut corporearum rerum « notitias per sensus corporis colligit, sic in- « corporearum rerum per semetipsam. Ergo « et semetipsam per ipsam novit, quoniam « est incorporea; nam si non se novit, non se « amat. »

« Est quidem in his tribus aliquid discriminis, sed quo minimè perimatur eximia quædam unitas. Nam etsi duo sunt mens et notitia sui, et rursùs mens et amor sui, denique notitia et amor sui, est tamen una et suo quodam eximio modo simplex mentis natura seipsam intelligentis et diligentis; ipsa in se una, hæc tria, perfecta, et æqualia. Unde rursùm Augustinus in cap. 4 : « Sicut autem duo « quædam sunt, mens et amor ejus, cùm se « amat, ita quædam duo sunt, mens et notitia « ejus, cùm se novit. Igitur ipsa mens et amor « et notitia ejus, tria quædam sunt, et hæ « tria unum sunt, et cùm perfecta sunt, æqua- « lia sunt. » Et mox : « Mens verò cùm seipsam « cognoscit, non se superat notitiâ suâ, quia « ipsa cognoscit, et ipsa cognoscitur. Cùm « ergo se totam cognoscit, neque secum quid- « quam aliud, par illi est cognitio sua : quia « neque ex aliâ naturâ est ejus cognitio, cùm

« seipsam cognoscit. Et cùm se totam, nihil « amplius percipit, nec minor, nec major est. « Rectè igitur diximus, hæc tria, cùm perfecta « sunt, esse consequenter æqualia. »

« VI. Porrò hæc tria, mens, notitia sui, amor sui, et singula in seipsis sunt, et singula ad alia referuntur; est enim mens in seipsâ, et ad se dicitur, quanquàm, ut noscens, ad notitiam suam, ut amans ad amorem suum referatur. Ita et notitia in seipsâ est, et ad se dicitur, etsi ad mentem referatur; anima enim noscere se novit, et intelligere se intelligit; atque ita notitia et intelligentia suîmet notitia et intelligentia est. Ita denique et amor in se et ad seipsum est, quia quisquis amat amare se amat, atque ita amorem suum amat, quanquàm ad mentem amantem amor referatur. Hæ sunt pellucidæ divinarum personarum imagines, sive umbræ, quatenùs illæ, et in seipsis sunt, et ad se invicem referuntur. « At « in illis tribus, cùm se novit mens et amat « se, manet Trinitas, mens, amor, notitia, et « nullâ commixtione confunditur; quamvis et « singula sint in semetipsis, et invicem tota « in totis, sive singula in binis, sive bina in « singulis. Itaque omnia in omnibus. Nam et « mens est utique in seipsâ, quoniam ad seip- « sam mens dicitur; quamvis noscens, vel no- « ta, vel noscibilis, ad suam notitiam relativè « dicatur. Amans quoque, et amata, vel ama- « bilis, ad amorem referatur, quo se amat. Et « notitia quamvis referatur ad mentem co- « gnoscentem, vel cognitam, tamen et ad seip- « sam nota et noscens dicitur. Non enim sibi « est incognita notitia, quâ se mens ipsa cog- « noscit. Et amor, quamvis referatur ad men- « tem amantem, cujus amor est, tamen et ad « seipsum est amor, ut sit etiam in seipso; « quia et amor amatur, nec alio nisi amore « amari potest, id est, seipso. Ita sunt hæc « singula in seipsis. » Ibid. c. 5.

« Rursùs mens amans in amore suo est, et amor in mente; et mens noscens in notitiâ suâ est, et notitia in mente; utque uno verbo rem conficiam, et sui sibi conscius est amor, et notitia sui amans est; et cùm notitia hæc, tum amor ipsamet mens est, sui cum primis gnara, sui amans; cùm ne aliam quidem rem ullam vel noscere possit, vel amare, quin arcano sui sensu, et noscere se noscat, et amare se amet. Quanquàm enim non semper ad hæc seriò advertant homines, implicita sunt tamen hæc omnia menti cuicumque intelligenti et amanti. « In alternis autem ista sunt, quia et « mens amans in amore est, et amor in aman- « tis notitiâ, et notitia in mente noscente. « Singula in binis ita sunt, quia mens quæ se « novit et amat, in amore et notitiâ suâ est; « et amor amantis mentis, seseque scientis, in « mente notitiâque ejus est; et notitia mentis « se scientis in mente atque in amore ejus est, « quia scientem se amat, et amantem se novit. « Ac per hoc et bina in singulis, quia mens « quæ se novit et amat, cum suâ notitiâ est in « amore, et cum suo amore in notitiâ; amor « quippe ipse et notitia simul sunt in mente, « quæ se amat et novit. »

Denique hæc tria tota in totis sunt, quia totam se tota mens amat, totam novit; totum amorem suum amat et novit; totam notitiam suam novit et amat. Tria ergo hæc suo modo perfecta sunt, nec divelli à se mutuò possunt; et relativè ad invicem dicuntur, et in unâ subsistunt animæ substantiâ. « Tota verò in « totis quemadmodùm sint, jam suprà osten- « dimus, cùm se tota mens amat, et totam no- « vit, et totum amorem suum novit, totamque « amat notitiam suam, quando tria ista ad se « ipsa perfecta sunt. Miro itaque modo tria « ista inseparabilia sunt à semetipsis, et tamen « eorum singulum quodquod substantia est, et « simul omnia una substantia, vel essentia, « cùm relativè dicantur ad invicem. » Et infra : « Cùm itaque se mens novit et amat, « jungitur ei amore verbum ejus. Et quoniam « amat notitiam, et novit amorem, et verbum « in amore est, et amor in verbo, et utrum- « que in amante atque dicente. »

« VII. His affinia sunt quæ inferiùs disputat sanctus Pater, de memoriâ, intelligentiâ, et voluntate, quæ eodem propè modo et tria sunt, et unum, et sua sibi sunt, et ad se sunt, et tamen ad invicem referuntur; ita distincta sunt, ut sese mutuò immeant; ita innexa et implicata, ut tamen distinguantur; porrò ita animæ perspecta et manifesta sunt, ut tam non possint eam latere, quàm non possit latere seipsam. Utcumque enim de mente suâ opinentur quandoque homines, alia alii quasi somniantes, et quæ per sensus corporeos illapsa sibi sunt, suæ intùs menti perperam affingentes, ubi ab his avocamentis in seipsos se referunt, se ipsos intùs consulunt et audiunt, non possunt non omnes sentire et consentire, mentem suam vim esse, quæ meminerit, intelligat, velit. De cæteris, quæ extrinsecùs, affluxerunt, imaginibus, an anima sit aer, ignis, sanguis, cœlestis quædam

substantia, controvertitur; nihil de his sibi anima nuntiat, ubi sese percunctatur. Memoriam, intelligentiam, voluntatem se esse, et videt et sentit, et in seipsâ hæc se esse videt et sentit. Cætera ergo amandari æquum est, ut adventitia quædam figmenta; hæc sola retinenda, quorum conscia ipsa sibi est, et in quibus statim comperit miram prorsùs Trinitatis imaginem. Sic ergo Augustinus de Trinit. l. 4, c. 10 : « Non enim quidquam illi est « se ipsâ præsentius, sicut cogitat vivere se « et meminisse et intelligere et velle se. Novit « enim hæc in se, nec imaginatur quasi extra « se illa sensu tetigerit, sicut corporalia quæ- « que tanguntur. Ex quorum cogitationibus si « nihil sibi affingat, ut tale aliquid esse se pu- « tet, quidquid ei de se remanet, hoc solum « ipsa est. Remotis igitur paulisper cæteris, « quorum mens de se ipsa certa est, tria hæc « potissimùm considerata tractemus, memo- « riam, intelligentiam, voluntatem : in his « enim tribus inspici solent etiam ingenia par- « vulorum, cujusmodi præferant indolem. « Quantò quippe tenaciùs et faciliùs puer me- « minit, quantòque acutiùs intelligit, et studet « ardentiùs, tantò est laudabilioris ingenii. »

« VIII. Subjicit mox idem tria hæc, memoriam, intelligentiam, voluntatem, non tres esse vitas, sed unam; non tres mentes, sed unam; non tres substantias, sed unam; quòd vita, mens, substantia sint, absolutè et ad se esse; quòd memoria, intelligentia et voluntas sint, ad aliud referri; ad illud scilicet quod meminit quis, quod intelligit, quod vult. Quòd ergo ad se sunt, unum sunt, una vita, una mens, una substantia, et essentia; at quòd relativè sunt, tria sunt. Æqualia denique inter se sunt, cùm unum substantiâ et naturâ sint, et reciprocè sese immeent, implicentque. Meminit enim unusquisque nostrûm, et meminisse se, et intelligere, et velle; idemque intelligit et intelligere se, et meminisse, et velle; denique vult unusquisque et velle se, et intelligere et meminisse. Quæ cùm imago pulcherrima sit unius et Trinæ Deitatis, et ipsa sit animæ substantia, facilè intelligit anima rationalis in ipso mentis sacrario, quantò natura ejus à naturâ divinâ superatur, tantò æquum esse superari hujus imaginis præstantiam ab ineffabili illâ divinæ substantiâ Trinitatis; ut minùs jam stupeat tres relativas Dei hypostases in unitatem divinæ naturæ simplicissimam coalescere. Iterùm ergo ibidem Augustinus : « Hæc igitur tria, memoria, intelligentia, vo- « luntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed una « vita; nec tres mentes, sed una mens; con- « sequenter utique nec tres substantiæ sunt, « sed una substantia. Memoria quippe, quòd « vita, et mens et substantia dicitur, ad seip- « sam dicitur. Quòd verò memoria dicitur, ad « aliquid relativè dicitur. Hoc de intelligentiâ « quoque et de voluntate dixerim. Et intelli- « gentia quippe et voluntas ad aliquid dicun- « tur. Vita est autem unaquæque ad seipsam, « et mens, est essentia. Quocirca tria hæc eo « sunt unum, quo una vita, una mens, una « essentia. Et quidquid aliud ad seipsa singula « dicuntur, etiam simul, non pluraliter, sed « singulariter dicuntur. Eo verò tria, quo ad « se invicem referuntur : quæ si æqualia non « essent, non solùm singula singulis, sed « etiam omnibus singula, non utique se invi- « cem caperent. Neque enim tantùm à singu- « lis singula, verùm etiam à singulis omnia « capiuntur. Memini enim me habere memo- « riam, et intelligentiam, et voluntatem; et « intelligo me intelligere, et velle atque me- « minisse; et volo me velle, et meminisse, et « intelligere : totamque meam memoriam et « intelligentiam, et voluntatem simul memini. »

« IX. Eamdem observaverat jam Ambrosius pulcherrimisque expinxerat coloribus Trinitatis imaginem in anima rationali, et in substantiâ quâvis intellectuali; ut quæ unius naturæ sit, et tres in se habeat dignitates, intellectum, voluntatem, et memoriam. In hunc sensum torquet Ambrosius illa maximi in lege præcepti, quo jubemur diligere Deum ex toto corde, et ex totâ animâ, et ex totâ mente. Quin et hoc ille addit, ut à Patre generatur Filius, et ab utroque procedit Spiritus sanctus, ita ex intellectu generari voluntatem, et ex his ambobus procedere memoriam. Denique ex his tribus consurgere animæ perfectionem, et ejusmodi esse hæc tria, ut disjungi et dissociari à se nequaquàm possint. « Est « quoque et alia Trinitas in eâ, quâ ad imagi- « nem sui conditoris, perfectæ quidem et « summæ Trinitatis, quæ ex Patre, et Filio, et « Spiritu sancto, condita est. Et licèt unius « illa naturæ est, tres tamen in se dignitates « habet, id est, intellectum, voluntatem, et « memoriam. Quod idem, licèt aliis verbis, in « Evangelio designatur, cùm dicitur : *Diliges* « *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex* « *totâ animâ tuâ, et ex totâ mente tuâ*, id est, « ex toto intellectu, et ex totâ voluntate, et ex « totâ memoriâ. Nam sicut ex Patre generatur

« Filius, et ex Patre Filioque procedit Spiritus « sanctus, ita ex intellectu generatur volun- « tas, et ex his item ambobus procedit memo- « ria, sicut facilè à sapiente quolibet intelligi « potest. Nec enim anima perfecta potest esse « sine his tribus, nec horum trium unum ali- « quod, quantùm ad suam pertinet beatitudi- « nem, sine aliis duobus integrum constat. »

« Ambrosius reliqua ejusdem imaginis li- neamenta ita nobis describit : « Et sicut Deus « Pater, Deus Filius, Deus Spiritus san- « ctus est, non tamen tres Dii sunt, sed « unus Deus tres habens personas, ita et ani- « ma intellectus, anima voluntas, anima me- « moria, non tamen tres animæ in uno corpo- « re ; sed una anima tres habens dignitates : « atque in his tribus ejus imaginem mirabili- « ter gerit in suâ naturâ noster interior homo, « ex quibus quasi excellentioribus animæ di- « gnitatibus jubemur diligere conditorem, ut « in quantùm intelligitur diligatur, et quan- « tùm diligitur, semper in memoriâ habeatur. « Nec solus sufficit de eo intellectus, nisi fiat « in amore ejus voluntas : imò nec hæc duo « sufficiunt, nisi memoria addatur, quâ sem- « per in mente intelligentis et diligentis ma- « neat Deus : ut sicut non potest esse momen- « tum quo homo non utatur vel fruatur Dei « bonitate et misericordiâ, ita nullum debeat « esse momentum quo præsentem eum non « habeat memoria. »

« X. Ex Græcis nunc obiter audiemus Cy- rillum Alexandrinum. Ita ergo ille ratiocina- tur : Si mens creata Verbum sibi suum gignit, quid divina ? Si nefas est hominis mentem ste- rilitate damnare, si suos illi, et quidem pu- rissimos partus auferre piaculum est, si non potest non pulcherrimam illa sui imaginem suo sibi in sinu formare, quid mens divina ? quantò hujus Verbum erit indubitatius, Verbi partus incorruptior, mentis seu Patris in Ver- bo imago splendidior ? Ita præstantissima Dei Verbum suum, imaginem suam, Filium suum g'gnentis declaratio in mente humanâ spectari potest. « Si mens humana, inquit in Thesauro, « citra ullam divisionem, verbum quod pro- « fert ex seipso, gignit, neque quicquam ipsa « ex illâ verbi prolatione patitur, sed verbum « quidem in mente, mens in verbo cernitur, et « alterum ab altero depingitur, et nemo sani « judicii dixerit mentem unquàm absque verbo « fuisse ; neque mens unquàm fuerit quæ ver- « bum non habeat. Verbum autem dicimus non « in universum quod linguâ profertur, verùm « etiam et quod mente intellectualiter agita- « tur ; ita etiam nemo dixerit, non esse om- « ninò in Deo proprium ipsius Verbum, quod « ex integro Patre imaginem refert, et in Pa- « tre ob essentiæ incommutabilitatem animo « cernitur. » Et infra : « Si ergo impium est « dicere mentem humanam fructum nullum « proferre, cùm id Dominus ipse testetur, et « res ipsa probet, quo pacto non absurdum « fuerit dicere supremam omnium mentem in- « frugiferam esse ; et fœcunditate quæ ei con- « venit privare ? aut si dicant generare, corpo- « reis legibus subjicere, atque ita perinde ac « corpus generare ; cùm ne mens quidem quæ « in nobis est corporeo modo generet ? At verò « qui universa transcendit longèque superat « Deus, quo pacto non mentem etiam genera- « tionis modo superabit, non amissione, aut « fluxu cujusquam, quod ei priùs inerat, sed « illustratione, citra ullam divisionem, ex « seipso gignens Filium, secundùm ineffabi- « lem atque inenarrabilem divinæ generationis « modum. »

« XI. Ingenitum, tametsi à Deo creatum, dixit alicubi Augustinus, ignem, genito à se splendori consubstantialem et coævum esse ; atque ideò hæsitare neminem jure posse, quin et Pater consubstantialem et cœternum Filium possit Deus Deum generare. « Quomodò ignis in sub- « stantiâ suâ, inquit Epist. 188, in quâ est à « Creatore creatus, est quidem ingenitus, sed « genito à se splendori consubstantialis est et « coæternus. » Sed quàm pulchra sunt, quæ ille alibi disputat contra Arianos ab exemplo ignis et splendoris ejus ! « Concedite, quæso, « Creatori, quod ipse præstitit creaturæ. Ecce « ignis et splendor duo sunt. Alter ex altero « est, nec sine altero alter est. Ignis Pater, « splendor Filius. Unus sine conjuge Pater, « alter sine matre Filius. Nec dividi alter ab « altero potest ; et cùm sit alter ex altero, « initium tamen alterius esse non potest sine « altero. Hoc posse à Creatore tributum est « creaturæ : quid potest ipse Creator ? Acce- « dat paganus, accedat Sabellianus, videat « Arianus ; contemplentur lucernam, in ipsâ « videant, quod in Deo videre non possunt. » Ita ille in Sermone adversùs quinque hæreses

« Ab his non recedebat Ambrosius libro 1 de Fide : « Dicet aliquis : Quomodò generatus « est Filius ? quasi sempiternus, quasi Ver- « bum, quasi splendor lucis æternæ, quasi « simul splendor operatur ut nascitur ? Apo- « stoli istud exemplum est, non meum. Noli

« ergo credere quòd fuerit vel momentum ali-
« quod, quo fuerit sine sapientiâ Deus, aut
« sine splendore lux. »

« Pulcherrimè autem Hilarius, lib. 7, comparationem ignis exequitur, qui ab igne prosilit, et in igne manet, unus cum eo ignis, à quo nascitur; multa quidem ille in se habet, lucem, splendorem, calorem, vim urendi, mobilitatem; at hæc omnia unus ignis. Non supra fidem ergo erit, si qua ejusmodi, imò et si qua his mirabiliora dicantur de Deo. « Affert autem pro parte fidei hujus significa-
« tionem, ignis in se ignem habens, et in
« igne ignis manens. Nam cùm sit in eo splen-
« dor luminis, naturæ calor, virtus urendi,
« mobilitas æstuandi, totum tamen ignis est.
« Et hæc universa una natura est. Habet qui-
« dem ex infirmitate quòd per materiam sub-
« sistit ac vivit, et cum eâ per quam vixerat
« deficit; sed hoc quod incomparabile Dei est,
« ex comparationum parte cognoscimus; ut
« non incredibile in Deo sit, quòd pro parte
« aliquâ in terrenis reperiatur elementis. »

« Pergit Hilarius: Ignis de igne, lumen de lumine, unus tamen ignis, unum lumen, ubi nihil dividi, nihil separari potest: demus Creatoris naturæ et dignitati amplius etiam his aliquid: « Quæro itaque nunc, utrùm
« divisio ac separatio sit, cùm ignis ex igne
« est. Aut numquid abscinditur natura, ne
« maneat; aut non sequitur natura, ne insit,
« cùm accenso lumine ex lumine, per quem-
« quam quasi nativitatis profectum, naturæ
« nulla defectio sit, et tamen sit lumen ex
« lumine? Aut numquid hoc non manet in eo,
« quod ex sese sine defectione subsistit? Aut
« non hoc inest in eo, unde non recisum est,
« sed cum unitate substantiæ naturalis exivit?
« Et quæro an non unum sint, cùm lumen ex
« lumine nec divisione separabile sit, nec ge-
« nere naturæ? Et hæc, ut dixi, ad intelli-
« gentiam fidei tantùm comparata sint, non
« etiam ad Dei dignitatem. »

« XII. Placuit et Cyrillo Alexandrino ea comparatio, cui et illam adjunxit dulcedinis ex melle manantis. Ita enim ait ille capienda esse hæc Christi verba de Spiritu sancto: *Non loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur; quia de meo accipiet;* perinde ac si mel de dulcedine suâ diceret: Nihil ex seipso deliciarum præbebit, sed à me capiet omnia. « *Non*
« *loquetur*, inquit, *ex se ipso, sed quæcumque au-*
« *dierit loquetur, quia ex meo accipiet.* Perinde
« enim est ac si mel de qualitate naturali, quæ
« sibi inest, dicat: Nihil ex seipsâ gustantium
« sensui immittet, sed ex meo accipiet; trans-
« eunte videlicet naturaliter substantiarum, ut
« ita dicam, qualitate, in ea quæ inseparabi-
« liter ex eis procedunt: quemadmodùm, ut
« modò diximus, dulcedo ex melle, calor ex
« igne, refrigeratio ex aquâ. Non est igitur
« Spiritus ex participatione, ut hæretici opi-
« nantur; sed potiùs naturaliter atque essen-
« tialiter. »

« XIII. Redeo ad Hilarium, lib. 6, ad Græcos mox reversurus. Sic ergo ille affirmat aliquando somniâsse Hierarcham, Patrem et Filium instar esse geminæ lucernæ, vel potiùs unius lucernæ duobus luminibus, seu lychnis, unius olei substantiâ utrumque rigante. At contra Hilarius declarat Filii ex Patre non seriem, non tractum, non connexionem esse, sed progeniem, sed nativitatem; cæterùm hujusmodi similitudinem naturæ corporeæ ab excellentiâ divinâ procul esse. « Hie-
« rarchas nesciens Unigeniti nativitatem, nec
« evangelicorum sacramentorum virtutem ad-
« eptus, unius lucernæ duo lumina prædi-
« cavit, ut lychnorum bipartita divisio sub-
« stantiam Patris et Filii æmularetur; quæ ex
« unius vasculi unguine accenderetur in lu-
« men; tanquàm esset substantia exterior, ut
« oleum in lucernâ continens luminis utrius-
« que naturam; vel certè ut lampas papyro
« eidem intexta, utroque capite luceret, es-
« setque media materies, lumen ex se utrum-
« que protendens. Hæc stultitiæ humanæ error
« invexit, dùm quod sapiunt, ex se potiùs
« quàm Deo sapiunt. » Et aliquantò post:
« Nihil corporale secundùm nos, nihil inane
« in Dei rebus est; quod Deus est, Deus to-
« tum est. Nihil in eo nisi virtus, nisi vita,
« nisi lux, nisi beatitudo, nisi spiritus est.
« Materias hebetes natura illa non recipit, ne-
« que ex diversis constat, ut maneat. Deus
« est, ut Deus quod est permanet, et perma-
« nens Deus Deum genuit. Non continenter ut
« lampas et lampas, aut lychnus et lychnus,
« exteriore naturâ. Unigeniti ex Deo Dei nati-
« vitas non series est, sed progenies; non
« tractus est, sed ex lumine luminis natura.
« Uintas est, non ex connexione porrectio. »

« XIV. Augustinus verò id certè præ se fert, neminem molestè ferre debere, si diceremus nihil prorsùs esse in universâ creaturâ, quod Creatori comparemus, sive naturam ejus spectemus, sive nativitatem. Si supra omnem enim comparationis aleam est tota Dei sub-

stantia, quid Dei de Deo nativitas? « Nativitas « Creatoris fortassè similitudinem in creaturâ « non habet? Quantò enim superat ea quæ « sunt hîc, in eo quod ibi est, tantò superat « ea quæ hîc nascuntur, in eo quod ibi natus « est. Omnia per Deum hîc sunt. Et quid ta- « men est comparandum Deo? Sic omnia quæ « hîc nascuntur, illo efficiente nascuntur. Et « sic forsitan non invenitur aliqua similitudo « nativitatis ejus, quomodò non invenitur et « substantiæ ejus, et immutabilitatis, divini- « tatis, majestatis ejus. »

« Sic ille in Sermonibus de Verbis Domini: et idem mox tamen similitudinem promit splendoris ab igne effulgentis, ab illo nascentis, et illi coævi; mox enim ut ignis est, est et ejus splendor; nec quisquam tam obtusus est, qui non id capiat, cùm ita Deo visum sit *inseminare omni animæ initia intellectûs, initia sapientiæ*, ut ex his initiis audeat aliquando anima consurgere ad ineffabilem Dei magnitudinem propiùs inspiciendam. « Inter- « rogo autem ego, et dico : Fulgor ab igne « existit, an ignis à fulgore? Omnis anima « mihi respondet : *Voluit enim Deus inseminare « omni animæ initia intellectûs, initia sapientiæ;* « omnis mihi anima respondet, et nemo dubi- « tat, quòd splendor ille de igne existit, non « ignis de splendore. Ponamus ergo igneni « patrem illius splendoris; quia jam prælocuti « sumus coæva nos quærere, non cœterna. « Sic lucernam accendere cupio, nondùm est « ibi ignis, nondùm est ille splendor. Mox « autem ut accendi, simul cum igne et « splendor exstit. Da mihi hîc ignem sine « splendore, et credo tibi Patrem fuisse sine « Filio. »

« XV. Ad Græcos retorquenda oratio est, et ante alios, ad Athanasium contra Arian. orat. 4, qui summâ quâdam perspicuitate et elegantiâ ita docet Patrem esse in Filio et Filium in Patre, quo modo lumen in radio est, qui ab eo fluit, radius in lumine, à quo fluit; cùm una sit utriusque natura, ex hoc in illum emanans. Ita etiam et mens et ratio unum sunt, fons et flumen; una utrobique substantia, una natura, jugiter effundente se suaque omnia mente in rationem, fonte in flumen, sole in splendorem. « *Ego in Patre et Pater « in me.* Est enim Filius in Patre, quatenùs « intelligere conceditur, eò quòd quidquid « est Filius, id universum sit proprium sub- « stantia Patris : veluti ex lumine proradiatio, « et fluvius ex fonte; ut qui Filium videat, « id videat quod est Patri suum ac proprium; « ac intelligat, quod Filius sit, eam essentiam « ex Patre esse; atque ita eum in Patre exi- « stere. Estque vice versâ Pater in Filio, eò « quòd id quod est Patri proprium ac suum, « idipsum sit Filius; ut in radiis sol, mens in « ratione, fons in flumine; atque ita quis vi- « dens Filium, videt id quod proprium est « substantiæ Patris, et intelligit Patrem in Fi- « lio esse. Nam cùm species deitasque Patris « essentia sit Filii, benè consequitur, ut Filius « in Patre existere dicatur, et Pater in Fi- « lio. Ideòque meritò, cùm antea dixisset : « *Ego et Pater unum sumus*, subintulit ista : « *Ego in Patre, et Pater in me*, ut iden- « titatem divinitatis unitate essentiæ demon- « straret. »

XVI. Non solis et ejus splendoris, sed duplicis, aut etiam triplicis solis comparatione delectabantur Marcionitæ, quasi tres divinæ hypostases in unâ deitate essent, sicut tres soles sibi quis finxerit, reciprocè immeantes. His ab Athanasio vehementer resistitur, quòd ita tres Patres et tria principia in exitium fidei catholicæ, unum Patrem, unum principium, unum Deum complectentis inveherentur. Nec enim tres illi soles ita prædicabantur, ut unus esset, à quo alii procederent in unitatem substantiæ. Erat ergo magis accommodata comparatio cum sole uno, unoque splendore ejus et calore. Quanquàm enim esset et hîc quod claudicaret, occurrebatur tamen Trideitis Marcionitis. « Non enim, in- « quit ibid. Athanasius, quemadmodùm exem- « plo supradicto similitudineque ostenditur, « tria principia, aut tres patres introducimus, « sicuti Marcionitæ; cùm non tres soles ad « comparationem adducamus, sed unicum « solem ejusque splendorem, unicamque ex « ambobus lucem : ita unum principium agno- « scimus, Conditoremque dicimus, non alium « modum, quàm unius Numinis rationem ha- « bere, eò quòd ex ipso soboles nata sit. » Et infra non minùs eleganter : « Et Pater qui- « dem à nemine, Filius autem à Patre habet. « Ut enim si ipsum jubar loquatur : *Omnia « mihi donavit lux, ut illustrarem, et ex me ipso « lucem non præbeo, sed ut lux voluit*; ea si di- « ceret, non indicaret se aliquando non ha- « bere; sed lucis se quiddam esse proprium, « lucisque omnia sua esse. Ita id quoque multò « magis in Filio intelligendum est : nam om- « nia Pater dedit Filio; et rursùm, omnia Pa- « ter possidet in Filio; Filioque possidente

Pater vicissim ea retinet. Ut enim Filii divinitas est, ita Pater in Filio universali rerum « providentiâ consulit. Horum igitur verborum istiusmodi intellectus est. »

« XVII. Copiosiùs hæc omnia, idemque luculentissimè edisseruit Gregorius Nyssenus contra Eunomium l. 1, et illud semel præfatus has comparationes non putidè nimis urgendas esse, ut accuratissimè omnia consentiant, tum deinde tres unius Dei naturæ hypostases, non soli tantùm ejusque radio et radii luci comparat, sed multò lubentiùs soli alium ex sese solem prorsùs sibi æqualem gignenti, ut ex his jam duobus tertius oriatur sol, nec lumine dispar, nec majestate. Ita summa unitas, summa æqualitas trium constituitur, cùm una sit omnium origo à Patre, una et communis natura luminis. « Per ea « quæ menti cognita et familiaria sunt, de- « currentes, à Patre per Filium ad Spiritum « sanctum accedimus. Nam in consideratione « ingeniti luminis constituti, lumen illud, « quod ex ipso continuè procedit, cognovimus; « videlicet tanquàm radium cum sole pariter « subsistentem, cujus esse causam à sole ha- « bet, sed existentia simul est cum sole, non « posteriore demùm tempore adjecta; verùm « simul ac sol apparuit, ipse etiam radius inde « resplenduit. Quin potiùs (non enim necesse « est, ut qui imagini serviunt, calumniatori- « bus, allati exempli minùs aptâ accommoda- « tione, dent contradicendi occasionem), non « radium ex sole, sed ex ingenito sole alium « solem mente ac cogitatione apprehendemus; « qui simul cum primo per generationem ex- « titerit, in omnibus primo æqualis, pulchri- « tudine, potentiâ, splendore, magnitudine, « fulgore, breviter, omnibus aliis, quæ in sole « insunt. Et rursùs aliud tale lumen ad præ- « dictum modum constituemus, nullo tempo- « rali intervallo à lumine genito abscissum, « sed per ipsum equidem effulgens, principium « verò suæ hypostaseos à primævo lumine « accipiens : lumen quidem et ipsum est ad « similitudinem præconcepti luminis lucens « et illuminans, et omnia alia quæ luci compe- « tunt efficiens. Neque enim in hoc ipso est « luminis à lumine aliqua distinctio, seu va- « riatio, quando in illuminandi gratiâ et vir- « tute nullus planè adest defectus, utpote « omni perfectione cum Patre et Filio ad « summum usque evectum; quodque cum « Patre et Filio numerari et nominari, et « per se ipsum ad lumen, quod in Patre et « Filio inesse intelligitur, adducere omnes, « qui illius participes fieri possunt, consuevit. »

« XVIII. Ab his non discedit Dionysius, de divin. Nom. c. 2, cui tamen hoc loco unum illud propositum erat, ut divinarum personarum mutuam exponeret immeationem, non ut earum origines aperiret. Unam ille observat esse lucem plurium in eâdem domo accensarum lampadum, ita ut una sit omnium lux, indistinctè distincta. Quis enim unius lumen secreverit ab aliarum luminibus, quamdiù in iisdem ædibus lucent? at vel extinctâ, vel asportatâ unâ lampade, unius illius lumen extinguitur, vel aufertur, quo testatum fit antea etiam illud à cæterarum luminibus discretum indiscretè fuisse. « Divinarum persona- « rum in seipsis, si ita loqui fas est, mutua « mansio, et collocatio, in totum supraquàm « copulata in unum, et non confusa in parte « ullâ; sicut lumina lampadum, ut exemplis « sub sensum cadentibus et familiaribus utar, « quæ sunt in unâ domo, et tota sunt in se « totis vicissim, non permixta, ac per se exi- « stunt, perfectè inter se mutuò sigillatim dis- « tincta, conjuncta in unum discretè, et discreta « conjunctim. Si quidem in domo cernimus, in « quâ multæ lampades existunt, in unum quod- « dam lumen cunctarum lumina coalescere, « splendoremque unum individuumque profer- « re; neque quisquam, ut arbitror, potest unius « lampadis lumen ab aliarum ex aere cuncta « lumina continente secernere, atque alterum « absque altero videre, quòd tota totis sine « confusione contemperata sint. »

« XIX. Ne quis verò fastidiosior has parvi faciat similitudines, illas ex sacris litteris depromit Athanasius, quæ nos hoc documento imbuerunt, corporearum etiam naturarum universitati inscripta esse lineamenta, cùm frequentia, tùm etiam splendida divinarum perfectionum, imò etiam originum, relationum, hypostaseon. Totâ hâc pulchritudine, dicam audaciùs, forsan et veriùs, totâ hâc eruditione scatent naturæ etiam sensibiles; sed oculos desiderant eruditos, eruditas aures mentis, ut videamus, ut audiamus, quid illæ nobis de Deo uno et trino ostendant, quid loquantur. Hos oculos, has aures excitant Scripturæ, si vel his animum advertamus. En Athanasii verba : « Ne igitur interroges, sed « solùm ex sacris litteris condiscas. Suffi- « ciunt enim quæ in illis reperias documenta. « Fons igitur et lux nominatur Pater. *Me*, « inquit, *reliquerunt, fontem aquæ viventis*; et

« rursum in Baruch : *Quid est, Israel, quòd in « terrâ inimicorum tuorum hæres, reliquisti fon- « tem sapientiæ ?* Et secundùm Joannem : *Deus « noster lux est.* Dicitur et Filius, respectu « quidem fontis istius, fluvius, siquidem flu- « vius Dei repletus est aquis; respectu verò « lucis, splendor, Paulo ita dicente : *Qui est « splendor gloriæ et forma substantiæ ejus.* » Et paulò post : « Rursùm cùm Pater fons sit, « Filiusque proinde flumen appelletur, nos « qui inde bibimus, Spiritum sanctum bibere « perhibemur. Scriptum est enim, quòd uno « Spiritu potati sumus; potantes autem Spiri- « tum, Christum bibimus. » Hæc ille in Epi- stolâ ad Serapionem datâ, ut addoceret, Spiri- tum sanctum non esse creaturam.

« Sed nusquàm dilucidiùs hanc similitudinem executus est Athanasius, quàm in Expositione fidei, ubi docet non esse proponendas nobis tres divinas hypostases tanquàm seorsim per seipsas distinctas et divisas, quemadmodùm in corporeâ hominum naturâ, ne gentilium more plures deos colere videamur; sed ita in- divisas, sicut fluvius à fonte genitus, ab eo non dividitur, etiamsi duæ sint species, duo nomina. Neque enim Pater Filius est, aut Fi- lius Pater; sicut neque fons fluvius est, aut fluvius fons est; sed una utriusque est aqua, quæ à fonte in fluvium propagatur : ita enim et divinitas una eademque à Patre in Filium indivisim continuatur. « Neque tres substan- « tias seorsùm distinctas, ut corporaliter in « hominibus fit, cogitamus; ne deorum plu- « ralitatem ad instar gentium sapere videamur. « Sed veluti ex fonte fluvius exortus non divi- « ditur, tametsi duæ sint species, duo sint « nomina. Neque enim Pater Filius est, neque « Filius Pater; nam et Pater Filii Pater est, « et Filius Patris Filius est; ut enim fons, flu- « vius non est : neque è diverso fluvius, fons « est : uterque tamen una et eadem aqua, quæ « ex fonte in flumen propagatur, ita quoque ex « Patre in Filium Deitas perenniter et indivi- « sim continuatur. »

« XX. Ne sileant hîc nobis Latini, elegan- tissimè Arnobius etsi paulò diversè hanc de- scripsit similitudinem venæ, fontis et fluvii. Hic jam Filius fons est, quia vena est Pater, à quâ fons fluit. Porrò hujus similitudinis de- scriptio obscurari potiùs à me poterit, quàm illustrari, si verbis illam meis aggrediar ex- planare. Sic ergo Arnobius Junior in confli- ctu suo cum Serapione de Deo trino et uno : « Dixit Arnobius : Unde fons ? Qui responden- « tes : De venâ terræ. Arnobius dixit : Vena « hæc unde nascitur fons, Patris locum op- « portunè in vestrâ mente depingat, ut sit Pa- « ter vena, Filius fons, qui natus est de venâ : « de venâ verò et fonte non nascitur fluvius, « sed procedit. Aliud est nasci, aliud est pro- « duci. Quidquid ad vivificandum pertinet, et « ad medendum, et ad lavandum unius ejus- « demque substantiæ est : sed tripartitæ per- « sonæ, ut sit vena Pater generans Filium, « quem diximus fontem; ex venâ verò et fon- « te non nascens, sed procedens fluvius sit « Spiritus sanctus. Sitque secum connexa « pergens, ut unum sint tres; et sic verè « tres, ut verè unum sint. Filius ergo idem « fons vitæ simul cum fluvio eodem Spiritu « sancto procedente ex Patre et Filio, circuit « universa orbis terræ spatia, sitientes potans, « ariditates infundens, terras rigans, sordes « diluens. »

« XXI. Placuit et Augustino hæc eadem si- militudo, nonnihil suî dissimilis. Ille enim de Fide et Symbolo, c. 9, maluit fontem spe- ctare, et fluvium de fonte manantem, et po- tionem aquæ de fluvio haustam. Una in his tribus substantia, aqua : una origo, fons; procedit fluvius à fonte, Filius à Patre; potio ab utroque, Spiritus sanctus à Patre et Filio. Magna ergo similitudo; sed est et dissimilitu- do non mediocris. Eadem enim aqua quæ nunc fons est, erit postea fluvius, erit deni- que potio. Non potest autem similiter fieri, ut idem sit aliàs Pater, aliàs Filius, aliàs Spiri- tus sanctus, « Quodcumque ergo de singulis « interrogati, respondeamus Deum esse, de « quo quæritur, sive Patrem, sive Filium, sive « Spiritum sanctum; ut tamen non tres deos « à nobis coli quisquam existimaverit. Nec mi- « rum quòd hæc de ineffabili naturâ dicuntur, « cùm in iis etiam rebus quas corporeis oculis « cernimus, et corporeo sensu dijudicamus, « tale aliquid accidat. Nam cùm de fonte in- « terrogati, non possimus dicere quòd ipse « sit fluvius; nec de fluvio interrogati, possi- « mus dicere quòd sit fons : et rursùm potio- « nem quæ de fonte vel fluvio est, nec fluvium « nec fontem possimus appellare, tamen in hâc « trinitate aquam nominamus; et cùm de sin- « gulis quæritur, singillatim aquam respondе- « mus. Nam si quæro utrùm in fonte aqua sit, « et in fluvio, nihil aliud respondetur, et in « illâ potione non poterit esse alia responsio : « nec tamen eas tres aquas, sed unam dicimus. « Sanè cavendum est, ne quisquam ineffabilem

« illius majestatis substantiam, sicut fontem « istum visibilem atque corporeum, vel fluvium « vel potionem cogitet. In his enim aqua illa « quæ nunc in fonte est, exit in fluvium : nec « in se manet ; et cùm de fluvio vel fonte in « potionem transit, non ibi permanet, unde « sumitur. Itaque fieri potest ut eadem aqua « nunc ad fontis appellationem pertineat, nunc « ad fluvii, nunc ad potionis, cùm in illâ Tri- « nitate dixerimus, non posse fieri ut Pater « aliquando sit Filius, aliquando Spiritus san- « ctus. »

« Hujus similitudinis vitio speravit Augustinus posse se medicinam facere adhibitâ similitudine aliâ radicis, roboris et ramorum in arbore. Nam hîc quæ radix est, non potest aliud quàm radix esse, non robur, non rami, et vicissim. « Sicut in arbore radix non est ni- « si radix, nec robur, nisi robur, nec ramos « nisi ramos possumus dicere. Non enim id « quod dicitur radix potest dici robur et rami; « nec lignum quod pertinet ad radicem, potest « alio etiam transitu nunc in radice esse, nunc « in robore, nunc in ramis, sed tantummodò « in radice ; cùm illa regula nominis maneat, « ut radix lignum sit, et robur lignum, et rami « lignum, nec tamen tria ligna dicantur, sed « unum. » (Editores.)

LEIBNITZII VITA.

Leibnitzius (Guillelmus-Godofredus), Lipsiæ natus est tertiâ julii die, anno 1646, parentibus familiæ decoribus et litterarum ornamento conspicuis, patre Frederico Leibnitzio, facultatis philosophicæ assessore ac doctrinæ moralis doctore publico. Cùm totus in studium exardesceret, adolescens admodùm, in patris bibliothecam omnigenis libris refertam sese abscondit ; ubi lectioni meditationique penitùs immersus, non uni disciplinarum generi inhæsit, sed quidquid suppeditabat paterna supellex, supra ætatis vires judicio instructus, ita versavit, ut è receptaculo mundum ingressus, poeseos, historiæ, philosophiæ, matheseos, juris medicinæque nec non theologiæ cognitione jam splendesceret. Academiæ Scientiarum Parisienses Londinensesque eum sibi consociatum voluerunt. Ipse instituendæ Berolini academiæ Scientiarum instigator fuit et primus præses.

Leibnitzius theologus erat, non modò quatenùs philosophus, sed in strictâ vocabuli significatione ; id est, seriò Patres scholasticosque scrutatus, varias theologiæ partes, quas philosophi plerique funditùs ignorant, minutatim didicerat. Eodem anno 1671, quo utramque motûs abstracti et concreti theoriam explanavit, argutissimum refellit Socinianum, nomine Wissowatium, Socini nepotem, in opusculo cui titulus : *Sacrosancta Trinitas per nova inventa logica defensa*. Optimè astruit auctor rectam logicam, nedùm hujusce mysterii fidei adversetur, adversa Socinianorum argumenta omninò pessumdare. Quòd si ratio nulla doceat probetque mysteria, in hoc tamen cum revelatione consentit, ne contradictoria vel impossibilia habeantur. Duas præterea Epistolas scripsit de *Trinitate et definitionibus mathematicis circa Deum, Spiritus*, etc. Quæ omnia, etsi à proposito nostro interdùm aliena videantur, et nescio quid formâ insolitum præ se ferant, utilia simul et curiositate digna fore duximus. Quapropter hæc per modum ultimæ appendicis, ac pro totius de SS. Trinitate tractatûs coronide subjicere libuit. Non nostrum hîc cætera Leibnitzii opera recensere : sufficiat memorâsse 1° *Essais de Théodicée sur la bonté de Dieu et sur la liberté de l'homme*, etc. ; 2° *Harmonie préétablie*. In utroque opere multa subtilitate magis quàm veritate nitent ; multa verò ostendunt altitudinem ingenii ac judicii maturitatem. Cæterùm, quamvis Catholicorum fidei ultrò faveret, nativitatis sorte magis quàm animi affectibus Lutheranæ sectæ addictus usque permansit. 3° *De origine Francorum disquisitio*, quam refellerunt P. Tournemine et D. Vaissette Benedictinus. Leibnitzius gallicam linguam percallebat et scribebat feliciter, ut videre est in libro supra memorato : *Essais de Théodicée*.

Obiit Hanovriæ 14 novembr., anno 1716, ætatis septuagesimo.

Sectio prima.

DEFENSIO TRINITATIS

PER NOVA REPERTA LOGICA, CONTRA EPISTOLAM ARIANI.

RESPONSIO AD OBJECTIONES WISSOWATII CONTRA TRINITATEM ET INCARNATIONEM DEI ALTISSIMI.

I. Quia objectiones et responsiones pristinas non vidi, judicare non possum, an contradictionem sententiæ Antitrinitariæ probaverint vel diluerint.

II. Dicis ex Virgilio :

Aspice nùm mage sit nostrum penetrabile telum.

Ego ex eodem respondeo : Postquàm arma Dei ad Vulcania ventum est, mortalis mucro glacies ceu futilis ictu dissiluit.

III. Ad argumentum I, præmitto in genere, quod et in sequentibus observandum est, copulas in syllogismorum præmissis vulgò non rectè concipi. (Hæc observatio etiam prodest ad distinguendum affirmativam à negativâ ; v. g., qui non credunt damnantur ; Judæi non credunt ; ergo damnantur. Videtur esse syllogismi minor negativa, sed non est, quia syllogismus fit talis : Qui sunt illi, qui non credunt, damnantur ; Judæi sunt illi qui non credunt ; ergo damnantur.) Distinguendum autem inter propositiones per se et per accidens ; v. g., rectè simpliciter dicimus : Omnis homo est albus. Etsi verum sit, quia albedo humanitati immediatè non cohæret. Sed dicendum : Omnis qui est homo, est albus. Quæ etiam ex parte observavit Johannes Raven Berolinensis in peculiaribus suis de copulâ Speculationibus. Deinde observandum est ex eodem fundamento omnes propositiones singulares esse virtute latentis signi universales, quod et ab auctore dissertationis de Arte combinatoriâ est annotatum ; v. g., hæc propositio : Petrus Apostolus fuit primus episcopus Romanus, signis et copulâ rectè positis ita formabitur : Omnis qui est Petrus Apostolus fuit episcopus Romanus.

Juxta hæc igitur formabimus primum argumentum : Omnis qui est unus Deus Altissimus, est Pater ille, ex quo omnia. Filius Dei non est Pater ille ex quo omnia. Ergo Filius Dei Jesus Christus non est is, qui est unus Deus Altissimus. Ita syllogismus erit in *camestres*. — Respondeo distinguendo : Per omnia intelliguntur vel creaturæ, vel etiam simul Filius. Si creaturæ cæteræ tantùm, concedo majorem, quòd omnis ille, qui est unus Deus Altissimus, sit Pater ille, ex quo omnia, scilicét omnes creaturæ. Et ita negatur minor, quòd Filius Dei non sit Pater ille, ex quo omnia, scilicet omnes creaturæ. Quia vos ipsi conceditis, omnes creaturas per Filium creatas esse. Si verò sub omnium voce intelligitur etiam ipse Filius, tunc concessâ minore, quòd Filius Dei non sit Pater ille, ex quo omnia, nempe ipse etiam Filius, negabitur major, quòd omnis ille, qui est unus Deus Altissimus sit Pater ille ex quo omnia, etiam Filius, oriuntur. Nos enim donec contrarium meliùs probetur, manemus in hâc sententiâ, quòd Filius et S. Spiritus sunt ille qui est unus Deus Altissimus, et tamen non sunt Pater ille, ex quo omnia, et in iis ipse Filius et Spiritus S., quoque oriuntur.

IV. Non est scriptoribus ea necessitas imponenda, ut cujus dicendi etiam maxima occasio est, id statim dicant.

V. D. Paulus, l. c., per Patrem, ex quo omnia, et Dominum, per quem omnia, potest intelligere, unum idemque ens, nempe Deum Altissimum. Nam alioqui jure naturali, qui pater, idem dominus est liberorum, et præpositiones *ex* et *per* non ita disparatæ sunt, ut prohibeantur ita loqui : Ex quo sunt omnia, per eum quoque sunt omnia. Nam et Paulus alibi de uno eodemque Deo Altissimo duas has particulas unà cum tertiâ *in*, simul enuntiat, cùm inquit : *Ex quo, per quem et in quo sunt omnia.* Quam phrasin quidam ad adumbrationem Trinitatis meritò trahunt ; verùm non est meum argumentari, sed respondere.

VI. Non necesse est, ut Paulus, 1 Cor. 8, 6, et Petrus, Act. 2, 36, vocem, *Dominum*, de Christo eodem respectu usurpent : potest ille de Christo quatenùs Deus est, hic, quatenùs homo est loqui.

VII. Non vacat nunc loca citata omnia evolvere, et ex ipsis exculpere ; si qua in illis difficultas latet, ostendatur.

VIII. Argumentum, quod impiicitè proponis, ne dissimulemus, esset tale : Omnis per quem ille, qui est unus Deus Altissimus, facit omnia, is non est Deus Altissimus. Filius Dei est ille, per quem ille, qui est unus Deus Altissimus, facit omnia. Ergo Filius Dei non est Deus Altissimus. In hoc argumento negatur major. Potest enim Deus Altissimus, nempè Pater, per Deum Altissimum, nempè Filium, omnia facere, et tamen non per seipsum, licet per eum, qui etiam est id quod est ipse. Et ita respondimus, opinor, argumento primo; ut tamen ad oculum constet, nervum ejus incisum esse, aliud ad ejus imitationem fabricabimus: Omne trilineum habet pro abstracto immediato trilineitatem. Triangulum non habet pro abstracto immediato trilineitatem. Habet enim trianguleitatem potiùs, quæ si cum trilineitate esset immediatè idem, esset etiam idem anguleitas et lineitas, quæ demptâ ternitate remanent. Jam verò anguleitas et lineitas adeò non sunt idem, ut possint etiam duæ lineæ sine angulo esse, v. g., parallelæ. Ergo triangulum non est trilineum, quod est absurdum. — Respondeo ex fundamento præmisso, majorem ita formandam : Omne quod est trilineum, habet pro abstracto immediato trilineitatem : et sic negatur major. Nam et triangulum est trilineum, et tamen non habet pro abstracto immediato trilineitatem. Hoc principio adhibito, scholasticorum tædiosis circa suppositiones præceptis carere possumus; v. g.: Animal est genus; Petrus est animal; ergo Petrus est genus.— Resp. majorem non esse universalem; neque enim is qui est animal est genus.

IX. Argumentum secundum, ut formale sit, sic formandum est. Qui est ille qui nescivit diem judicii, is non est ille, qui est Deus Altissimus. Filius Dei nescivit diem judicii. Ergo Filius Dei non est ille qui est Deus Altissimus. Et sic negatur major. Nam potest quis ex nostrâ hypothesi simul esse ille, qui nescit diem judicii, nempè homo, et ille, qui est Deus Altissimus. Quæ hypothesis nostra, quòd idem simul possit esse Deus et homo, quandiù non evertitur, tandiù contrarium argumentum petit principium. Quidlibet autem possibile præsumitur, donec contrarium probetur.

X. Interpretes textum contorquentes nihil ad nos, utri plus textum torqueant, et ex pluribus interpretationibus possibilibus eligant improbabiliorem, dummodò sibi faveat, alibi demonstrandi occasio erit.

XI. Vulgatam hanc responsionem, neque qui se Catholicos, neque qui Evangelicos, neque qui reformatos vocant, quod sciam, aversantur.

XII. 1° Disparata neque de se neque de eodem tertio prædicari non posse planè nego, dummodò, quæ circa copulam admonuimus, serventur. Etsi enim minùs benè dicatur : Ferrum est lignum, et anima est corpus ; tamen potest casus contingere, in quo rectè dicatur : Quoddam quod est ferrum (scilicet ex parte), id est, lignum (scilicet ex aliâ parte). Nec absurdum est, eumdem esse et non esse Deum Altissimum pro diversis partibus; nec video cur non pars dè toto propriè prædicari possit, dummodò reduplicatio addatur, vel subintelligatur. Propriè enim totum nihil aliud est quàm singulæ partes de eodem prædicatæ cum unione, v. g. : Homo est anima et corpus. Quidquid autem anima et corpus est, illud utique est anima et idem utique corpus. Quidni liceat resolvere copulationem in duas simplices : Homo est anima, et homo est corpus? Igitur similiter, si ex nostrâ hypothesi, Christus est unum ex Deo et homine, licebit dicere : Christus est Deus et homo, et ita : Christus est Deus et Christus est homo.

2° Quod objicitur, inconveniens esse, ut Christus simpliciter intelligatur dixisse, se nescire, ideò quia pars sui inferior nescivit, id cur inconveniens sit, non video. Inprimis eo tempore, quo functio parti inferiori ordinariè inesse solita ei subtracta est. Sciendum enim ordinarium quidem esse, ut divinitas scientiam humanitatis sibi conjunctas perficiat, si non per communicationem ejus numero idiomatis, saltem per excitationem accidentis novi. Id tamen quod ordinarium est in statu humilitatis Christi, antequàm humanitas ejus reciperetur in gloriam suam, ei subtrahebatur. Quæ res multùm ventilata est inter theologos quosdam Lutheranos, qui et libros scripsêre.

Potest ea subtractio intelligi *ecstaseos*, quo tempore anima functiones, quas alioqui corpus peragit, nempè ratiocinari, cogitare, exequitur, quasi separata sine corporis concursu. Eo igitur tempore durantis *ecstaseos* non inepte dicetur hominem non ratiocinari, etiamsi

pars ejus ignobilior, nempe corpus tantùm, à ratiocinatione cesset, quia functio illa, quam anima ordinariè per corpus peragit, et quam homo ordinariè efficit, quatenùs ex animâ et corpore unitus est; nunc ab eo non quatenùs anima et corpus est, et ita non quatenùs homo est, sed tantùm quatenùs anima est, peragitur. Similiter igitur Christus rectè dicetur aliquid nescire, quando functionem sciendi non per Deitatem cum humanitate ut aliàs, et ita nec quatenùs Deus homo est, et ita nec quatenùs Christus est, exercet.

XIII. Ad verba : *An ipsi concedunt,* imò concedemus Filium Dei non creâsse mundum, etc., dummodò subaudiatur : Secundùm humanitatem.

XIV. Quæris 2° cur divinitas secretum de tempore extremæ diei non communicaverit humanitati sibi tam arctè unitæ. Ideò, inquam, quia eam nondùm glorificatam humiliari et pati oportuit.

XV. 3° Argumentaris : Persona Filii divina scivit diem judicii. Persona Filii est Filius. Ergo Filius scivit diem judicii; concedo. Quomodò ergo nescivit ? scivit Deus, nescivit homo.

XVI. 4° Repetitur quod supra objiciebas; quod parti inferiori competit, toti non tribuendum simpliciter; responsum est num. XII.

XVII. Objicis 5°, Filium Dei nescivisse diem judicii, quatenùs est Filius Dei, quia opponitur hic Patri. — Resp. etiam humanitatem non ineptè dici Filium Dei, quamvis ei non ὁμουσιότης, quia et vos qui *homousion* Patri negatis, tamen Filium Dei dicitis.

XVIII. In argumento illo negatur minor, quòd Filius Dei etiam secundùm deitatem non sit Pater Jesu Christi, imò tota Trinitas rectè dicetur Pater Jesu Christi hominis. Ideò miror, cur opponens dicat minorem esse apud omnes in confesso.

XIX. Argumentum illud esset tale : Quicumque non facit omnia à seipso, ille non est omnipotens. Filius Dei non facit omnia à seipso. Ergo. — Negatur major. Perinde ac si argumentari vellem : Pater non facit omnia per seipsum, sed per Filium, ut vos concedi-tis. Ergo non est omnipotens. Imò sunt causæ sociæ in agendo, etsi altera sit prior natura in essendo.

XX. Potest esse Deus Altissimus etiam, qui omnia ab alio habet, quando nimirùm in alterius potestate non est ipsi denegare. Et non minùs Filius Patri, quàm Filio Pater est necessarius. Cùm enim propriè Pater sit intellectivum, Filius intelligibile, et Spiritus S. intellectio, et in æternis atque divinis idem sit esse et posse, non erit intellectivum in Deo, quod non actu intelligat; intellectio autem sine intelligibili esse non potest. Contra nullum erit intelligibile in Deo, quod non intelligatur, et ita non habeat correspondens sibi intellectivum. Igitur ut secunda persona sine secundâ esse non potest.

XXI. Ad argumentum tertium, respondeo concedendo totum : Deus Altissimus est singulare, nec prædicatur de multis; sed hoc nihil officit Trinitati. Nam is qui est Deus Altissimus (seu persona Dei Altissimi) potest nihilominùs de multis prædicari; quia is, qui est Deus Altissimus seu persona divinitatis est universale, non singulare. Ex hoc etiam apparet, quòd etsi tres sint, quorum quilibet est id quod est Deus, tamen non sunt tres dii. Non est enim ter unus Deus ab altero distinctus, sed est ter unus, quorum quilibet est id quod est Deus, seu ter una persona. Igitur nec tres dii sunt, sed tres personæ. Quanquàm hæc vulgò observata non sit temerè reperire.

XXII. Non potest dici, Deum ita strictissimè unum esse, ut non dentur in eo realiter seu ante operationem mentis distincta. Si enim mens est, impossibile est, quin sint in eo intelligens, intellectum et intellectio, et quæ cum his coincidunt : posse, scire et velle. Horum verò reale discrimen non esse implicat contradictionem. Cùm enim formaliter differant, erit eorum differentia rationis ratiocinatæ; talis autem differentia habet fundamentum in re; erunt igitur in Deo tria fundamenta realiter distincta. Vellem huic argumento responderi : Neque hoc imperfectionem in Deo infert, quia multitudo et compositio per se imperfecta non est, nisi quatenùs continet separabilitatem et ita corruptibilitatem totius; sed separabilitas hinc non infertur. Quin potiùs supra num. XX demonstratum est, impossibile esse et implicare contradictionem, ut una Deitatis persona sine aliâ existat. Nec multiplicatur Deus. Quemadmodùm enim, si differunt realiter in corpore magnitudo, figura et motus, non sequitur ideò etiam necessariò tria esse corpora, unum quantum, alterum figuratum, tertium motum; cùm idem lapis cubitalis rotundus et gravis esse possit : ita si

differant realiter in mente judicium, idea et intellectio, non sequitur tres esse mentes, cùm una sit mens, quæ quando reflectitur in se ipsam, est id quod intelligit, id quod intelligitur, et id quod intelligit et intelligitur. Nescio an quidquam clarius dici possit.

XXIII. Formabo syllogismum ut sit formalis ex præsuppositis : Quicumque est Deus ille Altissimus unicus individuus, est Pater Filii Dei Domini Jesu Christi. Deus ille Altissimus unicus individuus est Filius Dei Dominus Jesus Christus. Ergo Filius Dei Dominus Jesus Christus est Pater Filii Dei Domini Jesu Christi.

XXIV. Nego Deo Altissimo, aut potiùs ei qui est Deus Altissimus, repugnare esse ab alio. Vid. supra XX.

XXV. Non est absurdum, Deum Altissimum, aut potiùs eum qui est Deus Altissimus, generari. Sempiternam substantiam in tempore generari absurdum est, non verò est absurdum, eum esse generatum ante datum quodlibet tempus, id est, ab æterno. Deo Altissimo, aut potiùs ei, qui est Deus Altissimus, potest quis prior esse naturâ, non tempore; alius nempè qui etiam est Deus Altissimus. Nam non datur alius et alius Deus, sed alius et alius, qui est Deus.

XXVI. Quando Deus Deum generat, generat eum qui est idem numero Deus cum ipso, etsi non simpliciter sit idem numero cum ipso. Non generat eumdem numero Deum, sed eum qui est idem numero Deus, licet sit alia persona.

XXVII. Si Filius Dei generabatur ex substantiâ Patris ab æternitate, aut desiit generari, aut non desiit; si non, adhuc generatur, et ita nunquàm est, semper fit; sin desiit generari, finem temporis habet ejus generatio, adeòque et initium temporis; ergo non est æterna.—Resp.: Desiit generari, et tamen illa generatio non habet finem temporis; nam et incœpit et desiit generari ante quodlibet tempus. Simul enim generari incœpit et desiit.

XXVIII. Quæris an tota an non tota Trinitas sit incarnata?—Resp. non tota. Ergo, inquis, Trinitas à se divisa est, scilicet diversa continet. Quid tum? Ergo et Deus à se divisus est; hoc non sequitur, sed divisi à se, scilicet differentes sunt illi qui sunt Deus.

XXIX. Syllogismum formas : Deitas quæ est in Deo Patre, non est incarnata. Deitas quæ in Deo Filio, est incarnata. Ergo deitas, quæ est in Deo Filio, non est deitas ea quæ est in Deo Patre; ergo dantur plures deitates. — Nego minorem. Non deitas, sed personalitas potiùs Filii Dei incarnata est, i. e., Filius Dei incarnatus est non quà Deus, sed quà Filius.

XXX. Nodos te proposuisse non nego, et quidem quantos maximos quispiam tui similis possit. Reperto simul principio fili, id est, naturâ copulæ propositionis in syllogismo, videmur nobis eos perfectè solvisse. Idem tibi visum iri, si rectè attendas, non dubito. Tum verò dabis, opinor, gloriam Deo; dabis hoc veritati, et sententiam orbi christiano tot seculis receptam non absurdam confitebere. Sin aliter sentis, effice, ut aut nos, cur dissentias, aut tu, cur dissentire non debeas, ambo tandem sentiamus.

Sectio secunda.

DUÆ EPISTOLÆ AD LOEFLERUM,

DE TRINITATE ET DEFINITIONIBUS MATHEMATICIS CIRCA DEUM, SPIRITUS, ETC.

Epistola prima.

I. Consilium tractandæ materiæ theologiæ gravis laudo. Angli ordinem meritò non sequeris, seu an mathematicum commodè sequi possis, dubito, cùm res minùs rationibus quàm vindicatione textuum Scripturæ et ecclesiasticæ antiquitatis transigatur. Præter

definitiones et axiomata ponuntur interdùm observationes, quæ facti sunt, et ex historiâ sumuntur, itemque hypotheses. Sed postremæ istæ minùs sunt frequentes, et reddunt etiam demonstrationem non nisi hypotheticam. Propositiones aliæ potiùs ad conclusiones sunt referendæ, quæ ex illis principiis demonstrantur. Sed ut verum fatear, nescio, an satis apud vos in hâc materiâ plausibilis futura sit methodus mathematica. Facilis certè esse non potest, et præstat præstare quod promittas, quàm promittere demonstrationes quas non præstes.

II. Artem certè demonstrandi paucissimi tenent, et plerique paralogismos consuunt sub demonstrationis schemate.

III. Definitio illa, quòd spiritus sit substantia immaterialis, dicit tantùm, quid non sit, non, quid sit. Deinde possunt esse substantiæ immateriales, quæ non sunt spirituales, ut secundùm aliquos spatium est substantia, et tamen non est materiale quiddam, sed materia potiùs collocatur in spatio. Etsi ego reverà non putem spatium esse substantiam, definitiones tamen tales esse debent, ut ab omnibus possint admitti; spiritus rectiùs videtur definiri *substantia immaterialis ratione prædita.*

IV. Non inutiliter in disputatione quædam referes pertinentia ad historiam libri, quem refutas. Nimirùm fuisse exemplaria ejus, durante Parlamento anni præcedentis, ab ignotâ manu inter ipsos Parlamentarios sparsa, atque ideò ad rogum damnata; multùm autem famæ habuisse, jactantibus Antitrinitariis, comburi talia faciliùs quàm refutari; veritatem autem comburi non posse.

V. Cùm Sherlockius, theologus celebris apud Anglos, de Trinitate nuper scripsisset, et tres substantias sui conscias statuisset, nonnullis visus est inclinare ad tritheismum.

VI. Contra Wallisius, explicans Trinitatem per tres ejusdem substantiæ relationes, visus est aliis confusionem inducere personarum. Et hoc ab Antitrinitariis per sparsos libros, utique est exprobratum, sed reverà conciliari hæ sententiæ possunt, si rectè intelligantur.

SCELETON DEMONSTRATIONIS.

Definitiones, seu explicationes terminorum.

Def. 1. Deus est substantia perfectissima, seu omnes habens perfectiones.

Def. 2. Spiritus est substantia immaterialis intellectiva.

Def. 3. Angelus est spiritus completus.

Def. 4. Plures personæ in eâdem numero substantiâ absolutâ significant plures substantias singulares intelligentes essentialiter relativas.

Axiomata, seu propositiones universales, quæ non indigent probatione

Ax. 1. Inter perfectiones est esse communicativum. Hic in ecthesi adduci potest, quod vulgò dicitur, bonum esse communicativum sui.

Ax. 2. Ubi de periculo salutis agitur, proprietas verborum sensusque Ecclesiæ verè catholicæ non debet deseri sine manifestâ necessitate.

Hypotheses ab adversariis concessæ.

Hyp. 1. Scriptura sacra, qualem Protestantes admittunt, est verbum Dei. Hanc hypothesim ab adversariis concessam esse constat; nam eamdem Scripturam, quam Protestantes admittunt, eam admittunt etiam Antitrinitarii, exceptis tamen paucissimis textibus, quos in dubium revocant, qualis est ille Joannis de tribus qui testimonium perhibent. Sed de eo nunc non quæritur.

Hyp. 2. Patri competit divinitas summa. In hoc omnes Antitrinitarii nobiscum consentiunt

Lemmata prædemonstranda.

Lem. 1. Deus est unicus. — Demonstratio : Si plures essent dii, aut easdem involverent perfectiones, et ita nullum inter eos esset discrimen, atque adeò esset tantùm Deus unicus, quod intenditur; aut haberent diversas, et ita alter non haberet omnes perfectiones, id est, non esset perfectissimus, quod est contra Def. 1; idem etiam ostendi potest ex lemmate sequenti.

Lem. 2. Solus Deus omnes alias res creat ex nihilo, et quidem tam initio quàm continuatâ creatione conservativâ, quandiù subsistunt.— Demonstratio : Nisi solus Deus alias res crearet ex nihilo et quidem dicto modo, res aliquando quasdam suas realitates seu perfectiones haberent aliunde; sed debent omnes et semper accipere à Deo, quia alioqui ejus communicatio esset limitata, adeòque ejus perfectio, (per Ax. 1) quod est contra defin. 1.

Lem. 3. Creatura non potest esse creandi instrumentum. — Demonstratio : Nam omnis creatura continuè creatur (per lem. 2); ergo

quævis cum aliâ quâvis simul creatur, adeòque ad ipsam creandam non occurrit operando.

Hìc in ecthesi seu scholio explodendus est Arianus, qui Christum facit creaturam, sed primariam, per quam creatæ sint aliæ creaturæ, cui opinioni etiam favet auctor novi libri, inscripti Seder Olam, qui etiam vult, Messiam ab initio fuisse quodammodò medium inter Deum et cæteras creaturas, ita ut per ipsum omnia sint creata.

Lem. 4. Solus Deus est æternus. — Demonstratio. Nam omnia alia creantur à Deo (per lem. 2); ergo non habent existentiam ex suâ essentiâ seu existendi necessitatem, id est (per Def. 5), non sunt æterna.

Lem. 5. Secundùm proprietatem verborum, solus Deus supremus dicitur religiosè adorandus. Hoc ostendendum est ex locis Scripturæ, et illustrationis majoris causâ ex locis Patrum.

Propositiones.

Prop. 1. Scriptura sacra tribuit Christo attributa solius Dei veri seu summi. Hæ proprietates Dei summi sunt, esse æternum (per lem. 4); esse creatorem aliarum rerum omnium (per lem. 2); omnia per ipsum esse facta, quod non potest intelligi de creaturâ, tanquàm creandi instrumento (per lem. 3), etc. Sed hæc et alia similia Scriptura S. tribuit Christo, ut prolati textus docent.

Prop. 2. Scriptura sacra tribuit Christo, quæ propriè magis et aptè explicantur de Deo summo, quàm de creaturâ. Talia sunt, esse Filium Dei excellenti modo, esse characterem hypostaseos divinæ, esse genitum ante secula, opponi angelis in universum et diis inferioribus, etc., quæ ostendenda sunt locis Scripturæ, simulque demonstrandum, hæc loca aptissimè de Deo summo intelligi, nec nisi violentè aliorsùm trahi. Hùc pertinet initium Evangelii Joannis. Adhibeatur etiam interpretatio sacræ antiquitatis ad hæc illustranda.

Prop. 3. Nulla est necessitas in locis divinitatem Christi indicantibus recedendi à proprietate verborum. Hìc respondendum est effugiis adversariorum et objectionibus, quibus ostendere conantur, ex propriâ verborum acceptione sequi absurditates, et eâdem operâ occurretur novo Ariano Anglo.

Prop. 4. Christus est adorandus. Hoc ostendatur ex Scripturâ et Ecclesiâ antiquâ verè catholicâ.

Prop. 5. Antiquitas verè catholica Christo tribuit summam divinitatem. Hoc ostendendum est ex locis veterum etiam ante concilium Nicænum et contraria diluenda.

Prop. 6. Summa divinitas Christo est attribuenda. Nam Scriptura sancta, quæ est verbum Dei, tribuit Christo attributa solius Dei veri seu summi (per prop. 1); itemque ea, quæ propriè magis et aptè explicantur de Deo summo (per prop. 2); idemque facit antiquitas verè catholica (per prop. 5), et speciatim ei attribuitur adoratio (per prop. 4); quæ propriè de solo Deo supremo est intelligenda (per lem. 5). Est autem hìc negotium, in quo de periculo salutis agitur, cùm agatur de cultu Dei supremi zelotæ. Itaque sine necessitate, quæ hìc nulla est (per prop. 3), non est recedendum à proprietate verborum Dei et sensu Ecclesiæ verè catholicæ (per ax. 2); divinitas igitur suprema Christo est tribuenda.

Prop. 7. Christus non est Angelus. Quia ei attribuitur divinitas suprema (per prop. 6); Angelus autem est quidem substantia immaterialis intellectiva (per def. 2), sed tamen creata (per def. 3); nec dici potest divinitatem ejus habitare in naturâ angelicâ, quia non angelos, sed tamen Abraham assumpsit, ut ait Scriptura.

Hìc in ecthesi vel scholio refutari potest fusiùs paradoxum Neo-Ariani Angli, qui vult, Christum esse angelum propriè dictum, seu (per def. 1, 2, 3) substantiam immaterialem intellectivam, completam creatam, et responderi potest ejus qualibuscumque argumentis.

Totidem propositiones eâdem planè methodo possunt formari de Spiritu S., et ita prodibunt propositiones 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, tantùm pro Christo substituendo Spiritum S. Et in prop. 14, ubi probabitur Spiritum S. non esse angelum, refutari poterit Sandii paradoxon (refutatum etiam à Wittichio), quòd per Spiritum S. intelligatur chorus angelorum.

Prop. 15. Pater, Filius et Spiritus S. sunt personæ inter se diversæ. Hoc ostendendum est contra Sabellianos et Socinianos.

Prop. 16. Deus est unica numero substantia absoluta cum Trinitate personarum. — Unicum esse Deum seu unicam talem esse substantiam absolutam, ostensum est lem. 1; tres tamen sunt, quibus suprema seu vera divinitas competit, Pater (per hyp. 2), Filius (per prop. 7), et Spiritus S. (per prop. 14), et horum quilibet à quolibet est diversus (per prop. 15), nec dantur plures omnium conces-

sione. Sunt autem substantiæ singulares intelligentes essentialiter relativæ per relationes paternitatis, generationis et processûs, ex dictis Scripturæ sensuque Ecclesiæ verè catholicæ, ideòque dicuntur tres personæ divinitatis in eâdem scilicet substantiâ singulari absolutâ perfectissimâ, seu (per def. 4), Deo, scilicet absolutè sumpto.

Scholion. Natæ sunt nuper in Angliâ lites inter ipsius Ecclesiæ Anglicanæ theologos celebres, quos ideò Neo-Arianus noster suggillat. Scilicet Wallisius personas distinxit relationibus, ideòque Arianus ei imputat, quòd diversitatem tollat, nec aliter intelligat, quàm cùm in humanis idem respectu diverso duplicem personam sustinet Patris et Filii. Sherlockius, dicens, in Deo tres esse substantias sui conscias, eidem Ariano visus est inducere tritheismum; imò et nonnullorum suæ partis reprehensionem incurrit. Sed charitatis est, duriùs fortassè dicta, quantùm licet, in optimam partem interpretari. Et utraque sententia sanum sensum recipit. Sunt enim tres substantiæ, diversæ quidem, non tamen nisi relationibus essentialibus, non verò attributis essentialibus absolutis. Hinc demonstratio unitatis Dei in lem. 1, non tollit pluralitatem personarum. Etsi enim non nisi una substantia detur, habens omnes perfectiones tàm absolutas quàm respectivas, nempè Deus absolutè sumptus, possunt tamen in hâc dari plures personæ perfectionibus relativis differentes.

Epistola secunda.

I. Quoniam voluisti mathematicè scribere, cogitandum fuit de definitionibus, quales volunt mathematici, in quibus nihil poni debet facilè, quod ex ipsâ definitione jam tum potest demonstrari.

II. Itaque etsi certo modo dici possit, Spiritum in definitione Dei poni posse, ut genus; qui tamen mathematicè scribet, potiùs mentione Spiritûs in definitione abstinebit, quia substantiam perfectissimam spiritualem esse, potest demonstrari. Et hinc etiam tutò poteris Spiritum explicare post definitionem Dei, etsi Deus sit spiritus, quia hoc prædicatum ex definitione à te positâ derivatur.

III. Optimè notâsti definitionem æternitatis nostram esse causalem et magis à priori. Et sequitur ex eâ non tantùm vulgaris descriptio quòd sit permanentia interminabilis, sed etiam Boetiana, quòd sit tota et perfecta simul, quæ ex solâ interminabilitate permanentiæ non ita sequitur. In ipsâ autem Boetianâ descriptione incommoda est mentio vitæ et possessionis. Nam vita non magis aptè ingredietur definitionem ejus, quàm spiritualitas definitionem Dei nostram.

IV. Quod ad personas divinas attinet, tutissimè feceris, si nihil posueris, nisi cum præside tuo priùs communicatum; est enim materia delicatissima. Compendia theologica dicunt, personam esse subsistentem ὑφιστάμενον, non verò tantùm subsistentiam aut subsistendi modum appellare solent; relationes personales sunt potiùs τρόποι ὑπάρξεως quàm ipsæ personæ. Sed quoniam istæ in divinis potiùs nostro modo cognoscendi, quàm re ipsâ distinguuntur, posset fortassè abstinere utroque et dicere: Plures personæ in eâdem numero substantiâ absolutâ singulari intelliguntur per plures in eâ modos subsistendi relativos incommunicabiles. Relativi et absoluti mentionem libenter addo, ob rationes quæ ibi apparent. Tutiùs autem sic loqueris, meo judicio, quàm si personas dicas esse modos, et ex iis entia modalia seu incompleta facias, simulque etiam formulas loquendi, quæ nimis concretæ videri possunt, evitabis, et rem tamen ipsam consequere, cùm id omne exprimas, per quod persona constituitur.

V. Mathematicorum mos est, definitiones ita concipere, ut nihil eas ingrediatur, quod dubitationem vel difficultatem recipiat, et sit tamen in illis id omne quod sufficiat ad controversias deinde decidendas. In expositione seu scholiis reddes rationem tuarum definitionum, ut intelligatur, receptas definitiones ex istis fluere, has verò esse positas tanquàm eorum compendia et magis aptas ad demonstrandum, imò simul ad hoc sufficientes. Denuò inspiciens, quæ tibi miseram, video, me lemma, quòd solus Deus sit æternus, demonstrâsse ex definitione æternitatis meâ; ipse autem notabis, non ita commodè posse demonstrari ex vulgaribus. Si voles mutare definitionem personæ eo modo, quo dixi, poteris etiam mutare aliquid in propositione XVI, ubi pro verbis: *Sunt autem substantiæ singulares intelligentes essentialiter relativæ*, potes ponere: *Intelliguntur autem per modos subsistendi relativos incommunicabiles* (1), seu

(1) Ut viro illustrissimo in hâc causâ suâ constet auctoritas rerumque divinarum cognitio, quædam definitionem vocis personæ illustrantia addere cognato visum est. Duæ ejus

per relationes ; ut et ibidem in scholiis, pro verbis : *Sunt enim tres substantiæ diversæ*, potes dicere : *Sunt enim tres diversi, seu*, etc. Hæc ideò scribo, quo minùs alios veri usûs terminorum sæpè non admodùm gnaros offendas ; alioquî enim optimè dici poterit, unamquamque personam esse subsistentem seu substantiam singularem ; et constat, quòd humanitas subsistat per substantiam τοῦ λογοῦ (1).

allatæ sunt definitiones, quarum altera dicit, esse substantiam, altera modum. Utraque rectè se habet et approbanda est, modò notetur, vocem personæ vel *concretivè* vel *abstractivè* accipi posse. Priori modo est substantia singularis completa intelligens certo subsistendi modo eoque incommunicabili determinata ; posteriori est subsistentia seu modus subsistendi incommunicabilis substantiæ singularis completæ et intelligentis. Si quis velit *Patrem* definire, respiciendo ad Filium, voce personæ concretivè acceptâ, dicat : Est substantia singularis, completa, intelligens, certo subsistendi modo determinata eodemque incommunicabili et ipsi proprio, qui paternitas seu ἀγεννησία. Et si *Filium :* Est substantia singularis, completa, intelligens, certo subsistendi modo, qui est generatio passiva. Quâ ratione etiam definitio Spiritûs S. confici poterit. Absit verò, ut inde colligatur, ut fit à Tritheitis : Ergo tres sunt dii Deusque est compositus. Est enim in illis unum materiale, nempe singularissima Deitas, etsi formaliter in personis singulis alio modo subsistens. Quâ ratione distinguuntur, non ut aliud atque aliud, nec ut alia atque alia essentia, nec solùm ut alius atque alius modus, quoniam quælibet persona agit et operatur, et quævis est Deus Israelis, sed personâ concretivè acceptâ, ut una res ab unâ eâdemque re cum diverso modo habendi et subsistendi ante omnem intellectûs operationem. Perstat nihilominùs personarum distinctio, ut modus eminens à modo opposito et incommunicabili, quæ est personæ in abstracto. Ex quo etiam intelligitur Sherlockium à Tritheismo, et Wallisium à Sabellianismo posse absolvi.

(Edit. Genev. 1768, in-4°.)

(1) Graves cognato fuêre causæ, cur disputationem de Trinitate methodo mathematicâ conscriptam exhibere intermiserit ; à quo tamen Neo-Arianus est refutatus. Factum id in disputatione anno 1697, duce Joan. Ben. Carpzovio habitâ, in quâ locus Rom. 9, 5, de divinitate Christi est expositus, è locis doctorum veteris Ecclesiæ illustratus, et verus ejus sensus stabilitus. (Edit. cit.)

REMARQUES

SUR LE LIVRE D'UN ANTITRINITAIRE ANGLAIS,

Qui contient des considérations sur plusieurs explications de la Trinité,

Publié l'an 1693-4.

Premièrement je demeure d'accord que le commandement du culte suprême d'un seul Dieu est le plus important de tous, et doit être considéré comme le plus inviolable. C'est pourquoi je ne crois pas qu'on doive admettre trois substances absolues, dont chacune soit infinie, toute-puissante, éternelle, souverainement parfaite. Il paraît aussi que c'est une chose très-dangereuse pour le moins de concevoir le Verbe et le S.-Esprit comme deux substances intellectuelles inférieures au grand Dieu, et néanmoins dignes d'un culte qui approche du culte que les païens rendaient à leurs dieux, ou qui le surpasse plutôt. Ainsi *je crois qu'on ne doit rendre des honneurs divins qu'à une seule substance individuelle, absolue, souveraine et infinie.*

Cependant l'opinion *Sabellienne*, qui ne considère le Père, le Fils et le S.-Esprit, que comme trois noms, comme trois regards d'un même être, ne saurait s'accorder avec les passages de la sainte Écriture, sans les violenter d'une étrange manière. Aussi faut-il avouer que de même les explications que les Sociniens donnent aux passages, sont très-violentes. Quant à nous, lorsqu'on dit : Le Père est Dieu, le Fils est Dieu, et le S.-Esprit est Dieu, et l'un de ces trois n'est pas l'autre, et avec tout cela, il n'y a pas trois dieux, mais un seul ; cela pourrait paraître une contradiction manifeste ; car c'est justement en cela que consiste la notion de la pluralité. Si A est C, et B est C, et si A n'est pas B, ni B n'est pas A, il faut dire qu'il y a deux C, c'est-à-dire : si Jean est homme et si Pierre est homme, et Jean n'est pas Pierre, et Pierre n'est pas Jean, il y aura deux hommes, ou bien il faut avouer que nous ne savons pas ce que c'est que deux. Ainsi, si dans le Symbole attribué à S. Athanase, où il est dit que le Père est Dieu, que le Fils est Dieu, et que le S. Esprit est Dieu, et que

cependant il n'y a qu'un Dieu, le mot ou terme de *Dieu* était toujours pris au même sens, tant en en nommant trois dont chacun est Dieu, qu'en disant qu'il n'y a qu'un Dieu; ce serait une contradiction insoutenable. Il faut donc dire que dans le premier cas il est pris pour une personne de la Divinité, dont il y en a trois, et dans le second pour une substance absolue, qui est unique. Je sais qu'il y a des auteurs scholastiques qui croient que ce principe de logique ou de métaphysique : *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, n'a point de lieu dans la Trinité. Mais je crois que ce serait donner cause gagnée aux Sociniens en renversant un des premiers principes du raisonnement humain, sans lequel on ne saurait plus raisonner sur rien, ni assurer aucune chose. C'est pourquoi j'ai été fort surpris de voir que des habiles gens parmi les théologiens scholastiques ont avoué que ce qu'on dit de la Trinité serait une contradiction formelle dans les créatures. Car je crois que ce qui est contradiction dans les termes, l'est partout. On pourrait sans doute se contenter d'en demeurer là, et de dire seulement *qu'on ne reconnaît et n'adore qu'un seul et unique Dieu tout-puissant*, et que dans l'essence unique de Dieu il y a trois personnes, le Père, le Fils ou Verbe, et le S. Esprit; que ces trois personnes ont cette relation entre elles, que le Père est le principe des deux autres; que la production éternelle du Fils est appelée *naissance* dans l'Écriture, et celle du S.-Esprit est appelée *procession;* mais que leurs actions extérieures sont communes, excepté la fonction de l'Incarnation avec ce qui en dépend, qui est propre au Fils, et celle de la Sanctification, qui est propre au S.-Esprit d'une manière toute particulière.

Cependant les objections des adversaires ont fait qu'on est allé plus avant, et qu'on a voulu expliquer ce que c'est que *personne*. En quoi il a été d'autant plus difficile de réussir, que les explications dépendent des définitions. Or ceux qui nous donnent des sciences ont coutume aussi de nous donner aussi des definitions; mais il n'en est pas ainsi des législateurs, et encore moins de la Religion. Ainsi la sainte Écriture aussi bien que la tradition nous fournissant certains termes, et ne nous en donnant pas en même temps les définitions précises, cela fait qu'en voulant expliquer les choses, nous sommes réduits à faire des hypothèses possibles, à peu près comme on en fait dans l'astronomie. Et souvent les jurisconsultes sont obligés d'en faire autant, cherchant à donner au mot un sens qui puisse satisfaire en même temps à tous les passages et à la raison. La différence est que l'explication des mystères de la Religion n'est point nécessaire, au lieu que celle des lois est nécessaire pour juger les différents. Ainsi *en matière de mystère, le meilleur serait de s'en tenir précisément aux termes révélés, autant qu'il se peut.* Je ne sais pas assez comment s'expliquent MM. Cudworth et Sherlock; mais leur érudition, qui est si connue, fait que je ne doute point qu'ils n'aient donné un bon sens à ce qu'ils ont avancé. Cependant j'oserais bien dire que trois esprits infinis, étant posés, comme des substances absolues, ce seraient trois dieux, nonobstant la parfaite intelligence, qui ferait que l'on entendrait tout ce qui se passe dans l'autre. Il faut quelque chose de plus pour une unité numérique; autrement Dieu, qui entend parfaitement nos pensées, serait aussi uni essentiellement avec nous, jusqu'à faire un même individu. De plus ce serait une union de plusieurs natures, si chaque personne a la sienne, savoir, si elle a sa propre infinité, sa science, sa toute-puissance : et ce ne serait nullement l'union de trois personnes qui ont une même nature individuelle, ce qui devrait pourtant être.

Je n'ai point vu non plus ce que M. Wallis et le docteur S-ht, qui ont été cités ici, ont écrit sur ce sujet, et je ne doute point qu'ils ne se soient expliqués d'une manière conforme à l'orthodoxie; car je connais la pénétration de M. Wallis, qui est un des plus grands géomètres du siècle, et qui ne se démentira jamais, de quelque côté que son esprit se puisse tourner, outre que l'auteur de ce livre avoue que l'explication de M. Wallis a eu l'approbation publique. Cependant j'ose dire qu'une personalité semblable à celle dont Cicéron a parlé, quand il a dit : *Tres personas unus sustineo*, ne suffit pas. Ainsi suis-je comme assuré que M. Wallis aura encore ajouté autre chose. Il ne suffit pas non plus de dire que le Père, le Fils et le S.-Esprit diffèrent par des relations semblables aux modes, tels que sont les postures, les présences ou les absences. Ces sortes de rapports attribués à une même substance ne feront jamais trois personnes diverses existantes en même temps. Ainsi je m'imagine que ce M. S-ht, quel qu'il puisse

être, ne se sera point contenté de cela. Il faut donc dire « qu'il y a des relations dans la « substance divine, qui distinguent les per- « sonnes, puisque ces personnes ne sauraient « être des substances absolues. Mais il faut « dire aussi que ces relations doivent être sub- « stantielles, qui ne s'expliquent pas assez par « de simples modalités. » De plus il faut dire que les personnes divines ne sont pas le même concret sous différentes dénominations ou relations, comme serait un même homme, qui est poète et orateur, mais *trois différents concrets respectifs dans un seul concret absolu.* Il faut dire aussi que les trois personnes ne sont pas des substances aussi absolues que le tout.

Il faut avouer qu'il n'y a aucun exemple dans la nature, qui réponde assez à cette notion des personnes divines. Mais il n'est point nécessaire qu'on en puisse trouver, et il suffit que ce qu'on en vient de dire n'implique aucune contradiction ni absurdité. La substance divine a sans doute des priviléges qui passent toutes les autres substances. Cependant, comme nous ne connaissons pas assez toute la nature, nous ne pouvons pas assurer non plus qu'il n'y a, et qu'il n'y peut avoir aucune substance absolue, qui en contienne plusieurs respectives.

Cependant, pour rendre ces notions plus aisées par quelque chose d'approchant, je ne trouve rien dans les créatures de plus propre à illustrer ce sujet, que la *réflexion des esprits*, lorsqu'un même esprit est son propre objet immédiat, et agit sur soi-même, en pensant à soi-même et à ce qu'il fait. Car le redoublement donne une image ou ombre de deux substances respectives dans une même substance absolue, savoir de celle qui entend, et de celle qui est entendue ; l'un et l'autre de ces êtres est substantiel, l'un et l'autre est un concret individu, et ils diffèrent par des relations mutuelles, mais ils ne font qu'une seule et même substance individuelle absolue. Je n'ose pourtant pas porter la comparaison assez loin, et je n'entreprends point d'avancer que la différence qui est entre les trois personnes divines, n'est plus grande que celle qui est entre ce qui entend et ce qui est entendu, lorsqu'un esprit fini pense à soi, d'autant plus que ce qui est modal, accidentel, imparfait, et mutable en nous, est réel, essentiel, achevé et immutable en Dieu. C'est assez que ce redoublement est comme une trace des personalités divines. Cependant la S. Ecriture, appelant le Fils, Verbe ou Λόγος, c'est-à dire verbe mental, paraît nous donner à entendre que rien n'est plus propre à nous éclaircir ces choses, que l'analogie des opérations mentales. C'est aussi pour cela que les Pères ont rapporté *la volonté* au S. Esprit, comme ils ont rapporté *l'entendement* au Fils, et la *puissance* au Père, en distinguant *le pouvoir*, *le savoir* et *le vouloir*, ou bien le Père, le Verbe et l'Amour

MONITUM

Nihil hìc de R. P. Perrone, utpote in vivis etiamnùm agente, dicemus, nisi quòd Jesuita est, ac professor in Collegio Romano. Ipsius *Theologia*, licet Romæ nondùm absoluta, in alio jam Italiæ loco necnon in Belgiâ typis denuò mandatur. Et hinc quidem non exigua viri laus exsurgit ; magis verò subsequens tractatus eum apud lectores nostros commendabit.

TRACTATUS DE CULTU SANCTORUM.

Prooemium.

Quæ sub generico tractatûs de cultu sanctorum nomine complectimur, reducuntur ad eorum cultum, invocationem, ad eorum item reliquiarum honorem, ad usum denique ac venerationem imaginum. In totidem propterea capita lucubrationem hanc distribuimus Quandoquidem autem ex germanâ cultûs notione totus aut magna saltem ex parte pendet felix

exitus disceptationis quam aggredimur, ex hâc propterea auspicabimur quæ adversùs Protestantes dicturi sumus.

CAPUT PRIMUM.

DE VARIA CULTUS ACCEPTIONE ET DIVISIONE.

Cultùs nomine venit honor ille qui Deo tribuitur, aut creaturis Dei intuitu ac respectu defertur. Variis porrò vocabulis honor iste designatur, *adorationis*, videlicet, *respectûs*, *venerationis*, *reverentiæ*, *servitutis*, quæ quidem denominationes aut synonymæ sunt, aut saltem indiscriminatim in vulgari sermone usurpantur.

Licet verò promiscuè voces istæ adhibeantur, non unus tamen idemque est cultus vel honor, qui Creatori ac creaturis defertur. Etenim cùm honor juxta B. Thomam l. 2, q. 2, a. 2, sit « signum et testimonium quoddam illius excellentiæ, quæ est in honorato, » inde fit, ut pro diversitate ejusmodi excellentiæ diversus pariter sit honor vel cultus quem Deo vel creaturis tribuimus. Deo nempe utpote supremo rerum omnium Domino atque in infinitum creaturas omnes excedenti, cultum supremum, absolutum ac propriè dictum deferimus, creaturis verò nonnisi propter Deum seu in ordine ad Deum, relativum idcircò et impropriè dictum honorem impendimus, quatenùs scilicet ad Deum referuntur, ac de divinis bonis participant. Appositè Petavius l. 15 de Incarn. c. 2: cultus, inquit, seu adoratio propriè non convenit nisi uni Deo, quemadmodùm uni Deo propriè competit notio *entis*, et ipse est fons, principium omnium honorum ac perfectionum. Sequitur proinde nonnisi Deo propriè convenire cultum, honorem, adorationem. Quòd si cæteris tribuitur, id fit tantùm σχετικῶς, seu κατὰ σχέσιν, id est, secundùm habitudinem : et ἀναλόγως, seu per analogiam quamdam. Quod explicat exemplo ducto à sanitate, quæ propriè nonnisi convenit animanti; quòd si de cæteris usurpatur, ac tribuitur, id non fit nisi quatenùs ea ad illud principale referuntur : et ut eædem res sunt sanitatis causæ efficientes ac conservantes, vel indicia tantùm vel vestigia, vel quocumque alio modo ad illud pertinent; sic herbæ dicuntur sanæ; sana item ambulatio, quia salubres sunt, id est, sanitatem conciliant quam sibi inhærentem non habent : nonnulla item sana dicuntur, quia sanitatis duntaxat indicium præbent. Sic, ait ipse, adoratio et cultus eo tantùm sensu creaturis defertur, quatenùs nempe ad Deum referuntur, cui soli propriè excellentia competit cujus cultus testificatio est, nempe κατὰ σχέσιν, et reliquiis vel imaginibus secundo loco et per analogiam κατ' ἀναλογίαν.

Duplex proinde inprimis distinguitur cultus, *latriæ* atque *duliæ*; quæ voces quamvis pariter *servitutem* significent, cùm tamen earum prior referatur ad *subjectum* seu ad ipsos colentes, qui adoratione Deo propriam servitutem ac dependentiam profitentur, posterior verò ad *objectum* quod colitur, sanctos scilicet, qui servi Dei sunt, ritè ad utriusque cultûs genus significandum usurpantur. Duliæ cultus bifariàm rursùm dividitur, in simplicem nempe duliæ cultum, et in cultum *hyperduliæ*, quo B. Virgo speciali ratione honoratur præ sanctis cæteris, quos illa meritis ac dignitate longè antecellit.

Animadvertendum præterea est hunc ipsum duliæ cultum, si spectetur quatenùs ad sanctos refertur et in ipsis sistit, sub hoc respectu dici posse absolutum. Etsi enim sancti participatam, ut diximus, excellentiam habeant, reapsè tamen in suo genere habent, honoris propterea ac religiosi cultûs capaces sunt. E contra verò imagines et reliquiæ, quæ nullam ex sese excellentiam capiunt ob quam honorem ac cultum mereantur, impropriè tantùm coli et adorari dicuntur, eò quòd veneratio nostra minimè in iis sistat, sed per eas transeat ad prototypum; quare totus hic cultus relativus est.

Pro diversâ ratione quâ cultus seu adoratio tribui potest, fit ut cultus in *interiorem* et in *exteriorem* distinguatur, prout scilicet vel solo animo, vel corporis insuper significatione præbetur. Interior, qui in solâ mente consistit, sensus complectitur existimationis, admirationis, grati animi et obsequii erga illum quem talibus sensibus dignum ducimus; exterior verò qui corporis administratione perficitur, gestu, e. g., capitis inclinatione, submissione poplitis, etc., signa exhibet interiorum animi nostri sensuum, seu interioris cultûs nostri.

Porrò ex signis exterioribus alia communia sunt creatori ac creaturis, qualia, e. g., sunt prostrationes, preces, etc.; alia Deo soli reservata sunt, nec nisi ipsi soli deferri possunt, qualia sunt sacrificia, vota, jurajuranda, templorum inauguratio ac cætera ejusmodi.

Cùm verò ex claris his notionibus solutio pendeat plurium difficultatum quas in nos Protestantes intorquent, juverit rem istam totam

declarare exemplo petito ex cultu civili. In politicâ scilicet societate alium honorem deferimus regi, alium regni proceribus. Regi enim supremum honorem impendimus, absolutum ac propter seipsum : en specimen cultûs, ut ita loquar, *civilis latriæ;* proceres verò plus minùsve honoramus juxta dignitatem quam à principe obtinent, vel majorem aut minorem cum ipso propinquitatem, vel relationem habent, ideòque non per se, sed propter regem propriè eos colimus, et en cultum *duliæ civilis.* Rursùm principis effigiem ac simulacrum, seu etiam legatos veneramur non propter se, sed propter principem quem referunt; en specimen cultûs *civilis relativi.* Prosternimur, caput inclinamus vel genua flectimus tum coram rege tum coram aulicis, quin parem iisdem honorem deferre intendamus, ex quo manifestum fit discrimen exterioris cultûs totum pendere ex intentione illum deferentis. Patet igitur diversam istiusmodi cultuum distinctionem et enumerationem ex ipsâ rerum naturâ profluere ac in ipsâ fundari. Totum siquidem quod reperitur discrimen inter cultum civilem ac religiosum unicè petitur ex diversitate objecti ac motivi.

Ex præjactis principiis colligimus 1° unum idemque vocabulum diversam planè significationem præ se ferre posse, ideòque posse usurpari ad diversi generis cultum designandum. Sanè in Scripturis legimus patriarchas, prophetas, aliosque religiosissimos viros *adorâsse* Deum, Angelos, reges, principes, populum ipsum et coram ipsis se prostravisse, ut passim legitur de Abraham, Loth, Jacob, Josue, David, Nathan, etc. (1), quin tamen vel levis suspicio oriri possit sanctissimos hos viros eumdem honorem Deo ac creaturis detulisse, aut se turpissimo idololatriæ crimine commaculâsse. Non igitur ex identitate vel vocis vel actûs judicium ferri debet de identitate cultûs, sed ex notione quæ voci subjicitur et ex intentione agentis diversitas cultûs repetenda est. Exinde liquet perpetuo paralogismo uti Protestantes, dùm urgent adversùs Catholicos loca illa Scripturarum in quibus *adoratio* uni Deo tribuenda præcipitur. Ecquis enim Catholicorum ignorat unum Deum esse adorandum? Stupidos profectò se produnt aut malæ fidei, dùm hæc adversarii Catholicis ingerunt, perinde ac si ipsi alios præter Deum adorarent, dùm sanctos honore prosequuntur. Imò ex statuto principio et illud infertur, nunquàm Catholicos superstitionis in cultu quem sanctis tribuunt argui posse. Si enim cultus pendet ab intentione colentis, et hæc à fide quam colens profitetur, nisi Catholicus contra fidem quam profitetur agere velit, impossibile ipsi est, ut idololatriâ se commaculet, cùm juxta professionem suam unus Deus sit latriâ colendus, creaturas autem, quæcumque sint, nonnisi cultu inferioris ordinis atque ut servos Dei colere decet, nempe cultu duliæ adorandæ sint.

Quoniam verò Protestantes suos libentiùs audiunt, præstat propterea eos domesticâ auctoritate convincere. Sic igitur scribit quidam ipsorum theologus : « Si Loth se prosterne devant les deux anges, qui le visitèrent, c'est une civilité, qu'il fait à des étrangers; si Jacob se prosterne devant Esaü, c'est la déférence qu'un cadet a pour son aîné; si Salomon se prosterne devant Batzabat, c'est un fils qui honore sa mère; si Nathan se prosterne devant David, c'est un sujet qui offre ses respects à son prince. Mais si un homme se prosterne, en priant Dieu, alors c'est la créature qui adore son créateur; et quand on a traduit les termes, que l'on a rapportés, tantôt par *adorer,* tantôt par *se prosterner,* ce n'est pas la signification du mot qui a déterminé les interprètes, c'est la nature du sujet qui les a conduits dans le choix de ces expressions. Je suppose qu'un Israélite se fût prosterné, en abordant son roi, personne ne l'aurait accusé d'idolâtrie. S'il en eût fait autant devant une idole, ce même acte corporel aurait passé pour un acte d'idolâtrie. Pourquoi? Parce qu'on aurait jugé, par son action, qu'il regardait l'idole comme une vraie divinité, et qu'il avait pour elle les sentiments que suppose l'adoration, prise dans le sens restreint que ce terme a dans notre langue. Que faut-il donc penser de ce que font les Catholiques, pour honorer les saints, les reliques, les bois de la croix? Ils ne nieront pas que ce culte extérieur ne ressemble en tout à ce qu'ils font pour honorer Dieu extérieurement. Mais ont-ils des saints et de la croix les mêmes idées qu'ils ont de Dieu? Je ne crois pas qu'on puisse justement les en accuser. Par-là même, il me semble qu'on ne doit pas les qualifier d'idolâtres..... Si l'on se bornait à dire qu'un culte rendu à des êtres qui vraisemblablement ignorent tout ce qu'on fait pour

(1) Confer Genes. 18, 2; 19, 1; 23, 7; 24, 26, 48 52, etc. Jos. 5, 15. 1 Reg. 24, 9, etc.

les honorer ; que des prières adressées à des creatures, qui ne sont pas en pouvoir de faire ce qu'on leur demande, est un culte déraisonnable, je n'hésiterais pas à y souscrire ; mais je ne voudrais pas accuser les Catholiques d'idolâtrie. » *Encyclopédie d'Yverdun*, t. 1. art. *Adorer*.

2° Colligimus, rectè juxta diversam notionem ejusdem vocabuli posse istud vel recipi vel repudiari pro diverso sensu quo assumitur. Hinc videmus ab antiquis Patribus voces *adorationis*, *venerationis*, etc., rejectas esse cùm applicarentur honori seu cultui qui tribuebatur creaturis, angelis, e. g., vel sanctis, etsi hos honore et cultu dignos haberent, ut inferiùs ostendemus ; ideò autem illas voces repudiabant, quia ethnici, cum quibus res ipsis erat, in sensu *adorationis latreuticæ* eas usurpabant, doctrinam tamen catholicam aliis vocibus exponebant.

3° Colligimus rectè ad omnem ambiguitatem tollendam adscitas à recentioribus esse voces *latriæ* et *duliæ*, ad ritè distinguendum cultum supremum ac soli Deo debitum ab inferiori quo angeli vel sancti honorantur. Fundamentum enim hujus distinctionis in ipsâ rei naturâ habetur, ut ex dictis patet, atque in auctoritate S. Augustini, qui et hanc distinctionem agnovit et iisdem vocabulis expressit dicens : « Non eo modo, quo jubemur per charitatem « servire invicem, quod est δουλεύειν, sed eo « modo, quo tantùm Deo servitur, quod est « græcè λατρεύειν, » de Trin. l. 1, c. 6, al. 13 ; et cont. Faust. l. 20, c. 15 ; de verâ Relig. c. 55 ; de Civit. Dei l. 8, c. 25, et l. 10, c. 7 ; Confess. l. 10, c. 42 ; Enarr. in ps. 96. Quod demùm vel ipsi Protestantes agnoverunt, ex quibus Gerardus Vossius sic scribit : « Eos « qui distinctionem hanc (inter latriam et du- « liam) probant, minimè improbamus, *partim* « quia vitanda est viro prudenti omnis logo- « machia, *partim* quia nec inutile videtur, si « cultibus toto genere differentibus, qualis est « Dei et creaturæ ad *omonymiam* vitandam di- « versa imponantur nomina ; *partim* quia ne- « que ab eâ abhorruit Augustinus. » In Append. ad disp. 1. de Incarn. Cui inter alios potest addi Leibnitzius, qui in Systemate theologico, p. 188, præclarè scribit : « Itaque cen- « sent viri pii et prudentes dandam esse ope- « ram ut omnibus modis discrimen infinitum « atque immensum inter honorem, qui Deo « debetur et qui sanctis exhibetur, quorum il- « lum latriam, hunc duliam post Augustinum « theologi vocant, non tantùm inculcetur au- « dientium ac discentium animis, sed etiam « externis signis, quoad licet, ostendatur. »

Hæc si probè teneantur, operosum non erit plerasque disjicere difficultates quas Protestantes magno molimine congesserunt adversùs catholicam doctrinam. Fucum enim per eas faciunt imperitis ; cùm agatur de argumento populari, hoc maximè abusi sunt ad incautos decipiendos atque ad eos retinendos ne dicam in turpissimâ hæreticâ sectâ, sed veriùs in apostasiâ à religione christianâ, cujusmodi protestantismus in suâ essentiâ spectatus, reipsà est.

(Dùm protestantismi coriphæi sub palliato prætextu se minimè commaculandi idololatriæ labe cum Ecclesiâ Romanâ, id est, Ecclesiâ catholicâ, ab eâ se separârunt, principium statuerunt fundamentale, quod necessariò extremam debebat inferre perniciem ipsi Religioni christianæ. Sensim ac sine sensu ejusmodi principium spiritûs privati, seu independentiæ à quâvis auctoritate evolutum fuit, ac suos fructus attulit. Peperit enim Anabaptistas, postea Socinianos, deinde methodistas, Chrestianos, Antinomios, demùm rationalistas, quibus Scripturæ sacræ non sunt nisi mythographia, scriptores sacri totidem illusi, Christus ipse magnus deceptor et seductor. Sic enim Deus spiritu vertiginis superbos ejusmodi homines percussit, ut videntes non viderint de abysso in abyssum miserè proruentes.)

CAPUT II.

DE RELIGIOSI SANCTORUM CULTUS HONESTATE AC PIETATE.

Protestantes cum Vigilantio, Fausto Manichæo à sanctis Hieronymo et Augustino confutatis causam communem agentes in impugnando sanctorum cultu ac rejiciendo tanquàm idololatrico, impio, superstitioso modum omnem excesserunt. Præter sectas omnes, quæ ex protestantismo prodierunt, atque in rejiciendo sanctorum cultu unanimes sunt, adversarios habemus incredulos, qui se philosophos nuncupârunt, inter quos eminent Beausobrius, Hist. de Maniché et du manichéisme, t. 2, lib. 9, cap. 5, p. 679, seqq.; Middletonius (1), Gibbonius (2), diabolares denique scriptores reli-

(1) Middleton's *Letters from Rome*, etc., id est, Midletoni Epistolæ Romæ datæ, ostendentes exactam conformitatem inter papismum et paganismum, seu religionem Romæ præsentis à paganis suis antecessoribus derivatam

(2) Gibbon. Storia della decadenza dell' impero Rom. trad. dall'ingl. c. 15, seqq.

qui, qui sordes omnes verrere, declamationes probra, loca denique communia furiosorum hominum congerere nedùm desinunt in tantâ, quâ gloriantur, politiorum litterarum luce ac morum suavitate et comitate quam affectant. (Inter cæteros gregarios ejusmodi disputatores qui his annis maniacum furorem ostenderunt adversùs sanctorum cultum, eminet Breckenridge Americanus in disputatione cum R. Hughes, cf. *Controversy between Rev. Messrs Hughes and Breckenridge*, etc., seu Controversia inter DD. Hughes et Breckenridge circa quæstionem : *Estne religio protestantium vera Christi religio?* Philad. 1833, ed. stereotyp. controv. n. 4, p. 35, et alibi.) Cùm tamen nec unum argumentum novum protulerint, aut in medium proferant quod millies à catholicis scriptoribus protritum jamdiu non fuerit, nobis non restat nisi ipsis denuò opponere quæ à tot doctissimis viris scripta sunt.

Cùm verò ex benè constituto controversiæ statu felix disputationis progressus tantùm haberi possit, ideò ex præmissis dicimus controversiam minimè versari inter nos et adversarios nostros circa *modum*, quo sancti colendi sunt, sed circa *rem ipsam;* nùm scilicet possimus honestè ac piè per aliquod signum religionis testari excellentiam quam in sanctis deprehendimus ob virtutes quas cùm in vivis agerent, ipsi exercuerunt et amicitiam quam cum Deo fruuntur, necne. Catholici affirmant, adversarii negant. In hoc propterea sensu sequentem adstruimus propositionem.

PROPOSITIO. — *Pius et omni idololatriæ labe immunis est religiosus sanctorum cultus.*

Omni prorsùs idololatriæ culpâ vacare, imò potiùs pium esse cultum quem Catholici sanctis tribuunt constat ex sacris litteris, quæ illum commendant, ex vetustissimâ Ecclesiæ traditione et consuetudine, necnon ex ipsâ intimâ rei naturâ, atque adversariorum agendi ratione.

Inprimis enim Scripturæ patriarchas, judices, prophetas exhibent religioso cultu angelos et sanctos viros prosequentes. Omissis enim, quæ de Abraham et Loth ac Jacob referuntur, factis, Balaam Num. 22, 31, ut *vidit angelum stantem... adoravit eum pronus in terram.* Josue cùm audivisset virum quem viderat stantem evaginato gladio esse principem exercitûs Domini, *cecidit pronus in terram, et adorans ait*, etc., Jos. 5, 15. Honorem seu cultum istum religiosum esse, seu in ordine ad Deum, minimè verò solùm *civilem* exinde constat, quòd patriarchæ optimè noverint, eos civiliter non conversari, sed Dei nuntios esse atque cum Deo amicitiâ conjungi. Cf. in criticis sacris quod Grotius scribit in cap. 19, v. 10, Apocalyps. de Hebræorum more angelos adorandi. Ex his patet non deesse nobis, ut supponere videtur Hengstenberg, fundamenta biblica de veneratione et cultu angelorum. Idem dicatur de adoratione illâ quam Eliseo tribuit mulier Sunamitis, postquàm propheta excitavit filium ejus à mortuis, 4 Reg. 4, 37. Vix enim ut vidit Sunamitis ingens miraculum ab Eliseo patratum, corruit ad pedes ejus eumque adoravit; itaque non simplicem hominem, sed qualitatem *viri sancti* et thaumaturgi in illo mulier venerata est. Cùm igitur objectum ac motivum istius adorationis religiosum fuerit, meritò concludimus Sunamitidem, non civilem, ut Protestantes nonnulli autumant, sed religiosum prorsùs cultum Eliseo præstitisse.

Numquid verò aliquando actus istos improbârunt Scripturæ? Haudquaquàm sanè : præterquàm quòd enim viros istos (si Balaam excipias, qui tamen juxta receptam consuetudinem se gessit) pietate ac religione spectatissimos nobis semper exhibent, Deum ipsum ejusmodi cultum expressè aliquando præcipientem inducunt. Sic Exodi 23, 20, Deus alloquitur populum suum : *Ecce ego mittam angelum meum qui præcedat te.... observa eum, et audi vocem ejus nec contemnendum putes... et est nomen meum in illo;* sic Josue, l. c., princeps exercitûs Domini, non solùm approbavit sibi exhibitam adorationem, sed præterea Josue præcepit : *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis : locus enim in quo stas, sanctus est.* Eædem præterea Scripturæ Deum exhibent vindicem contumeliæ servis suis illatæ; etenim ad Eliæ nutum ignis è cœlo descendit ad binos illos principes quinquagenarios absumendos, qui ad prophetam non eâ quâ par erat reverentiâ accesserunt; quare tertius quinquagenarius utpote timens Deum *curvavit genua contra Eliam et precatus est eum*, 4 Reg. 1, 13. Ita pueri Bethel Eliseum irridentes ab ursis lacerati sunt, lib. 2, 28, seqq. Quibus apertè Deus ostendit quâ ratione velit honore affici servos suos. Quin itaque dicamus viros pietate insignes idololatriæ labe se commaculâsse dùm cultum angelis et sanctis tribuerunt, aut Deum jussis ac prodigiis idololatriæ crimen honestare voluisse, fatendum est pium sanctumque esse cultum istum, atque ab omni prorsùs superstitionis idololatriæ noxâ immunem.

Sanctorum itidem cultum ab ipsis rei christianæ primordiis in Ecclesiâ obtinuisse non unus vel alter testis adest, sed facta ineluctabilia ac certissima documenta. Etenim istius cultûs monumentum sunt 1° festi dies in sanctorum martyrum honorem ac memoriam instituti, de quibus mentio fit lib. 8 Constitut. apostolicar., c. 33, ubi recensentur dies quibus « feriandum erit famulis » enumerantur autem inter cæteros dies festi sanctorum : « In « diebus vacent Apostolorum, inquiunt;... in « die Stephani protomartyris ferientur, atque « in diebus cæterorum sanctorum martyrum, « qui Christum vitæ suæ anteposuerunt » (1). Istius pariter consuetudinis agendi festos dies sanctorum martyrum meminit Ecclesia Smyrnensis apud Eusebium (2) scribens ad Ecclesias Ponti : « Quo etiam in loco nobis convenientibus concedet Deus natalem ejus (Polycarpi) martyrii diem cum hilaritate et gaudio « celebrare; » ejusdem festi mentio fit in actis S. Pionii (3). 2° Cultûs sanctorum per universam Ecclesiam recepti à primis seculis monumenta indubia sunt sacrificia, quæ in martyrum solemniis in ipsorum honorem Deo offerebantur, de quibus præter S. Jo. Chrysostomum et Augustinum (4) testes sunt locupletissimi Tertullianus et Cyprianus. Tertullianus enim lib. de Coronâ, c. 3 : « Oblationes, inquit, pro defunctis, pro *natalitiis* annuâ die facimus » (5).

(1) Apud Coteler. T. 1, p. 415. Porrò Constitutiones apostolicæ prodierunt sec. 3 Ecclesiæ, quas magni faciunt viri eruditi Albaspinæus, de Marca, Petavius, etc.

(2) Lib. 4 Hist. Ecc. c. 15, edit. Valesii, qui refert integram hanc epistolam à Jac. Usserio primùm editam. Cùm verò S. Polycarpus martyrio functus sit sub Antonino Pio, hoc documentum spectat ad II Ecclesiæ seculum, cùm vix ab ejus morte conscripta sit. Cf. P. Aloixium, S. J. Illustrium Ecclesiæ orientalis scriptorum vitæ et documenta Duaci 1633, t. 1, not. ad vitam S. Polycarpi, c. 13.

(3) Apud Ruinartium Acta martyr sincera Veronæ 1731, p. 118, ubi, n. 2, legitur : « Secundo itaque die sexti mensis, qui dies est 4 « id. martias, die sabbati majore, *natale Polycarpi martyris celebrantes genuinum*, Pionium... « vis persecutionis invenit. » Passus est autem S. Pionius an. Christi 250.

(4) S. Jo. Chrysost., hom. 21 in Act. Apost., n. 4, Opp. ed. Maur. tomo 9; S. August. serm. 273, cap. 12, Opp. ed. Maur. t. 5, et alibi passim.

(5) Confer ib. adnot. Rigaltii, qui observat per natalitia intelligi à Tertul. solemnitates fieri solitas in honorem MM., quo scilicet die mundo mortui, cœlo nati sunt. Confer etiam La Cerda S. J. in notâ ad h. l., in quâ eruditè germanum Tertulliani sensum defendit adversùs Junium

S. verò Cyprianus : « Sacrificia, scribit, pro « eis semper, ut meministis, offerimus, quoties « martyrum passiones et dies anniversariâ « commemoratione celebramus » (1). 3° Ejusdem cultûs documenta pariter suppeditant altaria ac templa seu sacella, quæ *confessiones* aut *martyria* nuncupabantur in sanctorum martyrum honorem ac memoriam erecta (2). 4° Documenta sunt publica et vulgatissima sanctorum invocatio, et honor sanctorum reliquiis exhibitus, de quibus paulò infra ex instituto agemus. Non igitur singulares tantummodò testes in medium proferimus ad ostendendum ubique receptum fuisse tribus prioribus Ecclesiæ seculis sanctorum cultum, sed monumenta publica et vulgatissima, quæ extenuari ab adversariis nullâ solidâ ratione possunt. Si quem tamen desiderium tangit consulendi singulatim vetustiorum Patrum testimonia, eum remittimus ad Bellarminum, 1 lib. de Beatif. et Canon. SS., c. 13, et Petavium lib. 14 de Incarn. c. 10, seqq. Confer etiam Trombellium diss. cit., cap. 1, seqq. Concludendum interea est, vel nullum omninò in sanctorum cultu superstitionis atque idololatriæ vestigium reperiri, vel superstitionem et idololatriam in Ecclesiâ unà cum Ecclesiâ ipsâ cœpisse.

Verùm ex ipsis Protestantium principiis ita rem nostram conficimus : admittunt ipsi cultum civilem ad civiles seu politicas ac naturales dotes et virtutes honorandas. Ergo, jure inferimus, admittendus pariter est cultus religiosus ad supernaturales virtutes ac dotes sanctorum

(1) Epist. 34 ed. Maur. ; vid. in h. l. adnot. 13 Pamelii. Illustre item monumentum suppeditat istius consuetudinis synodus Laodicena, quæ can. 51 : « Non oportet, inquit, in qua- « dragesimâ martyrum natalitia celebrari, sed « eorum in sabbato et dominicâ tantùm me- « moriam fieri, » in collect. Conc. Labb. t. 1, col. 1520. Confer ibid. notas Binii. Aliud monumentum exhibet concil. Gangrense, can. 20. Trombellius can. reg. in op. de cultu sanctorum, Bonon. 1740, vol. 2, diss. 6, cap. 12, seqq., pluribus prosequitur quæ in celebratione festorum SS. MM. fieri consueverant

(2) Confer Eusebium Hist. ecc., lib. 2, c. 25, qui refert fragmentum Caii presbyteri ex libro quem is scripserat adversùs Proculum patronum Cataphrygum sectæ, ubi sic hæreticum hominem perstringit : « Ego verò Apostolorum trophæa possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi trophæa eorum qui ecclesiam illam fundaverunt : Ἐγω δὲ τὰ τρόπαια τῶν Ἀποστόλων ἔχω δεῖξαι· ἐὰν γὰρ θελήσῃς ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸν Βατικανὸν, ἢ ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν Ὠστίαν, εὑρήσεις τὰ πράπαια τῶν ταύτην ἱδρυσαμένων τὴν Ἐκκλησίαν. Florait autem Caius tempore Zephyrini.

proprias honore debito prosequendas. Imò, quemadmodùm honor ille, qui aulæ proceribus exhibetur quin principis honori ac reverentiæ ei debitæ quidpiam detrahat, illam potiùs statuit atque confirmat, sic, quin cultus quem sanctis tribuimus quidpiam detrahat supremo honori et cultui qui Deo debetur, eum potiùs perficit ac mirificè confirmat; mancus enim quemadmodùm esset honor ille quo Deum prosequimur, si colere dedignaremur amicos ejus unà cum ipso in cœlesti aulâ regnantes; eò vel magis, quòd in Dominum ultimò redundet honor servorum, qui quidem honor ideò religiosus nuncupatur, quia Dei intuitu et causâ sanctis defertur.

Hæc demùm viderunt cordatiores inter Protestantes ipsos. Cæteris enim omissis, in medium proferam verba Leibnitzii, qui scribere non dubitavit : « Generaliter tenendum...neque « cultum sanctorum aut reliquiarum probari, « nisi quatenùs ad Deum refertur, nullumque « Religionis actum esse debere, qui in honorem unius omnipotentis Dei non resolvatur « ac terminetur. Itaque cùm sancti honorantur, hoc ita intelligendum est quemadmodùm « in Scripturâ dicitur : *Honorificati sunt amici « tui, Deus*, et : *Laudate Dominum in sanctis « ejus*, » System. theol. ab Emeryo, edit. Paris., 1819, pag. 160 ; et iterùm p. 170 : « Certum est « secundo christianæ Ecclesiæ seculo jam natalitia martyrum celebrata et apud monumenta eorum sacros conventus fuisse institutos ; » ex quibus rectè infert p. 172 et seq. : « Verendum autem est ne qui ita sentiunt (idolatriam esse cultum sanctorum) viam aperiant ad omnem rem christianam convellendam : nam si jam ab illis temporibus horrendi errores in Ecclesiâ prævaluerunt, « Arianorum et Samosatenorum causa mirificè « juvatur, qui originem erroris ab illis ipsis « temporibus computant, atque obscurè defendunt Trinitatis mysterium et idololatriam « simul invaluisse... Judicandum cuique relinquo quò res sit evasura : quinimò procedet « ulteriùs suspicio audacium ingeniorum : « mirabuntur enim Christum promissis tam « largum erga suam Ecclesiam, tantùm hosti « generis humani indulsisse, ut, unâ idololatriâ profligatâ, succederet alia, et ex sedecim « seculis vix unum aut duo sint in quibus vera « fides utcumque inter Christianos sit conservata, cùm Judaicam ac Mahumeticam religionem videamus tot seculis satis puram secundùm fundatorum instituta perstitisse. « Quo igitur loco manebit consilium Gamalielis, qui de christianâ Religione et providentiæ voluntate ex eventu judicandum dictitabat; aut quid de ipso christianismo « judicabitur, si lapidem hunc Lydium parùm « adeò sustineret ? » Quibus verbis ingenuus hic Protestans non modò catholicam veritatem adstruxit, sed præcipua argumenta complexus est, quibus eadem fulcitur.

Difficultates.— I. Obj. : 1° Cultus sanctorum adversatur primo Decalogi præcepto Deut. 6, 13 : *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies.* Quod Christus renovat, Matth. 4, 10, illis verbis : *Dominum tuum adorabis, et illi soli servies.* 2° Hoc autem præcepto quicumque cultus et honor creaturis adimitur et uni Deo reservatur, ut illud exponit Apostolus 1 Timoth. 1, 17, dicens : *Soli Deo honor et gloria.* 3° Sanè Deus profitetur apud Isaiam 42, 8, nolle se gloriam suam alteri communicare illis verbis : *Gloriam meam alteri non dabo.* Ergo utpote superstitiosus et Verbo Dei contrarius quicumque sanctorum cultus rejici debet.

Resp. : Nego antecedens. Ad duas verò priores probat., distinguo : Ex adductis verbis uni Deo reservatur cultus seu honor supremus, latriæ, et propriè dictus, concedo ; inferioris ordinis, duliæ ac impropriè dictus, nego. Uti enim patet ex scopo et contextu, in objectis locis sermo est de solo supremo cultu, ac propriè dictâ servitute; adjicitur siquidem l. c. Deut. : *Et per nomen illius jurabis.* Et clariùs adhuc Deut. 5, 7, ubi idem præceptum traditur : *Non habebis deos alienos in conspectu meo.* Cùm verò cultus quem nos sanctis tribuimus ejusmodi non sit, nec eis cultum deferamus nisi in ordine ad Deum, atque intuitu ipsius Dei, liquet nihil commune habere præceptum istud cum sanctorum cultu. Ut aliquid proficerent adversarii, ostendere deberent vel cultum quem sanctis Catholici tribuunt esse supremum, vel supremo huic Dei cultui cultu illo sanctorum quidpiam detrahi, quod cùm efficere nequeant, perperam Catholicos damnant velut idololatriæ reos, et primi decalogi præcepti infractores. Appositè Catechismus Rom. : « Quis adeò demens est, inquit, qui « edicente rege, ne se pro rege quisquam gerat, aut regio cultu atque honore affici patiatur, continuò putet nolle regem suis ut « magistratibus honos deferatur ? »

Ad secundam : Idem responsum esto; si enim Apostolus quemcumque honorem creaturis adimere voluisset, cit. loc., non scri-

psisset Rom. 12, 10 : *Honore invicem prævenientes;* 1 Tim. 5, 17 : *Presbyteri duplici honore digni sunt,* et alibi passim. Confer. Bernard. à Piconio, qui verba Apostoli de gratiarum actione exponit, ob misericordiam sibi exhibitam et aliis in se ostensam. Illud verò *soli* Deo exponit, qui unus et solus est. Ex quo patet nihil hæc verba commune habere cum scopo à Protestantibus intento de exclusione sanctorum à gloriâ et honore. Vidimus præterea patriarchas aliosque viros in veteri lege conspicuos prostravisse se coram angelis, regibus ac viris sanctis, quin propterea in reprehensionem incurrerint.

Ad tertiam, distinguo : Alteri, id est, *sculptilibus,* seu falsis diis, ut ibidem subditur, concedo ; indiscriminatim, subdistinguo : Gloriam quæ solius Dei propria sit, concedo ; quæ convenire possit creaturis juxta dicta, nego.

Inst. : Atqui omnis reipsà et cujuscumque ordinis cultus, qui angelis vel sanctis tribuatur, à Scripturis prohibetur ; etenim 1° Apostolus Coloss. 2, 18, scribit : *Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum, quæ non vidit ambulans.* Vetuit igitur ne ullâ ratione Angeli colerentur. 2° Quare cùm Joannes angelum sibi apparentem adorare vellet, talem honorem angelus recusavit dicens, Apocal. 19, 10 : *Vide ne feceris : conservus tuus sum... Deum adora.* Eâdem ratione se gessit Apostolus Petrus cum centurione, Act. 10, 25, 26. Ergo.

Resp. : Nego min. Ad primam prob. distinguo : Cultu falso et superstitioso, esto ; ritè intellecto, nego. Transmisimus primum distinctionis membrum, cùm nondùm inter expositores exploratum sit, quid illis verbis significare Apostolus intenderit. Nam alii contendunt iis perstringi superstitiosum angelorum cultum tum bonorùm tum malorum (1). Alii volunt solum excludi cultum superstitiosum et idololatricum angelorum bonorum, qui censebantur mediatores inter Deum et homines juxta placita Platonicorum, et quidem ad Christi exclusionem, quod indicare videntur verba immediatè sequentia, *et non tenens caput.* Alii arbitrantur iis argui Christianos judaizantes, nimis scilicet Mosaicæ legi addictos et legalibus observantiis, sub prætextu quòd lex per ministerium angelorum data sit. Favere huic sententiæ videtur contextus ; dixerat enim paulò ante Apostolus : *Nemo vos judicet in cibo aut in potu,* etc. Alii demùm existimant carpere Apostolum « studium singularis sanctitatis, nempe pharisaicæ, quæ crebris jejuniis et exquisitis exercitationibus aliis cernebatur, » quæ est expositio ipsorum biblicorum Protestantium (1). Quæcumque demùm admittatur expositio, patet nil commune habere Paulinum textum cum legitimo angelorum cultu, qualis ab Ecclesiâ catholicâ admittitur.

Ad secundam, distinguo : Adoratione impropriè dictâ, quæ in humilis obsequii signo consisteret, concedo ; propriè dictâ seu latriæ, nego. Alioquin damnare deberemus Joannem apostolum et evangelistam tanquàm idololatriæ reum, qui non solùm in loco objecto, sed iterùm, ibid. 22, 9, cecidit ad angeli pedes ut adoraret eum, et rursùm prohibitus est. Itaque meritò Grotius ad h. l. : « Non dicit (angelus) προσκύνησιν (*adorationem*) soli Deo licitè « exhiberi : repugnat enim tota vetus historia..... sed benignè agit, ut si quis collega « collegæ dicat : Serva hunc honorem regi. » Id ipsum dicatur de Petro recusante obsequium Cornelii centurionis, quâ agendi ratione B. Petrus Cornelium monuit, ut gratiam omnem Deo acceptam referret ex quo omne bonum descendit, seque professus est non esse nisi Dei ministrum, qui eum ad salutem elegerat.

II. Obj. ex traditione : 1° Laodicena synodus can. 35, districtè prohibet « Christianos, relictâ Dei Ecclesiâ, abire et angelos nominare, « vel congregationes facere ; si quis ergo inventus fuerit huic occultæ idololatriæ vacare, « anathema sit. » 2° Damnant eumdem cultum Origenes, lib. 5 cont. Celsum, n. 8, seqq., et lib. 7, n. 62, seqq. ed. Maur., et Theodoretus, Comment. in Ep. ad Coloss., quibus assentiuntur Patres reliqui, dùm 3° monent *diligi* quidem et *honorari* ab Ecclesiâ sanctos, non

(1) Confer. Trombellium op. cit. diss. 4, c. 8, ubi diversas interpretationes recenset et expendit.

(1) Ita quidem Carolus Rosenmüller, qui in Schol. in N. T. in h. l. scribit : « Θρησκεία τῶν « ἀγγέλων est *studium singularis sanctitatis* « nam, Act. 28, 5, Paulus τὴν ἀκριβεστάτην « αἱρέσιν τῆς Ἰουδαϊκῆς θρησκείας non cultum dicit, sed studium singularis sanctitatis pharisaicæ, quæ crebris jejuniis et exquisiti; « exercitationibus aliis cernebatur, et v. 23, « hujus capitis Paulus pro θρησκεία τῶν ἀγγέλων « substituit ἐθελοθρησκείαν, quam dubitari non « potest fuisse in fugiendis cibis, quos lex Mosaica interdixisset, et similibus institutis. » Quare rejicit, seu retractat suam interpretationem quæ magis olim ei placuerat de cultu angelorum. Cf. edit. 5, 1806. Ex his planè concidit præcipuum argumentum quo tantoperè Protestantes usi sunt ad impugnandum cultum angelorum et sanctorum.

autem *coli*, ut patet ex Epist. Ecclesiæ Smyrnensis, ex Hieronymo, Epist. 109, al. 53, n. 1, tum cont. Vigilant., n. 5; et Augustino, Serm. 273, al. 101, necnon in lib. de verâ Relig., cap. 55, al. n. 108, 110. 4° Dùm palam iterùm profitentur à se sanctos minimè *coli propter religionem*, sed tantùm *amari* et *honorari propter imitationem*, ut idem loquitur S. Augustinus, de verâ Relig., n. 108. 5° Dùm docent illud honoris genus ad sanctos pertinere, quo viventes probitate spectatos amamus, ut rursùm loquitur Augustinus, lib. 20, cont. Faust., c. 21, et cum ipso Cyrillus Alex., lib. 6 cont. Julian. 6° Dùm affirmant se nullum sanctis deferre cultum, qui in iis sistat, sed in eis Deum tantummodò honorare, Theodoret. serm. 8 de curandis Græc. affect., etc. 7° Nec aliter res esse poterat; distinctionem enim inter cultum supremum et inferiorem, seu *latriæ* et *duliæ*, quem recentiores scholastici invexêre, penitùs veteres ignorârunt. Quin igitur Patres idololatriæ insimulemus, fatendum est nullum cultum propriè dictum sanctis eos detulisse.

Resp. ad primam : Distinguo. Synodus Laodicena cultum immodicum et superstitiosum prohibuit, concedo; cultum legitimum, nego. Talem porrò fuisse scopum concilii Laodiceni in cit. canone ostendunt argumenta tum interna tum externa. *Interna* quidem, cujusmodi sunt 1° quæ ex ipsis verbis canonis eruuntur, ex quibus patet perstringi eos qui *relictâ Dei Ecclesiâ, congregationes facere, occultæ idololatriæ vacare*, seu in cœtibus clandestinis se colligere audebant; 2° quod ex can. 41 ejusdem synodi habetur, in quo hujus concilii Patres admittunt legitimum cultum martyrum, ac tempus determinant quo martyrum festivitatibus vacare fideles possunt; ita enim se habet, quòd « non oportet in quadragesimâ martyrum natales peragere, sed sanctorum martyrum facere commemorationes « in sabbatis et dominicis. » Confer Acta Concil. Hard., T. 1, col. 789. Porrò eadem est ratio cultûs angelorum et sanctorum. Argumenta *externa* suppeditat historia, ex quâ novimus viguisse tunc temporis in illâ provinciâ superstitiosam sectam, quæ juxta platonica principia angelis uti divinitatis mediatoribus cultum tribuebat. Id testatur Theodoretus, qui in Commentariis in Ep. ad Coloss., explanans Apostoli verba : *Nemo vos seducat*, etc., hæc scribit : « Et in hodiernam usque diem « licet videre apud illos et eorum finitimos « oratoria S. Michaelis. Illi ergo hoc consulebant, atque humilitate utentes, dicentes « universorum Deum nec cerni nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri : et oportere per angelos divinam sibi benevolentiam « conciliare. » Ex quibus tum germanus sensus objecti canonis Laodiceni liquet, tum mala eorum Protestantium fides, qui absolutè ab eâ synodo damnatum angelorum cultum esse affirmant. Sic enim inter cæteros Wegscheider fidenter scribit § 102 : « Postquàm assentientibus pluribus Patribus à synodo Laodicensi « an. 363 habitâ, adoratio angelorum improbata erat, Ambrosius eam denuò commendâsse videtur (opp. t. 1, p. 146, de Viduis) : « *Angeli sunt obsecrandi pro nobis, qui nobis ad « præsidium dati sunt.* Τυμπτικὴν προσκύνησιν *honorificam* venerationem, non λατρείαν conc. « Nicæn. 2, an. 787, habitum angelis præstandam esse decrevit; similiter conc. Trid. sess. « 25; Catech. Rom. p. 3, c. 2, § 9, seqq.; « Petav. Dogm. theol. 2, 69, seqq. » Duo hic habemus, 1° impudentiam scilicet hujus rationalistæ affirmantis à Laodicenâ synodo improbatam esse angelorum adorationem in sensu quo eam denuò commendavit S. Ambrosius; 2° ejus confessionem, quòd tam synodus Nic. II, quàm conc. Trid., Catechismus Rom. ac Petavius nonnisi inferioris ordinis cultum ac venerationem angelis tribuendam tradiderint.

Ad secundam : Nego. Etenim Origenes, l. c., refellit Celsum calumniantem Christianos, eâ fermè ratione quâ nunc Protestantes Catholicos lacessunt, quasi ipsi angelos uti deos haberent et colerent. En ipsius verba l. 5 cont. Cels. : « Nusquàm tamen ibi (in Scriptu« ris) præceptum reperias, ut *qui Deo debetur « cultus, eodem prosequamur* eos (angelos), quo« rum nobis ministrandi Deique dona afferendi « negotium est. » Cæterùm Origenes ib. l. 8, n. 13, apertè ritè intellectum angelorum cultum admittit. En ejus verba, quibus respondet propositæ sibi à Celso difficultati : « Ex eo quòd « cum Deo Filium ejus colamus, consequens « esse (putat Celsus), ut non Deum solum, sed « etiam ejus ministros colendos esse senti« mus; si intellexisset, inquit, quinam sint « post Dei Unigenitum verè ministri Dei, ut « Gabriel, Michael, et alii Angeli atque Archan« geli, et eos colendos esse dixisset; *fortassè, « repurgatis cum significatione illius vocis* colere, « *tum ejus qui colit officiis*, hoc loco pro rei « momento attulissem ea quæ de hoc argu« mento assequi intellectu potui. » Quare Kei-

lius et Origenem recenset inter Patres à suis Protestantibus accusatos hujus *erroris*, admissi nempe cultûs angelorum, neque aliam evadendi viam invenit nisi tanquàm spurium traducere locum qui ipsi adversatur. Quod quidem mirum est in tantâ critices luce. (Car. Aug. Theoph. Keilii Opuscula academica edita à Jo. David Goldhorn Lips. 1821, sectione poster. cap. 3, sec. 2, *de Angelis bonis eorumque cultu*. Confer pag. 550, seqq.; demùm p. 560, cùm retulisset Origenis testimonium ex Homil. 1 in Ezech.: *Veni, angele*, etc., quòcumque se vertit ut ejus vim eludat, confugit et ipse ad rhetoricam apostrophen, postea verò concludit: « Ecquis tandem sibi persuadeat, « hæc ab Origene scribi potuisse? » Tanta est vis anticipatorum judiciorum et spiritûs sectæ!

Sed neque Theodoretus adversatur cultui Angelorum, cùm non perstringat nisi eos qui Angelos habebant velut præcipuos rerum nostrarum curatores, delatoresque nostrarum precum, quasi Deus vel ignoraret preces nostras, vel obsequia nostra ad se immediatè deferri nollet, ut ex adductis ejus verbis manifestum fit. Id ipsum dicatur de Patribus reliquis, quorum testimonia expendit Petavius, lib. 2 de Angelis, capp. 9 et 10, ubi etiam egregiè ostendit Theodoretum cum cæteris Patribus consentire circa Angelorum cultum et invocationem; tum de Incarn. l. 14, cap. 14, seqq.

Ad tertiam: Distinguo. Non autem *coli* in sensu ethnicorum adversùs quos Patres agebant concedo; in sensu catholico, nego. Ut enim monuimus, nondùm determinatâ *technologiâ* seu vocabulorum vi, videntur interdùm veteres omnem cultum angelorum et sanctorum rejicere, dùm negant *colendos* eos esse, *adorandos*, *venerandos*, etc. At his vocibus utebantur ad excludendos angelos et sanctos à supremo latriæ cultu, qui profectò uni Deo debetur. His enim vocibus utebantur ethnici, qui nullam inter cultum supremum et inferiorem distinctionem agnoscebant. Aliis autem verbis catholicam de sanctorum cultu doctrinam designabant, dùm profitebantur eos *diligere*, *honorare*, *charitate* et *dilectione* cum iis conjungi, aliaque ejusmodi. Factis demùm publicis, festorum scilicet celebratione in martyrum honorem, monumentorum erectione, invocatione, aliisque superiùs commemoratis quid sentirent satis ostendebant. Hâc igitur æquivocatione sublatâ, corruunt quæ magnâ diligentiâ et vano apparatu adversùs nos collegerunt Protestantes, inter quos demùm in scenam prodiit Keilius, qui non veretur tristissima testimonia congerere, ut scriò ostendat « fuisse constantem Ecclesiæ anti- « quioris doctrinam, neminem præter unum « Deum religioso cultu esse prosequendum. » Loc. cit. p. 550, ubi plura testimonia congerit à Bellarmino, Petavio, Nat. Alex., Trombellio aliisque jamdiù disjecta; attamen perinde ac si ineluctabile argumentum adversùs catholicam doctrinam opponeret, triumphum canit. Cæterùm vix ullum ex tot quæ affert, testimoniis Græcorum ac Latinorum Patrum est, quod scopum attingat quem sibi auctor proposuit. Non aliud siquidem omnia illa testimonia evincunt, nisi quod Catholici omnes ultrò profitentur, nulli creaturæ deferendos esse honores divinos. Omitto malam ejusdem fidem in diversis auctoritatibus proferendis. Atque ita quidem Protestantes sec. 19 catholicam doctrinam impugnant!

Ad quartam: Distinguo: Id est, non propter solam religionem, sed etiam, imò potissimùm propter imitationem, concedo; propter solam imitationem, nego. Constituto enim principio de honore sanctis debito, ut à concionatoribus fit, inculcabant Patres potiorem obsequii nostri partem collocandam esse in imitatione virtutum quas sancti exercuerunt, « ut imitari « non pigeat, quod celebrare delectat. » Quæ Augustini verba sunt, et cultum supponunt, non autem excludunt, cùm loquatur de *solemnitatibus* martyrum.

Ad quintam, concedimus sanctos mortuos eodem cultûs genere honorandos, quo sanctos viventes colimus, « sed illos (mortuos) tantò « devotiùs, quantò securiùs post certamina « superata, » ut idem loquitur Augustinus, lib. 20 cont. Faustum Man. c. 21 ed. Maur. Sed et hìc præstat animadvertere, S. Augustinum, quem contendunt adversarii detraxisse sanctorum cultui eò quòd passim scribat sanctos nos tantùm amare ac dilectione prosequi, aut non in alio quàm in dilectione et amore consistere cultum quem eis deferimus; præstat, inquam, animadvertere eâdem prorsùs ratione eum esse locutum cùm ageret de cultu ipsius Dei. « Quid autem, ait, est pietas, « nisi Dei cultus? et unde ille colitur nisi *cha-* « *ritate?* » epist. 167, n. 11, et alibi. « Porrò, « inquit, pietas cultus Dei est, nec colitur ille « nisi amando, » ep. 140, n. 45. Quis autem propterea inde inferat cultum propriè dictum S. doctorem Deo denegâsse? Quòd si diverso ritu et apparatu sanctos viventes honoramus

ideò est, quia ita exposcit sanctorum humilitas, et quia plerùmque vera eorum sanctitas nos latet. Iisdem interdùm honoribus sanctos viventes colì quibus veneramur sanctos vitâ functos, non uno exemplo ostendi posset. Satis sit illud adducere quod Theodoretus, lib. 5 Hist. Eccl. cap. 34, ed. Vales., refert de S. Joanne Chrysostomo ab exilio revocato, cui *universi cereas faces præferentes* obviàm venerunt τὰς ἐκ κηροῦ λαμπάδας προθάπτοντες.

Ad sextam : Distinguo : Profitentur se Deum in sanctis colere et laudare utpote auctorem donorum omnium quibus sancti ditati sunt, concedo ; ad excludendum honorem sanctis debitum, nego. Honorem servorum in Dominum demùm terminare et nos profitemur ; verùm hoc non impedit quominùs sanctos in se colamus, quos ita Deus ipse honorificare dignatus est. Cùm enim honor et cultus ex dictis sit testificatio illius excellentiæ, quam in aliquo deprehendimus, hoc ipso patet sanctos dignos cultu esse, qui propriâ excellentiâ donantur.

Ad septimam : Distinguo : Patres non usurpârunt ante S. Augustinum voces *latriæ* et *duliæ* ad duplex cultûs genus distinguendum, tr. vel concedo ; ignorârunt cultûs ipsius distinctionem, nego. Etenim ex unâ parte certum est Patres angelos et sanctos coluisse, ut omnia documenta evincunt superiùs adducta ; ex alterâ autem pariter est manifestum, Patres cultum supremum angelis aut sanctis minimè detulisse : alioquin turpissimo idololatriæ crimine se commaculâssent, quod vel suspicari de tot sanctissimis viris nefas est. Quare sequitur necessariò Patres intrinsecam ejusmodi cultûs distinctionem agnovisse, etsi aliis vocibus eam designaverint. Sanè Origenes declarat « repurgatis cùm significatione « illius vocis, *colere*, tùm ejus, qui colit, offi- « ciis » posse angelis cultum tribui. Demùm S. Augustinus, aliique catholicæ doctrinæ defensores, non solùm discrimen attulerunt, ac certa discriminis argumenta inter utrumque cultum, sed voces ipsas *latriæ* ac *duliæ* usurpârunt. Hâc ratione retuderunt ethnicorum et Manichæorum accusationes, quibus illi Catholicos impetebant, quòd, rejectis numinibus, suos martyres substituissent. Confer S. Hieron. cont. Vigil. n. 5, ubi stultum hunc Protestantium præformatorem interrogat : « Quis enim, ô insanum caput, aliquando « martyres adoravit ? Quis hominem putavit « Deum ? » Tum S. August., qui lib. 8 de Civ. cap. 27, sic loquitur : « Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus : quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus « sanè memorias eorum tanquàm sanctorum « hominum Dei, qui usque ad mortem corpo- « rum suorum pro veritate certârunt.... Quis « autem audivit aliquando fidelium stantem « sacerdotem ad altare etiam super sanctum « corpus martyris ad Dei honorem cultumque « constructum, dicere in precibus : Offero tibi « sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypria- « ne ? » etc. Eadem ferè repetit lib. 20 adv. Faustum, c. 21, et ep. 44.

CAPUT III.

De sanctorum invocatione.

Controversia quæ agitatur inter Catholicos et Protestantes circa sanctorum invocationem non respicit hujus invocationis necessitatem ; omnes enim Catholici fatentur ad salutem absolutè necessariam non esse sanctorum invocationem (1). In eo igitur totus versatur controversiæ cardo, an sanctorum invocatio *licita* ac *utilis* sit, uti declarat concilium Tridentinum adversùs heterodoxos, qui in Ecclesiam insurrexerunt, ac si ipsa rem superstitiosam, Deo et Christo injuriosam, imò et idololatricam permitteret et approbaret.

PROPOSITIO PRIMA. — *Licita ac utilis est sanctorum invocatio, quod ex sacris litteris inprimis evincitur.*

Ad fidem catholicam spectat hæc veritas, quam Tridentina synodus sess. 25, declarat, dùm præcipit episcopis fideles docere, « san- « ctos, unà cum Christo regnantes orationes « suas pro hominibus Deo offerre ; *bonum* at- « que *utile* esse suppliciter eos invocare ; et « ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus « Jesum Christum Dominum nostrum, qui « solus noster Redemptor et Salvator est, ad « eorum orationes, opem auxiliumque confu- « gere. » Ex quibus verbis discimus 1° invocationem sanctorum bonam ac utilem esse. 2° Opem et beneficia non à sanctis, sed à Deo ad eorum intercessionem expectanda esse. 3° Orationes et intercessionem sanctorum inniti meritis Christi Jesu, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ac propterea solus Mediator propriè dictus, qui talis nempe sit tum naturâ, tum officio ac nitatur, propriis meritis.

(1) In se scilicet spectata. Fieri enim potest ut quis teneatur ex Ecclesiæ præcepto sanctos invocare, ut ii qui sacra faciunt, et qui ad horas canonicas persolvendas adstricti sunt, etc.

Sancti enim impropriè tantùm, ac secundarii, mediatores sunt, qui nihil nisi per Christi merita nobis comparare atque obtinere possunt. 4° Demùm discimus invocationem sanctorum habendam esse ad instar dominiculi cujusdam, quo faciliùs impetremus ipsorum intercessione opem quam à Deo per Christi merita efflagitamus.

Hoc autem sensu licitam, bonam ac utilem esse sanctorum invocationem, sacræ litteræ in primis ostendunt, quæ duplex nobis suppeditant argumentum ineluctabile ad causam catholicam tuendam, alterum in invocatione viventium, alterum in intercessione angelorum et sanctorum.

Passim enim legimus viventes se commendâsse orationibus viventium; ergo possumus nos orationibus sanctorum qui cum Deo et Christo regnant commendare, seu pia ac licita est sanctorum invocatio. Antecedens vix probatione indiget; Apostolus enim in omnibus ferè Epistolis fidelium precibus se commendat; Rom. 15, 30 : *Obsecro*, scribit, *vos, fratres, per D. N. J. C. èt per charitatem sancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* » Ephes. 6, 18 : *Vigilantes*, inquit, *in omni instantiâ, et obsecratione pro omnibus sanctis.* 1 Thess. 5, 25 : *Fratres, orate pro nobis*, et alibi passim. Consequentia verò ex se profluit; nulla enim ratio assignari potest, quare bonum, licitum ac utile sit ad orationes viventium confugere; inutile verò, malum et illicitum sit censendum confugere ad orationes eorum qui in cœlis sunt; quare invocatio viventium non deroget divinæ dignitati, nec ullâ per eam injuriâ afficiatur Christus Jesus mediator et salvator noster, invocatio autem sanctorum cum Deo regnantium deroget divinæ bonitati et Christo sit injuriosa. Quòd si excipiant, sanctos ignorare preces ac vota nostra, quæ quidem unica exceptio est quæ fieri posset, reponimus ex eâdem divinâ revelatione nobis constare, saltem Deo manifestante, Angelis et sanctis ea innotescere; alioquin quomodò Angeli super peccatore pœnitentiam agente gaudere possent, ut Christus Luc. 15, testatur? Quomodò preces nostras Deo possent offerre (Tob. 12, 12; Apocal. 8, 3), nisi viventium preces et cordis vota, Deo ipsis manifestante, cognoscerent? Quaquaversùm igitur spectetur ejusmodi argumentum, tanta ejus est vis, ut nunquàm Protestantes se ab eo possint expedire. Bellarmin. de Beat. et Canon. sanct. lib. 1, c. 21, recè admonet : « Et hoc argumentum adversarii « nunquàm solvere potuerunt. » Vide etiam P. Viti Erbermanni S. J. in hunc locum Bellarmini vindicias adversùs Amesium.

Alterum argumentum quod sacræ litteræ pro sanctorum invocatione præbent, in istorum intercessione consistit; intercessio enim et invocatio sunt relativæ, quarum priori positâ, altera ponatur necesse est : siquidem intelligi nequit, quomodò sancti pro nobis intercedere possint, dona ac beneficia impetrare, nos autem nequeamus eorum intercessionem implorare et exposcere. Jam verò de sanctorum intercessione passim sacræ litteræ loquuntur. Nam Zachar. 1, 12, ita angelus pro populo Israelitico Deum deprecatur : *Domine exercituum, usquequò non misereberis Jerusalem et urbium Juda quibus iratus es?* Eumdem porrò angelum id impetrâsse pro quo Deum exoraverat patet ex verbis proximè sequentibus : *Et respondit Dominus angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria;* ac paulò post : *Propterea hæc dicit Dominus : Revertar ad Jerusalem in misericordiis ; domus mea ædificabitur in eâ.* Angelum quoque pro ejusdem populi reditu Deum orâsse ex Daniele, c. 10, discimus, illius partes adjuvante Michaele uno *ex principibus*, dùm *princeps* Persarum utrique obsisteret, et quod optabat obtinuisse. Exinde patet quænam sollicitudo angelorum fuerit, ut pro suo quisque populo deprecaretur.

Non minùs clara sunt quæ in Scripturis habentur circa sanctorum vitâ functorum intercessionem; ex libro enim 2 Mach. 15, 12, seqq., edocemur tum Oniam tum Jeremiam vitâ jam functos curâsse Judæorum res, eos adjuvisse, et dato Judæ aureo gladio à Jeremiâ promissam fuisse victoriam; edocemur præterea utrumque orâsse pro populo Judæorum, et hâc de causâ Jeremiam ab Oniâ fratrum amatorem appellatum fuisse. Prælii autem faustissimus exitus illorum impetrationem comprobavit ac « dignum fide somnium. » Quare meritò Grotius locum istum commentariis illustrans scripsit : « Erat hæc Judæorum, si non omnium, certè plerorumque opinio, animos exutos corporibus non omnem perdere eorum, quos hìc reliquêre memoriam curamque, quin et preces eos ad Deum fundere pro populo, et iis quos charos habuêre » (1). In

(1) Tom. 6 Crit. sacr., in cujus rei confirmationem profert auctoritatem Josephi Flavii, à quo inducitur Abraham alloquens filium suum Isaacum jamjam immolandum :

« Ubi autem Deus cum precibus et sacro

novo autem fœdere B. Petrus haud obscurè pollicetur se post mortem intercessurum pro fidelibus apud Deum scribens : « *Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis*, » 2 Pet. 15; quæ quidem verba non secùs ac illa, quæ in Apoc. 5, 8, leguntur de viginti quatuor senioribus, « *qui procidebant coram Agno habentes singuli... phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum*, » de verâ intercessione veteres plerique omnes interpretati sunt.

Difficultates. — I. Obj. 1° ex Apostolo ad Tim. 2, 5 : *Unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Ergo Christo unico mediatori nostro injuriam irrogat qui præter ipsum alium invocat. 2° Nec minor injuria Deo ipsi infertur ab eo qui ad sanctorum patrocinium confugit; nam sicut in unum Deum credere, ita unum Deum invocare debemus dicente eodem Apostolo, Rom. 10, 14 : *Quomodò invocabunt in quem non crediderunt?* 3° Sanè Deum et quidem solum esse invocandum constanter Scripturæ inculcant; sic 1 Paral. 16, 8, et Ps. 104, 1, legitur : *Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.* Eâdem igitur ratione invocandum est nomen Domini, quâ confitenda ejus omnipotentia ac bonitas; quis porrò neget has proprietates soli Deo competere? Ergo.

Resp. ad primam : Distinguo : Unus est mediator primarius, concedo; secundarius, nego. Responsio patet ex iis quæ præmisimus circa naturam et officium mediationis Christi respectu mediationis angelorum et sanctorum, quæ in primariâ illâ fundatur. Alioquin non minor injuria irrogaretur Christo per invocationem viventium, quæ tamen toties in Scripturis commendatur, et ad quam confugit, ut vidimus, idem Apostolus, etsi unum prædicet Christum Jesum Dei et hominum mediatorem.

Ad secundam : Nego. Ad prob. autem, distinguo : Sicut in unum Deum credere, ita unum Deum invocare debemus invocatione, quæ fidei professionem includat et supremum in res omnes dominium, concedo; invocatione, quæ in solâ intercessione consistat, nego. Ludunt propterea in ambiguo, dùm Protestantes hæc nobis opponunt ad excludendam sanctorum invocationem. Duplex enim distinguitur invocationis genus, aliud proprium divinitatis, quo ipsam cognoscimus ut fontem bonorum omnium; aliud intercessionis, quâ auxilium tantùm et præsidium quærimus ad faciliùs obtinendum quod à Deo poscimus et ab eo expectamus. Aliâ sanè ratione beneficium et opem à principe efflagitamus, aliâ autem ab aulico, dùm ejus patrocinium et officium interponimus apud principem. Confer S. Th. 2-2, q. 83, a. 4 : « Oratio, ait, porrigitur alicui dupli-
« citer. Uno modo quasi per ipsum implenda.
« Alio modo sicut per ipsum impetranda. Primo
« quidem modo soli Deo orationem porrigi-
« mus, quia omnes orationes nostræ ordinari
« debent ad gratiam et gloriam consequendam,
« quæ solus Deus dat, secundùm illud ps. 83 :
« *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Sed se-
« cundario modo orationem porrigimus san-
« ctis angelis, et hominibus, non ut per eos Deus
« nostras petitiones cognoscat, sed ut eorum
« precibus et meritis orationes nostræ sor-
« tiantur effectum... et hoc etiam patet ex ipso
« modo quo Ecclesia utitur in orando. Nam
« à sanctâ Trinitate petimus ut nostri mise-
« reatur : ab aliis autem sanctis quibuscumque
« petimus, ut orent pro nobis. » Quàm clara hæc sunt et rectæ rationi consentanea! Attamen Fell episcopus Oxoniensis, ut mox videbimus, absolutè pronuntiat : *Deos qui rogat, ille facit.* Verum quæri posset à Fell, num in Britanniâ reus fieret læsæ majestatis, qui intercessionem alicujus ministri apud regem interponeret ad aliquod officium obtinendum?

Ad tertiam : Distinguo : Sensu jam exposito, concedo; aliàs nego. Responsio patet ex modò dictis; in eamdem enim incidunt adversarii vocis ambiguitatem.

II. Obj. : Scripturæ nos docent omnem fiduciam in Deo ejusque Christo esse collocandam; ad Deum confugiendum nobis esse in necessitatibus nostris, non autem ad sanctos; Nam 1° Christus apostolos, Matth. 6, 9; Luc. 11, 2, sic orare docet : *Pater noster*, etc.; et Joan. 16, 23, ita rursùm eos alloquitur : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, et alibi sæpè; hinc Paulus, Hebr. 4, 16 : *Adeamus, inquit, cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur.* 2° Nullum propterea extat in sacris litteris mandatum aut exemplum invocationis sanctorum; 3° quin potiùs Jer. 17, 5 : *Maledictus*, dicitur, *homo qui confidit in homine.* Ergo.

Resp. : Distinguo : Quæ tamen optimè consistit cum invocatione sanctorum, concedo; quæ cum eâ consistere nequeat, nego. Etenim nisi

« dimissam animam tuam susceperit et apud
« se locaverit, tu mihi id eris cujus præcipuè
« causâ te educavi, adjutor et senectutis so-
« latium, Deum mihi pro te exhibens. »

hæc simul conciliari possent, sequeretur neque ad viventium preces nos confugere posse, quod tamen adversarii non contendunt. Tota igitur fiducia nostra in Deo collocanda est; ad ipsum est recurrendum in necessitatibus quibus urgemur. Nec alius unquàm fuit Ecclesiæ catholicæ sensus, quæ orationes suas ad Deum fundit, ut quod poscit ab eo obtineat tanquàm bonorum omnium fonte ac largitore (1). Nunquàm sanctos agnovit tanquàm gratiarum et donorum dominos et arbitros, ut eam calumniantur hæretici, nec eos proinde deos facit (2). Quòd si sanctorum patrocinium implorat ac interponit apud Deum ad faciliùs obtinendum quòd postulat, id absque detrimento illius fiduciæ quam in Deo collocat, facere consuevit. Cæterùm ipsa didicit quandoque Deum ad sanctorum intercessionem concedere, quæ ob demerita nostra nullo modo largiretur. Nonnisi ad Jobi intercessionem placari Deus voluit amicis ejus. Ad preces Abraham sanitatem restituit Abimelech, uxori ejus et ancillis; ad orationem Moysis victoriam populo Israelitico contulit pugnanti adversùs Amalech, ut innumera alia exempla præteream, quibus referta est Scriptura. Adde orationes quibus sanctorum opem imploramus ad Deum demùm referri, cùm sanctos non exoremus nisi ut ipsi nobis per Christi merita à Deo impetrent quod ab ipso postulamus. Tali autem invocatione magis nostra in Deo fiducia firmatur.

Ad primam prob. distinguo : Et hæc aliaque his similia evincunt nos posse ad Deum immediatè recurrere, concedo; excludunt sanctorum invocationem, nego. Nempe tum hæc tum alia ejusmodi testimonia quæ congerere solent adversarii dùm catholicam doctrinam impugnant ad rem præsentem minimè spectant, cùm nullo modo quæstionem hanc attingant. Neque enim Catholici negant posse quemlibet pro lubito Deum ipsum adire ac rogare; sed quæstio in eo versatur num licitum ac utile sit sanctos præterea invocare ut nos adjuvent orationibus suis apud Deum. Porrò in adductis locis de hâc quæstione ne verbum quidem, nec magis ea excludunt invocationem sanctorum cum Christo regnantium, quàm invocationem in terris degentium, admissam tamen ab adversariis. Ad orationem dominicam speciatim quod attinet, rectè observat Bellarminus Christum cùm docuit Apostolos orare, non *de eo*, qui orandus est, sed *de iis rebus quæ petendæ sunt* admonere discipulos voluisse. Satis enim constabat Deum esse orandum, et solum etiam Deum, cùm Auctor donorum quæritur; sed *de modo orandi* seu *de petendis rebus* Apostoli ambigebant, cùm dicerent apud Luc., l. c. : *Doce nos orare.*

Ad secundam : Distinguo : Nullum extat mandatum, quia de re liberâ agitur, concedo; nullum extat exemplum, nego. Plura enim exempla ex Scripturis adduximus.

Ad tertiam : Distinguo : *Et à Domino recedit cor ejus,* ut ibid. subditur, concedo; ut majori cum fiduciâ Deum adeat, ut in casu nostro, nego. Jeremias enim in adducto testimonio comminatur maledictionem in eum qui Deum prorsùs desereus in homine tantummodò fidi ut ex recitatis ejus verbis liquet.

(1) Reipsà Ecclesia, ut patet ex publicâ liturgiâ, semper ad Deum dirigit orationes suas etiam cùm opem seu intercessionem alicujus sancti efflagitat, ex. gr. : *Concede, quæsumus, omnipotens Deus;* præsta, *quæsumus,* ut *intercedente,* etc., et quidem per merita Christi, semper concludens easdem orationes usitatâ formulâ *per D. N. J. C.;* vel *per Christum D. N.* Huic praxi congruit decretum concilii Trid. sess. 25, quo constat ipsos sanctos supplicare, et omnia impetrare. « Per Christum, qui « solus noster Redemptor et Salvator est. »

Confer Bossuetium de Professoribus Confess. Augustanæ ad repetendam unitatem catholicam disponendis, p. 2, c. 3, art. 1, et alibi.

(2) Sic in Apolog. Confess. August. art. 21 de invocat. sanctorum p. 224, seqq. : « Quidam planè tribuunt divinitatem sanctis, « videlicet quòd tacitas cogitationes mentium « in nobis cernant; » additur ibid. præterea : « Faciunt (Catholici) ex sanctis mediatores « redemptionis; » superiùs retulimus verba Felli. At hæc omnia totidem calumniæ sunt à quibus longè distat Catholicorum doctrina.

PROPOSITIO II. — *Eadem veritas ex traditione et Ecclesiæ praxi ostenditur.*

Angelos et sanctos vitâ functos pro nobis intercedere, adeòque piam utilemque esse illorum invocationem, traditio antiquissima nos docet ac perpetuus Ecclesiæ usus. Ut enim omittamus concilia œcumenica Chalcedonense, Constantinopolitanum III, et Nicænum II, nec non Sacramentaria Leonianum, Gelasianum. Missalia Gothicum et Francicum, quæ sunt totidem certissima documenta praxis Ecclesiæ universalis sec. V et VI circa sanctorum invocationem, testes habemus antiquissimos istius pii catholici usûs.

Ac primò quidem hujus fidei testem appellamus Origenem, qui lib. 8 contra Celsum loquens de angelis et animabus cum Deo regnantibus ait : « Adjuvant eos, qui summum « Deum colere volunt, illum eis conciliant,

« suas illorum precibus adjungunt preces, « simul cum eis postulant. » Sed non minùs luculentum catholicæ doctrinæ circa invocationem sanctorum suppeditat idem Origenes in lib. de Oratione, ubi scribit : « Obsecratio « et postulatio et gratiarum actio non absurdè « potest et sanctis offerri : harumque duæ, po- « stulatio, inquam, et gratiarum actio, non san- « ctis modò, sed et hominibus ; obsecratio verò « sanctis tantùm, si quis Paulus aut Petrus « inveniatur, ut adjuvent nos, dignosque effi- « ciant, qui fruamur concessâ ipsis remitten- « dorum peccatorum potestate... Quòd si ho- « minibus sanctis illæ preces offerendæ sunt, « quantò magis Christo, » etc.? Sibi propterea constans sic Hom. 1 in Ezech. n. 7, angelum suum invocat : « Veni, angele, suscipe sermone « conversum ab errore pristino » (1). Et hæc ex Origene seculi III scriptore attulisse sufficiat (2).

Verùm non minùs clara sunt, quæ in rem nostram eodem seculo scribit S. Cyprianus ad Cornelium : « Memores nostrî invicem simus... « utrobique pro nobis semper oremus... et si « quis istinc nostrûm prior divinæ dignationis « celeritate præcesserit, perseveret apud Do- « minum nostra dilectio, pro fratribus et soro- « ribus nostris apud misericordiam Patris non « cesset oratio » (3). Et ipse pariter in praxim hanc doctrinam deduxit virgines ac martyres invocando ; ita enim concludit Cyprianus librum de Habitu virginum : « Tantùm memen- « tote tunc nostrî, cùm incipiet in vobis vir- « ginitas honorari » (1).

Duobus his tertii seculi scriptoribus addendus Eusebius, qui quamvis seculo quarto floruerit, loquitur tamen de sanctorum invocatione tanquàm de consuetudine in Ecclesiâ receptissimâ ; disserens enim de sanctorum sepulcris, lib. 13 de Præpar. Evang. c. 11, hæc habet : « Nam et eorum sepulcra celebrare et « preces ibi, votaque nuncupare, et beatas il- « lorum animas venerari consuevimus : idque « à nobis meritò fieri statuimus. » Et reipsà indubia extant documenta, et facta certissima II et III seculi, quæ Eusebii assertionem confirmant. In vetustissimis enim S. Ignatii M. Actis legitur quòd apparuerit per quietem Ignatius nuper martyrio functus ; « super « orans nobis » (2). Acta martyrum Scillitanorum, qui an. 200 passi sunt, his verbis clauduntur : « Consummati sunt Christi martyres « mense julio, die septimo decimo, et *inter-* « *cedunt pro nobis* ad Dominum Jesum Chri- « stum » (3). Eadem leguntur in Actis S. Maximi, qui an. 250 martyrio coronatus est (4), et in Actis S. Theodoti, qui an. 303 martyrium

(1) Hic est locus ad quem eludendum mirè se torquet Keil et omnes vias frustra tentat evadendi, ac modò recurrit cum Dallæo ad apostrophen rhetoricam, modò ad contradictionem in quam Origenes incurreret si hæc ita se haberent, modò denique ad ejus loci obscuritatem, etc.

(2) Confer Hom. 26 in Num. n. 6, ubi scribit : *Quis enim dubitat* quòd sancti quique Patrum, et orationibus nos juvent? ed. cit. t. 3, p. 373. Hæc omnia Keilius silentio præterit utpote nimis sibi molesta.

(3) Ep. 57, edit. Maur. Quem quidem locum sic exponit Fellus editor Oxoniensis : « Sensus « videtur esse, alterutro ex nobis obeunte, « sive ego, qui Carthagini præsum, sive tu, « qui Romæ præsides, superstes fuerit ejus, « *cui in vivis diutiùs esse contigerit,* pro utràque « Ecclesiâ perseveret, et supersit apud Deum « oratio ; » deinde pergit : « Interim minimè « dubitamus, animas cœlo receptas precibus « Deum Opt. Max. sollicitare ut in terris agen- « tium misereatur : sed non inde conficitur, « preces ad sanctos fundi debere. Deos, qui « rogat, ille facit. » Ast hoc est pervertere sensum auctoris ad propriæ sectæ errores stabiliendos. Non enim commendat S. Cyprianus precandi munus *ei qui superstes fuerit,* seu, ut exponit Fellus, *ei cui in vivis diutiùs esse contigerit ;* sed *ei qui prior præcesserit ;* ex quâ observatione corruit planè editoris hujus animadversio quam fallaci fundamento superstruxit. Confer. edit. Maurin. opp ejusdem S. Cyp. in præfat., § 15. De eo verò quod subdit : « Deos qui rogat, ille facit, » superiùs diximus. Adversùs autem interpretationem Ritigaltii in hunc ipsum locum confer Petavium, lib. 14 de Incarn. c. 10, § 2, seq.

(1) Et hunc locum eludere conatur editor Oxon., quasi S. M. loquatur de virginitate, quæ incipiat honorari cùm ad confessionis decus pervenerit ; cùm tamen manifestum sit S. Cyprianum non solas martyres alloqui, sed omnes generatim virgines, ac proinde non martyrii sed virginitatis coronam indicare. Quare nisi recepta esset in totâ Ecclesiâ invocatio sanctorum, ut eam viguisse certissima monumenta testantur, nunquàm Cypriano in mentem venisset virgines et martyres in antecessum precari et invocare, prout scitè animadvertit edit. Maurinus, l. c.

(2) Passus est S. Ignatius an. 112 æræ Christ. juxta Norisium ; juxta Pagium verò, Pearsonium et Dodwellum an. 116. Confer ejusdem S. Martyris Acta apud Ruinart. op. cit.

(3) In urbe Carthagin. martyrio perfuncti sunt ; eorum acta juxta Ruinartium conscripta sunt ab auctore coævo ac teste oculato.

(4) Qui sic allocutus est proconsulem Optimum : « Gratia Christi me salvum faciet in « æternum, *omnium sanctorum orationibus,* qui « in hâc colluctatione certantes vestras supe « raverunt insanias, nobisque virtutum exem- « pla reliquerunt. » Ibid.

subiit (1). Pervulgata sunt ea quæ de B. Potamienæ intercessione refert Eusebius ; promiserat enim B. Virgo se intercessuram apud Dominum pro Basilide ejus pudicitiæ defensore ; exitus autem ostendit gratiam pro quâ Deum rogaverat impetrâsse, apud Euseb. Hist. Eccl. l. 6, c. 5. Receptissima proinde dicenda est à priscis ipsis Ecclesiæ seculis praxis sanctos invocandi, siquidem, ut superiùs monuimus, intercessio ex parte sanctorum et invocatio ex parte nostrâ relativæ sunt, et sanè Justina Virgo sec. III, Gregorio Nazianzeno teste, ut se à Cypriani adhuc pagani magicis artibus liberaret « Virginem Mariam supplex « obsecravit, ut periclitanti virgini suppetias « ferret. » Orat. 18, n. 19.

His accedit liturgiarum auctoritas, quæ etsi seculo tantùm IV conscriptæ sint, publicam tamen et receptam universalis Ecclesiæ praxim et fidem exhibent, quæ anterioribus seculis in eâ viguit (2); in iis enim scripto consignata non sunt, nisi quæ de manu, ut ita dicam, ad manum non interruptâ traditione ad seculum IV pervenerunt. Inter cæteras eminet liturgia, quæ S. Jacobi nomine inscribitur ; in eâ porrò legitur : « Præcipuè verò sanctæ et « gloriosæ semper Virginis beatæ genitricis « Dei memoriam agimus. Memento illius, Do- « mine Deus, et per ejus orationes puras et « sanctas, parce et miserere nobis, et exaudi « nos. » Eadem occurrunt in liturgiis à S. Petro et S. Marco nuncupatis; eadem prorsùs in liturgiâ S. Jo. Chrysostomi. Quibus addi debent Ordo Romanus editus à Mabillonio in Musæo Italico, Sacramentarium S. Gregorii M. ac Missalia superiùs recensita. Hæc inter cæteros exhibet Joseph. Aloys. Assemanus in opere Codex Liturgicus Ecclesiæ universæ, Romæ, 1751, vol. 4, 5, 6, sive tomi 4 part. 1, 2, 3. Nec non B. Jos. Mar. card. Thomasii opp. edit. à Jos. Blanchinio, t. 1, fol. Rom. 1741, et Lud, Muratorius Liturgia Rom. vetus duob. vol. fol. Venet. 1748.

Sed non minùs illustre est testimonium, quod habetur in Catechesi mystagogicâ 5 S. Cyrilli Jerosol., qui liturgiam explanans ait : « Postea recordamur eorum qui obdormie- « runt : sanctorum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ut Deus *eorum* « *precibus* et legationibus orationem nostram « suscipiat. » Porrò liturgiæ exhibent fidem publicam et communem totius Ecclesiæ, publicè enim recitabantur ; idipsum dicatur de catechesibus mystagogicis quibus publicè fideles instituebantur : impossibile proinde erat per eas inducere innovationem contra fidem ab omnibus ad id temporis receptam. Multò verò minùs possibilis censenda est talis innovatio, cùm agatur de innovatione juxta adversarios summoperè perniciosâ, cujusmodi ea esset, quæ Ecclesiam in superstitionem atque publicam idololatriam conjecisset; atque id quidem nemine reclamante ex tot viris sanctitate et doctrinâ spectatissimis.

Atque hinc exurgit argumentum præscriptionis quod planè opprimit adversarios. Ipsis enim fatentibus, seculo IV, universam Ecclesiam jam invaserat hæc superstitio, id est, seculo IV, receptus ab Ecclesiâ universâ erat cultus et invocatio sanctorum (1); ergo, concludimus, jamdiu recepta erat sec. III. Etenim si innovatio contigisset, hæc vel extemplò per totius christiani orbis conspirationem facta esset, vel sensim ac sine sensu. Prius verò asserere absurdum est ac omnem fidem superat ; posterius verò impossibile omninò fuit. Nec enim clanculùm introducta est, ut vidimus, sed in publicis Christianorum cœtibus obtinuit, ac publicis instructionibus. Plures sec. IV persecutionibus Diocletiani, Maximiani, Maximini, Maxentii, Galerii et Licinii supervixerant, sub iisque passi erant, ac mutili interfuerunt concilio Nicæno. Disciplina tunc temporis recepta postulabat « secundùm re- « gulas Patrum bis in anno in unum convenire « per singulas provincias episcopos, ubi singula

(1) Hic enim cùm vidisset fratres suos flentes, eos consolaturus : « Deinceps, inquit, in « cœlis cum fiduciâ pro vobis Deum depre- « cabor. »

(2) Confer Euseb. Renaudotii Liturgiarum orientalium collectio. Paris, 1716, vol. 1, dissert. de Liturg. orient. orig. et antiquit. capp. 2 et 3

(1) Hoc quippe fatentur centuriatores Magdeburg. centur. 4, c. 4; Witaker cont. Bellarm.; Hospinianus p. 1 Hist. sacram. lib. 2, c. 7, et alii Calvinistæ, clamantque, pro invocatione sanctorum jam IV seculo ferè omnes Patres stare, Athanasium, Basilium Nazianz., Chrysost., Ambros., Hieronym., August., eosque in hoc cum papistis errâsse. Quis verò pius et prudens, ut optimè arguit Vitus Erbermannus in vindic. Bellarm., non malit cum quarti et quinti seculi (in quibus quatuor concilia œcumenica celebrata fuêre) sanctissimis Patribus desipere, quàm cum istis neo-evangelicis sapere ? Et si idololatriæ immersa fuit Ecclesia quarti et quinti seculi, consequenter adultera facta est, nec fidem meretur in decretis quatuor concil. generalium. Confer card. Perronium in replicat. ad Jacob. VI. Britanniæ regem, p. 641 seqq.

« quæ emerserint, *corrigantur,* » ut statuit conc. Chalcedonense can. 19. Rursùm provinciales synodi communicare debebant cum universi orbis episcopis per epistolas encyclicas (1). Si qua igitur fuisset in cultu et invocatione sanctorum innovatio, aliqui saltem ex tot sanctissimis ac doctissimis episcopis, quibus ætas illa maximè floruit (2), reclamâssent. Ast tantùm abest ut adversùs eam episcopi reclamaverint, ut potiùs Faustum et Vigilantium hujus invocationis impugnatores, tanquàm hæreticos et novatores unanimi consensione ab Ecclesiâ rejecerint, atque scriptis impugnaverint. Non igitur ex parte Ecclesiæ, ut Beausobrius, Dallæus, Gibbonius aliique contendunt, innovatio extitit, sed ex parte Fausti et Vigilantii, qui illam invocationem ubique receptam adorti sunt. Idem argumentum valet pro seculo tertio et seculo secundo, donec perveniamus ad ipsos apostolos.

Sed jam præstat id ipsum conficere ex confessione ipsorum adversariorum. Centuriatores Magdeburgenses ingenuè fatentur vestigia hujus *superstitionis* occurrere in testimoniis *priorum* Patrum, id est, seculi III. Vegscheider fatetur eodem seculo cœpisse Ecclesiam in paganismum declinare (3), quod pariter sentiunt Sociniani passim. Atque hinc factum putamus ut cordatiores demùm inter Protestantes suffragium tulerint pro doctrinâ Ecclesiæ catholicæ circa sanctorum invocationem. Inter hos eminent Leibnitzius, Systema theol., p. 161, seqq.; Starckius, *Entretiens philosophiques, ou le banquet de Théodule, trad. de l'allem.;* Paris, 1818; pag. 318, seqq.; nec non Horlty, Albertus Haller, Lavator, Plank, Schuhkraft, Brown, Augusti, quorum testimonia nuper collegit Esslinger, *Apologie de la religion cathol. par des auteurs protestants,* etc. Vide *Annali di scienze religiose,* Româ 1836, vol. 2, num. 6, pag. 372, seqq.

Veritati demùm catholicæ suffragatur ratio ipsa quæ ex intimâ rei naturâ deducitur atque ex analogiâ eorum quæ in usu quotidiano apud nos sunt. Nemo siquidem eò usque insanit, ut reum habeat læsæ majestatis eum qui aulicum suppliciter oraret, ut suam apud regem mediationem ac officium interponat ad aliquid faciliùs obtinendum; quare igitur dicendus reus erit læsæ majestatis divinæ, qui sanctos utpote Dei amicos et in aulâ cœlesti degentes invocat, ut aliquid ab ipso per Christi merita faciliùs impetret? Quid dulcius eâ cogitatione fingi animo potest, quæ ex doctrinâ de invocatione sanctorum provenit? Hâc enim profitemur, nos qui in exilio degimus in arctâ communione esse cum mundo cœlesti ad quem destinati sumus; hâc nos quodammodò persentimus minimè separatos omninò per mortem esse ab iis qui cùm viverent nobis charissimi erant; hâc demùm nos mediatores et intercessores imò et amicos devinctissimos habere lætamur apud Deum eos ipsos qui jam in Dei sinu ineffabili illâ felicitate fruuntur, quæ nobis pariter servata est, quamque à longè expectantes salutamus. Quapropter in solâ Ecclesiâ catholicâ plena invenitur illa *sanctorum communio,* quam in Symbolo apostolico profitemur, quæ non tantùm in bonorum operum communicatione, sed præterea in mutuo charitatis vinculo et intercessionis ac subsidii respectivè consistit.

(1) Confer can. 5 conc. Nic., et can. 20 concilii Antioch. an 341. Vid. Decret. Gratiani dist. 18. S. Leo M. ep. 16, c. 7, edit. Ballerin., ubi S. pontifex hanc regulam inculcat « pro custodiâ concordissimæ unitatis. »

(2) Nulla ætas tot doctissimos Patres tulit, quot eo tempore; sec. nempe IV et V, floruerunt tum in Ecclesiâ orientali, tum in Ecclesiâ occidentali.

(3) § 92: « Formulam illius dogmatis (Tri« nitatis), inquit, publicè receptam... neque « Ecclesiæ doctores effinxerunt ante sec. III « exitum, quo quidem tempore ad *paganismi* « errores suscipiendos procliviorem fuisse Ec« clesiam constat. »

Difficultates.

I. Obj.: Patres, qui à Catholicis pro suâ sententiâ afferri solent testes idonei non sunt: 1° tum quia si unum vel alterum excipias, qui ad tertium seculum spectant, reliqui omnes eâ vixêre ætate, quâ omnium mentes impia superstitio pervaserat; 2° tum quia constat eosdem in erroribus sæpè sæpiùs fuisse versatos. 3° Accedit plerosque veteres invocationem uni Deo vindicâsse, ut Ignatius, Clemens Alex. et Irenæus; aut etiam 4° alios quoslibet ab eâdem exclusisse, ut Origenes, et Tertullianus, atque Athanasius. Ergo.

Respondeo: Nego antecedens. Ad primam probationem, respondeo 1°: Nego unum tantùm vel alterum Patrem à nobis in medium adduci. Etenim præter Patres plura indubia facta ex tribus prioribus Ecclesiæ seculis in doctrinæ nostræ confirmationem protulimus. Resp. 2°: Admissâ Protestantium exceptione, negamus quidpiam ipsos exinde proficere adversùs causam catholicam, quia etsi nonnisi paucos laudemus Patres trium priorum secu-

lorum pro illius ætatis monumentorum inopiâ; illi tamen rem nostram apprimè conficiunt, quia nemine reclamante, de eo ritu tanquàm de more penes omnes Ecclesias recepto loquuntur.

Quod verò attinet ad Patres illos qui seculis IV et V floruerunt, in memoriam revocanda sunt, quæ de præscriptione diximus, ac de illius ætatis disciplinâ et adjunctis, quæ nullâ ratione introduci novitatem aliquam impunè patiebantur. Addimus præterea Catholicos hâc agendi ratione imitari œcumenica concilia, quæ ad asserenda veræ fidei dogmata adversùs novatores testimonia depromere consueverunt à citimis potiùs, ac recentis memoriæ doctoribus, quàm à vetustioribus. Ita se gesserunt synodi Ephesina et Chalcedonensis, necnon V et VI œcumenicæ (1). Quod pariter ex Patribus præstiterunt Augustinus, Theodoretus, Cyrillus aliique passim disputantes adversùs hæreticos suâ ætate exortos. Nondùm enim, ut apositè animadvertit Petavius, frigidum illud et insulsum audiri cœperat calumniæ genus, quod postremis hisce temporibus excogitatum est, ut ad primum ac secundum seculum, aut verò tertium et quartum controversorum capitum disceptatio revocaretur.

Ad secundam : Distinguo : Erroribus obnoxii fuerunt Patres seorsim sumpti et cùm propria darent, seu ex privato eorum sensu loquerentur, tribuo; simul sumpti et cùm testes se exhibent fidei in Ecclesiâ receptæ ac suffragio præsertim Ecclesiæ potiuntur, nego. Vide Petav., § 6.

Ad tertiam : Ad exclusionem dæmonum, vel æonum, aut deorum ethnicorum juxta adversarios quos perstringebant, concedo; ad exclusionem sanctorum de quibus nec verbum habent, nego. Etenim S. Ignatius nunquàm dixit in Epist. quæ objicitur ad Philadelphienses scriptâ : « Virgines solum Christum *in* « *orationibus*, ut legebat Molinæus, ante oculos habete, etc. » ; hæc enim verba sunt pseudo-Ignatii. Vide Cotelerium, PP. Apost., vol. 2, p. 80. Verus autem Ignatius indirectè saltem adstruit sanctorum invocationem se fratrum orationibus commendans; scribit enim in eâdem Epist., c. 8 : « Quibus justificari cupio per precationes vestras. » Clemens in septimo Stromatum perstringit gentiles, qui inanes deos exorabant (1); Irenæus denique lib. 2, Valentinianos confutat, qui æonas suos et falsos angelos invocabant et operam dabant incantationibus (2). Quid cum istis commune habet invocatio sanctorum ?

Ad quartam : Distinguo : Alios quoslibet excludunt ab illâ invocatione, quæ propria est solius Dei utpote bonorum omnium largitoris, concedo; ab illâ invocatione quæ in intercessione consistit, qualem angelis et sanctis Catholici tribuunt, nego. Enimverò Origenes lib. 8 contra Celsum, n. 37, de illâ solâ in-

(1) In Ephesino Deum natum esse de Virgine, non simplicem hominem, probatur ex Cypriano, Petro Alex., Athanasio, Julio papâ, Felice item papâ, Theophilo Alex., Ambrosio, Gregorio Naz. et Nyss., Basilio, Attico et Amphilochio, ut patet ex act. 1 ejusd. synodi. Porrò ex his vetustissimus est S. Cyprianus, qui non plenis ducentis annis antecessit Ephesinæ synodi tempus, cæterorum erat memoria recentior. In synodo Chalcedonensi appellantur ad fidem faciendam de distinctione naturarum adversùs Eutychianum errorem auctores vix toto seculo anteriores : unus etiam proximè ante sex annos vitâ functus, nimirùm S. Cyrillus Alex. Eamdem agendi rationem tenuerunt quinta synodus, necnon œcumen. sexta, quæ omnes juxta canonem adversariorum nostrorum rejiciendæ forent.

(1) Præstat integrum ejusdem textum exhibere, quem detruncatum affert Molinæus c. 7 : « Extrema, inquit, est inscitia, ab iis qui non « sunt dii, tanquàm à diis petere : vel ea petere, quæ non conducunt, dùm per bonorum speciem, nobis mala postulamus. Unde « meritò, cùm sit bonus Deus, ab ipso solo « bonorum alia dari, alia conservari petimus « tam nos, quàm Angeli. » Opp. edit. Potteri tomo 2, p. 853. Venet. 1757. Addo in toto libro 7 pro certo sumere Clementem angelos pro nobis et nobiscum orare.

(2) Confer quæ adversùs Grabium scripsit in h. l. Massuet not. (1). Ostendit enim S. Martyrem tum hìc, tum in cap. præced. vera Ecclesiæ miracula hæreticorum præstigiis opponere, aliaque puris et mundis orationibus et invocatione D. N. J. C.; alia *fraude universâ*, ut ipse sanctus loquitur, et *adinspiratione apostaticâ* (malorum scilicet angelorum, quos angelos apostatas vocare solet) *et operatione dæmoniacâ* et *phantasmate idololatriæ* fieri probat. Verba enim quæ objicit Molinæus apud S. Irenæum, n. 5, ita se habent : « Nec invocationibus angelicis facit aliquid (Ecclesia catholica), nec reliqua pravâ « curiositate, sed mundè, et purè, et manifestè orationes dirigens ad Dominum, qui « omnia fecit, et nomen D. N. J. C. invocans. » Confer propterea ejusdem Massueti diss. 3, art. 9, § 109. Quis verò post hæc non miretur malam fidem Keilii, qui audet iterùm hoc Irenæi testimonium Catholicis objicere adversùs angelorum invocationem ? Hùc redit tota vis argumenti istorum hæreticorum hominum : S. Irenæus ostendit Ecclesiam catholicam operam non dare incantationibus magicis per dæmonum invocationem; ergo Ecclesia catholica angelos sanctos non invocabat. Optimè !

vocatione agit, quæ Deo vero propriè convenit, quamque ethnici diis suis velut bonorum auctoribus etsi supremo inferioribus deferre solebant. Tertullianus, l. c., gentilium criminationibus occurrit, qui iniquo animo ferebant Christianos pro salute imperatorum diis non supplicare. Athanasius demùm Arianos arguit, quòd Christum creaturam esse putantes, hæreticorum more qui nunquàm sibi constant, Deum tamen ipsum appellarent, eumque tanquàm aliquid creaturâ præstantius adorarent. Vide Petav. l. c, cap. 16.

II. Obj. : 1° Sancti etsi pro nobis intercedant, non possunt tamen à nobis invocari; 2° invocatio enim ad supremum illud cultûs latreutici genus pertinet, quod solius Dei est proprium; 3° præterea sancti vota nostra precesque non audiunt, juxta illud Isa. 63, 16 : *Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos*, aut Eccles. 9, 5 : *Mortui nihil noverunt amplius*. Ergo.

Resp. ad primum : Nego : Nulla enim ratio assignari potest quare sancti invocandi non sint, si pro nobis intercedere possunt, ut post Calvinum, Kemnitium aliosque Protestantes concedit Molinæus. Ridiculum sanè esset asserere aulicum quempiam posse nobis opem ferre per suam apud principem intercessionem, nec posse nos tamen ejus patrocinium efflagitare. Hinc Patres reipsà tum de invocatione, tum de intercessione promiscuè loquuntur.

Ad secundum : In sensu Catholicorum superiùs exposito, nego ; alioquin nec viventes invocare possemus.

Ad tertium : Distinguo : Sancti vota nostra precesque non audiunt virtute propriâ, tribuo; divinâ virtute aut ex ejus manifestatione, nego. Quomodò verò sancti preces nostras cognoscant, an in Verbo, ut aliqui contendunt, an verò ex peculiari Dei manifestatione, ut plerique volunt, aut aliâ quâlibet ratione, nostrum inquirere non est. Ad causam nostram sufficit, quòd eas certò cognoscant, ut ex dictis constat. Meritò Grotius, diversis perpensis modis seu rationibus à Patribus ac theologis indicatis ad explicandam hanc sanctorum notitiam, concludit : « Itaque « iniquè faciunt Protestantes, qui idololatriæ « damnant eos qui multorum veterum sen- « tentiam secuti putant, nostrarum necessi- « tatum et precum notitiam aliquam ad mar- « tyres pervenire (1). » Adversùs Burnetum autem et Gibbonium, qui existimant ideo sanctos ignorare necessitates nostras, quia inertes ac somnolenti jacent nondùm Dei aspectu fruentes, recolantur quæ suo loco adversùs hunc errorem disputavimus, nempe tract. de Deo creat. n. 631, seqq.

Verba autem Isaiæ, Clerico ipso interprete, non aliud significant, quàm « Deum multò potiore jure *patrem* Hebræorum dici quàm Abrahamum aut Jacobum », cui assentiuntur Protestantes alii non pauci.

Textus Ecclesiastis, ut ex serie orationis patet, hunc sensum præ se fert : viventes adhuc possunt resipiscere ac in melius mutari, quod mortui non possunt. Quid autem hæc ad scopum Protestantium conferant non video.

III. Obj. : Sanctorum invocatio inutilis est ac superstitiosa : 1° inutilis quidem ex parte Dei, qui cùm paterno præ sanctis omnibus nos prosequatur amore, satis per se prospicit necessitatibus nostris absque alienâ intercessione; 2° superstitiosa est ex parte nostrâ, cùm per illam diffidentiæ indicium præbeamus; sed 3° superstitiosa ex alio capite ejusmodi invocatio censenda est, cùm sæpè sæpiùs contingat nos opem implorare, aut eorum qui nunquàm fortassè extiterunt, aut eorum quorum saltem sanctitas dubia est ; 4° ethnicam insuper superstitionem sapit sanctos singulos pro singulis morbis aut beneficiis rogare ; 5° eò vel magis quòd sancti nihil jam possint à Deo impetrare, cùm nec mereri quidpiam valeant. Ergo.

(1) Ad Consultat. Cassandri tomo 4, quibus consonant ea quæ scripsit Leibnitzius in cit. Syst. theol., p. 194. « Cùm igitur beatæ men- « tes multò magis nunc rebus nostris intersint, « quàm quando in terris vivebant, multòque « omnia præsentiùs intueantur (nam homines « pauca tantùm, quæ in conspectu geruntur « aut ab aliis nuntiantur cognoscunt), cùm « charitas earum aut voluntas juvandi longè sit « ardentior, denique cùm preces earum longè « sint efficaciores, quàm quas olim fundebant « in hâc vitâ, constet autem quantum Deus « etiam viventium intercessionibus tribuerit, « et utiliter nos fratrum preces nostris con- « jungi expectamus : non video quomodò cri- « mini dari possit compellare felicem animam « vel sanctum angelum, ejusque intercessio- « nem vel auxilium postulare.... præsertim si « cultus ille consideretur tantùm ut exigua ac- « cessio summi illius, qui in unum Deum rectè « dirigitur, etc. » Demùm Thom. Brown, dùm disserit de medici religione, concludit in rem nostram : « Ad eum quod spectat, qui rejicit « invocationem SS., atque inficiatur ipsos res « quæ in terris geruntur agnoscere, eum « quæso, ut mihi explicare velit textum hunc « Evangelii : *Gaudium erit coram angelis Dei « super uno peccatore pœnitentiam agente.* »

Respondeo : Nego antecedens. Ad primam prob. : Distinguo : Deus per se prospicit necessitatibus nostris, seu dona largitur absque aliorum intercessione, *ut plurimùm*, concedo; *semper*, nego. Sæpè enim legimus in Scripturis Deum ad aliorum intercessionem concessisse, quod alioquin non fuisset concessurus. Hoc autem, productis in medium exemplis, superiùs ostendimus. Addo hoc argumentum pariter impetere intercessionem viventium.

Ad secundam : Distinguo : Diffidentiæ indicium præbemus quæ se teneat ex parte nostrâ tribuo; quæ se teneat ex parte Dei, nego. De paterno enim Dei in nos amore nulla nobis suboriri potest dubitatio, sed ad nos quod attinet, quos gravat sarcina peccatorum, quique nos Dei beneficiis sæpè indignos præbemus, utique opportunum ducimus sanctorum suffragiis supplicationes nostras communire.

Ad tertiam : Distinguo : Et dubium de existentiâ talium sanctorum, aut sanctitatis afficit praxim, quæ accidentalis est ac res meræ disciplinæ, concedo; afficit cultum ipsum, nego. Tot sancti existunt de quorum existentiâ aut sanctitate nec ipsi Protestantes dubitant, hos propterea tutò invocare poterunt. Atque hìc sedulò animadvertendum est sæpè ab adversariis duo permisceri quæ distingui omninò debent, *acta* nempe sanctorum, et sanctorum quorum acta proferuntur, existentiam. Fieri enim potest ut acta spuria sint, sancti autem reipsà extiterint; e. g., omnes ferè critici recentiores tanquàm supposititia habent Acta S. Dionysii Areopagitæ, S. Mariæ Magdalenæ, S. Marthæ, etc. Numquid propterea ex eo quòd ejusmodi acta ut spuria rejiciuntur, dubitare poterimus de existentiâ aut sanctitate Dionysii, Mariæ Magdalenæ, aut Marthæ? Porrò quod his contigit, pluribus aliis sanctis contingere potuit. Præterea distingui debent sancti, qui invocantur aut coluntur ab universâ Ecclesiâ, ab iis qui cultum non obtinent nisi in Ecclesiis particularibus. De nonnullis istorum forsitan aliquando dubium suboriri posset; ast de primis nonnisi summâ temeritate dubitaretur.

Ad quartam : Distinguo : Si exclusivè singulis sanctis aliquod tribueretur beneficium ipsorum intercessione obtinendum, tribuo; si pro divisione gratiarum, quas, ut loquitur Apostolus, Deus dividit prout vult, unus præ alio invocetur pro singulari dono, quo unusquisque à Deo præditus est, nego. Frustra propterea hìc stylum oratorium exercent Protestantes, aut etiam increduli in recensendis sanctis, qui vel ad peculiares morbos depellendos, vel ad peculiare beneficium impetrandum invocari solent. Albert. Fabricius in Bibliographiâ antiquariâ cap. 8, § 23 et seq., plures insumit paginas in catalogo texendo sanctorum tutelarium, et præfecturæ, ut ipse vocat, sanctis in Ecclesiâ Romanâ tributæ. Ex eo proinde pronum fuit scriptoribus Protestantibus, qui eum subsecuti sunt, repertorium quærere ut illuderent Catholicis. Ast ejusmodi ars apud cordatos auctores adeò viluit, ut si excipias gregarios quosdam nullius nominis scriptores, vix jam reperiatur, qui ad eam confugiat.

Ad quintam : Distinguo : Sancti impetrare nihil possunt ex meritis præsentibus et propriis, concedo; ex meritis Christi, vel meritis propriis antecedentibus, seu veriùs ratione amicitiæ et charitatis perfectæ, quâ cum Deo copulantur, nego. Neque enim docent Catholici sanctos gratias à Deo obtinere merito strictè sumpto, seu *de condigno*, ut vocant; sed solùm docent eos impetrare precibus suis merito *de congruo*, quod fundatur in amicitiâ, quâ feliciter cum Deo fruuntur, prout et sancti viventes pariter impetrare possunt.

Dices : Catholici à B. Virgine, quam interdùm *deam* vocant, immediatè dona et gratias poscunt; e. g., cùm ei has preces dirigunt : *Mala nostra pelle; Jesum post hoc exilium ostende*, aliasque ejusmodi non paucas, ut cùm eam vocant *spem* nostram, etc.; idipsum dicatur de sanctis reliquis.

Respondeo nunquàm ab Ecclesiâ B. Virginem *deam* esse nuncupatam; quòd si nonnulli eam vocem usurpârunt, ab Ecclesiâ improbati sunt (1). Dùm verò vel à B. Virgine vel à sanctis dona aut gratias Catholici exposcere videntur, semper subintelligitur, mediante ipsorum intercessione (2); idipsum dicatur de

(1) Ita respondet auctor protestans art. cit. Encyclopediæ Eburoduni (Yverdun) : « Il est « pourtant vrai que le titre de *déesse* est « échappé à quelques-uns d'entre eux, en par- « lant de la sainte Vierge : mais ce n'est pas « l'Eglise qui a tenu ce langage, ce sont de « simples particuliers, » etc.

(2) Juverit et hanc responsionem communire verbis alterius Protestantis, nempe Leibnitzii, qui in Syst. theol. p. 160, ita scribit : « Cùm invocantur sancti, auxiliumque eo- « rum expetitur, semper subintelligendum con- « sistere auxilium eorum in precibus quas pro « nobis magnâ efficaciâ fundunt, quemadmo- « dùm et Bellarminus notavit : Juva me, Petre « aut Paule, nihil aliud significare debere,

eo quod opponunt adversarii de *spe* aliisque ejusmodi, quæ nullum alium sensum patiuntur.

Si quis cuperet monumenta antiquitatis consulere pro cultu, invocatione et intercessione sanctorum ex re lapidariâ, adeat I. B. Gener Theol. scholas.-dogm. Romæ 1773, tom. 4, p. 194, seqq. Plura alia nuper effossa dabit cl. Nic. Wiseman. *Lectures on the principal*, etc., seu : Lectiones circa præcipuas doctrinas et usus Ecclesiæ catholicæ. Lond. 1836 ; tum ejusdem : Epistolæ ad Jo. Poynder circa ejus opus : *Papismus in concordiâ cum paganismo*, ibid. 1836, p. 38, seqq. Hic adnoto Middletonio, Poyndero in parallelismo, sive collatione instituendâ inter ritus et usus Ecclesiæ catholicæ cum ritibus et usibus ethnicismi præivisse Marangonum in op. *Delle cose gentilesche e profane trasportate ad uso ed ornamento delle chiese.* In-4°. Româ, 1744 ; licèt mente longè diversâ. Adeò verum est Catholicos nihil timere ex ejusmodi parallelismo (1) !

CAPUT IV.

DE RELIQUIARUM CULTU.

Reliquiarum nomine, severiori sensu seu primario, sanctorum exuvias, cineres, ossa, etc., sensu autem latiori seu secundario, quidquid ex iis quæ ad eos pertinuerunt, ac de se aptum est ad piam eorumdem sanctorum excitandam memoriam, significare consuevimus. Magno istas in honore ac pretio Catholici habent, qui propterea insimulantur à Protestantibus velut superstitiosi. Germanum Ecclesiæ sensum circa sacrarum reliquiarum cultum adversùs eosdem novatores concilium Tridentinum adstruit his verbis : « Sanctorum « martyrum, et aliorum cùm Christo vivent« tium sancta corpora, quæ viva membra fue« runt Christi, et templum Spiritûs sancti, « ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glo« rificanda, à fidelibus veneranda esse (epi« scopi doceant) ; per quæ multa beneficia à « Deo hominibus præstantur ; ita ut affirman« tes, sanctorum reliquiis venerationem at« que honorem non deberi ; vel eas, aliaque « sacra monumenta à fidelibus inutiliter hono« rari ; atque eorum opis impetrandæ causâ « sanctorum memorias frustra frequentari, « omninò damnandos esse, prout jampridem « eos damnavit, et nunc etiam damnat Eccle« sia, » sect. 25, de invoc., etc. Totum porrò relativum esse ejusmodi sacrarum reliquiarum cultum jam admonuimus. Ad expositam igitur Ecclesiæ catholicæ doctrinam vindicandam sic accedimus.

Propositio. — *Sanctorum reliquiæ et monumenta utiliter ac piè à fidelibus honorantur.*

Ad fidem catholicam pertinet, ut ex adductâ concilii Tridentini declaratione constat.

Religiosi autem hujus cultûs et honoris vestigia in Scripturis passim reperiuntur ; missa verò facientes quæ in veteri Testamento occurrunt (1), Matth. 9 sanata describitur mulier illa hæmorrhoissa, quæ solam Christi vestimenti fimbriam magnâ fide tetigit ; Act. 5, 15, infirmi in plateas ejiciebantur, *ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis, et* cap. 19, 12, legitur quòd *super languidos deferrentur à corpore ejus* (Pauli) *sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.*

Atque hinc factum est, ut ab ipsis Ecclesiæ primordiis maximo semper in pretio ac honore sanctorum exuvias habuerint Christi fideles. Ne autem confusionem pariat congeries documentorum quæ pro sacrarum reliquiarum cultu exhibent tria priora Ecclesiæ secula, ea in peculiares classes distribuimus, quæ totidem invictissima argumenta suppeditant adversùs Protestantes.

Prima itaque horum documentorum classis complectitur Christianorum sollicitudinem in sanctorum reliquiis colligendis, cujus testis est Epistola Ecclesiæ Smyrnensis, quæ refert Christianos omnes sollicitos fuisse in colligendis S. Polycarpi reliquiis « ut communicarent sancto cadaveri » (2), hoc est, ut eas cultu re-

« quàm, ora pro me, aut juva intercedendo « pro me. » Vide de hoc argumento Scheffmacher S. J. *Lettres d'un théologien de l'université catholique de Strasbourg sur les six principaux obstacles à la conversion des Protestants. Strasbourg* 1732. *Quatrième lettre sur l'invocation des saints.*

(1) Vide et Zaccariæ dissertationem de veterum Christianarum Inscriptionum usu, in nostri Theologiæ Cursûs tomo 5.

(1) Exod. 13, 19, coll. Eccli. 49, 18 ; 4 Reg. 13, 21, coll. Eccli. 48, 14 ; 4 Reg. 23, 17, 18.

(2) Κοινωνῆσαι τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ σαρκίῳ, ut habetur apud Euseb. Hist. Ec. l. 4, c. 15. Quæ quidem phrasis desumpta est ex Apostolo Rom. 12, 13, jubente sanctorum necessitatibus communicare. Hic autem locus in primis notabilis est, ut observat Valesius, quippe qui vetustissimam Christianorum consuetudinem, ac præterea rationem ejus ostendit. Ideò enim reliquias martyrum aliquas habere tanto studio optabant, ut cum iisdem etiam mortuis communicarent. Nec contenti eâ communione sanctorum quam catholica Ecclesia profitetur, per fidem scilicet, spem et charitatem ; per sacras etiam eorum

ligioso prosequerentur. Id ipsum legimus in Actis S. Ignatii M., in quibus ejusdem reliquiæ ingenti curâ nec sine vitæ discrimine à Christianis collectæ, vocantur « Thesaurus inæstimabilis Ecclesiæ relictus » (1), ut plurima alia ejus generis omittam. Testes insuper receptæ istius sollicitudinis sunt ipsi fidei christianæ hostes, qui fassi sunt vereri se, ne Christiani, relicto Christo, Polycarpum deinceps adorare inciperent. Vide Epistolam Eccl. Smyrn. apud Euseb.; hinc martyrum cadavera, ne à Christianis colerentur, gladiatorum corporibus commiscebant, in amphitheatris feris, in aquis piscibus ut vorarentur exponebant; ac ne quidpiam eorum superesset, quod Christiani colere possent, eadem comburere et cineres in ventum dispergere consueverunt. Vide Trombellium de Cultu sanct. diss. 7 et 8.

reliquias et pignora cum ipsis communicare cupiebant. Itaque eorum reliquias in cœmeteriis honorificè condebant; ibique quotannis convenientes, anniversarium martyrii diem celebrabant, hâc ratione cum defuncto martyre perpetuò communicantes, ut testatur hæc ipsa epistola. Certè Optatus lib. 2 Schismat. Donat. p. 48, ed. Albaspin. Paris, 1631, illud Apostoli, prout olim legebatur Rom. 12, 13, « *memoriis* sanctorum communicantes » ita interpretatur, ut idem significet quod offerre ad sepulcra martyrum. Nec aliter sumit Hilarius in lib. contra Constantium sub finem. De hâc communione loquitur Marcellinus presbyter in libello precum ad Valentin. imperat. Et hæc quidem de cultu publico reliquiarum, quæ in cœmeteriis recondebantur. Fuit et alius mos subsequenti ætate, ut singuli fidelium reliquias martyrum quascumque nancisci potuerint, domi honorificè servarent. Vide Vales. loc. cit.

(1) Apud Ruinart. Acta MM. sinc. p. 19, ed. Veron.: Θησαυρὸν ἀτίμητος τῇ ἁγίᾳ Ἐκκλησίᾳ καταλειφθέντα. Ubi animadvertendum ex his ipsis actis constare tantùm extitisse primis fidelibus martyrum reliquias colligendi studium, ut evidenti quandoque se mortis periculo exponerent. Legitur enim, ib. n. 5, optâsse S. Ignatium « ut nulli fratrum gravis « fieret ob suarum reliquiarum collectionem. » Prudentius describit imaginem à se Romæ visam in *catacumbis* martyrii S. Hippolyti, in quâ plurimi cernebantur Christiani reliquias colligentes. In musæo Christian. antiquit. ad Vatican. omnia asservantur instrumenta quibus pagani martyres excruciaverunt atque laniârunt; plura item ex illis collecta invenire est in nostro musæo kircheriano Coll. Rom.; in omnibus ferè antiquis hujus urbis ecclesiis nonnulla suis documentis munita instrumenta occurrunt. Argumento igitur est Christianos antiquiores permagni ea fecisse, imò et in veneratione habuisse, ut apertè liquet ex verbis S. Leonis M. in Natal. S. Laur.: « Nam quid « non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, *quando in honorem transierunt triumphi « etiam instrumenta supplicii?* »

Altera classis complectitur monumenta erecta super reliquiis sanctorum, cujusmodi erant cubicula, martyria, memoriæ, altaria, de quibus latè scribit Baronius (1). Inter hæc autem monumenta præcipuam venerationem ac celebritatem semper obtinuerunt, quæ Romæ erecta sunt in honorem apostolorum Petri et Pauli super eorum cineribus. Hæc porrò à Christianis jam tempore S. Zephirini ostendebantur ad confundendos hæreticos, ut testatur Eusebius. Ossa S. Polycarpi « gemmis « pretiosissimis chariora (ut legitur in cit. « Epist. Ecclesiæ Smyrnensis) et quovis auro « pretiosiora sepulta sunt ubi decebat. » Quo in loco convenientibus Christianis ejus martyrii diem celebrabant.

Tertia classis exhibet studium primorum Christianorum atque Ecclesiæ universæ in secernendis martyrum cineribus à reliquorum fidelium exuviis. Ut enim distinguerentur martyrum corpora, solebant apponere super eorum sepulcris palmæ effigiem, interdùm verò piscis aut columbæ unà cum vasis vitreis seu ampullis plenis sanguine, ut apud Bosium, Rom. Sotter. l. 1, cap. 20, et l. 3; Aringhium, Roma subterannea novissima, tomo 2, l. 4, c. 48, videre est, atque Boldettum, qui insuper eadem signa velut specificas martyrii notas adstruit ac tuetur adversùs Mabillonium et Papebrochium, Osservazioni sopra i cimiteri de' santi martiri lib. 1, cap. 38, seqq., præsertim verò cap. 45. His sæpè adjiciebant inscriptiones ac monogrammata, de quibus pariter datâ operâ scripsit cit. Boldetti.

Quarta demùm classis comprehendit obsequia, quibus primi Christiani sanctorum reliquias prosequebantur. Hæc autem erant sacrificia, quæ in ipsorum honorem Deo offerebantur super eorum sepulcris, ut ostendit laudatus auctor, c. 10. Hujus consuetudinis monumenta indubia exhibent Acta S. Stephani papæ, et Constitutiones apostolicæ (2).

(1) Ad an. 226, à n. 7 ad 12. Plura etiam in hanc rem scribit auctor minimè suspectus cl. D'Agincourt *Storia dell' arte coi monumenti*. Prato 1826, 2 vol., circa cubicula, martyria, confessiones, quæ in subterraneis Rom. inveniuntur cum omnibus insignibus cultûs catholici quem Ecclesia hactenùs oppressa tyrannorum impotenti dominatu tanquàm suavitate verni temporis hilarata è situ ac latebris explicare cœpit, ac lacertos suos exerere; hoc est, palam dogmata sua et instituta proferre.

(2) Apud Coteler. op. cit. tomo 1, lib. 6, c. 50, ubi legitur: « Congregamini in cœmeteriis, lectionem sacrorum librorum facien-

Inter hæc obsequia et actus summæ venerationis erga martyrum reliquias recenseri debet osculum, quod imprimebatur martyrum ossibus, quodque celebre evasit ex historiâ Donatistarum. Nam ob indiscretam Lucillæ factiosæ fœminæ devotionem, quæ os cujusdam martyris non vindicati ante sacram synaxim deosculabatur, originem habuit dirissimum illud schisma, quod per tria integra secula Ecclesiam Africanam afflixit; vide Optatum Milev. Hist. schism. Donat. lib. 1, pag. 40, ed. cit.; idem dicatur de osculo, quod imprimebatur martyrum vinculis. Vide Mamachium Origin. et Antiquit. Christ. tom. 1, lib. 1, § 27; Ruinart. præf. gener. in Acta MM., § 70. Porrò osculum, ipso Beausobrio fatente (1) nisi ratio habeatur intentionis illud imprimentis, summus erat ex naturâ suâ venerationis et adorationis gradus. Concludendum igitur ex his omnibus, aliisque non paucis, quæ consultò ne longior sim silentio prætereo, colligi aut universam Ecclesiam ab ipso ævo apostolico ac proinde ab institutione suâ, idololatram ac superstitiosam fuisse, quod nec adversarii admittunt, aut piam sanctamque esse sacrarum reliquiarum venerationem, quam ex apostolicâ traditione semper Ecclesia professa est.

Ad hæc accedit ratio ipsa, quæ ex intimâ rei naturâ, atque ex communi hominum sensu ac agendi ratione petitur. Impossibile enim est, ut quempiam ob dotes quibus fulget, aut gradum quem obtinet, aut præclaram virtutem quâ excellit, amore atque existimatione prosequamur, quin simul in pretio habeamus, quæ ad eum spectant et ejus excitant recordationem. Quare vel ipsi Protestantes summo studio sibi comparant, quod noverint ad aliquem clarissimorum virorum qui magnam de se excitârunt admirationem pertinuisse, ac de illius possessione gloriantur (1). Quidni igitur idem feramus judicium quoad illos quos novimus omni virtute excelluisse, et amicos Dei fuisse, ac præterea cum Deo regnare credimus? Religio ea suppeditat incitamenta, ut in pretio habeamus sanctorum exuvias, qualia profectò nulla alia aut moralis aut politica virtus suppeditare potest. Docet enim nos eas ad illos spectâsse, qui viva jam fuerunt membra Christi Jesu ac templa Spiritûs sancti, eas olim fore excitandas, ut unà cum animabus in cœlis glorià æternâ coronentur. Promovet præterea reliquiarum sacrarum cultus in Christi fidelibus ardens studium sanctos imitandi. Hinc Deus ipse ad hunc cultum magis ac magis honestandum innumera prope ac ingentia miracula patravit, quorum testes oculatos se exhibent Patres gravissimi atque sanctissimi, Ambrosius, Augustinus, uterque Gregorius, Joannes Chrysost., Hilarius, Paulinus, Asterius, Theodoretus, Eulogius, aliique permulti, quos recenset ac expendit Petavius (2); quique ea referunt ut facta vulgatissima et coram populi immensâ multitudine quandoque patrata.

Hic porrò animadvertendum est, argumentum, quod ex miraculis ducitur à Deo patratis per sanctorum reliquias, hùc demùm referri, ut necesse sit aut nos fateri, reliquiarum venerationem omni superstitione vacare ac Deo acceptam esse, aut *ad unum* omnia quæ perhibentur miracula per sanctorum exuvias patrata rejicere tanquàm totidem fabulas. Posteriorem hanc dilemmatis partem amplexi sunt Dallæus, Middleton et Gibbon cum Beausobre. Ast præterquàm quòd hæc agendi ratio nos cogit admittere aut hebetudinem atque mentis stuporem qui vèl puerum dedeceret, aut *fraudem* ac manifestam *sycophantiæ* notam in tot sanctissimis ac doctissimis viris, Ambrosio scilicet, Augustino, Hilario, Paulino, Jo. Chrysostomo, Asterio, Theodoreto, Eulogio aliisque prope innumeris, qui omnes spectatissimi sunt antiquitate, integritate, eruditione, ac doctrinâ; numquid omnia quæ referuntur

« tes, atque psallentes pro defunctis martyri-
« bus... eucharistiam offerte in ecclesiis vestris
« et in cœmeteriis. » Cf. ejusdem Cotelerii notas 72, 73; etenim plura alia affert documenta hujus antiquæ consuetudinis, et exponit quo sensu diceretur olim psallere et offerre *pro martyribus*, ostenditque pluribus documentis id perinde esse ac psallere et offerre Deo in gratiarum actionem ob victoriam ipsis concessam, eis gratulari, etc.

(1) Hist. de Manich. et du Manichéisme t. 2, p. 661, ubi de osculo scribit : « Le *baiser* « fut chez les anciens idolâtres une des céré-
« monies de l'adoration ; » et p. 663 : « La
« cérémonie de baiser jusqu'au pavé des tem-
« ples était le plus haut degré de l'adoration,
« et la plus profonde humilation où une pure
« créature raisonnable pût descendre. »

(1) Profectò cùm ipsi in Italiam veniunt, magnâ sedulitate inquirere solent aliquid ex iis quæ olim ad aliquot præstantiorum virorum pertinuerunt, adeò ut secum deferant vel ipsorum libros, vel chartulas, aut instrumenta, imò etiam quidpiam parietis ex cubiculo quod illi incoluerunt, aut aliquid ejusmodi.

(2) Lib. 14 de Incarn. cap. 13, seqq. Vide etiam Ruinart. l. c., § 71 ; Mabillon, præf. in sec. 2, Benedict., n. 70, seqq.

miracula censeri debent impossibilia, inverisimilia et absque exemplo in sacris litteris? Qui voluit honorem conciliare Petro et Paulo adhuc in *carcere mortis hujus* detentis, ita ut ingentia patrata fuerint prodigia ad umbram Petri (Act. 5), et ad contactum semicinctiorum corporis Pauli (Act. 19), non potuit eadem operari per *vasa possessa in honorem* usque ad mortem ab his ipsis sanctis, postquàm eos in cœlis coronavit? Quid in hoc quod fidem superet aut risum moveat excogitari potest? Vide tom. 2 de Unitate eccles., lib. 12, cap. 29, FF. de Walemburch. Colon. Agrip. 1671. Vide etiam Petav. l. c.

Quod demùm spectat ad validissimum præscriptionis argumentum, quod exsurgit pro sacrarum reliquiarum veneratione ex usu seu praxi ubique receptâ in universâ Ecclesiâ seculis IV et V, et confessione ipsorummet Protestantium, recolantur quæ cap. 1, prop. 2, adnotavimus, cùm hùc pariter referantur.

Difficultates.

I. Obj.: 1° Deus Moysis corpus abscondit ne ab Hebræis coleretur; ergo facto ipso ostendit nullum cultum sanctorum cineribus esse deferendum; 2° et reverà Christus Pharisæis exprobrat erectionem monumentorum in honorem prophetarum illis verbis: *Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum et ornatis monumenta justorum,* Matth. 23, 29. Ergo.

Respondeo ad primum: Distinguo antecedens: Abscondit Deus corpus Moysis ne à Judæis cultu superstitioso coleretur, tribuo; ad damnandum reliquiarum cultum, nego. Transmisimus autem primum distinctionis membrum, cùm non certò constet quo demùm fine Deus voluerit latere Moysis sepulcrum, cùm ipsemet seu per angelos Moysis corpus sepeliverit, ut ibid. legitur. Vide Natal. Alex., diss. 25 in sec. 5, q. 1, assert. 1. Verùm et hoc dato, cùm nimis populus ille propensus esset ad idololatriam, ideò rectè Deus voluit quodcumque objectum scandali ab oculis ejus removere.

Cæterùm accuratè dogma à disciplinâ distinguendum est; illud nobiscum retinebant Hebræi, licet circa usum aut disciplinam, quâ actu alicujus prophetæ aut sancti alterius viri reliquiæ honorantur, diversâ ratione se gesserint ob motivum nuper allatum. Sanctorum porrò reliquias honore dignas esse non semel Deus in veteri Testamento factis ipsis significavit; ut cùm ad contactum ossium Elisei mortuum excitavit (4 Reg. 13, 21), de quo Eccli. 48, 14, dicitur: *Mortuum prophetavit corpus ejus;* aut cùm per Eliæ pallium Jordanis fluenta divisit (4 Reg. 2, 14). Quod cùm optimè intellexerit Josias, cùm pervenisset ad sepulcrum prophetæ, qui altaris Bethel destructionem prædixerat, dùm cæterorum cineres dispergeret, venerationis gratiâ erga virum sanctum intactum ipsum reliquit dicens: *Dimittite eum, nemo commoveat ossa ejus* (ib. 23, 18). Spectatâ tamen illius populi indole, temperamento quodam opus erat circa rationem ejusmodi honorem ac venerationem tribuendi. Vide FF. de Walemburch., loc. cit. § 15 et seqq.

Ad secundum: Distinguo: Id est, hypocrisim ac perversam eorum agendi rationem, concedo; erectionem ipsam in se spectatam, nego, ut colligitur ex verbis Christi immediatè sequentibus: *Et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum... et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Appositè propterea S. Joan. Chrysost. ita Christi Domini objecta verba exponit, homil. 74 in Matth. n. 1: « Non « quia ædificant, nec quia patres suos accu- « sant, *væ illis* dixit; sed quia ita facientes « et ita docentes patres suos condemnare « audebant, cùm ipsi pejora committerent. » Sanè nunquàm improbatus fuit Simon eò quòd parenti suo Mathathiæ ac fratribus suis magnificum extruxerit sepulcrum in Modin. (1 Mach. 13, 27, seqq.)

II. Obj.: 1° Altum extat circa sacrarum reliquiarum venerationem silentium apud Patres trium priorum seculorum, etsi dimicare deberent adversùs Gnosticos martyriorum refragatores. 2° Nec nisi tardiùs inductus est ritus condendi reliquias martyrum sub altaribus, eas gestandi in publicis supplicationibus, aut in thecis collocandi, sed statim terræ mandabantur à vetustissimis Christianis martyrum corpora, ac diligentissimè sepeliebantur. 3° Quinimò Patres ethnicis exprobrabant sepulcrorum et mortuorum religionem, altarium et templorum super sepulcris consecrationem, ut Clemens Alex., Tertullianus, Minutius Felix, aliique passim: ergo ex ethnicis superstitiosus hic cultus ad Ecclesiam pervenit.

Resp. ad primum: Distinguo: Quod tamen silentium abundè supplent facta publica ac

testatissima quæ superiùs commemoravimus, concedo; aliter, nego. Longè profectò validiora sunt ad aliquid probandum facta ipsa, quàm singularia testimonia. Innumera porrò facta, tribus prioribus Ecclesiæ seculis ac documenta occurrunt quæ invictè Ecclesiæ fidem ac praxim per id temporis obtinentes circa sacrarum reliquiarum venerationem ostendunt, ut ex allatis probationibus evincitur. Nec aliter Patres sentire potuisse circa ejusmodi cultum vel ex eo probatur, quòd inseparabilis sit sacrarum reliquiarum veneratio à veneratione quam hi ipsi Patres erga sanctos profitebantur; altera enim ex alterâ profluit, ita rei ipsius naturâ exposcente.

Quòd si hæreticis resurrectionem impugnantibus non opposuerunt Patres receptum reliquiarum cultum, ideò est, quia ipsum urgere non poterant adversùs illos qui indirectè saltem rejiciebant pariter dogma istud, cujus velut fundamentum est futura corporum resurrectio. Idipsum dicatur de iis qui adversùs Gnosticos disputabant. Etenim si Gnostici martyriis refragabantur, à fortiori oppugnare debebant martyrum cultum, eorumque reliquiarum venerationem. Vide Muratorii Dissert. de Sanctorum MM. natalibus Mediol. 1697, tom. 1 *Anecdot.*, p. 195.

Ad secundum : Distinguo : Ita exposcentibus rerum adjunctis, non omnes ritus qui postea obtinuerunt, adhibebantur in reliquiarum veneratione, concedo; illi saltem ritus non viguerunt quos rerum adjuncta patiebantur, nego. Et hìc pariter distingui debet dogma à disciplinâ. Idem tribus prioribus seculis dogma viguisse post allata documenta in dubium revocari nequit. Disciplina autem ad quam ritus diversi referuntur, varia esse potest prout postulant aut ferunt diversa temporum, locorum, aut personarum adjuncta. Jam verò quomodò potuissent primi Christi fideles, dirissimâ sæviente persecutione, in publicis supplicationibus deferre martyrum reliquias? Cavere præterea debebant à nonnullis ritibus usurpandis, ne ethnicis, inter quos agebant, ansam eos calumniandi præberent. Quæ tamen pro temporum angustiis præstare potuerunt ad propria sensa erga sacras reliquias patefacienda non omisêre, ut superiùs dicta ostendunt. Datâ autem Ecclesiæ pace, illicò publicas hujusmodi cultûs testificationes variâ ratione exhibuerunt, iis ipsis probantibus, qui ad tertium seculum pertinuerunt. Innumera prope habentur documenta, quibus constat vix datâ per Constantinum Ecclesiæ pace illicò summo honore ac publico cultu sanctorum reliquias ubique prosecutos Christianos fuisse. Hùc referuntur expostulationes Fausti ac Vigilantii, qui æ. rè ferentes sanctorum exuvias tot honoris significationibus coli, criminati sunt Ecclesiam, quòd verteret idola in martyres. Audiatur S. Hieronymus scribens adv. Vigil. n. 5 : « (Vi- « gilantius) martyrum reliquias pretioso ope- « riri velamine : et non vel pannis, vel cilicio « colligari, vel projici in sterquilinium.... « Ergo sacrilegi sumus, quando apostolorum « basilicas ingredimur? sacrilegus fuit Con- « stantius imperator, qui sanctas reliquias « Andreæ, Lucæ et Timothei transtulit Con- « stantinopolim? » etc. Alia plura vide apud FF. de Walemburch, l. c.

Ad tertium : Distinguo : Veteres Patres mortuorum ac sepulcrorum religionem ethnicis exprobrabant, utpote ex propriis eorum principiis superstitiosam, concedo; in se, nego. Ethnici siquidem ideò illa omnia circa suorum mortuorum sepulcra præstabant, quòd putarent illorum animas oberrare circa sepulcra. « Aut dæmones sive genios ac deos esse » tradìt » S. Augustinus, lib. 9 de Civit. Dei, c. 11; qui præterea lib. ult. c. 10, refert paganos templa et aras mortuis extruxisse et dicâsse velut numinibus, quæ profectò longè absunt à Catholicorum fide.

Ad id verò quod addunt adversarii de ritibus quos Ecclesia ab ethnicis mutuata est, reponimus, quòd etsi fateremur aliquot ex ritibus quibus sanctorum reliquias cultu prosequimur cum ethnicorum ritibus aliquando fuisse communes, vel ab ipsis ad Christianos pervenisse, nihil tamen proficere adversarios. Ritus enim, ut ita dicam, materiales, seu per se indifferentes sunt, totamque moralitatem suam ab objecto, adjunctis, ac fine illos usurpantium desumunt. Cùm igitur eorum objectum mutatum sit, cùm diversa planè sit mens, diversus sit finis, quem sibi Christiani in iis ritibus proponunt, evidens est identitatem rituum, si quæ sit, nullâ ratione Catholicorum cultui derogare. Sanè Middletonius cum Spencero censet Judaicos ritus longè ante ab Ægyptiis fuisse usurpatos, atque à Moyse, Deo jubente, fuisse adoptatos (1). In hâc hypothesi cultus

(1) Joan. Spencerus de Legibus Hebræorum ritualibus, edit. 3, Lips. 1705, libro 3, quem dissertationibus octo satis prolixis absolvit ad evincendum ritus et mores gentium in legem fuisse translatos, item sacrificia, purificatio-

prædilecti populi Dei, juxta principia quæ adversarii adversùs Catholicos urgent, fuisset impurus, superstitiosus ac sacrilegus, quod tamen negant. Ex confessione præterea ipsius Gibbonii, satius fuisset indulgere victoribus christianis, ut per sacros ritus sufficienter purificatis profanorum templorum parietibus, cultus veri Dei expiaret vetus idololatriæ crimen, quâ ratione servata fuissent insignia illa antiquitatis monumenta, quod reipsà pluribus templis factum est (1). Jam verò quod in templis, in multis pariter gentilium superstitionibus contigit, inquit card. Baronius (2), ut earum usus sacris ritibus expiatus et sacrosanctus redditus in Dei ecclesiam laudabiliter introductus sit. « Deus enim, appositè inquit « S. Joan. Chrysostomus ob deceptorum salu- « tem se coli passus est per ea, per quæ dæ- « mones illi ante coluerant, aliquantò in melius « inflectens, ut eos paulatim à consuetudine « reduceret, et ad altiorem philosophiam per- « duceret (3). » Quare Beausobrii, Middleto-

nes, neomenias, arcam et cherubim, templum, urim et thummim, hircum demùm emissarium. Hoc porrò constituto, illud validissimum in rem nostram conficimus argumentum : Vel Spencerus opere suo propositum quod sibi præstituit, assecutus est, ostendendo rituum Mosaicorum et Ægyptiacorum identitatem vel non. Si primum dicas, ergo, infero, identitas rituum paganorum cum ritibus à Deo probatis, imò et adscitis, non officit Religionis sanctitati, ita ut tanquàm superstitiosa hæc haberi possit; sin alterum affirmes, ergo : similitudo quæ intercedit inter ritus profanos et sacros tanta esse potest ut identici videantur, quin tamen inferri possit alios ab aliis depromptos fuisse aut derivatos; neque similitudo, aut etiam identitas materialis rituum ullam arguit inter ipsos necessitudinem, ut propterea ritus, quos usurpat Ecclesia catholica in sanctorum cultu, accusari queant superstitionis aut idololatriæ. Quòcumque se vertant adversarii, hùc demùm deveniendum est. Perperam igitur Beausobrius et Middletonius cum gregariis auctoribus qui eos secuti sunt, allaborârunt in parallelismo instituendo inter ritus paganos et ritus catholicos, ut hos insimulent superstitionis et idololatriæ reos.

(1) Romæ reipsà potissimùm servata sunt ethnicorum templa eâ ratione expiata, inter quæ eminet Pantheon. Sed consulendus de hoc argumento Jo. Marangoni Op. cit. *Delle cose gentilesche*, etc., capp. 43, 44, 51, 52, 53, 54, 55, ubi innumera ferè recenset. Vide etiam D'Agincourt op. cit. tomo II, p. 53, seqq.

(2) In Not. ad Martyr. Rom. die 2 febr. Vide eumdem in Annal. ecclesiast. ad an. 45, n. 23, seq.

(3) Vide eruditam Dissert. P. Fassini. *De veterum quorumdam Christianorum nominibus.* Venet. 1772; vid. etiam Muratorii Dissert. 18. de *Veterum christianorum sepulcris*, tom. 1 *Anec-*

nii, aliorumque qui eos exscripserunt, inopportuna eruditio est, siquidem invicta semper manet responsio Hieronymi ad eamdem Fausti ac Vigilantii expostulationem, quam denuò in nos intorquet Gibbonius : « Vertitis idola in martyres. Quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, et idcircò detestandum est; hoc fit martyribus, et idcircò recipiendum est. » Lib. cont. Vigilant. n. 8, opp. edit. Vallars. t. 2.

Hic porrò notandum est SS. Patres dùm adstruunt cultum sanctorum eorumque reliquiarum, sollicitè patefacere Christi fidelibus ingens discrimen, quod intercedit inter cultum quem Deo et cultum quem sanctis deferebant. Inter cæteros S. Augustinus ut refelleret Faustum, qui immeritò idololatriæ Catholicos insimulabat eò quòd sanctos eorumque exuvias magnifico rituum apparatu colerent, in medium affert argumentum ineluctabile petitum ex sacrificio, quod semper spectatum fui universali omnium consensu tanquàm nota specifica ad recognoscendam et colendam divinitatem. Affirmat propterea S. Doctor à Christianis sacrificium soli Deo offerri, nunquàm autem sanctis. Libro siquidem 28 cont. Faust. c. 21, fidenter interrogat : « Quis « enim antistitum in locis sanctorum cor- « porum assistens altari, aliquando dixit : *Of-* « *ferimus tibi, Petre aut Paule aut Cypriane?* « Sed quod offertur, offertur *Deo*, qui mar- « tyres coronavit; ut ex ipsorum locorum « admonitione major affectus exsurgat ad « acuendam charitatem et in illos quos imitari « possumus. Colimus ergo martyres eo cultu « dilectionis et societatis, quo et in hâc vitâ co- « luntur sancti homines Dei..., sed illos tantò « *devotiùs* quantò *securiùs* post superata cer- « tamina. »

Cùm Beausobrius hoc se argumento premi persentiret, nullam aliam evadendi viam invenit, quàm inficiandi ætate S. Augustini panis et vini eucharistici oblationem velut sacrificium creditam fuisse. Ast in hâc hypothesi S. Doctor responsum dedisset Fausto sensu communi destitutum. Vide Murator. de Rebus liturgicis cap. 16 et seqq., ubi luculenter ostendit adversùs Basnagium perpetuum utriusque Ecclesiæ orientalis et occidentalis consensum in profitendo dogmate de veritate sacrificii in

dot. p. 185, seqq. et Saxium in Diss. de SS. Gervasii et Protasii corporibus.

Eucharistiæ oblatione. Extat hæc Dissertatio in op. cit. vol. 1. Vide etiam Dissertat. 3 Touttei de doctrinâ S. Cyrilli Hierosolymit. cap. 12.

Jam verò, juxta Beausobrium, « les idées de « S. Augustin sur le culte des martyrs..... « sont assez pures (Hist. etc. tom. 2, p. 681), « mais nous nous tromperions infiniment, si « nous jugions par-là des idées, et de la prati- « que des peuples. Il en était du christianisme « de S. Augustin, comparé à celui des peuples, « comme du paganisme des philosophes com- « paré de même à celui des peuples. » Id est, nos falleremur existimantes omnes Christianos IV et V sæculi fuisse totidem Augustinos in theologiæ doctrinâ et peritiâ, aut inter hæreticos vel etiam nonnullos inter Catholicos non extitisse, « qui luxuriosissimè super mortuos bibe- « rent. » (Aug. de Mor. eccl. c. 30), verissimum est. Ast quòd pastorum et populorum cœtus non haberet ideas satis puras circa cultum MM. eorumque reliquiarum, hoc constanter negamus, neque unquàm aut Beausobrius aut Gibbonius contrarium evincent. S. Augustinus non de se solùm, sed in genere dicit, *quis antistitum*, etc., et alloquens gregem suum, *quando audîstis ?.... nunquàm audîstis, non fit, non licet* (serm. 101 de divers. c. 7). Quid porrò commune habent pauci otiosi philosophi sine missione, sine auctoritate, sine populis sibi commissis, patriâ et ætate inter se remotissimis cum prodigioso doctorum et pastorum numero Ecclesiæ catholicæ, ut conferri inter se possint?

III. Obj. : 1° Superstitiosum est mortuorum ossa et cineres venerari, in quibus nulla est excellentia, etsi veræ omnes ac genuinæ sanctorum, quæ circumferuntur, reliquiæ supponerentur; 2° sed quot suppositiliæ! 3° Quotnam abusus in earum cultum irrepsêre? Ergo.

Respondeo ad primum : Distinguo : Non habent mortuorum ossa ac cineres excellentiam ob quam per se et cultu absoluto colantur, concedo; ob quam colantur cultu relativo, nego. Habent enim sanctorum exuviæ excellentiam relativam, quia, ut superiùs innuimus, fuerunt corpora eorum, qui viva Christi membra extiterunt et Spiritûs sancti templa, quique nunc jam beatâ immortalitate potiti cum Christo regnant; propterea et ipsæ aliquando ad æternam vitam excitandæ sunt et glorificandæ. Hinc fit, ut quemadmodùm absque stultitiæ labe uti chara pignora habemus res eorum, quos vel absentes vel extinctos adhuc diligimus, ita absque labe superstitionis honore prosequamur, seu cultu relativo veneremur eorum corpora, quorum præclara gesta suspicimus et gloriæ gratulamur.

Ad secundum : Aliquot martyrum aut sanctorum reliquiæ vel dubiæ, vel suppositiliæ sunt, tribuo; omnes, aut quot saltem adversarii fingunt, nego. Hoc verò satis est. Hæc porrò difficultas non attingit cultum ipsum, quem adstruimus, sed praxim. Ecclesia autem semper sollicita fuit in veris à dubiis ac falsis reliquiis secernendis. Tridentina synodus decrevit non « esse novas reliquias recipiendas nisi reco- « gnoscente et approbante episcopo, » et quidem cum iis cautionibus quas sapienter præscribit sect. 25. Impossibile porrò est omnes omninò fraudes quæ irrepere possent præcavere. Cæterùm cùm hic cultus totus relativus sit, ut sæpiùs monuimus, nullum detrimentum aut fidelium pietas aut religio capere possunt. Appositè Leibnitzius : « Quoniam, inquit, pii « tantùm affectûs res est, nihil refert, etiamsi « fortè contingeret reliquias, quæ pro veris « habentur, suppositilias esse (1). » Atque hoc quidem in hypothesi adversariorum; cæterùm tot falsæ non habentur, quot ipsi comminiscuntur. Vide in hanc rem Dissertazioni del P. Anton Maria Lupi poste in luce da Franc. Antonio Zaccaria Faenza 1785, tomo 1, Diss. 1, ubi § 125, seqq., præclarè et eruditè ostendit falsum esse quod à Borneto aliisque cum eo scriptum est in locis subterraneis (vulgò *catacombe*) sepultos fuisse paganos; neque confundi debere cœmiteria Christianorum cum *puticulis* ethnicorum Romanorum.

Ad tertium : Distinguo : Abusus irrepserunt ex parte privatorum et ideò tollendi ac corrigendi sunt, concedo; ex parte Ecclesiæ, nego. Religionis corruptelam quovis tempore Ecclesia detestata est et emendare curavit. Addo nihil esse quo interdùm homines abusi non sint aut saltem abuti nequeant. Stultum porrò consilium esset velle rem ipsam tollere ad abusus omnes præcavendos, qui vel humanâ imbecillitate, vel ex destinatâ malitiâ oriri possent.

CAPUT V.

De sacrarum imaginum usu ac veneratione.

Ex præscripto concilii Tridentini, imagines Christi, Deiparæ Virginis et aliorum sanctorum in templis præsertim habendæ ac reti-

(1) Syst. theol. pag. 198. Et hinc ruunt omnes declamationes nonnullorum Protestantium, præsertim verò Breckenridge in cit controversiâ.

nendæ sunt, eisque debitus honor et veneratio impertienda : « Non quòd credatur inesse ali-
« qua in iis divinitas vel virtus, propter quam
« sint colendæ; vel quòd ab eis sit aliquid pe-
« tendum; vel quòd fiducia in imaginibus sit
« figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ
« in idolis spem suam collocabant, sed quo-
« niam honos qui eis exhibetur refertur ad
« prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut per
« imagines, quas osculamur et coram quibus
« caput aperimus et procumbimus, Christum
« adoremus, et sanctos, quorum illæ simili-
« tudinem gerunt, veneremur, » sess. 25. Quoniam verò ex sacrarum imaginum hostibus alii usum ipsum imaginum insectantes eas destruebant et *Iconoclastæ* propterea nuncupati sunt; alii verò illarum usum admittentes ad templorum ornatum et decorem vel historiam, cultum tantùm ac venerationem impugnant, quique *iconomachi* vocantur, cujusmodi sunt recentiores Protestantes, idcircò adversùs utrosque doctrinæ catholicæ vindicias sumere debemus. Ne tamen dicendorum copia confusionem ingerat, in duas propositiones rem totam dispertiemur, in quarum alterâ ex Scripturâ, in alterâ verò ex traditione probationes catholici dogmatis promemus.

PROPOSITIO I. — *Sacrarum imaginum usum ac venerationem licitam ac piam esse sacræ litteræ ostendunt.*

Ac primò quidem ad sacrarum imaginum usum quod attinet, illum Dei ipsius mandato in veteri Testamento obtinuisse constat ex iis quæ Exod. 25, 18, 19, leguntur, cùm scilicet Deus jussit duos extrui aureos Cherubim ex utrâque tabernaculi parte et super arcam testimonii, dicens : *Duos quoque Cherubim aureos et productiles facies, ex utrâque parte oraculi. Cherubim unus sit in latere uno, et alter in altero.* Sic Num. 21, 8, mandavit Dominus Moysi ut faceret serpentem æneum ac poneret *eum pro signo; qui percussus aspexerit eum, vivet*, ut ibidem legitur. At verò serpentem æneum Christi in crucem elati signum seu imaginem fuisse, declarat ipsemet Salvator noster Joan. 3, 14, dicens : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Porrò si licitus ac salutaris fuit veteris figuræ usus, quæ futuram Christi passionem obumbrabat, cur noxius erit et illicitus usus imaginis Christi in cruce passi ?

Non minùs luculenter eædem sacræ litteræ licitam ac piam evincunt earumdem imaginum venerationem. Arcam enim, quæ Dei præsentiæ symbolum præ se ferebat, maximâ veneratione prosecutos esse veteres Hebræos inter cætera Josue exemplum ostendit, qui, ut legitur Jos. 7, 6, *scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram arcâ Domini usque ad vesperam, tam ipse quàm omnes senes Israel.* Magno præterea apparatu ac religiosâ pompâ eamdem arcam à Davide publicâ ac solemni supplicatione translatam primùm è domo Abinadab, ac deinceps de domo Obededom in civitatem David exhibet liber 2 Reg. cap. 6. Quinimò ex Ps. 98, 5, patet cultum istum erga arcam Domini ex Dei ipsius mandato quodammodò profluxisse iis verbis : *Exaltate Dominum Deum nostrum et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. Scabelli* autem nomine arcam significari constat ex 1 Paral. 28, 2, ubi David de seipso dicebat : *Cogitavi ut ædificarem domum, in quâ requiesceret arca fœderis Domini, et scabellum pedum Dei nostri.* Vel itaque dicendum licitum ac pium, ideòque omni prorsùs idololatriâ ac superstitione immunem imaginum usum ac venerationem, vel idololatriam ac superstitionem à Deo ipso præscriptam et commendatam fuisse; quòd si postremum hoc absurdum ac impium cogitatu est, immeritò ac per summam calumniam ichonomachi protestantes ineptis obtrectationibus quotidiè Catholicis insultant, eosque traducunt tanquàm totidem idololatras ac superstitiosos, eò quòd imaginibus Christi, Deiparæ cæterorumque sanctorum honorem illum deferunt, quem Deus ipse quoad arcam et propitiatorium et verbis et factis in sacris litteris commendavit (1). Constat igitur ex dictis sacrarum imaginum usum et venerationem licitam ac piam sacras litteras perhibere; quod primum nobis ostendere propositum erat.

Difficultates.

Obj. : 1° Deus, Exod. 20, 4, seqq., omnem imaginum usum et cultum apertè prohibuit,

(1) Dolendum planè est ætate hâc nostrâ, in tantâ nempe bonarum artium, scientiarum, ac omnigenæ eruditionis copiâ, quam extollunt præsertim Protestantes, inveniri adhuc qui obsoletas nænias refricent de idololatriâ in cultu catholico, prout factum vidimus à ministris Gevenensibus in « Catéchisme sur les principales controverses que nous avons avec l'Eglise Romaine. » 1821. Multò verò magis mirum esse debet hæc obtrudi ab hominibus qui rejiciunt mysteria omnia Trinitatis, Incarnationis, divinitatis Christi Domini, peccati originalis, seu ab iis, qui purum deismum ac rationalismum profitentur.

dicens : *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terrâ deorsùm, nec eorum quæ sunt in aquis sub terrâ. Non adorabis ea neque coles.* Ergo tam usus, quàm cultus sacrarum imaginum divinæ legi adversantur. 2° Sanè si consuetudo est optima legum interpres, cùm synagoga ac veteres Judæorum doctores vi istius præcepti omnem rejecerint cujuscumque imaginis usum ac venerationem, nulla superesse potest dubitatio de sensu hujus primi Decalogi præcepti. 3° Ac reipsà hoc sensu mandatum istud Patres omnes priorum seculorum interpretati sunt, ut Clemens Alex., lib. 5 Stromat. ; Tertullianus lib. de Spectac. c. 13, et lib. de Idololat. c. 3. ; Justinus in Dialog. cum Tryphone ; Origenes lib. 4 cont. Celsum. Horum singulorum testimonia à Dallæo post alios plures objecta confer apud Nat. Alex. diss. 5 in sec. VIII, tum apud Petav. lib. 15 de Incarn. c. 6. 4° Præsertim cùm imaginibus ac simulacris Christianorum ea omnia aptari possint, quæ paganorum idolis cum prophetis Patres citati exprobrabant, quòd scilicet eâ dem materiâ constarent ac vascula communia, quòd insensibilia ac irrationabilia essent; quòd denique super illis mures, hirundines, araneæ jocarentur et nidificarent. Ergo.

Resp. 1° : Ergo Protestantes, qui saltem sacrarum imaginum ac simulacrorum usum admittunt, infractores sunt primi Decalogi præcepti ; adductæ enim probationes non minùs venerationem, quàm usum ipsum imaginum impetunt. Viderint ipsi quomodò sibi cohæreant.

Respondeo 2° ad primum : Distinguo : Prohibuit Deus omnem similitudinem et sculptile falsorum deorum, vel earum rerum, quæ pro Deo haberi possent, concedo; omnem omninò similitudinem ac effigiem absolutè, nego. Etenim id patet 1° ex contextu qui ita se habet : *Ego sum Dominus Deus tuus.... Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.... Non adorabis ea neque coles : ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me.* Evidens igitur est hìc non agi nisi de imaginibus atque sculptilibus deos falsos, astra, aut animalia referentibus, quæ tunc temporis ubique gentium ac in Ægypto, et à Zabiensis præsertim colebantur, ad quas idololatriæ species hic textus manifestè alludit (1). Ab his autem deterrere Deus populum suum volebat. Agitur propterea de cultu latriæ, et absoluto, qui nihil commune habet cum dogmate catholico de imaginibus Christi aut sanctorum, quæ coli non debent nisi cultu relativo.

Patet 2° ex eo quòd verba ista unum idemque mandatum constituant de uno Deo colendo, ad deorum, quicumque demùm ii fuerint, eorumque simulacrorum exclusionem ; alioquin non decem, sed undecim essent Decalogi præcepta. Vide Bellarm. lib. 2 de Beat. et Canonis. sanct. c. 7, n. 3, seqq. Petav. de Incarnat. lib. 15, c. 6, § 3, seq., ubi et illud probè notat non esse confundendam imaginem Εἰκόνα cum εἰδώλῳ, effigie rei non existentis. Cavendum propterea hìc à Roberto Stephano, Scapulâ, aliisque lexigraphis Protestantibus. Cæterùm, ut ad illud à quo discessimus, redeamus, ipsi Protestantes, saltem Lutherani, nobiscum consentiunt in partitione præcepto-

auctoritate Catholicorum, utpote suspectam rejicerent adversarii. Placet itaque eam communire auctoritate auctorum protestantium. Rosenmüller in Scholiis veteris Testamenti in h. l. sic scribit : « Hâc lege ostendere voluit « Deus Israelitis, se variarum religionum mix- « turam, et præter suum etiam aliorum deo- « rum cultum nullo modo probare. Erat enim « hæc vulgatissima illorum temporum super- « stitio, ut homines præter ejus terræ, quam « habitabant, Deum, etiam aliarum deos coli « posse ac debere putarent : » et in v. 4, ad illa verba : *Non facies tibi sculptile*, etc., rursùm scribit idem auctor. « Facilè intelligitur, « non omnes vetari imagines, ut quidam in- « terpretes voluerunt, sed tantùm imagines « tum ipsius Dei veri, tum aliorum deorum ; « erant enim in ipso templo imagines, e. c., « cheruborum. » Vide Michaelis Jus Mosaic. p. 5, § 250. Josephus Antiquit. lib. 3, c. 5, § 5 : *Secundum præceptum docet nullius animalis simulacrum adorandum* et sanè hoc versu præcipuè innui videtur animalium cultus inter Ægyptios usitatissimus. Triplicem, ut ita dicam, Ægyptiorum idololatriam paucis verbis complexus est Philo in libro de *Decalogo*, etc. Demùm in v. 5, *non adorabis ea*, etc., hæc habet : « Id est, nullo cultu eos afficies, ne « legi fraus fiat. Ut nullam omninò imaginem, « quæ coleretur, statui voluit Deus, ita non « modò inflexionem corporis, sed omnem il- « larum cultum vetuit : *Ego sum Jova, Deus « tuus, Deus perfidiæ in ipsum commissæ impa- « tiens.* Ut קנא de marito dicitur, qui rivalem « pati nequit, sic Deus socium in cultu, quem « ab hominibus postulat, ferre non potest. At- « que hoc ipsum hìc significare vult Israelitis; « neque enim se coli tantùm jubet, sed se so- « lum, negatque se passurum sibi alienos deos « conjungi, aut partem cultûs sibi soli exhi- « bendi *in ulla simulacra Deorum alienorum « transferri*, » vol. 2, Lips. 1822. Vide etiam Michaelis Jus Mosaicum p. 1, § 33.

(1) Si hanc expositionem confirmaremus

rum, ac tria priora ad primam tabulam referunt, septem posteriora ad secundam tabulam; quare et ipsi vers. 3, 5, pro uno eodemque præcepto habent.

Hinc ridendum se prodit procax Breckenridge, dùm in controversiâ quam habuit cum Huges, n. 4, pag. 35; et aliàs sæpè insimulat auctores Catechismi Romani, quòd suppresserint aliquot verba *secundi*, ut ipse cum suis *reformatis* vocat, præcepti, quo prohibentur imagines earumque cultus. In omnibus editionibus, quas ipse consulere potui, integra reperi ejusmodi verba. Cæterùm adeò puerilia hæc sunt, ut vix commemorari debeant. Effrons hic provocator seculo ad minus toto se à præsentis polemicæ statu dissitum ac non minùs catholicæ, quàm protestanticæ doctrinæ ignarum ostendit.

Patet 3° ex facto ipso: etenim si Deus quodcumque omninò sculptile, vel similitudinem aut imaginem fieri prohibuisset hoc præcepto, profectò neque arcam, neque cherubim aut æneum serpentem fabricari jussisset; multò minùs permisisset populum suum prosternere se coram arcâ, eamque in publicâ supplicatione deferre.

Ad secundum: Distinguo: Si reipsà de hâc consuetudine ac praxi non interruptâ constaret, esto; si non constat, imò contrarium documenta ipsa evincant, nego. Porrò certum est antiquiores Hebræos alio sensu verba Decalogi quæ objiciuntur, intellexisse, ac deduxisse in praxim. Si enim de usu imaginum sermo sit, luculentum exemplum occurrit 3 Reg. 6, 7, in eo quod fecit Salomon in templo Domini in quo extruxit cherubim, leones ac boves, palmas aliaque ornamenta. Deus autem non solùm non improbavit ejus agendi rationem, sed gloriâ ac majestate suâ templum implevit. Vide 2 Paralipom. 7, 1, seqq.; ex quo refellitur Josephus Flavius, qui lib. 8 Antiqq. violatæ legis Salomonem accusat, eò quòd in templo palmas, leones et boves collocari curaverit.

Si autem de veneratione loquamur, vidimus quâ ratione se gesserint Josue ac senes Israel, et David cum universo populo. Dixi *antiquiores* Hebræos; nam non abnuimus synagogam post reditum à captivitate Babylonicâ severiorem hâc in parte fuisse; verùm id non tam ex vi legis repeti debet, quàm ex peculiari sollicitudine quam habuit, ne populus in superstitionem delaberetur, quâ factum est, ut tum circa hunc articulum, tum circa alios non paucos, ad firmiorem legis custodiam constitutiones sanxerit, quas Rabbini vocant *sepem legis divinæ*. Quò refertur jussio illa, e. g., quâ præscribebatur, ut in flagellatione triginta novem tantùm ictus infligerentur. Vide Petav. de Incarn. lib. 15, c. 6, § 6, seqq. Non semper eadem Hebræis stetit sententia circa vim primi præcepti Decalogi, et circa imaginum usum. Seldenus in op. de Jure naturæ et gentium juxta leges Hebr. lib. 2, c. 6, ostendit Hebræos à primævâ severitate paululùm recessisse.

Ad tertium: Distinguo: Loquuntur citati Patres de ethnicorum idolis ac simulacris falsorum numinum, concedo; absolutè juxta sensum Catholicorum, nego. Ex toto enim contextu patet scriptores illos agere de idololatriâ quam impugnabant; ac proinde tum ex subjectâ materiâ, tum ex adversariorum indole, quos perstringebant, apertè colligitur, ipsos nec verbum habere, quod feriat catholicam doctrinam, prout magis etiam constabit ex inferiùs dicendis. Quòd si nonnulli inter ipsos visi sunt sensisse, per primum Decalogi præceptum omnem reipsà prohibitum fuisse imaginum usum, præterquàm quòd non sibi constiterunt (1), reponimus de imaginibus Dei locutos esse, prout censet Natalis Alexander, diss. 6 in sec. 8, § 1, 7, quod inverisimile non videtur pro illorum temporum peculiaribus adjunctis. Etenim cùm ethnici deorum suorum imaginibus fingendis assueti essent, Patres in alteram partem deflexerunt.

Ad quartum: Nego. Meritò Patres hæc urgebant adversùs ethnicos, qui vel idola totidem deos esse autumabant, vel saltem in illis divinam quamdam putabant inesse virtutem. Hæc enim omnia à Catholicorum fide toto cœlo distant, qui nullam intrinsecam excellentiam aut virtutem in imaginibus agnoscunt; alioquin hæc ipsa urgeri potuissent adversùs arcam, cherubim et æneum serpentem, siquidem super istis pariter mures et araneæ jocari poterant, et aves nidificare.

(1) Nam Tertullianus, qui in libro de Idololatr. c. 3, seq., autumaverat Deum in Decalogo omnem prorsùs imaginem, ac rei cujusque similitudinem fieri interdixisse in lib. 2 cont. Marcionem, cap. 22, ut se extricet à difficultate sibi propositâ, quòd Deus mandaverit, quod fieri interdixerat, respondet legem non in totum vetuisse fieri similitudinem aliquam, sed eam tantummodò, quæ ad hoc fieret, ut pro Deo coleretur. Idipsum dicatur de Clemente Alex. aliisque de quibus confer. Petav. loco citato.

PROPOSITIO II. — *Usus ac veneratio sacrarum imaginum ex traditione evincitur.*

Ac primò usum sacrarum imaginum tribus prioribus Ecclesiæ seculis obtinuisse, certa et antiquissima monumenta nullam jam dubitationem relinquunt. Post tot eruditorum labores, qui omnem impenderunt operam in christianis antiquitatibus inquirendis ac illustrandis, talem evidentiam historicam hoc argumentum adeptum est, ut contemni potiùs quàm refelli mereantur qui adhuc in ejus negatione insistunt. Cùm igitur vix non obruamur ejusmodi monumentorum copiâ, nobis satis erit hìc ea indicare, ne longiùs quàm par sit, in re non necessariâ, excurramus.

1° Penes archæologos compertum est primos Christianos consuevisse symbolis exprimere mysteria religionis imaginum ope. Sanè annulorum referentium imaginem piscis, vel columbæ, quibus christiani viri utebantur, meminit Clemens Alex., lib. 3 Pædag. c. 11, tom. 1, p. 289, edit. cit. (De pisce hæc habet P. Halloixius in illustrium seculi secundi script. vitis p. 143 : « Clemens agens de an- « nulis Christianorum obsignatoriis, suadet « inter alia, ut piscis figura in illis insculpa- « tur, non aliâ, opinor, de causâ, quàm ut « memores sint aquarum baptismi, in quibus « tanquàm pisciculi, vitam acceperint, in « Christo Jesu post veterem hominem renati. » Est etiam notissimum, ἰχθὺς symbolum olim christiani nominis fuisse, quòd istius litteræ essent initiales Ἰησοῦ Χριστοῦ Υἱοῦ Σωτῆρος. Conf. Tertull. de Baptismo c. 1. (Plura ejus rei monumenta proferunt Aringhius opere citato, præsertim toto lib. 3. Ac Buonarrotius, *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro,* Firenze 1716, qui præterea reliqua veterum testimonia collegerunt.

2° Symbola ista in lapidibus, lucernis, gemmis, picturis, sarcophagis occurrunt, in quibus etiam potiora veteris Testamenti facta expressa reperiuntur, quorum præcipua post Bosium et Aringhium collegit Mamachius, Origin. et Antiqq. christ., Romæ 1751, lib. 3, cap. 1, § 3, seqq. Ad novi autem Testamenti symbola quod spectat, illustria sunt ea quæ sæpè sæpiùs in cœmeteriis reperiuntur. Talia sunt Christi imago in monte consistentis, ex quo quatuor flumina originem habent, ejusdemque Salvatoris crucem aut virgam gestantis figuræ, quæ passim etiam in musivis operibus conspiciuntur, de quibus eruditè scripsit Bottarius, *Sculture e pitture sacre estratte dai cimeteri di Roma,* Romæ 1737, trib. vol. in-fol. Item imago Christi sub figurâ boni pastoris vel pascentis vel succollantis ovem in vitris, in lucernis, in sarcophagis, in parietibus, in gemmis, in calicibus passim reperitur; plura hujus symboli monumenta proferunt præter laudatos scriptores Boldettus, Casalius atque Ciampinius, Boldetti oper. cit. lib. 2, cap. 11, seqq.; Casalius de veteribus christian. Ritibus, Romæ 1647; Ciampini vetera monimenta, Romæ 1690, p. 1, cap. 17, seq. Hujus præterea consuetudinis meminit Tertullianus, qui in lib. de Pudicitiâ c. 7, scribit : « Procedant ipsæ picturæ calicum « vestrorum, si vel in illis perlucebit inter- « pretatio pecudis illius; » et iterùm ibid. c. 10 : « Si fortè patrocinabitur pastor, quem « in calice depingis. »

3° Ad hæc accedunt vetusta monumenta de aliis symbolis, quibus Christum, resque ab eo gestas prisci Christi fideles expresserunt, ac B. Virginem, angelos, sanctos referunt, necnon figuras animalium, plantarum, domorum, navis, anchoræ, doliorum, aliarumque ejusmodi rerum, de quibus præter citatos auctores fusè scripserunt Blanchinius, in eruditis notis in Prolegomena ad vitas RR. PP. Anastasii Bibliothecarii, 1723, tom. 2, cap. 4, tum ibid. opusc. 16, et alibi passim; tum vol. 3, proleg. opusc. 2; et Fabrettus, Inscription. antiquar., Romæ 1699, cap. 8, pag. 545, seqq. et Fogginius, de Romano D. Petri Itinere et Apostolatu, Florent. 1741, exercitat. 20, pag. 453, seqq. et Marangonus *delle cose gentilesche,* etc., cap. 72, aliique archæologi sacri, quos congessit magno numero Mamachius op. cit. lib. 3, § 20, seqq., et quibus sese adjecerunt qui non ita pridem de pingendi aut sculpendi arte juxta antiqua monumenta scripserunt. D'Agincourt op. cit. *Storia dell' arte,* vol. 4, pag. 69, seqq., plures imagines commemorat à se repertas in subterraneis Rom. elaboratas jam à tempore primæ persecutionis. Ex harum imaginum stylo quem contulit cum imaginibus à se pariter repertis in sepulcro familiæ Nasoniorum, nempe Ovidii, extra portam Pinciam, collegit eas spectare ad sec. 2 æræ christianæ. Ex quo duo inferimus, 1° usum imaginum jam à primo et secundo seculo in Ecclesiâ viguisse, ideòque non à Basilidianis aut Gnosticis hunc usum Ecclesiam mutuatam esse, ut nonnulli recentiores Protestantes inscitè autumârunt,

sed cum ipsâ cœpisse ; 2° cultum imaginum, ut animadvertit idem auctor, ab interitu liberâsse artes sculpturæ atque picturæ, quarum Protestantes nunc studiosissimi sunt. Sanè Roma bonarum artium semper extitit domicilium. Sic etiam Winckelmann, de quo postea. Exploratum est igitur, receptissimum penes Christianos fuisse imaginum usum tribus prioribus Ecclesiæ seculis.

Ex hoc porrò imaginum usu, quem obtinuisse ostendimus ab ipsis Ecclesiæ primordiis, facilè colligimus earum pariter viguisse in Ecclesiâ veneralionem. Etenim cùm imaginum veneratio relativa sit ad venerationem prototyporum, eo ipso quòd Christiani Christum ac sanctos venerarentur, ut ex demonstratis constat, in veneratione pariter habuerunt eorum imagines. Adeò enim hæc inter se connexa sunt, ut unum sine altero vix aut ne vix quidem subsistere possit, quod vel ex ipsâ Protestantium agendi ratione patet, qui cùm vellent imaginum venerationem tollere, cultum ipsum sanctorum abstulerunt.

Sed non desunt documenta positiva, quæ ostendant tribus prioribus Ecclesiæ seculis imaginum venerationem viguisse. Constat enim ethnicos passim accusâsse Christianos quòd cruces adorarent, quasi in illis (juxta ipsorum principia), divinitas quædam lateret. Sic enim loquitur Cæcilius ethnicus apud Minucium Felicem in Octavio : « Et qui hominem summo supplicio pro facinore punitum, et crucis ligna feralia eorum cæremonias fabulatur, congruentia perditis scelératisque tribuit altaria, ut id colant quod merentur ; » Biblioth. PP. § 9, edit. Ven. tom. 2, pag. 386; et iterùm : « Ecce vobis minæ, supplicia, tormenta, etiam *non adorandæ*, sed subeundæ cruces, » ibid. § 12, p. 387. Id ipsum postea objecit Julianus apud S. Cyrillum, lib. 6 contra eumdem, dicens : « Crucis lignum adoratis, ejusque signa in fronte formatis, et postibus ædium insculpitis; » item Celsus apud Originem lib. 2, n. 47, ex quo insuper patet ethnicos existimâsse, omnes crucifixos à Christianis coli, ut annotant Maurini editores in hoc loco. Evidens proinde est jam ab ipso Ecclesiæ initio coli à Christianis cruces consuevisse, quæ res cùm in ethnicorum pervenisset notitiam, effecit, ut ii cruces in deorum numero à Christianis haberi contenderent.

Quod de cruce dictum est, de cæteris imaginibus dici debet, quas in veneratione veteres Christianos habuisse, præter ea quæ in medium allata sunt, satis apertè evincit usus eas servandi in ecclesiis, seu cubiculis in cœmeteriis positis. In cœmeterio enim Prætextati adhuc vetus cubiculum ubi mysteria celebrabantur, visitur pictum, in cujus fornice eminet imago Salvatoris ; eadem pariter occurrunt in cœmetériis Callixti, S. Agnetis, Priscillæ, ac sanctorum Petri et Marcellini in viâ Lavicanâ. Præterea id ipsum evincunt vitra, in quibus jam à sec. 3 exhibetur B. Virgo cum puero Jesu *nimbis*, seu aureolis et coronis redimita; his siquidem honor seu cultus significatur, quo B. Virginem in imaginibus ejus primi Christiani prosequebantur. Ant. Maria Lupi S. J., op. cit., tom. 1, dissert. 8, pag. 242, seqq., describit vitrum repertum in cœmeterio Callixti sanguine adhuc adspersum, in quo exhibetur B. Virgo in throno sedens elevato, ac super genibus tenens infantulum Jesum. Infantulo Jesu adstat diaconus cum flabello. Porrò tum infantis Jesu, tum B. Virginis caput nimbo, seu aureolâ circumdatum est, quo quidem signo usi primi Christiani sunt ad significandam venerationem peculiarem erga Christum Jesum ejusque matrem. Nimbus enim usurpabatur ab ethnicis ad numina sua condecoranda : deinceps verò imperatorum imaginibus apponebatur post ipsorum apotheosim. De imaginibus, quæ capita radiatis orbiculis, lunulis, vel corollis prædita exhibent, præter Joan. Nicolai in diss. de *Nimbis*, fusè et eruditè egerunt Buonarruoti *Osserv. sopra i frammenti di vetri*, pag. 65, seqq. et Ciampinius, *vetera Monimenta*, c. 14. Jam verò ostendit Lupius hoc vitrum referri non posse nisi ad epocham persecutionibus Diocletiani, imò et Decii ac Valeriani anteriorem. Plura alia vitra exhibentia imagines Salvatoris, et sanctorum nimbis in capite ornatas, conf. apud Boldetti lib. 1, cap. 39. Ex his igitur aliisque non paucis ejusmodi monumentis, quæ afferri possent, luculentissimè constat tum usum, tum venerationem seu cultum sacrarum imaginum antiquissimum esse, atque ab ipsis apostolicis temporibus ad Ecclesiam pervenisse.

Sed demùm ipsa natura rei ad hanc admittendam sacrarum imaginum venerationem quodammodò nos ducit, imò et impellit. Fieri enim nequit, pro diversâ ratione quâ erga aliquem affecti sumus, amore scilicet aut odio, existimatione aut contemptu, quin

lisdem animi sensibus feramur erga imagines aut simulacra quæ prototypum referunt. Hinc receptum est, ut cùm nostrum erga quempiam amorem aut odium patefacere volumus, honoremus aut destruamus illius imagines ac simulacra, quod ex quotidiano experimento fieri comperimus. Quare, si ipsis fatentibus adversariis, principum aut doctorum virorum, et eorum qui benè de patriâ meriti sunt, ob civile, litterarium, aut naturale ac morale aliquod motivum imagines ac simulacra civiliter honorare possumus, cur Christi et sanctorum imagines ob motivum religiosum religiosè venerari et hanc venerationem externis signis ostendere non poterimus? Militat autem peculiaris ratio pro hâc religiosâ veneratione; siquidem nos, utpote sensibus prædìti, ita à naturâ comparati sumus, ut imaginibus, quæ sub sensus cadunt, magis permoveamur ad excitandos in nobis devotionis seu pietatis sensus eosque fovendos. Quemadmodùm enim turpibus imaginibus mali in nobis affectus excitantur, sic ex conspectu imaginum Christi, Deiparæ aut Sanctorum, magis incalescunt pii animi motus. Velle propterea omnes sacras imagines removere, aut iis debitam abolere venerationem, perinde esset ac igni sacro fomentum subducere et prorsùs extinguere.

Ad præcavendas verò difficultates, præstat animadvertere cum Petavio 1° imagines ad Religionis essentiam minimè pertinere, sed ex eorum per se genere esse, quæ ad salutem absolutè necessaria non sunt, ac propterea in potestate esse Ecclesiæ, ut ea vel adhibeat vel ableget, pro eo atque satius esse existimaverit, cujusmodi ea sunt quæ *positivi* vulgò *juris* dicuntur. Hinc pro locorum, temporum ac personarum adjunctis interdùm adscitas, interdùm verò ablegatas imagines ab antiquis videmus. 2° Quod diximus de imaginibus in se spectatis et earum veneratione, de ritu seu exterioribus hujus venerationis significationibus, pari ratione dicendum esse, cùm hæ ad disciplinam spectent, ac subsint Ecclesiæ regimini, quæ eas moderari potest prout magis expedire judicaverit (1). Sanè comperimus aliis temporibus Ecclesiam aliquid indulsisse quod aliis vetuerat, cùm res tamen in se salva semper consistat.

Difficultates

I. Obj.: 1° Veteres Patres ethnicis exprobrant simulacrorum cultum; ergo hæc non colebantur à Christianis; alioquin facile ethnicis fuisset hæc ipsa intorquere in Christianos. 2° Adde ethnicos crimini vertisse Christianis quòd ipsi « nulla haberent nota simulacra, » apud Minucium in Octavio; eadem objiciebat Celsus apud Origenem lib. 3, n. 17. 3° Neque id christianos apologetas inficiatos esse, qui 4° profitebantur se nec crucem quidem colere, neque aliud quodcumque simulacrum; hinc est 5° quòd quatuor prioribus seculis in veterum ecclesiarum instrumentis et sacræ supellectilis recensionibus nullæ prorsùs imagines occurrant. Ita Dallæus lib. de Imagin.; vide apud Nat. Alex. Dissert. 6, in sec. 8. Ergo.

Resp. ad primum: Distinguo consequens: Non colebantur à Christianis simulacra seu potiùs imagines(1) eo cultûs genere et eâ ratione

« son esprit particulier; car, depuis ce temps-« là rien n'a été plus catholique, que la cou-« tume de couronner les images. » Conf. quæ in hunc concilii locum adnotat Christianus Lupus dissert. de septimâ synodo, actione 5, ubi inter cætera scribit: « Paganismi extinc-« tio abstulit offensionem et scandalum, at-« que ita coronandi ritus ex impio et gentili « factus est pius, religiosus, christianus. » Operum edit. Venet. 1724, fol. tom. 3, pag. 243. Addo, hìc non agi de definitione concilii, sed de verbis prolatis à solo Joanne monacho. Ita Beausobre abutitur bonâ lectorum fide.

(1) Etsi ad rem ipsam quod attinet, perinde sit imagines ac simulacra habere et venerari, attamen permisceri inter se hæc nequeunt. Usus enim sacrarum imaginum receptissimus, ut vidimus, à primordiis Religionis christianæ fuit, simulacrorum autem rarissimus extitit, ita ut vix de iis documenta inveniamus. Meminit quidem Eusebius Hist. Ecc. lib. 7, c. 18, statuæ quam Christo Domino apud Paneadem erexerat mulier illa quæ sanata est à sanguinis fluxu; attamen rarior fuit earum usus in ecclesiis. Hinc Græci vix in suis templis statuas habent, contra verò imaginum usus et cultus perinde apud ipsos est ac apud Latinos. Quare mirum esse non debet, si videamus ab ethnicis exprobrari Christianis, quòd non haberent *simulacra*, Christianos verò id non inficiari; ast de imaginibus nec verbum occurrit. Cæterùm clarissimus Winckelmann *Storia dell' arte presso gli antichi*, Prato 1832, tomo 3, c. 2, § 25, commendat statuam marmoream S. Hyppoliti M. sedentis, quæ in Bibl. ad Vat. reperitur. Putat eam jam à

(1) Quæ si attendisset Beausobre, minimè ei excidissent quæ habet lib. 2 Hist. cit., cap. 4, § 6, ubi, relatis verbis ex concilio Nicæn. II: *Inducit* (Leucus Carinus) *Lycomedem coronantem imaginem Apostoli, quemadmodùm Græci sua idola;* subdit: « Et, si cela est « vrai, il faut que le Saint-Esprit ait aban-« donné dans cet endroit le sacré concile à

quâ ab ethnicis colebantur, concedo. Nullâ ratione colebantur, subdistinguo : In nonnullis provinciis, tribuo; nullibi, nego. Veneratio enim seu cultus sacrarum imaginum penes Christianos nullus censeri potest, si conferatur cum eo cultu quo ethnici idola sua prosequebantur. Ethnici enim simulacra sua cultu absoluto ac supremo, et ingenti apparatu adorabant; Christiani autem, illâ præsertim ætate ne imitari viderentur gentiles, alieni omninò erant ab exteriori illâ pompâ ac ritu. Imagines enim non habebant nisi ut sibi referrent prototypa ad quæ cultum suum referebant, et quidem in ordine ad Deum. Constituto siquidem monotheismo tanquàm basi totius Religionis, reliqua non erant nisi adminicula, quibus nonnisi parcè, spectatis rerum adjunctis, utebantur; quandoque etiam nullo modo, ne criminationibus locum darent, aut periculo objicerentur relabendi in superstitionem, à quâ vix emerserant per ethnicismi abjurationem. Vide Petavium loco cit. Quapropter ethnici in Christianos intorquere non poterant, quæ isti illis exprobrabant in simulacrorum cultu.

Ad secundum : Distinguo : Quæ scilicet ipsis innotescerent, concedo; quasi nulla Christiani haberent, nego. Vidimus enim Christianos in cryptis, in cœmeteriis, in ædiculis imagines servâsse, ac plurimùm cavisse ne in ethnicorum notitiam venirent. Cæcilius propterea quærit ab Octavio cur Christiani « occultare et abscondere quidquid illud co- « lunt, magnoperè nituntur; cùm honesta « semper publico gaudeant, scelera secreta « sint. »

Addo non magis urgere ejusmodi expostulationem usum imaginum, quàm altarium et templorum; etenim sic loquitur Cæcilius, l. c.: « Cur nullas aras habent? Templa nulla? « Nulla nota simulacra? » Quod tamen adversarii non contendunt.

Ad tertium : Distinguo : Eâdem ratione quâ inficiati haud sunt se non habere altaria et templa, concedo; aliâ ratione aut sensu, nego. Certo enim certius est primos fideles et ædes sacras et altaria habuisse, ut innumera illius ætatis documenta testantur (1); attamen cùm ad mentem ethnicorum responderent apologetæ, nec vellent res christianas ipsis prodere, ideò non negabant quod ipsis ab ethnicis opponebatur. Porrò quod dictum est de altaribus et ædibus sacris, idem dicendum de imaginibus, quandoquidem eâdem ratione circa istas sese gesserunt, cùm certum pariter sit ex adductis documentis eas Christianos habuisse, et quidem in ipsis locis sacris, uti ostendimus.

Ad quartum : Distinguo : Profitebantur se neque crucem, neque aliud quodcumque colere simulacrum in sensu adversariorum, concedo; ratione nullâ, nego. Liquet enim ex contextu, se eo tantùm sensu affirmâsse non colere cruces, quasi deos aut divinitatis partes eas esse existimarent. En verba Octavii apud Minucium Felicem : « Cruces, inquit, nec « colimus nec optamus. Vos planè, qui ligneos « deos consecratis, cruces ligneas, ut deorum « vestrorum partes forsitan adoratis » (1). Ita-

tempore Alexandri Severi imperatoris fuisse elaboratam. De hâc loquitur pariter Vignoli. Blanchinius autem ejus effigiem exhibet in edit. Anastasii cit., tomo 2, p. 159, seqq.

(1) Vide Ciampini *Vetera monimenta*, qui catalogum exhibet ecclesiarum, quæ vigente adhuc persecutione erectæ sunt toto cap. 18. Fatcor non omnia quæ hic auctor profert ad

critices severioris amussim redacta esse; attamen nonnulla videntur satis firmata. Verùm hoc elencho dimisso, utpote minùs tuto, certo certius est primis seculis ante ipsam persecutionem Diocletiani, Christianos ubique terrarum sacras ædes, seu ecclesias habuisse. Origenes, tract. 28 in Matth. n. 38, testatur ætate suâ *ecclesius incensas esse* à persecutoribus. Item Hom. 10, n. 3, in Jesu Nave loquitur de *ornatu ecclesiarum* et *altarium*. Ecclesiarum pariter meminit Hom. 11 in Numeros. Arnobius lib. 4 adv. gentes circa finem conqueritur *immaniter dirui* ab ethnicis *conventicula, in quibus summus oratur Deus*. Lactantius lib. 5, n. 2, refert diruium templum Dei, quod Nicomediæ erat; ibid. n. 11, loquitur de Ecclesiâ in urbe Phrygiæ ab ethnicis jussu præsidis combustâ. Idem in libro de Mortibus persecutorum, eversas in orbe christiano ecclesias uberiùs commemorat. Eusebius item Hist. Ecc. lib. 8, c. 13, et Lactantius iterùm lib. cit. de Mort. persec., c. 13, apertè tradunt in Galliis ante Diocletiani persecutionem ecclesias extitisse. Optatus Milev. lib. 2 pag. 42, *quadraginta basilicas* commemorat, quæ Romæ visebantur ante eamdem persecutionem; meminit ecclesiarum pariter, quæ per id temporis fuerunt in Africâ. Vopiscus in Vitâ Aureliani epistolam hujus imperatoris exhibet, in quâ mentio fit ecclesiæ Christianorum; et hæc satis sint, ne ea proferam, quæ ex Tertulliano produci possent de Idol. c. 7, et Adv. Valent. cap. 2, et ex Cypriano, qui epist. 55, al. 59, ad Cornel., opponit ecclesiam Capitolio, et altare Domini aris idolorum. Vide edit. Maur. Origenis in not. ad lib. 8, cont. Celsum. n. 17. Nardini Roma ant. lib. 8, c. 11, reg. 14, pag. 415; præterea ostendit Christianos vel ante Alexandri Severi ætatem ecclesias, sive publica templa Romæ habuisse.

(1) § 29. Vide in hunc locum adnotationem Gallandii. Vide etiam Diar. erudit. Ital

que hoc unum negat Octavius, colì nempe à Christianis cruces, quâ ratione coli ab ethnicis idola solebant, alia non negat, sed silentio præterit. Idipsum patet ex contextu Apologetici Tertulliani, ubi irridet gentiles, qui rudem palum informemque lignum deam, scilicet Palladem Atticam, aut Farream Cererem esse dicebant, Deique propterea loco habebant: « Nos, ait ipse, si fortè, integrum et totum « Deum colimus » (1); perinde ac si diceret: Si crucem, ut vos asseritis, velut Deum colemus, quod falsum est, non palum rudem (cujusmodi Pallas Attica erat aut Ceres Farrea), qui pars crucis sit, sed integram crucem, atque adeò integrum Deum adoraremus.

Ad quintum: Distinguo: In illis peculiaribus ecclesiis quarum supellectilis recensio conservata est, tribuo; in nullis omninò, nego. Nam hæc assertio est contra factum luculentissimè demonstratum. Fieri proinde potuit, ut in illis provinciis, in quibus ecclesiæ illæ constitutæ erant, ita exposcentibus rerum adjunctis, nondùm introductus esset usus collocandi imagines in templis, prout et in aliis provinciis contigisse videbimus. Recolantur quæ sub finem propositionis adnotavimus.

Attamen non pauca occurrunt monumenta, ex quibus certi efficimur, imagines per id temporis in ecclesiis appendi consuevisse. Præter ea quæ attulimus de ædiculis, Romæ in cœmeteriis erectis, in quibus semper occurrunt imagines vel Christi vel Apostolorum, aliorumque sanctorum martyrum, notum est, quod scribit S. Basilius epist. 340 de imaginibus ad Julian. Apost.: « Unde et characteres « imaginum eorum (sanctorum) honoro et os- « culor eximiè, cùm hæc traditæ sint à sanctis « apostolis, nec sint prohibitæ, imò *in omnibus* « *ecclesiis* nostris depictæ sunt, » opp. ed. Maur. tom. 3, p. 463. Vide etiam Hom. in sanctos quadrag. MM., n. 2, ibid. tom. 2, p. 149. Hinc in septimâ synodo, act. 4, Gregorius Pessinuntis episc. laudat hæc verba Isidori Pelusiotæ: *Templi ratio nulla est quod non coronat imago.* Exempla plura dabit J. Grancolas in opere: *Les anciennes liturgies*, tom. 2, 1re partie, p. 62, seqq.

II. Obj.: 1° Patres hæreticis Gnosticis et Carpocratianis imaginum venerationem crimini verterunt, ut Irenæus, lib. 1, cap. 25, n. 6, ed. Mass. Epiphanius, hæres. 27, et Augustinus, lib. de Hæres., cap. 7. 2° Quapropter concilium Illiberitanum can. 36, ita constituit: « Placuit picturas in ecclesiis esse non de- « bere, ne quod colitur et adoratur, in pari- « tibus depingatur » 3° Eusebius pariter nefas esse judicavit Christi imaginem pingere, Epist. ad Constantiam August. 4° S. Epiphanius verò scidit in Anablatensi ecclesiâ « velum « pendens à foribus ecclesiæ et habens imagi- « nem quasi Christi, vel sancti cujusdam.... « contra auctoritatem Scripturarum, » Epist. ad Joannem episc. Hierosol. opp. ed. Petav. tomo 2, p. 317. 5° Hinc licet Gregorius Magnus in epistolis ad Serenum datis ipsum reprehenderit eò quòd imagines fregerit, laudavit tamen ejus « zelum, ne quid manufactum « adorari possit, » Epist. 105 lib. 9, indict. 2 ed. Maur. Ergo.

Resp. ad primum: Distinguo: Patres hæreticis crimini verterunt imaginum usum ac venerationem superstitiosam et ab Ecclesiæ sensu abhorrentem, concedo; in se spectatam, nego. Teste enim S. Epiphanio, recensiti hætici imagines sacrificiis colebant, quod sanè idololatriæ scelus est; cum imaginibus præterea Christi et Apostolorum imagines Homeri, Pythagoræ cæterorumque profanorum conjungebant (1). At ab his omnibus Catholici longè absunt.

Ad secundum: Distinguo: Vetuit synodus Illiberitana picturas fieri in ecclesiis pro temporum illorum ratione, tribuo; quasi picturas per se illicitas esse putaverit, nego. Transmisimus primum membrum, eò quòd nondùm penes criticos exploratum sit quidnam præcisè eo canone synodus prohibuerit, et alii in alias

tom. 27, pag. 391, seqq.; Trombell. de cultu SS. tomo 2, P. 3, p. 373.

(1) Cap. 16. Vide in hunc locum La Cerda.

(1) Hæres. 27, n. 6, edit. Pet. En ejus verba: « Sed ejusmodi imagines (Jesu Chri- « sti) occultas habent, nec non et philosopho- « rum quorumdam, ut Pythagoræ, Platonis, « Aristotelis, aliorumque, quibus eas quas « dixi Christi effigies miscent, et erectas *simul* « *omnes adorant, ad easque gentilium ritus insti-* « *tuunt.... Quinam verò sunt gentiles ii ritus alii* « *quàm sacrificia, cæteraque generis ejusdem?* » Patet igitur hic agi de formali, ut aiunt idololatriâ. Iisdem penè verbis utitur S. Irenæus l. c., in quem confer annotat. Fenardentii qui adversùs Calvinum et Bezam germanam S. Irenæi mentem tuetur, ostenditque receptum usum et cultum sacrarum imaginum in ecclesiâ tribus prioribus seculis. Eadem quoque refert Theodoret. lib. 7 Hæret. fabul., qui præterea inter imagines, quas adorabant Carpocratiani, recenset statuas Simonis Magi in Jovis figuram, et Helenæ in Minervæ speciem constructas, S. Augustinus adjicit imagines Pauli et Homeri.

abeant sententias (1). Cæterùm dirissimâ persecutione Hispanam ecclesiam adhuc affligente, censuerunt Patres illius synodi ejusmodi adoptare temperamentum, quod tenera Christianorum conditio exposcere videbatur.

Ad tertium : Nego. Quæ enim sub Eusebii nomine circumfertur data ad Constantiam Epistola, genuinus Eusebii fœtus non est. Vide Petavium, l. 15 de Incarn. c. 15, § 9.

Ad quartum: Distinguo: Ut rudi Anabiatensium ingenio consuleret, quibus fortassè periculo esse poterat illa effigies, quo sensu, saltem indirectè affirmavit imaginum usum esse contra Scripturarum auctoritatem, tribuo. Per se ac directè, nego. Cùm enim nos lateant omnia illius facti adjuncta, difficile est rectum de eo ferre judicium. Nondùm fortassè receptus erat apud Cyprios usus retinendi imagines in ecclesiis, prout jam vigebat in ecclesiis Ponti, Cappadociæ, Antiochiæ et Constantinopolis, ut testes sunt Gregorius Nyssenus (2), Basilius (3), Joan. Chrysostomus (4), cum quibus S. Epiphanius erat communione conjunctus. Non desunt, qui factum istud S. Epiphanii nævis adscribant; si tamen verum est, quod plures negant; vide Bellarm. loco cit. Cæterùm novatores ipsi, quos impugnamus, contra auctoritatem Scripturarum imagines in templis retinerent, quod profectò non admittunt.

Ad quintum : Distinguo : Cultu superstitioso et absoluto, concedo; relativo, prout in Ecclesiâ catholicâ receptus est, nego. Ejus mens patet ex iis quæ scripsit ad Secundinum : « Et nos quidem, inquit, non quasi ante « divinitatem, ante illam (Christi imaginem) « prosternimur, sed illum adoramus, quem per « imaginem aut natum, aut passum, sed et in « throno sedentem recordamur. » Lib. 9, « epist. 52, indict. 2, ed. Maur.

III. Obj. : 1° Synodo Nicænæ II, decernenti sacrarum imaginum cultum eruditus restitit librorum Carolinorum auctor ; restitit præterea concilium Francofordiense ex toto fermè Occidente congregatum ; restitit denique conventus Parisiensis. Nicænum ergo decretum occidentalis Ecclesia minimè recepit. 2° Quod quidem meritò factum est; Catholici enim imagines adorantes prosternunt se coram ligno ac telâ; invocant creaturas atque à servis, minimè verò à Domino auxilium præstolantur (1). Ergo.

R. Ad primum : Distinguo : Synodo Nicænæ restiterunt librorum Carolinorum auctor, synodus Francofordiensis et Parisiensis conventus errore facti decepti, concedo ; debitum cultum decernenti, nego. Nempe tam auctor librorum Carolinorum, quàm utraque synodus duplici errore facti decepti sunt; ac primò quidem in eo, quòd falsò putaverint synodum Nicænam non fuisse ab Adriano pontifice approbatam ; deinde verò in eo quòd perperam existimaverint, synodum decrevisse eamdem tribuendam esse sacris imaginibus « adorationem, quæ sit secundùm latriam » et defertur SS. Trinitati, prout præ se ferebat antiqua barbara versio illius concilii. Utroque postea errore patefacto, Galli et Germani Nicænum decretum admiserunt. Vide Natal. Alex. diss. cit. §§ 7, 8, 9, 10.

(1) Has recenset eruditus card. de Aguirre in Collectione maximâ conciliorum omnium Hispaniæ, Romæ 1693, tomo 1, pag. 562, seqq. Ostendit porrò luculentissimè agi in hoc canone de imaginibus Dei, qui profectò prout in se est pingi nequit. Idipsum jam præstiterat doctus Albaspinæus in adnotat. ad hunc canonem in calce opp. S. Optati, p. 208. Quod verba ipsa canonis ostendunt, dùm concilii Patres rationem reddunt, quare in parietibus imagines pingi non debeant ; « *ne quod colitur* « *et adoratur* in parietibus depingatur. » Ubi apertum est agi de eo quod adoratur cultu latriæ, nempe Deo. Addo stupidos sese prodere hæreticos, qui tantâ fiduciâ objiciunt hunc canonem, quin advertant, quòd si ageretur de imaginibus sanctorum, ut ipsi contendunt, haberi in eo apertissimum testimonium de recepto tunc temporis sanctorum cultu, quod tamen ipsi omninò inficiantur. Quòd si vetitas tantùm Dei imagines eo canone velint, hoc ipso causâ cadunt, cùm pingi non posse Deum prout in se est, eum nempe qui est immensus, invisibilis, incircumscriptus, uno ore fateantur Catholici omnes. Sed confer de Aguirre in hunc can. Attamen vix est inter Protestantes etiam recentiores, qui non jactet hunc canonem adversùs doctrinam catholicam ! De imaginibus Dei, aut Trinitatis symbolicis mox dicemus.

(2) Orat. de S. Theodoro opp. ed. Paris 1615, tom. 2, p. 1011, ubi agit de imaginibus MM. in templo positis.

(3) L. c. ex Epist. ad Julian., in quâ profitetur præterea se venerari imagines, utpote ab Apostolis traditas.

(4) De laudibus Meletii opp. ed. Maur. t. 2, p. 519.

(1) Ita Cellerier in op. : *Sermon sur l'excellence du culte réformé*, Genève 1819, ubi inter cætera scribit : « Dans le culte catholique les « Chrétiens se prosternent devant le bois et « la toile; ils invoquent les créatures. C'est « des serviteurs et non du maître, qu'ils atten« dent le secours. » Porrò non sine ingenti animi voluptate accepi Cellerier, ejuratis sectæ erroribus, catholicam fidem ante mortem amplexum esse. Utinam ipsum imitaretur Breckenridge, qui eadem opponit!

Quod speciatim attinet ad auctorem librorum Carolinorum atque ad conventum Parisiensem, nonnulli censent cum Petavio eos reipsà errâsse circa cultum ipsum, mediamque tenuisse viam inter errorem Iconoclastarum et dogma Nicænum, loco cit., c. 16, § 11. Verùm de libris Carolinis confer Trombel. diss. 10. Alii autem cum Natali Alexandro existimant Gallos veram fidem tenuisse circa venerationem imaginum, nec disceptâsse nisi circa modum adorationis à concilio Nicæno sancitum juxta dicta. Quod quidem nobis verisimilius videtur.

Ad secundum, distinguo : Catholici prosternunt se coram ligno ac telâ, quatenùs præ se ferunt imaginem prototypi, concedo; coram ligno ac telâ in se spectatis, nego. Alioquin cùm Josue ac seniores prostraverunt se coram arcâ, se prostravissent coram ligno. Cùm aliquis præ gaudio gestit et exilit coram matris aut sponsæ effigie, coram telâ exiliret. Qui expuerat in simulacrum Theodosii, expuisset in lapidem, et Antiochenses ac Thessalonicenses qui ejusdem statuas fregerunt, non nisi lapides pariter fregissent ac dejecissent.

IV. Obj. : Quamvis relativus sit imaginum cultus, non ideò propterea superstitione vacat. 1° Enim ethnici relativo cultu imagines ac simulacra prosequebantur, uti ex ipsorum testimoniis patet apud S. Augustinum in psal. 113, atque ex facto ipso, cùm idola multiplicarent, quin deos multiplicatos arbitrarentur, nec adeò stolidi erant ut lignum et lapides deos esse existimarent. Patres nihilominùs eosdem idololatriæ incusabant. 2° Quare Catholici pariter ejusdem criminis rei sunt censendi, quoniam et ipsi, quamvis imagines et simulacra minimè deos esse putent, agnoscunt tamen excellentiam quamdam in imaginibus, quo fit ut unam præ aliâ colant, longas peregrinationes arripiant ad singulares aliquas venerandas, cùm tamen domi fortassè formosiores possideant; eas velis tegunt, miracula fingunt, aliaque ejusmodi peragere consueverunt, quæ abjectam superstitionem redolent. Ergo.

Respondeo : Nego antecedens; ad primam probationem, distinguo : Nonnulli, quin tamen essent ab idololatriâ immunes, tribuo; ethnici generatim sumpti, seu multitudo, nego. Etenim præter auctoritatem Scripturarum, innumera propè testimonia ac documenta ex antiquitate sacrâ et profanâ suppetunt, quæ luculenter ostendunt gentes omnes, quidquid de nonnullis singulatim individuis sit, in idolis aut totidem deos, aut saltem virtutem divinam iis insidentem agnovisse. Hinc, quod consequens est, et ex iisdem pariter eruitur documentis, constat, gentiles cultu absoluto ac latreutico idola veneratos esse, ut suo loco ostendimus. (Quoniam verò nonnulli Protestantes adhuc huic difficultati insistunt, afferam quæ in hanc rem scripsit Leibnitzius : « Verùm enimverò, inquit, etsi « usus loquendi effecerit, ut dicatur honor « imagini adhibitus, reapsè tamen non res ina- « nima et incapax honoris, sed prototypon « honoratur coram imagine aut per imaginem, « quemadmodùm concilium (Tridentinum) ho- « norem imaginibus habendum interpretatur; « et hinc factum arbitror, quòd scholastici « disputaverint, imaginem Christi illo ipso « summo latriæ cultu adorari, quo ipse Chri- « stus Deus. Actus enim, qui adoratio imaginis « dicitur, reverà est adoratio ipsius Christi, « occasione, intuituque imaginis, et obverso « ad eam corpore quasi ad ipsum Christum, ut « illius præsentia manifestiùs exhibeatur, ma- « gisque animus ad contemplandum Dominum « elevetur : nemo enim sanus cogitabit : Da « mihi, ô imago, quod peto; tibi, ô marmor « aut lignum, gratias ago; sed : Te, Domine « adoro, tibi laudes cano. Posito igitur nullam « aliam admitti venerationem imaginum, quàm « quæ sit veneratio prototypi, non magis in eâ « erit idololatria, quàm in veneratione quæ Deo « et Christo exhibetur, sanctissimo ejus nomi- « ne pronuntiato. Nam et nomina sunt notæ, « et quidem imaginibus longè inferiores; rem « enim multò minùs repræsentant. Itaque cùm « dicitur imaginem honorari, non id aliter « intelligi debet, quàm quo modo dicitur, in « nomine Jesu genua flecti, nomen Domini « benedici, nomini ejus gloriam dari : et coram « imagine externâ adorare, non magis repre- « hendendum est, quàm adorare coram ima- « gine internâ, quæ in phantasiâ nostrâ de- « picta est : nullus enim alius usus est « externæ imaginis, quàm ut interna, ex- « pressior fiat. Sapienter verò monuit con- « cilium ut, ne credatur virtus aliqua sive « divinitas ipsi imagini inesse, atque inhabi- « tare; quemadmodùm Trojani putabant, Pal- « ladio ablato, urbem casuram, et Romani deos « ex templis hostium, conceptis quibusdam « verbis evocabant, et cum imagine ipsum « Deum transferri credebant, aut quemadmo- « dùm sculptum signum alicujus Dei gestatum

« successus prosperos afferre quondam apud « ethnicos persuasio erat, quas imaginum su- « perstitiones Arabes in quibusdam figuratio- « nibus ac talismanibus, Judæi in nominibus « scriptis aut pronuntiatis imitabantur, quæ « utique est iconolatria aut onomatolatria.» Syst. theolog. pag. 142, seqq.)

Addo idololatriam necessariò fluere ex polytheismo, ipsique intimam esse, cùm tanquàm totidem dii per eum colantur, qui vel nunquàm extiterunt, cujusmodi sunt omnes divinitates abstractæ, Febris, e. g., Fortuna, Fatum, etc., vel qui fuerunt in censu creaturarum, e. g., Saturnus, Jupiter, etc. Nonnisi serò à nonnullis philosophis, ut cohonestarent polytheismum et idololatriam jamjam fatiscentem, atque ut se à Christianorum argumentis, quibus premebantur subducerent, allegoricæ interpretationes diversorum numinum excogitatæ sunt.

Absque animadversione dimitti hîc nequit mala adversariorum fides ac pessima agendi ratio, qui ut ethnicos ab idololatriæ crimine liberent, toti in eo sunt, ut ostendant illos nonnisi cultu relativo simulacra veneratos esse; ut autem idololatriæ Catholicos insimulent, tradunt cultum relativum imaginum idololatricâ superstitione nullâ ratione vacare.

Ad secundum, distinguo : Catholici unam imaginem præ aliâ colere seu venerari consueverunt propter causas aliquas extrinsecas, concedo; propter virtutem eidem insitam seu propter se, nego. Nemo enim Catholicorum ignorat, imagines in se spectatas nihil habere, quare una præ aliâ coli mereatur. Extrinsecæ igitur sunt et accidentales causæ omnes, quibus aliquis permovetur ad unam potiùs quàm ad aliam venerandam : nempe sive quòd Deus dignatus fuerit per aliquam prodigia perpetrare et gratias elargiri; sive quòd ad alicujus conspectum ferventiorem in se affectum excitari quispiam experiatur. Istæ enim atque his similes aliæ causæ non parùm influunt ad peculiarem ejusmodi venerationem nonnullis imaginibus conciliandam.

Exinde ratio petitur illarum peregrinationum, quas interdùm Catholici instituunt ad longinqua sanctuaria, ut vocant. Has quidem maligno dente carpunt Protestantes, ast perperam : siquidem eas à remotissimis temporibus usu receptas fuisse novimus (1), et à sanctissimis viris institutas (1) neque imagines venerandi causâ tantùm arripiebantur, aut ad recolenda augusta religionis nostræ monumenta, verùm etiam ut hâc viatores ratione se duris pœnitentiæ laboribus exercerent. Sic legitur in officio S. Joan. Cantii lect. 2 Noct., eum quater Romam venisse, « tum ut « sedem Apostolicam, cui maximè addictus « fuit, honoraret, tum ut sui (sic enim aiebat) « purgatorii pœnas, expositâ illic quotidiè pec- « catorum veniâ, redimeret. »

Hæc omnia domestico ipsis Protestantibus testimonio libet adstruere; adversùs autem synodum Pistoriensem eò meliùs adhuc ejusmodi testimonium urgemus, ut pateat non defuisse inter Acatholicos, qui rectiùs de his senserit quàm synodus ipsa. Sic igitur rursùm scribit op. cit. p. 148 Leibnitzius : « Censendum est « equidem pietatis aliquando esse, loca quæ- « dam sacra præ aliis vel liberè, vel ex voto, « visere, aliaque id genus obire, quoniam ipsum « cæteræque circumstantiæ propositi singula- « res pars sunt honoris : et laudanda est præ- « paratio animi sibi aliquam pœnam legemque « certam dicentis, serii propositi ac zeli nostri « peculiaris ostensio, et cum publicâ concur- « rentium hominum pietatis significatione « privata conspiratio ad Dei honorem; et « locus ipse divinis beneficiis insignis recor- « tione illâ et commemoratione fortiùs movet « animum, et sacro quodam horrore percellit : « quod ne Protestantes quidem quibus sepul- « crum Domini adire datum est, diffiteri me- « mini. »

Si superstitionem saperet pictas tabulas velo obducere, hujus superstitionis auctor Deus ipse esset, qui Exod. 40, 3, mandavit Moysi, ut demitteret velum ante arcam; superstitionis reus fuisset Salomon qui, ut legitur 2 Paral. 3, velum demisit ante altare aureum. Notum est in antiquis ecclesiis partem interiorem

(1) Confer Jac. Gretseri S. J. eruditum et copiosum opus de sacris Peregrinationibus in quatuor libros distributum cum appendicibus adversùs Petrum Molinæum. Opp. auctoris edit. Ratisbon. 1734, tom. 4, part. post. Vid. etiam Encycl. Bened. XIV, dat. 16 junii 1749.

(1) Præter exempla quæ affert cit. Gretserus libb. 1 et 2, recentia habemus in S. Carolo Borromæo, qui petiit Varallum ad venerandum illud sanctuarium; in S. Francisco Salesio, qui Augustam Taurinorum ad venerandum sacram Sindonem se contulit; in S. Joan. Cantio, qui tum Hierosolymam, tum Romam non semel peregrinatus est ad invisenda loca sacra, ac limina Apostolorum. Quare synodus Pistoriensis, quæ cum Protestantibus has peregrinationes improbat, se parvipendere *venerandam antiquitatem* et exempla sanctorum ostendit.

ab exteriori velis et tentoriis separatam fuisse (1); velis tecta erant martyrum sepulcra, quæ cùm mutarentur, dono mittebantur ad peculiares personas pietate ac dignitate insignes (2). Mirum proinde est synodum Pistoriensem hunc usum carpsisse. Conf. Guasco Dizion. Ricciano, etc., art. *Mantellini*. Et hic juvat subjicere nonnullas propositiones ejusdem synodi cum censuris, quibus damnatæ sunt in Constit. *Auctorem fidei*, quæ hùc referuntur :

« LXIX. Præscriptio, quæ generaliter et indistinctè inter imagines ab Ecclesiâ auferendas, velut rudibus erroris occasionem præbentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis propter suî generalitatem, *temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullæ extent imagines SS. Trinitatis communiter approbatæ, ac tutò permittendæ.* — LXX. Item doctrina, et præscriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potiùs quàm ad aliam confugere, *temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiæ ordini injuriosa, quo ita Deus nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult* (ex August. ep. 78, clero, senioribus et universæ plebi Hipponens). — « LXXI. Item, quæ vetat ne imagines, præsertim B. Virginis, ullis titulis distinguantur, præterquàm denominationibus, quæ sint analogæ mysteriis, de quibus in sacrâ Scripturâ expressa fit mentio; quasi nec adscribi possent imaginibus piæ aliæ denominationes, quas vel ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat, *temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi B. præsertim Virgini debitæ injuriosa.* — LXXII. Item, quæ velut abusum extirpari vult morem, quo velatæ asservantur certæ imagines, *temeraria, frequentato in Ecclesiâ, et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.* »

Miracula demùm non fingunt Catholici, sed ea referunt, quæ publicè, totâ spectante interdùm civitate patrata fuerunt, et circa quæ processus à legitimâ auctoritate constructi sunt. Velle autem omnia miracula negare, eò quòd nonnulli privatâ auctoritate, aut falso rumore decepti, aliquot falsa evulgaverint, perinde est ac velle omnes nummos suspectos habere, aut etiam rejicere, eò quòd nonnulli falsarii nummos supposuerint aut adulteraverint.

Dices : Saltem nefas erit Dei aut SS. Trinitatis imagines pingere ac in templis fidelium venerationi exponere, ne deceptionis aut erroris periculo objiciantur.

Resp. : Distinguo : Pingi nequeunt imagines Dei aut Trinitatis in se aut in suâ naturâ, concedo; sub formis symbolicis sub quibus interdùm Deus, aut quælibet divina persona apparuit, atque prout pingi in Ecclesiâ ejusmodi imagines consueverunt, nego. Absonum profectò esset velle Deum aut Trinitatem pingere ad exprimendam ejus naturam; at nemo Catholicorum est, qui id intendat in his imaginibus. Cùm autem Deus sive in veteri, sive in novo Testamento corporeâ specie visus sit, nihil prohibet quominùs sub eâ formâ in quâ apparere dignatus est, pingi possit. Sanè in vetustis musivis operibus, quæ reperiuntur in ædiculis Christianorum, ac in cœmeteriis, sæpè occurrunt ejusmodi imagines. S. Paulinus Nolanus describens imagines basilicæ S. Felicis, inter cæteras et hanc recenset SS. Trinitatis, epist. 32, ad Sever. :

Pleno coruscat Trinitas mysterio
Stat Christus agno, vox Patris cælo tonat
Et per columbam Spiritus sanctus fluit.

Ad avertendum autem erroris cujuscumque periculum, satis erit populum ritè instituere (Vid. Bellarm. lib. 2 de Imagin. cap. 8). Hinc inter cæteras propositiones damnatas ab Alex. VIII, et hæc habetur : « Dei Patris sedentis « simulacrum nefas est christiano in templo « collocare. » (Vid. Viva, S. J., *Damnatarum thesium theologica Trutina*, p. 3, in prop. 25 ab Alex. VIII damn.) Quare meritò Pius VI, eidem affinem propositionem synodi Pistoriensis iterùm proscripsit.

CAPUT VI.

DE CRUCE.

Supervacaneum quodammodò videri poterit, peculiarem instituere quæstionem de Cruce, post ea quæ de reliquiarum ac imaginum cultu disputavimus. Vel enim agitur de vivificâ Cruce ipsâ, cui Christus affixus est, et in censum ea venit sacrarum reliquiarum, inter quas principem locum obtinet; vel agitur de Cruce quæ ad illius conformationem configurata est, et hæc inter imagines sacras est computanda.

(1) Conf. Ant. Mariam Lupi op. cit. *Dissert. epistolare postuma intorno a battisteri antichi*, § 81, seqq.

(2) Boldetti op. cit. lib. 1, cap. 9, sed datâ operâ de velorum usu in templis egit Rosweidus S. J., p. 849, seqq., ad Paulinum.

Cùm tamen Crux proprios adversarios nacta sit, ac mos jam obtinuerit de eâ ex professo agere, ne videamur à majorum instituto discedere, breviter præcipua saltem attingemus, quæ ad hoc argumentum referuntur. Ea autem sunt, ut innuimus, tum Crux ipsa dominica, tum ejus imago, tum denique Crux quæ in signo transeunte consistit; quæ quidem omnia unicâ propositione complectimur, ne longiùs argumentum istud protrahamus.

PROPOSITIO. — *Omni superstitione vacat tum cultus quem Catholici Cruci dominicæ, ejusque imagini deferunt, tum usus crucis signi, quod passim ab ipsis usurpatur.*

Ad fidem catholicam spectat hæc propositio, ut patet ex decretis superiùs allatis circa reliquias et imagines, et ex damnatione Stauromachorum, Claudii nempe Taurinensis sec. IX, aliorumque qui eum secuti sunt, ut Petrus de Bruis, Wicleffus, aliique obscuri nominis hæretici. Horum vafritiem adoptârunt Lutherus, Calvinus eorumque asseclæ. (Conf. Bellarm. lib. 2 de Imag. c. 26; Gretser. in erudito opere *de Cruce* tribus vol. fol. ed. cit.)

Sic verò assertam propositionem per partes evincimus : statim ac seculo Ecclesiæ IV, vivifica Christi Crux ab Helenâ reperta est, ut referunt gravissimi ejusdem ætatis scriptores (1), coli cœpit, ab Helenâ primùm, teste S. Ambrosio, qui ejusdem pietatem summoperè commendat, Orat. de Obitu Theod. n. 46, ac deinceps in universo christiano orbe. Cujus rei luculentissimum documentum ex eodem S. Doctore habemus scribente ibid. n. 48 : « Sapiens Helena, quæ Crucem in capite regum locavit, ut Crux Christi in regibus adoretur. » Eadem habet S. Cyrillus Hierosolym., qui et illud addit : « Lignum illud sanctum Crucis testatur (Deum esse Christum), « quod hodièque apud nos cernitur; et per « eos, qui cum fide particulam ex illo capiunt, « totum istinc orbem terrarum ferè complevit. » (Catech. 10, n. 19 : Τὸ ξύλον τὸ ἅγιον τοῦ σταυροῦ μαρτυρεῖ μέχρι σήμερον παρ' ἡμῖν φαινόμενον, καὶ διὰ τῶν κατα πίστιν ἐξ αὐτοῦ λαμβανόντων ἐντεῦθεν τὴν οἰκουμένην πᾶσαν σχεδὸν ἤδη πληρῶσαν. Ac rursùm catech. 4, n. 10, et catech. 13, n. 4. Conf. not. Touttei ad hunc locum, ubi vindicat miraculum à Cyrillo et Paulino commemoratum, quòd crux licet toties per frustula inde decerpta imminui deberet, tamen nullum detrimentum fuerit passa. Ex quo cadunt, quæ Salmasius et ex eo Breckenridge ore profano dixerunt, posse ex reliquiis crucis, quæ circumferuntur, aut sylvam ceduam exsurgere, aut navem extrui.) Id ipsum testantur S. Joan. Chrysostomus in lib. *quòd Christus sit Deus*, n. 9, Theodoretus, S. Paulinus Nolanus, adeò ut verè scripserit Rusticus Diaconus tom. 4 Bibl. PP. de la Bigne col. 1154 : « Clavos qui« bus confixus est (Christus), et lignum vene« rabilis Crucis, omnis per totum mundum « Ecclesia absque ullâ contradictione adorat, » cui consonat S. Joan. Damascenus, lib. 4 de Fid. orthod. cap. 11.

Nec mirum est, lignum ipsum Crucis, in quâ fixus est redemptor hominum, et quam salutari rore sui sanguinis aspersit, quæque præcipuum promerendæ nostræ salutis instrumentum fuit, ut propterea σωτήριος, id est, *salutaris* propriè nominetur, quod Theodoretus observat quæst. 26 in Genes., in tantâ veneratione fuisse, cùm videamus vel à primis seculis in summo honore ac pretio ejus effigiem Christi fideles habuisse. Exinde enim conficta illa ab ethnicis in Christianos calumnia, cruces omnes ab illis adorari, de quâ superiùs egimus. Non enim de nihilo, ut animadvertit Petavius lib. 15, c. 11, § 4, apud gentes rumor iste percrebuerat, cruces omnes, etiam noxiorum, à Christianis in honore cultuque haberi, neque hoc illis potuissent unquàm objicere, nisi certas venerari ipsos vidissent.

Deus ipse crebris miraculis hunc sibi cultum acceptum esse testatum voluit. Hùc si quidem refertur celebris illa, quæ vigilanti Constantino imperatori visio in cœlo facta est, quam refert Eusebius de *Crucis trophæo* cum inscriptione : *Hoc vince*, l. 1 de Vitâ Constant. c. 28; tum jussum à Christo eidem per quietem apparente datum, ut ad signi illius similitudinem quod viderat, fabricandum curaret vexillum, quo tanquàm præsidio certissimo uteretur in præliis contra impetus hostiles; prout reipsà imperator effecit ac *Labarum* nuncupavit, sibique salutare esse perpetuò expertus est. Hùc pariter spectant, quæ de pro-

(1) S. Ambrosius in Orat. funebri Theodosii imp.; S. Paulinus Nolan. ep. 31, n. 5, ed. Murat. Veron. 1736, ad Sulpit. Severum; Sulpitius ipse lib. 2 sac. Hist. c. 34; Socrates lib. 1, c. 17; Theodoretus lib. 1, cap. 18; Sozomen. lib. 2, c. 1, et 2, ac citra Helenæ mentionem Eusebius lib. 3 Vitæ Constant. c. 30, de quo conf. Bolland., tom. 3 augusti p. 565, § 8, seqq. ed. Antuerp. n. 75, et S. Cyrillus Hierosolym. in Ep. ad Constantium, n. 5; hic porrò fuit testis ocularis; Ruffinus Hist. Eccl. lib. 1, c. 7 et 8.

digiosâ Crucis effigie in Judæorum vestibus impressa referuntur, cùm ipsi, juberte Juliano Apostatâ, templum Hierosolymitanum instaurare aggressi sunt.

Patres propterea effusi sunt in Crucis cultu extollendo, quorum testimonia vulgata sunt ac omnium manibus teruntur, quin necesse sit ea recensere. Novimus insuper ex certissimis documentis, Crucis effigiem in altaribus antiquitùs collocatam fuisse, ac proinde cultu veneratos eam fuisse primos Christi fideles. In excavationibus Pompeianis intra cubiculum illius domûs, quæ Pansam habuit dominum, in pariete cui marmoratum est inductum, toreuma Crucis effigiem exhibens repertum est. Paries, qui illi est è regione, exhibet imagines larium, quibus ethnici suas domos tuebantur. Ea urbs an. 79 à Christi nativitate fuit et combusta et obruta. Primis verò Ecclesiæ temporibus, non rarò evenisse credimus, ut in eodem tecto una atque eadem gens et Christianos et ethnicos numeraret inter suos.

Restat ut aliqua demùm adjiciamus circa illud, quod Tertullianus vocat *signaculum frontium*, seu quod Crucis signum transiens dicitur ac manûs agitatione formatur, et rebus quandoque benedicendis adhibetur. Antiquissimum esse ejus usum in Ecclesiâ non negant Protestantes, dummodò tamen veluti nuda cæremonia et ad fidei professionem instituta spectetur. Atqui ad emerendam præterea utilitatem aliquam hæc cæremonia instituta est. Etenim nec nudam nec otiosam, sed ad multas opportunitates efficacem, existimatam fuisse ab ipsis Ecclesiæ primordiis piam hanc cæremoniam evincunt trita illa Tertulliani verba, quæ afferri solent ad ostendendam signi istius antiquitatem : « Ad omnem « progressum, ait ipse, atque promotum; ad « omnem aditum et exitum; ad vestitum, cal« ciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, « ad cubilia, ad sedilia; quæcumque nos con« versatio exercet, frontem Crucis signaculo « terimus. » Lib. de Coronâ mil. c. 3 ed. Rigalt., post quæ immediatè subdit cap. 4 : « Harum et aliarum disciplinarum si legem « expostules Scripturarum, nullam invenies : « traditio tibi prætendetur auctrix, » etc.; ex quibus patet hunc usum ex traditione apostolicâ descendere. Quomodò autem ad omnes ejusmodi usus adhibitum fuisset signaculum istud, si ad solam fidei professionem, ut Casaubonus contendit, usurpabatur?

Hoc insuper signo fugari solitos dæmones, et admiranda quædam fuisse peracta, multis iterùm Patrum tum testimoniis, tum exemplis intelligimus. Epiphanius enim, Gregorius Nazianz. atque Nyssenus, Athanasius, Cassianus, Joan. Chrysost., Prudentius aliique passim apud Gretserum, à cap. 20 ad 29, testantur ac plurima item prodigia per salutare hoc signum patrata fuisse, maleficas incantationes dissipatas, morbosque depulsos. Quinimò et aquam eodem crucis signo ac benedictione consecrare veteres consuevisse adversùs dæmonum magorumque præstigias, eamque pietatem ingentibus interdùm miraculis gratam sibi esse Deum ostendisse iidem antiqui Patres sæpissimè produnt. Conf. Petav de Incarn. lib. 15, c. 10; Mabillon. Præf. in sec. 4 Bened. § 3.

Ex his igitur patet dominicam Crucem omni esse veneratione dignam, omnique honore, non quidem propter se, verùm propter piacularem hostiam, quæ ab ipsâ pependit, ex quâ ingens Deo gloria parta est, summa nobis utilitas, plenusque relatus est de morte ac inferno triumphus.

De naturâ verò cultûs deferendi vexillo crucis disputant theologi. Quidam enim ex scholasticis putant sive veram Crucem, sive ejus imagines latriæ cultu esse venerandas, ut Damascenus, Bonaventura, Angelicus Doctor, aliique. Ast Bellarminus scribit hunc loquendi modum offendere aures Catholicorum, tum etiam præbere occasionem hæreticis liberiùs blasphemandi, lib. 2 de Imag., à cap. 20 ad 25, ubi accuratè argumentum istud totum expendit ac per appositas propositiones quid verius videatur statuit, ac diversas opiniones conciliat. Quapropter cum cæteris theologis docet neque veram Christi crucem, neque ejus imaginem per se adoratione latriæ esse colendam. Latriæ namque cultus creaturæ deferri nequit, multò minùs rationis experti, cujusmodi crux est. Hæc sententia clarè deducitur ex actis 1 et 7 concilii Nicæni II.

Quòd si honor imaginis transit in exemplar, idem tamen honor non est imagini impendendus ac prototypo. Ita major debetur regis personæ reverentia ac ejus imagini aut vestimentis.

Dùm Ecclesia canit : *O Crux, ave, spes unica... O Crux adoranda*, per Crucem Christum significat à quo salutis præsidia petimus, non ab ipsâ cruce; vel innuit nos expectare fructum crucis, id est, æternam salutem per merita Christi, qui cruci affixus est.

Difficultates.

Obj. 1°: Crux dolorem et ignominiam attulit Christo ejusque discipulis; non est igitur colenda. 2° Quòd si Cruci deferendus cultus censetur ob illius cum corpore Christi contactum, Jordanis igitur aquæ, Palæstinæ terræ, asello cui insedit Christus, quin et servi Christum percutientis manui, ac Judæ labiis cultus erit tribuendus; quæ absurdissima sunt. 3° Saltem nulla ratio est, cur crucis imaginem speciali ratione venerari debeamus, quia refert dominicam Crucem; alioquin et omnia præsepia, columnæ omnes, spinæ, flagella pariter colenda essent. 4° Demùm negari nequit, magicæ artis esse, characteribus ac signis divinam tribuere virtutem, ut Catholici faciunt, qui vim fugandi dæmones, morbosque dispellendi ac cætera ejusmodi ipsi tribuunt Crucis signo. Ergo.

Resp. ad primum : Distinguo consequens : Si ratio haberetur ignominiæ aut doloris, quem Crux Domino attulit, concedo; si habeatur ratio illius gloriæ, quæ ex ignominiâ et dolore parta est Christo, atque emolumentorum, quæ nobis provenerunt, nego. Ad hanc verò gloriam et ad hæc emolumenta Catholici oculos et animum intendunt, dùm cruci honorem et cultum deferunt.

Ad secundum, nego cons. et paritatem. Non solùm enim ob corporis Christi contactum vera Christi crux cultum seu venerationem meretur singularem, verùm etiam, quia selecta à Christo fuit tanquàm instrumentum, quo salutis nostræ hostes devicit *palam triumphans eos in semetipso*, ut loquitur Apostolus Coloss. 2, 14, et in quo affixum fuit et deletum chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Eadem verò ratio non est Palæstinæ terræ, etc., neque tantæ sunt virtutis, ut ponere valeant ob oculos nostros Christi passionem, nec proinde possemus istorum cultu animi nostri grati sensus erga Christum significare.

Manus autem servi Christum percutientis et labia Judæ proditoris monumentum exhibent immanis impudentiæ, et nequitiæ abominandæ, ac moralem præ se ferunt indecentiam, ob quam non colenda, sed detestanda sunt. Nec prætereundum est, quòd cultus, qui rationali individuo defertur, ut superiùs adnotavimus, sit absolutus ac terminetur in ipso, non verò sit *tantùm* relativus. Excipiendus tamen casus in quo aliquis alium repræsentat, ut cùm legatus refert personam principis.

Ad tertium, nego iterùm paritatem. Ratio enim disparitatis in eo est, quòd cruces per se unicè institutæ sunt ad repræsentandam veram Christi Crucem, non item verò præsepia, spineta ac cætera hujusmodi, quæ ad alios usus adhibentur. Quòd si eo fine præsepia, columnæ, etc., pingerentur vel sculperentur ut Christi Domini mysteria, nativitatis, e. g., vel passionis referrent, tunc ea veneratione aliquâ digna esse non inficiaremur.

Ad quartum, distinguo : Magicæ superstitionis esset tribuere virtutem signo ipsi, præscindendo à virtute Christi, concedo; secùs, nego. Itaque Catholici non signo ipsi in se spectato efficaciam tribuunt, sed quatenùs illud refert passionem Christi, ac tacitam saltem supponit Christi Domini invocationem.

Crucis porrò virtutem et gloriam, ad eamque honorandam incitamenta eloquenter illis verbis edixit Chrysostomus homil. 2 de Cruce et Latrone : « Crux priùs, condemnationis et « supplicii nomen erat; at nunc res est vene- « rabilis et desiderabilis. Crux antea dedeco- « ris et pœnæ argumentum erat; nunc gloriæ « et honoris est occasio... Crux caput nostræ « salutis; Crux infinitorum honorum argu- « mentum... hæc reconciliationem Dei cum « hominibus instituit... Propter hanc dæmo- « nes fugiunt, diabolus profligatur. Propter « hanc humana natura cum angelicâ vivendi « ratione contendit. »

BEAUDEAU VITA.

Baudeau (Nicolaus), canonicus regularis et prior Sancti Laudi in Normanniâ, necnon curiali mitrâ urbis Widziniski in Poloniâ insignitus, Ambaciæ (Amboise) natus est die 25 aprilis anni 1730. OEconomistarum partibus addictus, ipsorum doctrinæ patrocinatus est, variis editis operibus, quorum præcipuum, sub diarii formâ vulgatum, hunc titulum præfert : *Les Ephémérides du citoyen, ou Chronique de l'esprit national*, 1765 et seq.,

63 vol. in-12. Laborum consortem habuit marchionem de Mirabeau, ad mensem usque maium 1768, quo nempe tempore illud opus suum fecit D. Dupont de Nemours. Aurelianensi duci devinctus aliquandiù adhæsit Baudeau.

Præter opus supra memoratum, quamplurimæ insuper extant ipsius elucubrationes, quarum unam à nobis denuò typis mandatam hìc appellare sufficiat, nempe : *Analyse de l'ouvrage du pape Benoît XIV sur les béatifications et canonisations.* Istud porrò compendium tanti apud æternâ laude dignum pontificem Benedictum XIV valuit, ut illud summo studio comprobaverit, rescriptâ ad auctorem gallico idiomate epistolâ, cujus hæc tantùm, brevitatis causâ, citabimus : « Nous l'avons « trouvé si sensé et si exact que les chapitres « et endroits que nous en avons lus nous font « espérer que ce qui en reste à examiner ne « sera point inférieur à ce qui en paraît déjà « en public. » Lucem primò aspexit totum opus, in-12, anno sequenti, nempe 1759, fatis jam functo Benedicto XIV, cujus honorificum breve in hâc primâ editione impressum est.

Obiit Baudeau circa annum 1792, infelici casu mente prorsùs alienatus.

ANALYSE DE L'OUVRAGE DU PAPE BENOIT XIV

SUR LES BÉATIFICATIONS ET CANONISATIONS.

Livre premier,

Qui contient des principes généraux et des notions préliminaires.

CHAPITRE PREMIER.

De l'origine des canonisations, ou des honneurs déférés dans l'Eglise primitive aux SS. Martyrs, et depuis aux SS. Confesseurs.

§ I. — La canonisation des Saints et les solennités qui l'accompagnent, ne devaient point être épargnées par les sectaires des derniers siècles, dans leur déchaînement contre la discipline de l'Eglise catholique. C'est pour jeter un ridicule sur des usages si pieux, qu'ils en ont cherché l'origine dans l'apothéose des païens, comparaison odieuse et si éloignée de la vérité, qu'elle mérite à peine quelques mots de réfutation. Le sénat de Rome idolâtre s'arrogeait, il est vrai, le droit d'inscrire au nombre de ses dieux des hommes qui souvent n'étaient fameux que par l'excès de leurs vices. Dans d'autres temps, dans d'autres climats, les fausses divinités s'étaient multipliées par la superstition des peuples stupides, et l'imposture des prétendus oracles; par l'orgueil des souverains et l'adulation des sujets; enfin, par la tendresse aveugle des pères ou des fils, assez puissants pour faire exécuter leurs volontés les plus bizarres et les plus impies.

A Rome, l'autorité publique intervenait à la consécration des nouveaux dieux, avec un appareil peu capable d'en imposer au vulgaire, même le plus crédule. Un aigle, un paon, une colombe, s'envolaient du bûcher, qui réduisait en cendres les restes inanimés d'un empereur ou d'une impératrice. Des témoins juraient au sénat qu'ils avaient vu sous cette forme l'âme du souverain s'élancer vers le ciel. C'en était assez pour lui décerner les honneurs du culte divin. Telle fut l'apothéose des Romains. A-t-on pu trouver dans une cérémonie si profane le moindre trait de ressemblance avec ces lois pleines de religion et de gravité, que l'Eglise s'est prescrites pour la canonisation des Saints? Oserait-on dire encore qu'elle confond dans un culte aveugle la créature avec le créateur? C'est une calomnie grossière, dont les auteurs de la prétendue réforme n'ont point rougi de la charger; mais nos controversistes l'en ont mille fois vengée. Ces honneurs qu'elle rend sur la terre aux Saints couronnés dans le ciel, ne sont-ils pas subordonnés à l'hommage suprême qu'on doit à la Divinité? N'est-ce pas à la vertu la plus sublime qu'ils sont réservés? N'est-ce pas sur l'examen le plus scrupuleux qu'est appuyée la décision qui les autorise? Les fidèles des premiers siècles nous ont donné l'exem-

ple de ce respect profond pour les témoins de la foi de Jésus-Christ, et les amis de Dieu. C'est là que nous faisons gloire de trouver des modèles.

§ II. — Dans les jours de persécution, les combats des martyrs fournissaient aux Chrétiens des spectacles de Religion. Ils accouraient en foule, pour être les témoins de ces victoires. Ils recueillaient les restes vénérables de ces victimes, avec une avidité qui les décelait quelquefois aux tyrans. On s'assemblait dans la suite autour de ces dépôts sacrés, pour célébrer le jour de leur triomphe. On y lisait l'histoire de leur confession et de leurs souffrances. Les actes qu'on en avait dressés entretenaient un commerce d'édification entre les Eglises éloignées. Les monuments les plus authentiques et les plus vénérables par leur antiquité nous instruisent de ce détail. On le trouve tout entier dans la Lettre des fidèles de Smyrne aux Philadelphiens, sur la mort de saint Polycarpe leur évêque, disciple de saint Jean l'Evangeliste. « Les Juifs, disent-« ils après le récit de sa détention et de sa « mort, inspirèrent à Nicétas de prier le pro-« consul qu'on ne donnât point de sépulture « à Polycarpe, de peur que les Chrétiens ne « quittassent le Crucifié pour honorer le corps « du bienheureux martyr. Ils ne savaient pas « que nous ne pouvons jamais quitter Jésus-« Christ, qui a souffert pour le salut de tous « ceux qui se sauvent par tout le monde, « ni en honorer un autre en sa place; car « nous l'adorons parce qu'il est le Fils de « Dieu. Mais nous regardons les martyrs « comme ses disciples et ses imitateurs, et « nous les *honorons* avec justice, à cause de « leur affection invincible pour leur maître et « leur roi. ..... Pour nous, ajoutent-« ils quand ils ont raconté comment on brûla « le corps de saint Polycarpe, nous retirâmes « *ses os plus précieux que des pierreries,* et « nous les mîmes où il était convenable; où « le Seigneur nous fera la grâce de nous as-« sembler comme il nous sera possible, pour « célébrer avec joie la *fête* de son martyre.....» Que ne pouvons-nous pas conclure d'un langage si clair? On croyait donc déjà, dans les plus beaux jours de l'Eglise naissante, qu'on devait *honorer* les Saints; on conservait donc alors leurs *reliques* comme des trésors? On s'assemblait donc déjà, pour célébrer des *fêtes* le jour de leur mort : tout ce qui nous reste de monuments des trois premiers siècles, atteste de même le culte des saints martyrs. On pourrait compiler des volumes immenses de ces témoignages.

§ III. — Le nom de *confesseur* se donnait alors aux Chrétiens, quand ils avaient fait une profession publique de la foi devant les persécuteurs. C'étaient des soldats de Jésus-Christ, éprouvés par les supplices, à qui souvent il ne manquait que le dernier coup de la mort. On a étendu ce titre, depuis la paix de l'Eglise, aux fidèles qui s'endorment dans le baiser du Seigneur, après une vie passée dans la persévérance de toute justice, ou l'exercice d'une pénitence laborieuse. Ces saints confesseurs sont entrés plus tard en partage des honneurs que la Religion accorde à ses héros. Saint Martin de Tours paraît en avoir joui le premier, du moins en Occident. On peut rapporter au commencement du V^e^ siècle l'établissement de sa fête. Elle était ancienne dans son Eglise quand on y célébra le premier concile, l'an 461. « Cet illustre pon-« tife ne donna point son sang pour la foi, » dit Sulpice-Sévère, son historien et son disciple, « mais il ne lui manqua rien que l'oc-« casion de le répandre. Il eut toutes les ver-« tus, et par conséquent il mérita toute la « gloire des martyrs. » C'est sur le même principe que l'Eglise entière s'est appuyée pour faire honorer la mémoire de ses enfants les plus illustres, lorsque Dieu lui-même a pris plaisir à les glorifier dans le monde par des miracles éclatants. C'est aussi dans ces maximes de la plus ancienne doctrine, qu'il faut chercher l'esprit des formalités qu'on observe dans la canonisation des Saints.

CHAPITRE II.

De l'autorité du Pape dans les canonisations.

§ I. — Le culte des anciens martyrs fut comme le premier cri de la Religion, dans les témoins oculaires de leurs combats. L'Eglise vit avec joie ces transports d'admiration, source d'une sainte jalousie, qui multiplia souvent ses triomphes. Mais toujours attentive à mettre un frein au zèle indiscret, elle ne permit jamais à la multitude des fidèles de donner à son gré des objets à la vénération publique. La confession la plus éclatante et la mort la plus glorieuse ne suffirent point alors pour consacrer authentiquement la mémoire d'un athlète de la foi chrétienne. On attendait qu'il eût été proclamé par la voix des premiers pasteurs; il leur appartenait de brû-

ler le premier encens sur son cercueil, et c'était de leur main que son nom devait être inscrit dans les fastes ecclésiastiques. De là ce titre distinctif de martyrs approuvés, *martyres vindicati*, pour désigner ceux que l'autorité légitime vengeait de l'ignominie de leur supplice, en les mettant en possession des honneurs qu'on doit aux Saints. De là ces diacres chargés par état de noter le jour de leur mort, d'en recueillir les actes, et d'en faire le rapport à l'évêque diocésain. S. Cyprien semble faire allusion à ces usages de l'ancienne discipline dans quelques-unes de ses lettres.

On reconnaît l'exercice et l'usage de cette puissance pontificale dans ce trait fameux du grand saint Martin : Un tombeau dans le voisinage de Tours était devenu l'objet d'une dévotion populaire, et quelqu'un même des anciens évêques l'avait accrédité par la consécration d'un autel. Le lieu n'en parut pas moins suspect au saint prélat : il interroge les premiers du clergé. Leur silence et celui de toute l'antiquité sur le nom du prétendu martyr et sur l'histoire de sa mort confirment ses premiers soupçons ; mais il n'ose encore prononcer ; il s'abstient seulement d'approuver ce culte mal éclairé. Bientôt une révélation vient à son secours, et, dans ce fameux sépulcre, il découvre aux yeux de tout son peuple les cendres d'un brigand supplicié pour ses crimes.

C'est pour éviter de semblables profanations que les évêques se réservèrent le droit de préconiser les martyrs, et qu'ils se firent un devoir d'examiner leurs titres, avant d'ordonner ou de permettre que la fête en fût célébrée. Prévenir le jugement épiscopal par des hommages prématurés, ce fut toujours une faute griève dans les premiers siècles de l'Eglise, qu'on punissait avec sévérité. Nous en trouvons un exemple bien marqué dans Optat de Milève : Lucille, dont tout le monde sait l'histoire, fut traitée sans ménagement, comme coupable d'un péché scandaleux, parce qu'elle s'opiniâtrait à rendre, même publiquement, les honneurs du culte aux reliques d'un martyr véritable, mais qui n'était pas encore approuvé. Rien de plus formel que le témoignage de cet ancien écrivain pour constater la différence que mettait entre les martyrs l'approbation solennelle des prélats, si semblable, par les caractères essentiels, aux jugements de canonisation que l'Église prononce aujourd'hui.

§ II. — Le culte des saints confesseurs, plus récent dans son origine et moins appuyé des preuves incontestables de leur sainteté, plus sujet par conséquent à l'illusion, devait encore moins être livré à la discrétion du vulgaire que celui des martyrs : aussi voyons-nous un grand nombre d'anciennes lois ecclésiastiques pour réprimer les dévotions arbitraires. Un concile de Cologne, cité par Ives de Chartres dans son Décret, interdit aux fidèles toute marque publique de vénération pour des Saints nouveaux, avant qu'on se fût assuré de l'agrément de l'évêque diocésain. Les empereurs chrétiens usèrent en cette occasion de leur autorité pour soutenir celle de l'Église, témoin le capitulaire de Charlemagne de l'an 801, qui contient la même défense.

On n'a jamais pu méconnaître la sagesse de ces réglements ; aussi trouvons-nous partout une fidélité inviolable à les observer. Des fêtes ordonnées par les prélats, des reliques exposées par eux à la vénération des fidèles, des translations qu'ils en ont faites eux-mêmes ou qu'ils en ont permises : ce sont toujours les premières époques dans l'histoire du culte des Saints, jusqu'aux temps postérieurs, où le droit de l'établir fut attribué sans partage au Saint-Siége Apostolique de Rome.

§ III. — Il serait assez difficile de fixer à cet usage une date certaine. La plupart des canonisations faites par l'autorité du Pape, qui remontent avant le X^e^ siècle, souffrent de grandes contestations. Tout le monde convient que dans le concile de Latran, l'an 993, Jean XV mit au nombre des Saints le bienheureux Uldaric, évêque d'Ausbourg, à la prière de Luitolphe, un de ses successeurs. Mais on trouve encore depuis cette époque une foule de Saints universellement honorés, quoique leurs noms n'eussent été consacrés que par des prélats particuliers.

Alexandre III est donc reconnu communément pour l'auteur de cette réserve. On cite une de ses décrétales comme la première loi solennelle en cette matière : « N'ayez pas à « l'avenir, dit ce pontife, la présomption de « décerner à cet homme un culte religieux ; « quand il aurait fait une multitude de mira« cles, il ne vous est pas permis de l'honorer « sans l'agrément de l'Église Romaine. » Les canonistes français et plusieurs italiens, entre autres Bellarmin, ont vu dans ces paroles l'établissement d'un droit nouveau, qui paraît même n'avoir été généralement adopté que

long-temps après. Quoi qu'il en soit, cette réserve a, depuis des siècles entiers, la force d'un usage universel ; quelques provinces de l'Église Gallicane, aussi jalouses de maintenir les prérogatives de l'épiscopat que zélées pour la gloire du premier Siége Apostolique, déclarent même expressément dans un concile de Vienne, en demandant au pape Grégoire IX la canonisation de S. Etienne de Die : « Que « l'excellence des mérites connus dans les ser- « viteurs de Dieu n'autorise point les fidèles à « les honorer publiquement après leur mort ; « mais qu'il faut à leur culte l'approbation du « souverain pontife. »

C'est pour des raisons importantes que nulle Église n'a réclamé contre ce changement de discipline. La sainteté de ceux qu'on donne pour objets à la vénération publique ne pouvant jamais être trop assurée, c'est un avantage pour la Religion que la sentence de l'évêque diocésain reçoive, par les enquêtes des commissaires apostoliques, par les discussions du tribunal Romain et par le jugement du Saint-Siége, promulgué dans tout le monde catholique, une authenticité qui ne laisse rien à désirer : d'ailleurs, un décret solennel, émané de l'autorité supérieure et qui s'étend à tout l'univers, annonce d'une manière plus éclatante et plus uniforme la gloire des bienheureux ; les fidèles répandus dans le monde entier apprennent plus tôt à profiter de leurs exemples et de leur intercession.

§ IV. — On attendait autrefois la célébration d'un concile pour canoniser les Saints. Ulderic le fut par Jean XV, dans celui de Latran ; saint Gérard par Léon IX dans un concile Romain, et saint Sturme par Innocent II dans le second de Latran. Cet usage avait alors force de loi. Le Pape Urbain II déclare dans une de ses lettres qu'il faut des miracles attestés par des témoins oculaires et le consentement d'un synode général ; mais cette coutume est abolie ; le pape prononce seul la sentence : il est vrai que le consistoire général tient en quelque sorte lieu des anciens conciles, puisqu'on y prend les avis de tous les évêques qui se trouvent dans la capitale du monde chrétien.

CHAPITRE III.

De la soumission qu'on doit aux jugements de béatification et de canonisation.

Célébrer les vertus des Saints par les hommages d'un culte public, respecter leur mémoire, les monuments de leur piété, les restes de leurs dépouilles mortelles ; implorer avec confiance leur intercession auprès de Dieu, c'est une des premières leçons que l'Église catholique donne à ses enfants, depuis l'établissement même du christianisme. On a vu de temps en temps des sectes hérétiques, envieuses de la gloire dont les Saints jouissent sur la terre, attaquer ouvertement ou s'efforcer de saper en secret le dogme précieux de notre croyance. Des anathèmes multipliés ont repoussé ces entreprises audacieuses : les Pères du concile de Trente n'ont fait que répéter contre cette impiété les condamnations portées par ceux de Chalcédoine, de Constantinople, et par le second de Nicée. On ne pourrait donc, sans être ennemi de la foi, refuser aux Saints ces honneurs, et nous enlever leur secours. Mais ne faudrait-il pas être insensé pour disputer aux premiers pasteurs de l'Église le droit de décerner ces triomphes, et de prononcer sur la sainteté qui les mérite? Ne serait-ce pas le comble du désordre que d'attribuer à la multitude un pouvoir dont il lui serait si facile et si funeste d'abuser? Ne faudrait-il pas être aveugle pour méconnaître dans les règles établies par la cour de Rome tous les moyens que la sagesse humaine, animée par l'esprit le plus pur de la Religion, est capable de suggérer, afin d'éviter jusqu'aux moindres soupçons de fraude ou de méprise? On pourra s'en convaincre dans cet Abrégé même, qui ne les représente qu'imparfaitement.

Il faudrait, en effet, supposer par une défiance criminelle que le Saint-Esprit manque à l'Église de Jésus-Christ dans une décision où la pureté du culte est si fort intéressée, pour croire qu'il ne prend aucune part à des conseils où l'on invoque si souvent ses lumières, avant d'inscrire de nouveaux noms dans les fastes sacrés. Tout le monde catholique convient que c'est une indécence scandaleuse, une témérité pleine d'injustice, d'affecter des doutes, et d'exciter des disputes en cette matière ; que c'est alarmer sans raison la piété des fidèles, attenter à la gloire des Saints, et autoriser l'impiété des hérétiques qui s'en déclarent les ennemis.

CHAPITRE IV.

Du culte autorisé par la béatification et la canonisation.

§ I. — On a réduit à sept articles tous les

honneurs que l'Église fait rendre aux Saints canonisés. Premièrement, leurs noms sont inscrits dans les calendriers ecclésiastiques, les martyrologes, les litanies, et les autres diptyques sacrés; secondement, on les invoque publiquement dans les prières et dans les offices solennels; troisièmement, on dédie sous leur invocation des temples et des autels; quatrièmement, on offre en leur honneur le sacrifice adorable du corps et du sang de Jésus-Christ; cinquièmement, on célèbre le jour de leur fête, c'est-à-dire l'anniversaire de leur mort; sixièmement, on expose leurs images dans les églises, et ils y sont représentés la tête environnée d'une couronne de lumière qu'on appelle *auréole;* septièmement, enfin, leurs reliques sont offertes à la vénération du peuple, et portées avec pompe dans les processions solennelles. C'est dans tout l'univers chrétien que ce culte est autorisé par le décret de leur canonisation. Quand le souverain pontife a déclaré leur sainteté, c'est un devoir pour tous les fidèles de la reconnaître, et de leur payer le juste tribut de respects dus à cette qualité sublime.

§ II. — La béatification, au contraire, n'est regardée que comme le préliminaire d'une canonisation; c'est une espèce de permission provisoire, restreinte par sa nature à l'étendue des lieux ou à la qualité des personnes. Les serviteurs de Dieu reçoivent, en conséquence de ce jugement, le titre de bienheureux: une ville, une province, un ordre, un diocèse, peuvent alors les honorer sous ce nom; quelquefois on approuve un office particulier, qui ne se récite qu'en secret sans préjudicier à celui du jour; mais il faut un indult du Pape pour ériger des autels en leur nom, et même pour exposer dans une église ou leurs portraits ou leurs reliques.

Un décret du Pape Alexandre VII, de l'année 1659, défend absolument d'étendre aux béatifiés les honneurs qu'on rend légitimement aux Saints canonisés.

CHAPITRE V.

De la congrégation des Rites.

§ I. — Depuis que l'Église Romaine fut mise en possession de prononcer sur les honneurs qu'on doit aux Saints, elle dut avoir un tribunal où ces matières fussent discutées avec toute la maturité que mérite leur importance. La congrégation des Rites, qui doit son établissement à Sixte Quint, est particulièrement occupée de ce grand objet: il partage ses attentions avec le détail des offices et des cérémonies ecclésiastiques qui lui donnent son nom.

Des cardinaux choisis par le Pape sont les juges du premier ordre. Il ne paraît pas que le nombre en soit déterminé. Dans l'institution on en trouve cinq; mais dans les actes postérieurs, on en voit sept pour l'ordinaire, et quelquefois jusqu'à neuf. Ces prélats ont à leur tête un président perpétuel. Et dans chaque procès de béatification, le Pape nomme un d'entre eux à l'office de rapporteur. Ils prêtent tous serment de garder sur les procédures un secret inviolable, et de remettre au secrétaire de la congrégation toutes les lettres de recommandation qui leur sont adressées. On leur permet de se choisir deux théologiens ou canonistes, dont ils prennent les avis; mais ces conseillers ne sauraient abuser de leur confidence, parce qu'ils jurent aussi d'observer le même secret.

§ II. — Les juges du second ordre portent le nom de consulteurs, et prêtent le même serment que les cardinaux. Ils sont à la nomination du Pape; mais plusieurs officiers de la cour Romaine ont ce titre, attaché de droit à leur charge. Le maître du sacré palais, le sacristain de la chapelle pontificale, l'auditeur du Pape, l'assesseur de l'inquisition, sont consulteurs nés; de même que les trois plus anciens auditeurs de Rote, qui ont retenu ce privilége depuis que les procès de béatification et de canonisation ont passé de leur tribunal à celui de la congrégation des Rites. Ces auditeurs ont droit de se choisir un conseiller, comme les cardinaux. Les autres consulteurs ne le peuvent sans dispense.

C'est l'usage à Rome que certains ordres religieux fournissent toujours des membres à ce conseil; les Dominicains, les Mineurs, les Barnabites, les Servites et les Jésuites, sont en possession de cet honneur.

§ III. — La congrégation a ses officiers. Les uns d'une qualité supérieure, avec droit de suffrage et rang de consulteurs. Tels sont, premièrement, le promoteur de la foi, dont la fonction ressemble à celle de procureur, ou d'avocat-général dans nos cours souveraines. C'est lui qui représente la partie publique; il élève des doutes, et fait naître des difficultés qu'il faut résoudre; mais il opine comme juge, contre le sentiment même qu'il proposait comme promoteur, quand le droit ou les faits sont suffisamment éclaircis. Secondement, le

secrétaire de la congrégation, qui prend soin aussi d'annoncer aux prélats qui la composent, le jour des assemblées, et les matières qu'on y doit traiter. Troisièmement, enfin, le protonotaire apostolique, qui remplissait autrefois la charge du précédent, et qui le fait encore en son absence.

Les officiers subalternes sont, premièrement, le sous-promoteur, qui sert de conseil et de vice-gérant au promoteur de la foi. Il jure le secret, il fait l'extrait des procédures et des mémoires; il en signe les originaux et les copies, imprimées ou manuscrites; et il est présent à toutes les informations, vérifications ou reconnaissances d'écritures. Secondement, le notaire de la congrégation, qui dresse tous les actes authentiques, et veille à la garde des archives renfermées dans le Vatican. Il en tire par ordre du cardinal rapporteur, ou à l'instance du promoteur, les anciennes procédures des canonisations. Autrefois on les communiquait aux procureurs en original; mais à présent on n'en délivre que des copies. Troisièmement, les procureurs du sacré palais, qui peuvent seuls écrire dans les causes de béatification ou de canonisation. Innocent XI leur avait défendu d'entreprendre plus de quatre instances à la fois, mais ils n'observent pas ce règlement à la rigueur. Quatrièmement, les avocats consistoriaux, qui traitent dans ces procès les questions de droit, et qui dressent les mémoires. C'est de ce corps qu'on tire toujours le promoteur de la foi. Mais comme il est peu nombreux, et que les douze canonistes qui le composent sont pour l'ordinaire employés à d'autres fonctions, la congrégation des Rites approuve d'autres avocats pour tenir leur place. Enfin on appelle des interprètes, quand il est nécessaire, pour les actes dressés en des langues étrangères; des médecins, des physiciens et des mathématiciens, quand les circonstances l'exigent. On observe même d'en nommer un pour soutenir l'affirmative, et un autre pour la négative, afin de mieux éclaircir les doutes les plus importants.

Urbain VIII avait défendu d'imprimer les procédures. Alexandre VII l'a permis; mais on n'en tire que soixante exemplaires, qui sont signés et paraphés par le sous-promoteur. C'est à l'imprimeur de la chambre Apostolique à faire l'édition. L'original manuscrit, outre la souscription du sous-promoteur, doit être muni de celle du secrétaire et du sceau de la congrégation.

Il y a des solliciteurs qui se chargent de poursuivre en cour de Rome l'expédition des causes de béatification ou de canonisation. Autrefois les consulteurs prenaient cet emploi; mais ils ne l'acceptent plus, depuis une défense de Clément XI.

§ IV. — La congrégation des Rites tient tous les mois des assemblées ordinaires, dans le palais pontifical; pour lors, elle n'est composée que des cardinaux, du promoteur de la foi, du protonotaire, du maître des cérémonies, et du secrétaire. Mais c'est dans les séances ou congrégations extraordinaires que se traitent principalement les articles les plus importants des causes de béatification ou de canonisation. On en distingue de trois sortes: congrégations antépréparatoires, préparatoires et générales.

La congrégation antépréparatoire se tient dans le palais du cardinal rapporteur, pour le mettre lui-même plus parfaitement au fait de l'affaire dont il est chargé. Les consulteurs lui donnent tour-à-tour leur avis; mais il ne déclare point le sien. La congrégation préparatoire s'assemble dans le palais pontifical, pour instruire des circonstances et difficultés de la cause tous les cardinaux du tribunal. Chacun des consulteurs y porte son suffrage; mais les prélats n'assistent que pour les écouter. La congrégation générale est honorée de la présence du Pape. Les consulteurs y parlent debout, et sortent aussitôt. Mais ils se tiennent dans l'antichambre, tout prêts à rentrer, s'ils sont appelés. Les cardinaux disent ensuite leur sentiment.

On discute dans les assemblées extraordinaires quatre sortes de questions, ou de doutes, comme on dit à Rome. Les uns sont comme des préliminaires, les autres sont définitifs. Avant la béatification, on demande: 1° Si la qualité requise des vertus chrétiennes est bien attestée, premier doute préliminaire; 2° si le nombre compétent des miracles est suffisamment prouvé, second doute préliminaire, 3° on demande s'il est expédient de procéder à la *béatification*, vu les procédures, les preuves et les réponses aux objections; c'est le premier des doutes définitifs. 4° Après la béatification et la reprise d'instance, on demande s'il faut procéder à la canonisation: c'est le quatrième doute.

Autrefois on tenait tous les ans trois congrégations générales, selon le décret d'Urbain VIII, et dans chacune on agitait trois de ces

questions. Aujourd'hui l'on n'en tient que deux chaque année, dans lesquelles on discute au long un des doutes préparatoires des vertus ou des miracles, et sommairement une des questions définitives de béatification ou de canonisation.

Les instances moins importantes, qui s'élèvent dans le cours d'un procès de canonisation, sont terminées par des sentences interlocutoires, dans les congrégations ordinaires de chaque mois; et ces jugements sont ratifiés par le souverain pontife, avant qu'on tienne les deux assemblées qui précèdent la congrégation générale.

CHAPITRE VI.

Des anciennes formalités.

§ I. — Rien de plus simple que les procédures dont les siècles antérieurs nous ont conservé le souvenir. Un concile général devait porter, comme on l'a vu, l'arrêt de canonisation. On y lisait la vie du serviteur de Dieu, qui contenait le recueil et la preuve de ses vertus. On ajoutait les dépositions authentiques des témoins oculaires, pour attester ses miracles, et le synode décidait s'il devait être mis au rang des bienheureux. Les Papes crurent dans la suite devoir prendre des précautions qui rendissent l'examen plus rigoureux et la sainteté plus constatée.

Tel fut, jusqu'au pontificat d'Urbain VIII, l'ordre de ces discussions. Premièrement, la cour de Rome, sollicitée par des personnes graves qui demandaient un jugement de canonisation, prenait un délai suffisant pour connaître à fond la validité des témoignages qu'on lui produisait; ce temps écoulé, le Pape, dans un consistoire secret, communiquait aux cardinaux les requêtes qu'on avait présentées, et les raisons qu'on avait alléguées. Secondement, il ordonnait à quelques évêques, voisins des lieux, de faire une information juridique sur le bruit commun de la sainteté de ceux qu'on lui préconisait et sur la renommée publique des miracles opérés par leur intercession. Cette procédure des commissaires était examinée dans un consistoire secret. Si le Pape et les cardinaux la trouvaient concluante, on donnait une commission nouvelle aux anciens délégués, ou à d'autres à leur place, pour informer dans un plus grand détail, non seulement en général sur la réputation de miracles et de sainteté, mais encore sur la vie tout entière des serviteurs de Dieu, sur chacune des vertus en particulier, et sur chacun des miracles qui devaient être proposés. Troisièmement, ces enquêtes étant remises au Pape, sa sainteté les distribuait à des hommes habiles; quelquefois à ses chapelains, et plus récemment à des auditeurs de Rote, pour en faire l'extrait et le rapport. Ces premiers examinateurs réduisaient les preuves à des questions sommaires, qui devaient être jugées par les cardinaux, et ils y discutaient assez au long les raisons et les difficultés. Quatrièmement, quand tous les doutes avaient été résolus à l'avantage des solliciteurs, sur le rapport d'un évêque, d'un prêtre et d'un diacre, tous trois membres du sacré collége, on tenait le consistoire public, où tous les évêques étaient appelés; on chargeait ordinairement sept ou huit de ces prélats de faire une exposition détaillée de la cause. Ces discours d'appareil occupaient tout le temps de la première séance, et l'on indiquait un autre consistoire pour prendre les suffrages. Dans la suite, un seul avocat consistorial fut chargé de faire l'exposition de la cause au premier consistoire public; il se résumait en peu de mots dans le second, et les prélats donnaient tour à tour leur avis. Cinquièmement, enfin, le Pape, ayant prescrit un jour pour la solennité de la canonisation, se rendait, avec toute sa cour, à l'eglise marquée, qu'on ornait avec la plus grande pompe. Il y faisait lui-même le récit abrégé du procès; il exhortait tous les assistants à demander pour lui les lumières du Saint-Esprit; et après la prière, il dictait à haute voix la sentence définitive.

§ II. — Si ces formalités furent observées avec exactitude pour les canonisations, il paraît d'ailleurs qu'on était bien moins scrupuleux pour les béatifications. On donnait alors assez facilement des permissions particulières d'honorer quelques serviteurs de Dieu dans certaines églises, d'en réciter l'office, et d'exposer publiquement leurs reliques à la vénération des fidèles. On se contentait souvent d'expédier un bref, pour autoriser ce culte, qui n'était pas général.

Mais il ne faut pas croire qu'on accordât de semblables permissions, sans aucun examen, et sans un juste discernement; on trouve les preuves du contraire dans plusieurs de ces lettres apostoliques, où l'on fait une mention expresse du soin que le Pape s'était donné pour être assuré de la sainteté de ceux à qui ces honneurs étaient déférés. Si ces précau-

tions ne sont pas exprimées dans les autres, on n'en doit pas inférer qu'elles n'ont pas été prises.

CHAPITRE VII.

Des nouvelles formalités.

§ I.—Les procédures, qui sont aujourd'hui les préliminaires indispensables d'un jugement de béatification et de canonisation, sont longues et rigoureuses. Nous en donnerons ici seulement une description abrégée : chaque partie principale sera traitée dans la suite avec le détail qui convient à notre extrait.

Les premières instructions sont dressées sur les lieux par l'évêque diocésain. Il commence le procès par deux instances différentes. La première est une information pour constater la renommée publique des vertus et des miracles. La seconde est une perquisition exacte pour assurer qu'on a fidèlement exécuté les décrets d'Urbain VIII, qui défendent de rendre aucun culte public aux serviteurs de Dieu, quand ils ne sont encore ni béatifiés ni canonisés. L'ordinaire est absolument le juge en ces deux causes ; il les commence de son propre mouvement, et doit porter sa sentence. S'il négligeait de le faire, on lui renverrait de Rome ses procédures, pour qu'il décidât lui-même.

Ses enquêtes et ses jugements sont donc portés à la cour du pape, et déposés chez le notaire de la congrégation des Rites. Les solliciteurs de la cause en demandent l'ouverture par une requête qui se présente à l'une des séances ordinaires ; les cardinaux y répondent à-peu-près ainsi : « Soient ouvertes les « procédures, avec les formalités accoutu- « mées. » Il faut citer le promoteur de la foi, et produire des témoins admissibles, qui reconnaissent la signature et le sceau du prélat diocésain. Ils sont interrogés par le notaire ; et l'ouverture se fait en présence du cardinal président de la congrégation. Alors on demande au Pape qu'il nomme un cardinal rapporteur, et des interprètes, s'il en est besoin. Les écrits de la personne proposée doivent être examinés aussitôt après l'approbation des sentences de l'ordinaire. Si ces ouvrages sont exempts de reproche, le Pape signe la commission, qui permet, à l'instance des solliciteurs, que la congrégation des Rites travaille à l'instruction du procès de béatification; mais il faut que dix ans entiers se soient écoulés depuis que les actes dressés par l'évêque diocésain ont été portés à Rome.

§ II. — La signature de la commission apostolique, ouvre la vaste carrière des informations qui doivent être faites par l'autorité du souverain pontife. Toute procédure entreprise depuis par l'ordinaire des lieux, est nulle de plein droit.

Souvent on diffère jusqu'à la signature de la commission, d'informer sur l'observation des décrets d'Urbain VIII; en ce cas, c'est par l'autorité du Pape que les enquêtes se font sur les lieux, et c'est à la congrégation des Rites qu'il appartient d'en décider. Lorsque l'évêque diocésain a prévenu ce tribunal, par le jugement qu'il est en droit de rendre sur cette matière, les solliciteurs, après la signature, demandent aux cardinaux un décret d'attribution, qui nomme trois évêques pour informer en général, comme délégués du S.-Siége, sur le bruit commun des vertus et des miracles. Les actes sont envoyés tout cachetés au secrétaire de la congrégation, qui les remet au notaire; c'est en présence du promoteur et par ordre de la congrégation que le protonotaire en fait l'ouverture.

Quand ces premières enquêtes des commissaires apostoliques ont été vérifiées dans les séances ordinaires de la congrégation des Rites, on demande un nouveau décret d'attribution, pour informer en détail sur chaque vertu particulière, et sur chacun des miracles à proposer. Cette seconde procédure est examinée comme les précédentes ; si la congrégation la trouve en bonne forme, on passe à l'examen des doutes, ou questions définitives; premièrement des vertus, secondement des miracles. Mais on ne procède à la discussion des premières, en cour de Rome, que cinquante ans après le décès de la personne préconisée.

L'approbation des vertus est donc décidée dans les trois congrégations extraordinaires dont nous avons parlé, antépréparatoire, préparatoire et générale. Quand elle est déterminée, les miracles sont examinés de même ; le nombre en est fixé, dans la rigueur, à deux seulement; mais on en propose très-souvent davantage. Dans ces assemblées générales, le souverain pontife recueille les opinions, et se règle sur l'avis dominant, qui doit réunir au moins les deux tiers des voix ; mais c'est le Pape seul qui prononce en secret devant le promoteur et le sécrétaire de la congrégation des Rites.

§ III. — Après la sentence définitive sur les

doutes des vertus et des miracles, on délibère dans une congrégation générale sur la béatification, c'est-à-dire qu'on décide s'il convient d'y procéder. Après avoir pris les avis, le Pape demande à l'assemblée le secours de ses prières; on tient ensuite les trois consistoires, dont nous parlerons; et enfin, quand Sa Sainteté le juge à propos, elle mande au secrétaire des brefs d'expédier celui de la béatification, indiquant le jour et le lieu de la solennité.

Après la béatification, il faut qu'il s'opère de nouveaux miracles, pour qu'on puisse travailler à la canonisation; quand les solliciteurs de la cause s'en sont assurés, on demande alors la reprise de l'instance, et un nouveau décret d'attribution pour informer, par l'autorité apostolique, de ces miracles nouvellement opérés, on les discute, comme les premiers, dans trois congrégations extraordinaires, et enfin on examine, dans une assemblée générale, et dans les consistoires, s'il est à propos de faire la canonisation. Autrefois on revenait sur la question des vertus, procédure inutile qu'on a supprimée.

Dans les causes des martyrs, à la place du doute de sainteté, on agite celui du martyre même et de sa cause; on y examine aussi des miracles, qui peut-être ne sont pas absolument nécessaires, mais du moins très-utiles, pour mettre la sainteté des athlètes de la foi dans un plus grand jour; c'est l'usage le plus sûr, et la pratique ordinaire.

§ IV. — Il y a des cas privilégiés, selon la bulle d'Urbain VIII. Lorsque des serviteurs de Dieu sont en possession d'un culte public, par un indult du Pape, par une permission de la congrégation des Rites, par le consentement de l'Eglise universelle, par l'autorité des Pères et des écrivains ecclésiastiques, ou enfin par une tradition immémoriale; cet usage, qui forme en leur faveur un titre de prescription, s'appelle *béatification équipollente*. Nous avons dit que dans les causes ordinaires, l'évêque doit juger d'abord si les décrets d'Urbain VIII ont été fidèlement observés. Dans les causes d'une béatification équipollente, c'est à lui pareillement à constater, par une procédure, le cas privilégié. Cette sentence du prélat diocésain tient lieu de toutes les autres, et l'on procède aussitôt à l'examen des vertus et des miracles, pour la canonisation.

CHAPITRE VIII.

Des solennités d'une canonisation, et des dépenses qu'elles exigent.

§ I. — Les trois assemblées générales de la congrégation des Rites dont nous avons parlé, ne doivent point être regardées comme le dernier tribunal où se traitent les affaires de béatification ou de canonisation. Après que les doutes y sont résolus, il faut encore trois consistoires, avant que le souverain pontife prononce définitivement. Le premier est un consistoire *secret;* le second est *public;* le troisième est, en quelque sorte, mitoyen; aussi l'appelle-t-on *sémi-public :* c'est assez l'usage d'attendre long-temps à les tenir; de-là quelquefois il arrive que le Saint-Siége vient à vaquer pendant ces délais; mais les procédures n'en souffrent point; le nouveau pontife reprend toujours la cause au même état où son prédécesseur l'avait laissée.

Dans le consistoire *secret,* c'est le Pape qui traite de la béatification ou de la canonisation, à la tête du collége entier des cardinaux. Le secrétaire a soin de distribuer auparavant quelques feuilles imprimées qui contiennent un abrégé de la vie des personnes proposées, avec une courte énumération de leurs vertus et de leurs miracles. Le président de la congrégation des Rites fait son rapport en peu de mots; chacun des prélats donne son avis. Dans le consistoire *public,* outre le sacré collége et tous les évêques, on convoque les consulteurs et les officiers de la congrégation des Rites, les protonotaires, les auditeurs de la chambre Apostolique, les avocats consistoriaux, le gouverneur de Rome, les ambassadeurs des princes catholiques, et les députés des villes du domaine pontifical. Dans cette assemblée nombreuse, un des avocats consistoriaux fait une harangue détaillée sur les mérites du serviteur de Dieu, dont la sainteté doit être déclarée. Ce discours occupe toute la séance; et quand on canonise plusieurs Saints à la fois, on tient pour chacun un consistoire public. Le troisième, qu'on appelle *sémi-public,* n'est composé que des cardinaux et des évêques qui se trouvent alors à Rome. Le Saint Père demande tour-à-tour le suffrage des prélats; ils prononcent chacun un petit discours qui contient quelques maximes générales sur les vertus ou miracles dont ils se servent pour appuyer leur avis.

§ II. — C'est le Pape qui désigne l'église

qu'il a choisie pour les cérémonies d'une béatification ou canonisation; c'est pour l'ordinaire dans la basilique du Vatican qu'elles sont célébrées. L'usage s'est établi très-sagement d'en faire plusieurs à la fois; on observe, en nommant ces nouveaux Saints dans les prières ou les décrets, les degrés de la hiérarchie ecclésiastique; et quand les dignités sont égales, on suit le droit de l'ancienneté.

Tout l'appareil de la fête commence donc, quand Sa Sainteté le juge à propos, par une procession solennelle, où l'on déploie pour la première fois la bannière des nouveaux Saints qu'on va béatifier, ou canoniser. Le Pape, assis sur son trône, dans la basilique, reçoit les hommages ordinaires de sa cour. Le maître des cérémonies conduit ensuite aux pieds de Sa Sainteté le procureur de la cause, et l'avocat consistorial, qui demandent la béatification ou la canonisation.

Alors le secrétaire des brefs ordonne à l'assemblée de joindre ses prières à celle du Saint-Père; et on chante les *Litanies*. La même demande se fait une seconde fois, et l'on chante l'hymne *Veni Creator;* enfin, après la troisième instance de l'avocat, le même secrétaire déclare que c'est la volonté du Pape d'y procéder sur-le-champ. L'avocat en requiert des lettres apostoliques en bonne forme; Sa Sainteté les accorde, et le plus ancien des protonotaires prend à témoin toute l'assemblée; l'on entonne le *Te Deum*. Dans l'oraison qui suit, dans la confession que chante le diacre officiant, dans l'absolution que donne le Pape, les noms des nouveaux saints sont récités avec les autres; et la messe solennelle est célébrée par le souverain pontife en leur honneur.

Le décret de canonisation est conçu en ces termes : « A la gloire de la très-sainte Trinité, « pour l'exaltation de la foi catholique et l'ac- « croissement de la Religion chrétienne; en « vertu de l'autorité de Jésus-Christ, des saints « apôtres S. Pierre et S. Paul, et de la nôtre; « après une mûre délibération et de fréquentes « invocations de la lumière céleste, du con- « sentement de nos vénérables frères, les car- « dinaux, patriarches, archevêques et evêques « présents à Rome, Nous déclarons que les « bienheureux N. N. sont Saints, et nous les « inscrivons, comme tels, dans le catalogue « des Saints. Au nom du Père, et du Fils, et du « Saint Esprit. Ainsi soit-il. » Tandis qu'on chante le Symbole à la messe pontificale, il se fait des offrandes singulières; un cardinal évêque présente deux cierges; il est accompagné d'un orateur qui porte un cierge d'une main et de l'autre une corbeille dorée, qui renferme deux tourterelles..... Un cardinal prêtre offre deux grands pains, l'un argenté, l'autre doré; l'orateur qui le suit porte un cierge et deux pigeons blancs, dans une corbeille argentée.... Un cardinal diacre apporte deux barils pleins de vin, l'un doré, l'autre argenté; l'orateur offre un cierge et une corbeille peinte, pleine de petits oiseaux de toute espèce. Si l'on était curieux de donner quelque sens mystique à ces offrandes, on n'aurait qu'à lire les auteurs Italiens, comme Ange de Roca, Jean-Baptiste Marus et autres.

§ III. — Avec tant de formalités et de procédures juridiques, il serait impossible de parvenir sans frais à la canonisation d'un Saint : les dépenses sont grandes, il en faut convenir; mais c'est un frein nécessaire pour réprimer mille demandes indiscrètes dont l'Eglise romaine serait accablée. Loin de regarder ces contributions avec des yeux avides, on voit au contraire depuis long-temps la cour pontificale travailler efficacement à la réduction de ces droits, qu'elle ne peut retrancher entièrement à ses officiers.

Dans les informations, les juges n'ont jamais aucun salaire; ceux des notaires greffiers sont taxés par chaque feuille de grosse, et on a réglé jusqu'au nombre de mots et de syllabes qu'elles doivent contenir. Le promoteur, pensionné par le Pape, a de plus pour son honoraire un ducat d'or par chaque séance; les procureurs, les avocats consistoriaux et les imprimeurs, sont taxés de même. Le sous-promoteur a pareillement sa rétribution fixe de trente ducats par chaque doute.

Les cardinaux et les consulteurs ne reçoivent plus de présents; on leur donne seulement un portrait du Saint; on leur fournit en argent la chappe de camelot rouge qui leur est due, comme le rochet, le surplis; et les livrées aux autres prélats, officiers et domestiques de la cour du Pape.

On donne à la sacristie du Vatican 500 ducats pour une béatification, 1000 pour une canonisation; des présents aux avocats consistoriaux, aux secrétaires des brefs, et à d'autres. Mais pour éviter l'embarras inséparable de ces distributions, on en charge un homme de confiance, qui sait les droits et les usages.

Il faut payer les tapisseries, les échafauds et les peintures dont l'Eglise est ornée le jour de la fête; les principales vertus et les miracles les plus éclatants y sont représentés. Les tableaux sont dévolus au chapitre du Vatican, de même que tous les restes d'une multitude infinie de bougies, qu'il faut prodiguer pour l'embellissement de la basilique. On fournit encore tous les ornements qui servent à la messe pontificale; ils doivent être précieux, et le Saint-Père en fait présent à quelque Eglise de Rome. Enfin on orne splendidement la Confession des saints Apôtres. La pompe d'un si beau jour exige qu'on répande l'or et l'argent à pleines mains : d'ailleurs, avant que d'y parvenir, il faut plusieurs années de procédures qui précèdent le jugement définitif; les travaux de ceux qu'on emploie pour les dresser, méritent une honnête récompense. On peut hardiment défier la malignité la plus envenimée de trouver aucun gain sordide, aucune trace de monopole, aucun trait d'avarice, dans toutes ces dépenses. La somme est grande, il est vrai (cinquante mille écus de notre monnaie suffiraient à peine); mais si l'on considère la multitude des formalités, la longueur des procès et l'éclat qu'il faut donner à la solennité, on trouvera, je pense, qu'elle n'est pas excessive.

Livre second,

Qui contient le détail des formalités judiciaires.

CHAPITRE PREMIER.

Des procédures de l'ordinaire en général.

§ I. — On ne peut contester aux prélats diocésains le droit d'instruire et de juger définitivement, dans les deux premières instances dont nous avons parlé. Le saint concile de Trente, les décrets d'Urbain VIII, et l'usage constant de la congrégation des Rites leur en confirment la possession.

Il ne faudrait pas remonter jusqu'aux temps les plus reculés pour trouver l'origine de ces premières procédures; elles n'étaient point usitées, ou du moins la nécessité n'en était pas indispensable, comme aujourd'hui. Le simple rapport et les instances de quelques personnes graves, d'un prince, d'un prélat, ou d'un ordre entier, par exemple, suffisaient alors pour introduire une cause en cour de Rome et pour obtenir les commissions d'informer par l'autorité du Pape : cette pratique est abolie. Désormais le Saint-Siége n'est proprement saisi de l'affaire que par la signature de la commission apostolique; mais avant même qu'on la demande, il faut avoir fait approuver par la congrégation des Rites les actes et les jugements de l'ordinaire.

Les informations qui sont faites par son autorité, portent sur deux objets, comme nous l'avons indiqué. Le premier est la renommée publique de vertus et de miracles; le second est l'observation des décrets d'Urbain VIII. Il serait inutile de répéter ici que, sur le premier chef, la sentence du prélat doit absolument être portée, mais qu'il peut s'abstenir de prononcer sur le second, et qu'alors l'instance du culte est terminée par l'autorité de la cour romaine.

Sous le nom d'Ordinaire des lieux, on entend en cette matière l'évêque diocésain, non seulement celui qui possède en son territoire le corps des serviteurs de Dieu qui doivent être proposés, mais aussi tous ceux qui tiennent sous leur jurisdiction les lieux où les miracles sont opérés, et les résidences des témoins qu'il faut examiner. A Rome c'est le cardinal vicaire du Pape. Les évêques élus peuvent, avant leur sacre, faire les enquêtes, et juger, dès là, que la puissance juridique leur est dévolue. Dans la vacance des siéges, c'est au chapitre cathédral, ou à ses vicaires généraux, que ce droit appartient. Les administrateurs donnés à une Eglise pour quelque temps par le Saint-Siége, en jouissent de même. On a voulu le contester aux autres prélats inférieurs qui sont en possession d'une autorité comme épiscopale, dans un territoire séparé; mais il semble que la question est décidée maintenant en leur faveur. Autrefois on approuvait des procédures faites par un nonce apostolique, dans les pays de sa nonciature; par un grand-vicaire de l'évêque, sans délégation spéciale à cet effet; par les supérieurs réguliers, dans les ordres exempts : on les tiendrait aujourd'hui pour nulles de plein droit.

§ II. — Une lettre circulaire de l'année 1631, destinée de la part de la congrégation des Rites à tous les évêques du monde, renfermait à-peu-près l'essentiel des formalités qui doivent s'observer dans les procédures des ordinaires. Quelques décrets d'Innocent XI ont ajouté deux conditions, en sorte qu'on

pourrait les réduire à présent à dix : premièrement, pour éviter toute précipitation, il faudra que le bruit public atteste, pendant quelque temps, des vertus héroïques, et des miracles bien marqués, avant qu'on pense à commencer les procédures. Secondement, l'évêque lui-même présidera, s'il est possible, à toutes les enquêtes. Quand il est obligé de commettre à sa place un de ses vicaires généraux, ou quelqu'un des principaux de son clergé, ce juge délégué doit se faire assister d'un docteur en théologie, et d'un licencié en droit canon. Si le soin de recevoir les enquêtes était confié par l'ordinaire à un autre évêque, le prélat, pour y procéder, n'a pas besoin d'autres associés. Troisièmement, celui qui reçoit les dépositions doit à chaque article les contresigner avec les témoins mêmes qui les souscrivent. Quatrièmement, on doit exiger de chaque déposant un rapport bien circonstancié des faits; il ne suffit pas de lire aux autres le témoignage du premier, et de le faire approuver par leur consentement, il est ordonné de les entendre eux-mêmes, et de rédiger au long leurs réponses. Cinquièmement, on prendra serment du notaire, et de celui qui fait la fonction de promoteur, aussi bien que des témoins; ils jureront tous de garder un profond silence sur le contenu des interrogatoires. Sixièmement, on doit écrire au Pape pour notifier à Sa Sainteté la procédure et le jugement. Septièmement, on envoie, le plus tôt qu'il est possible, toutes les écritures copiées en bonne forme et bien cachetées, à la congrégation des Rites. Huitièmement, il faut conserver avec soin, dans les archives de l'Eglise cathédrale, les originaux enfermés dans une cassette bien scellée, sous plusieurs clés différentes, que l'on dépose chez des personnes notables. Neuvièmement, outre les témoins présentés par les parties qui sollicitent l'information, l'évêque doit en interroger d'office plusieurs autres, autant qu'il s'en pourra trouver en état de répondre. Dixièmement, enfin, on ne peut insérer les attestations, ou autres actes extrajudiciaires dans les écritures authentiques.

Telles sont les ordonnances qui doivent servir de règle. Il ne faut pas croire cependant que la moindre omission annulle entièrement les procédures et la sentence; il faudrait que ce fût un défaut capital, capable d'invalider, dans la rigueur du droit, tout autre jugement. Il est au moins très-expédient de se conformer dans la pratique, non seulement à ces lois, mais encore à toutes celles qui regardent les commissaires députés par la cour de Rome, que nous détaillerons plus bas.

§ III. — Reste à savoir quel fonds on fait dans le tribunal supérieur, sur les preuves qui résultent des enquêtes de l'ordinaire : il ne s'agit point dans cette question des deux articles qui les regardent proprement, c'est-à-dire, de la renommée publique de vertus et de miracles, et de l'observation des décrets d'Urbain VIII. Ils sont juges en cette matière, mais ils joignent communément quelques détails particuliers sur des miracles plus éclatants, ou sur des vertus plus marquées; on peut donc demander si les preuves des faits constatés dans ces premières instances sont admissibles ou non, dans le doute final, sur les vertus ou sur les miracles? Quelques auteurs ne les reconnaissent que pour des indices; d'autres voudraient les faire passer pour des convictions parfaites; mais on tient une juste milieu dans l'usage présent de la congrégation. Ces témoignages, réunis à ceux des informations faites par l'autorité du Pape, forment ensemble une certitude entière; on les regarde, pour ainsi dire, comme un supplément réciproque, surtout lorsque les circonstances du temps ou des personnes réduisent absolument les commissaires apostoliques à l'impossibilité d'entendre eux-mêmes des témoins oculaires qui comparaissaient dans les procédures de l'évêque diocésain.

CHAPITRE II.

Des décrets d'Urbain VIII, dont l'observation doit être prouvée.

§ I. — Déférer solennellement les honneurs que l'Eglise réserve pour les saints, à ceux qui ne sont point encore préconisés par son jugement, c'est une témérité digne de blâme et de punition. Un culte privé qui se borne à l'opinion de leurs mérites et de leur bonheur, au respect pour leur vertu, à la confiance en leurs prières, ne peut d'ailleurs être interdit; on le rend, dès cette vie même, aux serviteurs de Dieu qui se distinguent du commun des fidèles par une conduite exemplaire. Mais ne peut-on rien au-delà pour témoigner sa vénération à ceux qu'une sainteté plus éclatante, une mort glorieuse, et des miracles bien avérés, semblent nous indiquer comme des modèles à suivre, et des intercesseurs à supplier? Tout le monde convient assez qu'on peut en

quelque sorte laisser un libre cours à la dévotion du peuple chrétien, qu'il suffit de tenir la bride au zèle aveugle, et de réprimer la présomption. Mais quelles sont les justes bornes qu'il faut poser, et qu'on ne peut passer sans crime? C'est une question délicate, qui fut agitée vivement à Rome sous le pape Clément VIII. Il paraît qu'elle fut réduite à vingt-quatre articles, et que les opinions étaient alors fort partagées; l'affaire fut même assoupie par ordre du pontife, et les doutes proposés ne furent point résolus.

C'est au Pape Urbain VIII que la décision était réservée; dans son décret du 13 mars 1625, qu'il fit envoyer à tous les évêques, non seulement il interdit en général tout culte public, mais encore il défend en particulier, premièrement, de peindre les personnes mortes en odeur de sainteté, la tête couronnée du cercle de lumière, qu'on appelle *auréole;* d'exposer leurs tableaux dans les lieux saints, autels, églises et chapelles. Secondement, de publier des histoires de leur vie, des relations de leurs vertus et de leurs miracles, sans l'approbation de l'évêque diocésain, assisté de personnes doctes et pieuses. S'il arrive, dans le cours de ces ouvrages, qu'on donne à son héros le titre de *Saint* ou de *Bienheureux,* il ne faut l'entendre que de la perfection et de l'excellence de ses mérites, sans vouloir prévenir le jugement de l'Eglise, qui peut seule donner un véritable éclat à sa gloire et à sa sainteté. Les auteurs de pareils écrits doivent mettre à la fin de leur livre une protestation, dont la forme est prescrite à cet effet : on la trouve à la suite de notre Analyse. Troisièmement, enfin, il est défendu d'orner leurs tombeaux comme ceux des vrais Saints, d'y suspendre des lampes allumées, des images et des offrandes.

Telles sont les principales prohibitions portées par la loi fameuse du Pape Urbain VIII. Pour achever d'éclaircir cette matière, on peut consulter la réponse du cardinal Bellarmin aux objections que sa doctrine à cet égard avait essuyées. « Je n'ai point amplifié, dit-il; au « contraire, j'ai plutôt modéré les honneurs « qu'on peut rendre aux pieux serviteurs de « Dieu qui ne sont pas canonisés : j'ai dit qu'on « ne pouvait pas les proclamer ouvertement « comme Saints, les invoquer publiquement, « les nommer dans les *Litanies* et Prières so- « lennelles; ériger des autels ou des églises à « leur mémoire; les peindre avec la couronne « de gloire: placer leurs tableaux dans les tem- « ples; célébrer leurs fêtes avec la pompe des « offices ecclésiastiques, et honorer publique- « ment leurs reliques : mais aussi j'ai dit, et « je le répète encore, que l'Eglise ne défend « rien au delà de ces pratiques d'un véritable « culte. Je soutiens donc toujours que les sim- « ples fidèles peuvent en particulier regarder « comme bienheureux ces serviteurs de Dieu « c'est-à-dire, les estimer dignes des honneurs « de la canonisation, et en ce sens, leur don- « ner même le titre de Saints; qu'on peut « être pénétré pour eux de la vénération « qu'inspire la sainteté; qu'on peut dans ses « besoins les invoquer avec confiance, et sol- « liciter leur intercession auprès de Dieu; « qu'il est permis de célébrer une espèce de « fête, ou de rejouissance le jour de leur « mort; permis enfin de garder leurs images « avec dévotion, et de conserver leurs reli- « ques avec décence, mais hors des lieux sa- « crés. » Nous ne devons rien ajouter à ce petit fragment; il contient un précis tel qu'il fallait à notre extrait : il a d'ailleurs l'approbation du souverain pontife; et la pratique de la congrégation des Rites est conforme au sentiment que Bellarmin y développe.

C'est donc au célèbre décret de 1625 qu'il faut rapporter l'origine du procès qui s'instruit, pour certifier que le culte ainsi prohibé n'a point été rendu. Le mépris de cette loi, violée par un seul hommage indiscret; le défaut même de sentence définitive sur cet article, rend nulle absolument toute autre procédure, tout jugement, ou déclaration portée par quelque autorité que ce puisse être : les infracteurs clercs ou laïcs, réguliers ou séculiers, sont aussi sujets à des peines canoniques, telles que l'excommunication, la suspense et l'interdit. Mais pour procéder juridiquement aux enquêtes, et prononcer une sentence qui ne soit point rejetée par la congrégation des Rites, le prélat diocésain, assisté de son promoteur et d'un notaire ecclésiastique, doit premièrement faire comparaître des témoins dignes de foi, qui déposent, avec serment et selon toutes les formalités de droit, qu'ils ont vu plusieurs fois le tombeau de la personne proposée, ses images et ses reliques, sans aucune marque de culte public. Secondement, il doit citer à son tribunal et interroger exactement tous ceux qui pourraient avoir vu des portraits, tels qu'il est défendu d'en faire, ou des actes de vénération prohibés par le décret. On doit surtout examiner les personnes qui peuvent

naturellement être suspectes, comme intéressées à la canonisation. Troisièmement, le prélat doit faire afficher aux portes des églises, et dans les autres endroits publics, une ordonnance pour enjoindre, sous peine de censures, à tous ceux qui sauraient ou qui soupçonneraient quelque preuve de culte, de venir le révéler dans un temps prescrit. Quatrièmement, il fera lui-même la visite du tombeau, des églises, des monastères, maisons et autres lieux où l'on pourrait imaginer que ces honneurs auraient été ci-devant rendus, ou le seraient encore à présent, et dressera sur la place même son procès-verbal en bonne et due forme. Cinquièmement, il s'assurera pour le moins par des attestations bien sûres, encore mieux par des actes authentiques des autres évêques, s'il y avait quelques indices ou quelques conjectures qui demandassent d'informer aussi dans leur territoire. Sixièmement, enfin, il prononcera sa sentence définitive.

Nous avons dit que ces procédures, ainsi dressées, doivent au plus tôt être envoyées en cour de Rome : on en demande l'ouverture à la congrégation des Rites. Dans la rigueur, on devrait agiter un doute sur leur validité, dans les assemblées générales et devant tous les consulteurs; mais on obtient communément une dispense du Pape, et les actes sont examinés dans les séances ordinaires par les seuls cardinaux, en présence du promoteur, dont ils essuient toutes les critiques. Si les preuves y sont concluantes, et l'observation des décrets suffisamment justifiée, quelque défaut de formalité dans le prononcé de l'ordinaire n'obligerait point à recommencer les informations ; mais, sans avoir égard à son jugement, la congrégation dirait elle-même que l'observation des décrets est bien constatée, et qu'on peut passer outre.

CHAPITRE III.

Du cas privilégié.

§ I. — Les prohibitions d'Urbain VIII, ainsi qu'il s'en est expliqué lui-même, ne doivent point s'étendre aux bienheureux qui sont universellement honorés dans l'Eglise; le culte qu'on leur rend doit subsister en son entier. La prescription est un titre en leur faveur qui leur tient lieu de béatification. Quand elle est constatée par la sentence de l'ordinaire, ou des commissaires apostoliques, on procède aussitôt à la canonisation, après l'examen des vertus particulières et des miracles. Ce n'est pas qu'il faille toujours un nouveau jugement de canonisation, pour autoriser les hommages que reçoivent des Saints reconnus depuis plusieurs siècles, ou dans tout l'univers chrétien, ou dans quelques Eglises ; le laps de temps, avec la permission au moins tacite des puissances, suffit pour les rendre légitimes; on n'a pas besoin pour eux de nouvelle déclaration, et il ne serait pas convenable de révoquer en doute leur sainteté, proclamée selon toute l'autorité des anciennes formalités. Mais dans les causes plus récentes, nées depuis la réserve entière au Saint-Siége Apostolique, depuis le siècle qui précéda le pontificat d'Urbain VIII, ou plus sûrement encore depuis son célèbre décret de l'année 1625, on peut être plus assuré de n'obtenir jamais une bulle de canonisation, si l'on omet l'instance du cas privilégié, quand elle doit avoir lieu. Dans les procès de cette nature, il n'est pas nécessaire d'informer sur le bruit public ; il serait impossible de prouver l'observation des décrets sur le culte prohibé ; mais à la place de ces deux jugements, le prélat diocésain, ou les juges délégués, prononcent sur les titres produits, que l'affaire doit être traitée comme une exception aux règles communes, ou sur le pied d'un cas privilégié. La sentence et les actes sur lesquels elle est fondée, sont examinés avec soin dans les séances ordinaires de la congrégation des Rites, et discutés par le promoteur. L'approbation de ces procédures s'appelle en style de ce tribunal, *une béatification équipollente.*

§ II. — C'est alors que le culte introduit auparavant reçoit enfin le sceau de l'autorité la plus authentique. Mais pour le mériter, il faut qu'il se trouve appuyé de quelqu'une des raisons suivantes, dont une seule suffit pour fonder cette instance du cas privilégié. Premièrement, le consentement unanime de l'Eglise; c'est à ce titre que tous les Saints anciennement décorés de cette auguste qualité, jouissent des prérogatives d'un culte religieux. En établissant de nouveaux usages, les souverains pontifes n'entendirent jamais préjudicier à des droits si justement acquis ; mais il ne paraît pas qu'on puisse désormais appliquer cette règle à des cas plus récents. Secondement, le témoignage et l'autorité des saints Pères, ou des écrivains ecclésiastiques. On ne trouve point d'exemple que cette preuve seule ait été produite avec fruit dans des causes nouvelles. Régulièrement parlant, saint Bernard est le dernier des saints Pères. Les

auteurs modernes auraient peine à se concilier une déférence telle qu'on l'a pour les anciens ; on exigerait du moins que leurs attestations fussent bien appuyées, bien claires, bien concluantes ; et il ne semble pas vraisemblable qu'on puisse les produire ainsi, sans justifier en même temps la prescription juridique d'un culte immémorial; ce qui fait rentrer ce second moyen dans le suivant: Quoi qu'il en soit, on tient pour assuré que les éloges donnés à des personnes vivantes, les titres d'honneur, attachés par la coutume, ou accordés par respect à leur dignité; les relations vagues, les visions et les révélations mêmes (si ce n'est celles des autres Saints, quand elles sont bien indubitables), ne doivent faire aucune impression sur des juges éclairés. Troisièmement, le culte immémorial, ou la possession de cent ans et plus avant le décret d'Urbain VIII de l'année 1625, ou la bulle de confirmation de 1634; c'est à cette époque qu'il faut remonter. Il est inutile de dire qu'une prescription, qui se prend plus de deux siècles avant nos jours, ne se prouve plus par témoins, mais par les actes et les monuments; des autels érigés, des tombeaux décorés, des tableaux exposés dans les temples, des reliques distribuées, des translations solennelles, des visites épiscopales, des fondations et legs pieux, des témoignages publics d'historiens et d'auteurs; ce sont les pièces de conviction qu'on avait produites, toutes les fois que la cour de Rome a reconnu le cas privilégié du culte immémorial. On ne doit pas cependant, dans une pareille instance, négliger d'entendre les témoins les plus anciens et les mieux instruits. Par leur déposition, on montre que la possession dure depuis longtemps, sans nulle interruption ; car on leur fait attester, non-seulement ce qu'ils ont vu de leurs propres yeux, pendant cinquante ou soixante ans, mais encore ce qu'ils ont appris pendant leur jeunesse des vieillards de ce temps-là. Si l'on joint les preuves qui résultent de leurs réponses à celles qu'on a tirées des titres et des monuments, il s'en forme une certitude parfaite sur la prescription. Quatrièmement, enfin, un indult du Pape ou une permission de la congrégation des Rites. On ne conteste point au Saint-Père le droit d'accorder de semblables grâces, même sans l'appareil des formalités judiciaires, après un examen sérieux, quoique privé des preuves qui le déterminent. Tout ce qui se rapporte au culte public et solennel, comme nous l'avons détaillé, rend par soi-même le cas privilégié, quand il est autorisé par le consentement du souverain pontife; mais il faut que la sainteté soit reconnue directement et par un décret formel, écrit ou de vive voix, n'importe, pourvu que dans le dernier cas on le certifie par une enquête et des témoins dignes de foi.

C'est ainsi qu'Urbain VIII explique lui-même en ses décrets les exceptions qu'il convient de mettre aux défenses générales, de déférer des honneurs publics aux serviteurs de Dieu, qui ne sont encore ni canonisés ni béatifiés. L'évêque diocésain, ou à son défaut les commissaires députés par le Saint-Siége, après la signature de la commission Apostolique, dressent sur ces principes le procès qui doit assurer que le cas est privilégié. Ces juges citent les témoins, les examinent et les entendent sur le culte immémorial et la tradition de leurs pères; ils vérifient les actes et les autorités qu'on produit; ils visitent par eux-mêmes les monuments qui leur sont indiqués ; ils en dressent des procès-verbaux sur les lieux. Enfin, après avoir pesé les preuves, ils prononcent que l'on doit procéder dans la cause sur le pied d'exception aux règles du non-culte, et qu'ils ont trouvé de vrais fondements à une béatification équipollente. La congrégation ordinaire est comme le second tribunal où leur sentence doit être ratifiée; mais le souverain pontife est le dernier et le suprême arbitre qui décide en dernier ressort.

CHAPITRE IV.

Des deux instances sur la renommée publique de vertus et de miracles.

§ I. — Dans toute cause de béatification ordinaire, les enquêtes de l'évêque diocésain et sa sentence définitive sur la renommée publique de vertus et de miracles, sont les premières procédures. Les commissaires chargés d'informer par l'autorité pontificale recommencent aussi la même instance, quand le Saint-Siége et la congrégation des Rites sont entièrement saisis de l'affaire ; c'est l'opinion commune du peuple fidèle, le bruit des prodiges et la bonne odeur des mérites qui déterminent en effet la cour de Rome à procéder elle-même selon l'ordre des formalités qu'elle s'est prescrites. On s'en rapportait autrefois au simple témoignage de quelques personnes puissantes et constituées en dignité ; mais on veut à présent, avant de compromettre l'autorité su-

prême, un jugement en règle, porté par l'ordinaire des lieux en connaissance de cause; et pour éviter toute illusion, on s'en assure de nouveau par le rapport juridique des juges délégués de la congrégation.

Il faut donc que la sainteté de celui qu'on propose soit proclamée depuis long-temps par la voix unanime, qu'on le juge d'un commun accord digne des honneurs de la béatification; que cette persuasion universelle s'appuie sur des raisons solides, que le même cri public atteste par conséquent des actions héroïques et des merveilles éclatantes; que le sentiment favorable ne soit point démenti d'ailleurs par des accusations sérieuses, des soupçons graves, et des doutes capables d'en imposer à la partie la plus éclairée des citoyens. Ainsi, l'idée de la multitude aveugle et du vulgaire grossier ne mérite point par elle-même le nom de renommée publique : on sait combien le peuple est sujet à se laisser surprendre. Les prélats doivent être attentifs à démêler à travers ses empressements les causes qui le font mouvoir. C'est le pur esprit de la Religion qui répand la vraie réputation de sainteté; elle seule persévère et croît de jour en jour : c'est à ces progrès et à cette solidité qu'on la reconnaît. L'erreur ne triomphe pas long-temps; la fourberie se démasque tôt ou tard; les préjugés se dissipent facilement: la vérité seule est inaltérable et se soutient par elle-même.

§ II. — Les solliciteurs d'une cause doivent donc produire aux juges ordinaires et aux commissaires Apostoliques des témoins qui méritent leur confiance et des preuves par écrit, capables de fixer tous les doutes. Ces dépositions et ces monuments forment ensemble une certitude complète sur la renommée. Dans l'enquête, suivant l'usage de la congrégation des Rites, on doit faire comparaître, pour le moins, six ou huit personnes : non seulement on exige l'assurance de leur catholicité, mais encore on veut qu'elles soient de bonnes mœurs et recommandables par leur piété; qu'elles aient assez de lumières pour distinguer l'éminence des vertus qui caractérisent les Saints, pour discerner les vrais miracles des événements ordinaires, pour ne pas s'abuser enfin sur la réputation même dont il s'agit; on examine jusqu'aux motifs qui pourraient dicter en entier leur réponse ou l'altérer : en un mot, rien de ce qui donnera du poids à leur témoignage ne doit être négligé. Quand les prélats se sont convaincus par de semblables précautions que les témoins cités sont dignes de croyance, ils prennent leur serment, et leur font déposer ce qu'ils ont vu et ce qu'ils ont appris des autres. Le concours des peuples autour du tombeau, les vœux adressés, les guérisons publiées, les actions de grâce solennellement offertes, les bonnes œuvres et les pratiques de piété racontées avec éloge, citées pour exemple ou relevées comme merveilleuses, tous ces différents objets doivent entrer dans les interrogatoires et dans les réponses. La vénération publique doit porter sur ces fondements; c'est par ces traits qu'elle se déclare. Il n'est pas nécessaire que tous les témoins attestent unanimement le même fait, ni même que deux s'accordent entièrement; il suffit, pour cette instance, qu'ils se réunissent en général, et qu'il résulte de leurs rapports, quoique différents, une même certitude sur la renommée des miracles et de la sainteté. La preuve testimoniale est souvent étayée par celles que fournissent des écrits publics; alors l'évidence est complète. Des historiens accrédités, des auteurs estimables par leurs dignités, leur science, leur vertu, s'accordent-ils à remarquer les actions éclatantes d'un serviteur de Dieu, à publier ses mérites, à décrire les prodiges qui lui sont attribués; ces témoignages sont insérés dans les procédures, et servent au jugement. La vie de celui qu'on propose a même son autorité pour cet objet, quand elle est composée sur des mémoires originaux ou par un témoin oculaire, et qu'elle est approuvée par l'évêque diocésain, par des docteurs, et surtout par des personnes graves qui confirment les récits de l'écrivain. Les hommages offerts par le respect et la reconnaissance trouvent aussi leur place dans les informations, quand le souvenir s'en est perpétué par des actes en forme ou par des monuments durables. A toutes ces marques de vénération, les juges reconnaissent le consentement général du peuple chrétien, qui doit, pour ainsi dire, avoir depuis long-temps dressé lui-même leur sentence, et prévenu par ses désirs l'arrêt de canonisation.

CHAPITRE V.

De l'examen des ouvrages, et de la commission apostolique.

§ 1. — Il arrive souvent qu'on propose à la cour de Rome des serviteurs de Dieu dont les

ouvrages sont publics, ou du moins dont les écrits pourraient se répandre après leur béatification. Ne serait-ce pas en quelque sorte accréditer l'erreur, que de paraître même concevoir une opinion favorable de leur sainteté, pendant que leurs livres, déshonorés par une doctrine hétérodoxe, rendraient leur foi suspecte? La sage prévoyance de l'Église Romaine l'empêche de tomber dans cette contradiction, toujours indécente en elle-même, et qui serait souvent dangereuse dans ses effets. Avant d'introduire la cause dans la congrégation des Rites, on examine scrupuleusement jusqu'aux moindres opuscules qui peuvent intéresser ou la règle des mœurs ou les vérités de la Religion : les décrets d'Urbain VIII, qui l'ordonnent formellement, n'ont que perpétué l'usage très-constant de ses prédécesseurs. Une censure exacte et rigoureuse de toutes les compositions connues de la personne préconisée par les actes de l'évêque diocésain, fournit donc la matière d'une troisième instance préparatoire qui précède toujours la signature de la commission apostolique. Si des livres entiers ou des fragments considérables échappaient aux premières perquisitions, aussitôt qu'ils sont découverts, on arrête le cours des autres procédures en tout état de cause, et l'on s'occupe uniquement de la révision de ces nouvelles pièces : il faut indispensablement les juger, avant de passer outre.

C'est le cardinal rapporteur qui se charge principalement de cette discussion. Il choisit des théologiens habiles en nombre suffisant, et l'on remet entre les mains de ces docteurs des exemplaires fidèlement collationnés, afin qu'ils en disent leur avis, après les avoir lus très-attentivement d'un bout à l'autre. Pour s'assurer de l'exactitude et de l'intelligence de ces examinateurs, on demande qu'ils donnent par écrit le résultat de leur travail. Il ne leur suffit pas de déclarer en général leur sentiment sur la doctrine, avantageux ou désavantageux; ils doivent ajouter le catalogue des œuvres qu'on leur a confiées et l'analyse raisonnée de chacune en particulier, indiquant le sujet, le plan et la manière de l'exécution. Chaque article principal est développé dans ce rapport, et les difficultés qui peuvent arrêter y sont traitées au long. On fait observer à ces censeurs un secret inviolable sur l'objet de leur commission. Si les solliciteurs découvraient quelqu'un de ceux que le cardinal en a chargés, son Éminence en nommerait sur-le-champ un autre à sa place.

Quand les suffrages des réviseurs ont été remis cachetés au rapporteur de la cause, le prélat les propose aux autres dans une séance ordinaire de la congrégation; s'il s'y trouve des doutes graves, on prend tout le temps nécessaire pour les résoudre avec maturité; les cardinaux sont même prévenus avant les assemblées par des mémoires qu'on leur distribue. S'il ne s'agissait, au contraire, que d'ouvrages peu considérables, qui ne demandent point de si longues formalités, on se contente de les lire dans la congrégation, qui les approuve ou les condamne. Le promoteur de la foi, dans cette instance comme dans toutes les autres, prend toujours le parti le plus rigide : on veut surtout avoir à Rome, pour cet examen, les originaux mêmes des livres, quand ils ne sont pas imprimés, ou que l'édition n'est point faite du vivant de l'auteur et de son consentement. Nous n'avons pas besoin de dire que le tribunal suit toutes les règles de la plus saine critique pour distinguer les écrits véritables de ceux que l'ignorance ou la mauvaise foi tenteraient de supposer aux serviteurs de Dieu morts en odeur de sainteté.

Une erreur formelle contre les dogmes catholiques, une opinion peu conforme à la pureté des préceptes évangéliques et capable de donner atteinte aux bonnes mœurs, un système suspect par sa nouveauté, principalement sur des questions frivoles, un sentiment qui choque celui des saints Pères et du commun des Chrétiens, ce sont des taches ineffaçables pour lesquelles on impose un éternel silence à la cause proposée. Une protestation générale de l'écrivain, avec la soumission la plus sincère de toutes ses opinions à l'autorité de l'Église catholique, l'empêche sans doute d'être criminel même en s'égarant, mais elle ne peut le soustraire à cette loi rigoureuse d'exclusion; la congrégation des Rites exige de sa part une rétractation expresse et solennelle. La faute, ainsi couverte, tourne à son avantage, loin de flétrir sa mémoire. Les erreurs sont l'apanage de l'humanité; la vertu même n'est pas au-dessus des faiblesses de l'esprit : mais c'est un vrai mérite d'avouer son ignorance; il y a de la grandeur d'âme dans l'humilité qui s'en déclare publiquement coupable.

§ II. — La signature de la commission apostolique suit toujours de près l'approbation

des ouvrages. Ce premier acte est le fondement de toutes les procédures qui se dressent au nom du souverain pontife : c'est alors que la cause est dévolue tout entière au tribunal suprême, et qu'il n'est plus permis aux prélats diocésains de s'immiscer d'eux-mêmes dans les poursuites, à peine de nullité de toutes leurs écritures. Par cette commission, le Pape donne pouvoir à la congrégation des Rites de travailler à l'instruction du procès proposé. C'est en conséquence de cette permission que les juges sont délégués, qu'ils informent sur les lieux, et que leurs enquêtes sont examinées dans les séances ordinaires. Pour obtenir la signature, on présente une requête raisonnée dont les preuves sont tirées des actes envoyés par l'évêque diocésain et approuvés par la congrégation. Le promoteur prend communication de cette pièce avant qu'elle paraisse ; il ne manque jamais d'opposer des difficultés, c'est aux solliciteurs à les résoudre. Dans la rigueur du droit, il ne faudrait les proposer que dans l'assemblée générale ; mais on demande communément une dispense au Pape, et la congrégation ordinaire en décide. Quand les cardinaux ont jugé que la commission peut être expédiée, le procureur lui-même en dresse le projet ; le secrétaire le porte contresigné du sous-promoteur à Sa Sainteté, qui l'approuve par le seul mot *placet*, il nous plaît, écrit de sa main, avec la première lettre de son nom propre.

Pour que le Pape accorde cette expédition importante, neuf conditions essentielles doivent avoir été remplies. Premièrement, les instances des solliciteurs doivent être appuyées par des lettres et des prières souvent réitérées des princes, des prélats, et des autres personnes constituées en dignité ; secondement, l'ordinaire des lieux doit avoir terminé de son autorité propre les deux procès dont nous avons parlé, sur le bruit public de vertus et de miracles, sur l'observation des décrets d'Urbain VIII, ou tout au moins la première de ces instances ; troisièmement, ces actes, présentés à la congrégation, doivent avoir été trouvés concluants, sans nullité, sans défauts essentiels ; quatrièmement, il faut que dix années entières soient révolues depuis qu'ils ont été remis entre les mains du secrétaire ; cinquièmement, que tous les traités, lettres, méditations et semblables écrits des personnes proposées, soient approuvés solennellement après un sérieux examen ; sixièmement, que la renommée de sainteté soit surtout bien constatée ; septièmement, que la requête présentée pour obtenir la signature ait été vue par le promoteur et débattue dans une congrégation générale, à moins qu'on ne soit dispensé de cette formalité ; huitièmement, qu'il ne se trouve aucun obstacle, aucune difficulté considérable contre l'introduction de la cause ; neuvièmement, enfin, que l'évêque diocésain certifie par ses lettres que la bonne odeur des vertus et le bruit des prodiges n'a fait que croître de plus en plus depuis les dix ans écoulés, au lieu de diminuer et de s'éteindre. Telles sont les règles inviolables dont l'exécution est confiée particulièrement au promoteur, qui ne souffre jamais qu'on la néglige impunément.

CHAPITRE VI.

Des commissaires apostoliques, et de la reprise d'instance.

§ I. — C'est à la congrégation des Rites qu'appartient le droit de nommer des juges délégués par l'autorité pontificale pour dresser sur les lieux les dernières informations. Ceux qui poursuivent la cause demandent le décret d'attribution par une requête dans laquelle ils doivent eux-mêmes désigner quelques prélats voisins qui leur paraissent les plus propres à remplir cette commission. Le promoteur peut récuser ceux qui sont indiqués, et s'en faire proposer d'autres ; quand la congrégation entière trouve, au contraire, qu'ils sont admissibles, le secrétaire expédie les lettres de leur délégation : alors le procureur de la cause rédige par écrit les articles qui doivent diriger l'instruction du procès ; il y range sous différents titres les faits qu'il faudra constater pour mettre en évidence les vertus principales et les miracles qu'on a dessein d'employer pour preuve de sainteté. Ces mémoires ou positions, comme on dit à Rome, servent à dresser l'interrogatoire qu'on fera subir aux témoins. Le promoteur, qui prend connaissance de toutes ces écritures préparatoires, compose sur le même fond une ample instruction en forme de lettre pour celui qu'il destine à tenir sa place sur les lieux ; on l'appelle *vice-promoteur*, et sa fonction est très-importante. Les serments que doivent prêter les juges, les officiers et les témoins, sont insérés dans cette missive ; on la renferme sous une même enveloppe avec le décret d'attribution signé du notaire de la congrégation, du proto-

notaire, du président et du secrétaire, avec une copie des articles réduits par le procureur, ainsi que de l'interrogatoire. Les originaux de toutes ces pièces restent dans les archives de la congrégation, et le notaire a soin de cacheter le paquet où toutes ces expéditions sont contenues.

Les commissaires apostoliques sont communément trois évêques; on manque rarement à mettre de ce nombre celui qui possède en son diocèse le tombeau des serviteurs de Dieu proposés; la commission n'est même adressée qu'à ce prélat, quand il s'agit de poursuivre par l'autorité du Pape l'instance préparatoire du non-culte. Dans les autres informations, c'est une clause ordinaire que des trois juges qui sont nommés, la présence de deux seulement suffit pour autoriser toutes procédures; au défaut d'un des évêques, on subroge souvent deux dignitaires ou chanoines de l'église cathédrale : un vicaire général paraît avoir le privilége, en cette qualité, de représenter seul son évêque. Les commissaires peuvent subdéléguer dans les cas prescrits par le droit, c'est-à-dire, lorsque l'attribution tombe sur leur dignité et non sur leur personne : alors leurs successeurs mêmes les remplacent dans cette fonction.

Les actes des juges nommés par la congrégation ou de ceux qui tiennent leur place, commencent par l'ouverture des décrets d'attribution, qui forment le titre de leur autorité; suivent l'acceptation et le serment qu'ils prêtent eux-mêmes, et qu'ils reçoivent des officiers qui serviront sous eux : savoir, du vice-promoteur, du notaire apostolique, qui leur sert de greffier, et de celui qui rédige, collationne ou transcrit les procédures, enfin du procureur de la cause, qui doit être institué par un instrument public et spécial, pour mettre en avant les articles et les faits qu'il faudra constater. On n'admet à tous ces emplois que des ecclésiastiques dont la qualité doit être prouvée : l'introduction d'un laïque annulle toutes les écritures; ils promettent d'observer un secret profond sur toutes les procédures, sur les interrogatoires et les réponses.

Les commissaires apostoliques doivent ajourner les témoins qui leur sont indiqués, ou qu'ils jugent eux mêmes à propos d'entendre; ils reçoivent leurs dépositions absolument dans le jour, l'heure et le lieu marqués par leur assignation, jamais dans des endroits profanes, mais dans une église, une chapelle, ou du moins une sacristie; sans doute, pour imposer plus de respect aux répondants, et leur inspirer plus d'horreur du parjure. Les autres actes judiciaires s'expédient dans la salle d'audience qui sert à la justice contentieuse de l'ordinaire. On commence par faire jurer sur les saints Évangiles tous ceux qui comparaissent, premièrement, qu'ils déclareront la vérité, sans rien taire ni déguiser; secondement, qu'ils ne communiqueront à personne les demandes qu'on leur aura faites et les réponses qu'ils auront données. Après ce serment, on les examine sur leurs qualités, leur âge, leur foi, leurs lumières; enfin, on leur propose les articles rédigés par le procureur, les interrogatoires dressés par la congrégation, ou tout autre objet que les juges imaginent convenable; s'ils refusent d'obéir à la citation, on les frappe des censures les plus terribles. L'indiscrétion de ceux qui violeraient le secret est aussi punie d'un anathème dont l'absolution est réservée tellement au Pape, que lui seul en propre personne peut en absoudre, hors le cas de mort. Les juges mêmes sont soumis à cette excommunication, s'ils se rendent coupables d'un pareil crime. A la fin de chaque séance, on arrête et l'on signe les registres qui doivent être cachetés jusqu'à la prochaine assemblée. Toute pièce extrajudiciaire insérée dans ce procès le rendrait nul, suivant les décrets d'Innocent XI. Quand l'information est complète, on en fait la clôture par la souscription et les sceaux de tous les juges délégués, du procureur, du vice-promoteur et du notaire greffier. Le dernier acte de leur jurisdiction est la visite et l'ouverture du tombeau, dont ils font un procès-verbal bien exact et bien circonstancié: si le lieu de la sépulture est absolument ignoré, cette circonstance doit être constatée.

L'original de toutes les écritures est conservé dans les archives de l'évêque diocésain : on en fait copier un exemplaire bien lisible, n'importe par quel écrivain; mais il doit être collationné, devant les juges mêmes, par le secrétaire de la commission, et par un autre notaire apostolique. Cette copie sera munie des signatures et armoiries de tous les juges délégués, et de leurs officiers. C'est précisément l'authenticité de ces souscriptions qu'on doit certifier à la cour de Rome, quand les procédures y sont portées. Il est nécessaire que des témoins dignes de foi reconnaissent

les caractères ; ce qui serait long et difficile, s'il s'agissait d'une multitude de seings différents. Mais pour éviter l'embarras, le notaire seul déclare, à la fin de tous les cahiers, que les signatures précédentes sont véritables et authentiques ; et il donne la description de tous les sceaux ; son rapport est attesté par un acte de légalisation de son évêque, et c'est avec le cachet du prélat qu'on ferme le paquet entier. Par ce moyen, il ne s'agit plus à Rome que de vérifier cette écriture et ces armoiries, dont la reconnaissance emporte celle de toutes les autres. Enfin, les commissaires écrivent à la congrégation une lettre commune pour lui rendre compte de leurs procédures, et pour exposer au long comment les témoins entendus méritent une entière croyance. Ces dépêches sont portées par un courrier exprès, dont on prend le serment qu'il s'acquittera fidèlement de sa commission : c'est au secrétaire de la congrégation qu'il remet ses papiers, pour qu'ils passent ensuite entre les mains de son notaire.

§ II. — Dans les décrets d'attribution, suivant l'usage présent, on donne aussi la commission de procéder aux compulsoires, perquisitions de livres, et comparaisons d'écritures. Si cette clause était omise, on en obtiendrait des lettres particulières. On suit les règles de droit en pareille procédure. Il ne paraît pas qu'elles aient rien de particulier dans le cas présent. Les solliciteurs produisent des témoins dignes de foi pour autoriser les pièces de comparaison dont on veut se servir. On appelle des experts pour déclarer l'entière conformité des écritures produites avec celles qui ont été reconnues par le ministère public, civil ou ecclésiastique. Les uns et les autres prêtent serment. Les cahiers examinés sont signés, cotés et paraphés à chaque page ; on les enveloppe et on les porte tous cachetés en cour de Rome, avec le procès-verbal de leur exhibition et de leur examen. Enfin les juges font collationner les manuscrits avec les imprimés, et confronter entre elles les différentes éditions ; ordonnant même, par une proclamation, à tous ceux qui posséderaient quelques pièces ou quelques ouvrages, de les rapporter au greffe de la commission apostolique.

§ III. — Il nous reste à parler de la reprise d'instance, ou du procès de canonisation qui se poursuit après toutes les solennités d'une béatification. Il faut, pour introduire de nouveau la cause dans la congrégation des Rites, une nouvelle signature du Pape : on ne l'obtient qu'en assurant qu'il s'est opéré des miracles tout récents, et que le bruit de la sainteté s'augmente de plus en plus. La requête des solliciteurs, qui contient cette exposition, est présentée d'abord dans une séance ordinaire de la congrégation ; elle est appuyée par des attestations extrajudiciaires des prélats, sur l'accroissement de la vénération publique, et sur le bruit des prodiges. Le cardinal rapporteur fait un détail sommaire des nouveaux faits miraculeux ; et le tribunal approuve presque toujours, sans difficulté, la demande. Le promoteur lui-même n'élève aucune contestation ; il se réserve pour les procédures qui suivront. Ainsi le souverain pontife signe la commission pour la reprise de l'affaire. Les informations sur les derniers miracles se font en conséquence par les juges délégués, et de l'autorité pontificale. On suit dans ces enquêtes la même forme que dans les précédentes. Autrefois on exigeait un nouveau jugement de l'ordinaire sur la renommée publique : on se contente aujourd'hui d'une lettre ou d'un certificat de sa part.

CHAPITRE VII.

Des preuves et des témoins.

§ I. — Les causes de béatification ou de canonisation se traitent en toute rigueur comme les affaires criminelles ; c'est le principe général de la congrégation des Rites. Il faut donc que les faits soient prouvés avec la même exactitude, et les procédures examinées avec autant de sévérité que pour la punition des crimes. Les témoignages suspects ou peu concluants, qui ne suffiraient pas pour condamner à mort un accusé, sont, par les mêmes défauts, incapables de fonder une déclaration de sainteté. Cette pratique si sage est appuyée sur l'importance de la matière et sur le préjudice que porterait à la Religion même un jugement indiscret. Ainsi l'on demande pour les témoins les conditions suivantes. Premièrement, ils doivent être deux ou trois pour le moins qui parlent unanimement sur le même fait et sur ses circonstances. Une déposition solitaire (comme on dit en terme de barreau) ne prouve rien selon le droit. Deux ou trois rapports qui se contredisent ouvertement, se détruisent par cette raison les uns les autres. Ceux qui diffèrent seulement, mais dans les articles essentiels, se rendent mutuellement

suspects. Au contraire, ceux qui se réunissent en quelque sorte à un même but, se servent de supplément et d'appui, plutôt que d'obstacle. Ils ne donnent point cependant une entière certitude, ils perfectionnent seulement celle qui vient des dépositions uniformes. On écoute, par exemple, des gens qui veulent raconter différents traits d'une même vertu ; mais pour preuve complète, il faut que quelques actions principales et particulières soient déclarées chacune par deux ou trois témoins, conformes dans leur narration. Secondement, il faut que les personnes interrogées disent ce qu'elles ont vu de leurs yeux, entendu de leurs oreilles. On ne reçoit que rarement et difficilement des témoins par ouï-dire, qui ne sauraient donner que des connaissances du second ordre. Si ces dépositions peuvent quelquefois établir la certitude des vertus, étant jointes aux passages formels des écrivains contemporains et non suspects, au bruit public accrédité par la partie la plus pieuse et la plus éclairée du peuple ; et enfin aux monuments et aux preuves parlantes, comme la congrégation a paru l'admettre dans des causes où le laps du temps ne permettait pas d'espérer d'autres preuves : du moins est-il certain qu'elles n'ont aucune force pour certifier les miracles. Troisièmement, enfin, on veut dans les déposants l'âge, les qualités et les connaissances nécessaires, selon toutes les règles du droit ecclésiastique et civil. On exige en outre qu'ils soient catholiques, qu'ils sachent discerner les vertus et les miracles : on pèse d'ailleurs tous les reproches que la raison et les circonstances peuvent fournir contre la vérité de leurs dépositions.

On ne rejette pas les attestations des confesseurs, mais on ne les demande jamais ; encore moins souffre-t-on qu'ils violent le sceau sacré du sacrement de Pénitence, en révélant les fautes ou les péchés qu'ils ont connus : on leur permet seulement de découvrir, s'ils le veulent, selon leur conscience, des vertus particulières, des grâces extraordinaires, et une intégrité merveilleuse qu'ils auraient trouvées dans leurs pénitents.

§ II. — Les annalistes, les historiens et les auteurs de toute espèce, doivent-ils être mis au nombre des témoins qui font une preuve parfaite ? C'est une question à décider, suivant leur mérite et celui de leurs ouvrages, par les principes de la critique.

Un témoin oculaire, dont la déposition est consignée dans ses écrits, mérite, ce semble, une entière confiance de la part des juges, quand sa droiture et son habileté ne sont pas soupçonnées. On préfère cependant ceux qui paraissent aux enquêtes, à cause du serment qu'on leur fait prêter, de l'examen qu'ils subissent, et de l'interrogatoire sur lequel on les fait répondre. Les écrivains les plus estimés n'obtiennent que le second rang ; on les compare aux témoins par ouï-dire, qui ne forment qu'un complément de preuve, ou une présomption. C'est ainsi qu'on les reçoit, quand ils ont toutes les qualités d'un bon historien, les lumières, la bonne foi, l'impartialité. Ceux qui n'écrivent que ce qu'ils ont appris de gens dignes de confiance, paraissent à peu-près sur la même ligne, et sous le titre de contemporains ; mais ceux qui ne travaillent que sur des mémoires incertains, des traditions populaires et d'autres monuments, n'ont par eux-mêmes que l'autorité des sources dans lesquelles ils ont puisé. Les compilateurs peuvent déterrer les vieilles chroniques, les publier et les éclaircir par des notes ; mais ils ne peuvent dépouiller, ni revêtir ces compositions du caractère d'authenticité. Un manuscrit n'en est pas moins respectable pour n'avoir pas encore reçu les honneurs de l'impression, s'il a d'ailleurs les marques d'un bon ouvrage. Quelques fautes d'un auteur, quelques variations dans les dates ou les circonstances, ne le font point mépriser entièrement : il faudrait être bien étranger dans l'étude de l'histoire, même de nos jours, pour ignorer l'origine de ces petites erreurs et l'impossibilité presque absolue de les éviter.

§ III. — C'est sur de semblables maximes qu'on met à Rome dans la balance les preuves et les autorités, quand on agite les doutes des vertus et des miracles. Les procédures des commissaires apostoliques renferment toutes les pièces de conviction. Ces actes sont examinés d'abord sur la forme, dans les assemblées ordinaires de la congrégation ; mais ensuite on en tire les articles principaux, afin de décider dans les trois congrégations extraordinaires si les faits sont suffisamment justifiés. Nous avons dit qu'on y discutait la sainteté même, c'est-à-dire, les vertus qui en sont le fondement, et les miracles qui en sont la preuve ; ainsi nous allons voir dans les livres suivants quelle est la perfection qui doit caractériser les Saints, et quels sont les miracles qui les font connaître.

Après avoir détaillé la forme, autant que le genre de cet ouvrage le permet, nous allons essayer de traiter de même le fonds des procès de béatification et de canonisation.

Livre troisième,

Qui traite des fondements de la sainteté, c'est-à-dire des vertus héroïques et du martyre.

CHAPITRE PREMIER.

Du degré d'héroïsme nécessaire aux vertus des Saints.

§ I. C'est dans l'empire de la Religion qu'il faut chercher les vrais héros. L'antiquité païenne se vante, il est vrai, d'en avoir formé par l'amour de la gloire, ou par les leçons sublimes de sa philosophie. Nous n'envions point aux hommes illustres de la Grèce et de l'Italie, la grande réputation dont ils jouissent depuis tant de siècles. Pourquoi leur ferions-nous des crimes de leur courage et de leur générosité? Que ce soient en eux des vertus, quelquefois fausses et nécessairement stériles, du moins ont-elles pu n'être pas toujours des vices. La grandeur d'âme qui les a distingués mérite nos regrets et notre admiration. C'est un sentiment que l'humanité nous inspire et que la foi ne désapprouve pas.

Mais cet éclat si vif que jettent tant de guerriers et de législateurs, dans les fastes d'Athènes, de Lacédémone et de Rome, s'éclipse bientôt en présence de nos héros du christianisme. C'est au milieu des croix, des brasiers ardents, des ongles de fer, qu'il faut chercher dans nos martyrs cette fermeté réfléchie qui se joue des plus affreux supplices, et qui brave l'appareil d'une mort lente, cruelle, ignominieuse, appareil plus terrible que le trépas même. C'est dans le fond des déserts arides de la Thébaïde, dans ces tombeaux obscurs, où nos saints pénitents s'ensevelissent tout vivants, quelquefois à la fleur de l'âge, qu'il faut chercher le vrai mépris du monde, de la fortune et des plaisirs. Sagesse mieux affermie, moins fastueuse et plus inébranlable que celle du portique.

Cette vertu qui rend l'homme semblable aux intelligences les plus pures, et le rapproche de la Divinité, ne fut qu'un fantôme dans l'école de Platon. C'est une réalité dans celle de Jésus-Christ. Ouvrez les annales de l'Église. C'est dans l'âge le plus tendre, dans le sexe le plus délicat, dans les conditions les plus humbles, comme dans les états les plus augustes, que vous trouverez cette élévation de sentiments qui distingue les grandes âmes, et qui fait l'honneur de l'humanité. Souvent tous les caractères d'héroïsme, dont il ne fallait qu'un seul trait pour immortaliser dans le monde, se trouvent réunis dans un de nos Chrétiens illustres, et portés tous ensemble à ce degré d'excellence que les plus sages du paganisme ne surent pas même imaginer.

Cette grandeur des Saints inspire un respect profond pour la Religion de Jésus-Christ, et ces exemples si frappants sont bien propres à ranimer la ferveur éteinte, et à confondre la lâcheté des Chrétiens pusillanimes. C'est la vue de l'Eglise, quand elle nous étale avec pompe les conquêtes de ses apôtres, les victoires de ses martyrs, le zèle de ses pasteurs, le courage de ses vierges, et la mortification de ses solitaires. C'est le même esprit qui l'anime dans les fêtes qu'elle célèbre à leur gloire. Ce tribut légitime qu'elle nous fait payer à leurs vertus, est tout-à-la-fois, et pour eux un hommage auquel ils sont sensibles, et pour nous une leçon à laquelle il est difficile de résister.

§ II. — Une vertu médiocre n'entrera donc jamais en partage des honneurs du culte public. On peut avec une charité véritable, mais peu éclatante, couler des jours paisibles dans les délices de l'innocence; mais ce n'est pas assez pour devenir l'objet de la vénération commune. Cet état de médiocrité ne rend point un Chrétien étranger pour le royaume des cieux; mais il ne lui mérite point une place distinguée dans l'histoire du christianisme. Semblables à des citoyens ou à des guerriers obscurs, qui ne rendent à la patrie que des services ordinaires, et qui n'ayant aucun droit à l'immortalité, reçoivent pendant leur vie toute la récompense de leurs travaux, les justes qui meurent ainsi sans éclat dans le baiser du Seigneur, jouissent dans le ciel de ses miséricordes ineffables. Mais leur mémoire s'éteint sur la terre, et ils tombent bientôt dans l'oubli. Le tableau d'une perfection commune grossirait sans fruit les ouvrages des écrivains ecclésiastiques. Peu capable de réveiller notre ferveur, il n'exciterait en nous aucune émulation. Il faut à la tiédeur des traits qui l'étonnent, qui la ravissent, qui la confondent. C'est à la vue de ces grands modèles,

qu'on est pénétré d'une sainte ardeur et d'une honte salutaire. L'Eglise attend ces fruits de tous ceux qu'elle propose à notre vénération.

§ III. — Cet héroïsme qui caractérise les Saints, plus facile à sentir qu'à décrire, est comme l'empreinte générale que doivent porter toutes les vertus de ceux qu'on canonise. C'est lui qui donne à leurs mérites le poids qu'on ne saurait assez apprécier. Des obstacles puissants à surmonter, des ennemis redoutables à vaincre, des violences continuelles à se faire à soi-même ; voilà l'objet du courage des Saints. Des entreprises vastes, des desseins importants, des travaux rudes et constants; voilà celui de leur zèle. Des sacrifices amers à la nature, des épreuves rigoureuses, de longs supplices ; voilà la matière de leur pénitence. Un goût sensible pour la prière, des effusions fréquentes d'un cœur embrasé d'amour, des transports d'une âme affamée de la justice, des efforts soutenus pour atteindre au comble de la perfection chrétienne ; voilà l'exercice continuel de leur piété.

Une vie passée d'abord dans le dérèglement, dans l'hérésie, dans l'irréligion, mais consacrée dans la suite aux bonnes œuvres, à la retraite, à la mortification, et à ces pieux excès qu'inspire la crainte des jugements éternels, ou le regret amer d'avoir offensé la bonté suprême, loin d'être une tache ineffaçable, qui rende ces saints pénitents indignes de nos hommages, est au contraire un exemple plus efficace pour les pécheurs. La componction a souvent fait de vrais héros ; mais il faut que leur retour dans la voie des préceptes évangéliques porte ce caractère sublime, pour qu'il couvre aux yeux des hommes la multitude de leurs iniquités, et qu'il change en vénération l'horreur qu'inspirent leurs crimes.

§ IV. — D'après ces principes, l'Eglise romaine veut qu'on justifie l'excellence héroïque des vertus pratiquées par ceux qu'on lui propose, pour être inscrits dans les Diptyques sacrés. Ce n'est pas assez pour elle qu'on lui montre quelques œuvres éclatantes, ou certaines vertus portées même à la plus haute perfection. La sainteté doit être entière; et pour imposer silence à la cause, il ne faudrait qu'un seul vice capable d'en ternir l'intégrité.

L'esprit de la Religion ne souffre point de mélange ni de vicissitudes. Il doit percer partout dans les Saints, et bannir jusqu'à l'ombre de l'imperfection, autant que le permet la fragilité de la nature. Le mérite d'un héros du christianisme doit donc être pur et sans tache. C'est-là son caractère. Il doit être inaltérable et persévérer, avec des progrès sensibles, jusqu'à son dernier soupir. C'est le second trait qui le fait reconnaître. Cette constance portée jusqu'au tombeau, fait aussi un des principaux objets de l'attention des juges, dans la discussion des vertus. Nous allons détailler toutes les perfections dont on exige la preuve, et toutes les précautions qu'on emploie pour s'en assurer. Nous ne craignons point de dire que l'impiété même ne peut refuser son suffrage à la sagesse qui dirige cet examen, ni son respect à la sainteté qui sort victorieuse de ces épreuves.

CHAPITRE II.

Des vertus théologales, et du degré d'héroïsme qu'elles doivent avoir dans les Saints.

§ I. — La Religion de Jésus-Christ a des vertus qui lui sont propres, et qui distinguent les disciples de l'éternelle vérité, des sectateurs du mensonge. Tous les efforts de la sagesse humaine sont impuissants, quand il faut élever une âme à ces qualités sublimes qui caractérisent un Chrétien.

La nature a mis dans nos cœurs un germe d'inclinations précieuses qui nous sollicitent à la justice, à la tempérance, à la générosité. Les passions peuvent étouffer ces bienheureuses semences, elles ne les empêchent que trop de produire leurs fruits. La raison aussi peut aider à leur développement, et les rendre fécondes. L'esprit évangélique les porte au comble de la perfection. C'est lui qui les purifie, qui les ennoblit. Les vertus théologales semblent appartenir d'une manière plus spéciale à la révélation. La charité, qui est la plus excellente d'entr'elles, en perfectionnant tous les autres dons, leur communique le mérite qui nous acquiert le droit à la vie bienheureuse, pour laquelle nous sommes destinés. Ce sont des vertus divines. On leur en a donné le nom, et elles méritent ce titre. Premièrement par leur origine. C'est l'Esprit-Saint qui les inspire. Secondement par leur objet. C'est la vérité et la bonté suprême qu'elles ont en vue. Troisièmement par leurs effets, elles nous transforment pour ainsi dire en Dieu, en nous rapprochant de la divinité, autant que la nature le permet. Ces vertus réunies sont le fondement des mérites et le principe des bonnes œuvres. C'est à cette source qu'il faut remonter pour en connaître

le prix, et c'est aussi par cette discussion que commence l'examen d'une vie qu'on doit proposer pour modèle à des Chrétiens.

§ II. — La foi soumet l'esprit au joug de l'autorité divine, qu'on ne peut secouer sans crime et sans folie. Son flambeau nous éclaire pour lire dans les secrets ineffables de l'Eternel : mais les trésors de la majesté souveraine sont trop immenses, pour que les mortels puissent en sonder toute la profondeur, sans être opprimés par le poids de sa gloire.

L'intelligence humaine, qui se confond et se perd à la vue de nos mystères, doit donc adorer en silence les ténèbres augustes qui les environnent. Un jour viendra, les voiles seront déchirés, et nous verrons sans nuage. Mais sur la terre, ces énigmes sacrées de la révélation doivent être l'épreuve de notre obéissance, et l'objet de notre vénération. Le baptême, qui est le sacrement de la foi, grave ces principes dans notre âme ; il nous rend agréables à Dieu, enfants de Jésus-Christ, et dignes cohéritiers de son royaume. Au contraire, l'infidélité présomptueuse, inconstante et pusillanime, nous rend en quelque sorte étrangers et profanes au christianisme ; c'est-à-dire que par elle, ou nous sommes exclus de l'Eglise, ou nous restons dans son sein, comme des enfants dénaturés dans la famille de leur père, ou des sujets rebelles dans l'empire de leur prince.

Mais ce n'est pas assez d'être au nombre des enfants de l'Eglise, pour mériter une place parmi les Saints qu'elle honore. S'il faut que la foi toujours agissante opère de grandes choses, même dans les justes ordinaires, par quelles actions héroïques ne doit-elle pas éclater dans ceux à qui la religion rend les hommages du culte public ! Dans les martyrs elle triomphe au milieu des tortures ; dans les hommes apostoliques elle éclate par l'ardeur du zèle le plus infatigable, par les succès des travaux les plus longs et les plus pénibles, par le mépris généreux des plus grands dangers. Mais pour se distinguer elle n'a pas toujours besoin des combats de la persécution, ou des devoirs de la sollicitude pastorale. Jusque dans les derniers rangs de la hiérarchie ecclésiastique, on reconnaît ses héros à leur obéissance inviolable aux puissances de l'Eglise ; à leur indignation contre les corrupteurs de la saine doctrine ; à leur attendrissement sur les maux dont le christianisme est affligé par les attentats du libertinage et de l'impiété ; à la joie qui les transporte, quand la Religion catholique fait de nouvelles conquêtes ; enfin à leur persuasion intime des dogmes sacrés, qui leur fait préférer publiquement les vérités saintes à toute connaissance humaine.

Ces traits, réunis avec la soif de la justice, caractérisent une foi dont la source est divine, et dont les effets sont dignes de nous servir d'exemple.

§ III. — L'espérance est notre consolation pendant ces jours d'exil, que nous sommes condamnés à passer sur la terre. Elle fait disparaître en quelque sorte à nos yeux l'espace qui nous sépare du ciel, et nous introduit, comme par avance, dans le séjour des délices inépuisables. Si elle nous inspire une crainte salutaire, à la vue de notre faiblesse et de nos imperfections, elle nous ranime par une douce confiance, à la vue des promesses d'un Dieu plein de miséricorde, qui veut être appelé notre Père, et des mérites du sang adorable de son Fils, mort pour notre salut.

L'impie, qui ne voit rien au-delà du tombeau, n'a de soins que ceux de la vie présente. Il met son appui dans un bras de chair, et n'attend que de lui même, ou des hommes qui lui ressemblent, sa gloire et son bonheur.

Les Chrétiens charnels et mondains perdent, pour ainsi dire, de vue leur patrie céleste. Ils croiraient acheter trop cher cet héritage, s'il leur en coûtait le sacrifice de leurs passions et de leurs plaisirs. Au contraire, les cœurs vraiment fidèles soupirent sans cesse après la récompense qui leur est promise, et s'efforcent de la mériter, en faisant fructifier les grâces qu'ils demandent et qu'ils obtiennent. Mais l'espérance des Saints est encore plus généreuse. Elle avilit, elle efface, elle anéantit à leurs yeux tout ce qui n'est pas le salut. Elle franchit tous les obstacles, elle affronte tous les périls, elle oublie tous les besoins, elle embrasse toutes les souffrances, et voit venir la mort avec joie. Un dépouillement, une patience, une résignation héroïque, sont les effets qui l'annoncent, et qui ravissent d'une juste admiration.

§ IV. — La charité nous unit à Dieu, par les sentiments d'une obéissance filiale, d'une gratitude sans borne, et d'un amour à toute épreuve. En resserrant les liens de la Nature et ceux de la société, qui doivent unir les hommes, elle entretient, ou fait naître partout le bonheur et la tranquillité publique.

C'est par cette vertu que sont distingués les

enfants de Dieu. Le défaut de charité manifeste les enfants du démon. C'est elle qui donne le prix aux vertus morales et aux actions les plus éclatantes. La foi et l'espérance ont leur mérite sans doute. Elles nous disposent à la vie spirituelle de la grâce. Mais il n'est jamais ni justification, ni salut, sans la charité. Aussi le double précepte de la sainte dilection renferme-t-il seul la loi, les prophètes, toute la substance de l'Evangile; et la gloire dont les bienheureux sont revêtus dans le ciel est proportionnée à l'amour dont ils étaient embrasés dans le monde. Cet amour que l'Esprit-Saint nourrit dans leurs âmes, répand sur toutes leurs actions un éclat qui trahit leur humilité. Le zèle de la maison du Seigneur les dévore, et ils ne respirent que pour son service. Tantôt réunis au peuple Chrétien, qu'ils remplissent d'édification, ils font assidûment retentir nos temples du chant des cantiques sacrés; tantôt livrés en secret aux délices de la contemplation, ils sont absorbés dans les grandeurs éternelles; tantôt ils viennent avec empressement puiser pour eux-mêmes l'esprit de ferveur dans les sacrements de la nouvelle alliance; tantôt ils s'efforcent de la répandre avec la bonne odeur de Jésus-Christ, par leurs discours et leurs exemples.

A ces hommages dignes de Dieu, qui les reçoit avec complaisance, l'Eglise reconnaît les élus. La justice et la bienfaisance, qui règlent toute leur conduite, excitent par les actions les plus généreuses, le respect et la reconnaissance. Exacts à tout devoir, soumis à toute autorité, fidèles à tout engagement, compatissants pour les malheureux, indulgents pour les faibles, patients pour ceux-mêmes qui les outragent, ils ne connaissent jamais ni ennemis, ni rivaux. Faut-il, au contraire, endurer la faim, la soif, la persécution, pour soutenir l'innocence opprimée? Faut-il se dépouiller de tous ses biens, et se réduire soi-même à l'indigence, pour soulager ses concitoyens dans une calamité publique? Faut-il surmonter toutes les répugnances de la nature, et affronter les horreurs des maladies les plus contagieuses, pour sauver la vie de ses frères? Ces efforts ne rebutent point la bienveillance générale des Saints, toujours éclairée, toujours courageuse.

Tels sont les héros de la charité.

§ V. — C'est ainsi que les vertus propres du christianisme doivent s'élever ensemble, par un heureux accord, jusqu'à la perfection la plus sublime, pour former les Saints. L'Eglise Romaine, qui se fait un devoir de refuser ses hommages aux vertus médiocres, exige un caractère de grandeur dans la foi, dans l'espérance, et dans la charité de ceux qu'on lui propose. C'est le premier objet de son attention et de l'examen qu'elle fait des vertus, après les questions préliminaires sur la validité des procédures quant à la forme.

Les solliciteurs de la cause cherchent dans la vie des serviteurs de Dieu, dont ils poursuivent la béatification, ces traits frappants qui caractérisent l'héroïsme des trois vertus théologales, suivant l'esprit même du christianisme, et la pratique de la congrégation des Rites, que nous avons tâché d'indiquer en général. Ces actions plus remarquables, mises en avant par le procureur de la cause, sont insérées dans les interrogatoires que font subir aux témoins les commissaires députés par le Saint-Siége. Elles sont ensuite tirées de leurs procédures, avec les preuves qu'on en a trouvées, pour former des articles dans l'extrait qu'on donne aux consulteurs et aux prélats, lorsqu'il en faut venir au doute des vertus. Ceux qui défendent la sainteté des serviteurs de Dieu souffrent à cet égard, de la part du promoteur de la foi, quatre contestations qu'ils doivent éclaircir avec une égale évidence. Premièrement, si les œuvres éclatantes sont suffisamment vérifiées par les enquêtes et les dépositions des témoins. Secondement, si ces belles actions prouvent l'héroïsme des vertus qu'il faut établir, et sont au-dessus d'une perfection commune. Troisièmement, si les mérites des personnes proposées ont toujours été purs et sans tache, en sorte qu'on n'ait point contre eux de reproches capables de ternir l'éclat de ces vertus. Quatrièmement, si l'état de justice est le dernier de leur vie mortelle, et s'ils ont persévéré avec la même gloire dans le service de Dieu, jusqu'à leur dernier soupir.

A ces conditions, on admet comme certaine la preuve des vertus théologales et du degré d'héroïsme requis pour autoriser une béatification.

CHAPITRE III.

Des vertus morales, et du degré d'héroïsme qu'elles doivent avoir dans les Saints.

§ I. — Les devoirs de la Religion ne dispensent point un Chrétien de ceux que la raison prescrit à tous les hommes. Le sentiment intérieur de la loi naturelle est au contraire le

fondement de la morale evangélique; et les préceptes qui sont mêlés dans l'Ecriture aux oracles de la révélation, ne sont, pour ainsi dire, qu'un développement de ceux qui naissent avec nous, gravés dans tous les cœurs. Les droits de la pudeur et de l'équité, trop souvent violés par les passions, n'en sont pas moins attestés par une voix secrète et incorruptible, dans toutes les consciences. L'homme n'a pas besoin d'un autre maître pour apprendre à les connaître. Mais le meilleur de tous les maîtres, pour apprendre à les pratiquer, c'est la grâce de Jésus-Christ. La foi ajoute de nouvelles lumières à celles de la raison, et leurs clartés réunies dissipent avec moins de peine les illusions de la cupidité. L'espérance, toujours mêlée de crainte et de défiance de soi-même, en excitant à la bienfaisance, réprime la vanité qui pourrait en naître. La charité, qui commande aux passions, assure à la sagesse un empire sur l'esprit et sur le cœur d'un vrai fidèle; et c'est ainsi que les vertus de la Religion élèvent les vertus morales au comble de la perfection. Il faut que les héros du christianisme soient aussi des héros de l'humanité. La prudence, la justice, la force et la tempérance, qu'on appelle *vertus cardinales*, doivent briller dans ceux qu'on propose à la cour de Rome, de cet éclat qui caractérise la vraie grandeur d'âme, digne d'être offerte en spectacle à tout l'univers.

§ II. — La prudence est le fruit le plus doux de la raison, cultivée par la réflexion et l'expérience. C'est un flambeau qui luit pour éclairer l'esprit dans toutes ses démarches. Il montre le but où l'on doit atteindre, la carrière qu'il faut parcourir, les moyens qu'on peut employer, et les dangers qui sont à redouter. La fausse prudence de la chair, si réprouvée dans l'Evangile, s'égare dès le premier pas, et se trompe dans le choix de l'objet qu'elle se propose. Au lieu de chercher le royaume des cieux et sa justice, l'infidèle, qui ne connaît pas le bonheur de la vie future, et le mauvais Chrétien, qui l'oublie, poursuivent avec ardeur la gloire et les délices du monde. Ils se lassent en vain dans les voies difficiles de l'iniquité, dont le terme fatal est la mort éternelle. Plus sage en son choix, la prudence du Chrétien n'envisage pour point de vue que le ciel. Tout ce qui conduit à ce terme est un trésor pour elle; tout ce qui peut en éloigner ou retarder sur la route, est un piége à ses yeux. Mais la prudence héroïque des Saints est distinguée, par une habileté supérieure, dans l'ouvrage du salut. C'est par l'état qu'ils ont embrassé, par le plan de conduite qu'ils se sont tracé, par les obstacles qu'ils ont su franchir, et les succès qu'ils se sont procurés, que leur vraie sagesse est mise dans tout son jour.

Il n'est point de serviteurs de Dieu qui ne doivent se distinguer par de semblables traits d'intelligence dans l'économie de leur sanctification, s'ils sont préconisés pour les honneurs de la béatification. Ceux que la Providence appelle au ministère sacré, pour l'édification du corps mystique de Jésus-Christ, ou qu'elle charge du poids de la puissance temporelle, pour la paix des états et le bonheur des hommes, se montrent encore plus avantageusement, par la grandeur de leurs vues, la justesse de leurs jugements, et la droiture de leurs procédés. Ces actions éclatantes appartiennent à ceux qui sont dépositaires de l'autorité. Mais dans tous les états, la prudence du serpent doit toujours avoir pour compagne la simplicité de la colombe. Cette aimable vertu nourrit dans le cœur la candeur et la paix; elle met la droiture et la vérité sur les lèvres; elle répand sur le front la sérenité d'une joie pure et les grâces de l'affabilité.

§ III. — La justice conserve les droits de la nature et de la société civile, dont elle remplit les devoirs.

C'est par elle que nous rendons à Dieu les hommages souverains qu'il exige; à nos parents, à nos bienfaiteurs, le respect, la tendresse, le dévoûment que le sang réclame, ou que les services demandent; aux puissances, les honneurs, l'obéissance et le zèle qui leur sont dus; à ceux qui nous sont soumis, la bonté, la patience, la générosité qu'ils ont droit d'attendre; à tous les hommes enfin, la bienveillance, l'équité, la modération, et surtout les ménagements les plus scrupuleux, pour tout ce qui peut intéresser leur honneur, leur fortune ou leur félicité. Rien de plus sacré pour un Chrétien, que ces obligations. Rien de plus doux pour les Saints, que de les remplir. Le monde se pique d'une probité qu'il oublie souvent, quand il peut y manquer avec impunité et sans déshonneur. Le vrai fidèle, qui l'aime avec moins de faste, ne se permet pas même de la violer par ses désirs. Il sait que son juge lit au fond des cœurs. Mais les Saints enchérissent encore sur cette exacti-

tude, par leur ardeur et leur empressement.

§ IV. — La force du Chrétien s'exerce contre les ennemis de son salut. Elle emploie son courage à repousser les assauts de la chair, du monde et du démon ; sa patience à souffrir les adversités, les persécutions et les tourments ; son ardeur à réprimer les persécuteurs de la foi, à défendre les droits de l'Eglise, et à venger l'honneur de la Religion.

Une intrépidité plus généreuse encore distingue les Saints du commun des fidèles. Ils bravent tous les dangers, renversent tous les obstacles, essuient toutes les rigueurs, et s'exposent sans hésiter à la mort même la plus cruelle, quand la loi l'ordonne, ou que la charité les y sollicite. Ce n'est pas seulement dans les martyrs que cette grandeur d'âme paraît au milieu des supplices. Tous les Saints ont des combats à livrer, des victoires à remporter. C'est par la grandeur de leurs efforts, ou la persévérance de leurs travaux, qu'on juge de leur courage. Il faudrait être étranger dans l'histoire du christianisme, pour n'avoir pas admiré mille fois ces exemples d'une constance que rien ne peut ébranler.

§ V. — La tempérance doit être regardée comme un antidote contre les passions, qui sont les maladies de notre esprit. La cupidité désordonnée se transforme pour infecter nos âmes en mille façons différentes. Si le cœur se laisse entamer, il n'est point d'excès où l'habitude invétérée du dérèglement ne puisse entraîner.

L'orgueil enivre, l'avarice dévore, la sensualité captive. Médecin charitable, la sagesse fortifiée par le secours de la Religion, nous met en main le fer et le feu pour circoncire nos cœurs, et réprimer l'impétuosité des désirs criminels. Elle oppose l'humilité aux transports de l'amour-propre, le détachement aux sollicitudes de l'intérêt, et la mortification aux attraits des plaisirs criminels.

La tempérance des philosophes païens n'eut pour objet que la santé du corps, l'éclat de la réputation, et la tranquillité de l'âme, ou tout au plus cette imperturbabilité stoïque, qui ne fut peut-être qu'une belle chimère. Le Chrétien, éclairé par les lumières de la révélation, ne s'étudie pas à n'avoir point de passions. Il sait que la concupiscence est l'apanage de la nature dégradée ; mais il met tous ses soins à s'en rendre le maître, par le secours de la grâce, en restituant à la raison l'empire qu'elle eut autrefois sur ses désirs, et qu'elle n'aurait jamais dû perdre. Mais c'est surtout dans les Saints qu'il faut admirer la profondeur de l'humilité, l'héroïsme du détachement, et la grandeur de la mortification. Leurs discours, leur maintien, leur conduite, annoncent qu'ils se regardent comme un pur néant en la présence de Dieu, comme des serviteurs inutiles dans la maison du Seigneur, et comme des membres à charge à la société. Ils embrassent avec avidité tout ce qui les humilie ; ils fuient avec soin tout ce qui les élève. Non contents de s'anéantir à leurs propres yeux, ils ensevelissent soigneusement leurs bonnes œuvres dans le silence, et voudraient avoir tout l'univers pour témoin de leurs faiblesses. Le désintéressement des Saints n'est pas moins admirable. Leur trésor est dans le ciel à l'abri de tous les événements, et toute l'opulence de la terre ne leur paraît qu'une charge incommode. Tantôt on les voit se dépouiller de toutes leurs richesses par un seul sacrifice, qui leur assure à jamais, dans les asiles de la pauvreté volontaire, une tranquillité parfaite. Tantôt fixés par des liens respectables au milieu des embarras du siècle, ils s'y regardent uniquement comme les dépositaires et les économes de leur propre fortune. Prenant à peine pour eux-mêmes le plus étroit nécessaire, ils en prodiguent le reste avec un saint empressement aux pauvres de Jésus-Christ. La pénitence des héros du christianisme est encore plus étonnante. Le seul récit des pieux excès auxquels se livrent la componction et la ferveur, effraie l'esprit, attendrit le cœur, et fait frémir la nature. Les ténèbres des cavernes les plus profondes, la rigueur des climats les plus insupportables, la contrainte des postures les plus gênantes, l'austérité des jeûnes, la continuité des veilles, l'opiniâtreté des travaux, le poids des chaînes et des cuirasses de fer, les pointes des haires, la rudesse des cilices, les coups redoublés, les plaies multipliées, offrent un spectacle qui saisit d'horreur quiconque n'est pas animé du même zèle que les Saints. Eux, au contraire, au milieu de ces souffrances ne croient jamais en faire assez, pour expier l'énormité de leurs désordres, ou pour conserver le dépôt précieux de leur innocence.

La loi naturelle inspire à tous les hommes l'horreur des abominations proscrites par la raison et la pudeur. La religion ajoute encore des lois plus précises, et exige une intégrité plus scrupuleuse. Selon l'Evangile, un instant,

un désir, un regard, peut la violer. Instruit de la délicatesse de cette vertu, et de la fragilité de sa chair, le Chrétien met une garde de circonspection sur ses sens, et veille sans cesse à l'entrée de son cœur pour la fermer au poison subtil de la sensualité, et pour repousser la tentation aussitôt qu'elle se présente. Mais le zèle des Saints ne se contente pas de cette défense contre un ennemi domestique qui peut tout-à-coup devenir un tyran, il lui faut des combats plus rudes et des triomphes payés de leur propre sang.

§ VI. — Les vertus morales, ainsi sanctifiées par les influences de la religion, achèvent de caractériser les grands hommes que l'Eglise doit célébrer dans ses annales, et qu'elle honore sur la terre. La discussion des quatre vertus cardinales et de leur héroïsme, succède aussi dans la pratique de la congrégation des Rites, à celle des trois vertus théologales.

Ce sont les mêmes lois pour l'examen des faits, la réduction des articles, et le détail des preuves. L'ordre des questions est aussi le même entre les solliciteurs de la cause et le promoteur de la foi, pour les quatre difficultés dont nous avons parlé dans le chapitre précédent.

CHAPITRE IV.

Des vertus d'état, et du degré d'héroïsme qu'elles doivent avoir dans les Saints.

§ I. — Dieu veut que tous les hommes soient sauvés, et viennent à la connaissance de la vérité. Le royaume des cieux est ouvert à ceux qui savent le conquérir sans distinction d'état, et sans acception de personne. On a vu des Saints sur le trône, comme dans les déserts de la Thébaïde, dans la plus affreuse indigence, comme dans la grandeur la plus opulente. Mais l'étendue des devoirs prescrits s'accroît ou se resserre, et pour mieux dire, se diversifie en mille manières, suivant les conditions et les rangs qu'on occupe sur la scène du monde. Les vertus du monarque et celles du solitaire, les obligations des célibataires et celles des époux, les travaux d'un pontife et ceux d'une vierge chrétienne, n'ont de commun, pour ainsi dire, que l'esprit général de la religion, qui doit les animer, et l'espérance du bonheur éternel, qui doit en être le motif. On n'est souvent que trop libre dans son choix pour manquer la place que Dieu paraissait nous destiner, en résistant à la vocation la mieux marquée. C'est un malheur d'autant plus déplorable qu'il est pour l'ordinaire sans remède. Mais que notre sort soit réglé par la sagesse, ou décidé légèrement par le respect humain; il n'en est pas moins vrai qu'en prenant un état, on s'impose des obligations indispensables. En vain on se proposerait d'atteindre à la perfection des autres états. Ces efforts seraient inutiles, si dans le même temps on ne s'exerçait aux vertus du sien. Les Saints y doivent exceller autant, et peut-être plus encore, que dans les autres, qui conviennent indistinctement à tous les fidèles.

§ II. — L'examen des vertus d'état est donc un objet important qui fixe l'attention de la congrégation des Rites. Il serait trop long d'accumuler ici le détail de ces devoirs, il suffit de savoir qu'on exige non seulement une exactitude parfaite à les remplir, mais encore un zèle, un courage, un goût sensible, qui rendent héroïque cette fidélité.

Nous avons tâché d'indiquer les effets les plus sublimes des vertus qui marquent la vraie sainteté. Quelques-uns de ces traits frappants ornent toujours la vie des serviteurs de Dieu qu'on présente à la cour de Rome, pour obtenir le décret de leur béatification; mais il ne faut pas croire qu'il soit absolument nécessaire de les trouver tous réunis. On doit reconnaître des degrés de mérites sur la terre, même dans les Saints, puisqu'il est des degrés de gloire dans le ciel. Chaque Saint a son caractère et ses vertus qui lui sont en quelque sorte propres, parce qu'elles sont plus marquées dans sa conduite. C'est de celles-là principalement qu'il faut attendre des actions héroïques. Mais, en général, suivant le droit établi dans la congrégation des Rites, toute pratique des vertus qu'on examine, est censée porter l'empreinte du véritable héroïsme, quand elle est accompagnée d'ardeur, de facilité, de plaisir et de dangers. Ces quatre conditions décident, et les solliciteurs de la cause doivent s'attacher à établir clairement ces caractères. Le promoteur de la foi fait tout son possible pour les détruire. Cet officier, toujours contraire à la mémoire des Saints, s'exerce principalement sur la difficulté qu'on a de fixer ce juste milieu dans lequel consistent toutes les vertus. Il ne manque jamais de les rapporter à quelque extrémité vicieuse. Le zèle, selon lui, ne sera qu'aigreur ou témérité; la modération, que respect humain; le détachement, qu'indolence; la fermeté, qu'indiscrétion. Il opposera le précepte de S. Paul aux époux qui vécurent en

continence; la parole de Jésus-Christ à ceux qui n'ont pas tout quitté pour le suivre. Il accusera de délicatesse et d'impénitence ceux qui ne se seront pas livrés aux dernières rigueurs de la mortification; et au contraire, il condamnera, comme homicides d'eux-mêmes, ceux qui se seront consumés par les austérités. Il est facile de repousser ces attaques. Le tribunal qui prononce est trop éclairé pour méconnaître la vérité. Le promoteur de la foi lui-même rend hommage au mérite, quand il revient à la fonction de consulteur, attachée de droit à la sienne.

§ III. — Pour la rigidité des preuves, la réduction des articles, l'examen des témoins, les formalités des citations, des interrogatoires, des écritures et des jugements incidents, nous devons renvoyer à la description abrégée de toutes ces procédures, que nous avons donnée dans le second livre de cette Analyse. Tout est renfermé, comme en un seul mot, dans le principe si sage et si respectable que nous avons dit être le fondement de toute la forme judiciaire, en matière de béatification. Les faits ne sont jamais reçus, dans la congrégation des Rites, comme suffisamment établis, s'ils ne sont prouvés avec la même exactitude et la même évidence, pour le moins, qu'on exige dans les tribunaux les mieux réglés et les plus indulgents, pour infliger aux criminels la peine de mort, par le plus rigoureux supplice.

CHAPITRE V.

Du martyre.

§ I. — Les témoins de la divinité de Jésus-Christ, qui scellent de leur sang la profession publique de leur foi, n'ont pas besoin d'un autre titre pour mériter notre admiration et nos hommages. Donner sa vie pour soutenir la vérité de la religion, c'est le comble de la charité chrétienne, et le chef-d'œuvre du véritable héroïsme. Aussi l'Eglise a-t-elle toujours cru que le martyre expiait toutes nos faiblesses, et lavait même la tache héréditaire du premier crime, la mort suppléant aux eaux salutaires du Baptême, à la grâce de la Pénitence, et aux œuvres mêmes de la satisfaction. Ce sentiment est fondé sur l'Evangile. Jésus-Christ a promis de prendre en main, devant le tribunal de son Père, la cause de ceux qui défendraient la sienne devant le trône des tyrans et les siéges des persécuteurs. On a rendu les hommages du culte public aux enfants massacrés par Hérode. On a cru ces premières victimes assez purifiées par leur sacrifice, quoiqu'involontaire. Mais dans un adulte simplement catéchumène, on exigerait le désir sincère d'être lavé dans la piscine salutaire; et s'il avait eu la facilité de se faire baptiser, sans se mettre en peine d'en profiter, cette négligence imposerait à sa cause un silence éternel. Sur le même principe, un pécheur public dont le crime serait bien constaté, et qui volerait au supplice pour la foi, mais qui dédaignerait de se soumettre au pouvoir des clés spirituelles, pour être absous dans le tribunal de la Pénitence, et purifié par la grâce avant que d'être offert en holocauste, paraîtrait indigne des honneurs de la canonisation.

Ceux qui manquent absolument des ressources du ministère évangélique, ou qui ne marchent à la mort qu'après s'être fortifiés par l'aliment céleste, passent en un instant des mains de leurs bourreaux dans le sein de Jésus-Christ. L'Eglise Romaine assurée de leur bonheur, s'ils ont souffert uniquement et véritablement pour la foi, ne met jamais leurs vertus au creuset, comme celles des confesseurs. A la place de ce doute, on substitue la question de leur martyre même; c'est-à-dire, qu'on examine premièrement s'ils ont subi le dernier supplice; secondement s'ils ont été mis à mort pour la Religion; troisièmement, enfin, s'ils ont enduré volontairement la peine qui leur était imposée. Chacun de ces trois articles mérite de nous quelque discussion.

§ II. — On a donné quelquefois le nom de martyrs, même dans l'Eglise primitive, à des Chrétiens qui, ayant recouvré leur liberté par des circonstances dont le concours faisait souvent éteindre le feu de la persécution, n'avaient point expiré dans les tourments, et qui survivaient au contraire longtemps à leurs combats. Mais le titre le plus ordinaire de ces soldats de Jésus-Christ, est celui de confesseurs, devenu plus commun dans la suite; et dans l'usage présent de l'Eglise, ils n'obtiendraient point celui de martyrs. C'est la mort seule qui le donne, de quelque manière qu'on l'ait reçue, ne fût-elle même que la suite d'un long exil, ou d'un rude travail infligé comme une peine par le persécuteur. On exceptera seulement de cette loi d'exclusion ceux qui sont délivrés par miracle du trépas, ou rendus insensibles aux

tortures. Ces prodiges ne les ont jamais frustrés de la palme glorieuse que l'Eglise décerne.

§ III. — Le motif de la condamnation est le principal objet à discuter dans la cause d'un martyr. Il faut que le tyran soit véritablement excité par la haine de la Religion, et que le Chrétien ne meure que pour elle. On reconnaît la nature de la persécution souvent aux termes de la sentence, aux discours des juges, à leurs menaces et à leurs promesses, ou du moins à l'espèce de délit qu'ils veulent punir; par exemple, quand ils ne reprochent aux accusés d'autres crimes que d'avoir accompli les devoirs de la Religion, ou d'avoir constamment refusé de participer aux abominations proscrites par la loi sainte.

Il est arrivé quelquefois que la fureur industrieuse des persécuteurs empruntait la voix de la plus horrible calomnie pour se déguiser, et pour charger de forfaits affreux les fidèles innocents qu'ils voulaient perdre. Ce fut l'artifice du cruel Néron et de Julien l'Apostat. Mais l'Eglise connaissait trop bien l'esprit de ses ennemis, pour prendre le change. Elle connaissait trop bien ses enfants, pour leur refuser la justice qui leur était due, et que les sages mêmes du paganisme leur rendaient. Témoin la lettre de Pline *le jeune* à l'empereur Trajan.

De la part de celui qui souffre la mort, il faut non seulement une volonté véritable de répandre tout son sang pour le nom de Jésus-Christ, mais encore la légitimité bien avérée de ce motif. L'erreur avec l'intention la plus pure, ne fait point un martyr. Des opinions fausses ou simplement problématiques, soutenues jusqu'au sacrifice de la vie comme une vérité de foi, ne donnent point droit à ce beau titre. Mais on le mérite aussi bien en défendant les préceptes de la morale et les droits de la justice ou de l'honneur, et en mourant pour ne les pas violer, qu'en combattant pour les dogmes de la doctrine chrétienne, et pour l'unité de l'Eglise.

§ IV. — Le martyr doit avoir souffert avec une résignation entière. Ceux qui seraient tués dans la fuite, ou les armes à la main pour défendre leur vie, ne seraient dignes d'aucuns honneurs. On peut, il est vrai, sans crime, se dérober à la persécution, ou résister à ceux qui voudraient nous massacrer en haine de la foi. Mais alors on ne tient point un rang parmi ses athlètes. Au contraire, on a vu quelquefois dans des Chrétiens un excès de courage qui les portait à courir eux-mêmes au-devant des supplices, à exciter des persécutions publiques ou particulières par des démarches d'éclat, et à se donner la mort, presque par leurs propres mains, en se précipitant eux-mêmes. L'Eglise a toujours condamné cette ardeur indiscrète, comme une témérité dangereuse, qui paraissait plutôt le fruit de l'orgueil que l'effet de la charité. Nous lisons même qu'elle fut souvent suivie d'une honteuse apostasie. C'est pour cela qu'on a refusé constamment à ceux qui semblaient ainsi se martyriser eux-mêmes, les prérogatives du culte solennel. On excepte cependant ceux qui paraissaient véritablement animés par une inspiration particulière de l'Esprit-Saint dans de semblables démarches: par exemple, quand elles étaient accompagnées de révélations et de miracles; quand elles étaient nécessaires ou du moins très-convenables, pour venger l'honneur de la Religion, pour soutenir le courage des fidèles, pour éviter des maux plus grands que la mort, comme serait la prostitution des vierges chrétiennes; enfin pour réparer le scandale d'une défection précédente. Alors on a tout lieu de croire que ce zèle vient de l'esprit de Dieu, quoiqu'il paraisse outré dans ses effets.

Mais si la persécution est venue chercher le martyr, et qu'il ait voulu s'exposer au combat, l'Eglise Romaine avant de l'inscrire dans ses Dyptiques, veut être assurée qu'il a reçu la mort en vue de la Religion, et qu'il a persévéré jusqu'à son dernier soupir dans cette offrande libre et volontaire de sa vie. Pour le prouver, il faut avoir des témoins de son supplice, qui répondent de toutes ses actions jusqu'au temps où l'on a dû le perdre de vue. S'il a persisté dans ce moment à confesser la foi, on suppose qu'il est mort dans les mêmes sentiments, à moins qu'on n'eût d'ailleurs des preuves ou des soupçons fondés qu'il s'est démenti dans la suite.

Ces trois articles, la mort, la cause et l'acceptation, caractérisent ainsi le vrai martyre. La procédure, l'ordre et les conditions des enquêtes, sont les mêmes que pour l'examen des vertus, dont celui-ci tient la place. Nous avons dit que dans l'un et l'autre cas, la preuve doit être appuyée par des miracles bien avérés. C'est la matière qu'il nous reste à traiter.

Livre quatrième,

Qui traite des preuves de la sainteté, c'est-à-dire des miracles et des grâces extraordinaires.

CHAPITRE PREMIER.

Des Miracles en général.

§ I. — Les lois de la nature sont l'ouvrage de la Divinité. L'ensemble des créatures et la dépendance, ou l'empire mutuel des parties du monde, liées entre elles par des rapports visibles et nécessaires, élèvent notre esprit jusqu'à la connaissance du premier Être.

L'intelligence humaine admire le spectacle magnifique de l'univers. Elle conçoit une partie de la sagesse qui l'anime, et le ravissement dont elle est pénétrée à cette vue, développe ou grave en nous l'idée du Créateur. Cet Être suprême est inaccessible aux mortels en sa propre essence. Mais il est visible aux yeux de notre âme, dans les merveilles qui nous frappent, parce qu'on ne peut méconnaître sans folie l'harmonie générale, et qu'on ne peut l'apercevoir sans remonter à sa source, et sans avouer que c'est un esprit éternel, immense, incompréhensible, qui en est l'auteur. Il ne faut aussi qu'un coup d'œil rapide sur les objets qui nous environnent, pour y reconnaître des règles constantes et des bornes qui semblent être posées par la main du Tout-Puissant. L'expérience mille fois répétée des mouvements qui se succèdent en si grand nombre, observant toujours dans leurs variétés mêmes l'uniformité la plus marquée, nous montre avec évidence l'enchaînement des causes et des effets.

A la vue de cette marche inaltérable, qui se découvre si facilement, l'homme observateur ose poser des principes, prévoir la suite des événements, et commander en quelque sorte le résultat des circonstances ; et les êtres de toute espèce paraissent empressés à suivre, avec la fidélité la plus inviolable, la route qu'il leur a tracée. C'est par ces traits de constance et de régularité, qu'on distingue les lois nécessaires de la nature. Il est vrai que la plupart nous échappent, parce que nos regards passent rarement la superficie des objets, et qu'ils ne s'étendent jamais au-delà d'un cercle étroit, qui n'est peut-être qu'un point dans la vaste étendue de l'univers. Mais cette ignorance n'ôte rien de leur certitude aux lois qui paraissent à portée de la raison et de nos sens. Un flambeau n'en éclaire pas moins nos yeux, quoiqu'il brille dans un espace resserré.

Ce serait donc le comble de l'absurdité, de révoquer en doute les règles les plus sûres, parce qu'il plaît à la Providence de nous cacher les autres. Que mille ressorts secrets agissent de concert pour opérer toutes les révolutions, ou qu'un seul principe aussi fécond en lui-même qu'il est caché pour nous, donne l'origine à tous les mouvements divers, et la naissance aux productions qui décorent tour à tour la scène du monde ; il n'en est pas moins vrai que dans l'ordre des temps et des phénomènes, les hommes de tous les siècles ont vu comme nous les mêmes effets être amenés par les mêmes causes, et les mêmes circonstances annoncer les mêmes changements.

De là naît invinciblement dans tous les esprits l'idée de la nature et de ses lois. C'est une connaissance qu'on ne peut attaquer sans renverser tous les fondements de la certitude, sans disputer à la raison tout son empire, sans priver absolument l'homme de toute son intelligence, et sans le réduire au seul instinct comme les bêtes.

L'ordre dans lequel nous connaissons ces règles uniformes, n'est peut-être que la suite de notre expérience, et le précis de nos observations. Mais elles ne sont pas moins dans leur fondement et dans la vérité de leur existence, les fruits de la science éternelle qui les dispose ; et c'est principalement par ces traits que Dieu se manifeste aux mortels.

§ II. — Le Créateur est donc, au jugement de la raison, le seul maître de la nature. C'est lui qui fait toute sa force, et qui marque à son gré les limites de cet empire. Mais l'ordre général qu'il a réglé par sa puissance, dès le commencement du monde, il peut à son gré le suspendre ou le renverser, selon qu'il est écrit dans les décrets éternels de sa sagesse infinie. C'est un attribut de sa grandeur, et le domaine inaliénable de sa puissance. Il est ridicule d'opposer l'immutabilité du premier Être à ces coups de son autorité, qui suspendent le cours des événements ordinaires, comme si la variété de ses ouvrages supposait nécessairement qu'il est capable de varier lui-même. Ce serait une erreur plus grossière encore, de soutenir avec Spinosa que la Divi-

nité même n'aurait pas le pouvoir d'opérer des prodiges, parce qu'on aura voulu définir la nature, le cercle entier de tous les êtres et de toutes les formes qui se succèdent. Quand même on ferait grâce aux principes arbitraires d'un système fondé sur l'abus des idées abstraites, et des mots consacrés pour les exprimer, il n'en résulterait jamais qu'un changement dans le langage. On sera toujours forcé par l'évidence à distinguer dans la suite des révolutions, celles qui présentent toujours un même enchaînement, de celles qui paraissent au contraire directement opposées à toutes les expériences.

Ces faits qu'on appelle *merveilleux*, à cause de l'étonnement et de l'admiration qu'ils inspirent, sont en quelque sorte le langage extraordinaire de la Divinité, comme les lois constantes de la nature sont les voix éclatantes qui publient sans cesse sa gloire.

§ III. — C'est principalement pour établir la Religion chrétienne, que les miracles les plus authentiques et les plus inouïs ont été accumulés. Quel enchaînement de prodiges dans l'Egypte, dans le désert, dans la terre de Chanaan, pour briser les fers d'Israël, pour assurer le Testament de l'ancienne alliance, et pour fonder l'empire de ce peuple choisi par préférence à tous les autres, pour conserver le premier dépôt de la révélation! En vain l'impiété voudrait y méconnaître le doigt du Tout-Puissant. Le temps et le nombre, l'ordre et la dépendance, le merveilleux et la publicité des événements, confondent tous ses raisonnements.

Que l'incrédule aille à la source, qu'il connaisse tous ces miracles et qu'il les rassemble sous un même point de vue. S'il en avait été pendant quarante ans le spectateur et l'objet, et s'il avait éprouvé sans cesse, pendant un si long intervalle, tout ce que l'histoire sacrée nous atteste, n'avouerait-il pas que c'est Dieu qui a parlé? Oserait-il résister à sa volonté consignée dans le renversement de toute la nature? Qu'il se le demande à lui-même, et sa conscience lui répondra mieux que nous. L'unique ressource qui paraîtrait lui rester, serait d'attaquer l'authenticité des livres saints, et de la tradition qui nous les a conservés, ainsi que les monuments et les témoignages de tous les siècles, qui déposent unanimement en leur faveur. Mais les défenseurs de la Religion ont repoussé mille fois avec succès les faibles efforts que l'esprit d'erreur n'a pas rougi de faire contre ces garants de la foi chrétienne.

L'Evangile de Jésus-Christ, préparé par tant de figures et prédit par tant de prophètes, sous l'empire de la loi Judaïque, s'annonce lui-même par des prodiges plus grands encore. Qu'on se mette à la place des Apôtres, depuis le premier moment de leur vocation jusqu'au dernier de leur vie, qu'on se rende propre tout ce qu'ils ont vu, tout ce qu'ils ont fait, tout ce qu'ils ont senti dans leur esprit et dans leur cœur, et qu'on décide si la Divinité ne s'est pas montrée par la profondeur de la sagesse et la plénitude de la puissance.

§ IV. — Ces miracles, qui sont en quelque sorte, à notre égard, les remparts de la révélation, sont aussi comme le modèle, et pour ainsi dire, la pierre de touche de tous les autres.

Dieu pouvait sans doute assurer le triomphe de la Religion sans cet appareil imposant. Il n'avait qu'à le vouloir, et nous naîtrions tous fidèles. Il permet au contraire que notre foi soit l'effet de notre choix pour être par-là plus méritoire. C'est un don de son amour; mais on est maître de le rejeter : heureux ceux qui se livrent au doux penchant de la grâce! Elle leur rend la foi si facile, que souvent ils n'ont aucun besoin de toutes ces preuves que les docteurs font valoir, avec tant d'avantage, contre les ennemis de l'Eglise. Mais l'Eternel, qui multiplia les prodiges pour l'établissement de sa loi, les avait disposés dans les conseils de sa miséricorde et de sa justice, pour attirer les regards des nations, pour confondre les ennemis de la révélation, pour consoler les fidèles, pour affermir les pusillanimes, et pour nous disposer à reconnaître dans tous les temps, à ces marques sensibles, ce qu'il voudra nous annoncer.

Les miracles sont donc l'expression de ses volontés particulières, les signes de sa colère et de sa tendresse; et le moyen le plus ordinaire dont il se sert pour venger sa gloire, ou pour établir celle de ses serviteurs, qu'il veut honorer à la face du monde entier.

CHAPITRE II.

Caractères des vrais miracles.

§ I. — Puisque les lois de la nature ne doivent leur origine qu'à la volonté suprême, elle seule a sans doute le pouvoir d'en suspendre l'activité. Si quelquefois de simples mortels ont paru commander aux éléments, et

détruire pour quelques instants l'ordre invariable de l'univers, c'est Dieu qui les avait choisis pour être les instruments de sa puissance.

Il prête cette force quand il lui plaît. Le Juste en est le plus souvent dépositaire. Mais quelquefois elle a brillé dans les pécheurs, parce que celui qui la donne, sait obliger l'iniquité même à servir sa justice. Les démons ont été contraints plus d'une fois d'être les ministres de cette autorité qu'ils détestent. De pareils miracles ne perdent rien de leur poids et de leur sainteté, par l'indignité des instruments qui sont employés. C'est toujours le Saint des Saints qui les ordonne et qui les opère. Mais aussi les intelligences créées participent en quelque sorte, par la dignité de leur être, à l'empire de l'Eternel sur les créatures. C'est le souffle de Dieu même qui les anime, et cette portion, ou du moins cette image de l'esprit vivifiant qu'il leur inspire, conserve des traits qui marquent son origine. De là cette raison, qui comprend une partie du mécanisme de l'univers. De là ce génie plein d'efficacité, qui se rend maître de la matière, et qui la force à se prêter aux idées que l'esprit humain a conçues, pour donner en quelque sorte un corps à nos pensées. Par cet art nous ajoutons, pour ainsi dire, au pouvoir de la nature; et tous les jours nous donnons à des êtres, que Dieu seul peut tirer du néant, des formes qui ne doivent leur existence qu'à la force de notre esprit, et à sa domination sur tous les corps sensibles.

Cependant la raison seule nous fait soupçonner, et la foi nous rend indubitable qu'il est au-dessus de nous des êtres intelligents, plus parfaits encore. Affranchis, dès leur création, des liens qui nous attachent à la terre, leurs idées ne dépendent point, comme les nôtres, des organes sujets aux altérations les plus humiliantes, et leur activité n'est pas bornée, comme la nôtre, dans la sphère étroite de ces faibles instruments que nous fournit la nature, ou que l'art nous suggère. Les propriétés de ces esprits supérieurs et leur existence même seraient pour nous des mystères, si la révélation ne nous apprenait à les connaître. Instruits par la Religion chrétienne d'une révolution étonnante, nous savons que tous les chœurs célestes furent autrefois éprouvés, qu'une partie demeura fidèle, et que ceux-là, rangés autour du trône de Dieu, sont les glorieux exécuteurs de ses commandements. Les autres se révoltèrent, et leur crime, aussitôt puni qu'il fut commis, leur a creusé des abîmes éternels de supplices et de désespoir. Ces anges dégradés conservent encore dans leur malheur les tristes restes du premier éclat qu'ils eurent dans leur création. Ils ne voient que d'un œil jaloux la nature humaine destinée à les remplacer au séjour des béatitudes éternelles. Ils réunissent tous leurs efforts pour l'entraîner dans leur chute, et le premier péché, malheureusement suivi de tant d'autres, fut l'ouvrage de leur envie et de leur haine. La bonté suprême enchaîne quelquefois cette rage des démons, et suspend les effets de leur malice. Mais elle permet souvent qu'ils emploient toutes les ressources de leur intelligence. Alors ils peuvent produire des effets qui nous étonnent, par le merveilleux le plus frappant. Ils savent, par la rapidité des mouvements qu'ils donnent à la matière, ou par des forces inconnues pour nous, qu'ils ont l'adresse de mettre en jeu, faire illusion à nos sens, et se jouer de notre crédulité. Ces prestiges imitent en quelque sorte les vrais miracles. Les historiens sacrés et profanes nous en ont conservé le souvenir; et l'on n'a point rougi de les opposer aux véritables merveilles, qui confirment notre foi. Mais rien n'est plus faible que cette comparaison, ni plus facile à détruire.

§ II. — Les prodiges opérés pour l'établissement de la Religion, l'emportent sur les plus célèbres de ceux qu'on vante avec tant d'emphase en faveur de l'idolâtrie et du mahométisme, autant et plus encore que le ciel n'est élevé au-dessus de la terre; et l'éclat qui sort des miracles de Jésus Christ et de Moïse, fait éclipser la prétendue réputation des autres, mieux que le soleil n'efface en plein midi la plus reculée des étoiles.

Deux règles fort simples, mais bien sensibles, puisqu'elles sont empruntées de la raison même, et puisées dans la nature de la certitude humaine : premièrement, si ces événements arrivaient sous nos yeux, serions-nous en effet nécessités à croire que Dieu lui-même nous parlerait? ou, tout au contraire, pourrions-nous suspendre notre persuasion et notre obéissance? Première question à décider par l'oracle intérieur de la conscience. Secondement, est-il constant que ces prodiges sont arrivés? Les monuments et la tradition qui nous les attestent, sont-ils incontestables et authentiques?

C'est à cette double épreuve qu'il faut mettre également tous les miracles. On voit ceux de l'erreur s'évaporer à ce creuset, comme ces viles substances qui nous offrent quelquefois le brillant des métaux, sans en avoir la fixité. Tout au contraire ceux de la Religion, non seulement résistent à tout examen, mais encore ils en sortent plus éclatants. Il n'est personne de bon sens qui voulût persister dans l'incrédulité, s'il avait éprouvé par lui-même ce que Dieu fit par Moïse, et ce que Jésus-Christ opéra. Mais il n'est personne qui puisse révoquer en doute la vérité des témoignages qui nous attestent ces merveilles, quand il aura compris la force invincible des raisons qui concourent à nous en assurer.

C'est en partant de ces deux principes, qu'on se pénètre aussi d'un souverain mépris pour les faux miracles. La plupart ne sont appuyés que sur des bruits populaires, des récits vagues, faits par des écrivains faibles et superstitieux, ou que sur des impostures manifestes; comme ceux d'Apollonius de Tyane, dont l'historien est si pleinement convaincu de contradiction et de mensonge. D'autres méritent à peine, par eux-mêmes, d'occuper un instant l'attention d'un esprit raisonnable, tant ils ont peu de rapport avec l'idée de la grandeur et de la vérité souveraine. Ainsi quand on pèse scrupuleusement ces miracles au poids de la conviction intérieure, le sentiment qui nous en reste, c'est que la plupart sont absolument incapables de persuader entièrement, et que les autres n'ont pas la moindre apparence d'authenticité.

Parmi les premiers, cependant, on en peut remarquer plusieurs qui passent en effet toutes les forces de la nature humaine. On n'y reconnaît pas à la vérité le bras du Tout-Puissant, qui n'a pas plus de peine à contredire formellement les lois de la nature, qu'à les conserver dans leur état. Mais aussi l'on y trouve des événements extraordinaires et merveilleux, qu'il n'est jamais en notre pouvoir de produire. Quand ils sont opérés pour confirmer l'erreur, ou pour s'opposer aux victoires de la Religion, nous ne balançons pas à les attribuer aux esprits malfaisants; les incrédules qui nous les objectent rient de cette réponse. Ils pensent que c'est un triomphe pour eux de nous y réduire, et ils n'hésitent point à l'appeler une défaite. Mais ils n'en prouvent cependant ni le ridicule, ni l'insuffisance. Rien au contraire de plus facile que d'en établir la solidité. Quoi! La raison ne dit-elle pas qu'il peut exister des intelligences pures, et qu'elles auraient sur la matière plus d'empire que nous? L'existence de ces esprits et le soulèvement de plusieurs d'entr'eux contre les hommes, contre la foi, contre les bonnes mœurs, n'est-ce pas un des dogmes contenus dans la révélation? Cette révélation n'est-elle pas elle-même appuyée sur des fondements inébranlables? Lors donc qu'on vient attaquer la foi par de prétendus prodiges, on est en droit de répondre qu'ils sont dans l'ordre même de la Religion, puisqu'elle enseigne à les prévoir, et qu'elle avertit de se mettre en garde contre leur séduction.

§ III.—Il faut donc partir de ce point, comme d'un centre fixe et permanent, pour juger tous les faits merveilleux. L'éternelle vérité n'est jamais en contradiction avec elle-même. La foi chrétienne et l'Eglise sont ses ouvrages, fondés par les prodiges les plus grands et les plus incontestables. Cette supériorité des miracles opérés en faveur de la Religion étant si sensible, on ne peut raisonnablement leur en opposer d'autres. Cette opposition seule doit faire rejeter ces prétendus prodiges comme des illusions de la crédulité, ou des prestiges des démons.

De là sont nées ces règles pleines de sagesse et de clarté, qui servent de guide à l'Eglise Romaine, pour discerner les vrais miracles. Cinq qualités principales en font le caractère. Premièrement l'*efficacité*. L'esprit d'erreur est borné dans son pouvoir, tandis que l'autorité de Dieu n'a point de limites. Souvent le merveilleux que le démon suppose n'a qu'une vaine apparence, parce qu'il fascine les sens ou séduit l'attention par des ressemblances, tandis qu'un vrai miracle opère dans la réalité. Secondement la *durée*. Souvent le prestige n'a qu'un instant, et tout rentre aussitôt dans l'ordre. Troisièmement l'*utilité*. Dieu ne prodigue point sa puissance en vain. Des traits puérils et des changements qui n'aboutissent qu'à causer de la frayeur ou de l'étonnement, sont indignes d'occuper un homme raisonnable, à plus forte raison d'être produits par un ordre particulier de la Providence. On peut encore moins supposer que la sagesse suprême se prête à des scènes indécentes ou ridicules, semblables à celles dont on a quelquefois voulu repaître la populace; de même qu'il serait impie de croire qu'elle favorise des desseins injustes et pernicieux. Quatrièmement le

moyen. C'est par la prière, l'invocation de l'adorable Trinité, de la sainte Mère de Jésus-Christ, ou des âmes bienheureuses, que s'opèrent les vrais miracles. C'est par de pieux désirs et des œuvres méritoires, qu'on les obtient. Les faux prodiges se font par des évocations du démon, des artifices honteux, et des actions extravagantes. Cinquièmement l'*objet principal*. Dieu ne peut avoir en vue que sa gloire et notre bonheur. Le triomphe de la vérité, le règne de la justice, sont les seuls motifs dignes de sa bonté, toujours infiniment sage.

Tous ces principes, dont l'application est si facile et si concluante, se réduisent à celui-là seul qui contient tout dans sa fécondité. Le maître de la nature est le Dieu de la vérité, non le Dieu du mensonge. Il a parlé manifestement par mille et mille prodiges pour fonder la Religion catholique. Il est impossible qu'il agisse ou qu'il parle pour la démentir.

CHAPITRE III.

Des miracles, par rapport aux causes de béatification ou de canonisation.

§ I. Ce n'est pas pour prodiguer les honneurs du culte public, que l'Eglise Romaine est en possession du droit de les décerner. Des vertus héroïques, démontrées par des actions éclatantes que les témoignages authentiques rendent incontestables, suffiraient peut-être pour certifier la sainteté des serviteurs de Dieu qui les ont pratiquées. Ce sont des modèles à imiter, s'ils ont persisté, jusqu'à la mort, dans l'accomplissement de toute justice. Mais il est difficile de prouver cette persévérance, et pour ôter jusqu'aux moindres soupçons, un zèle plus prudent et plus sévère attend encore que le Ciel lui-même se déclare par des prodiges sensibles en faveur de ceux que les hommes doivent honorer. L'intérêt de la Religion exige cette rigidité. Les âmes bienheureuses qui jouissent des délices du ciel, sans être proclamées sur la terre, n'en sont point offensées.

Il faut donc des miracles pour édifier les Chrétiens, pour attirer la confiance des peuples, et pour fermer la bouche aux ennemis de la Religion. Ce n'est point une témérité d'attendre ces preuves de la sainteté. Jésus-Christ lui-même a promis que ses disciples fidèles opéreraient des prodiges, chasseraient les démons, et guériraient les maladies. L'expérience de tous les siècles nous apprend que Dieu se plaît à glorifier ainsi parmi nous ceux qui l'ont aimé davantage.

§ II. — Nous avons établi, dès le premier livre, la nécessité des miracles dans les causes de béatification et de canonisation, non seulement pour les confesseurs, mais encore pour les martyrs. On a vu que la première information dressée par l'évêque diocésain avait pour objet le bruit public des vertus et des miracles. Cette procédure est suivie d'une pareille, par les délégués du S. Siége, aussitôt après que la cour de Rome est saisie de la cause par la signature de la commission apostolique.

Il serait inutile de répéter que le nombre des miracles est fixé dans la rigueur à deux seulement, pour autoriser la béatification ; ce qui n'empêche pas que la congrégation des Rites n'en examine et n'en approuve très-souvent un plus grand nombre. Il en faut dans la suite deux nouveaux pour obtenir la reprise d'instance, et procéder à la canonisation. Dans le détail des précautions qui rendent les preuves indubitables, nous avons dit que les témoins doivent être oculaires, et à l'abri de tous soupçons ; c'est-à-dire tels qu'ils soient admissibles, dans la rigueur du droit, pour une procédure de crime capital, et qu'ils déposent uniformément, au moins deux ou trois, sur le même fait et la même circonstance.

§ III. — Tous les prodiges, quoique véritables, n'offrent pas à l'esprit humain le même caractère de puissance, ou de merveilleux. Quelques-uns paraissent exiger tout le bras du Créateur, parce que la nature entière est incapable de les produire. C'est le premier ordre des miracles. D'autres, moins étonnants, pourraient s'attribuer à ces intelligences pures, dont le savoir et l'activité sont au-dessus des nôtres. C'est le second genre. Il est aussi des révolutions que l'homme lui-même peut occasionner, par les secours de l'art ; ce ne sont alors que des événements ordinaires. Mais quelquefois le concours des circonstances les fait recevoir au nombre des miracles ; et c'est la troisième espèce.

Ceux du premier ordre n'ont pas besoin d'autre règle que du témoignage de la raison, qui reconnaît l'empreinte de la divinité. C'est ainsi que la résurrection d'un mort passe pour un prodige indubitable. On applique à ceux de la seconde classe tous les principes qui

font distinguer l'œuvre de Dieu des prestiges du démon. Nous avons détaillé ces caractères dans le chapitre précédent. Mais on ajoute, pour ceux du troisième rang, des lois qui les mettent à l'abri de toute erreur, et qui ne permettent pas de les confondre avec les effets de l'art, ou le cours ordinaire de la nature.

C'est ainsi que les guérisons sont admises au rang des vrais prodiges, pourvu qu'elles soient revêtues de sept conditions absolument indispensables : premièrement, que les infirmités soient considérables, dangereuses, invétérées, qu'elles résistent communément à l'efficacité des remèdes connus, ou du moins qu'il soit long et difficile avec ce secours, d'en extirper la cause. On peut se souvenir que la congrégation des Rites commet cet examen aux plus intègres et aux plus habiles des médecins. Secondement, que la maladie ne soit point encore à son dernier période, en sorte qu'on en puisse raisonnablement attendre le déclin. Troisièmement, qu'on n'ait point encore employé les moyens ordinaires, dont la médecine ou la pharmacie font usage, ou du moins qu'on soit assuré par le temps et les circonstances, que leur vertu ne peut influer dans le bien-être du malade. Quatrièmement, que la convalescence soit subite et momentanée; que les douleurs ou le danger cessent tout-à-coup, au lieu de diminuer avec le temps et par degres, comme dans les opérations de la nature. Cinquièmement, que la guérison soit entière et parfaite, une délivrance ébauchée n'étant point digne du nom de miracle. Sixièmement, qu'il ne soit point survenu de crise ou de révolution sensible, capable d'opérer seule. Septièmement, enfin que la santé soit constante, et que la rechute ne suive pas tout-à-coup. Autrement on n'aurait qu'un instant de relâche, au lieu d'un soulagement entier et merveilleux.

La congrégation des Rites exige rigoureusement le concours et la preuve de ces circonstances, pour approuver les guérisons qu'on lui propose; et le promoteur de la foi ne néglige aucune des difficultés que peuvent lui suggérer la nature du mal, et les connaissances que les experts lui fournissent, pour mettre, s'il se peut, en défaut la sagacité des solliciteurs. Mais s'ils établissent bien clairement, par les enquêtes, qu'à l'invocation des serviteurs de Dieu dont ils poursuivent la cause, de vrais malades ont recouvré subitement une santé parfaite, indépendamment des remèdes ordinaires, un miracle de cette espèce, quoique du troisième ordre, n'en a pas moins toute l'autorité nécessaire pour fonder un décret de béatification ou de canonisation.

§ IV.—On doit ranger aussi dans cette classe, et constater d'après les mêmes principes de discernement, la délivrance des possédés par l'intercession des Saints : la conservation de leurs corps dans les tombeaux, quand ils n'ont éprouvé ni la corruption, ni le dessèchement; et que, loin d'être réduits en poudre, ils conservent encore la chair même; les odeurs merveilleuses qu'ils exhalent, les liqueurs salutaires qu'ils répandent, les apparitions enfin, qui semblent annoncer leur gloire et leur pouvoir dans le ciel.

Deux objets principaux sont comme la base des discussions qui s'agitent à cet égard dans la congrégation des Rites : premièrement, les faits sont-ils bien prouvés? C'est le langage et la qualité des témoins qui décident, quand les actes qui contiennent les dépositions ont toute l'autorité d'une procédure juridique. Secondement, ces faits sont-ils surnaturels? On en juge par l'examen des circonstances, par une science consommée des lois ordinaires de la nature et des ressources de l'art; enfin par les suffrages des philosophes, des médecins, des jurisconsultes et des théologiens les plus habiles, chacun dans le ressort de sa profession.

CHAPITRE IV.

Des grâces extraordinaires.

§ I. — Les miracles opérés après la mort des serviteurs de Dieu, sur leurs tombeaux, avec leurs reliques, ou par leur invocation, sont, au jugement de l'Eglise, une preuve complète de leur saintete, quand on a trouvé à leur vertu ce degré d'élévation qui caractérise les héros de la Religion. Il n'en est pas de même des prodiges qu'ils ont eux-mêmes opérés pendant leur vie, pour la confirmation de la foi. Ce don de miracles peut être confié, comme tous les autres, aux plus grands pécheurs; et Jésus-Christ nous avertit dans l'Evangile qu'il méconnaîtra devant le tribunal de son Père, au grand jour des rétributions, plusieurs de ceux qu'il aura lui-même employés pour chasser les démons, et guerir les malades en son nom. Ainsi, dans la rigueur, ces grâces extraordinaires (*gratis datæ*) ne sont point un indice assuré de la sainteté de ceux qui les

possèdent, même dans le degré le plus éminent.

Il n'en est pas moins vrai, cependant, que dans le cours ordinaire des lois de la Providence, le juste est le plus souvent l'instrument dont Dieu se sert avec prédilection. Ce pouvoir est un ornement à la vertu, qui donne du relief à son héroïsme, et qui nous inspire malgré nous le respect le plus profond. Aussi, dans la pratique de la congrégation des Rites, après la discussion la plus sévère des perfections chrétiennes, quand on a reconnu dans les serviteurs de Dieu proposés pour les honneurs de la béatification, ces mérites accomplis qui font les saints, on se prête sans peine à l'examen des grâces extraordinaires qui les ont fait admirer sur la terre.

On en distingue de plusieurs espèces, et l'on doit à chacune des attentions particulières, pour ne pas confondre des effets naturels avec les mouvements de l'esprit de Dieu.

§ II.—La première loi fondamentale, commune à toutes ces grâces, c'est l'utilité de la Religion et l'avantage des bonnes mœurs, puisque Dieu ne les accorde, suivant la doctrine de l'Apôtre, que pour l'édification de l'Eglise et la sanctification des élus. Tout autre motif rend suspectes les actions mêmes les plus merveilleuses. Mais aussi ces grâces, qui sont le don de science et de sagesse, de persuasion et de miracles, de prophétie et de discernement des esprits, de l'usage des langues et de leur intelligence, comme les extases, les ravissements, les visions, les apparitions et les révélations, que l'on peut ranger sur la même ligne, ont leurs règles et leurs caractères propres établis d'après les principes de la raison et de la foi, qui confondent l'erreur et font reconnaître la vérité. Ainsi la science et la sagesse qui viennent du S.-Esprit, n'ont pour objet principal que le salut. Souvent, par exemple, on a vu des hommes sans lettres et sans éducation disserter des mystères augustes du christianisme avec tant de précision et de profondeur, que les docteurs consommés dans l'étude étaient ravis d'admiration, et les adversaires les plus dangereux de l'Eglise couverts d'opprobre.

Une doctrine si pure et si lumineuse, puisée dans la contemplation des vérités sacrées, paraît évidemment la récompense et le fruit de la foi la plus vive. Ainsi les prédictions des Saints sont des oracles absolus et formels, sans équivoque, sans incertitude, confirmés par des événements bien constants qu'ils ne pouvaient avoir appris, ni de la raison, ni du témoignage des sens, ni par l'art des conjectures, ni par le rapport des autres hommes. Ainsi les extases et les ravissements ne sont pas des suites naturelles, ni des maladies, ni des remèdes, ni des tempéraments, ni des circonstances; mais une prédilection singulière de l'esprit d'amour, qui se plaît à transporter une âme sainte, à l'élever pour quelques instants au-dessus de la nature humaine, et à lui faire en quelque sorte éprouver un avant-goût des joies célestes.

§ III. — Mais il serait immense de parcourir dans cet essai tous les traits qui caractérisent les vrais prodiges, opérés par les Saints pendant les jours de leur exil sur la terre, ou par leur intercession après qu'ils ont reçu leur récompense. Ce détail plein d'instruction et d'agrément dans l'ouvrage immortel que nous avons analysé, perdrait toute sa grâce entre nos mains. Nous avons cru trop difficile pour nous de le mettre au goût de nos lecteurs, dans un simple extrait.

On peut donc se contenter de conclure comme nous, avec une entière certitude, que la doctrine qui sert de base aux jugements de la congrégation des Rites, et qu'on trouve exposée, selon toute son étendue, dans les quatre livres du souverain pontife, est le chef-d'œuvre de la raison éclairée par le véritable esprit de la Religion. C'est de ces deux sources réunies que coulent tous les principes qu'on érige en règles invariables, après la plus mûre délibération et qu'on applique dans la suite, avec une exactitude qui n'a peut-être point d'exemple dans les tribunaux les plus revérés.

CHAPITRE V.

ÉPILOGUE.

§ I. — Si la foi de l'Eglise catholique et les pratiques de sa discipline sont rejetées par les sectaires, c'est qu'ils ignorent pour la plupart les dogmes que nous professons, et l'esprit qui dirige nos cérémonies. La canonisation des saints est un exemple bien frappant de cette injuste prévention, dont il semble que la probité seule devrait les faire rougir. Ils accusent de superstition et d'idolâtrie le culte que nous rendons sur la terre aux bienheureux; ils regardent les procédures de la congrégation des Rites comme un jeu concerté, pour en imposer plus gravement au peuple crédule; enfin ils se déchaînent sans pudeur

contre les souverains pontifes, comme s'ils étaient les auteurs de toutes les supercheries qu'ils supposent dans toutes les procédures. Rien de plus injuste et de plus téméraire que ces trois préjugés. On a pu le voir dans la suite des règles que nous venons d'exposer.

Premièrement, l'origine des jugements de béatification et de canonisation est respectable pour les protestants mêmes. Ne font-ils pas gloire de nous rappeler aux premiers siècles de l'Eglise, et d'adopter toute la discipline de ces temps voisins de Jésus-Christ et des Apôtres? Mais on leur a montré, dans le commencement de cet essai, toutes les pratiques du culte religieux qu'on rend aux Saints, établies clairement par les monuments les plus assurés et les plus vénérables de l'histoire ecclésiastique. Ils ont pu voir les bienheureux invoqués avec confiance, leurs reliques honorées avec affection, leurs fêtes solennisées avec la plus grande pompe, dans les premiers âges du christianisme. Ces honneurs n'étaient point alors une idolâtrie. Jamais les mérites des Saints n'ont été regardés comme indépendants de ceux de Jésus-Christ, et leur autorité n'a jamais paru tirer sa force que de la miséricorde infinie du Tout-Puissant. Quand il couronne leurs vertus, il ne récompense que ses propres dons. Toute la grandeur des Saints vient de la grâce; mais leur gloire et leur pouvoir n'en sont pas moins réels, quoiqu'ils n'effacent jamais la distance incompréhensible de la créature au Créateur. Nos hommages sont encore réglés sur ces dogmes, aussi clairement professés par nos docteurs que par les disciples de S. Polycarpe, dans sa lettre citée dès le premier chapitre de cet ouvrage, et par les Pères de tous les temps.

Comment se peut-il faire que ces vérités, si vénérables dans la bouche des anciens, deviennent des blasphèmes dans la nôtre? Et par quel sort des sentiments et des actions unanimement applaudis dans les plus beaux jours du christianisme, sont-ils des abominations dans notre siècle? C'est aux ministres de la prétendue réforme à nous expliquer ce mystère.

§ II. — Secondement, les procédures de la congrégation des Rites, loin de mériter la censure des ennemis de la cour de Rome, sont dignes au contraire de leur admiration et de leur étonnement. C'est la sagesse la plus profonde qui dicte les lois de cette jurisprudence, et l'attention la plus scrupuleuse qui les fait observer

On ose défier la malignité la plus ingénieuse, d'inventer pour démasquer l'imposture ou prévenir l'erreur, des moyens plus assurés et plus prompts que ceux qui sont mis en œuvre dans toutes les informations des commissaires, et les jugements de ce tribunal. On emploie tout ce que la religion du serment a de plus sacré, et la crainte des censures ecclésiastiques de plus imposant, pour tirer la vérité de la bouche des témoins. On s'assure de leur capacité, de leurs mœurs et de leur désintéressement, par toutes les précautions que la prudence humaine a jamais pu suggérer. On agit avec tant de lenteur et de maturité; on revient si souvent, et avec tant d'application sur les mêmes objets, qu'on n'a rien à craindre de la précipitation ni du zèle enthousiaste. Qu'on suive le détail des actes juridiques, indiqués seulement en gros dans le second livre de cette Analyse, et l'on concevra l'authenticité des faits, qui sont constatés par tant de preuves. Quand on considère les procès de l'ordinaire, et l'examen qu'ils subissent à Rome; les nouvelles enquêtes des commissaires apostoliques sur les mêmes sujets, qu'on discute avec la même sévérité; les informations particulières sur les vertus et sur les miracles; l'héroïsme qu'on exige dans celles-là; les caractères qu'on requiert dans ceux-ci; les articles qui sont rédigés à Rome; les doutes qu'on agite dans les congrégations; les chicanes du promoteur de la foi; les disputes qu'on excite exprès entre les médecins et les autres experts qu'on appelle à ces questions; on ne peut qu'être effrayé de cette multitude d'obstacles qu'il faut vaincre, pour parvenir à mettre en évidence la sainteté des serviteurs de Dieu dont on poursuit la béatification.

Si quelqu'un veut encore douter de l'authenticité des preuves qui résultent de ces actes si solennels, il faut donc qu'il érige un nouveau tribunal dans l'univers, qu'il indique à tous les hommes un autre ordre de certitude pour les faits, et qu'il déteste comme des monstres de cruauté, les magistrats qui décernent des peines contre les coupables, dans toutes les sociétés du monde. Si c'est une extravagance d'en venir à ce point d'incrédulité sur les faits, comme tous les gens sensés en conviendront sans peine, il faut donc que les calomniateurs de l'Eglise Romaine avouent qu'ils n'ont blâmé sa discipline, que pour en avoir ignoré jusqu'ici les maximes.

Troisièmement, enfin, quand même, par

impossible, on pourrait supposer quelque illusion ou quelque supercherie dans toute l'affaire d'une canonisation, il est impossible absolument qu'elle vienne de la cour de Rome. Et ce sera toujours l'injustice la plus odieuse de l'en rendre responsable.

La congrégation des Rites délègue des prélats pour dresser sur les lieux toutes les informations générales et particulières. On leur envoie des articles pour les diriger dans les interrogatoires qu'ils doivent faire subir aux témoins. Ces articles contiennent des faits bien clairs et bien positifs, mis en avant par les solliciteurs de la cause. Ces faits établissent ou les vertus héroïques, ou les miracles. C'est aux juges délégués à recevoir les dépositions, et aux témoins à dire s'ils ont vu ou non ce qu'on leur demande. Les actes sont portés à Rome, et là d'abord on les examine sur la forme, pour savoir si les règles de la procédure ont été bien observées; secondement, si les faits sont bien justifiés. C'est de là que dépend toute la force de la certitude, et la cour de Rome n'influe en rien sur cet article.

Si les témoins pris à serment, et interrogés aux pieds des autels, étaient assez malheureux pour se parjurer, ou si l'on supposait les commissaires assez impies pour prévariquer dans un ministère si saint et si peu susceptible de l'intérêt des passions; il faudrait tout au plus déplorer la faiblesse humaine. Mais on ne pourrait s'en prendre, ni aux cardinaux, ni aux consulteurs de la congrégation. Tout ce qu'on trouve de leur part dans la suite des enquêtes, c'est une exactitude portée jusqu'au scrupule, même le plus minutieux en apparence, pour maintenir toutes les règles; c'est un enchaînement de difficultés qui ne finissent point, pour éclaircir tout jusqu'à l'évidence, et dissiper les moindres nuages.

§ III. — Les frais immenses qu'exigent tant d'écritures et tant d'officiers différents, qu'il faut employer pour les dresser, ne doivent point encore être un sujet de reproche de la part des adversaires de l'Eglise catholique. Ces actes juridiques sont multipliés, pour assurer les faits qu'ils paraissent révoquer en doute. S'ils trouvent qu'on en fait trop, ils avoueront donc que la certitude est établie par des précautions excessives. Ils seront obligés de rendre hommage à l'exactitude de la cour de Rome, et de nous accuser de trop de défiance, au lieu de nous reprocher notre crédulité. Les principes et les procédures de la congrégation des Rites sur les vertus et les miracles, qui règlent la forme et le fonds des procès de béatification et de canonisation, ne peuvent donc être trop approfondis. Cette connaissance fait seule l'apologie de l'Eglise Romaine et de sa discipline.

Ceux qui ne sont pas convaincus de cette vérité, ne peuvent manquer de l'être par la lecture entière des livres de Benoît XIV, si pleins d'érudition et de sagesse, si dignes d'un pontife dont les hérétiques et les incrédules eux-mêmes respectent les talents et les vertus. Nous osons croire même que notre Analyse peut servir à leur inspirer plus de respect pour des usages si religieux, et quelque défiance pour de faux pasteurs qui ne cessent de les calomnier. Nous avons tâché de rassembler en cet essai les maximes générales qui servent, pour ainsi dire, de fondement et de base aux jugements de béatification et de canonisation. C'était notre intention de saisir un juste milieu, dans le détail des règles fondamentales et des procédures juridiques, pour en donner à nos lecteurs une idée claire et distincte, sans être obligé de passer les bornes que nous nous étions proposées.

Nous savons que notre siècle est ennemi des longs ouvrages; d'ailleurs nous n'avons destiné cet Abregé ni aux savants, ni aux théologiens, ni aux prélats : ce serait leur rendre un mauvais office que de les empêcher de connaître par eux-mêmes ces traités dont nous avons fait nos délices. Ils y trouveront tant de science et tant d'onction, qu'ils sentiront aisément l'insuffisance de notre extrait.

Ce n'est pas sans regret que nous nous sommes imposé la nécessité de dépouiller la doctrine que renferme cet ouvrage, des ornements qui la rendent si respectable et si précieuse dans l'original. Nous avons cru que le commun des lecteurs nous en saurait gré. C'est à ceux qui ne cherchent qu'une instruction moins pénible et moins approfondie, que nous adressons cet essai. Nous serons satisfaits s'il pique leur curiosité, parce que nous espérons que les vrais fidèles y trouveront un sujet d'édification, et les ennemis de la Foi un remède contre leurs préjugés.

Le tribunal de la congrégation des Rites et sa jurisprudence ont été, ce me semble, trop ignorés jusqu'ici. C'est ce défaut de lumières

qui, peut être, a trop accrédité les railleries des incrédules et des hérétiques. Dieu veuille qu'on apprenne ici à les mieux connaître, pour leur porter tout le respect qu'ils méritent! Puissions-nous obtenir ce fruit de cet opuscule, que nous offrons à Dieu comme les prémices de notre plume!

Appendice.

N° PREMIER. — *Taxe des avocats et procureurs qui sont employés dans les procédures des béatifications et des canonisations, renouvelée par la congrégation des Rites, et approuvée par notre S.-Père le pape Innocent XI, le 15 octobre 1678.*

ART. PREMIER. — Pour l'inventaire général de toute la procédure, on doit quatre *scudis* (1) par chaque centaine de feuillets de grosses; chaque feuillet contenant deux pages, chaque page vingt-quatre lignes, et la ligne seize syllabes.

ART. II. — On pourra donner jusqu'à vingt scudis, mais pas davantage pour les premières écritures qui se font dans chaque doute de vertus ou de miracles.

ART. III. — Pour les réponses qu'on donne dans ces mêmes doutes, on peut payer jusqu'à dix scudis, et pour toutes les autres pièces considérables d'écritures qu'il faut faire dans les autres questions incidentes, on ne pourra donner au-delà de dix scudis.

ART. IV. — Pour les écritures d'introduction de la cause, et de reprise d'instance, on ne peut donner au-delà de quinze scudis.

ART. V. — Pour les copies de toutes les écritures, on paie quinze bajochs, la feuille de grosse réduite selon l'article premier.

ART. VI. — Pour le sommaire qui se fait à chaque doute, on doit cinq bajochs par feuille de grosse, réduite suivant l'article premier.

ART. VII. — Pour les mémoires de quelque espèce qu'ils soient, grands ou petits, on ne doit pas plus de douze *jules* par chaque, excepté les écritures d'introduction de la cause et de reprise d'instance, qui portent le nom de mémoires, et qui sont taxés à l'article quatrième.

ART. VIII. — Pour la première copie des sommaires ci-dessus ou des mémoires, il n'est dû que six bajochs par feuille, conforme à l'article premier.

ART. IX. — Pour la plaidoirie devant toute la congrégation des Rites, les consulteurs assemblés, on ne doit pas au-delà de trois scudis entre le procureur et l'avocat : devant la congrégation ordinaire seulement, les plaidoyers ne se paient que la moitié de la même somme.

ART. X. — L'honoraire des avocats est de dix scudis, pour leurs écritures et pour la plaidoirie, le même que celui des procureurs.

ART. XI. — Pour la minute de quelque commission que ce soit, on ne doit pas plus de quinze jules, et pour les deux copies qui se donnent, l'une au cardinal rapporteur, et l'autre au secrétaire de la congrégation des Rites, il est dû six bajochs par feuille conforme à l'article premier.

ART. XII. — Pour la comparution du procureur devant le cardinal rapporteur, ou devant le promoteur de la foi, l'honoraire est de douze jules.

ART. XIII. — Pour la plaidoirie devant notre S.-Père le Pape, et l'auditeur de Sa Sainteté, on ne doit que trois scudis au procureur et autant à l'avocat.

ART. XIV. — Pour les assignations et citations, il n'est rien dû que la taxe ordinaire des huissiers.

ART. XV. — Les copies des oppositions du promoteur de la foi, seront faites aux frais des parties qui doivent ensuite les porter au promoteur qui les leur rendra munies de son sceau, pour qu'ils les distribuent aux cardinaux, au protonotaire, au secrétaire et aux consulteurs.

ART. XVI. — Pour quelque travail, voyage ou écriture que ce soit, qui ne seront point exprimés dans la présente taxe, on fera régler l'honoraire par le cardinal président de la congrégation.

Ces réglements seront imprimés, publiés et observés, sous peine d'interdiction perpétuelle des avocats ou des procureurs, et même de plus grièves peines, à la volonté des cardinaux de la congrégation.

(1) Il faut observer pour l'évaluation des monnaies romaines, employées en cette taxe, que le *bajoch* ou sol romain vaut seize deniers de notre monnaie; le *carolin* sept bajochs et demi; le *jule* dix bajochs; et le *scudi* dix jules ou cent bajochs.

N° II. — *Taxe du notaire de la congrégation des Rites, pour tous les actes qu'il doit dresser dans un procès de béatification ou de canonisation, approuvée le même jour que la précédente.*

ARTICLE PREMIER. — Le notaire ne tiendra registre que des actes judiciaires, sans y insérer tout du long les procès-verbaux d'interrogation des témoins, et dans les jugements qu'il enregistrera, il n'allongera point la copie par des périphrases ou des répétitions.

ART. II. — Par chaque centaine de feuilles de son registre conforme à l'ordonnance de notre S.-Père le Pape Paul V, il ne lui sera dû que quatre scudis; défense à lui de ne rien exiger au-delà, ni pour la collation, ni pour les apostilles, ni pour quelque raison que ce puisse être.

ART. III.—Les instances et recommandations des princes, des ordres religieux, des universités ou d'autres personnes, dans les causes de béatification ou de canonisation, qui sont remises au notaire par le secrétaire de la congrégation, ne doivent point être couchées tout du long sur le registre, mais elles y doivent seulement être indiquées en cette forme. *Le roi de.... demande par ces lettres du..., l'introduction de la cause;* et les originaux doivent être gardés dans les archives. Le notaire en expédiera les copies toutes les fois qu'il en sera requis, et elles seront payées conformément à la taxe de l'article suivant; mais avant de les déposer dans les archives, il en fera trois copies, l'une pour le cardinal rapporteur, la seconde pour le secrétaire de la congrégation, et la troisième pour le promoteur. On les paiera deux jules chaque.

ART. IV. — Pour la copie des actes faits en cour de Rome ou ailleurs, on ne doit pas au-delà de sept bajochs et demi, par feuillet contenant deux pages, chaque page vingt-quatre lignes, chaque ligne seize syllabes.

ART. V. — Pour la copie authentique de tout procès fait, par l'autorité du Pape, ou par celle de l'ordinaire, il n'est dû au notaire que sept bajochs et demi, par feuille conforme à l'article ci-dessus.

ART. VI. — Tous les registres, écritures et copies se doivent faire en bon papier, et en caractères nets et lisibles; autrement le notaire sera tenu de les faire transcrire sans aucune rétribution.

ART. VII. — Les procès qu'on a dressés sur les lieux, ou par l'autorité apostolique, ou par celle de l'évêque diocésain, ne doivent point être enregistrés, quand même ils auraient moins de vingt feuilles d'écriture. Il sera seulement permis de les apostiller en marge s'ils ne l'ont pas été.

ART. VIII. — Pour apostiller en marge les écritures, il est dû dix jules, par centaine de feuilles. Ces apostilles indiquent sommairement, et article par article, le contenu de ces actes. Si ceux qui viennent en Cour de Rome n'en ont point, il faut les suppléer.

ART. IX. — Pour une séance de six heures, employée à collationner des procédures ou des écrits quelconques, on doit au notaire un scudi, et à celui qui collationne avec lui, le prix dont on sera convenu. Pour son acte de collationné, il ne doit prendre que cinq jules de la première copie; mais si les parties veulent en faire tirer d'autres, il ne peut se faire payer que cinq bajochs par feuille, et pour l'acte de collationné vingt-cinq bajochs de chaque copie.

ART. X. — Pour les compulsoires on doit douze jules, suivant l'ordonnance de notre S.-Père le Pape Paul V.

ART. XI. — Pour les décrets d'attribution, et commission d'informer par autorité apostolique, il est dû dix écus pour tous droits. Les articles et modèles d'interrogatoires sont dressés gratis, jusqu'à la concurrence de quinze feuilles. Ce qui est au-delà de ce nombre, se paie à raison de sept bajochs et demi la feuille.

ART. XII. — Pour le compulsoire, et copie collationnée de quelque acte que ce soit, qui exige un transport du notaire hors de son étude, il peut prendre pour sa course et trois heures de son temps, huit jules, pour l'acte de collationné, cinq jules, et pour la copie sept bajochs et demi par feuille.

ART. XIII. — Quand il faut compulser les livres imprimés et les collationner, le notaire est tenu d'en faire note seulement à la fin du procès, sans en faire copie ou registre tout du long.

ART. XIV. — Pour tout examen des témoins, qui se fait en une séance, on paie trois jules; et si cet examen exige plusieurs séances, il n'est dû que deux jules pour chaque session; hors de l'étude on paie le double.

ART. XV. — Pour les lettres de prorogation,

subrogation de juges, et nouvelles commissions, qui ne s'expédient que par le commandement du cardinal président de la congrégation des Rites ou du rapporteur, on doit quinze jules en tout.

Art. XVI. — Pour quelque citation que ce soit, qui s'expédie seulement chez le notaire, et qui s'exécute hors de Rome, il n'est dû que trois jules, et dix pour celles qui s'exécutent à Rome avec inhibitions en vertu de commission apostolique.

Art. XVII. — Pour le double de toute écriture privée ou publique, avec la souscription et les sceaux, on ne doit point au-delà de cinq bajochs par feuille.

Art. XVIII. — S'il se trouve des travaux, voyages ou écritures à faire par le notaire, qui ne soient point exprimés dans la présente taxe, son honoraire sera réglé par le cardinal président, et le notaire ne pourra rien demander ni recevoir avant que son Éminence en ait décidé.

Art. XIX. — Dans toutes les procédures de béatification et de canonisation, on observera très-exactement pour les commissions, attributions, enquêtes et autres actes, la forme prescrite par notre S.-Père le Pape Urbain VIII. l'an 1642.

Art. XX. — Le notaire sera tenu de tenir un registre exact de tout ce qu'il recevra de ses émoluments, sous peine de privation de son office.

Art. XXI. — Il sera fait deux livres-journaux, l'un de tous les actes qui s'expédieront dans les causes de béatification ou de canonisation, l'autre de toutes les questions qui seront controversées; dans ces livres-journaux, on indiquera sommairement les procédures ou les contestations; et il sera permis à toutes les personnes intéressées, d'en prendre communication quand il leur plaira, sans aucune rétribution quelconque pour le notaire.

Art. XXII. — Il ne sera permis au notaire de tirer de son étude aucune pièce originale ou procédure; mais il sera tenu d'en délivrer une copie simple ou en forme aux parties, selon qu'elles le demanderont.

Art. XXIII. — Si la partie qui a produit une pièce originale à elle appartenant, veut la retirer des mains du notaire, lui en laissant une copie collationnée, il est dû trois jules pour la restitution.

Art. XXIV. — Toutes les fois que les parties voudront voir, sans déplacer, une pièce de production ou de procédure, le notaire sera tenu de les satisfaire sans nulle rétribution.

Art. XXV. — Sachent toutes les parties que le secrétaire de la congrégation expédie gratuitement tout ce qui sort du secrétariat, et qu'on ne doit absolument rien au notaire pour toutes ces expéditions.

Art. XXVI. — Le notaire ne peut demander aucun salaire pour aller lire les citations.

Art. XXVII. — Le notaire de la congrégation des Rites est tenu d'observer les réglements ci-dessus, et il doit faire serment sur les saints Evangiles de l'exécuter ponctuellement sous peine de parjure, de privation d'office, de restitution de deniers, pris au-delà de la taxe, et de plus griève punition à la volonté de la congrégation.

N° III. — *Taxe de l'imprimeur de la chambre apostolique, et des correcteurs pour l'édition des mémoires qu'on distribue dans les procès de béatification et de canonisation, avec la taxe des interprètes qu'on commet pour les actes écrits en langue étrangère.*

Art. premier. — Quoique notre S.-Père le Pape Urbain VIII, de glorieuse mémoire, ait défendu par son décret du 30 janvier 1631, qu'on imprimât nul mémoire ou écritures concernant les causes de béatification ou de canonisation, avant le jugement définitif, cependant l'expérience a fait voir depuis, que la négligence ou l'ignorance des copistes causait beaucoup d'erreurs dans ces écritures, beaucoup de difficultés aux juges et de dépenses aux parties; en conséquence, notre S.-Père le Pape (Alexandre VII), par son décret du 9 avril 1661, permet et ordonne que tous les mémoires, sommaires, oppositions du promoteur de la foi, réponses et répliques, et tous les autres actes concernant les causes de béatification et de canonisation, soient imprimés, nonobstant les décrets à ce contraires, auxquels Sa Sainteté déroge par le présent, quant à ce point.

Art. II. — Pour que le présent décret puisse avoir son plein et entier effet, Sa Sainteté donne à l'imprimeur de sa chambre apostolique, le privilége exclusif d'imprimer lesdits mémoires, sommaires, opposition du promoteur de la foi, réponses, répliques et autres actes concernant les causes de béatification et de canonisation : ordonne Sa Sainteté que pour chaque feuille imprimée desdites écritures avec les apo-

stilles, frais de correction, de papier et d'impression, il ne soit payé que quinze jules par feuille.

Art. III. — La feuille d'impression contiendra quatre pages, la page cinquante-quatre lignes, et la ligne soixante-cinq lettres ou environ. Le papier sera beau et bon, et le caractère bien net, avec un plus petit pour les apostilles.

Art. IV. — Il ne sera tiré que soixante exemplaires de toutes les pièces imprimées dans les procès de béatification ou de canonisation; à moins que le secrétaire de la congrégation n'en demande un plus grand nombre; auquel cas, chaque exemplaire, au delà des soixante, ne sera payé que trois jules par feuille.

Art. V. — Tous les exemplaires imprimés seront souscrits par le secrétaire de la congrégation, et munis de son sceau. Défenses sont faites à toutes personnes de quelque qualité et condition qu'elles puissent être, d'en avoir et retenir aucun exemplaire qui n'ait pas été vu et approuvé par cet officier, à peine de cinq cents écus d'amende.

Art. VI. — Ces pièces ne doivent point être mises à l'impression, sans avoir été vues par le sous-promoteur, auquel il sera dû par les solliciteurs de la cause un *carolin* par chaque feuille d'impression, et n'auront besoin lesdites écritures d'autre approbation que de celle du sous-promoteur, excepté celles du promoteur qui ne doivent être souscrites que de lui seul.

Art. VII. — Dans la somme de quinze jules, attribuée à l'imprimeur pour chaque feuille, sont compris deux carolins pour les correcteurs d'imprimérie, qu'il faudra déduire si l'imprimeur n'est pas chargé de cette correction.

Art. VIII. — Dans les actes écrits en langue étrangère, quand il est besoin de nommer des interprètes, c'est au cardinal rapporteur qu'il appartiendra de faire ce choix. Son Éminence fera prêter à celui qu'il aura nommé, serment de remplir fidèlement cette commission, et il lui sera donné un carolin d'honoraire pour chaque feuille; le cardinal rapporteur chargera secrètement une personne docte de recevoir le travail de cet interprète.

N° IV. — *Protestations prescrites par notre S.-Père le Pape Urbain VIII, pour être mises à la tête et à la fin des livres qu'on fait imprimer sur la vie, les vertus et les miracles des serviteurs de Dieu, qui ne sont ni béatifiés, ni canonisés.*

Première protestation. (Qui se met à la tête du livre.)

« Notre S.-Père le Pape Urbain VIII, ayant défendu, par ses décrets des 13 mars 1625 et 5 juillet 1634, d'imprimer sans l'examen et l'approbation de l'évêque diocésain, aucuns livres contenant les actions, les miracles et les révélations des personnes mortes en odeur de sainteté, ou regardées comme martyrs; ayant en outre statué par son décret du 5 juin 1631, que dans le cas où l'on donnerait à ces personnes le nom de saint ou de bienheureux, on serait tenu de déclarer qu'on n'emploie ce titre que pour exprimer l'innocence de leur vie et l'excellence de leur vertu, sans nul préjudice de l'autorité de l'Eglise catholique, à laquelle seule appartient le droit de déclarer les saints, et de les proposer à la vénération des fidèles : en conséquence de ces décrets auxquels je suis sincèrement et inviolablement soumis, je proteste ici que je ne reconnais pour Saints, pour Bienheureux, ou pour vrais Martyrs, que ceux auxquels le S.-Siége apostolique accorde ces titres; et je déclare que tous les faits rapportés dans ce livre n'ont qu'une autorité privée, et qu'ils ne peuvent acquérir une véritable authenticité, qu'après avoir été approuvés par le jugement du souverain pontife. »

Seconde protestation. (Qui se met à la fin du livre.)

« Je prie le lecteur d'observer que dans ce livre j'ai rapporté beaucoup de traits qui prouvent la sainteté de la personne dont j'ai fait l'histoire. J'y ai raconté des choses qui passent la nature, et qu'on pourrait regarder comme de vrais miracles. Mon intention n'est pas de donner ces faits comme approuvés par la sainte Eglise Romaine, mais seulement comme certifiés par des témoignages privés. En conséquence donc des décrets de notre S.-Père le Pape Urbain VIII, je proteste ici que je n'entends attribuer à la personne dont j'ai fait l'histoire, ni la qualité de Bienheureux, ni celle de Saint, reconnaissant l'autorité de l'Eglise Romaine, à laquelle seule appartient le droit de déclarer ceux qui sont Saints; j'at-

tends avec respect son jugement, auquel je me soumets de cœur et d'esprit, comme un enfant très-obéissant. »

N° V. — *Formules du serment qu'on fait prêter aux juges et aux témoins.*

SERMENT DES JUGES.

« Je jure et promets sur les saints Evangiles de remplir fidèlement la commission qui m'est confiée de dresser les procédures nécessaires à la béatification et canonisation du serviteur de Dieu N.... selon la forme prescrite par les décrets de la sacrée congrégation des Rites, et principalement de ceux que notre S.-Père le Pape Innocent XI a confirmés. Je jure et promets de encore garder religieusement le secret, tant sur le contenu des interrogatoires, que sur les réponses des témoins, et de n'en communiquer avec personne, qu'avec les autres juges, le notaire et le sous-promoteur députés dans la cause; et ce sous peine de parjure et d'excommunication (*latæ sententiæ*), dont je ne pourrais me faire absoudre que par le Pape lui-même en personne, à l'exclusion même du grand pénitencier. Ainsi je jure et promets, ainsi Dieu m'ait en aide et ses saints Evangiles. »

N. B. Après que les juges délégués ont prêté ce serment, ils reçoivent celui du vice-promoteur et du notaire, qui est le même pour la forme.

SERMENT DES TÉMOINS

« Je jure et promets sur les saints Evangiles de dire la vérité, tant sur les interrogatoires que sur les articles qui me seront proposés, et encore de garder inviolablement le secret sur lesdits interrogatoires et articles, comme sur mes réponses et dépositions; sous peine de parjure et d'excommunication majeure (*latæ sententiæ*) dont je ne pourrais être absous que par le Pape en personne à l'exclusion même du grand pénitencier, excepté à l'article de la mort. Ainsi je jure et promets, ainsi Dieu m'ait en aide et ses saints Evangiles. »

THOMASSINI VITA.

Thomassinus (Ludovicus) Aquis Sextiis in Provinciâ natus est anno 1619, ex antiquâ necnon ecclesiasticis forensibusque muniis inclytâ familiâ. Expleto vix quarto decimo ætatis anno, Oratorianæ societati adscriptus, postquàm humaniores litteras philosophiamque professor edocuisset, theologiam Salmurii professus est, Scripturæ sacræ, Patrum ac conciliorum auctoritati, tanquàm conclusionum suarum basi, potissimùm innixus. Et hanc juxta methodum, Lutetiam accersitus, anno scilicet 1654, theologiæ positivæ colloquia habuit in seminario dicto *Sancti Maglorii*, cui operi, eventu maximè prospero, incubuit ad annum 1668.

Nec in rebus tantùm theologicis apprimè versatus fuit P. Thomassinus, sed et liberalium artium non imperitus, his utendi modum edocere voluit, inani verò propemodùm labore, quippe qui ad hæc minùs idoneus, plurima vulgavit opera, quæ, præter nonnullas utiles sanè animadversiones, nonnisi supervacuis rebus et næniis scatent.

Eminuit autem singulare P. Thomassini ingenium in opere quod gallico primùm idiomate vulgatum, exoptante postea summo pontifice Innocentio XI, in latinum sermonem convertit auctor, nempe : *De Disciplinâ ecclesiasticâ*, 3 vol. in-fol. 1706. Inter alia quæ scripsit opera hìc tantùm memorabimus *Theologica Dogmata*, latinè per vices edita an. 1680-84-89, 3 vol. in-fol., gallicè verò plurimis voluminibus in-8°. Non pauca selegimus ex P. Thomassini Theologicis Dogmatibus ad nostrum supra de Trinitate tractatum mirè spectantia. Quæ omnia aptè, ut putamus, coronabuntur, simulque ad Incarnationem congruenti modo sermo transibit, egregium *de Adventu Christi* tractatum subjiciendo, in quo, sicut et in cæteris operibus, auctor noster, stylo licet paulò graviori, et fusiori forsan calamo, quæstiones eximias de divinis decretis circa Messiæ apud homines adventum, luculenter admodùm et eruditè dissolvit.

Obiit doctissimus P. Thomassinus die 25 decembris, anno 1695, ætatis 76.

DE ADVENTU CHRISTI.

Cur in medio annorum, sive in plenitudine temporum, non maturiùs, non tardiùs, naturâ se nostrâ induerit Deus Verbum.

CAPUT PRIMUM.

Eccur Verbum caro factum sit in medio annorum, seu in plenitudine temporum. Ac primò inquiritur, quo Dei consilio et quo hominum compendio lex ante gratiam præstructa sit.

1. Non scrutandæ majestatis œstro agimur, nec in Dei consilia inverecundiùs tentamus irrepere; sed in lege Dei noctu et interdiù meditari, et ab initio memores esse mirabilium ejus inardescimus. Non curiositati obsequimur, sed torporem excutimus, atque inertiam. Non quà vetat, irruimus; sed quà prolicit veritas, sequimur. Mirari ergo subit atque adeò rimari juvat, ecquid causæ fuerit, quam ob rem cùm nostros miserari labores æterno penès se Deus consilio statuisset, non temporiùs adfuerit, et morbum peccati lue afflatum inter ipsa sui exordia opprimere præverterit : sed serpere eum et grassari passus sit complura annorum seculorumque volumina, et quaquaversùm jacebat, humani generis viscera depasci ac depopulari; et tum demùm post tantas strages, ubi omnia videbantur conclamata, suppetias tulerit. *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et sapientiæ ejus non est numerus. Mirabilis in sanctis suis et sanctus in omnibus operibus suis.* Sed in hoc operum suorum fastigio, in sapientiæ suæ operæ pretio, in sanctitudinis suæ et magnitudinis summo documento, necessum est præcipuam quamdam et præ cæteris admirabilem sapientiæ et æquitatis laudem affectaverit. In hæc arcana non gestiens antevolabit curiositas, non humana sibi quidquam indul-

gebit conjectandi solertia : sed quâ deificæ Scripturæ auctoritas, quâ sanctorum Patrum Dei Spiritu afflatorum, ab eoque in divini consilii conscientiam adscitorum, fax præluxerit, pietas sequax audebit.

2. Et quia plurimæ sunt in Mosaicæ legis consilio interpretando Scripturæ, et consonantes ipsis sibique Patrum sententiæ, non abs re fuerit, ut reor, hinc auspicari, quâ se plurima lux ingerit. Cùm ergo depopularetur exitialis morbi vis genus humanum, cur veram et efficacem medicinam procrastinavit Deus, legem autem interim edixit, quâ adeò non levaretur, ut vehementissimè malum exacerbaretur? *Lex enim propter transgressiones posita est. Lex subintravit ut abundaret delictum. Littera occidit. Nihil ad perfectum adduxit lex. Conclusit Scriptura omnia sub peccato. Virtus peccati lex. Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces. Peccatum, occasione acceptâ per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam.* Atque ut reliqua ex eodem Paulo complura in eamdem sententiam armata prætervolem, ex his abundè liquet, an levamenti quidquam per legem accesserit humanæ genti ubique locorum ægrescenti. Emicat enim dilucidè exasperatam potiùs esse et propemodùm desperatam vim morbi post legem datam.

3. Curabatur nihilo seciùs jam tum genus humanum ab omnipotente medico. Adventabat, quin aderat jam Verbum Deus, sensimque et gradatim per incarnationis suæ præludia quædam homini medebatur. Suæ nimirùm ægritudinis homines admonebat, inopinos, imprudentes, amabili sui insaniâ delusos, sibi tanquàm bellè et feliciter habentibus gratulantes. Caput ergo nostræ ægritudinis cùm istud esset, quòd ægritudinem naturam esse ipsam interpretaremur, et sanitatem non aliam suspicaremur, quàm morbum ipsum, atque adeò medicum propulsaturi videremur; primus videlicet curationis gradus, primæque medici partes in eo erant, ut dementia illa depelleretur, ut sua ægroto ægritudo pateret, ut medicum vel cunctantem invocaret, vel invocatum et spontaneum saltem pateretur. Et quidem usque adeò necesse erat, sui morbi admoneri et convinci ægrotum, ut ipsam nudari, ostentari, quin et exasperari ægritudinem expediret, ut vel sic sanari posset. Quid ergo sempiterna lex Deus Verbum moliebatur, dùm per Moysen aliasque suî præsultrices umbras præciperet, nisi ut hoc primum medicinæ suæ beneficium, vel invitis et reluctantibus impingeret, quò minùs pertinaces dehinc eos in reliquâ curatione, sibi præstaret? Non ergo moras nectebat medicus, non tergiversabatur, non cunctatione beneficentiam suam obumbratum aut detritum ibat : sed properabat imminebatque, quantùm morbi nostri natura patiebatur. Si enim repentinus irruisset, repulsus utique fuisset ab homine morbi sui nescio, et de suæ sibi valetudinis prosperitate intùs plaudenti.

4. Ut suum porrò homini morbum lex nudaverit, in aperto res est. Ante legem enim, quid fas, quid nefas esset, minùs internoscebat; itaque aut nullâ, aut rarâ et perobscurâ peccati conscientiâ pungebatur. At legis radio perfusus, pristinas suas tenebras sordesque pervidit et exhorruit. Accinxit ergo se nervosque contendit, ut ex illâ fæce emergeret, et hîc jam ejus superbia atque infirmitas prodita est. Erat enim superbiæ cujusdam incredibilis, de viribus suis confidere et ferocire, soloque sibi lucis seu legis auxilio supernè suppeditato, justitiæ totius reliquam suis viribus gloriam arrogare. Conanti ergo legem implere, nec valenti, sua patuit, sua simul detumuit superbia : sua patuit, sua medicum et auxiliatorem omnipotentem invocare compulsa est infirmitas. Legis ergo medicina tempestivè adhibita est, quæ ignorantiæ, quæ superbiæ, id est, penitissimis morbi radicibus stirpitùs excisis atque elisis sanitatem initiaret, et infirmitatem reliquam denudaret, præpararetque efficaciori adjutorio gratiæ medicinalis.

5. Arcanam hanc theologiam ex illimibus divinorum oraculorum fontibus hauserunt nobisque propinârunt sancti Patres. A Latinis initium ducemus, eisque ducem Augustinum præponemus. Is ergo apertissimè : « Et putabamus nos facilè justos esse posse, quasi « viribus nostris, antequàm acciperemus man- « datum. *Adveniente autem mandato peccatum « revixit, ego autem mortuus sum.* Hoc ait Apo- « stolus. Data est enim lex hominibus, non « quæ salvaret eos jam, sed per quam cognoscerent, in quâ ægritudine jacebant. Audi « verba Apostoli : *Si enim data esset lex, quæ « posset vivificare, verè ex lege esset justitia. « Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut « promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus;* veniret gratia post legem : inveniret « hominem non solùm jacentem, sed jam etiam « confitentem, et dicentem : *Miser ego homo,*

« *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Ut « opportunè veniret medicus ad convallem « plorationis, et diceret : Certè cognovisti, « quia cecidisti : audi me, ut surgas, qui me « contempsisti, ut caderes. Data est ergo lex « ut ægrum de morbo convinceret, qui sibi « sanus videbatur, ut peccata demonstra- « rentur, non ut auferrentur. Demonstrato « peccato per datam legem, auctum est pec- « catum, quia peccatum est et contra legem. « *Occasione*, inquit, *acceptâ, per mandatum, pec- « catum operatum est in me omnem concupi- « scentiam.* Quid est *occasione acceptâ per man- « datum?* Acceptum mandatum quasi viribus « suis conati sunt facere homines : victi con- « cupiscentiâ, mandati etiam ipsius trans- « gressione rei facti sunt. Sed quid ait Apo- « stolus? *Ubi autem abundavit peccatum, su- « perabundavit gratia :* id est, auctus est mor- « bus, commendata est medicina. » Legis ergo utilitas in hominem plurima manavit, per quam effectum est, « ut æger de morbo con- « vinceretur, qui sanus sibi videbatur ; » ef- fectum est, « ut peccata demonstrarentur, » etsi nequedùm auferrentur; effectum est de- nique, ut post legem « gratia inveniret homi- « nem non solùm jacentem, sed etiam confi- « tentem, et dicentem : *Miser ego homo, quis « me liberabit de corpore mortis hujus?* » hoc est, ut homo morbi sui jam certus et pudi- bundus invocaret liberatorem. Aderat ergo jam tum in lege medicus Christus homini, à quo ignorantiæ portentosissimæ tenebras ef- fugabat, cujus insaniam de sanitatis ludibrio sibi blandientem diluebat, cujus superbiam de imaginariis quibusdam viribus insolescentem elidebat, cui humilitatem et confessionem et liberatoris votum inserebat. Magnæ erant prorsùs et egregiæ jam tum istæ, cœlestis me- dicinæ non procrastinæ, sed præsentissimæ et ægro incumbentis partes. Idem Augustinus : « Danda itaque fuerat lex quæ manifestiùs sibi « ipsum ostenderet hominem : ne superbus « animus humanus à seipso justum se esse « posse putaret, et ignorans Dei justitiam, id « est, quæ homini ex Deo est, et suam volens « constituere, id est, quasi suis viribus par- « tam, justitiæ Dei subjectus non fieret. « Oportebat itaque ut addito mandato, cujus « vox est : *Non concupisces*, superbo peccatori « etiam prævaricationis crimen accederet; « atque ita gratiæ medicinam non sanata per « legem, sed convicta infirmitas quæreret. » Scitè sanctus doctor et valdè convenienter Paulinæ theologiæ, per legem ait non sana- tam, id est, non persanatam fuisse, sed con- victam infirmitatem. Nam sanitatis portio non pœnitenda in eo ipso sita erat, ut infirmitas convinceretur. Convinci enim haud poterat, nisi illuminaretur quæ priùs tenebrescebat : humiliaretur, quæ superbiebat ; medicum in- vocaret, à quo ante abhorrebat. Ubi cæcitas, ubi superbia, ubi contumacia sanatur, infir- mitas, ut reor, sanatur, etsi nondùm persa- natur. Etenim ut morbi, ita sanitatis gradus et incrementa secerni necesse est. Ne con- queramur ergo de medico quod temporiùs non affuerit ; affuit et sanitatis stillas jam inde irro- ravit, ubi primùm ægrotavimus.

6. Nec inconsultò putes excidisse id nobis, quod sæpè inculcavimus, humano generi per legem initiata esse cœlestis medicinæ beneficia. Quanquàm enim Mosaica lex angusto satis li- mite arctaretur, nec extra genus Abrahæ se per orbem effunderet : erat tamen lex anti- quior, et intimior, hominum mentibus natu- raliter insita, atque ingenita, quâ obligabantur et cujus prævaricatione constringebantur om- nes etiam extra genus Abrahæ peccatores terræ. Hujus ergo legis omne hominum genus complectentis non dispar erat ratio atque Mo- saicæ. Perinde enim etsi tenuiùs et illa, quid jus, quid fas esset, hominem edocebat, et præ cupiditatum impotentiâ deficientem, objurga- bat, humiliabat, supernum medicum invocare adigebat. Augustinus : « Quid intellecturi su- « mus in Psalmo 118 dictum esse : *Prævari- « cantes æstimari omnes peccatores terræ*, nisi « intelligamus aliquam legem non per Moysen « datam, secundùm quam sunt prævaricatores « cæterarum gentium peccatores? *Ubi enim lex « non est, nec prævaricatio.* Quæ ista lex est? « nisi fortè illa, de quâ idem dicit Apostolus : « *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ « legis sunt, faciunt : hi legem non habentes, « ipsi sibi sunt lex.* Secundùm hoc ergo quod « dicit : *Legem non habentes, sine lege pecca- « verunt, sine lege peribunt;* secundùm id verò « quod ait : *Ipsi sibi sunt lex*, non immeritò « *prævaricatores* æstimantur *omnes peccatores « terræ.* Nullus enim est, qui faciat alteri in- « juriam, nisi qui fieri sibi nolit. Et in hoc « transgreditur naturæ legem, quam non si- « nitur ignorare, dùm id quod facit, non vult « pati. Numquid autem lex ista naturalis, non « erat in populo Israel? Erat planè, quoniam « et ipsi homines erant. Sine lege autem na- « turali essent, si præter naturam humani

« generis esse potuissent. Multò magis ergo « prævaricatores facti sunt lege divinâ, quâ « naturalis illa, sive instaurata, sive aucta, « sive firmata est. » Quantumcumque porrò lex illa naturæ obsolevisset, et improbitatis colluvione obscuraretur, non exoleverat tamen penitùs, nec detrita ita erat, ut non prævaricationis reatu constringerentur, quicumque illius repagula transilirent. Cùm ergo lex Mosaica legem illam universalem vel labantem instaurâsset, vel nutantem firmâsset, vel novâ præceptorum congerie substruxisset, non autem abrogatam renovâsset, nec quasi extinctam excitâsset, per utramque Deus Verbum non disparem humano generi condiebat medicinam, sed hîc evidentiùs, illic obscuriùs; illic invisibiliter, hîc visibiliter; et ideò visibiliter in populo Israel atque manifestissimè, ut vel hinc clareret, quòd invisibiliter et seretiùs vulnera humani generis infatigabili arte suâ medicandi ubique gentium æternus medicus contrectaret. Pergit Augustinus : « At « per hoc nullo prorsùs excepto *prævaricatores* « æstimantur *omnes peccatores terræ. Omnes* « *autem peccaverunt et egent gratiâ Dei.* Omnes « igitur prævaricantes gratia Salvatoris invenit, alios magis, alios minùs. Quantò enim « legis major in quocumque cognitio, tantò « minor peccati excusatio. Quantò minor pec« cati excusatio, tantò manifestior prævarica« tio. Restabat ergo ut omnibus non sua, sed « Dei, id est, à Deo donata justitia subveniret. » Et denique omnes ubique gentium homines in eamdem navim compingit, unamque omnium causam esse ita declarat ibidem : « *Præ« varicantes reputavi omnes peccatores terræ : « propterèa dilexi testimonia tua :* Tanquàm « diceret : Quoniam lex sive in paradiso data, « sive naturaliter insita, sive in litteris pro« mulgata, *prævaricatores* fecit *omnes peccatores « terræ, propterea dilexi testimonia tua,* quæ « sunt in lege tuâ, de gratiâ tuâ, ut non sit in « me justitia mea, sed tua. Lex enim ad hoc « prodest, ut mittat ad gratiam, » etc. Vis ergo non dissimilis erat, et scopus idem legis, seu naturaliter insitæ, omnibus ubique hominibus, seu specialiter Hebræis indultæ, ut ex ejus prævaricatione genus humanum suæ infirmitatis admoneretur, convinceretur, humiliaretur, ad Deum medicum confugere compelleretur. Sed de his alibi prolixiùs disseremus.

7. Rursùs idem Augustinus : « Quid est « enim : *Dissipaverunt legem tuam,* nisi præ« varicationis iniquitate ejus integritatem non « custodierunt? Oportebat ergo ut superbis et « de libertate arbitrii sui præsumentibus lex « daretur, quâ prævaricatâ, quicumque com« puncti humiliarentur, non jam per legem, « sed per fidem, ad subvenientem currerent « gratiam. Dissipatâ ergo lege tempus fuit, ut « per unigenitum Filium Dei misericordia mit« teretur. » Et infra ibidem : « Quid enim mi« rum, si bona imperat bonus Dominus? Imò « verò idipsum est omninò mirandum, et cur « ita sit, perscrutandum, quòd cùm Deus bo« nus bona præceperit, eis tamen dederit bo« nam legem, quos eadem lèx vivificare non « posset, nec ulla esset ex bonâ lege justitia. « Si enim data esset lex quæ posset vivificare, « omninò ex lege esset justitia. Cur ergo data « est, quæ vivificare non posset, et ex quâ « nulla esset justitia? etc. *Manifestatio,* inquit, « *verborum tuorum illuminat, et intelligere facit « parvulos.* Quid est parvulus, nisi humilis et « infirmus? Noli ergo superbire, noli de tuâ, « quæ nulla est, virtute præsumere, et intel« liges quare sit à bono Deo bona lex data, « quæ tamen vivificare non possit. Ad hoc « enim data est, ut de magno parvulum face« ret; ut te ad faciendam legem vires de tuo « non habere monstraret; ac si inops, indigus « et egenus ad gratiam confugeres et clama« res : *Miserere meî, Domine, quoniam infirmus « sum,* etc. Ita, Domine, ita fac, misericors « Domine, impera quod non possit impleri; « imò impera quod nonnisi per tuam gratiam « posset impleri : ut cùm homines per suas vi« res id adimplere nequiverint, omne os ob« struatur et nemo sibi magnus videatur. » Frustra sunt igitur, quibus in mentem venit, exaggeratiùs impossibilitatem legis intentare, quasi consultò insidiaretur homini Deus, et illuderet magis quàm consuleret. Consilio medicinæ et de Christi sanguinis præsumptâ beneficentiâ, legem Mosaicam curandæ hominum ignorantiæ superbiæque opportunissimam temperaverat Deus, et jam tum redimebat homines, jam tum sanabat, gradatim curationis nostræ et largitatis suæ gradus atque augmenta dispensans, à benefaciendo tamen et à Christo suo prærogando nusquàm cessans. Nam quod legis jugum importunius graviusque servilibus Hebræorum cervicibus illiserat, non ingravandis, non cumulandis peccatis invigilabat, sed prodendis et ex latibulo conscientiæ in apertum, in lucem, in pudorem, in medici manum proferendis. Ipsa enim na-

turæ lex congenita, animorumque fibris intimis conserta, nihilò forsitan molliora, aut faciliora præcipiebat. Una enim Dei proximique charitas omnes officiorum fines, omnes omnium legum anfractus complectitur, omnes difficultatum nodos et infirmitati nostræ penitùs insuperabiles nexus implicat. Id homines minùs advertebant, eòque incautiùs peccabant, minùs de peccatis suis suffundebantur. Accessit lex Mosaica, patentius factum est, quod antea obscurius erat hominis flagitium.

8. Non ergo uni legi Mosis adhærescit tota hujus rei invidia, ut hinc quasi conflетur invidia Deo ipsi. Eadem infamia respergeretur in legem naturæ, in conscientiam animæ, si qua hinc infamia vel invidia in Deum legis Mosaicæ auctorem ebulliret. At quis suam ipse naturam, quis conscientiæ, quis animæ substantiam, quis substantiæ suæ innatam legem carpat, aut in invidiam vocet? Nec ergo in crimen vocanda est lex Mosaica, quæ legis naturalis explicatio et confirmatio quædam erat: ejusque prævaricatores clancularios latere et sibi suppalpari non patiebatur. Nam quod lex Mosis plura cæremoniarum et judiciorum onera præter legem insitam aggeraverat, ne id quidem invidiosiùs aggerendum est. Nam et homini in beato innocentiæ domicilio tametsi summa aspirabat libertas, nec aura autem ulla servitutis tantæ felicitati obstrepebat; arboris tamen alicujus fructu interdictum erat illi: nec ille cæremonialis legis justus de legis naturalis illibatâ sinceritate quidquam derogabat. Quin et Mosi inter ipsa decalogi dictata, quo pura putaque naturæ lex continetur, feriatio sabbati à Deo indicta est, ut vel hinc commissura et cognatio utriusque legis intelligeretur. Et sanè cùm corpore et animo compaginetur homo, id quoque lex naturalis et ingenita præcipit, ut obedientia Deo debita corporeo etiam aliquo externoque præcepto astringatur. Et quidem quantò ab extimis expeditior, et ad intima projectior hominis anima, in Deumque arrecta magis est, tantò pauciоribus foràs vinculis est obliganda; quamdiù tamen corpus animale vegetat et necessario deorsùm nutu aliquo adhuc vergit, non potest, non debet ab externo obsequio penitùs feriari, ne non tam servitutem corporalem declinâsse, quàm corpori suo spiritalem libertatem invidisse videatur. Externæ enim religionis moderatâ frequentatione, non serviliter deprimitur animus, sed ex animi collegio corpus ad intelligibiles rapitur sursùm delicias, et præter, aut supra naturam suam, æternæ divinæque vitæ rorem aliquem delibat. Et hic modus est hominis nondùm spiritale, sed animale corpus obtinentis: hic scopus est conjugii, corpus inter et animam divinis legibus fœderati, ut natura corporea alioqui bruta et exanimis, intelligibilium et divinorum per sese insolens, ad eorum gustum aliquem per animæ consortium proveheretur.

9. Idem rursùm Augustinus: « Non data est « lex quæ posset vivificare, sed quæ ostende- « ret peccata peccatori. Peccator enim oblitus « erat se, nec videbat se. Data est illi lex ut « videret se. Fecit reum lex, liberavit lator le- « gis. Lator enim legis imperator est, » etc. Principalis itaque auctor latorque legis Mosaicæ non alius erat quàm imperator Christus, qui peccatorem ipsum sibi nudabat, et suffundebat, ut pertæsum suî et salubriter prostratum atque elisum, denique sanaret. Alibi quoque medicinalem legis efficaciam pulchrè describit: « *Ut eos qui sub lege erant, redime-* « *ret. Sub lege* enim *erant*, quia premebat eos « lex, conditio eos premebat, convincendo de « reatu, non salvando, et quidem mala prohi- « bebat. Sed quia illi vires non habebant per « seipsos justificandi se, clamandum erat ad « illum, quo modo clamabat, etc.: *Miser ego* « *homo, quis me liberabit?* etc. *Erant* omnes « homines *sub lege*, non in lege: jam illâ de- « primente, illâ de reatu convincente. Illa fi- « xit spinam. Illa fecit cor compungi. Ipsa ad- « monuit, ut reum se quisque agnosceret, et « pro veniâ clamaret ad Deum. » Et alibi: « *Bonum est ergo humiliari peccatorem, et nemo* « *est insanabilior eo qui sibi sanus videtur*, etc. « Superbiebant Judæi, humiliati sunt, » etc. Et rursùm: « Quis ergo dedit legem? Ille de- « dit legem, qui dedit et gratiam. Sed legem « per servum misit, cum gratiâ ipse descendit. « Et unde facti sunt homines sub lege? Non « implendo legem, etc. Omnes ergo homines « sub lege constitutos, reos facit lex, et ad « hoc illis super caput est, ut ostendat pec- « cata, non tollat. Lex ergo jubet, dator legis « miseretur. In eo quod lex jubet, conantes « homines implere viribus suis quod à lege « præceptum est, ipsâ suâ temeritate et præ- « cipiti præsumptione ceciderunt: et non « sunt cum lege, sed sub lege facti sunt rei « Et quoniam suis viribus implere non pote- « rant legem, facti rei sub lege, implorave-

« runt liberatoris auxilium : et reatus legis « fecit ægritudinem superbis. Ægritudo superborum, facta est confessio humilium. « Jam confitentur ægroti quia ægrotant : veniat medicus et sanet ægrotos. » Et infra : « *Lex subintravit ut abundaret delictum.* Hoc « proderat superbis ut abundaret delictum. « Multùm enim sibi dabant, et quasi viribus « suis multùm assignabant, et non poterant « implere justitiam, nisi adjuvaret illos qui « jusserat. Superbiam illorum volens domare « Deus, dedit legem : tanquàm dicens : Ecce « implete, ne putetis deesse jubentem. Non « deest qui jubeat, sed deest qui impleat. Si « ergo deest qui impleat, unde non implet? « quia natus cum traduce peccati, etc. Lex « minabatur, non opitulabatur; jubebat, non « sanabat; languorem ostendebat, non auferebat, sed illi præparabat medico venturo « cum gratiâ et veritate. Tanquàm ad aliquem « quem curare vult medicus, mittat primò « servum suum, ut ligatum illum inveniat. « Sanus non erat et sanari nolebat, et ne sanaretur, sanum se esse jactabat. Missa est « lex, ligavit eum, invenit se reum, jam clamabat de ligaturâ. Venit Dominus, curat « amaris aliquantùm, » etc. Si insanabilior nemo est eo qui sibi sanus videtur; si sanus non erat homo, et sanari nolebat, et ne sanaretur, sanum se esse jactabat; si « medicus « curare illum volens » Christus, primò misit servum suum, ut lege ligaret eum, et vulnera ostenderet, adduceretque ut medicum pateretur, cuperet, invocaret, quis de lege, quis de medici contatione conqueratur?

10. Non cunctabatur enim qui curare jam tum volebat, qui per servum ligabat ægrotum, qui per legem excutiebat insaniam, contumaciam, superbiam. Ut quid ergo dicitur lex jussisse, non juvisse? peccata ostendisse, non abstulisse? objecisse, non ejecisse? Juvabat enim vel jubendo : auferre atque ejicere incipiebat, ostendendo atque opprobrando. Minabatur, non opitulabatur, et tamen ipsum minari, erat opitulari. Præparabat enim medico, sanitatis cupiditatem insinuabat ægro, humilitatem confessionemque inspirabat, jubendo, minando, convincendo; ergo jubendo juvabat, minando opitulabatur, convincendo humiliabat et sanitatem prælargiebatur. Si medicus ipse Deus cum carne suâ assumptâ affuisset, num amplius quidquam ei per rerum modos gradusque statos ordinisque leges licuisset? Num ante sanâsset, quàm sanitatis egere suasisset? Num ullam priùs ægritudinem quàm ipsam insaniam ægritudinis inficiatricem, sanitatis recusatricem profligâsset? Num vulnera priùs sanâsset, quàm nudâsset? Num beneficia sua ita præcipitâsset, ut et sibi gloriam, et homini gratitudinem interciperet? Ita enim comparata est hominis natura et indoles, ut nisi malorum sensu et experientiâ, boni suavitatem non gustet : miseriæ et servitutis longo cruciatu adducatur, ut felicitatis et libertatis beneficium beneficumque largitorem suscipiat. Cùm ergo sensim stillatimque hominis curatio promovenda esset, ne præcipitata ipsum falleret, et in superbiæ vel ingrati animi recidiva et aliquantò exitialiora ipsum discrimina conjiceret; ne ægrè feramus si dignitati suæ medicus noster consuluit, nullo nostro dispendio, suæ gloriæ non modico incremento. Primas enim illas et quasi prælusorias medicinæ partes per servum suum obire atque implere, per seipsum autem postea vim totam morbi opprimere, et sanitatem cumulatissimam instaurare, erat ex ejus dignitate. Ideò, *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* In quæ verba Augustinus : « Per servum lex « data est, reos fecit : per imperatorem indul« gentia data est, reos liberavit. *Lex per Moy« sen data est;* non sibi aliquid ampliùs servus « assignet, quàm quod per illum factum est. « Electus ad magnum ministerium, tanquàm « fidelis in domo, sed tamen servus, agere se« cundùm legem potest, solvere à reatu legis « non potest. *Lex ergo per Moysen data est,* « *gratia et veritas per Jesum Christum facta est,* « etc. Quis Dominus? Ipse Christus, qui præ« misit legem per servum, ut veniret ipse cum « gratiâ et veritate. » Non per seipsum, sed ipse tamen, per servum, sed Dominus ipse, vim suam legi servoque inserens, præstitit humano generi tum quidquid per seipsum in suâ carne præstare potuisset per æternas suas decori ordinisque leges. Quid enim ampliùs tum ipse, si sanitatis exordia, non finem moliretur, quàm ægrum de ægritudine, insanum de insaniâ convicisset, pudefecisset, humilitate et confessione imbuisset, gratiæ præparâsset? Id per servum, id per legem præstitit; nullo ergo nostro detrimento si suæ prospexit majestati, quid de ejus procrastinatione expostulamus? An non utilitate nostrâ, sed ejus injuriâ delectamur? An displicent beneficia, nisi benefacientem dehonestent?

11. Sunt et alia hujus necessariæ dispensa-

tionis argumenta, eaque non paulò illustriora. Illud inprimis uno saltem verbo hîc stringendum, quòd Verbum in carne ipsâ suâ premere seipsum, seque usque adeò cohibere non posset, ut sola initia sanitatis perficeret. Præludia illa curationis nostræ abundè per suî umbras vacuasque imagines exerebat, corporali autem suâ majestate atque præsentiâ non poterat nisi in lucis et libertatis plenitudinem erumpere. Ordinem ergo decoremque beneficii sui corrupisset, si votorum nostrorum præproperæ festinationi obsecundâsset. Sed de his alibi.

12. Quid ergo, inquiet aliquis, Paulus Apostolus, quid fidus ejus interpres Augustinus, tam multus est et tam densus, atque atrox in legis inutilitate, imperfectione, et propemodùm in pernicie per eam invectâ persequendâ? Nimirùm Paulo res erat cum Judæis legem prætendentibus, ut gratiæ adjutorium dissiparent. Res erat Augustino cum Pelagianis, Judaicæ superbiæ discipulis, et legis obtentu pariter in excidium christianæ gratiæ conspirantibus. Utrisque ergo legem à Christo et Christi gratiâ divellentibus, et quasi adversariam objectantibus, non injuriâ legis ipsius, per se solitariè et seorsim spectatæ inutilitas, infirmitasque inculcatur. Nam medicinalis beneficii prolusio quædam et portio nequaquàm vilis erat lex, si ab expectatione reliquæ curationis non disjungeretur. At si prælusione illâ contentus, reliquam et principalem respuas sanationis efficacitatem, id est, si suis adversùs Christum beneficiis pugnes, si gratiam gratiæ præcoquis anticipationibus oppugnes, in tuam perniciem jam cedet lex, et toto illo infelicitatis elogio onerabitur. Audi Augustinum : « Superbia Judæorum præsumentium « tanquàm de viribus suis et de justitiâ operum « suorum, gloriabatur de lege, quòd ipsi legem acceperint, aliæ gentes non acceperint : « in quâ lege, non de gratiâ gloriabantur, sed « de litterâ. Lex enim sine gratiâ, sola littera « est; manet ad convincendam iniquitatem, « non ad dandam salutem.» Vides in quos detonet Paulus : nempe in eos qui in lege, non de gratiâ gloriabantur, sed de litterâ : et literæ soli acquiescentes, gratiam repudiabant. His inutilis, his exitialis lex erat, non legis, sed ipsorum vitio ; non legislatoris, seu Mosis, seu Christi consilio, sed ipsorum indomabili supercilio, et humilitatis ac confessionis impatientiâ. Ibidem Augustinus : « Quid tibi profuit « littera, quam non imples? Quare autem non « imples? Quia de te præsumis. Quare non « imples? Quia negotiator es, et opera tua « extollis. Nescis necessariam esse gratiam « adjuvantis, ut impleatur præceptum jubentis. Ecce jussit Deus, age quod jussit. Incipis agere, quasi ex viribus tuis, et cadis : et « manet super te littera puniens, non salvans. « Meritò *lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta.*» Et paulò post : « Sed data est lex, ut reos vos faceret, « rei facti timeretis, timentes indulgentiam « peteretis, jam de viribus vestris non præsumeretis, de litterâ vos non extolleretis,» etc. Non igitur lex deprimitur, nisi quando ultra modum suum extollitur à superciliosis virium suarum admiratoribus, et gratiæ Christi adversariis. Rursùm peccata per legem vehementiùs conflagrâsse, ita scribit : « Peccator « enim et antea erat, sed antequàm legem audiret, peccatorem se esse nesciebat, legem « audivit, peccatum vidit, conatus est vincere, « superatus atque prostratus est, factus est et « legis prævaricator, qui fuit antea nescius « peccator. Hoc dicit Apostolus : *Lex peccatum « est, absit, sed peccatum non cognovi nisi per « legem*, etc. Minor erat concupiscentia, « quando ante legem securus peccabas ; nunc « oppositis tibi obicibus legis, fluvius concupiscentiæ quasi frenatus est, paulatim siccatus : sed increscente impetu, qui te ducebat obicibus nullis, obruit te obicibus ruptis. Concupiscentia tua minor erat, quando « tuam movebat libidinem : omnis est, quando « transcendit legem.» Duplici ex capite ingravescere visa est labes nostra post legem, auctore secundùm Paulum Augustino : tum quòd qui priùs peccator tantùm erat, postea erupit et prævàricator : tum quòd in vetitum nixa sit concupiscentia, ut assolet, effractisque legis obicibus effrenatior luxuriaverit. Num ergo lex ad morbi curationem non valet, sed ad exacerbationem? Quinimò ibidem : « Ideò non vicisti, quia de te præsumpsisti.» Conferenda ergo tota culpa est in Judæorum superbiam, quæ de suis etiam remediis et de legis pharmaco ægrescebat. Et rursùm : « *Conclusit Scriptura omnia sub peccato.* Quomodò conclusit? Ne vagareris, ne præcipitareris, ne mergereris. Cancellos tibi fecit « lex, ut non inveniendo quà exires, ad gratiam convolares.» Proderat igitur et saluti vertebat, et de arte medicinæ emergebat illa ipsa morbi per legem exulceratio. Consultius enim erat illatâ legis luce prævaricatorem

fieri et sanari, quàm peccatorem de tenebris suis sibi blandiri et desperatum consenescere. Consultius erat, concupiscentiam irritari et ultra modum efferari, atque ita tandem sui hominem suppudescere et pœnitere et confugere ad medicum, quàm modestiùs insanire et curationem fastidire. Nec inauditum cuiquam vel inusitatum videri debet, quod corporum medicinæ quotidiè usuvenit, ut concutiatur et effervescat tum maximè morbi vis, cùm curatur. Et rursùm Augustinus : « Data « est ergo lex illa, ut inveniretur infirmitas. « Parùm est hoc. Non solùm ut inveniretur, « sed etiam ut augeretur : et vel sic medicus « quæreretur. Si enim levis morbus esset, « contemneretur : si morbus contemneretur, « medicus non quæreretur : si medicus non « quæreretur, morbus non finiretur. » Quin etiam hoc ipsum crassiori et minùs accurato loquendi genere dicitur, per legem acriùs concupiscentiam exarsisse : inerat enim et priùs flamma eadem, sed delitescebat : erupit, emicuitque, non quæ nulla erat, sed quæ dolosis cineribus supposita erat : fallebat, cœpit non fallere. Nam etiam in vetitum niti, adversùs repagulà insolescere, quod prohibearis, acriùs concupiscere, id quantum quantum mali est, inest concupiscentiæ, et fallit, si desit occasio. Per legem perfectum est, ut non falleret; id ergo curationi profuit. Quod autem per legem ex peccatore prævaricator evasit, erat ante legis occultæ et intimæ prævaricator, tametsi occultior. Per legem ergo malum non tam ingravatum quàm patefactum est : sed ingravari visum est, ubi ejus gravitas in lucem et in infamiam protracta est. Idem Augustinus : « Prævarica- « tionis gratiâ posita est lex, ut te faceret « prævaricatorem? Quare ut me faceret præ- « varicatorem? Quia noverat Deus superbiam « tuam : noverat quia dicebas : Oh si sit qui « doceat! Oh si sit qui mihi ostendat! Ecce « lex tibi dicit : *Non concupisces;* cognovi le- « gem dicentem : *Non concupisces;* surrexit « concupiscentia quam non noveras : inerat « enim, sed nesciebatur; cœpisti conari vin- « cere quod inerat, et apparuit quod latebat. « Superbe, per legem factus es prævaricator ; « agnosce gratiam, et esto laudator. » Undecumque ergo lex spectetur, tota ad sanitatem hominis vergit, tota de consilio medicinæ est, tota humilitatem Christo amicam dictat; unde idem : « Quia leviore ægritudine contemne- « batur adjutorium medicinæ, crevit morbus « et quæsitus est medicus. Quid ergo lex? « Prævaricationis gratiâ posita est, unde hu- « miliaretur cervix superborum, multùm sibi « tribuentium, » etc. Et alibi : « Ad hoc enim « lex data, ut superbo infirmitatem suam no- « tam faceret, ut vulnera ostenderet peccato- « rum, quæ gratiæ benedictione sanaret. » Et hoc quidem adversùs Judæos temperamento agendum est, ut et sequestratâ Christi gratiâ, legis infirmitas intentetur : et advocatâ Christi gratiâ, legis ad eam manuducentis utilitas atque necessitas non dissimuletur.

13. Jam autem ad Pelagianos Judæorum planè gentilitios orationem convertamus. Insidiosè prorsùs Julianus suam circa hæc sententiam aperit aut occultat potiùs apud Augustinum : « Opus malæ voluntatis, sicut ante le- « gem peccatum erat, ita post legem cœpit « esse transgressio. Quamvis non eo proposito « legem Deus tulerit, ut mortales fierent ejus « sanctione pejores. Neque enim lex pec- « catum, aut causa peccati; sed mandatum « sanctum et justum et bonum. Verùm quia « delinquentium pravitas, eos ferro, quo cu- « rari debuit, vulneravit, obstititque consilio « Dei, ut inde periclitaretur, unde debuerat « sanari, dicit Apostolus de effectu rerum, « opinionem divini consilii quo data lex fue- « rat, injuriam pertulisse : et quia non fuit is « proventus emendationis humanæ, in quo « lator legis intenderat, sed in plurimis evenire « contraria, eò usque ait profecisse studia pec- « catum, ut non ob aliud videretur data lex « esse, quàm ut improbi improbiores fuerint, « et ad peccatum prævaricatio jungeretur. » Multiplex fraudulentia in his verbis latitat, quam tamen omnem ad hoc unum caput revocare possis, quòd solâ lege curari sanarique potuisse et debuisse Israelitas innuatur, idque fuisse Dei consilium, eamque spem cùm legem promulgavit; sed cùm suo Deus consilio frustratus et spe fuisset, quòd plerique lege vulnerarentur magis quàm curarentur, tum demùm incarnandi Verbi decreta processisse. Quo Judaico dogmate nihil protervius, nihil christianæ fidei infestius. Nam si ex lege justitia, ergo Christus gratis mortuus est. Si cuiquam uni ex lege solitariâ salus obvenit, ergo non pro omnibus Christus mortuus est. Adversùs istiusmodi salutis nostræ hostes, dogmatis interpolatores, legis adversùs gratiam vindices, cogitur Augustinus perorare animosiùs in legem, non ut legem, sed ut solitariam, ut gratiæ adversam, ut adversùs Christum ar-

matam, ut Judaicâ, vel Pelagianâ superbiâ circumvallatam. Ille ergo Pelagianum illud virus his verbis exsufflat : « Tu dicis ita, qui consilium Dei in dandâ lege non ipsum sapis, « quod Apostolus Paulus ostendit; et ad eas « blasphemias ipse te impingis, ut dicas opi- « nionem divini consilii, quo data lex fuerat, « injuriam pertulisse; tanquàm aliud factum « sit, quàm Deus futurum fuerat opinatus; « neque hoc prævenerit latâ lege, quod lator « legis intenderat. Deum igitur præscium om- « nium futurorum, secundùm tuam sapien- « tiam sua fefellit intentio. Non attendis quod « scriptum est : *Multæ cogitationes in corde « viri, consilium autem Domini manet in æter- « num.* » Cùmque ex Apostolo declarâsset scopum legis : « *Ecce quod est consilium datæ legis.* « Quis autem nescit, non lege, sed hominum « vitio, in lege subintrante abundâsse delictum? « Sed hoc vitium quo prohibita plus delectant, « et fit virtus peccati lex, non sanat nisi vivi- « ficans spiritus, non littera occidens; quæ « tamen ad hoc utilis fuit, quia cùm ipsa oc- « cideret per prævaricationem, crescente per « prohibitionem cupiditate peccandi, vivifi- « cantem spiritum fecit inquiri : et hominem « de suâ virtute lethaliter confitentem, adju- « torium gratiæ compulit quærere. » Consilium igitur Dei non id erat, ut garriebant Judæis consentanei Pelagiani, ut per legem meram et à Christi gratiâ speciali abruptam quisquam omninò sanaretur et servaretur : non id erat etiam ut Calvinianus aliquis blatterabat, ut in inevitabiles peccatorum nexus implicarentur homines; sed id erat quantùm Scripturæ fax inextincta prælucet, ut hominum improbitas suâ sponte in vetitum præceps, et ingenitæ jam legis prævaricatrix, sed de nescio quo ignorantiæ velo futiles sibi excusationes prætexens, legis cujuslibet patentissimæ peræquè prævaricatrix ex ingenio suo futura, hinc intelligeret non lumen sibi tantùm, sed et robur deesse, idque à Deo supernè mendicandum esse. Non ergo Deus ipsas prævaricationes aggerare meditabatur; sed insitam hominum ex parentali lue concupiscentiam, quaslibet leges transgressuram quarus, clam si clam, palam si palam, leges edicerentur, maluit ex apertis transgressionibus hominem humiliari, ad gratiam compelli et sanari, quàm clandestinis immori incuratum et desperatum. Ita non cruentum, sed mite Dei consilium in dandâ lege, et per Christi sanguinem partæ salutis initia prærogans, aperitur, quod alibi sexcentics Augustinus idem admonet : « Lex itaque docendo et jubendo, quod sine gratiâ impleri non « potest, homini demonstrat suam infirmitatem, ut quærat demonstrata infirmitas salvatorem, à quo sanata voluntas possit quod « infirma non posset. Lex igitur adducit ad fidem, fides impetrat spiritum largiorem, etc. « Ideò lex pædagogus vocatur, sub cujus mi- « nacissimâ severitate *qui invocaverit nomen « Domini, salvus erit.* » Et alibi : « Hæc igitur « utilitas legis, quia ostendit hominem sibi ipsi, ut sciat infirmitatem suam, et videat « quemadmodùm per prohibitionem augeatur « potiùs carnalis concupiscentia, quàm sanaretur. Appetuntur enim ardentiùs, quæ vetantur, » etc. Non ergo erat consilii divini, ut augesceret improbitas, sed ut quæ latebat, patesceret, ut quò evidentior, eò gravior turpiorque appareret, et sui puderet ipsam. Non erat etiam consilii divini, ut solâ lege quisquam persanaretur, sed ut insanabilis esse desineret. Porrò lex ipsa, cùm pædagogus esset, cùm velut intra cancellos coarctaret, ne ad profana numina execrarent, cùm ad fidem adduceret, cùm ad gratiam cogeret, cùm ad Christum compelleret, erat utique jam procœmialis quædam Christi medicina. Et rursùs alibi : « Innocens sibi homo videbatur, et ex ipsâ superbiâ innocentiæ falsæ, insanior fiebat. Ad domandam ergo superbiam et ad denudandam, danda est lex, « non ad liberandos ægrotos, sed ad convincendos superbos. Ad hoc data est lex, quæ « proderet morbos, non quæ tolleret, etc. « Utilis ergo erat lex ad prodenda peccata, « quia reus homo abundantiùs factus ex præ- « varicatione legis, posset edomatâ superbiâ, « implorare aùxilium miserantis. » Et alibi : « Demonstranda enim fuerat homini fœditas « languoris ejus, cui contra iniquitatem suam « nec præceptum sanctum et bonum profuit, « quo magis aucta est iniquitas, quàm minuta, « quandoquidem *lex subintravit, ut abundaret « delictum,* ut eo modo convictus atque confusus videret, non tantùm doctorem sibi esse « necessarium, verùm etiam adjutorem Deum; « quo ejus itinera dirigantur, ne ei dominetur « omnis iniquitas, et confugiendo ad opem di- « vinæ misericordiæ sanetur; atque ita *ubi « abundavit delictum, superabundavit gratia,* « non peccantis merito, sed supervenientis « auxilio. »

14. Sed audiendus potissimùm est Augustinus in expositione Epistolæ ad Galatas, ubi

legem et à Christo prærogatam, et quarquàm ingravescente ad tempus ægritudine, sanitati restaurandæ accommodatissimam utilissimamque fuisse ita demonstrat : « Superbienti ergo « populo lex posita est, ut quando gratiam cha- « ritatis nisi humiliatus accipere non possit, « et sine hâc gratiâ nullo modo præcepta le- « gis impleret, transgressione humiliaretur, « ut quæreret gratiam, nec se suis meritis « salvum fieri, quod superbum est, opinaretur : « ut esset non in suâ potestate et viribus ju- « stus, sed in manu mediatoris justificantis « impium. Per angelos autem ministrata est « omnis dispensatio veteris Testamenti, agente « in eis Spiritu sancto, et ipso Verbo veritatis « nondùm incarnato, sed nunquàm ab aliquâ « veridicâ administratione recedente. » Audin' quàm perspicuè doceat legem Mosaicam per angelos dispensatam, sed « agente in eis Spi- « ritu sancto, et ipso Verbo veritatis? » Quanquàm enim nondùm incarnatus esset Deus Verbum, per Spiritum tamen suum et per administros angelos prænuniebat sibi viam, et gratiæ suæ prægustationes quasdam præseminabat. Et alibi : « Ubi ergo non est gratia « liberatoris, auget peccandi desiderium pro- « hibitio peccatorum. Quod quidem ad hoc « utile est, ut sentiat anima, seipsam non sibi « sufficere ad extrahendum se de servitute « peccati, atque hoc modo detumescente at- « que extinctâ omni superbiâ, subdatur libe- « ratori suo, » etc. Et alibi rursùm : « Unde « *subintravit lex, ut abundaret delictum, et ubi* « *abundavit delictum, superabundavit gratia;* id « est, ut acciperet homo præcepta, superbè « de suis viribus confidens, in quibus deficiens « et factus etiam prævaricator, liberato- « rem Salvatoremque requireret, atque ita « eum timor legis humilem factum, tanquàm « pædagogus ad fidem gratiamque perdu- « ceret. »

Possem plura acervare : quanta enim horum seges apud Augustinum sit, neminem præterit, qui scripta ejus primoribus saltem labris delibaverit. Affatim hæc quæ supra et penè ad nauseam usque, nisi quanti hæc momenti sint ad Christi medicinam intelligendam, seriò advertatur. Amarulentis hominum quippe querelis de comperendinato tamdiù adventu medici, et de morbi interim exulceratione, necessariò occurrendum ita fuit, ut nunquàm abfuisse medicum, nunquàm à medendo cessâsse, ante adventum carnis suæ, Spiritu suo Verbo veritatis præsumpto etiam carnis crucisque suæ merito adfuisse atque profuisse semper humano generi constaret, et ipsam legem non æmulam gratiæ ejus fuisse, sed amicam et prælusoriam, prænuntiatricem, pollicitatricem ; ipsam legem denique Paulo atque Augustino etiam auctoribus suo ex ingenio non cumulandis peccatis, sed prodendis, nudandis, exprobrandis, peccatoribus autem suffundendis, et ad medicum ac liberatorem perducendis inserviisse.

CAPUT II.

Consilio medicinæ, et merito sanguinis Christi, legem olim dispensatam esse, ex eo rursùm demonstratur, quòd etiam nunc post Christi adventum eadem ratio medicinæ perduret, et ante legem ac sub lege priùs simus quàm sub gratiâ.

1. Conticescet, ut arbitror, expostulatio de legis morositate atque inutilitate, et de Christi tam sero adventu, si planum fiat, ne nunc quidem aliam iniri aut teneri posse medendi rationem. Ecquid enim præmaturâsset Christus incarnari, quando nihilò seciùs per eadem vestigia salus et medicatio nostra promovenda fuisset?

Ubi primùm ergo à veritate defluxit homo, et in corporalia peccato suo se impegit, exinde ferream hanc sibi ipse et ineluctabilem necessitatis legem inflixit, ut nisi per flexuosos quosdam spinososque anfractus ad pristinam beatitudinem revocari non possit. Itaque primò ante legem in inscitiâ veri æquique tenebrosus gemit. Deinde lege illustratus, sed infirmitate viriumque inopiâ constrictus torpet, jam sciens, nec volens ; aut volens, nec valens rectè facere. Tertiò aspirante gratiâ infirmitati suæ obluctatur, pronæ in deterius cupiditati reluctatur et vincit, ac rectè facit. Postremò in pacem recipitur, ubi jam caro immortalitatem induta, nihil renititur spiritui.

2. Hanc viam rationemque curationis et omni universim humano generi, et singulis speciatim hominibus necessariò subeundam, et Scripturæ indicunt, et sancti Patres pronuntiant, et rerum ipsa natura ratioque insita confirmat. Audi Augustinum : « Ex quo ap- « prehendimus quatuor esse differentias etiam « in uno homine, quibus gradatim peractis, in « vitâ æternâ manebitur. Quia enim oportebat « atque id justum erat, ut posteaquàm natura « nostra peccavit, amissâ beatitudine spiritali, « quæ paradisi nomine significatur, animales « carnalesque nasceremur : prima est actio

« ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratiâ, quarta in pace. Ante legem actio est, « cùm peccatum ignoramus, et sequimur carnales concupiscentias. Sub lege est actio, « cùm jam prohibemur à peccato, et tamen « consuetudine ejus victi peccamus, quoniam « nos nondùm adjuvat fides. Tertia actio est, « quando jam plenissimè credimus liberatori « nostro, nec meritis nostris aliquid tribuimus, « sed ejus misericordiam diligendo, jam non « vincimur delectatione consuetudinis malæ, « etc. Quarta est actio, cùm omninò nihil est « in homine quod resistat spiritui, sed omnia « sibimet concorditer juncta et connexa, unum « aliquid firmâ pace custodiunt. Quod fiet « *mortali corpore vivificato, cùm corruptibile « hoc induerit incorruptionem,* » etc. Quibus ille substruit selecta Scripturæ loca, singulorum graduum discrimini accommodata. Prima enim statio ante legem, cùm ex legis inscitiâ imprudens homo peccat, apertè describitur à Paulo, cùm ait : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit,* etc. *Usque ad legem enim peccatum in hoc mundo fuit, peccatum autem non deputabatur, cùm lex non esset.* Et hæc quidem ad universitatem humani generis exporriguntur. Et quia singulorum eadem ratio est atque universorum, nec dissimilis curatio, eadem statio jam singulari homini assignatur his verbis : *Sine lege enim peccatum mortuum est. Ego autem vivebam aliquando sine lege.* Iterùm secunda statio sub lege ab eodem Paulo declarata satis superque est locis supra vexatis : *Lex propter transgressiones posita est,* etc. *Lex subintravit, ut abundaret delictum,* etc. Quæ ne ad genus humanum et non ad singulos pertinere hallucineris, affectavit idem Paulus semetipsum, seu quemcumque singularem hominem in exemplum adducere : *Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces. Occasione autem acceptâ, per mandatum, peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam,* etc. *Inventum est mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem,* etc. *Scimus quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum,* etc. *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum*, etc. Et illa rursùm : *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis.* Quibus allegatis Augustinus subjungit : « Hùc usque sunt verba hominis sub lege « constituti, nondùm sub gratiâ : qui etiamsi « nolit peccare, vincitur à peccato. Invaluit « enim consuetudo carnalis, » etc. Jam reliquas stationes duas nihil necesse est locis Scripturæ ullis illustrare, quòd ad hujus capitis argumentum minùs spectent.

3. Porrò ex his perspicuum fit illam curandi legem quatuor distinctam gradibus, et quasi ætatibus, non ad humanum genus tantùm, sed ad singulos homines pertinere : atque adeò Christum cum individuâ comite suâ gratiâ nonnisi tertiam ætatem agentibus singulis hominibus adventare, incarnari, nasci. In ipsâ enim hodiè christianâ republicâ, toto orbe jamdiù florentissimâ, singulis nobis eadem ferè ratio medicinæ subeunda est, quâ deleantur iniquitates et sanentur languores nostri. Et priùs infantia quædam animæ exigenda in altâ quâdam nocte ignorantiæ, cui juris æquique ne facula quidem ulla nisi rarissima interlucet. Tum inde in adolescentiam erepimus, cui ratio, cui lex, cui lux irradiat, sed natalium, sed consuetudinis corruptela deprimit, æstuantiorque in illo ætatis fervore cupiditas in obstantes obices insanit. Ubi de priori ignorantiâ, et de invictâ tum cupiditate pudor, humilitas, propriarum virium desperatio, superni auxilii votum spesque enascitur, tum demùm tertia ætas per Christi et gratiæ medicinalis adventum initiatur. Obtusior esset aut nullus beneficii per gratiam collati sensus, si inexpectata neque invocata adfuisset. Obtusior esset beneficii per legem collati sensus, nisi in ignorantiæ caligine priùs jacuissemus. Geminus hic morbus ignorantiæ et infirmitatis ut sentiretur, ut dignosceretur, ut utriusque curatio adverteretur, ut grato animo recoleretur, ut superbiæ undique insidianti, undique occurreretur, necesse fuit seorsim et sigillatim priùs hunc per legem, deinde illum per gratiam curari. Qui ergo de tarditate incarnati Verbi expostulat, expostulet ille idem quòd beneficiis divinis non simul et semel obrutus ita sit, ut et sibi eorum sensus interciperetur; expostulet quòd priùs infantiæ, deinde adolescentiæ tirocinia fuerint sibi ponenda, quàm ad virile robur maturesceret; expostulet, quòd ætatum discrimina non turbentur, quòd pueritiæ non insit proprium juventæ decus; quòd juventæ desit maturitas; expostulet quòd modi rerum, quòd temporum curricula, quòd temporalium succedaneæ modulationes non tumultuariè permisceantur. Si autem sibi per incrementorum gradus tum

corpore, tum animo decurrendos, intelligit, et assentitur ab imo ad summum, à defectu ad profectum, à morbo ad sanitatem reptandum esse; acquiescat et cæteros homines, atque adeò et universos eodem ordine promoveri. Ut enim docet idem Augustinus, « quod « in uno homine rectè educato, ordine naturæ « disciplinâque contingit, hoc proportione « in universo genere humano fieri per divi- « nam providentiam, peragique, pulcherri- « mum est. » Et rursùs concludens de quolibet et de toto genere hominum : « Neque lex mala « est quæ ostendit homini in quibus peccato- « rum vinculis jaceat, ut per fidem implorato « liberatoris auxilio, et solvi, et erigi, et fir- « missimè constitui mereatur. In primâ ergo « actione quæ est ante legem, nulla pugna est « cum voluptatibus hujus seculi. In secundâ « quæ sub lege est, pugnamus, sed vincimur. « In tertiâ pugnamus et vincimus. In quartâ « non pugnamus, sed perfectâ et æternâ pace « requiescimus. »

Eleganter idem Augustinus quadripartitam hanc exequitur curationis disciplinam, tam singulis quàm universis hominibus exigendam, in expositione quarumdam propositionum ex Epistolâ ad Romanos : « Itaque quatuor istos « gradus hominis distinguamus, ante legem, « sub lege, sub gratiâ, in pace. Ante legem « sequimur concupiscentiam carnis. Sub lege, « trahimur cum eâ. Sub gratiâ, nec sequimur « eam, nec trahimur ab eâ. In pace, nulla est « concupiscentia carnis. Ante legem ergo non « pugnamus, quia non solùm concupiscimus et « peccamus, sed etiam approbamus peccata. « Sub lege pugnamus, sed vincimur. Fate- « mur enim mala esse quæ facimus, et fatendo « mala esse, utique nolumus facere; sed quia « nondùm est gratia, superamur. In isto gradu « ostenditur nobis quomodò jacemus, et dùm « surgere volumus, et cadimus, graviùs affli- « gimur. Inde hoc dicitur : *Lex subintravit, ut « abundaret delictum,* etc. Sic ergo jacens cùm « se quisque cognoverit per se ipsum surgere « non valere, imploret liberatoris auxilium. « Venit ergo gratia, quæ donet peccata præ- « terita, et conantem adjuvet, et tribuat chari- « tatem justitiæ, et auferat metum, » etc. Et nostrùm ergo quilibet cùm ex ignorantiâ prolabitur, vel cùm detersâ ignorantiæ nube, ex penuriâ virium lapsat et affligitur, quod nulli non ferè contingit diutulè et sæpiusculè ante justificationem, eatenùs ante legem et sub lege est, eodemque gradu stat atque gens tota Israelitarum ante legem, vel sub lege, id est, ante Verbi Dei in terras allapsum. Tam ergo approbare universalem hanc, quàm particularem illam divinæ medicinæ disciplinam invitamur, quâ non tam Christus, non tam gratia retardatur, quàm dispensatur et stillatim affunditur, ne temerè et repentinè si infundatur, obruat magis quàm relevet.

4. Idem Augustinus : « *Ecce triennium est, « quòd venio ad hanc arborem, et fructum in eâ « non invenio,* etc. Tanquàm per triennium Do- « minus visitavit genus humanum, hoc est, « tribus temporibus. Quibus? Primum tem- « pus ante legem, secundum tempus in lege, « tertium, quod modò est, tempus est gratiæ. « Nam si non visitavit genus humanum ante « legem, unde Abel, unde Enoch, unde Noe, « unde Abraham, Isaac, Jacob, quorum Do- « minum se dici voluit? Et cujus omnes gen- « tes erant, quasi trium hominum Deus esset. « Et *ego sum,* inquit, *Deus Abraham et Isaac et « Jacob.* In lege autem si non visitaret, ipsam « legem non daret. Post legem venit et ipse « pater familiâs, passus est, mortuus est et « resurrexit, Spiritum sanctum dedit, Evange- « lium per totum orbem terrarum prædicari « fecit, et adhuc quædam arbor infructuosa « permansit. » Quo in loco illud sedulò observandum est, non ita has profectuum spiritalium ætates ab aliis alias esse discretas, ut non aliquo pacto permisceantur. Nam quamdiù humanum genus ante legem in tenebris volutabatur, erant tum temporis singulares nonnulli quibus privatim jam lex diluxerat; erant quibus Christus cum gratiâ affulserat, id est, erant qui sub lege, erant qui sub gratiâ clam versabantur. Nec aliter cùm sub lege esset genus humanum, erant singulatim quibus nequedùm lex irradiaverat; erant et quorum in visceribus jam per gratiam Christus informatus erat. Quo minùs mirum fit, si et nunc sub gratiâ sint quibus nequedùm lex affulserit, sint quibus adhuc innasci Christus per gratiæ suæ pleniorem ubertatem procrastinet. Itaque ipsa quidem species extima et patens humani generis, quasi hominis unius ita adgubernatur, ut per ætatum progressus à pueritiâ ad juventam, à juventâ ad maturitatem proficiat, id est, ab inscitiâ ad legis peritiam, et inde ad legis charitatem. Sed interim cum quolibet homine privatim illa eadem medicinæ cœlestis disciplina intùs dispensatur; ut et liceat excutere infantiæ caliginem, et adolescentiæ pruriginem, atque ad virilem

justitiæ charitatem, id est, ad Christi complexum eluctari, nisi suâ ipse seu inertiâ, seu malitiâ spem suam corrumpat, et residua præfocet incrementa. Nec eâ de re cuiquam fas est movere controversiam. Nam exempla ex Scripturis quæ id evincant prompsit Augustinus nonnulla, ex quibus par est de reliquis conjicere, Abel, Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob ante legem, non legis tantùm lumine, sed et immenso quodam gratiæ et charitatis igne conflagrârunt. Moyses, Phinees, David, Elias, Prophetæ, sub lege cùm essent, gratiæ et Christi ipsorum pectora inhabitantis muneribus florentissimi fuerunt.

5. Ex his paucissimis quos Scriptura memorat, plures alios conjiciendos esse, præsumptis Christi donis ditatos, infra manifestabitur. Longè complures sanè nunc sub gratiâ contuemur et plangimus, quibus nequedùm Christus exortus est, quibus nequedùm lux effulsit, qui cupiditatibus ne repugnant quidem, aut imbelles enervesque frustra repugnant. In quo satis argumenti est, ut à temporum vinculis Christum eximamus, ut à locorum, dierumque servitute Incarnationem ejus intelligamus singulari quodam suo modo immunem esse, et de divinæ æternitatis afflatu, seculorum voluminibus superiorem eminere, omnibus adesse ætatibus quæ dignæ sunt, nonnisi indignis abesse; non tempore, sed temporum temporaliumque contemptu conciliari et attingi : antequàm palam fieret, clam adfuisse : postquàm facta est, adhuc expectari à compluribus ; atque ita stabilem constare, ut nec ab absentibus desideretur, cùm dignis adsit, et à præsentibus fugiat, cùm indignis absit. Nec inficias imus semel in plenitudine temporum carni nostræ copulatum esse hypostaticè Dei Verbum, et hoc tantum sacramentum, in quo cardo et summa est universæ salutis, illi articulo temporis illigatum fuisse, et inde exorsum in reliqua deinceps secula copiosiùs gratiæ suæ flumina effudisse. Sed cum Paulo sapere conamur illud : *Jesus Christus heri et hodiè, ipse et in secula :* de quo plura inferiùs. Hìc prælibâsse obiter id unum contenti erimus, ita illo temporis momento peractum esse Incarnationis sacramentum, ut spiritaliter, ut utiliter, ut salubriter in hesterna et retrò, in crastina et ultra omnia secula peractum fuerit et peragendum sit. Dominatur enim in omnia tum tempora, tum temporalia Verbum Deus et Verbum caro. Nam non deitas tantùm Verbi, sed et caro Verbi in omnia retrò perinde, ut in omnia post secula principatur. Abest nunc à nobis in cœlum recepta, nec tamen abest (ut de sacrificio Ecclesiæ sileam) cujus efficaciam persentiscimus, cujus absentia ipsa qualiscumque nobis salutifera et medicinalis est. Viget enim illud æternùmque vigebit, dùm temporum labentur vices, quod Apostolis semel dixit : *Expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Abest ergo nunc nobis et absens tamen efficaciter adest, ipsâque suâ absentiâ adest et opitulatur. Quin ergo et affuisse auguramur illis olim ante legem et sub lege specie tenùs agentibus, reapse autem totam Christi et gratiæ ejus plenitudinem anticipantibus? Quin et affuisse ominamur olim antè legem et sub lege reapse degentibus, sed legis absentiâ ad legem, gratiæ penuriâ ad gratiam optandam accelerandamque incitatis, et ita jam legem gratiamque occupantibus? Aderat enim utrisque, et his postremis aderat proderatque ipsâ etiam suî absentiâ. Luculentissimè idem Augustinus superiora omnia complexus est : « Regnat enim carnalis cupiditas, « ubi non est Dei charitas. Sed cùm in altissi- « mis ignorantiæ tenebris nullâ resistente ra- « tione, vivitur secundùm carnem, hæc sunt « prima hominis. Deinde cùm per legem co- « gnitio fuerit facta peccati, si nondùm divi- « nus adjuvat Spiritus, secundùm legem vo- « lens vivere vincitur, et sciens peccat, pecca- « toque subditus servit; id agente scientiâ « mandati, ut peccatum operetur in homine « omnem concupiscentiam, cumulo prævari- « cationis adjecto. Atque ita quod scriptum « est impleatur : *Lex subintravit, ut abundaret « delictum.* Hæc sunt secunda hominis. Si autem « respexerit Deus, ut ad implenda quæ man- « dat, ipse adjuvare credatur, et agi homo cœ- « perit Dei Spiritu, concupiscitur adversùs « carnem fortiore robore charitatis, ut quam- « vis sit adhuc, quod homini repugnet ex ho- « mine, nondùm totâ infirmitate sanatâ, ex fide « tamen justus vivat, justèque vivat, in quan- « tum non cedit malæ concupiscentiæ, vincenti « dilectione justitiæ. Hæc sunt tertia bona « spei hominis. In quibus si pia perseverantia « quisque proficiat, postrema pars restat quæ, « post hanc vitam in requie spiritûs, deinde in « resurrectione etiam carnis implebitur. Ha- « rum quatuor differentiarum prima est ante « legem, secunda sub lege, tertia sub gratiâ, « quarta in pace plenâ atque perfectâ. » Sic ille de cujuslibet sigillatim hominis progres-

sione philosophatur, qualem omnes vel in nobis, vel in aliis experimur, per quatuor istiusmodi stationes necessariò utique temperatam.

6. Ea enim rerum natura est, ea lex æterna, is modus naturæ humanæ in infantiam, hoc est, in boni inscitiam et impotentiam præcipitatæ. Conari, juvarique supernè opus habet, non simul et semel omninò, non uno temporis puncto ; nihil enim ejusmodi in naturâ corporalium temporaliumque vicissitudinibus mancipata, sed contanter, et per intervalla ætatum. Cùm ergo ita necesse sit singulorum procurari salutem, quid si non aliter universorum etiam salus instruatur? Quid enim pulchrius quàm ut omne genus hominum instar habeat unius hominis ? Reapsè enim unius stirpis omnes surculi sumus, atque ita in unum hominem omnes compaginamur. Et inter ipsa profana hominum studia, ubi non illa eadem ætatum dispensatio enitescit? Urbes enim, respublicæ, imperia, nascuntur, adolescunt, virile quoddam adipiscuntur robur, ac demùm consenescunt. Artes, disciplinæ, et id genus alia, exoriuntur, augescunt, maturescunt, exolescunt. Nempe quæcumque sunt hominis, non aliam, quàm ipsam hominis indolem referre et redolere possunt. Quid ergo auctor naturæ Deus in sanandâ naturâ nonne et ipse ingenio naturæ sese attemperabit? Reparare enim, non immutare, non pervertere naturam instituit. Non itaque cogamus ipsum, vim ut afferat naturis à se conditis : nam si vim allaturus fuisset, nequaquàm ita condidisset. Itaque quas ita formavit, ut per ætatum curricula progrederentur, ita etiam sibi reformandas præfixit et præjudicavit. Quocirca Augustinus statim ita pergit ibidem ne verbulo quidem interjecto : « Sic est et Dei populus « ordinatus per temporum intervalla, sicut « Deo placuit, qui in mensurâ, numero et « pondere cuncta disposuit. Nam fuit primitùs « ante legem, secundò sub lege quæ per Moysen « data est : deinde sub gratiâ, quæ revelata est « per primum mediatoris adventum. Quæ quidem gratia nec antea defuit, quibus imparti eam oportuit, quamvis pro temporis dispensatione, velata et occulta. Neque enim « antiquorum quicumque justorum, præter « Christi fidem, salutem potuit invenire. At « verò nisi et illis cognitus fuisset, non potuisset nobis per eorum ministerium aliàs « apertiùs, aliàs occultiùs prophetari. » Ex eo itaque quòd singulorum ætates spiritales, corporalibus consentaneæ per illa profectuum discrimina provehuntur naturali quâdam necessitatis lege, inde fit ut et idem modus in universo genere administrando teneatur. Qui ergo gravatè fert non temporiùs Deum carni nostræ illapsum esse, perinde insulsus est, ac qui non plenam legis et rationis lucem infantibus inter ipsa crepundia allucescere quiritaretur ; aut non eamdem adolescenti atque provectioris ætatis homini inesse consilii morumque moderationem. Ut enim dispunctis demùm infantiæ tenebris, adolescentiæ procellis sedatis, ratio et sapientia ac justitia non adsplendet tantùm homini, sed et dominatur ac regnat in quolibet homine, ita nonnisi post eamdem caliginem ac cupiditatum tempestatem abactam ab humano genere, potuit Christus, qui sapientia et justitia nobis à Deo factus est, advolare.

7. Sed ut monuit Augustinus, « hæc Christi « gratia nec ante defuit, quibus impartiri eam « oportuit, quamvis pro temporis dispensa- « tione, velata atque occulta. » Singulis itaque vel ante legem, vel sub lege versantibus, vel adfuit, vel adesse potuit gratia Christi, nisi eam à se repudiâssent intempestivo noctis et sordidæ voluptatis amore. Rursùm ille seriem et necessitatem horum profectûs nostri graduum ita describit : « Aliud est non pugnare et « esse in pace verâ atque perpetuâ ; aliud pu- « gnare et vincere ; aliud pugnare et vinci; « aliud nec pugnare, sed trahi. Sunt enim ho- « mines prorsùs qui non pugnant, qualis est iste « de quo loquitur. Cùm enim dicit : *Malitiam « non odio habuit,* quomodò pugnat contra eam « quam non odit ? Iste à malitiâ trahitur, nec « pugnat. Sunt autem qui pugnare incipiunt, « sed quia de viribus suis præsumunt, ut ostendat illis Deus, quia ipse vincit, si se homo « subjungit Deo, et pugnantes vincuntur ; et « cùm quasi cœperint tenere justitiam, fiunt « superbi et eliduntur. Isti pugnant et vincun- « tur. Quis est autem, qui pugnat et non vincitur? Qui dicit: *Video aliam legem in mem- « bris meis repugnantem legi mentis meæ,* videt « repugnantem legem legi mentis suæ ; videt « repugnantem, sed non de viribus suis præ- « sumentem, ideò iste victor erit. Quid enim « sequitur? *Infelix ego homo, quis me?* etc. « *Gratia Dei per Jesum,* etc. Præsumit de eo « qui jussit ut pugnet, et vincat hostem adjutus « à jubente. » Hæc singulis, hæc universis ratio disciplinæ necessariò præfixa est, post labem peccato invectam, ut mali experimento

et tædio bonum concupiscere et tenaciùs constringere adigantur; rudisque infantiæ et tumultuosæ juventæ scopulos prætervecti in Christi sinum, in gratiæ, in sapientiæ et justitiæ portum cupidiùs lætiùsque invehantur.

8. Pulcherrimè autem Augustinus hanc alibi argumentationem contexit : Quia omne pulchrum à summâ pulchritudine est, quod « Deus est, temporalis autem pulchritudo rebus « decedentibus succedentibusque peragitur; « habet autem decorem suum in singulis quibusque hominibus singula quæque ætas, ab « infantiâ usque ad senectutem. Sicut ergo « absurdus esset qui juvenilem tantùm ætatem « vellet esse in homine temporibus subdito; « invideret enim cæteris pulchritudinibus, « quæ cæteris ætatibus suas vices atque ordinem gerunt : sic absurdus est, qui in isto « universo genere humano, unam ætatem desiderat. Nam et ipsum tanquàm unus homo « suas ætates agit. Nec oportuit divinitùs venire magistrum cujus imitatione in mores « optimos formaretur, nisi tempore juventutis. « Ad hoc valet quod Apostolus dicit : *Sub lege « tanquàm sub pædagogo parvulos custoditos, « donec veniret cui servabatur, qui per prophetas « promissus erat.* Aliud enim est quod divina « providentia quasi privatim cum singulis agit, « aliud quod generi universo tanquam publicè « consulit. Nam et quicumque singulari ad « certam sapientiam pervenerunt, nonnisi ab « eâdem veritate, suarum sigillatim ætatum « opportunitate illustrati sunt. A quâ veritate « ut populus sapiens fieret, ipsius generis humani opportunâ ætate homo susceptus est. » Quo uno ex loco totam hujus capitis doctrinam libet exculpere, et ad certa capita substringere, ut quamvis singulis singula non substruantur auctoritatis et rationis præsidia, quòd implicata invicem consertaque sint sibi omnia, ordo tamen et series distincta rerum animo teneatur. Inde ergo liquet 1° naturam rationalem ita implexam esse corpori, ut corporum legi temporumque quadamtenùs subjiciatur. Quanquàm enim è spiritualium et intemgibilium, ideòque ex æternorum choro sit, infima tamen in summo illo ordine est, adeòque inferiori seu corporeæ naturæ et temporali citima, eique propior jam, et consentanea. Hinc est enim quòd et discurrere animo ac ratiocinari, nisi temporum excursu non possit. Denique nisi consentiret naturæ corporeæ natura rationalis, non utique in tam arctum cum eâ conjugium devolveretur. Liquet 2° naturam rationalem non sentienti tantùm, sed et vegetanti naturæ esse fœderatam, adeòque vegetantis legibus obnoxiam. Nec id peregrinum illi aut insuave suspicamur esse, cùm non quasi exoticæ cuidam naturæ vegetanti copuletur, sed anima vegetans ipsa sit, eademque rationalis. Itaque nisi suæ ipsam naturæ substantiæque pœniteat, quod dictu nefas, tam libenter vegetantium quàm suo ipsius ingenio obsequetur. Liquet 3° post suum maximè lapsum, animas rationales corporalium temporaliumque servituti obstrictas fuisse. Nam quæ priùs summis tantùm, ut ita dicam, vestigiis insistebant corporibus temporibusque, eminebantque penitùs et dominabantur, toto autem vertice supra extabant inhærebantque æternis, afflixerunt se ipsæ, ac demerserunt in amorem, hoc est, in nexum mancipiumque naturæ corporalis et temporalis. Liquet 4° decus omne corporeum et temporale succedentibus rebus peragi, ætatumque vicissitudine explicari. Quia enim sunt et à summo sunt, ideòque summa et summè non sunt, summam æternitatem imitari possunt temporalia, assequi non possunt. Dùm ergo conantur et deficiunt, utique fluunt; dùm proficiunt, nec tamen perficiuntur, fluunt. Hic modus, hoc decus est imum, non summum, ideòque suo in genere approbandum, non calumniandum. Liquet 5° animam rationalem maximè peccato allisam in temporalia per varias ætatum vices consensu quodam cum suo corpore puerascere, adolescere, juvenescere. Cui enim obtingere potest sapientiæ perfectio, nisi priorum ætatum immaturitatem quamdam permenso et elapso? Ineptit enim et balbutit anima cum corpore, et utrique penè simul accedit robur et perfectio. Liquet 6° pædagogum non statim infantibus, inter cunas reptantibus, sed pueris velut in rationis diluculo quodam positis imminere : at magistrum ad sapientiæ summum columen provecturum, juventæ robustiorique ætati adjungi. Quanquàm enim ætates istæ corporum sint magis quàm animarum, animarum tamen ad sapientiam progressiones, nisi per eas ætates liceat, non procedunt. Liquet 7° totum genus humanum instar habere unius hominis. Id enim jubet naturæ corporeæ et vegetantis, id temporum corporumque lex. Ita enim homines alii ex aliis et universi demùm ab uno, tanquàm rami surculique alii ex aliis, et ab unâ demùm omnes radice ac stirpe pullulascunt. Ita et urbium, et regnorum, ita et artium ac disciplinarum, etsi in his domi-

natur maximè animæ immortalis natura, ortus quidam est, et rudimenta quædam infantiæ, et juventa, et denique senectus. Postremò cùm singulos homines per has ætates exigi decorum sit, ipsum universum genus non poterit decentiori venustiorique administratione dispensari, quàm quâ singuli reguntur. Liquet 8° summam sapientiam atque justitiam Deum Verbum non decuisse priùs humano generi plenissimè atque hypostaticò sociari, quàm infantiæ nugis excussis et adolescentiæ intemperiis sedatis, opportuna ad sapientiæ justitiæque maturitatem juventa affuisset. Quod enim singulis est rationis et æquitatis ubertas juventæ accommodata, id universæ humanitati fuit Verbi Dei seu incommutabilis sapientiæ et justitiæ illapsus. Utque non ab utero recentibus, non pueritiæ tyrocinia exigentibus, sed juvenibus tempestivum est sapere : ita humano generi infantiam sine lege, pueritiam sub lege tanquàm sub pædagogo, in umbris sapientiæ quibusdam emenso, et robustam demùm quamdam juventam assecuto, tempestivum fuit plenissimâ divinæ sapientiæ copiâ et ipsâ sapientiæ justitiæque substantiâ perfundi. Liquet 9° nec suam infantiæ rationem et sapientiam deesse. Subrutilat enim, quantùm necesse est pro ejus ætatis opportunitate, et præclarior si non affulget tum ratio ac sapientia, idipsum rationis et sapientiæ est. Pueritiæ autem jam illustrior legis ac rationis lux fulget, nec potest uberior, nisi ætatum limites et totum hujus generis decus evertatur. Tot non aliter affuisse Christum hominibus ante legem et sub lege existimamus, quàm eâ mediocritate quæ illas ætates addecebat. Liquet 10° corporeæ naturæ legibus servire debuisse divini Verbi corporationem. Ideò enim et in suâ carne omnes humanæ naturæ ætates emetiri voluit, et nec infantiæ cunas, nec pueritiæ cruditatem fastidiit. In quo argumentum, in quo etiam sacramentum erat, quo nobis constaret, easdem in universo genere hominum ætates incommutabilem sapientiam transigere decuisse.

9. Et hactenùs quidem de quadripartitâ hominum tum singulorum, tum universorum ætate, satis copiosè, vereor etiam ne plus satis et forsan tædiosè disseruerimus. Nunc operæ pretium est perpendere nonnihil dissonantem ejusdem Augustini doctrinam, sexcenties alibi iteratam de sex diebus seu ætatibus, quarum sextam demùm adventu suo Christus illuminavit, et hanc quidem mundi senectam. Aperta enim dissonantia est tertiæ atque sextæ ætatis, juventæ atque senectæ. « Finis autem seculorum tanquàm veteris hominis, cùm totum « genus humanum tanquàm unum hominem « constituerit, sextâ ætate signatur quâ Domi« nus venit. Sunt enim ætates sex etiam in uno « homine, infantia, pueritia, adolescentia, ju« ventus, gravitas et senectus. Prima itaque « generis humani ætas est ab Adam usque ad « Noe. Secunda à Noe usque ad Abraham, « qui articuli sunt evidentissimi et notissimi. « Tertia ab Abrahamo usque ad David, sic enim « Matthæus Evangelista partitur. Quarta à Da« vid usque ad transmigrationem in Babylo« niam. Quinta à transmigratione in Babylo« niam usque ad adventum Domini. Sexta ab « adventu Domini usque in finem seculi spe« randa est, quâ exterior homo tanquàm se« nectute corrumpitur, qui etiam vetus dicitur, « et interior renovatur de die in diem. Inde « requies sempiterna est, quæ significatur Sab« bato. Huic rei congruit quòd homo sexto die « factus est ad imaginem et similitudinem Dei. » Sic ille, qui et ad singularum istiusmodi ætatum quasdam proprietates venandas ex sacris litteris pergit ibidem. Sed prolixiùs id ipsum feliciùsque l. 1 de Genesi contra Manichæos : ubi et à sex diebus orbis conditi sex istas ætates ætatumque notas expiscatur. Volupè erit audire hominem ipsas Scripturæ medullas intimasque venas perscrutantem : « Video enim « per totum textum divinarum Scripturarum « sex quasdam ætates operosas, certis quasi « limitibus suis esse distinctas, ut in septimâ « speretur requies : et easdem sex ætates ha« bere similitudinem istorum sex dierum, in « quibus ea facta sunt, quæ Deum fecisse Scri« ptura commemorat. Primordia enim generis « humani in quibus istâ luce frui cœpit, benè « comparantur primo diei quo Deus fecit lu« cem. Hæc ætas tanquàm infantia deputanda « est ipsius universi seculi, quod tanquàm « unum hominem proportione magnitudinis « suæ cogitare debemus. Hæc tenditur ab Adam « usque ad Noe generationibus decem. Quasi « vespera hujus diei fit diluvium, quia et in« fantia nostra tanquàm oblivionis diluvio de« letur. » Hæc de primâ ætate. Jam de secundâ : « Et incipit mane à temporibus Noe « secunda ætas tanquàm pueritia, et tenditur « hæc ætas usque ad Abraham aliis generatio« nibus decem, etc. Hæc ætas non diluvio de« letur, quia et pueritia nostra non oblivione « tergitur de memoriâ. Sed nec ista ætas se-

« cunda generavit populum Dei, quia nec pue-
« ritia apta est ad generandum. » Jam de tertiâ ætate : « Mane ergo fit ab Abraham, et
« succedit ætas tertia similis adolescentiæ. Et
« benè comparatur diei tertio, quo ab aquis
« terra separata est. Ab omnibus enim gentibus
« quarum error instabilis et vanis simulacro-
« rum doctrinis tanquàm ventis omnibus mo-
« bilis, maris nomine benè significatur : ab hâc
« ergo gentium vanitate et hujus seculi fluctibus separatus est populus Dei per Abraham,
« tanquàm terra cùm apparuit arida, id est,
« sitiens imbrem cœlestem, etc. Hæc ætas po-
« tuit jam generare populum Deo, quia et ter-
« tia ætas, id est, adolescentia, filios habere jam
« potest. Et ideò ad Abraham dictum est : *Pa-*
« *trem multarum gentium posui te*, etc. Hujus
« vespera est in populi peccatis, etc., usque
« ad malitiam pessimi regis Saûl. » Jam ad quartam progreditur : « Et inde fit mane re-
« gnum David. Hæc ætas similis juventuti est,
« et reverà inter omnes ætates regnat juven-
« tus, et ipsa est firmamentum et ornamentum
« omnium ætatum : et ideò comparatur quarto
« diei, quo facta sunt sidera in firmamento
« cœli. Quid enim evidentiùs significat splen-
« dorem regni, quàm solis excellentia? etc.
« Hujus quasi vespera est in peccatis regum,
« quibus illa gens meruit captivari atque ser-
« vire, » etc. Hæc de quartâ. Ad quintam confestim pergit : « Et fit mane transmigratio in
« Babyloniam, etc. Quinta ætas, declinatio à
« juventute in senectutem ; nondùm senectus,
« sed jam non juventus. Et benè comparatur
« illi diei quinto, quo facta sunt in aquis ani-
« malia et volatilia cœli, postea quàm illi ho-
« mines inter gentes tanquàm in mari esse
« cœperunt, et habere incertam sedem et in-
« stabilem, tanquàm volantes aves. Sed planè
« erant ibi etiam ceti magni, id est, illi magni
« homines, qui magis dominari fluctibus seculi,
« quàm servire in illâ captivitate potuerunt,
« etc. Hujus quasi vespera est, multiplicatio
« peccatorum in populo Judæorum, quia sic
« excæcati sunt, ut etiam Dominum Jesum
« Christum non possent agnoscere. Mane au-
« tem fit prædicatione Evangelii per Dominum
« nostrum Jesum Christum, » etc. Et tandem ad sextam ætatem pertingit : « Incipit sextus
« dies, in quo senectus veteris hominis appa-
« ret. Hâc enim ætate illud carnale regnum
« vehementer attritum est, quando et templum
« dejectum est, et sacrificia cessaverunt, etc.
« In istâ ætate tanquàm in senectute veteris
« hominis homo novus nascitur, qui jam spiri-
« taliter vivit, etc. Tunc fit homo ad imaginem
« et similitudinem Dei, sicut in istâ sextâ æta-
« te nascitur in carne Dominus noster, etc.
« Senectus verò sicut in nobis nullo statuto an-
« norum tempore definitur, sed post illas quin-
« que ætates quantùm quisque vixerit senectuti
« deputatur : sic et in istâ ætate seculi, non
« apparent generationes, ut etiam sit occultus
« ultimus dies, quem utiliter Dominus latere
« oportere demonstravit. » Et postremò his iisdem ætatum vicibus transigi singulorum vitam concludit, cum consentaneo spiritalium profectuum incremento : « Habet etiam unus-
« quisque nostrûm in bonis operibus et rectâ
« vitâ tanquàm distinctos sex istos dies, » etc. Ex quibus perspicis primis creationis mundi diebus inseminata fuisse posterorum curricula seculorum, iisdemque vestigiis orbem excurrere, quibus à Deo primùm erupit. Si qua autem inter hæc videantur cuiquam subaustero penè ludicra, et nimis ad pueriles lusus inclinata ; meminerit, quæso, lusisse in orbe terrarum sapientiam, et delicias suas in filiis hominum legisse, non tam suæ magnitudini, quàm nostræ infantiæ concinentes. Cæteroqui in totâ mundi fabricâ, et in omni Scripturæ paginâ ad nostram infirmitatem inclinat se Dei sapientia, et puerascit balbutitque nobiscum, et si fari licet, ludos agit satis festivos, quibus nobis blandiatur, et æternitatis arcana molliù instillet. Ludit et deliciatur cum homine humanitùs; nam si divinitùs omnia peragat, terrebit, et obruet, conteretque. Itaque cùm reliqua vita nostra ludus et fabula sit, ne hîc præposteram austeritatem affectemus, sed Deo repuerascere., et imitari stultum Dei, beatiùs et sapientiùs hominibus esse ne dubitemus.

10. Porrò nihil dissonare hanc posteriorem et illam priorem temporum ætatumque partitionem, auctor est satis idoneus Augustinus ipse, qui utramque alibi conciliat : « Et sextâ
« ætate generis humani Filius Dei venit, et
« factus est filius hominis, ut nos reformaret
« ad imaginem Dei. Ea quippe nunc ætas agi-
« tur, sive milleni anni singulis distribuantur
« ætatibus, sive in divinis litteris memorabiles
« atque insignes quasi articulos temporum ve-
« stigemus, ut prima ætas inveniatur ab Adam
« usque ad Noe, inde secunda usque ad Abra-
« ham, etc. Hunc senarium numerum quamdam
« temporis gerere figuram, etiam in illâ ratio-
« ne tripartitæ distributionis agnoscimus, quâ

« unum tempus computamus ante legem alterum sub lege, tertium sub gratiâ, » etc. Inest enim, non obest ternario senarius, cùm ternarii partes explicatæ et connumeratæ senarium perficiant. Insunt et sex ætates istæ tribus illis, si tres istæ in plures subsecentur. Sed dùm id fixum statumque permaneat, quod caput est hujus dogmatis, quamdam in ignorantiâ ante conterendam ætatem, quàm ratio et lex dilucescat : et rursùs quamdam ante in fervore cupiditatum, quàm plenius regnet sapientia ; et quamdam denique priùs in regno sapientiæ, quàm corporis corruptionem devoret incorruptibilitas ; dummodò fixum id maneat, jam integrum erit harum ætatum singulas vel aliquas saltem in plusculas alias partiri. Nec enim omnibus una placuit vulgarium etiam ætatum hominis divisio.

CAPUT III.

Timore priùs sub lege pueritiam quamdam humani generis regendam fuisse, quàm charitate per Christum ejus juventa imbueretur ; nec aliter etiam nunc consuli singulis post Christi adventum.

1. Cognata hæc sunt, nec facilè dissocianda, lex, pædagogus, timor, pueritia. Nec enim pueri nisi timore legum à pædagogis aguntur ad bonum aut à malo refrenantur. Et rursùm non dissimiliter consanguinea sunt, nec unquàm à se divellenda hæc quatuor, lex, magister, charitas, juventa. Nec enim juvenes excoctâ pueritiæ seu adolescentiæ eruditate, ad legis obsequium à magistro, nisi charitate legis ipsius et amore justitiæ inclinandi sunt. Pueri ergo timore, juvenes charitate incitantur aut inhibentur : ita naturâ instituti, ita potiùs naturâ post peccatum adulteratâ pœnaliter comparati sumus. Tam intempestivum est rudem adhuc ætatem et penè silvestrem charitate tentare, quàm adultiorem metu efferare. Humano igitur generi vel infantiam, vel pueritiam adhuc suam decurrenti, importunum fuisset magistrum absolutissimum Christum sapientiæ et charitatis lenociniis circumfluentem ingerere. Id enim ætatis insolens est politioris sapientiæ, absoluti magisterii impatiens, charitatis castæ et spiritalis indocile. Sapientia ergo et charitas Christus illi ætati eò aderat, quòd esse procrastinabat. Erat enim sapientia et charitatis semetipsam suspendere et differre, viam autem sibi per rudimenta quædam puerilis disciplinæ [illegible] præmunire

« Nunc verò quoniam pietas timore inchoatur, « charitate perficitur : populus timore constri- « ctus tempore servitutis in veteri lege, multis « sacramentis onerabatur, » ait Augustinus. Et rursùs idem alibi : « Hæc disciplina de quâ « nunc agimus, quæ animi medicina est, quan- « tùm Scripturis ipsis divinis colligi licet, in « duo distribuuntur, coercitionem et instru- « ctionem. Coercitio timore, instructio verò « amore perficitur, ejus dico cui per disciplì- « nam subvenitur : nam qui subvenit, nihil « horum duorum habet, nisi amare. In his duo- « bus Deus ipse cujus bonitate atque clemen- « tiâ fit omninò ut ali quid simus, duobus Te- « stamentis vetere et novo, disciplinæ nobis « regulam dedit. Quanquàm enim utrumque « in utroque sit, prævalet tamen in vetere ti- « mor, amor in novo, quia ibi servitus, hìc « libertas ab Apostolis prædicatur, etc. Primò « timeat, deinde diligat Deum ; hi mores sunt « optimi, per quos nobis etiam ipsa provenit, « ad quam omni studio rapimur, agnitio veri- « tatis. » Ista ergo ratio medicinæ, non voluntaria, non temeraria, non arbitrio cujusquam demutabilis in aliam, sed necessaria et invariabilis est, naturæ quippe ipsius humanæ genio attemperata. Nisi enim susdeque omnia vertere nisi gradus et ætates intervertere velis, et juventam pueritiæ prævertere, id est, naturam ipsam evertere funditùs, non poteris nisi juventæ amorem inspirare, non poteris nisi timore infrenare pueritiam ; non poteris denique ad charitatem nisi per timorem, perinde ut ad juventam nisi per pueritiam gressum et progressum moliri. Qui tenor cùm in singulis hominibus necessariò servandus sit, nihil concinniùs fieri potuit, quàm ut in toto etiam humano genere teneretur, et emineret in tam conspicuo et perenni monumento cœlestis in nostrâ curatione disciplina.

2. Rursùm idem Augustinus : « *Initium sa- « pientiæ timor Domini. Et timor non est in cha- « ritate, sed perfecta charitas foràs mittit timo- « rem.* Proinde præmissus timor in cor no- « strum, pellit inde consuetudinem malorum « operum et servat charitati locum ; quâ tan- « quàm domino veniente, ut illa insideat, ab- « scedit. *Ergo qui timetis Dominum, laudate « eum,* ut Deum non serviliter, sed liberè co- « latis ; eum amare discite quem timetis ; et « poteritis laudare quod amatis. Timentes enim « Deum homines veteris Testamenti, propter « litteram terrentem et occidentem, nondùm « habentes spiritum vivificantem, currebant

« cum sacrificiis ad templum. » Non discriminat causam publicam et privatam, singulis et universis idem indicit initium, idem incrementum sapientiæ et justitiæ, initium à timore, incrementum ab amore repetendum, nec aliter constare naturarum mutabilium leges. Quia enim non summè et immutabiliter sunt, à summo et incommutabili bono à quo sunt, id mutabilitatis suæ solatium sunt assecutæ, ut ad meliora in dies promoveantur. Hoc mutabilium decus, hic honor, ut proficiant, ut crescant; hoc artificis ingenium, ut à malo bonum eliciat, ut dedecus decore redimat, ut mutabilitatem tota proficiendi gloria compenset. Si ergo crescere, si proficere, si perfici compendio est et ornamento, ne humanæ naturæ, vel in singulis, vel in toto genere invideamus; ut non quæ ætatum annorumque, eadem sint et spiritalium virtutum augmenta. Puerascat et timeat, juvenescat et amet, senescat in canitiem quamdam sapientiæ, et perfectionis ejus apicem cumulet immortalitas. Porrò sisti ei Christus qui veritas, qui plenitudo sapientiæ, qui charitas est, et propinari non debuit, nisi juvenescenti. Nec enim pueri est culmen sapientiæ involare, nec timoris est justitiam ipsam incommutabilem complecti: nec tam injuriosi nos erimus ut ad puerorum greges, vel ad timoris elementa prima summam sapientiam et justitiam ablegemus. Quocirca idem Augustinus : « Vide « quemadmodùm non utcumque ait : *Quis nos « separabit* à Christo; sed ostendens unde cohæreamus Christo : *Quis nos*, inquit, *separabit « à charitate Christi?* Charitate igitur Christo, « non pœnæ timore cohæremus. Deinde com« memoratis eis quæ videntur habere violen« tiam, nec tamen habent valentiam sepa« randi, ita conclusit, ut eamdem diceret cha« ritatem Dei quam dixerat Christi. Et quid « est, à charitate Christi, nisi à charitate jus« titiæ? De illo quippe dictum est : *Qui factus « est nobis sapientia à Deo, et justitia, et san« ctificatio, et redemptio.* » Christo igitur, id est, justitiæ et sapientiæ non inhæretur per timorem, sed per amorem : timor ad illum suspirat, ad illum festinat, sed non pervenit nec contingit, nisi charitate inflammatus et devoratus. Amore inhæretur, non timore. Amoris enim est amplecti, osculari, constringere, inhærere. Ergo illi hominum ætati offerendus erat Christus, quæ amore inflammescere poterat, non quæ non poterat nisi metu rigescere.

3. Quid enim puerilius his carnalis illius populi vocibus ad Moysen : *Loquere tu nobis, et non loquatur ad nos Deus, ne quando moriamur.* In quæ Augustinus : « Multùm et solidè signi« ficatur ad vetus Testamentum timorem po« tiùs pertinere, sicut ad novum dilectionem. « Quanquàm et in vetere novum lateat, et in « novo vetus pateat. » Et hunc eorum terrorem pædagogus mox intendit : *Constantes estote, propterea enim venit Deus ad vos, tentare vos, ut sit timor ejus in vobis, ne peccetis.* In quæ idem Augustinus : « Sic illi cohibendi « fuerant à peccatis, utique timendo, ne pœ« nas sensibiles paterentur, quia nondùm po« terant amare justitiam. » Timere per ætatem poterant, amare justitiam nondùm poterant; igitur à longè ostendenda et promittenda erat justitia Christus, non propinanda, non obtrudenda. Timeri enim possunt et quæ absunt : et penè satius est abesse, quæ timentur. At amanti præsentia largienda statim est. Alioqui si pueris, si timore solo imbutis justitiam oggeras, et de illis et de illâ malè mereris. Illorum enim dedecus ingravescit, qui nec præsentem justitiam amare possunt, et hujus dignitas contaminatur, cùm puerorum ineptias, cùm servilis timoris sordes perferre jubetur. Amantiùs ergo huic hominum ætati medetur Christus, dùm se ei denegat, nec tanta illam adventûs suî amandi utique non timendi invidia onerat. Quod idem Augustinus ex Apostolo confirmat : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterùm in timore, sed accepistis spiritum adoptionis in quo clamamus : Abba, Pater.* « Quia eodem Spiritu Dei, id est, « digito Dei, quo lex in tabulis lapideis con« scripta est, timor incussus est eis qui gra« tiam nondùm intelligebant, ut de suâ infir« mitate atque peccatis per legem convincerentur, et lex illis fieret pædagogus, quo per« ducerentur ad gratiam, quæ est in fide Jesu « Christi. » Quocirca Christum exauctorat Magistri summi et absolutissimi nomine ac munere, et ad viles illum sordidasque pædagogi vices subeundas amandat, qui ad pueros adhuc, nedùm qui ad infantes pueritiæ limina necdùm ingressos remittit. Unde idem Augustinus : « Inchoatio ergo quædam facta est sub « pædagogo, ut magistro perfectio servaretur, « cùm tamen idem Deus et pædagogum par« vulis dederit, legem illam scilicet per famu« lum suum; et magisterium grandioribus, id « est, Evangelium per Unicum suum.

4. Iterùm autem quàm nefas sit Christum

nobis sapientiam et justitiam sempiternam et summam, nisi infantiæ, nisi pueritiæ nugas egressis, nisi jam sapere, jam æterna amare per ætatem valentibus, nisi timore diuturno purgatis et defæcatis à vitiorum colluvione, nisi in plenitudine temporum, in medio annorum vegetam et amatricem juventam exercentibus donari, idem sanctus Pater declarat: « *Quàm multa multitudo dulcedinis tuæ, Domine,* « *quam abscondisti timentibus te, perfecisti sperantibus in te!* Quid est, *Abscondisti timentibus te, perfecisti sperantibus*, nisi quia illis « qui timore pœnarum suarum volunt justitiam constituere quæ in lege est, non est « justitia Dei dulcis, quia nesciunt eam? Non « enim gustaverunt eam. In se enim sperant, « non in ipso: et ideò eis absconditur multitudo dulcedinis Dei, quoniam timent quidem « Deum, sed illo timore servili, qui *non est in* « *charitate*, quia *perfecta charitas foràs mittit* « *timorem.* Ideò sperantibus in eum perficit « dulcedinem suam, inspirando eis charitatem « suam, ut timore casto, non quem charitas foràs « mittit, sed permanente in seculum seculi, « cùm gloriantur, in Domino glorientur. *Justitia Dei* quippe *Christus* est, qui *factus est* « *nobis*, sicut dicit Apostolus, *sapientia à Deo*, « *et justitia*, ut quemadmodùm scriptum est: « *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Hanc Dei « justitiam, quam donat gratia sine meritis, « nesciunt illi qui suam justitiam volunt constituere, et ideò justitiæ Dei, qui Christus « est, non sunt subjecti. In quâ justitiâ est « multa multitudo dulcedinis Dei. » Audin' justitiam Dei, Christum esse, charitatem esse? Audin' hujus dulcedinis multam et incredibilem esse magnitudinem? Audin' ab hâc dulcedine procul esse qui timent, nec amant? Quando ergo nec justitia Christus sine plurimâ dulcedinis irroratione infundi potest, nec dulcedinis hujus à charitate stillantis gustum ullum habere possunt pueri solo adhuc timore constricti, inde patet non potuisse Christum nisi perfuncto suâ ætate, dilapsoque timore, et in ejus vacuum locum succedente charitate incarnari. Sed si Scripturæ, si Augustini verba, si ipsam rationis medullam penitiùs introspicias, etsi timor Christo, id est, charitati viam sterneret, inerat tamen illi quo Christus etsi non auferretur, differretur tamen. Timore enim solo percitus quis, viribus suis multùm fidit, suæque industriæ salutem debere se facilè imaginatur.

5. Id porrò à charitate et suavitate justitiæ, seu à Christo, immane quantùm discrepat. Ea enim primaria est dulcedinis à charitate et justitiâ rorantis vena, ea prima est Christi servatoris irrigatio, quòd se sibi homo surripit, Deo se committit, ab illo salutem et justitiam omnem expectat. Pro temporis ergo opportunitate adhuc timentibus, et ita flagitio abstinentibus præerat quidem et affulgebat Christus justitia nobis à Deo factus: sed sui fiduciâ adhuc ineptientibus, fontem supernæ justitiæ necdùm sitientibus, procul erat, et nonnisi à longè imminebat. Unde rursùm idem sanctus Pater: « Quamvis multi quod imperat lex, facere videantur, timore pœnæ, non amore « justitiæ, quam dicit Apostolus: *Justitiam* « *suam quæ ex lege est, tanquàm sit imperata,* « *non data. Si autem data est, non dicitur justitia nostra, sed Dei, quia sic fit nobis, ut sit* « *nobis à Deo.* Dicit enim: *Ut inveniar in illo,* « *non habens justitiam meam, quæ ex lege est,* « *sed eam, quæ ex fide est Jesu, justitiam ex* « *Deo*, etc. Quia ex lege justitia dicitur, quæ « fit propter legis mandatum; justitia ex Deo « dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium, ut « non sit terribile, sed suave mandatum, sicut « oratur in Psalmo: *Suavis es, Domine, et in* « *tuâ suavitate doce me justitiam tuam*, id est, « ut non formidine pœnæ serviliter cogar esse « sub lege, sed liberâ charitate delecter esse « cum lege. Præceptum quippe liber facit, « qui libens facit. » Ubi advertis primò suavitatem justitiæ à timentibus longè exulare. Timori enim insuavis potiùs et amara adhærescit mœstitia. Cœlestem ergo justitiam et sapientiam Christum ineffabili suavitate diffluentem non capiebat timor et timori dedicata ætas.

6. Advertis secundò timori servitutem cohærere: serviliter enim fit quod pœnæ formidine fit. Timor servorum stimulus est, charitas filiorum. At plenitudo justitiæ et veritatis Christus abhorret mirum quantum à servitute. Veritas enim liberatrix et ipsa libertas est. *Et veritas liberabit vos.* Veritas Filius est, Filii autem est à servitute absolvere. Quanquàm ergo timor antecursor quidam sit ad justitiam, quanquàm servitus initiatio quædam sit ad filiorum libertatem; quamdiù tamen et timor et servitus constat, libertas et filiatio, veritas et justitia Christus ostendi et promitti potest, exhiberi non potest. Advertis tertiò inesse timori (imò non timori, sed timenti, et timenti tantùm, non amanti, sed nos pinguiùs hic loquimur) tumorem quemdam

et fiduciam sui, quâ efficitur, ut justitia illa qualiscumque ex timore mero efflorescens, hominis potiùs quàm Dei esse in homine videatur, utpote quam pœnæ formido exprimat, non quam Dei supernè charitas imprimat. Sola quippe charitas hominem seipso exuit, et Deo subjicit. Timor ergo moras objicit Christo, et ejus adventum retardat, tantùm abest ut acceleret. Est enim Christus à Deo, non à nobis, factus nobis justitia et sanctificatio et redemptio. Christum ergo seu sapientiam et justitiam cœlitùs indultam, et singulari gratiæ largitate divinitùs donatam, retardat magis quàm prolectat timor, suæ sibi justitiæ opifex et admirator.

7. Cùm esset autem in timore quo Christus retardaretur, erat et quo approperaretur. Stat enim illud inconcussum veritatis oraculum : *Initium sapientiæ timor Domini.* Initium, non perfectio, non cumulus. Initio autem inest, quò perfectio et differatur, et acceleretur. Nam initia perfectio subsequi debet, non comitari. Si subsequitur autem, intelligitur et aliquantulùm differri et nihilò seciùs approperari. Porrò insociabilis est cum initio progressus, cum rudimentis perfectio : insociabilis, inquam, ut præsens adstet, non ut subsequens instet. Augustinus : « Ipsi sunt tanquàm in « compedibus, et tanquàm in vinculis ferreis. « Unde hoc ? Ne progrederentur ad illicita, « compedes acceperunt, compedes sapientiæ, « compedes verbi Dei. Quare ergo vincula ferrea et non aurea ? Ferrea sunt, quamdiù timent : ament, et aurea erunt. Audistis modò « Apostolum Joannem : *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foràs mittit timorem,* « quia timor tormentum habet, hoc est, vinculum ferreum. Et tamen nisi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad « amorem : *Initium sapientiæ timor Domini.* Incipit ergo à vinculis ferreis, finitur ad torquem aureum. Dictum est enim de sapientiâ : « *Et torquem aureum circa tuam cervicem.* Non « tibi imponeret *torquem aureum*, nisi primùm « in compedibus ferreis te alligâsset. Sed cœpisti à timore, consummaris à sapientiâ. « Quàm multi sunt, qui propterea nolunt malefacere, quia gehennas timent, quia cruciatus timent, et nondùm amant justitiam ! » Ut sapientiam, ut justitiam, ita Christum timor, et in genere humano universim, et in singulis speciatim, necessariò subsequentem præcedit, non præsentem sistit.

8. Atque ut perspicua fiat hæc tota ratiocinatio, ita paucis illam fas est complecti. Tunc singulis innascitur et informatur in animæ quodam utero penitissimo Christus, cùm post servilis timoris perutilia elementa, jam amare sapientiam et justitiam incipiunt, et amando possidere. Nec enim aliter fruimur justitiâ, quàm amando ; et amor ipse fruitio est. Tunc ergo inesse atque inhospitari incipit in singulis nobis justitia, et ipse Christus, qui veritas et justitia est, qui factus est nobis à Deo justitia, et sanctificatio, cùm exhausto timoris tirocinio charitas inardescit. Timor enim ad justitiam prælusio est, ad sapientiam initiatio quædam est, ad charitatem præsultor est, ad Christum præcursor est, non ipsa autem justitiæ forma, non sapientiæ copia, non charitatis, non Christi præsentia. Cùm ergo universitas hominum, tanquàm homo unus aliquis, dispensanda sit, tunc illi offerendus fuit Christus, cùm post puerilia timoris rudimenta et ea quidem diuturna, quia hominis tot secula decursuri non poterat non prolixior esse quælibet ætas, ad sapientiæ et charitatis perfectionem ematuruit. Quod enim singulis est forma ipsa justitiæ, et inhabitatio Christi, quâ cumulatè justificantur, cùm vitiorum flammis timore salubri refrigeratis, cœlesti jam igne incalescunt ; id ipsum universo generi hominum fuit Verbi incarnatio, cùm naturæ humanæ per legem seu pædagogum, per timorem, per servitutis vincula diù cohibitæ et purgatæ, infusa tandem est, et substantivè inserta incommutabilis justitia Deus Verbum. Quod verò reclamare posset aliquis, timore quidem sterni iter et complanari ad sapientiam et justitiam, nempe intelligibilem, internamque, non autem ad eamdem corporatam, incarnatamque, ac proinde nec ad Christum ; esse enim consentaneum ut qui timuit legem, atque ita à vitiis desuevit, et amorem turpem excussit, sensim ad amorem castum et intelligibilem inardescat, at carnis Christi ne umbram quidem hîc apparere ullam, si quis eo moveatur scrupulo, is non satis advertit animum ad ea quæ superiùs non semel hâc de re commentati sumus. Homini videlicet in corporalia lapso per peccatum jam nec sapientiam, nec justitiam occursare, nisi corporalibus sacramentis quasi obnubilatam. Sol enim justitiæ intelligibilis quo priùs puri purè fruebamur, sordidas ac lippientes nunc occultorum oculorum nostrorum acies fatigat et avertit, nisi quâdam sensibilium velorum ceu nubium opacitate temperetur. Et hæc prima-

ria est humilitatis, quâ ad justitiam, quâ ad Christum accedimus, inchoatio. Unde enim excidimus, eò redire nos posse, nisi se nobis temperet et largiatur sapientia, salubriter desperamus, et eò impensiùs speramus. Alioqui timor ipse subarrogans esse videtur, et de suis viribus ineptè ferox, nisi adventantis Christi et humilitatem præseminantis gratiâ mansuescat.

9. Sociari autem non posse perfectionem justitiæ cum timore servili, quo pueri quamdiù pueri sunt, id est, quamdiù à servis nihil differunt, imbuuntur, atque adeò nec priùs Christum incarnari, nec plenæ justificationis formam cuiquam obtingere potuisse, quàm timor et timori consecrata ætas expungeretur, Augustini sententia est constantissima et manifestissima. Ex silvâ densissimâ contextuum, carpam paucissimos quibus id elucescat. « Timor legem non implebat, amor « implevit. Timuerunt homines et non impleverunt, amaverunt et impleverunt. Timebant homines et rapiebant res alienas; amaverunt et donaverunt suas. » Et alibi: « *Scimus enim*, inquit, *quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum.* In quo satis ostendit non posse impleri legem, nisi à spiritualibus, qui non fiunt nisi per gratiam. Spirituali enim legi quando fit quisque similior, id est, quantò magis et ipse in spiritalem surgit affectum, tantò eam magis implet. Quantò magis eâ delectatur, jam non sub ejus onere afflictus, sed in ejus lumine vegetatus, » etc. Et id ipsum pulchrè argumentatur allegoricâ Scripturæ interpretatione : « Magna oritur quæstio, quomodò illæ « tabulæ, quas erat Moyses Deo utique præsciente fracturus, non hominis opus esse « dicantur, sed Dei : nec ab homine scriptæ, « sed scriptæ digito Dei. Posteriores verò tabulæ tamdiù mansuræ ac in tabernaculo et « templo Dei futuræ, jubente quidem Deo, « tam ab homine excisæ sunt, quàm ab homine scriptæ. An fortè in illis prioribus « gratia Dei significabatur, etc. An fortè ideò « magis in illis prioribus vetus significatum « est Testamentum, quia Deus ibi præcepit, « sed homo non fecit? Lex enim posita est in « veteri Testamento, quæ convinceret transgressores, quæ *subintravit, ut abundaret delictum.* Non enim implebatur timore, quæ « non impletur nisi charitate. Et ideò dicitur « opus Dei, quia Deus legem constituit, Deus « conscripsit, nullum opus hominis, quia « homo Deo non obtemperavit et eum potiùs « reum lex fecit. In secundis autem tabulis « homo per adjutorium Dei tabulas fecit, at- « que conscripsit, quia novi Testamenti cha- « ritas legem fecit. Unde dicit Dominus : *Non « veni legem solvere, sed adimplere.* Dicit au- « tem Apostolus : *Plenitudo legis charitas.* Et : « *Fides quæ per dilectionem operatur.* » Et rursùm alibi : « Ita hanc differentiam duo Te- « stamenta significata esse diximus, ut in ve- « teri Testamento lex commendaretur tanquàm « opus Dei, ubi homo nihil fecerit, eò quòd « lex timore non posset impleri : quoniam « cùm verè fit opus legis, charitate fit, non « timore, quæ charitas gratia est Testamenti « novi. Ideò in secundis tabulis homo legitur « scripsisse verba Dei, quia homo potest fa- « cere opus legis per charitatem justitiæ, quod « non potest per timorem pœnæ. » Hoc genus alia quàm densa apud Augustinum, et singulis ferè paginis obvia sint, neminem fallit, qui ejus libros pervolutârit.

10. Sed ne subrepat error, duplex præceptorum genus dispescendus est, quorum alteri obeundo paratior est timor. Idem Augustinus : « Non sicut Judæi qui timore ista implere « cogebantur, non illo casto permanente in « seculum seculi, sed quia timebant præsenti « vitæ suæ : et ideò quædam opera legis im- « plebant quæ in sacramentis sunt; illa verò « quæ ad bonos mores pertinent, omninò « non poterant, non enim implet ea nisi cha- « ritas. Quia et hominem si propterea non « occidit aliquis, ne et ipse occidatur, non « implet præceptum justitiæ, sed si ideò non « occidat, quia injustum est, etiamsi id pos- « sit facere impunè, non solùm apud homines, « sed etiam apud Deum. » Magnum sanè momentum hæc sancti doctoris verba afferunt, ad hujus rei elucidationem. Præcepta quippe meris cæremoniis, judiciis, sacramentisque externis illigata implebat timor, quia hæ justificationes erant carnis; nec in his legis æternæ et justitiæ incorruptibilis pulchritudo efflictim et toto corde amanda collucebat : at præcepta ad bonos mores attinentia, legisque æternæ dictata, non implebat timor etiam tum cùm implere videbatur, quia non implentur, hoc est, non perfectè implentur, nisi cùm justitia ipsa adamatur. Quanquam illa etiam præcepta in sacramentis posita, si intelligi à pueris potuissent, ad bonos mores et ad justitiæ spiritalis inviolabilem pulchritudinem referri comperirentur. Pergit ille

ibidem : « *Sed per charitatem*, inquit, *servite* « *invicem.* Qui enim per charitatem servit, « liberè servit, et sine miserià, obtemperans « Deo, cum amore faciendo quod docetur, « non cum timore quod cogitur. *Omnis enim* « *lex*, inquit, *in uno sermone impleta est, in eo* « *quòd diliges proximum tuum tanquàm teipsum.* « Omnem ergo legem nunc dicit ex his operi- « bus quæ ad bonos mores pertinent. Quia et « illæ quæ sunt in sacramentis, cùm benè « à liberis intelliguntur, nec carnaliter obser- « vantur à servis, ad illa duo præcepta refe- « rantur necesse est, dilectionis Dei et pro- « ximi. Rectè itaque accipitur ad hoc pertinere « quod etiam Dominus ait : *Non veni legem* « *solvere, sed adimplere;* quia erat ablaturus « timorem carnalem, spiritualem autem cha- « ritatem daturus, quâ solâ lex impleri potest. « Plenitudo enim legis charitas, ut quando fi- « des impetrat Spiritum sanctum, per quem « charitas Dei diffusa est in cordibus operan- « tium justitiam, nullo modo quisquam ante « gratiam fidei de bonis operibus glorietur. « Quapropter istos jactantes se de operibus « legis, ita refellit Apostolus, dùm ostendit « opera vetusta sacramentorum umbras futu- « rorum fuisse, quas jam adventu Domini, « libero hæredi necessarias non esse monstra- « vit. Opera verò ad bonos mores pertinentia « non impleri, nisi dilectione per quam fides « operatur. » Ubi vides quàm inculcatè con- tendat legem non impleri nisi charitate, quan- tùm ad ea attinet præcepta, quæ morum san- ctitati prospiciunt. Impleri enim Augustino idem est ac plenissimè et perfectè impleri. In eâ enim voce sonat plenitudo, nempe justitiæ et charitatis, quæ Paulo dicitur plenitudo le- gis. Quinimò illa etiam quæ in cæremoniis et figuris jacent, in suî medullâ charitatem seu Dei, seu proximi cùm gestarent et insi- nuarent intelligentibus, ideò plenè et perfectè non implebantur à timentibus. Quæ cùm ita sint, nemini obscurum jam est, illi ætati seu singulorum seu universorum, quam ad- huc rudem timor merus occupat, inseri non posse justitiæ perfectionem, inspirari non- dùm posse charitatem, incorporari non posse Christum.

11. Quid causæ autem sit, quamobrem ve- rissimæ perfectæque justitiæ et timori servili non conveniat, ex ipsâ timoris naturâ edocuit nos idem sanctus doctor. « Quia et quicum- « que faciebant, quod lex jubebat, non adju- « vante Spiritu gratiæ, timore pœnæ facie- « bant, non amore justitiæ : ac per hoc coram « Deo, non erat in voluntate, quod coram « hominibus apparebat in opere : potiùsque « ex illo rei tenebantur, quòd eos noverat « Deus malle, si fieri posset, impunè commit- « tere. » Et alibi venas hujus rationis altiùs rimans, atque apertiùs expromens : « Inani- « ter autem putat victorem se esse peccati, « qui pœnæ timore non peccat. Quia etsi non « impletur foris negotium malæ cupiditatis, « ipsa tamen mala cupiditas intùs est hostis. « Et quis coram Deo innocens invenitur, qui « vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod « timetur? Ac per hoc in ipsâ voluntate reus « est, qui vult facere quod non licet fieri, sed « ideò non facit, quia impunè non potest « fieri. Nam quantùm in ipso est, mallet non « esse justitiam peccata prohibentem, atque « punientem. Et utique si mallet non esse « justitiam, quis dubitaverit, quòd eam si « posset, auferret? Ac per hoc quomodò ju- « stus est, justitiæ talis inimicus, ut eam si « potestas detur, præcipientem auferat, ne « comminantem vel judicantem ferat? Inimi- « cus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non « peccat : inimicus autem erit, si ejus amore « non peccat. Tunc enim verè timebit peccare. « Nam qui gehennas metuit, non peccare « metuit, sed ardere. Ille autem peccare me- « tuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas « odit. Ipse est *timor Domini castus, perma-* « *nens in seculum seculi.* Nam ille timor pœnæ « tormentum habet, et non est in charitate, « eumque perfecta charitas foràs mittit. Tan- « tùm porrò quisque peccatum odit, quantùm « justitiam diligit, quod non poterit lege ter- « rente per litteram, sed spiritu sanante per « gratiam. » Quò uno ex loco elicere potes quanto timor ille initialis pœnarum à chari- tate discrepet intervallo et à justitiâ absolutâ. Timore arcetur malum, non mali cupiditas. Timore manus cohibetur ab opere, non cor, non animus ab amore flagitii. Timore non amatur justitia, sed injustitiæ impunitas. Ti- more non peccare timet quis, sed ardere. Timore antehabetur impunitas peccandi pul- chritudini justitiæ. Timore plus metuitur pœna quàm injustitia. Timore denique occul- tatur, non extinguitur furtivum justitiæ quasi odium, quo si cui potestas detur, « præ- « cipientem justitiam auferat, ne comminan- « tem vel judicantem ferat. » Quæ tota animi sub timore adhuc jacentis præparatio, nemo non videt quàm immaniter dissideat à chari-

tatis et justitiæ veritate. Hæc quippe vitia timentis sunt, non timoris. Timoris enim est, quòd malæ cupiditates comprimuntur, quòd ipsâ cessatione operis et desuetudine abolescunt paulatim, et charitati via panditur. At timentis vitium est, quòd cùm necdùm per charitatem amet justitiam, justitiæ clandestinus est inimicus; quòd ardere magis metuit, quàm peccare; quòd opera justitiæ cùm facit, subinvius facit, quia non amat justitiam; denique cùm solo timore pœnæ serviat justitiæ, interpretando penè dici potest, quòd animus ita affectus mallet non esse justitiam. Hæc vitia sunt non timoris, sed timentis. Hinc autem ostenditur, quantùm abhorreret ab adventu Christi illa ætas, cujus teneritudini et infirmitati solus timor erat consentaneus. Nam quæ humani generis ætas, timoris adhuc puerilibus tirociniis atterenda erat, quæ justitiæ veræ adhuc immatura erat, quæ clanculùm adversaria erat justitiæ, quæ intùs in ipsis affectuum radicibus maluisset non esse justitiam, quæ auferendæ justitiæ clandestinâ cupiditate non carebat, illi utique ætati committendus non erat Christus, justitiæ et charitatis plenitudinem secum advehens. Rursùs Conc. II in Psal. 118 : « Qui « timore pœnæ, non amore justitiæ, opus legis facit, profectò invitus facit. Quod autem « invitus facit, si posset fieri, mallet utique « non juberi, ac per hoc legis, quàm vellet « non esse, non est amicus, sed potiùs inimicus, » etc. Parco pluribus.

12. Quod autem hinc perperàm suspicari posses, inutilem ergò aut etiam exitialem esse timorem merum, hæc quoque hallucinatio existimanda est. Est enim timor iste bonus, utilis, pueritiæ spiritali necessarius, ad charitatem, ad sapientiam et justitiam necessariò præstruendus. Unde Augustinus : « Modò « cùm dicis mihi, gehennam timeo, ardorem « timeo, in æternum puniri timeo, quid di- « cturus sum? Vanè times, malè times? Non « audeo, quando quidem ipse Dominus, ablato « timore, subjecit timorem, ubi dixit : *Nolite « timere eos qui occidunt corpus*, etc.; *sed eum « timete qui habet potestatem et corpus et ani- « mam occidere in gehennam ignis; ita dico vo- « bis, hunc timete.* Cùm ergo Dominus timorem incusserit, et vehementer incusserit, « et repetendo verbum, comminationem ge- « minaverit, dicturus ego sum, malè times? « Ita non dicam. Planè time, nihil meliùs ti- « mes, nihil est quod magis timere debeas. » Et alibi : « Non timet ne perdat amplexus « pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur « in gehennam, bonus est et iste timor, utilis « est. » Et alibi : « Si ergo salubriter non so- « lùm bonitatem, verùm etiam severitatem « Dei sancta Scriptura commendat, quoniam « et amatur Deus utiliter, et timetur, » etc. Ubi bonum utilemque timorem gehennæ non pronuntiat tantùm disertè, sed invictè probat, quòd passim sacræ litteræ ut illecebras bonitatis ad proliciendum amorem, ita severitatis flagella ostentent ad timorem inculciendum : quòd Christus timorem gehennæ iterùm iterùmque inculcaverit : quòd cùm timere natura sit hominis, ut et amare, lætari, tristari, etc., non incassùm, sed boni alicujus consequendi causâ impetus isti sint naturaliter insiti. Cùm ergo mala timenda sint, « nihil meliùs times, nihil est quod magis timere debeas, » quàm corporis et animæ gehennam. Illa ergo vulnera quæ superiùs nudata sunt in animo timentis, non à timore inflicta, non timori ipsi impressa sunt, sed ex antiquâ et inolitâ ægritudine residua sunt in animo hominis, et à timore sanari usquequaque non potuêre. Inest enim naturaliter ex originali contagio, fervet etiam vehementiùs ex consuetudinis æstu cupiditas mali, odium justitiæ. Huic morbo timor gehennæ medicas manus admovet, et quanquàm ei penitùs profligando non sit par, medetur tamen ex parte, et saluberrima aspergit fomenta. Cùm enim ab opere saltem peccati refrenat manus, desuetudinem tandem peccandi creat, flammamque voluptatis illicitæ sedat; ut quantò proclivius posthac est, abstinere à delectationibus carnis, tantò pronior et paratior sit animus ad cœlestes delicias degustandas et amandas. Morbi igitur æstum quemdam fervidiorem sanat timor, reliquias charitati supervenienti sanandas præparat. Unde Augustinus : « Nisi timore incipiat homo Deum co- « lere, non perveniet ad amorem. *Initium « sapientiæ timor Domini.* » Et alibi : « Si nul- « lus timor, non est quà intret charitas. Sicut « videmus per setam introduci linum, quando « aliquid suitur. Seta priùs intrat, sed nisi « exeat, non succedit linum. Sic timor primò « occupat mentem; non autem ibi remanet ti- « mor, quia ideò intravit, ut introduceret « charitatem. » Et ibidem : « Ergo incipiat ti- « mor, quia *initium sapientiæ timor Domini.* « Timor quasi locum præparat charitati : cùm « autem cœperit charitas habitare, pellitur ti-

« mor, qui ei præparavit locum. Quantùm « enim illa crescit, ille decrescit, et quantum « illa fit interior, timor pellitur foràs. » Et alibi : « Præmissus timor in cor nostrum pel- « lit inde consuetudinem malorum operum, et « servat charitati locum, quâ tanquàm dominâ « veniente, ut illa insideat, abscedit. » Et rursùm : « Habent timorem, et per timorem « continent se à peccato. Fit consuetudo ju- « stitiæ, et incipit quod durum erat, amari, « et dulcescit Deus, et jam incipit homo justè « vivere, propterea non quia timet pœnas, « sed quia amat æternitatem. » Vides quanta timoris utilitas, quanta necessitas medicinæ, quæ per illum inchoatur. Invehit enim timor desuetudinem malorum operum, et oblivionem paulatim conciliat pestiferæ voluptatis, atque ita animus amore et voluptate carere nescius, ad amorem et voluptatem cœlestium proclivior efficitur. In naturâ rationali seu privatim, seu universim curandâ, hic necessariò gradus, hic modus tenendus est; ita corporum, ita animorum morbi, ita vitia curantur, ita virtutes ingenerantur. Christo ergo tanquàm dominæ sapientiæ et charitati parandus erat locus per timorem, non ipse cum timore pariter et tumultuariè præcipitandus erat. Finis enim legis Christus, cumulus sapientiæ Christus, non initium; plenitudo charitatis Christus, non rudimentum. Aderat tamen etiam sub lege Christus, cùm sibi locum parabat : aderat, cùm per antecursorem suum timorem præstruebat sibi aditum : aderat cùm rudem pueritiam accommodato tali ætati timore regebat, et ad juventam sui patientem roborabat.

13. Et hîc obiter illud advertendum, de donis et gratiis Christi hunc quoque timorem servilem et charitati prævium censendum esse. Audi Augustinum eumdem : « Adulter non « fuisti in illâ vitâ tuâ præteritâ plenâ ignoran- « tiæ, nondùm illuminatus, nondùm bonum « malumque discernens, nondùm credens in « illum qui te nescientem regebat, hoc tibi di- « cit Deus tuus : Regebam te mihi, servabam « te mihi. Ut adulterium non committeres, « suasor defuit : locus et tempus defuit, et « ut hæc deessent, ego feci. Affuit suasor, « non defuit locus, non defuit tempus; ut non « consentires, ego terrui. Agnosce ergo gra- « tiam ejus, cui debes et quod non commi- « sisti. » Audis gratiam hanc quoque Dei esse cùm abest mali perpetrandi occasio, vel cùm non abest occasio, sed adest et timor qui as- sensum cohibeat. Audis cùm deterremur utcumque à malo, à Deo nos terreri. Audis generatim Dei gratiæ deberi et quidquid non peccatur. Quæ autem gratia, nisi Christi gratia, ejusque sanguine comparata? Quo Deus sibi nos regit, sibi servat, nisi Christi præsidio? Ad hæc indubitatum est Pauli Apostoli testimonium : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterùm in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*, etc. Ubi timor à Spiritu sancto inspirari et quidem ab eodem à quo et charitas profluit, insinuatur. Ut quid enim illud *iterum*, nisi ut idem Spiritus iterùm effusus declaretur, sed in amore jam, qui priùs in timore. Unde idem Augustinus : « Proinde non arbitror alium quàm eumdem « significari, ubi dicit Apostolus : *Non enim « accepistis spiritum servitutis iterùm in timore, « seduccepistis spiritum adoptionis in quo clama- « mus : Abba, Pater*. Quia eodem Spiritu Dei, « id est, digito Dei, quo lex in tabulis lapideis « conscripta est, timor incussus est eis qui « gratiam nondùm intelligebant, ut de suâ in- « firmitate atque peccatis per legem convince- « rentur, et lex illis fieret pœdagogus, à quo « perducerentur ad gratiam, *quæ est in fide « Jesu Christi*. » Et rursùs idem alibi : « Dicet « aliquis : Alius est spiritus servitutis, alius « spiritus libertatis. Si alius esset, non diceret « Apostolus, *iterùm*. Idem ergo spiritus, sed in « tabulis lapideis in timore; in tabulis cordis, « in dilectione. » Et quid apertius illo Isaiæ loco, ubi memoratur *Spiritus sapientiæ et intellectûs, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et spiritus timoris Domini?* Quòd nimirùm, ut Paulus ait, unus Spiritus sit, qui operetur hæc omnia, et distribuat singulis prout vult. Præterea initium sapientiæ et justitiæ à timore repetendum est; at præter Christi gratiam ecquod non augmentum tantùm, sed vel initium cuiquam salutis? Augustinus idem : « Rarissimè accidit, imò « verò nunquàm, ut quisquam veniat, volens « fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei ti- « more percussus. » Et alibi : « Nisi timore « incipiat homo Deum colere, non perveniet ad « amorem. » Et rursùm : « Si nullus timor, « non est quà intret charitas, etc. Timor ideò « intravit, ut introduceret charitatem, etc. « Timor locum præparat charitati, » etc. Quis porrò ad nomen Christo dandum incitatur, nisi qui audit à Patre, nisi Pater traxerit eum, nisi Christus ipse eum trahat qui exaltatus à terrâ, omnia traxit ad seipsum? Si ergo ti-

more primùm trahitur, à Christo timor iste et à Patre cœlitùs inseritur. Item si timore incipit homo Deum colere, hoc divini cultûs exordium, Deo utique ipsi accepto ferendum est. Denique locum timor præparat charitati; at Christus via ad semetipsum ipse est, nec enim vita tantùm est, sed et via ad vitam : ut ad illum, nisi per illum non veniatur. Adde quòd timor ab Augustino Scripturas interpretante, prædicatur subinde, bonus, utilis, saluberrimus. At omne bonum, desursùm est descendens à Patre luminum : omne bonum ab incommutabili bono; sed omne bonum ad sempiternam salutem utcumque conducibile, à Christi nobis sanguine scaturit, quia non est aliud nomen sub cœlo in quo oporteat nos salvos fieri. Severitate Dei corda mortalium saluberrimo timore quatiuntur. An verò non salubre tantùm, sed et saluberrimum aliquid est, quod ex aliis quàm ex Salvatoris fontibus in nos dimanet? Ita quod nefas, Servatoris nomen Christo sin minùs abrogaretur, certè magnâ ex parte detereretur. Ad hæc non tantùm timore ad Christum adducitur, quisquis ab ejus fide alienus et profanus adhuc extitit, sed et fideles ab anteactæ vitæ contaminationibus resipiscentes, non alio ferè quàm timoris vinculo ferreo ad illum primò pertrahuntur. Si ergo viribus liberi arbitrii, si amori suî insano, si ut summum generali cuidam providentiæ Dei imputatur iste timor, nec à Christi sanguine hauritur, salutis nostræ procuratæ gloriâ non mediocri Christus fraudatur. Augustinus nec ipsum Paulum Apostolum nisi timore domitum autumat, ad charitatem profecisse : « Quem ma« jor timor compulit ad charitatem, ejus *per« fecta charitas foràs misit timorem.* » Et alibi universim ad Fideles : « Noli timere pœnam, « sed ama justitiam. Nondùm potes amare ju« stitiam, time vel pœnam, ut pervenias ad « amandam justitiam. » Et idem alibi : « Fac, « fac, vel timore pœnæ, si nondùm potes « amore justitiæ. » Hæc salutis exordia de suo non habet homo qui de suo non habet nisi peccatum; qui sibi non est, nisi dux in præceps.

14. Quibus ergo legem, quibus timorem, quibus pædagogum Christus, quibus salutis initia, et ad charitatem perfectamque justitiam necessarias præparationes largiebatur, illis utique non se negabat, illos jam suo irrorabat sanguine, illis gratiam suam prærogabat, non tam largè quàm nunc, sed pro modulo illius ætatis hominum, et infantiæ spirituali sufficientem. Erat quippe ipsa lex, erat timor lege incussus; erat spiritus timoris Domini, erat timor bonus, utilis, saluberrimus; erat timor non forinsecùs tantùm intentatus, sed intùs incussus, et inspiratus; ideòque spiritus Domini et spiritus timoris dictus; erat hic, inquam, timor auxilium idoneum et huic generis humani ætati religiosè degendæ planè sufficiens. Non ea erat Christi gratia palmaris et præcellentissima, non sapientiæ et justitiæ copia exuberans, quâ ipsa Christi incarnatio et adventus scatere largissimè atque juventam quamdam Ecclesiæ inundare debebat : sed pueritiæ ad juventam properanti, nondùm pertingenti, ad ubertatem sapientiæ et justitiæ progredienti, nondùm progressæ, opportuna erant et omninò sufficientia illa timoris auxilia. Et qui id inficiatus fuerit, perinde erret, ac si eos qui nunc timore divino perculsi à peccatis abstinent, et perfectiori se gratiæ justitiæque percipiendæ purgant, neget hoc quidquid est virium, à Christi meritis mendicare. Nempe non ea tantùm Christi gratia est, quæ plenissima et largissima fluit; sed ut ad hanc perveniatur, obscuri quidam et exiliores rivuli, vel etiam stillulæ et rores corrivandi sunt. Paulo certè Apostolo cùm timorem Christus ipse præsens incutiebat, et ita in cor ejus charitati suæ iter aperiebat, non cumulum tantùm, sed et primordium hujus beneficii de sanguine sui lateris profundebat.

15. Quòd autem in Pauli verba jurare addictus Augustinus, justitiam quæ ex lege ac timore pœnæ est, non Dei, sed nostram creberrimè vocitet justitiam, nihil quidem officit, quominùs timor divinæ gratiæ sit assignandus. Ita enim et Apostolus et Augustinus non tam ex suâ, quàm ex superbientium adhuc Judæorum sententiâ loquebantur. Judæi enim justitiam suam quæ ex lege est, volentes constituere, justitiæ Dei non erant subjecti. Suam ergo illi justitiam volebant constituere : hæc eorum erat sententia, superbiæ et mendacii palàm rea. Nam et hæc qualiscumque prælibatio justitiæ, hæc abstinentia à malo, hæc malorum operum magis quàm desideriorum desuetudo, divino et ipsa adjutorio accepta erat referenda. « Quamvis multi quod imperat lex facere vi« deantur, timore pœnæ, non amore justitiæ, « quam dicit Apostolus justitiam suam *quæ ex « lege est, tanquàm sit imperata, non data.* Si au-

« tem data est, non dicitur justitia nostra, sed « Dei, quia sic fit nostra, ut sit nobis ex Deo. » Non ait non datam, sed tanquàm imperatam, non datam; nempe ex eorum sensu qui sibi videntur suis viribus facere quod lex imperat. Unde rursùm Augustinus : « Lege Dei propo- « sitâ, quisquis tumuerit et suis viribus eam « implere se posse putaverit, et fecerit quod « lex jubet, non amando justitiam, sed ti- « mendo pœnam, fuit quidem secundùm jus- « titiam quæ ex lege est, homo sine querelâ, « etc. » Vides ut sensum exprimat ferocientis Judæi qui suis viribus legem implere se posse fidit. Amant enim homines Dei dona, tanquàm sua et à se sibi procreata venditare.

16. Iterùm potest justitia ex lege et timore profecta, hominis magis quàm Dei dici, quòd per eam sibi magis homo consulat, suî amore implicatus adhuc hæreat, in Dei causâ et amore adhuc hebescat. Itaque hominis est, quia ad Deum nequedùm perfectè arrecta est. Sed id ipsum tamen Dei donum et Christi gratiæ munus est, quod homo foris sparsus, semet in se primùm colligit, et ita gradatim à se in Deum poterit tandem aliquando eluctari. Nec enim se Deo reddet homo, nisi se priùs in semet ab externis in quæ peregrinatur avocamentis recipiat. « *Non furatur, non adulte-* « *rat, non dicit falsum testimonium, non facit* « *homicidium, non concupiscit rem proximi sui.* « Potest hoc, potest fortassis. Unde ? Timore « pœnæ. Quanquàm qui timore pœnæ non « concupiscit, puto quia concupiscit, etc. Si « talis es, adhuc justitia tua est : quâ justitiâ « tibi consulis, ne torquearis. Quid magnum « est, pœnam timere ? Quis enim non timet ? « Quis latro, quis sceleratus,' quis nefarius ? » Attende quâ de causâ hominis justitiam dicat, quæ timore constat, nempe quia homo sibi consulit, ne torqueatur.

17. Iterùm potest justitia hominis magis quàm Dei dici, ea quæ uno timore servili conciliatur, quòd tenuis adeò et obscura sit, præ eâ cujus specialiter largitor est Christus, cùm charitatem inspirat, ut homini magis quàm Deo sit adscribenda. Ita enim puerorum conatus imbelles etsi nonnullo juvamine aliunde fulciantur, ipsorum tamen infirmitati non ægrè tribuuntur, nec magnoperè de iis sibi vindicandis laborat magister, qui illos sibi præparat. Sed omninò ita necessarium erat eos adoriri et elidere, qui legis justitiæ et timoris disciplinæ ita acquiescebant, ut Christi fidem, ut justitiæ perfectioris spem, ut charitatis divinæ ubertatem refellerent et suggillarent. Hujusmodi enim erant ad quos Paulus, ad quos Augustinus pertonabat, legisque imbecillitatem, et non timoris quidem, sed conjuncta tamen timori dedecora denudabat. Quod enim ubi timore solo lex implebatur, « coram Deo non erat in voluntate, quod co- « ram hominibus apparebat in opere : potiùs- « que ex illo rei tenebantur, quòd eos noverat « malle, si fieri posset impunè, committere : « item quod potuit esse intùs in affectionibus « pravis prævaricator legis, et tamen conspi- « cua opera legis implere, vel timore hominum, « vel ipsius Dei, sed pœnæ formidine, non di- « lectione et delectatione justitiæ : » quòd id genus alia tanquàm occulta dedecoris, et penitiores ægritudinis fibras in lucem proferat Augustinus, non hæc in timoris, sed in superbiæ suggillationem pertinent, quam timor non omninò extruserat. Sed ita traduci decebat eos, qui de solo timore, tanquàm de plenâ sanitate insanissimè sibi blandiebantur. His enim conducebat ostendi quanta cupiditatum flamma adhuc æstuaret, timore tanquàm cinere doloso dissimulata magis, quàm extincta. Quanquàm enim timor cœperit sanare, non tamen persanavit. Laudabilis itaque timor est, et ad initia justitiæ et sanitatis sufficiens, sed præfocandis clandestinis desideriis et concupiscentiis omnibus planè impar; nec id mirum, cùm nec charitas Christi et justitia hujus vitæ omnes hos igniculos valeat consopire. Ut ergo justitia charitatis, quâ per Christum hîc justificamur, donum Dei est amplissimum, etsi fomites cupiditatum non extinguat : ita et donum erat Dei, Christique sanguine constabat timor, quanquàm radices altissimas cupiditatum non revelleret omninò.

19. Sed ut invictiùs constet timorem illum servilem Dei donis et Christi gratiis annumerandum fuisse, ne eos tantùm spectemus, qui tanti muneris pulchritudinem, vel contumaciâ, vel superbiâ suâ fœdabant. Alios intueamur, qui imbecillitatem suam experti, omne salutis præsidium in cœlesti adjutorio sibi situm esse profitebantur, nec tamen tanto gratiæ ubere perfundebantur, ut ad perfectam assurgerent charitatem. His sanè timor adhuc incumbebat, non jam venditator suarum virium, sed superni adjutorii postulans incrementum. In hoc gradu sunt complures hodiè et quotidiè, qui reverà sub lege sunt, etsi tempore novi Testamenti, quos solus timor ad præcepta urget, nec tamen suis quid-

quam imputant conatibus, sed ad charitatem puramque justitiam instrenuè quidem, et tepidè, sed tamen suspirant et connituntur. Dùm in vestibulo charitatis sub pædagogo timore, vel singulus quisque, vel genus humanum spiritalem suam exerit pueritiam, et ad juvenile robur decusque aspirat, et nondùm tamen attingit, oro te, nonne timor iste Dei donum est? Nonne Christi sanguinis pretium est? Nonne Christi morti accepto ferendum est? Quibus ergo lex et timor exprimebat confessionem, humilitatem, et liberatoris desiderium vehemens, illis non statim Christus, aut cumulata aderat justitia; erant illi adhuc sub lege, sed quis illos neget gratiis Christi illi ætati sufficientibus non frustratos fuisse?

20. Illi ætati sufficientes consultò dixi gratias, quòd non de singulis, sed de universis disseramus; aut si de singulis, non totam eorum vitam, sed *id* tantùm attendamus tempus, quo eam ætatem pergunt, quæ pueritia spiritalis vocitatur. Ut enim singulis hominibus dùm in primis merent incipientium castris, et rudimenta pietatis adhuc ponunt, non deest gratia Christi sufficiens, si salubri concutiantur timore, eoque intra præceptorum Dei obedientiam coerceantur, et paulatim desuescant à vitiis prioribus, et carnalium delectationum longam potent oblivionem, et ita bibendæ dulcedini charitatis sese comparent. Ita universo generi humano, ad justitiæ robustam quamdam juventam nondùm provecto, sed proficienti, suppetebant utique opportuna et penitùs sufficientia auxilia, cùm et forinsecùs intentabatur et intrinsecùs inspirabatur spiritus timoris Domini, quo intra officii cancellos ita contineretur, ut vel præcepta impleret, vel sicubi non posset, humili confessione adjutorium supernum invocaret. Quòd autem tum singuli, tum universi quamdiù in hoc gradu stant, sub lege, nondùm sub gratiâ esse dictitantur, perspicuum est gratiam hîc nuncupari illam singularem et præcellentem, quâ invictè vitium debellatur et justificatio infunditur. Alioqui enim qui repugnant vitiis, qui desuescunt à vitiis, qui timore præceptis serviunt, qui incipiunt Deum colere ante timore, ut possint postea et amore, qui proficiunt, hi utique sub gratiâ sunt saltem aliquali. Porrò quòd genus humanum aliquandiù sub lege, nondùm sub gratiâ fuerit, inde vix, aut nec vix effici potest, ulli penitùs homini privatim idonea ad absolutam justitiam auxilia defuisse. Nam ut genus humanum, ita singulus quisque ad eam potuit ætatem promoveri, cui ea sunt præstò auxilia.

CAPUT IV.

Temporalibus priùs Dei beneficiis inescandam fuisse humani generis pueritiam, quàm æternis juventa ejus cumularetur. Temporalia æternorum umbris et figuris honestanda fuisse.

1. Aptum est, ut vides, nexumque superioribus argumentum hujus capitis. Nam legi, pueritiæ, timori temporalia congruunt, sicut charitati et sapientiæ politiori æterna. Et illud quidem jam in confesso est, et omnibus præjudicatum, humanæ naturæ, saltem in inferiora per peccatum revolutæ, revocandum esse gradum per ætatum et profectuum intervalla, non uno impetu atque uno temporis puncto summum sapientiæ et sanctitudinis apicem invadendum. Rimandi sunt ergo gradus et explorandi profectuum spiritualium, ut per eos homo provehatur, non præcipitetur. At in divinorum incuriam, et in temporalium cæcam effrenemque libidinem homini prolapso, is erat primus resipiscentiæ gradus optandus, ut hæc ipsa temporalia in Dei censu et nutu esse intelligeret, ab eo promerenda, illi accepta referenda. Ita enim ad Deum reflecteret se homo carnalis, Deo subesse assuesceret, ab eo pendere, spem et præsidium in eo suum locare, et aliquandò majora et potiora his, Deoque digniora, æterna videlicet bona expectare et exorare se posse confideret. Hoc planè fuit Testamentum vetus, hic ejus scopus, hæc primis humanæ naturæ ad meliora respirantis profectibus tempestiva medicina. Si roges autem, quid hæc ad Christum? in promptu est, temporalia æternorum simulacra esse. Nam quamdiù immergitur animus in corporalia, nullo ad superna nutu, nulloque nisu se surrigens, ab æternorum memoriâ longiùs longiùsque evagatur. At ubi aliquo sursùm vinculo suspensus et Dei memor, temporalibus innatat, jam penè supernatat, et non potest non aliquos æternorum bonorum fulgores ab his imis, sed summorum tamen vestigiis, resilientes excipere, quibus ad æternitatis desiderium stimuletur. Ita ergo Testamento veteri illigatum erat novum, quia temporalibus Dei donis non poterant non adumbrari et respondere æterna, et corporalibus spiritalia, atque adeò Christus ipse, qui æter-

nitas, qui veritas, qui spiritalis et æterna felicitas est. Sed ut expressior esset Christi, id est, spiritalis justitiæ et felicitatis imago, totam ejus dispensationem futuram, à temporalibus ad æterna nos per temporalia sua gesta novaturam, in illâ temporali veteris Testamenti administratione per umbras et figuras creberrimas expinxerat Deus. Ut nimirùm quicumque in Deum suspensi, ab ejus nutu penduli temporalia illa bona perciperent, superscriptos his Dei quosdam nutus, et multos hortatus adverterent, quibus de meliori felicitate per mediatorem impetrandâ admonebantur. Atque ut ne quid divini præsidii desideraretur, turbæ populorum tanquàm puerorum promiscuæ interserebantur Prophetæ et adultioris sapientiæ aliquanti, qui clanculùm æternorum intelligentiæ et charitatis igniculos spargerent. Augustinus : « Volens itaque Deus ostendere « etiam terrenam temporalemque felicitatem « suum donum esse, nec aliunde nisi ab ipso « sperari oportere, prioribus seculi temporibus « dispensandum judicavit Testamentum vetus, « quod pertineret ad hominem veterem, à quo « ista vita necesse est incipiat. Sed illæ felici- « tates Patrum, Dei beneficio concessæ prædi- « cantur, quamvis ad istam vitam transitoriam « pertinentes. Illa quippe terrena munera in « manifesto promittebantur et tribuebantur : « in occulto autem illis omnibus rebus novum « Testamentum figuratè prænuntiabatur et « capiebatur intelligentiâ paucorum, quos ea- « dem gratia prophetico munere dignos fecerat. « Dispensabant ergo illi sancti pro congruentiâ « temporis Testamentum vetus, pertinebant « verò ad Testamentum novum. Nam et quando « temporalem felicitatem agebant, æternam « veram et præferendam intelligebant; et istam « ministrabant in mysterio, ut illam conseque- « rentur in præmio. Et si aliquando patieban- « tur adversa, ad hoc patiebantur, ut eviden- « tissimo divino adjutorio liberati, glorificarent « Deum bonorum omnium largitorem, non « solùm sempiternorum, quæ piè sperabant, « verùm etiam temporalium, quæ propheticè « gubernabant. » Hominis in terrena lapsi hæc erat prima salutis spes, si terrenorum etiam dominatorem dispensatoremque Deum esse persuaderetur. Hæc est prima naturæ lapsæ reparatio, hæc ergo Christi reparatoris prima affulgescentia, hæc ejus sanguinis prima gratia, ut naturæ auctor agnosceretur.

2. Terrenæ felicitatis amator sectatorque perditissimus, jam hinc ab illo emergere incipit baratro, cùm vel illius felicitatis arbitrum auctoremque Deum verum suspicit ; jam hinc ergo æstimanda sunt salutis ejus auspicia, jam tum numeranda veritatis seu Christi in ejus animo nascentis et prima æternæ salutis fundamenta jacientis initia. Si qui autem terrenis usque adeò inhærerent, ut Deum hæc administrantem et per hæc ulteriùs ad æterna provocantem mirari ac venerari fastidirent, suâ nimirùm culpâ hi peribant. Nam alii quidam, tametsi pauciores in terrenâ hâc felicitate forinsecùs ministrandâ, intelligibilia intùs et æterna bona toto pectore meditabantur, et præmaturâ spe jam præsumebant. Idem itaque in utroque Testamento Christus, eadem æternorum bonorum charitas et felicitas, ibi opertiùs, hîc apertiùs ; illic obscuriùs, hîc elucidatiùs ; illic sub temporalium velo, hîc penè sine velo. Augustinus : « Eadem quippe sunt « in veteri et in novo : ibi obumbrata, hîc « revelata ; ibi præfigurata, hîc manifestata. « Nam non solùm sacramenta diversa sunt, « verùm etiam promissa ibi videntur tempo- « ralia proponi, quibus spiritale præmium oc- « cultè significetur : hîc autem manifestissimè « spiritualia promittuntur et æterna. Tempo- « ralium autem bonorum atque carnalium, et « spiritualium atque æternorum, quæ clarior « certiorque distinctio est, quàm passio Domini « nostri Jesu Christi, in cujus morte satis « constitit, non ita terrenam transitoriamque « felicitatem à Domino Deo pro magno munere « prædicandam et optandam ? Quandoquidem « in unigenito Filio suo quem tanta illa perpeti « voluit, longè aliud à se peti expectarique « oportere apertissimâ distinctione declara « vit. » Eadem ergo si sunt in utroque Testamento, quis querelarum jam locus? Eadem utrobique sonant æternæ veritatis oracula, charitatis hortamenta : quid ergo ullorum vicem dolemus?

3. At, inquies, quæ nunc revelata patent, tunc obumbrata latebant : assentior equidem, sed ne attendas tantùm, quòd figurarum velo, attende etiam quòd cupiditatum fumo illa tum obumbrabantur : et nunc non tam figurarum explanatione, quàm cupiditatum serenatione et charitatis illuminatione patescunt. Argumento est quòd vel tum si qui à terrenis voluptatibus expeditiores erant, ii in illâ opacitate umbrarum æternam veritatem Christum intuebantur et osculabantur ; et nunc si quos carnis æstus adhuc obnubilat, ii in lumine

Evangelii manes umbras et temporales quis quilias vident et incassùm prehensant. Ergo velantur et revelantur arcana sapientiæ pro suâ cuique fumigantium cupiditatum vel obtenebratione, vel serenatione. Si autem prætendere vela aliqua sacramentorum et figurarum Deus videatur, consulit hominibus, dùm cæcutientibus obumbrat ea quibus præstricti magis excæcarentur, et perspicacibus revelat, quibus vegetati recreentur. Humano igitur generi Christum jam tum Deus repræsentabat, sed illum sibi obnubilabat infantia et adolescentia hominum, tenebrosis libidinibus adhuc ebulliens, Deumque cogebat intolerabili suo fulgori umbratica quædam temperamenta circumjicere. Prodest enim ea dissimulari integumento aliquo, quæ nudata conculcarentur, non sine conculcantis pernicie. Insaniebant homines terrenarum libidinum vesaniâ. Persuaderi poterat illis, has delicias à vero Deo donari, non ab homine, non ab idolo. Spernendas autem omninò, et abjiciendas, pro illius ætatis hebetudine persuaderi non poterat. Nihil ergo conducibilius fuit, quàm ea sacra illis concinnari, quibus terrena felicitas à Deo petenda palàm prædicaretur, omninò fastidienda clam insinuaretur, ut illud tenentibus, hoc quoque sensim adhæreret.

4. Et totus hic orbis corporeis sensibus nostris undique obvius, undique irruens, aliud carnalibus, aliud spiritalibus concionatur; carnalibus enim et à carnis fœculentiâ aliquantulùm emergere enitentibus, et Deum esse, et naturæ totius opificem esse, et ab ejus largitate terrenas opes blanditiasque omnes promerendas esse persuadet. At spiritalibus præterea insinuat hæc materialia non esse, nisi intelligibilium obsoleta imitamenta, et temporalia æternorum, mutabilia immutabilium; his innitendum, ad illa connitendum; his umbram, illis veritatem; his ludibria sensuum, illis germanam animi felicitatem contineri. Carnalibus ergo liber iste naturæ velatus est, spiritalibus revelatus, idem tamen utrisque, non aliâ magis quàm suarum cuique cupiditatum tempestate obscuratus, aut enubilatus tranquillitate. Non aliter Scripturæ codex, non aliter generis humani et orbis à Deo administrati regimen singulos convenit, singulos alloquitur, pro intimo cujusque affectu; incipientibus exordia pietatis dictat, temporalium usum temperare et ad Deum auctorem reflectere: proficientibus altiora inspirat decreta, de æternorum veritate ambienda et temporalium omnium contemptu emercanda: porrquæ proficientibus insusurrat, eadem et incipientibus susurrat, sed surdis canit auribus, ideòque tacere existimatur, cùm non taceat, sed minùs exaudiatur. Atque ut videas quàm non susurrarentur, sed intonarentur etiam validissimè carnali populo æternitatis oracula, adverte quàm frequenter oculis subjicerentur, et pii miseriis temporalibus conflictati, et impii terrenis bonis circumfluentes. Sed ad hæc illa adhuc ætas obsurdescebat. Augustinus: « Et ideò regna terrena et bonis ab illo « dantur, et malis, ne ejus cultores adhuc in « provectu animi parvuli, hæc ab eo munera « quasi magnum aliquid concupiscant. Et hoc « est sacramentum veteris Testamenti, ubi occultum erat novum, quòd illic promissa et « dona terrena sunt, intelligentibus et tunc « spiritalibus, quamvis nondùm in manifestatione prædicantibus, et quæ illis temporalibus rebus significaretur æternitas, et in quibus Dei donis esset vera felicitas. » Et præclarè rursùm: « Nam perductus est populus « ad patriam promissionis. Numquid semper « staturam? Si hoc esset, non esset figura, « sed res. Quia verò figura erat, ad temporale « quiddam perductus est ille populus. Si ad « temporale quiddam perductus est, oportebat « ut deficeret, et defectu suo cogeretur quærere, quod nunquàm deficeret. Synagoga ergo, id est, qui Deum ibi piè colebant, sed « tamen propter terrenas res, id est, propter « ista præsentia. Sunt enim impii qui præsentium rerum bona à dæmonibus quærunt. Hic « autem populus ideò melius erat gentibus, « quòd quamvis præsentia bona et temporalia, « tamen ab uno Deo quærebat, qui est creator omnium et spiritualium et corporalium,» etc. Ad Deum ergo populus iste carni mancipatus retorquebatur, hoc primùm facillimo vinculo, suarum scilicet cupiditatum, quas nisi Dei nutu terrenis bonis satiari non posse admonebatur. Sed hinc rursùm illiciebatur ad ulteriora, ad spiritalia, fugâ scilicet temporalium quibus inhiabat. Temporalia enim cùm essent, nec stare, nec constare poterant. Aderat ergo tota Christi disciplina, aderat medicina plenissima, cùm temporali felicitate præsente, ad Deum ejus auctorem invitabantur, et eâdem dilabente, ad Deum æternorum bonorum principem incitabantur; sed carnales prius illam, nonnisi seriùs istam curationis suæ partem capiebant. Hic porrò status est,

hæc natura totius rerum temporalium universitatis. Temporalis enim pulchritudo blanditur, ut ad Deum opificem suspiciamus; sed ejusdem fugacitas vellicat, ut ad æterna suspiremus. Ibidem paulò post : « Postea verò populus iste intellexit, quid eum admoneret « Deus quærere, cùm ista temporalia subtraheret servis suis, et donaret ea inimicis suis « blasphemis, impiis; admonitus intellexit, « quia præ omnibus quæ dat Deus et bonis et « malis, et aliquando aufert et bonis et malis, « præ omnibus servat aliquid bonis. Quid est, « servat aliquid bonis, quid illis servat? Se« ipsum. »

5. Usque adeò autem implicata erat, usque adeò explicabat se et emicabat in veteri Testamento æternitas veritatis et charitatis et totus Christus, ut nisi hùc se converterent, nec in illâ possent consistere carnali Synagogâ. Ubi enim terrena bona quibus inhiabant, et sibi subtrahi, aut suffugere, et idolorum cultoribus copiosiùs affluere conspicabantur, nisi ad Christi spem sempiternam et æternitatis felicitatem confugerent, animumque et vota sua converterent, necesse utique erat, ut ad idola delaberentur. Sine Christo ergo illud temporale Testamentum non consistebat. Augustinus : « Hortamur illos, ut filii sint hominum, « qui sub tegmine alarum ejus sperant, et mi« sericordiam illam desiderant, quæ in cœlo « est, et quæ annuntiata est per nubes. Sed « si non possunt adhuc, interim vel tempora« lia bona non desiderent nisi ab uno Deo, et « sic in veteri Testamento serviant, ut ad no« vum perveniant. Nam et populus ille terrena « desideravit, regnum Jerusalem, subjectio« nem inimicorum suorum, abundantiam fru« ctuum, salutem propriam, salutem filiorum « suorum. Talia desiderabant et talia accipie« bant. Sub lege custodiebantur. Desiderabant « à Deo bona quæ dat et jumentis, quia non« dùm ad illos venerat filius hominis, ut es« sent filii hominum. Tamen jam habebant nu« bes annuntiantes filium hominis. Venerunt « ad illos Prophetæ, annuntiaverunt Christum, « et erant ibi quidam qui intelligebant, et « spem futuram habebant ut acciperent mi« sericordiam quæ in cœlo est. Erant ibi qui « nonnisi carnalia desiderabant et terrena, tem« poralemque felicitatem. Ipsis labebantur pe« des ad facienda vel adoranda idola. Quando « enim illos admonebat et flagellabat in his « omnibus quibus delectabantur, et auferebat « ea, patiebantur famem, bella, pestilentias, « morbos, et convertebantur ad idola. Talia « bona quæ pro magno à Deo desiderare de« bebant, ab idolis desiderabant et dimittebant « Deum. Attendebant enim ipsis bonis quæ « quærebant, abundare impios et sceleratos, « et putabant se frustra Deum colere, quia non « dabat mercedem terrenam. » Vides veteri Testamento usque adeò novum insertum et concatenatum fuisse, ut qui in hoc hebescerent, in illo statim titubarent et corruerent. Vides Christum et evangelicam fidem non ita obscurè, ut quidam suspicantur, adumbratam tunc fuisse, sed satis perspicuè, quando nec ipsa litteræ temporalitas à Christi spe alienata constare poterat. Vides id Testamenti utriusque libro, quod orbis ipsius et naturæ decursu, peragi, sed aliquantò evidentiùs.

6. Nam temporalium omnium fuga spontanea, jam Deum horum dominatorem intelligentes, admonet, æternorum etiam largitorem esse, et hæc potiùs ab illo captanda. Id ipsum manifestiùs duo Testamenta vociferantur, cùm Deus Hebræis olim temporalia, quæ promiserat, subtrahebat, ut ad æterna proliceret; cùm Prophetas ad hæc hortatores suggerebat, cùm postea in unigenito Filio incarnato de temporalium contemptu et æternorum amore legem solemniorem, exemplum efficacius, auxilium invictius dedicavit. Ita ergo naturæ rerum, et ipsi humanæ rationi accommodatissima est hæc tota Dei per utrumque Testamentum providentia; semper et ubique à temporalibus ad æterna et ipsâ temporalium voce, facundiâ, evidentiâ ad æterna nos proliciens; per Christum ad Christum nos inescans; per sapientiæ et justitiæ temporalia involucra, quasi per carnem quamdam Verbi, et denique per ipsam carnem Verbi, ad Verbi æternitatem, et demùm ad Verbi Patrem nos perducens.

7. Et ipsi enim incarnato Christo carnaliter primùm, inde spiritualiter inhæremus. Ubique enim gradus pueritiæ et juventæ, ac ætatum discrimina et vices incrementorum discerni æquum est. Augustinus : « Hæc omnia ad « terrenam felicitatem pertinent. Sed quare « ipsa primò promitti oportebat ? Quia non « primò quod spiritale est, sed quod animale, « postea inquit spiritale. *Primus homo de terrâ « terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Qua« lis terrenus, tales et terreni, qualis cœlestis, « tales et cœlestes. Sicut portavimus imaginem « terreni, portemus et imaginem ejus qui de cœlo « est.* Ad imaginem terreni pertinet vetus « Testamentum, ad imaginem cœlestis novum.

« Testamentum. Sed ne quisquam putaret ab « alio factum esse hominem terrenum, ab alio « cœlestem, ideò Deus ostendens se esse utri- « usque creatorem, etiam utriusque Testamenti « se esse voluit auctorem, ut et terrena pro- « mitteret in veteri Testamento, et cœlestia « in novo Testamento. Sed tamdiù primus « homo terrenus es, quamdiù terrena sapis.» Num tota hæc mundi fabrica non satis argutè Deum prædicabat omnium architectum et administratorem? Sed quia jam ad hanc mundanam eloquentiam occallescebant homines, id ipsum Deus disertiùs per veteris Testamenti dispensationem voluit inculcare. Num temporalis creaturæ fluxus inhærentes sibi et prehensantes quasi desideriorum manus fallens aut discerpens, non satis apertè ad æterna intelligenda et diligenda reflectebat? Sed id ipsum per calamitates Judæis olim inflictas, et per ipsam Christi vitam mortemque efficaciùs nos Deus addocuit. Et quamvis utroque utrumque addoceat, qui utriusque patientes sunt, prima tamen quasi elementa, Dei nempe ut temporalium largitoris culturam parvulis et carnalibus priùs et faciliùs persuadet. Pergit ibidem : « Numquid quoniam puero dantur « puerilia quædam ludicra, quibus puerilis ani- « mus avocetur, propterea grandescenti num « non excutiuntur è manibus, ut aliquid jam « utilius tractet, quod grandem decet? Verùm- « tamen tu ipse dedisti filio tuo, et nuces par- « vulo, et codicem grandi. Non ergo, quia illa « quasi ludicra puerorum Deus per novum « Testamentum excussit de manibus filiorum, « ut aliquid utilius daret grandescentibus, « propterea priora illa non ipse dedisse putan- « dus est.» Vides quàm necessariò indulgendum sit aliquid tenellæ ætati. Miramur et quasi insolens stupemus interdùm Testamentum vetus, et anxiè ferimus quòd non statim Christum cum gratiâ et Evangelio Deus emittere maturârit. Et tamen, ut notat Augustinus, id ipsum nos quotidiè factitamus. Nam parvulis nostris et carnalibus et spiritalibus, non statim porrigimus sublimioris sapientiæ codices, non solidos cibos, sed crepundia, sed lac, atque fomenta eorum teneritudini coaptata. Hæc hominis natura, hoc decus nostrum, hic modus est. Ita singuli regimur privatim, quin ergo et omnes universim? Num aliud omnes et universi, quàm homines sumus? Num etiam universi mutabilitati non subjacemus? Num mutabilitatis flumini innatantibus consuli proviuentiùs potest, quàm ut ipso decursu suo, et profectuum vicissitudine ad æternitatis incommutabilitatem provehantur? Nonne et in Christo alii sunt parvuli, quibus carnis et lactis blandimenta subministrantur; alii adultiores, quibus caro non prodest quidquam, sed spiritus est qui vivificat, et qui ne Christum quidem secundùm carnem jam nôrunt? Sed de his postea. Pergit Augustinus : « Denique om- « nia quæ Judæis promissa fuerant, ablata « sunt. Ubi est regnum eorum, ubi templum, « ubi unctio? etc. Jam perdidit terrena, et non- « dùm quærit cœlestia. Inhærere ergo terre- « nis quamvis ea Deus donet, non debet, etc. « Nam si pro magno ea daret, malis ea non da- « ret. Ideò autem ea voluit dare et malis, ut « discant boni aliud ab eo quærere, quod non « dat et malis, etc. Si illi inexcusabiliter ter- « renis inhæserunt, quibus ipsum novum Tes- « tamentum nondùm fuerat revelatum, quantò « inexcusabiliùs terrena sectantur, quibus « jam promissa cœlestia in novo Testamento « revelata sunt?» Inexcusabiles etiam tum erant, qui terrenis inhærebant, etiam nondùm revelato novo Testamento, quia lucem novi Testamenti sua ipsis velabat atque offuscabat cupiditas. Nam fugacitas ipsa temporalium nativa, crebra calamitatum quibus eos Deus erudiebat incursatio, bonorum terrenorum plenior plerumque apud malos quàm apud bonos et securior copia, administratio denique tota et orbis et synagogæ, contemni terrena, amari cœlestia hortabatur, Christum et Evangelium offerebat. Non deerat ergo Christus ante suum adventum adventans; per ipsas cupiditatum blanditias, cupiditatum excidium indicens; per temporalium ærumnas æternitatis charitatem concilians; et litteræ vel creaturæ involucro, tanquàm sapientiæ intelligibilis prælusoriâ corporatione, evangelicam prædicationem toto orbe perpetuans, et per omnes ætates propagans.

8. Et quàm consentaneum erat, ut illi ætati quæ solo timoris freno poterat circumagi et ad bonum agi, solo etiam temporalis felicitatis gustu pietas rudis præformaretur! Nam affinia et conjuncta sunt ista, amor temporalium possidendorum, et amittendorum eorumdem timor. Augustinus : « *Præceptum Domini lucidum illu-* « *minans oculos. Præceptum Domini lucidum* sine « velamento carnalium observationum, illumi- « nans hominis interioris aspectum. *Timor* « *Domini castus, permanens in secutum secui.* « Timor Domini, non ille sub lege pœnalis, « temporalia bona sibi subtrahi perhorrescens

« quorum dilectione anima fornicatur ; sed « castus, quo Ecclesia sponsum suum quantò « ardentiùs diligit, tantò diligentiùs cavet of- « fendere : et ideò non foràs mittit consum- « mata dilectio timorem hunc, sed permanet « in seculum seculi. » Quàm finitimus ergo est puerili ætati timor, tam cognata ei temporalium illecebrarum suavitas. Et id rursùs declarat Augustinus : « Cùm enim charitas le- « gem impleat, prudentia verò carnis commo- « da temporalia consectando, spiritali charitati « adversetur, quomodò potest legi Dei esse « subjecta, id est, libenter atque obsequenter « implere justitiam, eique non adversari, « quando etiam dùm conatur, vincatur necesse « est, ubi invenerit majus commodum tempo- « rale de iniquitate se posse consequi, quàm « si custodiat æquitatem ? Sicut enim prima « hominis vita est ante legem, cùm nulla ne- « quitia et malitia prohibetur, neque ullâ ex « parte pravis cupiditatibus resistit, quia non « est qui prohibeat ; sic secunda est sub lege « ante gratiam, quia prohibetur quidem, et « conatur à peccato abstinere se, sed vincitur, « quia nondùm justitiam propter Deum et pro- « pter ipsam justitiam diligit, sed eam sibi vult « ad conquirendum terrena servire. Itaque ubi « viderit ex aliâ parte ipsam, ex aliâ commo- « dum temporale, trahitur pondere tempora- « lis cupiditatis, etc. Tertia est vita sub gra- « tiâ, quando nihil temporalis commodi justi- « tiæ præponitur, quod nisi charitate spiritali, « quam Dominus exemplo suo docuit et gra- « tiâ donavit, fieri non potest. » Ætati igitur illi crudæ et immaturæ, temporalium tanquàm puerilium blandimentorum, vel amittendorum timor, vel fruendorum amor, aculeus erat idoneus, quo stimularentur ad justitiam, eique quantùm illa ferebat ætas, id est, pueriliter et inconstanter adhærescerent. Puerorum est enim propria levitas et alternatio. Itaque justitiam non propter seipsam, sed propter temporalia commoda sectabantur ; quocirca et ab illâ deficiebant, ubi horum major copia aliunde affulgebat. Erat utique hæc pietatis mira imbecillitas, sed gradus tamen modusque, illi ætati accommodus, et ad ulteriora trajecturus.

9. Non erat autem è dignitate Christi, ut tum ad terras devolaret ; ipsum enim decebat dedicatorem esse et principem ejus ætatis, quâ justitia propter seipsam, ideòque constanter diligitur. Quid enim Christus aliud, quàm justitiæ sempiternæ in animam, in mentem, in cor, in totum hominem et in intimas ejus medullas illapsio penitissima, et inexpugnabilis conglutinatio ? At temporalia adhuc sectantibus et eorum amore Deo famulantibus non inhabitat justitia, sed foris alludit, et ostendit se, allicitque ad se his tanquàm crepundiis. Unde idem : « Propter mercedem terrenam atque carna- « lem Dei mandata facere conabantur, neque « faciebant, quia non ipsa, sed aliud diligebant. « Unde illa non erant opera volentium, sed « onera potiùs invitorum. Cùm verò ipsa man- « data diliguntur *super aurum et lapidem pre- « tiosum multum*, omnis præ ipsis mandatis « terrena vilis est merces ; nec ullâ ex parte « comparantur quæcumque alia hominis bona « his bonis, quibus ipse fit bonus homo. » Vides non illabi homini justitiam, non incarnari, quamdiù terrenâ mercede pueriliter inescatur, sed circumvolitare, ut ita dicam, et extrinsecùs sese ostendere. Et rursùs idem : « Illi « etiam quicumque ibi erant, sola quæ ibi Deus « pollicetur, terrena promissa sectantes, et « quid pro novo Testamento ea ipsa significent « ignorantes, eorum adipiscendorum amore, « et amittendorum timore, Dei præcepta ser- « vabant, imò non servabant, sed sibi servare « videbantur. Neque enim fides in eis per dile- « ctionem operabatur, sed terrena cupiditas, « metusque carnalis. Sic autem præcepta qui « facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc « in animo non facit. Mavult enim omninò non « facere, si secundùm ea quæ cupit aut metuit, « permittatur impunè. Ac per hoc in ipsâ vo- « luntate intùs est reus, ubi ipse qui præcipit, « inspicit Deus. » Ab his ergo longè adhuc aberat justitia, procul sapientia, et ad eos tamen adventabat : illis exerebat se, nondùm inserebat : admovebat sibi, nondùm conglutinabat ; præparabat, nondùm inhabitabat, nondùm incarnabatur. Videbantur illi sibi servare mandata, nec servabant, quia pueriliter servabant, non viriliter ; serviliter, non liberaliter. Servabant utique quantùm fluxæ et evanidæ ætati congruebat, non quantùm ipsius justitiæ dignitati.

10. Umbratica ergo erat eorum justitia, nondùm veritas, unde et justitiæ ac sapientiæ seu Christi umbris et figuris pascebantur, nondùm solido corpore. Et infra : « Verùm « hæc planè magna distantia est, quod faciunt « ista sub lege positi, quos littera occidit, ter- « renam felicitatem vel cupiditate adipiscendi, « vel timore amittendi, et ideò non verè fa- « ciunt, quoniam carnalis cupiditas quâ pec- « catum augetur, cupiditate aliâ non sanatur.

Non vera illa justitia, sed inchoata, et prælusio conatusque potiùs justitiæ, quàm justitia; quamobrem et Christus illis simulatus adumbratusque exhibebatur, ac suî quasi periculum faciens, seque per umbras veri insuefaciens verè aliquando cum hominibus congredi. Concinebant hæc omnia, cùm et temporalis felicitas æternæ imaginem ac sponsionem, et carnalis justitia spiritalem, et Christi figura multiplex ejusdem corporationis veritatem præcurreret præluderetque. Ne quis autem ferat iniquiùs hanc morositatem, neu præfestinatò Christum incarnari jubeat. Primævæ enim ætatis teneritudini nisi sensim et gradatim sapientia instilletur, nisi lenocinantibus temporalium voluptatum illecebris, umbra potiùs justitiæ quàm vera justitia primùm inspiretur, spes futuræ perfectionis non præmaturatur, sed præfocatur. Unde ibidem : « Deinde quia « Testamentum vetus pertinet ad hominem veterem, à quo necesse est hominem incipere, « novum autem ad hominem novum, quo debet homo ex vetustate transire, ideò in illo « sunt promissa terrena, in isto promissa cœlestia : quia et hoc ad Dei misericordiam « pertinuit, ne quisquam vel ipsam terrenam « qualemcumque felicitatem nisi à Domino « creatore universitatis, putet cuiquam posse « conferri. Sed si propter illam colatur Deus, « servilis est cultus, pertinens ad filios ancillæ. »

11. Necessarium est cum primis et non incuriosè pensitandum hoc temperamentum, illustrando autem huic dogmati nostro accommodatissimum. Ne justitiam eorum, qui sub lege divinis obsequebantur mandatis, non alio tum quàm temporalium bonorum delinimento illecti, æquo plus vel extollamus, vel deprimamus. Erat enim illa puerilis adhuc et servilis, erat infirma et vacillans, erat umbratica et personata justitia, quæ non ipsius propter se justitiæ pulchritudinem, sed illius umbras in temporali felicitate descriptas prosequebatur. Ideò ab Augustino extenuatur; imò illius justitiæ compos homo ab Augustino reus agitur, ut animo adhuc ad iniquitatem, si modò impunè liceat, propendens, et voluntatis in ima projectæ vulnera premens magis, quàm sanans. At illa tamen justitia erat initialis, rudique ætati idonea, quæ ad Deum proficere incipiens, in umbris justitiæ ipsam aliquando justitiam propter se amplecti meditabatur : reatum sin minùs tollens, at tollere incipiens : vulnera animæ non persanans, sed sanare incipiens. Ergo illi justitiæ id evenit quod rerum optimarum initiis. Hæc enim et perstringi ac vilipendi possunt, si in eis conquiescens aliquis ad ulteriora excutere se et eniti pigritetur : et summoperè extolli, si nisus et industria sese exerat, ut ad columen perveniatur. Nemo autem conqueri debet de cunctatione perfectioris justitiæ, quando viderit initia quædam ad eam jam surgere, et initia quidem, sed tamen ad eam fervere. Quin etiam censetur jam adesse summa justitia, quando in suis initiis adest, quando concipitur, quando nascitur, quando adolescit, etsi nondùm juvenescit. Itaque et Christus ante legem, et sub lege jam tum aderat, quia seminabatur, quia nascebatur, quia initia et fundamenta summæ sapientiæ jaciebantur et justitiæ, quia tantus vel tantillus aderat, quantus vel quantillus per illam ætatem et suam et nostram adesse poterat. Et in suâ enim carne cùm nasci orbique illucere dignatus est, mortalitatis et mutabilitatis nostræ vices subiit, exordia et progressiones excurrit, et in infantiâ etsi non eminebat, erat tamen summa virtus et sapientia Patris. Ita et in humani generis infantiâ et pueritiâ jam inde à mundi exordio, sapientia et justitia à Deo nobis factus crescebat et confortabatur Christus, et quanquàm non tota sese foris explicaret, inerat tamen vel in suî proœmiis maturitas et summus apex sapientiæ. Quanquàm enim veterem hominem Deo renascentem et repuerascentem justitiæ omnes agerent extrinsecùs, et eam quasi personam à Deo tum sibi impositam sustinerent, singuli tamen intùs succrescere poterant ad maturum juventæ robur, et ad mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut nihil eis deficeret ejus gratiæ et charitatis perfectæ quam suâ nobis morte Christus accumulavit. Nam singulorum juventa spiritalis, dummodò latitaret, aut emicaret rariùs, nihil universali vel infantiæ vel pueritiæ derogabat, quàm pulchritudo universitatis jubebat tum dispensari. Itaque extitêre tunc Patriarchæ, Prophetæ, aliique non pauci, quos ætatem plenitudinis Christi assecutos intùsque defunctos esse nemo ambigit. Ex eo ergo quòd tunc sub lege, vel ante legem degeret genus humanum, non ex eo effici potest cuiquam defuisse interioris gratiæ Christi valida auxilia, quia poterant singuli privatim sapientiæ et justitiæ Christi juventam vegetam latenter agitare, cùm patenter universim veteris hominis inter cunas reptantis et tardiùs ad divina proficientis partes actitarent.

12. Sed cùm ex Augustino multa et penè nimis multa hactenùs prompserimus, nihil aptius hoc uno loco : « Sicut autem unius ho- « minis, ita humani generis, quod ad Dei pro- « videntiam pertinet recta eruditio, per quos- « dam articulos temporum, tanquàm ætatum « profecit accessibus, ut à temporalibus ad « æterna capienda, et à visibilibus ad invisibilia « surgeretur. Ita se ut etiam illo tempore quo « visibilia promittebantur divinitùs præmia, « unus tantùm colendus commendaretur Deus, « ne mens humana vel pro ipsis terrenis vitæ « transitoriæ beneficiis, cuiquam nisi vero « animæ creatori ac Domino subderetur. » Et paulò post : « Optimè igitur anima humana ad- « huc terrenis desideriis infirma, ea ipsa quæ « temporaliter exoptat bona infima atque ter- « rena, vitæ huic transitoriæ necessaria, et « præ illius vitæ sempiternis beneficiis con- « temnenda, non tamen nisi ab uno Deo ex- « pectare consuevit, ut ab illius cultu etiam in « istorum desiderio non recedat, ad quem « contemptu eorum et ab eis aversione perve- « niat. » Quo uno textu disceptata hactenùs omnia continentur, quæ ad duo summa capita restringimus, à quibus reliqua apta nexaque sunt. Nempe hanc esse rerum omnium visibi- lium naturam, hanc legem, hanc Dei in iis condendis voluntatem, ut ab iis invisibilium æternitas intellecta conspiciatur ; itemque hunc esse animis in ima effusis primum emer- sionis et restaurationis gradum, si imis incum- bant ut ad superna resurgant ; si cupiditatibus ipsis suis ad finiendas cupiditates pertrahantur ; si terrena quæ sola sapiunt, à Deo petere ita insuescant, ut Deo consuescant familiariùs, ab eoque divina sapere atque amare tandem ad- ducantur. Cùm ergo ea sit natura rerum visi- bilium à Deo instituta, ut ad invisibilia alliciat, cùm nos præposterè visibilium pulchritu- dine pellecti ab invisibilibus defluxissemus ; quando per visibilia rursùs et terrena ad in- telligibilia et æterna gradatim revocari cœpi- mus, tum cœpit restitui rerum natura, tum Christus naturæ reparator orbi affulgere et aspirare cœpit. Ergo ne ea quidem prima restitutio qualiscumque nisi Christi sanguine procurata est. Rursùm cùm primus sit ad Deum accessus, quanquàm nondùm proxi- mus, sed satis longinquus, accessus tamen animæ ad Deum : cùm Dei antea immemor et terrenis deliciis immersa, has ipsas à Deo fundi, et ab eo petendas esse addocetur et as- sentitur, et hic quoque salutis recuperatæ primus, vel recuperandæ progressus Christo incarnato imputandus est. Unde idem : « Be- « nigna et paterna indulgentia hæc donet quæ « non vult remanere in filiis suis jam gran- « diusculis, jam proficientibus. Donat ergo « pueris nuces, quibus servat hæreditatem. « Ludentibus et de quibusdam ludicris se oble- « ctantibus, cedit paterna pietas, ne deficiat « ætatis infirmitas. » Hæc benigna indulgentia, et paterna pietas Dei, cùm ad æternam salu- tem desitura sit demùm, Christi sanguine uti- que conciliatur. At et humanum genus illo gradu ad Christum aliquando suscipiendum promovebatur à Deo, et singulis quibusque plerumque prima spiritalis curationis auspicia indidem ducuntur : « Dicimus ita esse ista « munera Dei, ut tamen sint infima ; et in « comparatione salutaris confessionis non so- « lùm amittenda, sed ultrò etiam projicienda ; « carnalibus tamen hæc amantibus et nondùm « capientibus promissa cœlestia, ne ab idolis « et dæmonibus ita peterent, utiliter à Domino « Deo esse pollicita. » Avocari ab idolis et ad Deum verum reflecti, jam diluculum erat sa- nitatis, quod à Christo medico irradiabatur. Et alibi eos idem exagitans qui æterna Deo, temporalia dæmonibus regenda, largiendaque assignabant : « Contra istam opinionem divina « providentia vigilavit, ut ostenderet Deus ad « se pertinere ista omnia et in suâ potestate « esse, non solùm æterna quæ in futurum pro- « misit, verùm etiam temporalia quæ in terrâ « dat quibus voluerit, et quando voluerit op- « portunè, sciens cui det, cui non det, tan- « quàm medicus medicamenta, sciens meliùs « morbum ægroti, quàm ipse ægrotus. Ut ergo « Deus hoc ostenderet, distribuit tempora ve- « teris ac novi Testamenti. In veteri Testa- « mento promissiones sunt rerum terrenarum, « in novo autem regni cœlorum. » En quàm apertè de arte et consilio medicinæ hanc ve- teris etiam Testamenti dispensationem profe- ctam esse docet. Et medicamenta utique ap- pellari debent, quibus impietas et idololatria profligabatur, aut prævertebatur. Religionis et sanctimoniæ hoc caput, hoc fundamentum est unum Deum profiteri, portenta spuriorum nu- minum execrari. Hæc via prima salutis. Non ergo cuiquam nisi per Christum pandenda. Et rursùm : « Synagoga ergo, id est, qui Deum « ibi colebant, sed tamen propter terrenas res, « propter ista præsentia. Sunt enim impii qui « præsentium rerum bona à dæmonibus quæ- « runt. » Si illos Dei propter temporalia bona

cultores cum his impiis conferas eadem mendicantibus à suis idolis, jure merito pios pronuntiabis, ut Deo vero addictos, ut impietatis gentilitiæ puros, ut divinæ providentiæ devotos, ut Deo congredi et consuescere incipientes, ut suâ hâc cum vero et æterno Deo familiaritate in verorum et æternorum bonorum gustum et amorem procliviùs inclinandos, atque adeò ut sempiternæ salutis jam prima limina prætergressos, non sine Christi Salvatoris idoneâ opitulatione et his initiis sufficiente. Si rursùs eosdem conferas cum iis qui Deo propter æternorum, et propter ipsius Dei charitatem famulantur, atque adeò his illos ex adverso objicias, ut nunquàm in horum gregem asciscendos, non immeritò illorum vicem dolebis et objurgabis inertiam, quòd cœptæ sanationis initia non promoveant, quòd reliqua vulnera incurata dissimulent, quòd sordescant adhuc nefariarum cupiditatum illuvie, quòd non tam Deum quàm avaritiam suam colant, id enim colitur quod diligitur ; quòd denique verissimæ Christi gratiæ et medicinæ totius ægritudinis expugnatrici reluctentur. Inter illos gratulantes, et hos iisdem conviciantes, videtur compugnantia quædam intercese, nec ulla tamen est, nisi in speciem et verbo tenùs. Nam et auspicatis initiis gratulandum est convalescere incipientium, et iisdem vehementer condolendum atque illacrymandum, si reliqua respuatur et potissima medicina, perfectæque sanitatis spes abjiciatur. Perspicuum est et quotidianum in iis experimentum, qui vel ex morbo corporali recreari incipiunt, et mox ægrescunt deteriùs : vel ex morbo animæ prælusoriis quibusdam pœnitentiæ remediis relevari et revalescere aliquantulùm, si postea ex incuriâ vel contumaciâ resorbentur in eamdem voraginem.

CAPUT V.

Quæ hactenùs de humani generis pueritiâ, legis, timoris et temporalis mercedis imbuendâ tirocinii, et ita ad Christum manuducendâ, disputata sunt uno ex Augustino, reliquorum Patrum astipulatione muniuntur.

1. Quia cæteros omnes hâc in parte unus superavit Augustinus ubertate et copiâ quâdam incredibili, id in causâ fuit, ut quatuor superioribus capitibus obmutuerint reliqui Patres, et disceptandæ hujus controversiæ partes illi uni mandaverint. Nunc ne elingues, aut ab ejus sententiâ alieni videantur cæteri cuiquam, singulorum aut sanè complurium astipulatio hîc obiter audienda : nefas est enim promulgari à quoquam, nedùm ab Augustino, doctrinam non à majorum auctoritate, et ab ipsis usque apostolicis fontibus haustam et ad posteros derivatam ac derivandam. Nefas est et ab instituto hujus nostri operis alienum, unius à Patrum senatu sententiam ita solam amplecti, aut solam ostentare, ut cæterorum, vel assensus contemni, vel dissensus dissimulari existimetur.

2. Porrò in reliquorum Patrum assertione explanandâ, consultius visum est et brevitati accommodatius, quæ hactenùs distinximus, ea permiscere, et legem, timorem, temporalis felicitatis illecebram, tanquàm puerilium elementorum congeriem quamdam promiscuam, unà pertractare. Ita enim intexta sunt permixtaque hæc omnia, ut nisi magno temporis impendio seponi non possint. Illud etiam præfandum excusandumque necessariò est, non inutiliter replicari antedicta, et penè nauseantibus quædam iterùm, iterùmque ingeri. Quæ enim ita à nobis refricantur sæpiùs, etsi in speciem protrita et obvia videri possint, reapsè tamen abdita sunt, recondita sunt, profundioris egent indaginis, acumen totum ingenii et penè oculum contemplationis desiderant, ut non extrinsecùs delibentur, sed in medullâ introspiciantur. Itaque eò abstrusiora sunt, quò promptiora videntur et incautos fallunt, fugiuntque dùm teneri putantur. Experior et ipse, quàm facilè elabantur, nec vel cogitando, vel scribendo comprehendi se et alligari patiantur à nobis. Unum illud est maximè in quo cardo vertitur hujus meditationis, de Christi adventu in plenitudine temporum, quòd nempe homo et quilibet sigillatim et omnis universim puerilibus ante quibusdam imbuendus sit per legem, per timorem, per terrenas blanditias rudimentis, quàm ei infundatur et incarnetur æterna et summa sapientia ac justitia Christus ; et singulis autem et universis gradatim tantùmdem incorporetur et inhumanetur Christus, quantùm ab imo surgentes in sapientiâ et justitiâ proficiunt : tunc autem verissimè incarnetur, cùm perfectioris sapientiæ et justitiæ capaces jam sunt. Hæc summa, hoc caput est, hinc religata pendent, hùc collimant omnia, hoc sexcenties inculcatum jam supra est, hoc frequentiùs post hæc inculcabitur. An ergo recoctâ crambe nauseantibus objicitur ? An tempori, an operæ, an lectorum fastidio illuditur ? Non desunt alia in quæ excurramus, sed hîc, hîc sistere et vel fastidiosos remo-

rari juvat et consultum est. Hoc enim quò magis obvium videtur, hoc abstrusius est, hoc magis fallit. Hoc sapientiæ, hoc intelligentiæ, quantula in incarnationis incomprehensibili sacramento radiare et explicare se potest, summum lumen, summum columen est. Hoc in sanctorum Patrum de inhumanatione Verbi doctrinâ luculentissimum, hoc reconditissimum est. Hoc arcanum, ut sentio equidem, vel à limine salutare paucissimi, penitùs invadere ac perlustrare vix unus aut alter potest. Itaque nictitans ego ipse et palpans mihi videor fores tentare et pulsare, penetralibus inhiare, non illabi; ideò quodammodò luctor et conor irrepere, ac statim repercuti me sentio, nec spem tamen præsecari.

3. Gratior Augustino suffragator et libentior nullus accedet quàm Ambrosius, fortassè nec copiosior. Quo etiam aptiùs mitigari poterit ea, quæ in Augustinum quasi asperioris hujus doctrinæ principem et primum architectum, invidia conflagraverat? Aspera enim audire non debebit ea doctrina, quam Ambrosius melle dulcior fuderit; nec invidiosiùs imputabitur Augustino, quod illi Ambrosius, quod Ambrosio, ut postea patebit, avitæ theologiæ trames irrigavit. Ambrosius ergo epistolâ ad Irenæum sic habet: « Decursâ lectione Apo- « stoli non perfunctiore, motus es, quia au- « disti hodiè lectum : *Lex enim iram operatur;* « *ubi autem non est lex, nec prævaricatio.* Unde « et consulendum arbitratus es, cur lata « sit lex, si nihil proderat, imò oberat : quæ « operaretur iracundiam et prævaricationem « introduceret. Equidem secundùm interro- « gationem tuam certum est, non fuisse legem « necessariam quæ per Moysen data est. Nam « si naturalem legem, quam Deus creator in- « fudit singulorum pectoribus, homines servare « potuissent, non fuerat opus eâ lege, quæ in « tabulis scripta lapideis, implicavit atque in- « nodavit magis humani generis infirmitatem, « quàm elaqueavit atque absolvit. » Cùmque eleganter disseruisset de eâ lege intimâ, « quæ « non scribitur, sed innascitur, nec aliquâ « percipitur lectione, sed profluo quodam na- « turæ fonte in singulis exprimitur : » secundùm quam in extremo judicio omnes homines distringentur, hæc subdit : « Solvit hanc legem « Adam qui voluit sibi arrogare quod non ac- « ceperat, ut esset sicut creator et conditor « suus, etc. Ergo quia per inobedientiam præ- « rogativa naturalis legis corrupta atque inter- « dicta est, ideò scriptum legis existimatum est « necessarium, ut vel partem haberet, qui « universum amiserat; et cui perierat quod « nascendo assumpserat, discendo saltem co- « gnosceret et custodiret. Simul qui causa de- « jectionis ejus superbia fuit, superbia autem « orta est ex prærogativâ innocentiæ : debuit « ea lex ferri, quæ subditum Deo et subjectum « redderet. » Scopum legis propalare aggressus, et ei respondere, qui ex Apostolo argumentabatur obfuisse potiùs, quàm profuisse; illaqueâsse, non exoluisse legem : duas statim depromit legis utilitates non mediocres, primùm ut corruptam peccato legem innatam renovaret, et naturam jam reparare cœptâret : deinde ut frangeretur hominis superbia, et Deo cervix ejus mollita subjiceretur. *Lata est ergo lex, primùm ut excusationem tolleret, ne quis diceret : Peccatum nescivi, quia præscriptum non erat, quid caverem. Deinde ut omnes subditos faceret Deo agnitione peccati.* Ex quo planum est consilio medicinæ, et Christi gratiâ jam hominibus admovente medicas manus suas, jam suum Christo rorante sanguinem dictatam esse legem. Auxilii enim genus est, lex et lux. Quâ si contingat detegi malè latentes morbos, et exagitari, et dùm curari incipiunt, nonnihil ad tempus exacerbari, id quoque arti et beneficio medicinæ adscribendum est, et benevolentiæ divinæ mala nostra nobis benevertentis.

4. Quid enim beneficentius, quid divinæ misericordiæ convenientius, quid Christi gratiæ speciosius, quàm de malefacientibus bene facere, et de insaniâ sanare, de exulceratione morbi morbum profligare, et demùm, quod mortis ejus singulare decus est, de peccato damnare atque interficere peccatum? Unde ille consequenter : « Universorum itaque culpa « operata est subjectionem, subjectio humili- « tatem, humilitas obedientiam generavit. Ita- « que quia superbia culpam contraxerat, è « contrario culpa obedientiam generavit. Unde « lex scripta quæ videbatur superflua, facta « est necessaria, ut peccatum peccato solve- « ret. » An ergo dubium esse poterit, morti Christi legem accepto ferendam, quæ mortem Christi imitabatur, imò per quam mors Christi, ut sibi familiare est, peccato peccatum sólvebat?

At, inquies, per legem abundavit peccatum, ergo obfuisse, non profuisse, adeòque nec Christi sanguine delibuta fuisse censenda est. Respondet Ambrosius, non ibi hærendum in salebroso nimis loco, quòd per legem abundá-

rit peccatum, sed ultra pergendum cum Apostolo, *ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia.* Itaque legi non abundantia peccati, sed redundantia gratiæ imputanda est. Hæc enim redundantia gratiæ non illa tantùm interpretanda est ubertas gratiæ per Christum et post Christum plenior, quanquàm et ad hanc lex deduxerit : sed illa etiam confessio, illa humilitas quæ ex agnitione peccati jam non ampliùs latentis emergebat. Perinde enim est ac si medicinæ quâ primùm summa morbi rabies tentatur et concutitur, ut aliis remediis postea expugnetur, hanc mali concussi effervescentiam imputaret aliquis, et non illam quoque mali posteriorem expugnationem. Utraque illi tribuenda est, sed hæc magis quàm illa, quia hæc ejus scopus et finis est : « Sed ne rursùs « aliquis deterreatur et dicat, incrementum « peccati factum esse per legem, et legem non « solùm non profuisse, sed etiam obfuisse ar- « bitretur, habet quo suam solari possit solli- « citudinem, quia etsi per legem superabunda- « vit peccatum, *superabundavit et gratia.* Quid « sit hoc, intelligamus. Superabundavit pec- « catum per legem, quia *per legem agnitto pec- « cati, et cœpit mihi obesse, scire id quod per « infirmitatem vitare non possem.* Ad cavendum « enim prodest præscire, sed si cavere non « queam, offuit nôsse. Versa ergo lex in con- « trarium. Tamen ipso peccati incremento, « facta est mihi utilis, quia humiliatus sum. « Unde et dixit David : *Bonum mihi, quòd hu- « miliatus sum.* Humiliando autem me, solvi « vinculum errati superioris, quo Adam et « Eva exuerant omnem propriæ seriem succes- « sionis. » Vides superabundantiam gratiæ, nempe humilitatem ex lege fluxisse, ideòque legem non obfuisse, sed obesse visam esse, ut post prodesset. Quod apertiùs statim subjicit : « Crevit quidem culpa per legem : sed et culpæ « auctor superbia soluta est, idque mihi pro- « fuit. Superbia enim culpam invenit, culpa « autem gratiam fecit. » In illo tumore tota vis morbi fervebat. Per legem tumor superbiæ detumuit, non sine vulnere, sed huic vulneri gratulandum est et medico percutienti ut sanet, et percutiendo sananti.

5. Et ne hujus utilitatis à lege profluentis et ad Christum deducentis exortes opineris alias gentes penitùs fuisse, idem Ambrosius ibidem lege naturali non penitùs oblitteratâ, legis etiam scriptæ famâ aliquâ omnem in orbem deditâ et disseminatâ, universo generi humano eamdem à Deo docet adhibitam fuisse medicinam. « Ea igitur lex non scribitur, sed innas- « citur, etc. Quam debuimus vel futuri judicii « metu servare, cujus testis conscientia nostra « tacitis cogitationibus apud Deum ipsa se pro- « dit, quibus vel redarguitur improbitas, vel « defenditur innocentia. Itaque cùm semper « pateat Domino, tum maximè in die judicii « manifestabitur, quando occulta cordis in exa- « men venient, quæ putabantur latere. » Non latebant ergo, sed putabantur latere; ideòque secundùm ingenitam hanc legem prævaricatores erant omnes peccatores terræ ; hæc lex occultiùs, sed aliquatenùs tamen reos convincebat, et ad humilitatem, ad confessionem, ad opem superni liberatoris implorandum coarctabat. Rursùs ibidem paulò infra de lege Mosaicâ non obscuris rumusculis omnem orbem pervagatâ : « Ut omnes subditos fecit, quia non « solùm Judæis data est, sed etiam gentes vo- « cavit. Proselyti enim ex gentibus sociaban- « tur. Neque verò exceptus videri potest, qui « vocatus defuit. » Ita ergo omnes gentes aura Mosaicæ legis perflaverat.

6. Pueritiæ generis humani non potuisse consultiùs provideri, quàm legis terrore tanquàm pædagogo admoto, quo sensim mansuesceret ad jugum Christi, et præceptorum ejus portionem primùm aliquam subiret, eorumque corticem litteræ lamberet, atque ita demùm insuesceret convalesceretque ad ferendam ejus plenitudinem et medullam charitatis degustandam, idem tradit : « Non otiosè « dixit Apostolus, quia *lex pædagogus noster « fuit in Christo.* Pædagogus cujus est, matu- « rioris, an adolescentis, aut pueri, hoc est, « ætatis infirmæ? Pædagogus ergo, sicut inter- « pretatio latina habet, doctor est pueri, qui « utique imperfectæ ætati non potest perfecta « adhibere præcepta, quæ sustinere non queat, « etc. Sciebat duræ cervicis populum Judæo- « rum, lapsum, humilem, perfidiæ promptio- « rem, etc., lubrico quodam infantiæ levem et « immemorem præceptorum. Et ideò legem « tanquàm pædagogum mobili plebis ingenio, « et menti adhibuit infirmæ, ipsaque legis præ- « cepta moderatus, aliud legi voluit, aliud in- « telligi, ut insipiens saltem quod legeret, « custodiret, et à præscripto litteræ non rece- « deret : sapiens intelligeret divinæ mentis « sententiam, quam littera non resonaret ; « imprudens servaret legis imperium, prudens « mysterium. Ideò lex severitatem gladii habet, « tanquàm pædagogus baculum, ut imperfectæ « plebis infirmitatem pœnæ saltem denuntia-

« tione deterreat, etc. Ergo sicut pueris, ita « Judæis mandata sunt non plena præcepta, « sed ex parte : et velut unam membri sui par- « tem mundam servare præcepti sunt, qui « totum corpus suum mundum servare non « poterant. » Medicinale hoc utique et salubre atque Salvatoris Christi gratiâ temperatum regimen est, quo pueri, qui charitate nondùm per ætatem possunt, saltem metu agantur : qui spiritum et mysterium legis nondùm valent, litteram et imperium servent. Et ne mollior tibi videatur, atque ab Augustini sensu alienior Ambrosius, audi eadem aliquantò duriùs increpantem : « Ideò lex non prævaluit, « quia carnem non mortificavit. Ideò quasi « umbra præteriit, ideò etiam obumbravit nos « à sole justitiæ, coacervavit crimina, non de- « levit, etc. Accessit vinculum, non solutio : « addita est peccatorum agnitio, non remissio. « Peccavimus omnes qui poteramus excusatio- « nem prætendere per ignorantiam, os ob- « structum est omnibus. Profuit tamen mihi, « cœpi confiteri quod negabam ; cœpi delictum « meum cognoscere, et injustitiam non ope- « rire, cœpi pronuntiare *adversùm me injusti- « tiam meam Domino, et tu remisisti impietates « cordis mei.* » Non legi imputanda nisi ex occasione illa criminum coacervatio, sed criminum agnitio, et detestatio, et confessio, et timoris aut charitatis etiam, sed adhuc tenerioris et immaturæ ad Deum liberatorem conversio. ondùm enim sub gratiâ, sed sub lege sunt adhuc, qui lege admoniti crimina sua agnoscunt, exhorrent metu divini judicii, confitentur, veniam et opem orant supernam, nonnullà etiam charitatis aurâ tepescunt, non ita fervent adhuc, ut vitia quibus repugnant, etiam expugnent. Hæc hominis pueritia est, hæc statio sub lege, nondùm adulta juventa, nondùm perfecta justitia, nondùm charitas foras mittens timorem, nondùm Christus. Imò jam Christus, sed sibi prævius, semet præcurrens, antelucanos præseminans quosdam carnis suæ gratiæque radios. Quocirca nec Moyses olim in terram promissionis Israelitas induxit, sed Josue qui Jesu nomen præferebat, auctoritatem præsignabat in veram et cœlestem patriam perducendi. Quod argumento posteris erat, non lege, sed gratiâ cœlum adiri : « Ideò nec Moyses eos induxit, nec legis hoc « existimetur esse, sed gratiæ, » ut ait Ambrosius. Quod et à reliquis Patribus ferè omnibus animadversum est. At quanquàm Moyses non perduxerit, adduxit tamen, et admovit proximè, et longo profectionum profectu Immanem quamdam utilitatem contulit, etsi salutis summam non attulit.

7. Sub Moyse, hoc est, sub lege fuerunt, non ii tantùm qui in deserto per varias strages deleti sunt, sed et ii, imò ii maximè, qui dictis ejus obsequentiores ad ipsa terræ promissæ, id est, ad salutis limina perducti ab eo sunt, et mox à Jesu in repromissam hæreditatem inducti. Illi enim cervicosi non tam sub lege seu sub Moyse, quàm contra legem Moysemque erant, uti et nunc plerique non tam sub gratiâ sunt, quàm adversùs gratiam furiantur. At sequaces Mosaicæ dominationis et legis verè sub lege erant, nondùm sub Jesu, nondùm sub gratiâ, sed ad Jesum tamen et ad gratiam sub legis imperio et adjutorio iter carpentes, iter celerantes. Ergo hinc auguraberis, non legis commoda ex iis conjectanda, qui adversùs eam ferociebant, et insaniùs tumebant, uti nec Moysis utilitas ex iis qui in deserto pœnas defectionis luerunt : sed ex iis qui ex lege admoniti et conterriti, peccata agnoverunt, horruerunt, declinârunt, infirmitati suæ opem supernam exorârunt. Ita ergo fit ut in Apostoli, in Patrum monumentis, legis utilitas nunc elevetur, nunc commendetur, citra compugnantiam : quia desertoribus exitialis, sequacibus salutifera et Christi anticipatrix quædam fuit lex. Idem Ambrosius : « *Quod « quærebat Israel, hoc non est consecutus.* Quare « non sit consecutus, agnosce, quia se justi- « ficare cupiebat, quia operum suorum jactan- « tiam requirebat, quia fidem non detulit, nec « gratiam recognovit ; et ideò electio conse- « cuta est, quæ vocantem audivit, audientem « suscepit. » Quo utrumque genus complexus est ; legis enim ad Christum vocantis vocem audierunt qui ex eâ humilitati sunt, non audierunt quibus aures tumor obturavit.

8. Sed ipsum nomen pædagogi, quo lex à Paulo decoratur, quantùm legi debeamus, et quàm tetram ingrati animi notam subeant, qui eam convellunt, apertè satis insinuat. Unde idem Ambrosius : « Lex secundùm Apo- « stolum, pædagogus est parvulorum, donec « ad perfectæ fidei maturiorem quamdam ve- « niamus ætatem, etc. Ergo sanctus Propheta, « qui adhuc in legis justificatione vivebat, vi- « debat autem fulgorem Evangelii, quasi me- « mor veteris disciplinæ legis, tanquàm pæ- « dagogo utili gratiam reservabat. Considera « aliquem excedentem ex Ephebis, in divitiis « et honoribus constitutum, pædagogo suo

« honorificentiam reservatam habere, cujus « officiis informatum se esse cognosceret, ut « maturiorem regere possit ætatem. Monet « siquidem etiam ipsa lex, ut his quæ nobis « aliquando profuerunt, nequaquàm esse de- « beamus ingrati. » Puerili enim disciplinæ lota deinceps consecutura debetur quodammodò incrementorum perfectio. Pædagogo debemus quòd pædagogo jam non utamur : *legi* et timori debemus, quòd in eam ematuruerimus justitiæ charitatem, ut terriculamentis illis jam incitandi non simus : lacti temporalium blanditiarum debemus, quòd solido nunc veritatis æternæ cibo vescamur. Ergo « utili pædagogo gratiam reservemus. » Quæ utilitas non in eo tantùm versata est, quòd superabundârit culpa, quam superabundatior gratia obruit et oblitteravit; sed in eo etiam et in eo potissimùm, quòd sub pædagogi terrore ab opere peccati desueverimus, et inde etiam ab amore ; quòd imperio subesse didicerimus, atque ita assueverimus et mysterio ; quòd obedientiæ cervicem duriorem inflexerimus, ut emollitam et libentiorem charitati postmodùm inclinaremus, in quo Christi gratiæ vestigia extant illustriora.

9. Legis etiam officia ominari possumus quàm salutaria humano generi fuerint, ex eo uno qui personam ejus videtur sustinuisse, Joanne Domini præcursore. Audiamus Ambrosium, cui eâ in re Patres unanimi consensione suffragantur : « Factum est autem, ut « sanctus Baptista Joannes pœnitentiam præ- « dicaret. Et ideò plerique sancto Joanni ty- « pum legis imponunt, eò quòd lex peccatum « denuntiare potuit, donare non potuit. Lex « enim unumquemque qui viam gentium se- « quebatur, revocat ab errore, restringit à « crimine, pœnitentiam suadet, ut gratiam « consequatur. *Lex autem et Prophetæ usque « ad Joannem* : Joannes autem prænuntius « Christi. Itaque lex Ecclesiæ prænuntia, et « gratiæ prævia est. » Personam ergo legis gestabat, vices obibat Joannes, perinde ut lex Christo præcurrebat, gratiam prænuntiabat; peccata ostendebat, non abolebat; oppugnari jubebat, non expugnabat : terrorem, non amorem indebat. At quis Joannem ambigat de hominibus benè meritum esse? Quis hoc ipsum quod revocaret ab errore, quod restringeret à crimine, quod pœnitentiam suaderet, inter beneficia Christi numerare abnuat? Gratiæ, charitati, Christo viam complanare, obstantia repagula superbiæ perfringere, quis gratiæ munera esse dissimulet? Erat itaque Joannes in hoc ipso suo munere defungendo, perinde ut reliqui omnes justi, Christi portio, erat Christi membrum et gratiæ Christi peculiare documentum. Et quando singuli eâdem arte curantur quâ universi, cùm suus in singulis nobis Christo præcurrit Joannes, pœnitentiæ præco, terroris et judicii ostentator, nonne hæc Christi gratia sentitur esse eximia, quòd ita gratiæ præparamur? Nec enim gratiæ nisi per gratiam, nec Christo nisi per Christum præparamur. Ergo erat in lege, erat in Joanne Christus, erat gratia, sibi præcurrens, sibi viam aperiens et explanans. Idem Ambrosius : « Et fortassè hoc mysterium in hâc vitâ nostrâ hodièque celebratur. « Præcurrit enim animæ nostræ quædam virtus Joannis, cùm credere paramus in Christum, ut paret ad fidem animæ nostræ vias : « et de vitæ istius tramite tortuoso, rectas « semitas nostri faciat commeatus, ne anfractu « labamur erroris, quo omnis vallis animæ « nostræ virtutis fructibus possit impleri, et « omnis secularium altitudo meritorum, Domino se humili magis timore prosternat, sciens « nihil sublime esse posse, quod fragile est. »

10. Postremò tandem ne totum hùc transferam Ambrosium, audi quid referat : « Lex « enim ligavit sibi, ut absolveret cupiditati- « bus. » Et alibi : « Et ideò lex necessaria. *Per « legem enim peccatum agnovi. Si lex non fuisset, « peccatum lateret.* Agnoscendo peccatum, ve- « niam peto. Per legem enim genera peccato- « rum, prævaricationis quoque crimen agnosco. « Curro ad pœnitentiam, gratiam consequor. « Lex ergo auctor est boni, quæ mittit ad gra- « tiam. » Et rursùs : « Illi qui infirmi sunt, « adhuc quodam lacte legis potantur, et ideò « per legis tramitem ducuntur ad gratiam : « audiunt quæ legis sunt, ut ultra legem, le- « gem sequendo procedant. Hìc Ecclesia fun- « datior, non lacte imbuitur, sed cibo vesci- « tur. Cibus enim validior est charitas. » Num lac quo ad solidum cibum roboramur, alio ex fonte quàm ex Christo profluit? Num lac istud aliud, quàm Christi sanguis est ad infantiæ blandimentum temperatus? Num currere ad gratiam, etsi qui currit adhuc, nondùm sub gratiâ sit, alìunde quàm de gratiâ est? Et denuò : « Ideò lex data, promissa gratia, ut lex « peccatum ex parte resecaret, gratia omne « donaret. » At peccatum vel ex parte resecare, gratiæ est, Christi muneris est. Sed quia tantilli beneficii auctorem prædicari Christum,

non satis est è dignitate ejus qui universam salutem confert, ideò gratia Christi non solet dici, nisi quæ justitiam et salutem impertit pleniorem. Itaque legem profuisse et salubre ex eâ redundâsse, sufficiensque ad ejus ætatis justitiam auxilium, ex Ambrosio jam indubitatum est, nec dubitari etiam potest, quin suam ex eo de his sententiam deprompserit Augustinus. Utque id extra omnem dubitationis aleam constituatur, audi eumdem Ambrosium, duriora illa verba Augustino dictantem et simul emollientem : « Quid autem est quod « tibi non contulit Dominus? Legem dedit, « peccatum prodidit, adjunxit gratiam. Lex « peccatum denuntiavit, sed in conditione « lubricâ penitùs cohibere non potuit. Co- « gnovi enim peccatum quod nesciebam, co- « gnovi concupiscentiam esse peccatum; et hâc « occasione, peccati æra cumulata sunt, etc. « Cognitio culpæ quæ mihi profutura videba- « tur, hæc nocuit, ut scirem quod vitare non « poteram. Peccatum enim prodidit, et per « bonum denuntiationis suæ, peccati istius « cumulavit invidiam. » Cujusmodi alia complura ad eamdem duritiem districta habet illo capite et sequenti : et tamen vide ut hæc statim mitiget et excuset : « Sicut ergo bonum « est antidotum, etiamsi imprudenti, aut in- « temperanti non bonum : sic bonum manda- « tum, etiamsi intemperanti non bonum est; « ergo bonum mandatum quod alicui mors « est. » Et ibidem paulò ante : « Quid miraris « igitur, si lex quibusdam morti sit, cùm « morti sit et Domini salutaris adventus per « quem redempti sumus? Infidelis enim mor- « tem sibi quærit ex gratiâ, manet autem man- « dati gratia. » Quo nihil efficacius dici potuit. Nam uti mors Christi, ita et lex antidotum fuit, sanandæ animarum ægritudini temperatum, sed illud præ isto incomparabiliter excellentius. Antidoto mortis Christi quorumdam ægritudo recruduit, quin ergo et legis?

11. Et hactenùs de lege potissimùm : nunc de timore delibanda sunt paucula quædam ex eodem Ambrosio, ut liqueat quantùm illi consentiat Augustinus, et quantùm uterque etsi in speciem horridior, et in timorem velut cruentus et atrox, reapsè tamen ejus saluberrima in nos officia non dissimulet, quibus ad Christum deducamur. Ambrosius ergo : « *Lex* « *pædagogus est,* pædagogus ad magistrum du- « cit; *magister noster solus est Christus.* Pæda- « gogus timetur, magister viam salutis osten- « dit. Timor ergo ad charitatem perducit, « libertas ad fidem, fides ad charitatem, cha- « ritas acquirit adoptionem, adoptio hæredita- « tem. Ergo ubi fides, ibi libertas : servus enim « sub metu, liber ex fide. Ille sub litterâ, iste « sub gratiâ ; ille in servitute, iste in spiritu. « Ubi autem spiritus Domini, ibi libertas. Si « igitur ubi fides, ibi libertas, ubi libertas, ibi « gratia : ubi gratia, ibi hæreditas; Judæus « autem litterâ, non spiritu, in servitute est, « qui non habet fidem, non habet spiritûs li- « bertatem. Ubi autem nulla libertas, nulla « gratia; ubi nulla gratia, nulla adoptio : ubi « nulla adoptio, nulla successio. Tanquàm « clausis ergo tabulis, cernit hæreditatem, « non possidet, auctoritatem non habet lectio- « nis. » Non potuit timor servilis contumeliosiùs exagitari, et tamen non siletur laus quòd ad charitatem perducat, ac proinde et ad omnem bonorum exuberantiam charitati indivulsè cohærentem. Rursùs idem Ambrosius : « Ini- « tium esse sapientiæ timorem Domini, dicit « Propheta. Quid est autem initium sapientiæ, « nisi seculo renuntiare? Quia sapere secula- « ria, stultitia est, etc. Etenim vera sapientia « à timore Dei incipit : nec est sapientia spiri- « talis sine timore Dei : ita timor sine sapien- « tiâ esse non debet. Basis quædam verbi est « timor sanctus. Sicut enim simulacrum aliquod « in basi statuitur, et tunc majorem habet « gratiam, cùm in basi statua fuerit collocata, « standique accipit firmitatem : ita verbum « Dei in timore sancto meliùs statuitur, for- « tiùs radicatur in pectore timentis Dominum, « ne labatur verbum de corde viri, ne veniant « volucres, et auferant illud de incuriosi et « dissimulantis affectu. » Equidem cùm audio timorem esse initium sapientiæ, audire mihi videor, timorem esse quoddam præludium Christi, imò quoddam ejus initium qui sapientia est. Jam ergo sapientia Christus per timorem legis nascebatur, jam initia quædam incarnationis suæ prætentabat. Cùm audio rursùs et vehementer assentior, non insemnandum esse Dei verbum, nisi eorum pectoribus, quos timor jam concussit, Deoque auritos et sequaces fecit, alioquin fore ut sterilescat, vel ab infimis volucribus auferatur : audire mihi videor, et consequenter assensuros omnes arbitror, non inferendam, aut incorporandam humano generi priùs fuisse ipsam sapientiæ Verbi hypostasin, quàm timor præisset, atque ad obsequium homines inflexisset. Ita enim constat initium sapientiæ esse timorem Dei. Et ibidem rursùs : « *Vivet anima*

« *meu, et laudabit te, et judicia tua adjuvabunt* « *me.* Ego infirmus, ego peccator, timeo ju- « dicia Dei propter conscientiam delictorum. « Mihi terrorem afferunt, me exagitant, san- « ctos adjuvant. Sed tamen juvabunt etiam « peccatorem, licet diverso modo. Sanctus « adjuvabitur, dùm probatur : peccator adju- « vabitur, dùm humiliatur, dùm castigatur, « ut peccata solvat duplicia : dùm opus ejus « exuritur, ut ipse salvus fiat, *sic tamen quasi* « *per ignem.*» Ubi videtur duplicem judiciorum Dei timorem discriminare, alterum justorum, alterum peccatorum, ut illi recreentur, hi humilientur, et castigentur, atque à sordibus suis excoquantur, utrique adjuventur. At humiliari, castigari, excoqui, prævia quædam Christo venturo et gratiæ præludia sunt, et jam tamen præsumptæ sunt Christi ejusque gratiæ irrigationes. Quippe eò intuemur, eò tela omnia intorquemus, ut legem, ut timorem, et ad salutem conduxisse, et de Christi profluxisse gratiæ fontibus, et ipsi Christo incarnando præcurrere debuisse, et in antecursoribus suis his jam prænatum, jam præmortuum latitâsse Christum, utpote agnum à constitutione mundi et natum et occisum, stabilitamus. Sed jam nimis multa ex Ambrosio.

12. Hieronymus ab eâdem doctrinâ nec vel latum unguem, quod aiunt, deflexit. Etenim hæc Apostoli verba exponens : *Quid igitur lex ? propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promissum erat, ordinata per angelos in manu mediatoris,* hæc habet : « *Propter trans-* « *gressiones,* inquit. Post offensam enim in « eremo populi, post adoratum vitulum, et « murmur in Dominum, lex transgressiones « prohibitura successit. *Justo* quippe *lex non* « *est posita :* iniquis autem et non subjectis, « impiis et peccatoribus : et, ut altiùs repetam, « post idololatriam, cui in Ægypto fuerant « mancipati, ritus colendi Deum et delinquen- « tium pœna sancita est, in manu mediatoris « Christi Jesu, quia *omnia per ipsum facta sunt,* « *et sine ipso factum est nihil.* Non solùm cœ- « lum, terra, mare, et universa quæ cernimus, « sed etiam illa quæ per Moysen duro populo « quasi jugum legis imposita sunt. Postquàm « ob nostram salutem de Virginis utero digna- « tus est nasci, Dei et hominum homo Chri- « stus Jesus sequester est dictus. Antequàm « verò humanum corpus assumeret, et esset « apud Patrem in principio Deus Verbum, ad « omnes sanctos, ad quos factus est sermo « Dei, Enoch videlicet, Noe, Abraham, Isaac, « et Jacob, et postea Moysen et cunctos Pro- « phetas, quos Scriptura commemorat, sine « additamento hominis, quem necdùm assum- « pserat, mediator tantummodò nuncupatur.» Ubi aliquammulta non incuriosè perpendenda. Primò quòd legem propter transgressiones positam commentatur, quasi prohibituram, non cumulaturam transgressiones : ob præteritas, ut in posterum vitentur, non ob futuras prævaricationes, ut crescant et ingravescant. Nam etsi transgressiones postea increbuerint, non de legis aut legislatoris consilio, sed de hominum perversitate id profectum est, de quâ tamen legislator hominibus ipsis consuluit. Itaque hæc interpretatio Augustinianæ et Ambrosianæ non repugnat. Secundò legem non à Mose, sed per Mosis atque etiam per Angelorum ministerium, à Christo datam argumentatur Hieronymus. At à Christo quid nisi salutiferum, suavitate et gratiâ ejus conditum ? Num à Christo daretur quod hominibus impedimento esset, non adjumento ? Tertiò nequedùm hominem induerat Deus Christus, et jàm tamen Christus, jam mediator nuncupatur in sacrâ Scripturâ, in illâ antiqui Testamenti dispensatione moderandâ. Nimirùm ut obvium promptumque vel fidei nostræ tironibus est, quia carni suæ præludebat, hominibus congredi prægestiebat et insuescebat, carnis suæ merita et beneficia hominibus prærogabat. Ergo si tanquàm mediator legem sanciebat, non impedimenta utique, sed subsidia struebat nobis ad salutem, nec gratiæ suæ remoras objiciebat, sed rivulos in antecessum spargebat. Quartò ità ad Mosen, ut ad Enoch, ad Noe, ad Abraham, et ad Prophetas posteriores fiebat Verbum Dei, nempe ut his, ita illi, et forsitan copiosiùs illi, salutis non privatæ tantùm, sed publicæ adminicula sufficiebat.

13. Et ne Hieronymum causeris à supra laudatâ Patrum sententiâ deviâsse, adverte quæ paulò post inferat : « Nunc autem *propter* « *transgressiones,* ut supra diximus, posita lex, « magis arguit eos peccatores, quibus post re- « promissionem in custodiam, et ut ita dicam, « in carcerem data est : ut quia per arbitrii « libertatem noluerant innocentes expectare « promissum, legalibus vinculis præpediti, et « in servitutem mandatorum redacti, custodi- « rentur in adventum futuræ in Christo fidei, « quæ finem repromissionis afferret. Nec verò « æstimandum Scripturam auctorem esse pec- « cati, quia omnia sub peccato conclusisse di-

« catur, cùm mandatum quod ex jure præci-
« pitur, ostendat potiùs arguatque peccatum,
« puàm sit causa peccati. Quomodò et judex
« non est auctor sceleris, nequam homines
« vincendo; sed concludit eos, et nocentes sen-
« tentiæ suæ auctoritate pronuntiat, ut debitos
« pœnæ, indulgentia postea, si voluerit, prin-
« cipalis absolvat.» An potuit quidquam in le-
gem jactari sævius et probrosius? Carcer di-
citur et vinculum servitutis, et sententia reos
pronuntians, auctoritas pœnæ reos addicens.
Et hæc tamen clam innuunt exordia gratiæ
latitantis. Vincula enim hæc præpediunt, ne
ad idola defluas. Carcer iste custodit in ad-
ventum futuræ in Christo spei. Sententia hæc
non tam pœnam quàm humilitatem incutit
nocentibus, quâ indulgentiam principalem
promereantur. Unde postea: « *Itaque lex pæda-*
« *gogus noster.* Pædagogus parvulis assignatur,
« ut lasciviens refrenetur ætas, et prona in vi-
« tia corda teneantur, dùm tenera studiis cru-
« ditur infantia, et ad majores philosophiæ ac
« regendæ reipublicæ disciplinàs, metu pœnæ
« coercita præparatur, etc. Itaque et Moysi lex
« lascivienti populo ad instar pædagogi seve-
« rioris apposita est, ut custodiret eos, et fu-
« turæ fidei præpararet, etc.» Perspicua legis
utilitas, ut freno timoris lasciviam pueritiæ
coerceat à vitiis, utque futuris præparet fi-
dei et charitatis augmentis. « Quòd si quis post
« consummatum ætatis suæ tempus, quando
« jam hæres et liber et filius appellatur, vo-
« luerit esse sub pædagogo, sciat se non posse
« legibus parvuli vivere.» Poterat utique dùm
parvulus erat, sub legis et timoris freno vi-
vere, quia illi ætati hæc sufficiebant adju-
menta : at si volet quis in puerilibus rudi-
mentis consenescere, jam non legis, non ti-
moris, sed inertiæ suæ vitio præposterus et
insulsus peribit : quæ enim parvulo sufficien-
tia, adulto aut adolescere per naturam jusso
sufficientia haudquaquàm sunt. Ita jure lauda-
tur lex et comes ejus timor, pueritiæ compo-
sita, cui sufficit : vituperatur, juventæ com-
parata cui non sufficit. Nam ita lac, ita pæda-
gogus pueris commendatur, viris suggillatur;
quia illis competit et sufficit, his nec competit
nec sufficit. Quod autem universa gens homi-
num de lege et de viribus suis superbientium
peccavit Christum et fidem gratiamque ejus
repudiando, id singuli homines peccârunt,
cùm de pueritiâ et de legis timorisque rudi-
mentis adolescere ad amorem sapientiæ re-
spuerunt.

14. Jam ibidem paulò post : « Rectè hi *sub*
« *tutoribus et actoribus* esse dicuntur, qui ha-
« bentes spiritum timoris, nondùm metuêre
« spiritum libertatis et adoptionis accipere.
« Ætas enim infantiæ ad peccata formidat,
« pædagogum metuit, non confidit esse se li-
« berum, licet per naturam domina sit, etc.
« Parvulus iste tamdiù sub *tutoribus est* atque
« *actoribus*, donec legitimum perfecti viri tem-
« pus impleverit. Legitimum autem tempus,
« sicut Romanis legibus viginti quinque anno-
« rum spatio terminatur, ita ad humani gene-
« ris perfectionem Christi reputatur adven-
« tus. Statim ut ille venerit, et omnes in vi-
« rum perfectum creverimus, pædagogus à
« nobis tutorque discedunt.» Tutores actores-
que parvulis, non ut repagula quædam salutis,
sed ut necessaria pueritiæ et saluberrima
præsidia circumponuntur. Et statim : « *Cùm*
« *essemus parvuli, eramus sub elementis mundi*
« *hujus servientes*, etc. Alii elementa mundi,
« legem interpretantur Moysi et eloquia Pro-
« phetarum, quòd hæc quasi initia, et exordia
« litterarum, Dei timorem, qui sapientiæ prin-
« cipium est, suscipiamus.» Et infra : « Legem
« nobis Moysi *infirma et egena elementa* dicen-
« tibus, occasionem inveniunt hæretici, ut de
« trahant creatori, qui mundum condiderit et
« legem sanxerit. Quibus nos respondebimus
« id quod supra diximus : *Infirma* his esse *et*
« *egena elementa*, qui ad ea post Evangelii
« gratiam revertuntur. Antequàm verò præ-
« finitum tempus veniret à Patre, non tam in-
« firma et egena elementa appellata esse,
« quàm mundi. Denique priusquàm Christi in
« toto orbe Evangelium coruscaret, habuerunt
« suum fulgorem præcepta legalia : postquam
« verò majus evangelicæ gratiæ lumen effulsit,
« et sol justitiæ toti mundo se prodidit, stel-
« larum lumen absconditum est, et earum ra-
« dii caligaverunt. Ita ut Apostolus in alio loco
« diceret : *Nam nec glorificatum est, quod glori-*
« *ficatum fuit in hâc parte, propter excellentem*
« *gloriam.* Quod aliis verbis nunc loquitur, ut
« dicat : *Lex Moysi quæ ante Evangelium dives*
« *et opulenta, et clara fuit, post adventum Chri-*
« *sti, ad comparationem ejus, quasi infirma et*
« *egena, imminuta atque destructa est ab eo qui*
« *major fuit Salomone et templo, et Jonâ.* Quod
« enim scriptum est : *Illum oportet crescere,*
« *me autem minui*, non tam ex Joannis, quàm
« ex legis personâ dictum puto, quia semper
« cedunt minora majoribus, et perfecta initiis
« præponuntur.» Ubi advertis quersùm atti-

neant illa omnia, vel ab Apostolo, vel ab aliis postea in legis extenuationem ventilata. Nimirùm ibi Evangelio præhaberi à quibusdam cœpit lex, vel post Evangelium pertinaciter retineri, tum præ istius splendore et majestate illius obscuritas patefacta est. Priùs enim legis tanquàm stellarum lex splendicabat; sed ea utique non potuit non hebescere atque evanescere, ubi primùm sol evangelicus illuxit. Infirma ergo et egena elementa contemptim appellantur legis præcepta, sed post exortum Christi. Nam priùs « opulenta et clara et dives « erat lex Mosis » : cessitque lex gratiæ et Evangelio, non ut hostile quid et impediens, sed ut initium perfecto, ut minus majori, ut bonum meliori, ut lucidum lucidiori, ut timor charitati.

15. Sed ne tergiversetur aliquis, et hos commentarios non tam suis quàm alienis et maximè Origenis sententiis suffarcinâsse Hieronymum causetur, ejusdem epistolam ad Algasiam excutiamus, ubi hunc eumdem Pauli de lege locum versat in hunc modum et in eumdem sensum : « Quomodò medicina non « est causa mortis, si ostendat venena morti- « fera, licet his mali homines abutantur ad « mortem, et vel se interficiant, vel insidien- « tur inimicis, sic lex data est, ut peccatorum « venena monstret; et hominem libertate suâ « abutentem, qui priùs ferebatur improvidus « et per præcepta ferebatur, frenos legis re- « tineat, et compositis doceat incedere gressi- « bus : ita ut serviamus in novitate spiritûs et « non in vetustate liberæ; id est, vivamus sub « præcepto, qui priùs in modum brutorum « animalium dicebamus : *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.* Quòd si subin- « trante lege, quæ docet quid faccre, et pro- « hibet quid non faccre debeamus, vitio no- « stro et incontinentiâ feramur contra scita « legalia, videtur lex causa esse peccati, quæ « dùm prohibet concupiscentiam, quodam- « modò eam inflammare cognoscitur. Secula- « ris apud Græcos sententia est: Quidquid « licet, minùs desideratur. Ergo è contrario, « quidquid non licet, fomentum accipit desi- « derii. Unde et Tullius de parricidarum sup- « pliciis apud Athenienses Solonem scripsisse « negat, ne non tam prohibere, quàm com- « monere videretur. Igitur lex apud contem- « ptores et legum præcepta calcantes, videtur « esse occasio delictorum, dùm prohibendo « quod non vult fieri, ligat eos vinculis man- « datorum, qui priùs absque lege peccantes, « non tenebantur criminibus. » Impotentiùs in omne nefas debacchatam esse, lege acceptâ, concupiscentiam, in vetita æstuantiorem, agnoscit, et tamen legem ait esse medicinam, ait datam, ut præcipites per abrupta freno retineret, ut serviremus Deo in novitate spiritûs. Et tamen eodem prævaricationis reatu constrictum fuisse extra Israelitas omne hominum genus, ex legis insitæ transgressione, ut legem Mosaicam nemo in invidiam vocare possit, quin et legi naturæ contumeliosus sit, paulò post ita docet : « Ista hominum est qui « hanc legem nesciat. Unde omnis mundus sub « peccato, et conversi homines prævaricatores « sunt legis, » etc. Itaque eadem ubique terrarum divina medicina humano generi propinabatur, sed apertiùs apud Israelitas, ut homines lege irretiti, et prævaricationum laqueis implicati, liberatorem votis accerserent, et accelerarent. Ut ergo legi insitæ aliqualiter debet unusquisque, si resipiscat à vitiis, quæ illa exprobrat jugiter et compungit : ita legi Mosaicæ debebatur manifestiùs humilitas confitentium et ad liberatoris gratiam confugientium. Unde ibidem paulò post : « Cùmque vi- « derctur extrema desperatio, imò aperta con- « fessio, omnem hominem diaboli laqueis ir- « retiri, conversus in se Apostolus, imò homo « in cujus personâ Apostolus loquitur, agit « gratias Salvatori quòd redemptus sit san- « guine ejus, » etc. Et in epistolâ ad Gerontiam de Monogamiâ, ut famuletur lex Evangelio, et ejus veluti tirocinium aut rudimentum sit necessarium, ita perhibet : « Hæc « dicimus non separantes legem et Evange- « lium, ut Marcion calumniatur, sed unum et « eumdem suscipientes Deum, qui pro varietate « temporum atque causarum, principium et « finis, serit, ut metat; plantat, ut habeat « quod succidat; jacit fundamentum, ut ædi- « ficationi, consummato seculo, culmen im- « ponat. » Denique timoris utilitatem venturæ charitati pectora nostra adornantem, declarat in epistolâ ad Damasum : « *Quanti mercenarii* « *in domo Patris mei abundant panibus! ego au-* « *tem hìc fame pereo.* Mercenarios secundùm « alium intellectum eos advertimus ex Judæis, « qui ob præsentia tantùm bona, legis præce- « pta custodiunt. Ili justi sunt, et misericor- « des, non ob ipsam justitiam, et ob ipsum « misericordiæ bonum, sed ut à Deo terrenæ « felicitatis et longæ vitæ præmium conse- « quantur. Qui autem ista desiderat, meritò « compellitur ad obsequium præceptorum, ne

« eorum prævaricatione quæ jussa sunt, ca- « reat concupitis. *Porrò ubi metus est, non est « dilectio. Perfecta quippe dilectio foràs mittit « timorem.* Nam qui diligit, non ideò imperata « custodit, quia aut timore pœnarum, aut « præmii aviditate compellitur, sed quia hoc « ipsum quod à Deo jubetur, est optimum. » Non dissimulat quàm immaniter dissideat amor justitiæ à timore pœnæ, seu à temporalis boni cupidine : sed eos tamen qui vel timore amittendi, vel spe comparandi temporalis boni Deo obsequuntur, meliore loco esse approbat, quàm qui exleges et abruptis obicibus in omne facinus evagantur. Itaque gradatim desertores primùm fiant servi, aut mercenarii, et ita filiorum dignitati præparentur, id est, Christo suscipiendo.

16. Hilarius parcior fuit in eâ sententiâ expromendâ, non tamen omninò obmutuit. « Juvenis insolens per observantiam legis, et « finem legis qui Christus est, nesciens, et « justificatum se in operibus existimans, et « non intelligens venisse eum ad oves perditas « domûs Israel, et impossibile esse legi per fi- « dem justificationis servare credentes, » etc. Et alibi : « Movet Scribas remissum ab homine « peccatum, hominem enim tantùm in Jesu « Christo contuebantur : et remissum ab eo, « quod lex laxare non poterat. Fides enim sola « justificat. » Et infra : « Legis deinde difficul- « tatibus laborantes et peccatis seculi oneratos « ad se advocat, dempturumque se laborem « onusque promittit Christus, » etc. An potest legis inutilitas apertiùs denudari? Nec tamen aliud hìc sonat, quàm non potuisse perfectionem justitiæ Christum obtingere, quamdiù lex rerum potiebatur, sed nec potuisse obtingere, nisi priùs rerum lex potiretur. Ut enim nisi prænuntius anteiret Joannes, Christum non venturum Scripturæ præmonuerant; ita nisi præcucurrisset lex, timorque, et sapientiæ ac justitiæ viam stravisset, non potuisse Christum repræsentari, et Scriptura et ipsa natura medicinæ dictabat. Unde Hilarius ibidem : « Sed præbetur in his, quæ à Joanne gesta « sunt intelligentia amplior, et cum facti effi- « cientiâ, gratia in eo expressa sentitur : ut « Propheta ipse ipso quoque conditionis suæ « genere prophetaret; quia in eo forma legis « elata est. Christum enim lex annuntiavit, et « remissionem peccatorum prædicavit, et re- « gnum cœlorum spopondit, et Joannes totum « hoc opus legis explevit. Igitur cessante jam « lege, quæ peccatis plebis inclusa et populi « vincta vitiis, ne Christus posset intelligi, « vinculis et carcere continebatur. Ergo ad « Evangelia contuenda lex mittit, ut infideli- « tas fidem dictorum contempletur in factis : « et quod intra eam peccatorum fraude sit « vinctum, per intelligentiam libertatis evan- « gelicæ absolvatur. »

17. Cyprianus in præfatione libri ad Quirinum adversùs Judæos : « Complexus sum verò « duos libellos, unum quo ostendere nixi su- « mus Judæos secundùm quæ fuerant ante « prædicta, à Deo recessisse, et indulgentiam « Domini, quæ sibi et pridem data, et in po- « sterum promissa fuerat, perdidisse. » Ubi indulgentiam et promissam olim Israelitis ostendit, nempe copiosiùs, et jam tamen datam, mediocriùs videlicet. At Tertullianus libro de Virginibus velandis paulò post initium : « Ni- « hil sine ætate est, omnia tempus expectant. « Denique Ecclesiastes : *Tempus*, inquit, *omni « rei.* Aspice ipsam creaturam paulatim ad « fructum promoveri. Granum est primò, et « de grano frutex oritur, et de frutice arbu- « scula enititur. Deinde rami et frondes inva- « lescunt, et totum arboris nomen expandi- « tur, inde germinis tumor, et flos de germine « solvitur, et de flore fructus aperitur. Is quo- « que rudis aliquandiù et informis, paulatim « ætatem suam dirigens, eruditur in mansuc- « tudinem saporis. Sic et justitia, nam idem « Deus justitiæ et creaturæ, primò fuit in ru- « dimentis, natura Deum metuens; dehinc « per legem et Prophetas promovit in infan- « tiam; dehinc per Evangelium efferbuit in « juventutem : nunc per Paracletum compo- « nitur in maturitatem. » Insulsa hæc clausula, et de posteriori hominis errore et Paracleti fabula fruticescens; cæterùm hanc si præseces, reliqua erunt longè elegantissima, et ad Augustini mentem atque ad hujus doctrinæ illustrationem appositissima. Extra æternum enim et incommutabile, rerum omnium vices sunt et tempora profectuum, incommutabilitatem et æternitatem auctoris Dei æmulantia et sequentia, nec penitùs assequentia. Id in rerum naturâ totâ spectatur, inde et de gratiâ conjectura exprimitur : idem enim naturæ gratiæque auctor est, ars eadem omnium opifex, et ad justitiæ intelligibilis imaginem totius creaturæ corporeæ tanquàm simulacri fabricator et fictor. Ergo ut natura, sic et justitia primò fuit in rudimentis, id est, ante legem, ubi contra ignorantiam luctabatur; deinde per legem progressa est in pueritiam quamdam,

jam bellaturientem adversùs vitia, nequedùm victricem : postea per Evangelium efferbuit in juventutem bellacem et victricem : postremò denique profligatâ mortalitate, ita enim stertentis Tertulliani insomnia castiganda sunt, componetur in maturitatem, seu in pacem. Cæterùm hæ sunt ætates justitiæ, hæ sunt ætates et incrementa Christi. Non deerat ante legem, vel sub lege Christus, aderat Christus, aderat justitia, sed in rudimento infantiæ, sed in progressu pueritiæ, necdùm in fervore juventæ. Cùm ergo lex esset justitiæ jam profectus quidam et ad ulteriora conatus, erat utique salutis statio quædam opportuna, non infida, non adversa. Idem rursùs in Scorpiaco, cùm lapsum primi parentis narrâsset, « Dominus sustentato fervore delicti, donec « tempore medicina temperatur, paulatim re- « media composuit : omnes fidei disciplinas et « ipsas æmulas vitio, verbum mortis verbo « vitæ rescindentes, auditum transgressionis « auditu fidei limantes : ita et cùm mori præ- « cipit medicus ille, veternum mortis exclu- « dit. » Ubi claret ex quo primùm homo ex peccati ægritudine decubuit, jacuitque, nunquàm cessâsse divinam medicinam, sed tempore condiendam temperandamque paulatim fuisse, et illud ipsum quod statim cœlitùs detonuit, mortis edictum, non tam de justitiæ consistorio, quàm de medicinæ officinâ manâsse, ut mors in mortis et peccati medelam aliquando verteretur. Et alibi : « Nam etsi pu- « tas creatoris quidem terrenas promissiones « fuisse, Christi verò cœlestes : benè quòd cœ- « lum nullius alterius usque adhuc Dei appa- « ret, nisi cujus et terra. Benè quòd creator « vel minora promisit, ut faciliùs illi et de ma- « joribus credam, quàm qui nunquàm de mi- « noribus priùs fidem liberalitatis suæ struxit. » Ubi patet terrenas olim promissiones non eum in finem collimâsse, ut cupiditas aleretur, sed ut parvuli fœcibus immersi ad Deum se quomodocumque surrigerent, terrena ab eo expectarent, assuescerent Deo credere, Deo fidere, et paulatim emergentes, aliquando etiam æterna sperare auderent. Et alibi rursùm : « Ecce autem et testimonium perhibet legi, « et causa delicti eam excusat. Quid ergo di- « cemus ? Quia lex peccatum ? Absit. Eru- « besce, Marcion : absit. Abominatur Aposto- « lus criminationem legis. Sed ego delictum « non scio, nisi per legem. O summum ex hoc « præconium legis, per quam liquit peccatum « latere? Non ergo lex seduxit, sed peccatum « per præcepti occasionem. Quid Deo imputas « legis, quod legi ejus Apostolus imputare non « audet? Atquin et accumulat, lex sancta, et « præceptum ejus justum et bonum. » Præconium hinc legis elicit, quòd per eam eliquescat delictum et nudetur vulnus, quod priùs latitans et incuratum computrescebat. Denique de freno legis seu de timore quid sentiat Tertullianus, planum satis ipse facit, cùm timorem appellat, *fundamentum salutis* : et salubri timore percitos, necdùm fide imbutos, ait timore fieri *candidatos Dei*. Ita et Judaicus sub lege status erat per timorem, Dei jam et Christi candidatus.

18. Hactenùs retrò supra Augustini ætatem vestigia fleximus, ut hujus doctrinæ tramitem exploraremus ; nunc ad suppares vel minores obiter excurramus, ne duriusculos ex ejus lectione evasisse quis suspicetur. Paulinus Nolanus episcopus ad Severum : « Dispositis in or- « dinem suum seculis ab Adam usque ad « Moysen, mortis potestas licentiâ bacchante « regnaverat; et de lege intellecto, nec evi- « tato peccato, creverat hoc regnum, etc. » En ut per legem intellecto, nec evitato peccato, crescebat regnum mortis. Quid immitius? Sed ausculta, quæso, ut id alibi deliniat epistola ad Amandum : « Ipse Dominus fecit « nos, qui etiam refecit, jam ab initio per « omnia quæ operatus est, et locutus in san- « ctis suis, salutis nostræ, id est, reparationis « humanæ sacramenta molitus. Nam justum « Abelem illicò reparavit sancta generatio in « Seth, qui ore consimili formatum ad imagi- « nem Dei retulit Patrem. Inde per cæteros à « primo fonte decurrens permanavit vena ju- « stitiæ : et quamvis interveniente diluvio, in « uno quidem, attamen justo universitatis per- « emptæ seminarium stetit, jam tunc ope- « rante mysterio unici redemptoris : ut per « unum reconciliatio proveniret, quia per « multos offensa venisset. Sed iterùm generis « humani processu, relabente justitiâ, et cre- « scentibus simul gentibus atque criminibus, « ne rursùm iniquitas hominum, generis me- « reretur interitum, rursùm electus qui Pater « fidei vocaretur, à quo et promissio regni et « reg's æterni semel emergeret. Quod multi- « plicatum fide gentium Christus implevit, « qui Patriarchis visus, per legem præforma- « tus, per Prophetas prælocutus, et ipse ad- « fuit, ut adimpleret legem et Prophetas : et « quam lex operibus non valuerat conferre « medicinam, gratia daret. Jam enim corpus

« omne, id est, universum genus hominum « ita pervaserat peccatum, ut neque malagma « debilibus et sauciis, nec ligatura prodesset, « etc. » Nec hîc recantat quæ priùs asseruerat; lege enim et operibus non potuisse conferri medicinam disertè affirmat. Et tamen ait Dominum jam inde ab initio refecisse quæ fecerat, et salutis nostræ sacramenta molitum per Sethum, Noe, Moysen, Prophetas. Ait venam aliquam justitiæ à primo fonte decurrentem permanâsse, nec abruptam omninò esse unquàm, aut exaruisse. Ait per egregios istos fidei et justitiæ apices, non ipsis privatim, sed humano generi Deum consuluisse. Ait per hæc omnia ubique visum, ubique operatum, ubique præformatum fuisse Christum, quem ne cogitare quidem possis, nisi gratiâ delibutum, gratiâ diffluentem. Ait legem et prisca illa omnia sacramenta instar habuisse malagmatis et ligaturæ, quibus nimirùm sanitas præludi posset et initiari, non perfici. Nec nos aliud molimur, quàm ut totum illum ante legem et sub lege statum, salutiferum et medicinalem humano generi probemus, nec impedimentis, sed adjumentis Christi gratiæ aliqualibus saltem instructum, prima videlicet salutis fundamenta jacientibus.

19. Prosper ipsa Augustini penè verba exscribit : « *Mirabilia testimonia tua*, etc. Multa « mirabilia sunt testimonia legis ipsius, quorum « utilitas et justitia altissimè latet, cùm quæri« tur quare data sit lex quæ vivificare non pos« sit, et ex quâ non justificaretur omnis caro « coram Deo. Meritò ergo hanc altitudinem « scrutatus est, qui intellexit per legis diffi« cultates id egisse misericordiam Dei, ut « qui legem implere non poterant, converte« rentur ad gratiam, et divinâ ope apprehen« derent, quod propriis viribus assequi non « valebant. » Subtexit et multa deinceps, contexta ex Augustini verbis suo supra loco in hunc Psalmum relatis. Et alio loco : « *Notas fe« cit vias suas Moysi*, etc. Magnum mirandum« que mysterium est, ideò datam legem ut « crescente peccato humiliarentur superbi, « humiliati confiterentur, confessi sanaren« tur. Istæ sunt viæ occultæ, quas notas fecit « Moysi per quem legem dedit, » etc. Tempero calamum, ne plura ex eodem istiusmodi decerpantur; imbecillitatem legis non celat, sed tamen ex misericordiâ Dei indultam esse non abnuit, et humilitatem, confessionem, timorem hominibus sub lege degentibus ut ad gratiam conspirarent, contulisse : ea porrò etsi salutem non totam redintegrent, utcumque tamen resarciunt, relevantque. Etenim idem ipse rursùs : « *Ideò dilexi mandata tua « super aurum et topazion.* Id agit gratia ut « mandata Dei dilectione impleantur, quæ im« pleri timore non poterant. » Hùc ergo tota ferè vergit de legis difficultatibus expostulatio, quòd merum timorem inspiret, quo non impletur lex per charitatem implenda. At timore impleri legem ab incipientibus, satis est, abundè est : timore pueros abstinere à delictis, et intra officii lineas coarctari, hic pueritiæ modus, hoc decus, hæc salus est. Impletur ergo lex timore, sed à pueris, sed ab incipientibus : non impletur, sed à viris, sed à perfectis, his enim amor conciliandus est. Audi eumdem Prosperum : « Legimus princi« pium esse sapientiæ timorem Domini. Et le« gimus donum Dei hanc esse virtutem. Timor « Domini, inquit, super omnia se superposuit. « Beatus homo cui donatum est habere timo« rem Domini. Cùm ergo timor Dei principium « sit sapientiæ, quæ virtus haberi potest sine « sapientiâ, cujus ex timore principium est? « Beatus Petrus Apostolus, *gratia vobis*, in« quit, *et pax adimpleatur in recognitione Do« mini nostri Jesu Christi, qui nunc omnia nobis « divinâ virtute suâ, quæ ad vitam et pietatem « pertinent donavit.* » Vides quanti faciat timorem, ut donum Dei, ut Christi beneficium, ut initium sapientiæ, ut fundamentum omnium virtutum esse illum affirmet? An ergo timore lex nullatenùs implebatur? implebatur enimverò, sed ut ab incipientibus, non ut à perfectis, ut à Christi gustum, id est, initium sapientiæ jam præsumentibus, non ut à Christum totum et totam complexis sapientiam. Iisdem ferè testimoniis Scripturæ timorem esse donum Dei et gratiæ Christi beneficium probat auctor librorum de vocatione gentium, inter opera Prosperi. Quibus intextus est etiam Julianus Pomærius, quem operæ pretium est audire de timore disputantem in hæc verba : « Si ille quem timor in bono pudicitiæ tenet, « atque is cui facultatem mœchandi negat oc« casio, vivere pudicè consuescant, in virtutem « plerùmque de necessitate proficiunt : et pau« latim ipsius pudicitiæ delectatione crescente, « pudici veraciter fiunt, et ita proficiunt, ut « jam non sermone, sed virtute sordes impu« dicitiæ detestantes, non timore pœnæ car« nalibus incentivis obsistant, quæ est inci« pientium proprium, sed execratione peccati « refrenent inquietos carnis affectus, quod

« est castitatis consummatæ fastigium. » Audis quàm molliter gradus struatur à timore pœnæ ad amorem justitiæ; audis illum esse incipientium proprium, hunc consummatorum. An ergo Christus aliunde salutem nostram auspicari debuit, quàm ab initio, id est, à timore, ut ad fastigium perduceret, id est, ad amorem? struenda et expolienda paulatim fuit nostra perfectio, ut ejus primùm lineamenta quædam rudia per timorem describerentur, postea manus ultima per amorem adjiceretur ab eodem Christo, qui heri et hodiè, qui alpha et omega, qui primus et novissimus, qui principium et finis est. Et infra idem Pomærius cùm multiplicem timoris utilitatem executus esset prolixiùs, et ita Christianos ab omni scelere deterruisse, subdit : « Sed nos « jam si videtur ab his terribilibus malis, quæ « fidelium mentes salubri terrore concutiunt, « atque ab omnibus vitiosis delectationibus ab- « ducunt, et quæ amatores voluptatum sua- « rum tunc suæ damnationis experimento « probabunt, quando jam quod est omni infe- « licitate miserius, se emendare non pote- « runt : ab his, inquam, terrificis et tristibus « malis, ascendamus ad illa sublimia, quibus « proficientium mentes in spem promerendæ « beatitudinis assurgunt, abjuratisque terre- « nis cœlestia concupiscunt. Et quoniam pro- « ficere cupientes, à salubri timore incipiunt, « et ad charitatem proficiendo perveniunt, nos « quoque, » etc. Quis mentis compos, quis fidei orthodoxæ concors, fideles *salubri terrore concussos, à salubri timore incipientes, atque ab omnibus vitiosis delectationibus sese abducentes*, necdùm charitate succensos, sed ad illam proficientes, id est, sub lege adhuc positos, abneget jam Christi gratiæ rores antelucanos prælibare? Quis illos non defieri Christi adventu, non orbari incarnationis fructu, quantus incipientibus sufficit, non confiteatur? Quod autem idem scriptor habet : « Non om- « nis timor haberi debet in vitio, sed ille tan- « tùm de quo scriptum est, quia timor pœ- « nam habet : cæterùm timor iste, de quo « dicitur : *Timor Domini expellit peccatum, et « timor Domini sanctus permanens in seculum « seculi*, non est inter vitia numerandus, sed « potiùs intelligendus est vitiis inimicus. » Hoc, inquam, clementiùs accipiendum est, ne superiori ejus sententiæ obstrepat. Timor enim neuter inter vitia reputandus est, utercue inter Dei dona recensendus, sed ille servilis et amoris expers, eò vitiosus videri potest, quòd quibus inhæret, vitiosi adhuc illi sunt, nequedùm à vitiis omnibus flammâ charitatis excocti et expiati. Unde et hic timor ejiciendus est tandem, ut locum cedat charitati perfectæ : ejiciendus autem non esset nisi vitiosus quodammodò, id est, imperfectus esset. Sed qui incipientibus honestus est, proficientibus vitiosus est : qui pueris decorus est, adultiores dedecet. Timor ergo ille instar lactis, pueris laudi datur, adultis vitio vertitur. Agebat hic autem Pomærius de adultis, ut puta de hominibus sapientiæ numeros omnes assecutis, à quibus an affectus omnes extirpandi radicitùs, an moderandi tantùm essent, id controvertebatur. Planum est autem ab istiusmodi exulare penitùs debere timorem illum servorum et puerorum peculiarem, vitioque illis vertendum, inserendum autem timorem alium charitati consanguineum et longè laudabiliorem.

20. Eamdem terit viam Fulgentius : « In hoc « mediatore Dei et hominum et humanæ natu- « ræ status reparatus est, et implendæ legis « est consummatus effectus : quia nec sibi suf- « ficere ad virtutem ullatenùs potuit natura- « lis infirmitas, quæ utique ex quo omnes dies « defecerunt, et in irâ Dei defecimus, lumine « simul et virtute privata, in tantum natura « cæca sine lege peccat, ut peccare se nesciat, « propter quod dicitur, *concupiscentiam nescie- « bam, nisi lex diceret : Non concupisces.* Lega- « lis quoque auditus non solùm neminem de « potestate tenebrarum eripuit, quin etiam de « peccatoribus cumulum prævaricationibus ad- « jecit. Sine gratiâ quippe fidei, graviùs lex « agnita, quàm ignota contemnat. » De integrâ hîc agitur sanitate et perfectâ justitiâ, quæ nec ante legem, nec sub lege versanti cuiquam contingit, ut perperàm garriebant Pelagiani, gratiæ Christi gloriam hanc et palmam extorquentes. Nam justitiæ et sanitatis umbratilia quædam atque prælusoria initia et ante legem, et sub lege versanti humano generi, et singulis hominibus non desunt, dùm supernè sollicitata et stimulata conscientia de suis tenebris erubescit, de legis inscitiâ angitur, vel legi agnitæ etsi nondùm amorem, jam tamen timorem et obsequium qualecumque vovet. Et hæc Christi gratiæ medicinalis prima sunt testamenta : unde idem Fulgentius : « Medicus itaque noster peritus et bonus, « gratis ad vitam reducturus mortuos ac sani- « tati redditurus ægrotos, ipse languentium « salus et resurrectio mortuorum, in eo vivi-

« ficandis ac sanandis hominibus insuperabili « bonitate consuluit, in quo medicinam se « nobis idem medicus fecit. Sed ut ordinem « suæ curationis sapientia Dei sapienter ex- « pleret, priùs præceptum dedit per legem ju- « stitiæ, quo suam infirmitatem ægrotus agno- « sceret, daturus effectum per gratiam, quo « infirmus suæ infirmitatis salubriter conscius, « non jam confidens in virtute suâ tumesceret, « sed ipsum fontem vitæ salutisque cognos- « cens, ab ipso sibi vitæ salutisque beneficium « postularet : nec suam jactans superbo corde « justitiam, sic se putaret alienum à morbo, « tanquàm non egeret curationis auxilio, etc. « Sed vulnera sua contriti cordis humilitate « respiciens, veraciter exclamaret : *Sana ani- « mam, quia peccavi tibi*, etc. » Totus igitur legis apparatus à medico Christo, jam à primis orbis cunabulis, morbum nostrum curante præstruebatur, et initia salutis jam præfun- dante, cùm legem daret, cùm salubrem im- primeret formidinem, cùm propriarum virium retunderet jactantiam, cùm tumorem sanaret, cùm ad humilitatem et superioris auxilii peti- tionem coarctaret : quæ si quis neget salutis fundamenta esse, aut si quis ab alio quàm à Christo reparationis nostræ uno architecto poni potuisse affirmet, in meridianâ luce prorsùs cæcutit. Et rursùm infra idem Ful- gentius : « Hæc igitur inter litteram jubentem « et spiritum vivificantem, id est, inter legem « gratiamque distantia est, quia lex convenit, « gratia convertit hominis voluntatem, ut bo- « num velimus. Illa clamat, hæc donat : illic « voluntati hominis incutit justitia divina ter- « rorem, hic infundit misericordia charitatem. « Per illam accepit voluntas spiritum servitu- « tis in timore, per istam accepit spiritum « adoptionis filiorum, etc. » Ubi vides legem non crepare tantùm forinsecus, aut intentare flagella, sed intus in animum infundere ti- morem illum *bonum, utilem, saluberrimum, donum Dei*. Quippe per legem, *accepit volun- tas spiritum servitutis in timore*, ut per spi- ritum timoris Domini provehatur ad spiritum sapientiæ et adoptionis filiorum.

21. Gregorius Magnus in hanc sententiam pulcherrimè detorquet ista verba Job : *Auferat à me virgam suam, et pavor ejus non me terreat. Loquar et non timebo eum, neque enim possum metuens respondere.* In quæ ita philosophatur alludens ad notissimam Scripturæ historiam : « Auctor quippe humani generis Deus quasi « mortuum puerum doluit, cùm extinctos nos « iniquitatis aculeo miseratus aspexit. Et quia « per Moysen, terrorem legis protulit, quasi « per puerum virgam misit. Sed puer cum ba- « culo mortuum suscitare non valuit, quia « Paulo attestante : *Nihil ad perfectum adduxit « lex ;* ipse autem per semetipsum veniens, et « super cadaver se humiliter sternens, etc. « Super mortuum septies oscitat, quia per « apertionem divini muneris, gratiæ septifor- « mis spiritum, in peccati morte jacentibus as- « pirat. Moxque vivens exigitur, quia is quem « terroris virga suscitare non potuit, per amo- « ris spiritum puer ad vitam rediit. » Et paucis interpositis : « Respondere homo tot beneficiis « debet, sed tamen respondere metuens non « valet, quia humani generis conditorem qui « adhuc humiliter formidat, proculdubio non « amat. Nam tunc solùm Deo vera obsequia red- « dimus, cùm eum propter amoris fiduciam non « timemus ; cùm nos ad bona opera affectus, « non metus dirigit ; cùm malum nostræ menti « jam non placet, etiamsi liceat. Nam qui à « perversitatis opere ex timore restringitur, « perversa libenter ageret, si liceret. Nequa- « quàm ergo veraciter rectus est, qui adhuc à « perversitatis desiderio liber non est. » Quàm- diù igitur solo timore avocamur à peccando, servilis est hæc justitia, per servos concilianda, non per Filium, cujus est manumittere, et libertatem aspirare : perfunctoria est hæc ju- stitia, nondùm verissima, nondùm inhabitans, et in animæ venas infusa, nondùm interiori- bus desideriis infusa, ideòque nequedùm re- dolens æternam sapientiam et justitiam Verbi hypostaticè humanitati copulatam, sed adhuc foris et umbratiliter consulentem, et circùm alludentem magis quàm inhospitantem. Cùm enim Verbi divinitas incarnata est, non opera, sed desideria etiam peccati exsufflavit ; non umbraticam, sed intimam et sincerissimam inspiravit justitiam ; et quia in dies pergit in singulis carnis concupiscentias et desideria peccandi residua profligare, in singulis etiam quotidiè pergit incarnari, in singulis parturi- tur et formatur Christus. Illud enim docu- mentum, illud imitamentum, illud beneficium est justitiæ et sapientiæ hypostaticæ in viscera humanitatis personaliter infusæ, quod jam non timore foris obsidet, sed amore intùs in- sidet et inhæret justitia. Sed ordinis lex et rerum modus jubet, ut alludat ante justitia quàm combibatur : obsideat antequàm invadat et insideat : et terrore priùs cohibeat, ex- scindatque peccatorum sentes, quàm regium

amoris solium inferat. Unde idem hæc verba elucidans : *Simplex, et rectus, et timens Deum, et recedens à malo,* hæc tradit : « Benè autem dicitur : *Timens Deum et recedens à malo :* Quia « sancta electorum Ecclesia simplicitatis suæ et « rectitudinis vias timore inchoat, sed charitate consummat : cui tunc est funditùs à malo « recedere, cùm ex amore Dei cœperit jam « nolle peccare. Cùm verò adhuc timore bona « agit, à malo penitùs non recessit, quia eo « ipso peccat, quò peccare vellet, si inultè « potuisset. Rectè ergo cùm timere Deum Job « dicitur, recedere etiam à malo prohibetur : « quia dùm metum charitas sequitur, ea quæ « metu relinquitur, etiam per cogitationis pro- « positum culpa calcatur. Et quia ex timore « unumquodque vitium premitur, ex charitate « autem virtutes oriuntur, » etc. Nondùm recessit, sed recedit à malo, qui timore non peccat : priùs est recedere, quàm recessisse; priùs ergo timor quàm charitas, prior lex quàm Christus, non generi tantùm humano, sed singulis etiam. Nam singuli quocumque demùm, vel ævo, vel loco, vel gradu sint, vias justitiæ timore inchoant, charitate consummant. Cùm autem, ut ait Gregorius, « sancta electorum Ecclesia simplicitatis suæ « et rectitudinis vias timore inchoat, » num hæc primordia sua sibi debet, an Christi gratiæ ? Christo hauddubio debet redemptori, quòd à vitiis utrumque redimatur vel timore. Et tamen illa non propriè dicitur Christi gratia, quia singulari privilegio Christi gratia prædicari debuit, quæ gratiarum princeps et palmaris est, charitas. Unde idem Gregorius : « In veteri lege Ecclesia posita Christum exop- « tabat et expectabat, etc. Vult ergo sponsum « foris sponsa invenire, et deosculari, quia « concupiscit sub lege posita, ut per carnem « appareat, ut ei per amorem serviat, cui « priùs non acceptâ gratiâ, plus timore, « quàm amore servichat. » Gratiæ erat quòd timore serviret; gratiæ erat quòd Deo consuesceret, quòd adventum ejus, quòd charitatem concupisceret, quòd gratiam desideraret, quòd desiderare concupisceret : et tamen ait Gregorius : « Non acceptâ gratiâ, » quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est : ut gratia dulcior seu charitas gratiæ nomine insigniatur, non illa præcox et immatura, rudis et rudimentis incipientium properata; sed illo tamen puerili gratiæ elemento, illo timoris spiritu, ut justitia, ita Christus inchoabatur, veniebat, formabatur. Quocirca idem Gregorius : « Ter- « tiò Dominus vineæ ad ficulneam venit, quia « naturam generis humani ante legem, sub « lege, sub gratiâ, expectando, admonendo, « visitando requisivit. *Dixit autem ad cultorem « vineæ : Ecce anni tres sunt, ex quo venio fru- « ctum quærens in ficulneâ hâc, et non invenio.* « Venit ante legem, quia per naturalem in- « tellectum, quid unusquisque exemplo suî, « qualiter erga proximum agere debuisset, in- « notuit. Venit in lege, quia præcipiendo do- « cuit. Venit post legem per gratiam, quia « pietatis suæ præsentiam exhibendo monstra- « vit. Sed tamen in tribus annis fructum se « non invenisse conqueritur, quia quorumdam « pravorum mentes nec inspirata lex naturalis « corrigit, nec præcepta erudiunt, nec incar- « nationis ejus miracula convertunt. » Vides quò pertineant illæ duæ ætates generis humani, ante legem et sub lege, nempe ad inchoandam curationem, legis insitæ, legis additæ beneficio, et utrique apto terrore. Non ergo cumulandis peccatis illæ serviebant, non impedimenta gratiæ ingerebant, etsi « quorum- « dam pravorum mentes » neutra lex vel tantillùm emendare per terrorem potuerit, sed exasperare magis visa sit. Per illas ergo leges veniebat humano generi Christus, veniebat Salvator, qui tertiò venit. Adventus enim per carnem tertius fuit et gratiæ plenissimus, sed tertius, ut nec gratia primo et secundo defuerit, nec tertio omnibus profuerit : ut enim insitæ, et scriptæ, ita et evangelicæ legi « quorumdam « pravorum mentes » pertinaciter illuserunt. Et ne mitior æquo tibi videatur Gregorius in exponendo legis consilio, adverte ad ea quæ habet : « Sed quia lex peccata indicare potuit, « non auferre, non quisquam veterum Patrum, « non legislator Moyses humani generis redem- « ptor extitit, etc. Ad hoc quippe illi missi « sunt, ut in cordibus hominum viam huic sa- « pientiæ prædicando præpararent : neque ut « pro eâ, sed per eam subjectos populos rege- « rent. » En indicabat peccata lex, non auferebat : convincebat, non absolvebat; et tamen viam sapientiæ Christo præparabat, quia timor initium est sapiendi; quia qui desuescit ab opere, lentescit et à desiderio peccati; quia qui corticem lambit justitiæ, medullam aliquando degustabit; quia denique qui lacte pueritiæ vescitur, ad solidas juventæ delicias adolescit. Rursùs idem Gregorius legem et timorem deprimere plus æquo videtur : « Judaicus popu- « lus servus fuit, qui non amore filii obseque-

« batur Domino, sed timore servili. Lex nam- « que sub ultionis persecutione populum te- « nuit, ut quisquis sub illâ peccaret, protinùs « morte puniretur : nec Israelitica plebs ex « amore, sed Domino serviebat ex timore. « Nunquàm autem impleri justitia potest per « timorem, etc. Justus esse non valet in con- « spectu Dei, qui ei non per dilectionem, sed « per formidinem servit.» Num in legem, vel ti- morem acerbius quidquam potest fulminari? Et rursùm : « Aliter admonendi sunt, qui fla- « gella metuunt, et propterea innocenter vi- « vunt, etc., ut si malis veraciter carere desi- « derant, æterna supplicia perhorrescant, « neque in hoc suppliciorum timore perma- « neant, sed ad amoris gratiam nutrimento « charitatis excrescant, etc. Nam si pœnam « non metueret, culpam proculdubio perpe- « traret. Ignorat itaque mens gratiam liberta- « tis, quam ligat servitus timoris. Bona enim « pro semetipsis amanda sunt, et non pœnis « compellentibus exequenda. Nam qui propter- « ea bonum facit, quia tormentorum mala « metuit, vult non esse quod metuat, ut au- « dacter illicita committat. Unde luce clariùs « constat, quòd coram Deo innocentia amit- « titur, ante cujus oculos desiderio peccatur.» Satin' hæc sapiunt Augustinianam circa hæc austeritatem? Et tamen idem Gregorius ibidem timoris medicinalis bonum non tacet, cùm pervicaciores quosque et freni impatientes illicò docet, qui terrore consternandi et à pec- cando revocandi sint. Et rursùm alibi : « Hunc « ergo tanti pavoris judicem ante oculos po- « nite, hunc venturum timete, ut hunc cùm « venerit, non timidi, sed securi videatis. « Timendus ergo est, ne timeatur. Terror « ejus nos ad usum bonæ operationis exerceat, « metus illius vitam nostram à pravitate com- « pescat.» Nobis ergo etiam, nobis Christus non gratiam, non charitatem tantùm, sed et terrorem sui injicit, et ita à pravitate com- pescit, ita in bonâ operatione exercet, ita ti- meri vult ut ametur; timeri vult, ne timeatur. An ergo tunc nihil confert? An nihil salutis tunc inchoat nostræ, nil suæ gratiæ, nil sui sanguinis irrorat? Ergo et priscis illis cùm terrorem per legem suggerebat, adventum suum, gratiam, crucemque suam prærogabat, jam incarnatus illis, jam occisus illis erat ab origine mundi. Jam cùm terreret, advenerat, etsi venturus expectabatur; ut et nobis venit, etsi venturus terreat. Non implebant illi ju- stitiam, sed inchoabant, quia nondùm pleni- tudo legis charitas aderat, sed timor initium sapientiæ Dei amatricis : inchoatio autem ju- stitiæ Christus est nascens, perfectio justitiæ ætas est plenitudinis Christi. « In viâ etenim « Dei à timore incipitur, ut ad fortitudinem « veniatur.» Et alibi : « Ex timore bonum opus « aggredimur, sed ex initio timoris ad vincu- « lum perducimur magnæ charitatis.» Timor ergo charitati prævius, Christus est Christo prævius, gratia est præveniens et subveniens : Christo enim non præparat animum nisi Chri- stus; ipse via, ipse veritas; ad illum, per illum itur; salutem idem incipit, idem perfi- cit, ejus gratia sufficit, sive cùm incipit, sive cùm perficit; sufficit ad incipiendum incipiens, sufficit ad perficiendum perfi- ciens. Præposterus est, qui sufficientem ne- gat eam, quæ incipit, quia non perficit : sufficit enim tum incipere, etsi non sufficit perficere; sed si non abjicias incipientem, non desiderabis perficientem. Sufficit gratia lactis parvulo, sufficit timor Judæo : non suf- ficit juveni, non sufficit perfecto. Sed vitio cujusque fit, si abjectâ lactis gratiâ, ad ju- ventæ cibum et maturitatem non adolescat. Eodem jure præposterus et præfestinus dici debet, qui Christi adventum accceleratum fuisse cuperet; accceleranda enim initia sunt, non fastigia : incunabula priùs quàm incre- menta. At omnium vota Christus antevertit, qui sui, id est, justitiæ consummatæ cuna- bula statim post peccatum, ante legem et sub lege deinceps curare et provehere maturavit.

22. Video quàm longè ultra metas exspatie- tur hæc dissertatio, missos ergo faciam reli- quos, ut uni Bernardo sit locus. Ille ergo ita habet : « *Particeps ego sum omnium timentium « te.* Vides quia præcedit timor, ut sequatur « justificatio? Forsitan ergo timore vocamur, « amore justificamur. Denique justus ex fide « vivit, illâ proculdubio quæ operatur ex dile- « ctione. Audiat itaque in sui vocatione pec- « cator quod timeat, et sic accedens ad solem « justitiæ, videat illuminatus quod diligat. « Quidnam est illud? *Misericordia Domini ab « æterno et usque in æternum, super timentes « eum.*» Et paulò post : « Dùm quisque vocatus « per timorem, justificatus per amorem, præ- « sumit se esse de numero beatorum, sciens « nimirùm quia *quos justificavit, illos et magni- « ficavit.* Quid enim? Audit se vocari, cùm ti- « more concutitur; sentit et justificari, cùm « amore perfunditur et de magnificatione diffi- « det? Initiatur, provehitur et de solâ consum-

« matione desperabit? Nempe si *initium sa*
« *pientiæ timor Domini*, in quo dicta est esse
« nostra vocatio, quid nisi provectus in sa-
« pientiâ est amor Dei, is duntaxat qui inte-
« rim ex fide est, ex quo et nostra fit jus-
« tificatio? Quid item nisi consummatio in
« sapientiâ est, ipsa quam in fine speramus de
« divinâ illâ, et deificâ visione glorificatio? »
Vides quo loco sit timor apud Bernardum, nempe nec summo, nec nullo. Timore non justificamur, sed vocamur; non provehimur, sed initiamur sapientiæ. Quis initiat, quis vocat nos, nisi Christus crucis suæ sanguine? Si justitia et sapientia nostra Christus est, num vocatio ad justitiam, num initiatio ad sapientiam aliud quàm Christi in nobis quædam jam portio, quædam velut præsumpta nativitas est? Et sermone de villico iniquitatis, triplicem Christi adventum non aliter quàm supra Gregorius, ita breviter tangit: « Illud non semel
« aut iterùm, sed tertiò jam comminatur Do-
« minus villico suo, videlicet ante legem, sub
« lege, sub gratiâ, » etc. Et infra quadruplicem timorem ita distinguit: « Et notandum, quòd
« timor iste quadriformis est, scilicet munda-
« nus, servilis, initialis, et filialis sive castus.
« Mundanus, qui facit recedere à malo per
« evitationem pœnæ. Servilis, qui facit à malis
« abstinere per evitationem pœnæ, mali reti-
« nens voluntatem. Initialis timor gehennæ, de
« quo dicitur per Prophetam: *Initium sapien-*
« *tiæ timor Domini*. Filialis, de quo per eum-
« dem dicitur: *Timor Domini sanctus permanet*
« *in seculum seculi*. In duabus his formis utilis
« est hominibus semper, in aliis minimè. » Ubi servilem timorem videtur bipartiri in eum, cui comes est expressa peccandi voluntas, ni pœna ingruat; et eum qui voluntatem quoque peccandi ejurat, metu pœnæ, non opus tantùm, sed ipsum desiderium peccandi insectantis: et hunc postremum permagnæ utilitatis esse affirmat, quippe quo ipsa peccandi desideria refutentur, etsi non exurantur penitùs. Est autem hæc distinctio permagni sanè momenti, ad illam difficultatis molem evertendam, quæ nos urgebat, qui utilis et bonus sit timor, cui conjuncta est peccandi voluntas, si impunè liceat. Si enim expressa voluntas peccandi lasciviat, næ haud magni facienda est hujus timoris utilitas. Si autem hæc voluntas non tam inest quàm subest, non exprimitur, sed opprimitur, erumpit, sed cohibetur, obstrepit, sed ejuratur, tum sanè timor est apprimè utilis, et vocantis nos Dei, gratiæque Christi justificantis prævia quædam aura. Unde idem Bernardus: « *Et de plenitudine ejus*
« *nos omnes accepimus, et gratiam pro gratiâ.*
« Ex quibus verbis innuitur quòd triplicem
« gratiam divinitùs accipimus: unam, quâ con-
« vertimur; alteram, quâ in tentationibus ad-
« juvamur; tertiam, quâ probati, remunera-
« mur. Prima nos initiat, per quam vocamur;
« secunda provehit, quâ justificamur; tertia
« consummat, quâ glorificamur. » Illa ergo etiam quâ vocamur, quâ initiamur, quâ nondùm justificamur, etsi timoris est, gratia tamen est, et de plenitudine Christi scaturit. Nihilò plus ergo mirandum est cur non priùs carnem induerit, quàm cur ut singulos, ita genus humanum priùs vocaverit per timorem, ut postea justificaret per amorem. Rursùm idem Bernardus sermone de Cantico Ezechiæ, filium à servo et mercenario ita discriminat: « Denique audi vocem filii: *Domine, salvum me*
« *fac*: quare? Fortè ne ardeat in inferno?
« Fortè ne fraudetur præmio? Non, inquit, sed
« *Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ*
« *nostræ in domo Domini*. Non, inquit, quæro
« salutem, ut pœnas vitem, aut ut in cœlo
« regnem: sed ut te in æternum laudem, etc.
« Et qui timet ire ad portas inferi, et qui Deum
« cupit videre propter quietem suî, uterque
« profectò quærit quæ sua sunt. Porrò qui
« Psalmos cantare desiderat in domo Domini,
« non sua vel pericula fugit, vel lucra appetit,
« sed illum proculdubio diligit, quem laudare
« gestit cunctis diebus vitæ suæ. » Non dissimulat nævos timoris, sua quærentis lucra, sua fugitantis damna: unde et mulctat illum, ne justitiæ plenitudine, ne personâ veritatis, ne Christi præsentiâ potiatur, sed spe, sed vocatione ejus tantùm recreetur. Nam qui timet aut sperat, et necdùm ipsam propter se amat justitiam, nunquàm ille interim in arcana sapientiæ, nunquàm in ipsius justitiæ corpus, nunquàm ad incarnati Verbi substantiam amplexandam perveniet: sed ad ejus fores pulsabit. Idem ibidem paulò ante: « *Pater*
« *filiis notam faciet veritatem tuam*. Non revo-
« latur servo veritas, quia *servus nescit quid*
« *faciat Dominus ejus*. Sed nec mercenarius
« rapitur ad contemplandam veritatem qui
« propriam quærit utilitatem. Filio autem
« Pater *notam faciet veritatem*, etc. » Quod eò relabitur, quod pronuntiavit Augustinus, non patere nunc viam ad veritatem, nisi per charitatem. Corpus ipsum itaque et substantiam veritatis incarnatæ amplecti non potuit hu-

manum genus, nisi ubi perlapsum eas ætates quæ freno timoris inhibendæ fuerant, ad juventam amori jam maturam appulisset. Et ipsa rerum natura ut nunc quidem comparata est, pueros ut hebetes ad amorem, ita obtusos ad contuitum sapientiæ efformat: juvenes autem tam diligendæ, quàm intelligendæ eidem tempestivos.

23. Et sermone de triplici cohærentiâ vinculorum, etc.: « Est qui clavis configitur « Domino majestatis, quem timor Dei ligat, « qui non expavescit ad vultus hominum, sed « ad memoriam gehennalium tormentorum. « Et hic quidem peccare non metuit, sed ar- « dere. » Gravi convitio timorem pulsat, quòd non culpam, sed pœnam exhorreat. Et tamen eo nos jam Deo religari non tacet. Et sermone de diversis afflictionibus animæ: « Jam verò « secundo statu incipit esse sub Domino, qui « tanquàm servus carcerem timet, et metuit « ne subigatur pœnis. In quo sanè statu con- « versio est, exitusque à seculo, et introitus « vitæ. Unde et legis: *Principium sapientiæ ti- « mor Domini.* Et alius Propheta: *A timore « inquit, tuo concepimus, et parturivimus spiri- « tum salutis.* » Timore igitur concipitur, et formari incipit in nobis salus et salvator Christus. Sermone autem de donis Spiritûs sancti: « Prima gratia est timor Domini, etc. Sine « hâc gratiâ, primâ gratiarum, quæ totius re- « ligionis exordium est, nullum bonum pullu- « lare, vel manare potest. » Est igitur timor inter Christi gratias numerandus. Et inter sermones parvos: « Prædicant mira de dulce- « dine regni, intentant horrenda de terrore « supplicii; fit summus auditoribus de utroque « timor, ne vel illo fraudentur, vel isto plec- « tantur, etc. Et illi quidem duo prædicti ti- « mores de futuro sunt valdè utiles. Sed est « alius timor de præsenti valdè probabilior, « quo timet homo et semper est pavidus, ne « interna gratia deseratur. » Ubi claret evangelicâ etiam lege timorem priùs incuti, quàm insinuetur amor; ergo et nunc quibusdam nempe incipientibus, adhuc lex incumbit, adhuc imminet timor, adhuc promittitur Christus, illis incorporandus, illis informandus, necdùm corporatus, aut informatus. Sed pulcherrimè, quoniam *hæc via agitur non gressu corporis, sed affectu mentis,* hinc concludit quatuor affectibus menti nostræ insitis tanquàm rotis invehi nos provehique ad Deum debere. « Habet currus ille quatuor rotas, illas « scilicet quatuor animi affectiones notissimas: « amorem et lætitiam, timorem et tristitiam. « Amant enim reprobi temporalia, et *lætantur « cùm malefecerint;* sed hunc amorem et hanc « lætitiam sequitur timor et tristitia sempiterna. « Electi verò quibus dicitur: *Mundus gaudebit, « vos verò contristabimini, sed tristitia vestra « convertetur in gaudium;* ponunt primas rotas « timorem et tristitiam, posteriores amorem « et lætitiam. Ipsis enim commutatur timor « in charitatem, tristitia in lætitiam sempiter- « nam. » Hâc salus, hâc Christus vehitur, et invehitur quadriga affectuum, nec aliter via hæc confici poterat quàm gressibus, id est, affectibus animarum. Itaque ipsi rerum naturæ, ipsi animarum rationalium texturæ, ipsis visceribus naturæ intellectualis apprimè consentit tota ratio dispensationis Christi ante legem, sub lege, sub gratiâ. Nec inelegantius est quod idem ibidem paulò post nos docet: « Deus licet unus sit, et unum sit, tamen non « sui varietate, sed animi nostri mutatione, « gustantibus nobis diversos videtur habere « sapores. Sapit enim timenti, justitiam et po- « tentiam: sapit amanti, bonitatem et miseri- « cordiam. Unde et alibi ait: *Semel locutus est « Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et « tibi, Domine, misericordia.* Idem quippe est « audire hoc, quod gustare, quia utrumque « fit unâ et simplicissimâ mente. Itaque *semel « locutus est Deus*, quia unum genuit Verbum. « Cæterùm nos per unum verbum, duo hæc « audimus, sive sapimus, *quia potestas Dei est, « et tibi, Domine, misericordia.* At is quidem « penitùs insipiens est, cui nec timorem Deus « sapit, nec amorem. Discat quantùm vult, « ego sapientem non dixerim dùm nec timebit, « nec diliget eum. Quomodò enim dixerimus « in sapientiâ consummatum, quem video nec « initiatum? nam *initium sapientiæ timor Do- « mini,* » etc. Conticescant jam ergo querelæ de tarditate medici nostri: non ille tardiùs ac nos, sed nos ad illum lentiùs properavimus; aut non ille tardiùs venit, sed nos temporiùs venientem, pigriùs tardiùsque excepimus. Unus enim est, unum loquitur Deus et semel loquitur, sed nos pro varietate nostrâ non unum, non semel totum illum sapimus. Nunquàm non occursat mentibus hominum amanda efflictim potiùs quàm timenda veritas et justitia Christus; sed ægro animi nostri, dùm puerascimus, palato sapit timor, non sapit amor ejus. Nostra igitur hæc est, non illius tarditas. Adest quem sapiamus, non adest quo sapiamus, non adsumus ipsi qui sapiamus,

quia foris peregrinamur et per insulsa terræ condimenta lascivimus. Et tamen si vel timorem sapimus, utcumque sapimus, pueriliter sapimus, nondùm viriliter, et hoc est initium sapientiæ, quâ gratiâ vel non utuntur, vel carent, qui nec timent, nec amant.

24. Et hactenùs de timore Christi necessario præsultore; jam de lege aliquâ ex eodem Bernardo stringamus: « *Dies diei eructat verbum*, Deus Pater animæ rationali per fidem « illuminatæ. *Et nox nocti indicat scientiam*, « creatura irrationalis animæ rationali nondùm « per fidem illuminatæ. Unde Apostolus: *Invisibilia Dei*, etc. Unde nos dicimus, verbum « indicatum, verbum inspiratum, verbum eructatum. Primum fecit cognitionem, secundum conversionem, tertium vivificationem. « Primum obfuit, secundum non profuit, tertium vivificavit. Primum obfuit, quia *cùm « cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*, etc. Secundum non profuit, quia non « data est lex, quæ posset vivificare. Tertium « vivificavit, quia per crucem redemit. Primum « totum deforis, secundus foris et intùs, tertium totum intùs. Et nota quia quod eructatur, de plenitudine eructantis cum quodam « substantiæ ipsius sapore profertur: et idcò « sapientia incarnata dicitur, habens in se « plenitudinem, in miraculis cognitionem, in « doctrinâ conversionem, in passione vivificationem. » Triplici hoc magisterio humanum genus imbutum est, creaturæ, legis, Christi. Quid austerius quàm cùm dicitur primum obfuisse, secundum non profuisse? An obfuit, quo data est cognitio? An non profuit, quo facta est conversio? Obfuit vita cognitioni dispar, sed ipsa cognitio profuit. Non profuit inertia in initiis conversionis pigrescens et ad amorem torpens, sed ipsa conversio proderat. Ergo illud obfuisse, hoc non profuisse dicitur, quia salutis culmen, nec illud, nec istud attigit sine tertio. Alioqui et Christus ipse cognitionem et conversionem priùs effudit quàm vivificationem; et in his omnibus profuit. Proderat ergo et ante, cùm longioribus intervallis ætatum ante legem et sub lege cognitionem et conversionem vivificando quandoque humano generi infundebat.

25. Ad Græcos jam descendimus obiter audiendos; et nos enim pœnitet pudetque tantæ hujus prolixitatis. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone: « Quid illud, nonne Scripturis « iisdem pronuntiatum est, pacturum Deum « aliud fœdus præter id quod in monte Horeb « pepigerat? Vetus Testamentum cum timore, « tremoreque acceperant patres vestri, ita ut « ne audire quidem Deum valerent. Ergo illud « alterum Deus pollicitus est, non quale priùs, « sed tradendum sine pavore, tremore, fulgu- « ribusque, per quod ostenderetur illud man- « datum sempiternum, quod convenire humano « generi universo Deus novit; cæterùm supe- « riora fuisse accommodata duritiæ populi ve- « stri, sicut ipse Deus per Prophetas suos « occlamabat. » Strictim supradicta omnia confirmat, sed nullo duriori convitio vel legem vel timorem onerat; quin accommodatum et medicinale illud innuit fuisse ad populi adhuc puerascentis hebetudinem temperamentum. Irenæus: « Veniens autem lex quæ data est « per Moysen, et testificans de peccato, quoniam peccator est, regnum quidem ejus abs- « tulit, latronem et non regem eum detegens, « et homicidam eum ostendit. Oneravit autem « hominem qui habebat peccatum in se, reum « mortis ostendens eum. Spiritalis enim cùm « lex esset, manifestavit tantùmmodò peccatum, non autem interemit: dominabatur pec- « catum, sed homini. » En ut lex regnum peccati abstulerit, nec tamen ita abstulerit ut non homini dominaretur. Abstulit regnum, dùm tyrannum, non regem esse aperuit, hominemque ad jugum ejus excutiendum, armavit; non abstulit penitùs, quia non eam virium copiam suffecit homini, quæ ad ejus libertatem plenam desiderabatur. Itaque lege instructus homo pugnavit, sed non vicit. Valere tamen etsi nondùm ad vincendum, jam tamen ad pugnandum, nonnullus gratiæ viriumque nec pœnitendus modus est interim, si vel maximè spe non viduetur auxilii potioris. Et alibi idem: « Ipse quidem « nullius horum est indigens Deus, est enim « semper plenus omnibus bonis, etc. Facilem « autem ad idola reverti populum, erudiebat « per multas advocationes, præstruens eos « perseverare et servire Deo, per ea quæ erant « secunda ad prima advocans, hoc est, per typica ad vera, et per temporalia ad æterna, « et per carnalia ad spiritalia, et per terrena « ad cœlestia. Quemadmodùm dictum est « Moysi, *quoniam facies omnia juxta typum eorum quæ vidisti in monte*. Quadraginta enim « diebus discebat tenere sermones Dei, et cha- « racteres cœlestes, et imagines spiritales, et « præfigurationes futurorum, quemadmodùm « Paulus ait: *Bibebant enim de spiritali petrâ,*

« *petra autem erat Christus.* » Et statim : « Per « typos ergo discebant timere Deum, et perse- « verare in obsequiis ejus. Itaque lex et disci- « plina erat illis, et prophetia futurorum. » Lex igitur erat illis disciplina, per quam discebant timere Deum et perseverare in obsequiis ejus : per temporalia enim instituebantur perseverare et servire Deo, æterna quandoque largituro ; sed is gradus proficiendi retinendus erat rudioribus, ut per secunda ad prima, per temporalia ad æterna, per typica ad vera promoverentur. Tota ergo hæc erat disciplina salutis, et sanitatis. Nazianzenus : « Quando- « quidem nos ab initio per peccatum lapsos, « atque à voluntate usque ad idolorum cul- « tum ac nefarios cruores, surreptos et cir- « cumscriptos, propter viscera misericordiæ « Dei patris nostri, tanti opificii sui, id est, « hominis, jacturam facere non sustinentis, « revocari atque in veterem statum restitui « oportebat ; hanc in eo instaurando rationem « initam esse existimamus, ut acriore atque « asperiore medicinâ improbatâ, (ut quæ non « modò fidem non factura, sed propter con- « tractum temporis diuturnitate tumorem, « fortassè etiam morbum exulceratura esset) « leni ac facili medicamenti genere ipsius re- « sipiscentia procuraretur : nec enim plantam « incurvam subitam inflexionem, manûsque « erigentis violentiam ferre : sic enim potiùs « fore ut lædatur atque infringatur, quàm ut « erigatur : nec equum præferocem ac jam « ætate aliquantò provectiorem, freni tyranni- « dem perferre, nisi blandâ quâdam et adula- « bundâ manu permulceatur ; propterea nobis « adjumenti causâ lex datur, velut maceria « quædam inter Deum et idola interjecta, ab « his quidem nos abducens, ad illud autem re- « vocans. Ac paulùm quidem primò indulget, « ut majus accipiat. Sacrificia ad tempus con- « cedit, ut Deum in nobis inserat : ac postea « cùm commodum fuerit, ipsa quoque sacrifi- « cia de medio tollat ; mira sapientia per taci- « tas subtractiones, animos nostros sensim im- « mutans atque ad Evangelium traducens, jam « ad obediendum exercitatos et assuefactos. « Sic igitur atque his de causis lex scripta « introducta est, ad Christum nos colligens, « etc. » Hic est scopus legis, non aggerare peccata, non obicem vel sepem objicere saluti, non morbum exacerbare, sed mederi gradatim, sensim avocare ab idolis, ad Deum recolligere, obedientiæ insuefacere, ita ad Evangelium et ad Christum hominem traducere. Ab his utique ordiendum erat, non ante præcipitanda Verbi incarnatio. De timore autem quid sentiat, audies ex eodem alibi : « Atque et veteris et « novi Testamenti libros omnes ita permedita- « tus, ut ne unum quidem quispiam alius, etc. « Nam et timor Domini principium est sapien- « tiæ, velut primum quoddam incunabulum : « et sapientia cùm timorem excesserit, atque ad « Dei amorem nos subvexerit, ex servis jam « amicos ac filios efficit. » Christi ergo in nobis seu sapientiæ incunabulum timor est hinc grandescimus et ex servis in filios juvenescimus, nam pueri servorum instar sunt. In lege ergo ut timoris, ita et Christi cunabula erant, erant et incrementa amoris, sed in penetrali : unde idem : « Moyses autem et ascendit, et in « nubem ingreditur, et leges ac tabulas acci- « pit, vulgò quidem litteræ ; iis autem qui supra « vulgus assurgunt, spiritus. » Lex una et in fronte timorem puerilem, et in corde amorem gestabat filialem. In vitio ergo erant hominum ætates et mentis ægritudines, ut in cortice solam timoris asperitatem lamberent, non in reconditum charitatis mel sese altiùs insinuarent. Sed hoc genere medicinæ divinæ quid sapientius, quid humanius, quid humanatæ sapientiæ convenientius ? « Quid Dei voces è « monte auditas ? Quid duplicem legem, alteram « liberalem, alteram spiritualem ? » ait idem Nazianzenus.

26. Nec ab illo suus dissonat Basilius. « *Ti-* « *meat Dominum omnis terra,* etc. Jam quando « timor Domini initium est sapientiæ, qui ter- « rena sapiunt, per timorem erudiantur. Ti- « mor enim quasi quidam introductorius ne- « cessariò ad pietatem condiscendam assumi- « tur. Charitas verò à timore instructivo « exercitatos suscipiens, perficere solet. » Apertissimè monet non aliam esse viam, quàm timoris, quâ pueri terrena sapientes ad cœlestium gustum et sapientiam Christum proficiscantur ; ideòque legem timoris conciliatricem necessariò præmittendam Christo fuisse. Et alibi hæc verba expendens : *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos,* filios hos esse ait, in quibus utpote collapsis, Christus iterùm parturiendus, iterùm formandus est : « *Filioli* « *mei, quos iterùm parturio donec formetur Chri-* « *stus in vobis. Igitur venite, filii, audite me.* « Quid tamdiù pater hîc spiritualis docturus « est ? *Timorem,* inquit, *Domini, docebo vos.* » In quo semine primùm Christus in nobis singulis, et in universâ naturâ humanâ formetur, seu reformetur, nempe timore. Et eo utique

Christus formatur, salus reformatur, non larva, non obex salutis : nec amore sui quisque hunc sibi parit, sed studio cœlitùs adjuto, cœlitùs edocto : « Timor verò salutaris est qui « sanctitatis operarius est; timor item qui « studio acquiritur, non qui per affectionem « imprimitur animæ, » etc. Moxque describit terrificum Christi judicium, et tandem hunc locum ita concludit : « Hæc tu time et hujusmodi « timore eruditus, quasi quodam freno abarce « animam, et inhibe ad vitiosam concupiscentiam propendentem. » Quàm utiliter autem timor secundo adventui Christi nos præparat, tam salubriter et Judæos primò instruebat. Et in procœmio regularum fusiùs disputatarum, eos qui metu, qui spe, qui charitate ad officium urgentur discriminat, servos, mercenarios, filios, omnes autem pro suo quemque modulo ornat laudibus, tanquàm à præceptis divinis non unquàm vel tantisper deviantes. Quibus gemina sunt, quæ habet Gregorius Nyssenus : « Nam *qui vult omnes esse salvos et venire ad « agnitionem veritatis*, ostendit hîc perfectissimum et beatum modum salutis, eum dico « qui fit per charitatem. Nam nonnullis fit « etiam salus per timorem, quando metuentes ad minas supplicii gehennæ separamur « à malo. Sunt etiam aliqui qui propter spem « mercedis repositam iis qui piè vixerunt, se « rectè et ex virtute gerunt, non charitate « bonum possidentes, sed expectatione remunerationis. Sed qui animo currit ad perfectionem, expellit quidem timorem; est enim « ejusmodi servilis affectio, propterea quòd « non propter charitatem permaneat apud Dominum, propter flagrorum autem metum « non aufugiat : despicit autem ipsas quoque « mercedes, ne videatur mercedes pluris facere quàm eum qui donat lucrum : diligit « autem ex toto corde et animâ et potestate non aliquid aliud ex iis quæ ab ipso « fiunt, sed eum ipsum qui est fons bonorum. » Non tacuit Nyssenus nævos timoris, aut spei à charitate disjunctæ, in quos si rhetoricari velis, copiosè invehi poteris, nec plura tamen dices, quàm tribus ille verbis strinxit. Nam timor plus ardere metuit, quàm peccare : spes ista rudior plus dona quàm donantem miratur. Et tamen timore et spe salutem obvenire nonnullis, dummodò in timore consenescant, sed hinc ad charitatem gradum faciant, atque adeò salutaria hæc esse dona et de Christi censu irrigata profitetur. Et rursùm Nyssenus : « Cæterùm illorum in « quibus conveniente studio mens aucta est, « quippe infantiam reliquerunt, duplex hîc « discrimen discimus. Etenim animæ fiunt « quidem illæ concorporeæ Verbo, tam hæ, « quàm illæ. Verùm nonnullæ per amatoriam « quasi quamdam affectionem cum eo conglutinantur, cujus generis erat Davidis et Pauli « anima; quarum illa, inquit : *Mihi adhærere « Deo bonum est*; hæc verò : *Nemo nos separabit à charitate*, etc. Aliæ autem supplicii metu « adulterii conatus vitant. Nam et ipsæ manent *incorruptæ in integritate et sanctificatione*, sed metu magis quàm desiderio adductæ, nullum flagitium admittunt. Quæ igitur « per affectionem quamdam perfectiorem, « desiderio incorruptæ integritatis, cum Dei « puritate quasi commiscentur, reginæ propter « regni societatem appellantur : quæ autem « minarum metu virtutem colunt, concubinæ « vocantur. » Vides quàm non timori sit sua laus suffuranda, qui cum Verbo fecit esse concorporeos, qui in integritate et in sanctificatione perseverat, qui castitatem sui cum Verbo conjugii tuetur illibatam, etsi regnum charitatis necdùm adipiscatur. Quid autem incarnatio Verbi est quàm ejus cum naturâ nostrâ individuum conjugium? Non ergo ejus expertes erant Judæi in synagogâ, quos timor utcumque conglutinaverat conjugaveratque Verbo. In calce etiam opusculi de Vitâ Mosis, ultra metum, supra spem, ad apicem charitatis grassari hortatur, tanquàm ad perfectionem.

27. Subit animum exceptio nonnullorum, qui nihil æquè durum vel acerbum in legem crepare Græcos conqueruntur, atque Latinos, maximè verò Augustinum, ideòque hos propiùs abesse à Paulino dogmate, quod totum adversùs legem distringi et desævire videtur. Istiusmodi querela comprimetur, si prodeat extremus Cyrillus : ille enim legis damna et lucra unus complexus est elegantissimè, ita ut non potuerit claudi aptiùs hæc dissertatio. « Igitur « lex quidem damnavit mundum, *conclusit enim « Deus omnia per ipsam sub peccato*, ut scribit « Paulus; et nos pœnæ obnoxios esse ostendit, Salvator autem ipse nos potiùs liberat. « *Non enim venit ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus*. Deinde lex gratiam quoque hominibus dabat, ad cognitionem Dei utique « illos vocans et ab idolorum cultu errantes « abducens; et quid pravum, quidve rectum « esse, edocens, si non perfectè, at pædagogi « more et cum fructu. Veritas et gratia per

« unigenitum, non in typis bonum nos edocet, « neque per umbram res salubres nobis expri- « mit : sed claris apertisque præceptis, et ad « perfectam fidei cognitionem deducit. Lex « spiritum servitutis dabat ad formidinem, « Christus spiritum adoptionis, etc. Lex cir- « cumcisionem carnis quæ nihil est, inducit : « Dominus autem noster spiritûs et cordis cir- « cumcisionem per fidem conciliat, etc. Paulus « absolvit paucis verbis illam de lege et Salva- « toris gratiâ quæstionem, dùm ait : *Nam si « ministratione damnationis gloria est, multò ma- « gis abundat ministerium justitiæ in gloriâ.* Mi- « nisterium enim damnationis vocat præce- « ptum Mosaicum, ministerium verò justitiæ « Salvatoris gratiam, etc. Igitur cùm lex con- « demnans data sit per Moysen, gratia verò « justificans facta sit per unigenitum, » etc. Adversari hæc sibi et adversâ fronte collidi po- terant fortassis videri, quæ nunc in laudem, nunc in vituperium legis jactantur, nisi jam sæpiùs eorum concentus à nobis esset patefa- ctus. Lex enim damnavit mundum, conclusit sub peccato, ministerium mortis fuit, et reli- quo id genus infelicitatis elogio infamata est, cùm eam à Christo divellere, et tanquàm red- integrandæ saluti nostræ parem vendicare eam sibi solitariam machinati sunt homines. At rursùm lex « gratiam hominibus dabat ; ad « agnitionem Dei illos vocabat, ab idolis abdu- « cebat, justitiæ normam præscribebat, sin mi- « nùs perfectè, at pædagogi more et cum fru- « ctu : » quando Christo præstruebatur, et ab illo fluere, ad illum vergere, illi præsultare in- telligebatur. Nec aliter accipienda sunt quæ infra idem Cyrillus in legem pertonat : « Non « enim missus sum, inquit Christus, ut sacro- « rum ille interpres Moyses, ut lege terrarum « orbem condemnem, neque ad peccatum redar- « guendum mandatum fero, nec servili fungor « ministerio, sed qualem Dominum decet, ex- « hibeo benignitatem. Ut Filius et hæres Pa- « tris servitute homines libero, condemnatri- « cem legem in justificantem gratiam commuto, « suorum criminum catenâ constrictis peccata « remitto : salvaturus orbem terrarum, non « condemnaturus veni. Oportebat enim Moy- « sen, ut famulum condemnatricis legis mini- « strum esse, me verò, ut Filium ac Deum exe- « cratione legis orbem terrarum vindicare et « benignitatis exuberantiâ infirmitatem mundi « curare. » Num atrociùs potuit in legem per- orare? Sed illicò vehementem illum impetum excusat causa : « Salvator cernebat Nicodemum « Mosaicis affixum legibus, et veteri mandato « mordicùs adhærere, et ad regenerationem spi- « ritualem quodammodò exhorrescere, atque « ad novam et evangelicam vitam torpere, » etc. Tunc ergo in legem invehi fas est, tunc in timorem bacchari, quando iis ita affiguntur aliqui pertinaciter, ut ad Christum, vel ad cha- ritatem proficere pigritentur, vel penitùs de- sperent : nec illa ut tirocinia, sed ut summa perfectionis culmina venditare ausint. Ita enim aliquando in lac pueritiæ stomachari necesse erit, ut in quantoslibet sub pædagogo prove- ctus, si quis iis acquiescere animum induxerit, et ad juventæ solidiorem cibum nauseet, vel magistrum dictata virilis sapientiæ daturum contemnat. Ita in medicinæ primos conatus quamlibet auspicatos bilem emovere par erit, si quis reliqua et quidem validiora ac sanitati in totum reparandæ pernecessaria respuat. Ex adverso autem hæc initia eximiis quibusdam laudibus ornanda erunt, si ut initia, ut majo- rum præludia in spem nisumque ulteriorem fer- veant. Idem Cyrillus : « Vita secundùm legem « à Judæis colebatur : à gentibus verò vita se- « cundùm justitiam nullo modo cognosceba- « tur, » etc. Et paulò post : « *Creavit me,* inquit, « *initium viarum suarum* : vias hîc nominat le- « gislatorem Moysen et Prophetas, quibus velut « principium quoddam ac caput et potestas « constitutus est Christus. Quæ ab illis dicta « sunt, ad evangelicæ prædicationis novitatem « traducens, idque cum proprietate absolutâ. « Lex enim dicit : *Non mœchaberis;* Christus « autem : *Ego dico vobis, non concupisces.* Vias « autem sanctos vocavit, quippe qui suis admo- « nitionibus ad Deum ducere possint ; » Moyses ergo seu lex, via erat quæ ad Deum perduce- ret ; erant et Prophetæ, sed his præerat Chri- stus, initium viarum. Ad eam enim omnes viæ convergebant, atque inprimis lex. Et rursùs : « Angeli legem edixerunt, sed lex nihil perfecit. « Filius autem perfecit opus Patris. Perfectus « enim est in pietate, qui ipsius legibus instru- « ctus est. » Lex aliquid fecit, non perfecit ; cœpit, non ad umbilicum deduxit. Quantò Christus vel Moysen vel Angelos legis promul- gatores antecellit, tantò legi præstat gratia evangelica, ut Paulus ad Hæbreos, et ex eo Cyrillus, loco citato argumentatur. At Christo nil derogatur, quin arrogatur plusculùm, si ut ipse perficeret, alii cœpisse et delibâsse hoc operæ pretium existimentur. Nam et Moyses et Angeli portiones quædam Christi fuêre, ut non immeritò ei collaborâsse, et prælusoriam

quamdam suam operam ei navâsse putentur. « Et Angelis quidem ut servis inferiorem ad- « ministrationem tribuit; Filio autem eam quæ « Filio et Domino congruat. Nam *in melioribus*, « ut inquit Scriptura, *repromissionibus sanctus* « *est*. » Cùm lex ergo condemnare, pœnam exigere, interficere perhibetur, non aliud innuitur, quàm quòd vivificandi plenitudinem, ut Christus, non habeat; itaque condemnet, quos à damnatione non absolvit; perimat, quos peremptos non vivificat; quamvis enim tentet et incipiat vitam et libertatem largiri, nil tamen perficit. Ergo Christo conjuncta, vivificat, quia vitæ quædam exordia præbibat, quæ Christo perficienda transmittit; Christo autem adversa condemnat, quia legis insitæ transgressores clandestinos prodit. « Melior est itaque « qui justificat, quàm qui condemnat; melior « qui veniam largitur, quàm qui pœnam exigit. « Melior est eo, qui peccatum in carne con- « demnare non potuit, is qui hoc præstitit Fi- « lius. »

CAPUT VI.

Præceptis minoribus ante informanda erat humani generis pueritia per sapientiæ servos, quàm majoribus ab ipsâ per sese sapientiâ imbuerètur juventus.

1. Finitimum est et conjunctum hoc quoque superioribus argumentum, et ita illigatum, ut jam hujus semina veluti quædam præjacta sint. Pueris enim non tantùm lex instar pædagogi, non tantùm timoris flagella, non tantùm temporalium blandimenta exhibenda sunt, ut in officio perstent, sed ipsa etiam præcepta quibus onerantur, rudi ætati admoderanda sunt, ne virilem sapientiam præcoquis irritisque conatibus prævertere compulsi, incassùm fatiscant. Præcepta autem puerili teneritudini admensa, ut ipsa per sese sapientia carnem humanam induta instillaret, inconcinnum penitùs atque indecorum fuisset. Nec enim sapientia ipsa premere ita se potest atque infringere, ut has minutias, et extremam hanc balbutiem eloquatur. Si balbutire eam cogat quandoque amor in filios, at per pueros, per servos suos balbutiat, per Moysen, per Angelos, per Prophetas legalia præcepta, tanquàm conamina magis quædam, quàm verba meditetur et depromat. Aut si et ipsam quoque, ut parentem amantissimam decet balbutire, et parvulis alludere, atque blandiri humiliùs et penè desipere, non poterit tamen ita dissimulare atque ejurare seipsam, quin grandius aliquid balbutiat, quin virile interserat quidpiam, quin evangelicam saltem stultitiam sapiat. Nam lex evangelica nobis quidem à pueritiæ nugacitate adhuc recentibus, grande aliquid et virile sonat, maturamque præ se ferre videtur sapientiæ perfectionem : at ipsi sapientiæ ea nihil aliud quàm balbuties est, et puerilis sapientiæ, id est, amabilis insipientiæ sapientiam conantis et ambientis ausus.

2. Non potuit profundiùs delabi, non potuit ampliùs diffingere atque abnegare seipsam sempiterna et incommutabilis sapientia et justitia Christus, quàm ut hanc evangelicam justitiæ, nostro quidem sensu, maturitatem, suo autem judicio, id est, veritatis ipsius oraculo, infantiam dictaret. Ergo his rudiora si priùs necessum fuit mandata immaturiori cuidam nostræ ætati præcipi, per servos et ministros suos convenientiùs id præstitisse permittatur. Augustinus : « Quisquis autem ideò negat utrum- « que Testamentum ab uno Deo esse posse, quia « non eisdem sacramentis tenetur populus no- « ster, quibus Judæi tenebantur, vel adhuc te- « nentur, potest dicere non posse fieri, ut unus « pater familiâs justissimus aliud imperet eis « quibus servitutem duriorem utilem judicat, « aliud eis quos in filiorum gradum adoptare « dignatur. Si autem præcepta vitæ movent, « quòd in veteri lege minora sunt, in Evangelio « majora, et ideò putatur non ad unum Deum « utraque pertinere, potest qui hoc putat, per- « turbari, si unus medicus alia per ministros « suos imbecillioribus, alia per semetipsum va « lentioribus præcipiat ad reparandam vel ob- « tinendam salutem. Ut enim ars medicinæ « cùm eadem maneat, neque ullo pacto ipsa « mutetur, mutat tamen præcepta languenti- « bus, quia mutabilis est nostra valetudo; ita « divina providentia cùm sit ipsa omninò in- « commutabilis, mutabili tamen creaturæ varié « subvenit, et pro diversitate morborum aliis « alia jubet aut vetat, ut à vitio unde mors in- « cipit, et ab ipsâ morte ad naturam suam et « essentiam, ea quæ deficiunt, id est, ad nihi- « lum tendunt, reducat et firmet. » Antiquam ergo legem concinnavit et protulit ars medicinæ incommutabilis sapientia Christus, et jam tum mederi cœpit infirmiori ætati per ministros suos, ut eidem paulò valentiori factæ iis fomentis, postmodùm plenissimam curationem et salutem adveniens ipsa inferret. Præcepta igitur legis, etsi typica sint et adumbrata, etsi cùm moralia sunt, jejuna sint et molliora, at-

que duris cordibus attemperata, sunt tamen medicinalia, sunt de unâ summâ arte medicinæ condita, sunt illi ægritudini tempestiva, sunt salutifera. Ne ergo Christum maturiùs carni intrudere celeremus; aderat, cùm ars medicinæ aderat; aderat quantùm adesse proderat; si plus adfuisset, obfuisset, et ægros onerâsset, non relevâsset.

3. Pulchrum est et eruditum quod in rem istam disputat Augustinus idem de Hebræis qui per fraudem spoliare Ægyptios ab eodem Deo jussi vel permissi sunt, qui Christianos instituit, nemini fraudem facere, nec fraudem fraude retaliari, et sua dilargiri, nedùm aliena concupiscere. Nempe illud pueris lentè, utcumque tamen proficientibus, hoc viris robustâ quâdam et succulentâ virium exuberantiâ ad virtutis apicem approperantibus congruebat. « Quisquis duorum Testamentorum dispensationes pro temporum congruentiâ, generis humani diligenter ætatibus distributas intuetur, satis quantùm existimo intelligit, quid propriè priori ætati generis humani, quid posteriori conveniat. Divinâ enim providentiâ pulchrè omnia moderante, ita universa generationum series ab Adam usque ad finem seculi administratur, tanquàm unius hominis, à pueritiâ usque ad senectutem, temporis sui tractum ætatis gradibus terminantis. Et ideò virtutum etiam gradus in moribus, donec veniatur ad summam hominis perfectamque virtutem, oportet eum distinguère, qui divinis lectionibus piè animum intendit : ne fortè cùm invenerit aliquando parvis parva, aliquando majora majoribus imperari, reputans in comparatione majorum, peccata illa esse quæ minora sunt; non arbitretur decuisse ut talia Deus hominibus imperaret. » Hæc ille primùm fundamenta jacit. Postea ad rem quæ præ manibus erat, pertractandam accedens, ait : « Quantùm ad decipiendum attinet, summa et perfecta virtus est, neminem decipere, atque illum exhibere quod dictum est : *Sit in ore vestro, Est, est, Non, non* : sed quia hoc eis imperatum est, quibus jam regnum cœlorum promissum est; magna autem virtus hæc implere majora, quibus debetur hoc præmium: *Regnum enim cœlorum vim patitur, et qui vim faciunt diripiunt illud*; quærendum est quibus gradibus ad istam summitatem perfectionemque veniatur. In quibus utique gradibus invenjuntur illi, quibus adhuc terrenum regnum promittebatur, quo promisso tanquàm parvuli præluderent, et ab uno Deo abundanter qui est omnium Dominus, interim terrenis gaudiis quibus adhuc inhiabant, impetratis, inde proficientes et in spiritu succrescentes, auderent etiam sperare cœlestia. Sicut ergo summa et prope divina virtus est, neminem decipere, sic ultimum vitium est, quemlibet decipere. Ab hoc ultimo vitio ad illam summam virtutem tendentibus, gradus est, neminem quidem vel amicum vel ignotum, sed tamen inimicum aliquando decipere. Unde etiam illud, etc. : *Dolus an virtus, quis in hoste requirat?* etc. Sed quoniam et ipse hostis plerùmque potest injustè decipi, veluti cùm pactum fit de temporali pace, quas inducias vocant, et non servatur fides, et cætera talia. Multò est purgatior, summæque illi virtuti propinquior, qui quanquàm velit hostem decipere, non eum tamen decipit nisi auctoritate divinâ. Deus enim novit vel solus, vel certè longè excellentiùs quàm homines atque sinceriùs, quâ quisque pœnâ præmiove sit dignus, etc. Quapropter cùm et Ægyptii deceptione digni essent, et populus Israel pro illâ ætate generis humani in tali adhuc gradu morum constitutus esset, ut non indignè hostem deciperet, factum est, ut juberet Deus, vel potiùs pro illorum cupiditate permitteret, ut vasa aurea et argentea, quibus adhuc terrenæ rei appetitores inhiabant, et peterent ab Ægyptiis non reddituri, et acciperent quasi redditurі. »

4. Ad illam ergo virtutis altitudinem quæ dolos funditùs exsecat et penitùs extirpat atque elidit, gradus est proficientium, si non suos, non amicos, nonnisi hostes decipiat, et fraudem referat magis quàm inferat, idque nonnisi prævio jussu aut permissu Dei, qui lux veritatis et justitiæ est. In hoc gradu sisti homines et ita altiùs protrudi decebat. Quid pulchrius autem quàm eos esse ætatum, qui sunt virtutum gradus? Quid venustius virtutum progressione? Quid admiratione nostrâ dignius, quàm virtutum initia, incrementa, fastigia? Quo luculentiori ornamento illustrari potuit nostra et singulorum et universorum in communi mutabilitas per varios ætatum tractus necessariò exigenda, quàm si virtutum unà proficientium et easdem percurrentium ætates comitatu honestaretur? Quid speciosius quàm non temporum hunc tam esse fluxum, quàm influxum virtutum? Non tam mutabilitatem per annos decurrentes exeri, quàm immutabilitatem per virtutes

unà progredientes inseri? Radix enim immutabilitatis est sapientia, justitia, virtus. Ergo annorum lapsus cùm virtutum compari illapsu, non solam explicantis se mutabilitatis venustatem præfert, sed longè digniorem implicantis se et regnantis immutabilitatis pulchritudinem ostentat. Nostris itaque utilitatibus apprimè ad eum modum consulitur.

5. Sed sinamus ipsum quoque sibi consulere, qui nobis consulit. Si enim rationem habet nostri, dùm majoribus majora, minoribus minora præcipit, æquum est, ut et sui rationem habeat, dùm majoribus majora non præcipiet, nisi major, nec minoribus minora, nisi minor. Refert enim non tantùm quibus, sed et à quo præcepta dentur; nec pueritiæ regendæ accommodata lex nisi pueris, nec nisi ab eo dictari debet, qui illi ætati consentaneus et penè affinis est. Ideò enim et in Christi disciplinâ, si quid per indulgentiam adhuc mollius et nostram ad imbecillitatem inflexum quandoque, atque à legis æternæ rigore remissius est, id quoque carni Christi, per quam infantia quædam adhuc nostra lactatur, imputandum est. Ita enim aiebat Christus, multa sibi et ampliora superesse suis præcipienda, sed illos tunc ferendo non esse; at ubi virtute ex alto induti, invictum pariter animo robur induissent, tunc illa ardua et castigatissima veritatis præcepta, non jam à Verbo carne, sed à Verbo Deo et carne etiam absorptâ in Deo edocendos. Itaque caro ipsa Verbi temperamentum erat accommodum, non tantùm quo obumbraretur ejus divinitas intelligenda, sed etiam quo coaptaretur et lactesceret nobis sanctitas ejus et lex præscribenda. Nec lex Christi accuratissimè et absolutissimè, aut intelligetur, aut eligetur, aut diligetur, nisi à beatis patriæ supernæ incolis, quibus jam nullo carnis obumbranda erit velo. Cæterùm si nudâ Deitate explicatur legis æternæ perfectio et plenitudo; si Deitatis carne propria explicatur legis æternæ temperies evangelica, tanquàm proxima summæ illius derivatio plenitudinis, æmulatio perfectionis, certè longè degener ab his et decoloratior legis Mosaicæ mollities, non potuit nisi per umbras carnis Verbi, hominibus inter crepundia adhuc ineptientibus explicari. Pergit ibidem Augustinus: « Quòd primò in terrenis rebus « sit gradus ad cœlestem justitiam, qui jam « infirmioribus imperatur, Dominus ostendit, « cùm ait: *Si in alieno fideles non fuistis, vestrum quis dabit vobis?* Et quòd pro suis gradibus animæ doceantur, ipse Dominus demonstrat dicens: *Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis portare illa.* Et Apostolus cùm ait: *Et ego, fratres, non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; lac vobis potum dedi, non escam: sed neque adhuc potestis. Adhuc enim estis carnales.* » Hi erant sub gratiâ, non sub lege, jam initiati Christo et evangelicæ legi, quos ita Paulus affatur, et tamen illos lacte potat, non escâ, utpote pueros et carnales: longè tamen provectiores erant, quàm Hebræi sub lege, et præ his in viros penè adoleverant. Itaque his lac erat caro Christi, illis umbra Christi: hi carnales, quòd carnem Christi adhuc, nequedùm æternam Verbi sapientiam saperent, illi quòd nec carnem Christi, sed solas ejus umbras; hi Evangelium caperent, sed nonnullis blanditiis ex indulgentiâ mitigatum, illi nonnisi inflexam et assentientem suæ duritiei legem Mosaicam. Verbum igitur carne indutum et temperatum nostræ ægritudini, non poterat tamen remissiorem aut indulgentiorem ullam legem auctoritate suâ dictare quàm evangelicam; Mosaicam autem nonnisi per umbras sui poterat. Etenim Verbi, sapientiæ, sanctitatis et legis æternæ nonnisi umbra et simulacrum est lex Mosaica; at ejus veluti caro quædam propria et corpus est lex evangelica; nempe illa tam discolor est, quàm umbra à luce deficit: hæc tam concolor est et tam cognata temperies, quàm caro ad animam; sed utrobique tamen temperies est, et condescensus. Claudit tandem illam quæstionem Augustinus: « Quod enim in istis secundùm gradus suos actum est, hoc in universo genere « humano agi cognoscimus, ut alia carnali populo, alia spiritali pro temporum congruentia juberentur. Non ergo mirum si hostem « decipi dignum decipere jussi sunt, qui erant « adhuc digni hostem decipere. Non enim jam « erant idonei, quibus diceretur: *Diligite inimicos vestros;* sed tales erant, quibus tantummodò dici poterat: *Diliges proximum tuum, et oderis inimicum tuum.* Adhuc enim ille proximus « quàm latè intelligendus esset, non erat tempus tradere. Inchoatio ergo quædam facta « est sub pædagogo, ut magistro perfectio servaretur, cùm tamen idem Deus et pædagogum parvulis dederit, legem illam scilicet « per famulum suum, et magisterium grandioribus, id est, Evangelium per Unicum suum. » Lex pueris, lex à pædagogo tradenda, Verbi et sapientiæ et justitiæ summæ nonnisi umbra-

tica imago est et vacua ludibundaque simulatio. Itaque cùm à Verbo incarnato temporiùs optas illam fuisse promulgatam, nugas agis, nec carnem corpusque Verbi ab ejus umbrâ discriminas. Perinde enim est ac si queraris, quòd umbra Verbi non sit caro Verbi. Ad hæc erat illa lex servitutis, nempe pueris qui à servo nil differunt, dùm id ætatis sunt, imposita, nec ad charitatem filiorum, nec ad libertatem nudæ ac sinceræ veritatis assurgebat. At Verbum per suam carnem edicere legem non poterat, nisi libertatis. Est enim Filii libertas propria : est filiatio Verbi nostræ carni insita, ut suâ illam libertate impertiat : est generositas quædam humanæ naturæ universæ jam tum inspirata, cùm Verbo consociata est, ut jam servire respuat, et nec Deo nisi liberaliter servire dignetur. Lex ergo servitutis per servos feratur, Filius non potest nisi libertatem largiri et sancire, atque ita non potest, nisi illi ætati consentire, quæ libertati matura jam est. Ideò lex antiqua plerùmque Mosis nomine prænotatur, nunquàm Christi, etsi à Verbo Christo per Moysen et per Angelos lata sit : nec enim dignatur nisi suas umbras et vicarios administros umbraticæ legis gloriâ honestare. Et Christus ipse : *Audistis quia dictum est antiquis*, etc. *Ego autem dico vobis*, etc. Palàm et conspicuè et penè ambitiosè, si fari licet, vindicat sibi auctoritatem et gloriam legis evangelicæ, utpote jam liberalis et purgatioris, et quæ Verbo temperamentum quidem aliquod adhuc obduceret, non tamen, ut umbra, sed ut caro ejus.

6. Consonàntia etiam est minorum præceptorum non tantùm cum pueritiâ eorum quibus præfiguntur, aut cum dignitate eorum à quibus præscribuntur, sed etiam cum timore, vel spe mercedis, quibus illa ætas stimulis urgebatur. Majora enim legis æternæ scita timori servili, vel delectationis temporalis spei non congruebant, utpote quæ solâ perfectè æternitatis charitate observantur. Augustinus: « Si quæritur quid significet mons, benè intelligitur significare majora præcepta justitiæ, quia minora erant quæ Judæis data sunt. « Unus tamen Deus per sanctos Prophetas et « famulos suos secundùm ordinatissimam dis« tributionem temporum, dedit minora præ« cepta populo, quem adhuc timore alligari « oportebat, et per Filium suum majora populo, « quem charitate liberari convenerat. Cùm au« tem minora minoribus, majora majoribus dan« tur, ab eo dantur, qui solus novit congruen« tem suis temporibus generi humano exhibere « medicinam. Nec mirum est quòd dantur præ« cepta majora propter regnum cœlorum, et « minora data sunt propter regnum terrenum, « ab eodem uno Deo qui fecit cœlum et terram. « De hâc ergo justitiâ quæ major est, per Pro« phetam dicitur : *Justitia tua sicut montes Dei.* « Et hoc benè significat quod ab uno magistro, « solo docendis tantis rebus idoneo docetur in « monte. » Hæc minorum ergo majorumque legum dispensatio in congruentiam medicinæ refundenda est : et lex Mosaica de hâc medicinæ arte prodibat. Vides autem, quàm finitima hæc sibi sint, populus adultior, lex perfectior, charitas, libertas, regni æternitas, Filius magister et legislator ; et rursùs quàm conjuncta sint ista, grex puerorum, lex jejunior, timor, servitus, temporales deliciæ, servus pædagogus. Hæc præire, illa subsequi necessariò debent, neutra permisceri debent. Sed tota maximè defœdabitur illa providentiæ pulchritudo, si pueris non servum pædagogum, sed Filium unigenitum magistrum invehas. Hic enim suum servum apparatum et cognatam pompæ magnitudinem inferens, æternitatem, charitatem, legis æternæ fulgorem, temporalium aspernationem, parvulos onerabit, territabit, obruet.

7. His assonat Ambrosius : « Cessavit cir« cumcisio partis, ubi refulsit circumcisio uni« versitatis, etc. Superest nunc illa quæstionis « portio, utrùm debuerit pars præmitti, quùm « esset ventura perfectio. Qui locus facilis « est ad diluendum, si consideremus quibus « pars mandata sit, quibus servata perfectio. « Pars enim mandata est secundùm legem « populo Judæorum, illi durâ cervice, illi « infirmo, illi qui Deum suum non cognovit. « Quòd ergo partem non potuerit sustinere, « quomodò perfectionem servare potuisset ? « Ut si puerulum litteris imbuas, à singulis « litterarum elementis inchoandum est tibi, « ut à singulis apicibus ad syllabas, à syllabis « cum per ordinem ad nomina orationemque « deducas. Nec potest quisquam mare navi« gare intrepidus, nisi qui ante in fluminibus navigaverit. Denique si quid aut confi« ciendi itineris aut levandi oneris puero velis, « provectoque mandare, numquid æquanda « onera sunt, aut æquandus labor ? Ita igitur « noveris, his perfectionem circumcisionis esse « servatam qui Christi institutis validioribus « idonei viderentur, » etc. Priùs enim semper quod ex parte est, deinde quod perfectum,

teste Paulo. Ergo præire necessum fuit portiones Christi, particulas sapientiæ et justitiæ, minutias inhumanatæ veritatis, ut postea suo loco adventaret ipsa incarnatæ veritatis perfectio. Sed et nunc quoque etsi perfectionem assecuti præ antiquis videamur, tamen ex parte cognoscimus et ex parte diligimus, nec totum sapientiæ aut charitatis lumen succendetur, nisi cùm vitæ cœlestis copia mortalitatem nostram occidet. Idem Augustinus alibi: « Oportuit igitur circumcisionem ex parte fieri ante « ejus adventum, qui totum circumcideret hominem. Ex parte enim debuit assuescere « humana conditio, quemadmodùm in id quod « perfectum est, crederetur » Et alibi: « Sed « nunc profuit circumcisio, cùm Christus ad- « huc perfecta differret, cùm parvulus esset « populus credentium. Venit non parvulus, sed « perfectus in omnibus Dominus Jesus. Cir- « cumcisus est primò secundùm legem, ne « legem solveret; postea per crucem, ut legem « impleret. Cessavit ergo quod ex parte est, « quia venit quod perfectum est. Crux enim « in Christo non unum membrum, sed totius « circumcidit superfluas voluptates. » Et Hieronymus legem à Christo non solutam, sed adimpletam interpretatur: « Sive quòd de se « per alios prophetata compleverit, sive quòd « ea quæ ante propter infirmitatem audientium « rudia et imperfecta fuerant, suâ prædica- « tione compleverit, iram tollens, et vicem « talionis excludens, et occultam in mente « concupiscentiam damnans. » Amputare et circumcidere satis egerat Moyses vitia, quòd primus ille esset labor; at inserpentes animi medullis eorum fibras persequi sigillatim, atque elidere, ut ne una quidem existeret; iræ clancularias effervescentias, vindictæ furtivas prurigines, cupiditatum radices fallentes extirpare funditùs, nec ipse poterat, et ut ipse posset præstare, non poterat ea ætas pati. Non poterat intestina hæc lues eluì atque expiari, nisi sanctitas ipsamet veritatis substantivæ infunderet se victrixque insideret naturæ nostræ; nec rursùs poterat se infundere atque insidere venis intimis naturæ nostræ per hypostaticam copulam, quin pestes illas omnes exsufflaret. Reciproca hæc sunt et ultrò citròque commeantia. Eo ergo tempore non erat inserenda adhuc nobis deitas, quo luxuries serpentium vitiorum circumcidenda priùs erat, quàm ad ipsam exsecandam radicem deveniretur. Gregorius Magnus: « Carnali Israelitico populo, descendente de monte « Moyse, lex in campestribus data est, et san- « ctis Apostolis Dominus in monte sedens, « summa et spiritalia præcepta locutus est. Ut « ex locis videlicet monstraretur, quia et illis « tanquàm carnalibus mandata minima dabantur in valle terrarum; et isti tanquàm spi- « ritales et sancti in monte mandata cœlestia « audirent: quatenùs apertè monstraretur, « quòd ascendentes corde ad cœlestia, infima « mundi relinquerent, et in mentis culmine « starent. » Ut priùs est ima vallium quàm ardua montium pervadere, ita molliora priùs quàm asperiora vitæ præcepta peragranda sunt. Quid est autem Christum ad populos in imo adhuc jacentes ablegare, quàm ex suo illum monte, seu ex summo sapientiæ fastigio detrahere?

8. Sed nequaquàm suffugiet nos Tertullianus, cujus hoc præclarum est: « Nam olim « et *oculum pro oculo* et *dentem pro dente* repe- « tebant, et malum malo fœnerabant. Nondùm « enim patientia in terris, quia nec fides. Sci- « licet interim impatientia occasionibus legis « fruebatur. Facile erat absente Domino pa- « tientiæ et Magistro. Qui postquàm superve- « nit, et gratiam fidei patientia composuit, jam « nec verbo quidem lacessere, nec fatuè quidem dicere sine judicii periculo licet. » Sed ille primus erat patientiæ gradus, quo vindicta modum in hunc temperabatur, ut non plus referretur, quàm illatum erat damni: secundus ut malum bono repensaretur. Primus secundo præformandus fuit, secundus utpote perfectissimus à perfectissimo Magistro Christo informandus. Unde item Tertullianus: « Non « enim aliud Christus in omnes præcepit, « quàm quod creator in fratres. Nam etsi ma- « jor est bonitas quæ operatur in extraneos, « sed non prior eâ quæ ante debetur in proxi- « mos, etc. Quòd si secundus gradus bonitatis « est in extraneos, qui in proximos primus « est, ejusdem erit secundus gradus cujus et « primus, faciliùs quàm ut ejus sit secundus, « cujus non extitit primus. Ita et creator se- « cundùm naturæ ordinem, in proximos do- « cuit benignitatem, emissurus postea in ex- « traneos; et secundùm rationem dispositio- « nis suæ, primò in Judæos, postea et in omne « genus hominum. » Prior est ea charitas atque humanitas, quæ proximis, quàm quæ extraneis dependitur: hæc perfectior, sed illa prior: ab illâ ergo ad hanc gradus moliendus fuit. Apage autem ut Christo demandetur charitas in proximos, et nondùm in extraneo susci-

tanda, cùm ipse charitas substantiva et universalis sit, cùm magisterium ejus numeros omnes veritatis et justitiæ impleat, cùm nihil ei sit extraneum, cùm omnem ille humanitatem infinito quodam charitatis suæ sinu complexus sit. Non ergo incarnari tum poterat, cùm charitas adhuc suam insinuare nobis plenitudinem nequedùm poterat.

9. Quòd autem præcepta illa quàmlibet impolita, elimarent tamen humanum genus paulatim, et ad perfectionem seu ad Christum promoverent, planum facit Hugo Victorinus: « Si credaretis, inquit, Moysi, crederetis « forsitan et mihi. Quid enim in Moyse nisi « legem, et quid in lege nisi timorem Dei in- « telligere debemus? Et quid in Christo nisi « gratiam et veritatem accipimus? Quid est « ergo Moysi credere, nisi acceptæ legis man- « data fideliter observare? Observare autem « mandatum, hoc est verè timere Deum, sicut « scriptum est: *Qui timet Deum nihil negligit.* « Et in Psalmo: *Beatus vir qui timet Dominum, « in mandatis ejus volet nimis.* Quid est autem « Christo credere, nisi confiteri et agnoscere « gratiam et veritatem Dei, hoc est, redem- « ptionem humani generis et salutem omnium « per Christum compleri, et in Christo con- « sistere, eamque cum amore et devotione « suscipere? Dicatur ergo contumacibus et « transgressoribus legis qui timorem Dei ante « oculos non habebant, et ideò viam pacis, « hoc est, Christum non agnoscebant; dicatur: « *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi,* « ac si diceret: Si servâssetis legem, intelli- « geretis veritatem; si audivissetis præcepto- « rem, cognosceretis salvatorem. Scio quidem « quòd me Deum cognoscere non potest, qui « à me illuminatus non est: et ideò vos non « creditis, quia à me illuminati non estis; ego « autem idcircò vos ad me cognoscendum non « illumino, quia vestram contumaciam et præ- « varicationem scio: et dignum est ut me « præsentem jam non cognoscatis, cujus præ- « cepta priùs ad vos per Moysen missa servare « noluistis. Audiant hoc illi qui præcepta Dei « non custodiunt, et tamen secreta Dei se « comprehendere posse præsumunt. » Quis ergo jam expostulandi locus non septus et occlusus est? Vel enim timori et minoribus præceptis servierunt, et ita ad veritatem et charitatem Christi perfectam tandem evecti sunt; vel timoris et legis frenos respuerunt, atque quòd Christi exortes sint, suæ contumaciæ debent. Ita enim et olim et etiamnum, ita ipso rerum et naturarum ordine inconcusso fixum statumque est, ut qui credit Moysi, credat et Christo; qui credit Christo, crediderit priùs Moysi; qui Moysen conspuit, Christo terga vertat; qui Christum despicatur, Moysen antè conculcaverit: hoc est, ut per legis jejuniora et quasi puerilia elementa ad evangelicam justitiæ amussin, et per timoris angustias ad latitudinem charitatis evadatur; nec Evangelii aut charitatis seu Christi exors sit penitùs, nisi qui prudens et volens obvia sibi et oblata timoris legisque initia fastidierit. Viget lex eadem in eos etiam qui jamdudùm sub Christi vexillo faciunt stipendia. Quò timori ejus et præceptis deditiores sunt, eò in penetralia quædam charitatis ejus et in altiora legis evangelicæ lumina intimiùs illàbuntur, ut sibi quidem videantur hactenùs Christi expertes, sub legis et timoris jejunitate languisse, nunc autem illucescere sibi et incarnari Christum, legemque et charitatem ejus hactenùs inexpertam nunc denique sibi infundi. Lex enim inviolabiliter fixa et rata hæc est peregrinanti à Deo post peccatum rationali naturæ, ut ad veritatem Christum non pertingat nisi per charitatem, nec ad charitatem nisi per timorem, nec timorem nisi ementitum personatumque gerat, nisi legis mandatis famuletur, et quidem minoribus, quia majora charitati uni pervia sunt, imò cum charitate concreta quodammodò et conflata sunt. Hæc via terenda, hæc lex subeunda, et ante legem Christum expectantibus, et sub gratiâ Christum jam tenentibus et tamen adhuc expectantibus, cumulatiùs sibi illustriùsque venturum, et tam copiosè superventurum, ut necdùm venisse, aut necdùm sibi venisse videatur. « Si igitur Judæi viam « pacis, hoc est, Christum, idcircò cognoscere « non potuerunt, quia timorem Dei in custo- « diendo mandata ante oculos habere nolue- « runt, patenter nobis ostenditur, quòd per « experimentum boni operis, apertissimè per- « venitur ad agnitionem veritatis, » ait Hugo ibidem.

10. Nec pigebit Guillelmum Parisiensem episcopum ad dicendam sententiam citâsse. Pulcherrima sunt enim quæ ille habet tractatu de sacramento Eucharistiæ: « *Reprobatio fit « præcedentis mandati propter infirmitatem « ejus et inutilitatem*, etc. Et si quæratur quare « tot millibus annorum sustinuit Deus imper- « fectionem istam et diminutionem in cultu « suo, quare non priùs gloriæ suæ et saluti

« nostræ consuluit, jam pro parte respondi-
« mus in isto. Si enim elementa et quasi al-
« phabetum perfectionis divini cultûs, vix
« paucissimi in mundo, id est, sola gens He-
« bræorum miraculis inducta, totque et tantis
« flagellis quodammodò compulsa recipere po-
« tuit, cùm etiam esset in hâc quasi hæredi-
« tariâ Patrum eruditione adjuta; quantò for-
« tiùs mundus totus et communitas hominum
« ad tantam perfectionem ineptus fuit! Susti-
« nuit ergo Deus illam imperfectionem in
« cultu suo, donec venit plenitudo temporis :
« quemadmodùm sustinet imperitiam in pue-
« ris, parvitatem in seminibus vegetalibus, et
« in omnibus animalibus, donec per incre-
« menta, magnitudo suæ perfectionis eis ad-
« veniat. Et ut quæstionem istam ampliùs enu-
« cleemus, non alia est quàm si quæratur,
« quare nascuntur homines parvuli, et non
« potiùs viri perfecti atque barbati ? Et quare
« ponuntur ova ab animantibus ovantibus, et
« non potiùs animalia perfecta ex eis nascun-
« tur ? Natus est enim Dei cultus et vera reli-
« gio in mundo, quodammodò ut semen, et
« quodammodò ut parvulus, propter imper-
« fectionem, et ineptitudinem communitatis
« hominum. » Quippe ea est non natura insti-
tuti, sed pœna damnati hominis, ut non in matris modò, sed et in suo mœrore ac detrimento pariatur, edaturque in lucem sordidus, brutus, insipiens, nec nisi per longa ætatum intervalla erudiri, et expoliri in usum aliquem sapientiæ et religionis possit.

11. Bellulè hæc etiam lusit Prudentius adversùs Symmachum :

Sic ævi mortalis habet se mobilis orao,
Sic variat natura vices. Infantia repit,
Infirmus titubat pueri gressusque animusque.
Sanguine præcalido fervet nervosa juventus.
Mox stabilita venit maturi roboris ætas.
Ultima consiliis melior, sed viribus ægra,
Corpore succumbit, mentem purgata senectus.
His genus humanum per dissona tempora fluxit
Curriculis ævum mutabile. Sic hebes inter
Primitias, mersumque solo titubavit, et instar
Quadrupedis, pueri lactantia viscera traxit.
Mox tenerum docili ingenio jamque artibus aptum
Noscendis variâ rerum novitate politum est.
Inde tumens vitiis, calidos adolevit in annos,
Donec decocto solidaret robore vires.
Tempus adest ut jam sapiat divina, serenæ
Mentis consilio, vivaciùs abdita ſolers
Quærere, et æternæ tandem invigilare saluti.

Ita ille majestatem theologiæ nostræ legibus metri subjugavit, nec dedecoravit. Porrò indo liquet fluxisse id quidem de pœnâ peccati, quòd penè marcidior ipso corpore animus, per easdem ætatum vices rotatur et expolitur ac corpus : at de Christi gratiâ id fluere, si ætatum decursus ad sapientiam etsi tardiùs, utcumque tamen properet. Ex quo fit ut Christi magis quàm hominis cujuslibet illæ censendæ sint ætates; ita enim ab orbis conditu ad ejusdem exitum, nascitur, crescit per varia augmentorum curricula et maturescit Christus. Quanquàm ergo lex vetus, et Testamentum vetus veteri homini soleat non immeritò adscribi, illa tamen etiam erat hominis jam prælusoria quædam innovatio et Christi proinde ætas. Agebatur enim vetus homo forinsecùs, sed et excutiebatur paulatim ipsa vetustas, et ex parte circumcidebatur, etsi nondùm ex toto : novitas autem paulatim stillatimque combibebatur et præseminabatur Christus. In veteri etiam homine, jam olim Christo licet initiati, nosmet reputamur, non corpore tantùm, sed et eâ animæ portione non minimâ quæ concupiscit adhuc adversùs spiritum, et primitias suas sursùm religatas suo pondere deprimit. Ætatem ergo Christi aliquam nos agimus, agimus et veteris hominis; nec vicem nostram ita dolemus ob reliquias vetustatis, quin ob primitias novitatis uberiores congratulemur et nobis et nostro liberatori Christo, atque innovatori, in perfectissimam aliquando nos libertatem innovaturo, et jam nunc ad eam nos innovanti, sed gradatim. Ita ergo et sub lege agebatur ætas Christi aliqua etsi rudior, agebatur et veteris hominis, sanè quàm nunc plenior; nec illi suam sortem ita lamentabantur, ob comperendinata absolutissimæ innovationis suæ tempora, quin et sibi et Christo plauderent, à quo innovari se per legem Mosaicam, et hoc gradu ad evangelicam saltem intùs et clanculariè innovandos se sentiebant.

12. Ne Græcos videamur studio omisisse, unius aut alterius suffragium attexemus. Athanasius initium Epistolæ ad Hebræos exponens : « Deinde cùm narratio haberetur de
« nostri curâ ac dispensatione, deque ultimis
« temporibus, ad contextum argumenti perti-
« nebat ut diceret, Deum neque superioribus
« ætatibus tacuisse, sed locutum esse per
« Prophetas; et ubi Prophetæ suo officio per-
« functi essent, et lex per Angelos sua edicta
« prænuntiâsset, et Dominus ad nos immi-
« grâsset, et ad administrandum accessisset,

« tunc demùm subintulit : *Tantò melior Angelis factus*, etc., ostendere volens, quantò « Dominus præ servo excellat, tantò functione « et officio servorum, Filii administrationem « meliorem esse. » Et infra : « Spectent salutem gratiam per Filium datam, et cognoscant ipsum ipsis rebus probari contestatumque reddi, alium diversumque esse à rebus « creatis, solumque verum Filium in Patre, « et Patrem in ipso existere. Lex quidem per « Angelos enuntiata est, sed nullum perfecit, « cùm opus haberet præsentiâ Domini ut Paulus dixit : *Verbi autem præsentia absolvit opus « Patris.* » Et ibidem statim : « Et tunc quidem « nihil nisi formulæ, delineationesque erant, « quæ ostendebantur, nunc autem veritas exhibita est, » etc. Et infra : « Tunc enim veluti « obnoxius judicabatur mundus à lege, nunc « autem Verbum judicio in se translato et « corpore pro nobis excruciato, salutem omnibus comparavit. Id respiciens exclamavit « Joannes : *Lex per Moysen*, etc. Melior porrò « gratia quàm lex, et veritas præstantior quàm « umbra. Illud autem melius, non poterat per « alium nisi per Filium, qui sedet ad dexteram Patris effici. » Et paulò ante : « Ad Verbi « incarnationem et œconomiam respiciens, « illum non similem esse prioribus nuntiis ac « legatis ostendere voluit ; ut quantùm natura « discreparet ab illis, qui antea missi erant, « tantò magis gratia per eum et ab eo data « intelligeretur, eximia et excellentior præ « angelorum ministeriis. Servorum enim erat « reposcere duntaxat fructus, Filii ac Domini « gratiam debiti facere, et vineam ad alios « transferre. » Viderint jam ii, quibus quàm popularibus, tam inanibus rumusculis persuasum, præjudicatumque est, clementiores esse Græcos Latinis Patribus, et gratiæ Christi plus æquo liberaliores ; viderint, inquam, num durius quidquam jaculatus unquàm sit Augustinus, quàm quod modò ex Athanasio deprompsimus : cujus verba totidem propè verbis expressisse videtur Cyrillus, sic ut nihil opus sit et hunc allegari, ne actum agamus. Porrò quantumlibet extenuetur lex præ Christi gratiâ, non possunt tamen ejus commoda et interspersa ei gratiæ Christi quædam ramenta ita premi aut dissimulari, quin subluceant. Quanquàm enim tam immani intervallo lex Mosaica ab evangelicâ distet atque deficiat, quàm Moses à Christo, quàm servus à filio ; ut servus tamen filii quædam umbra et spes est, ut Moyses Christi quædam imago et portio est, ita lex Mosaica gratiæ evangelicæ quædam portio ; quædam erat anticipata profusio. Ergo tam nihil deteritur de amplitudine gratiæ Christi, si exordia quædam ejus et conamina legi et agentibus sub lege prærogantur, quàm de majestate Christi nihil minuitur, si Moysi, si Prophetis quædam ab eo derivata concedantur dignitatis et sanctimoniæ ornamenta. Quinimò ut nihil magnificentius Christo est, dùm ei vel angeli vel sancti quilibet componuntur, atque incomparabiliter postponuntur, quàm quòd horum quoque ab illo profluxerit omnis opulentia, sine quâ nequidem ut postponerentur, componi cum eo potuissent, ita nec gratiæ Christi decus ullum, quo legi Mosaicæ antistet, ampliùs excogitari potest, quàm quòd nonnisi gratiæ prævià quâdam et præsumptâ irradiatione lex Mosaica refulgesceret. Neque enim ita Moyses vel Prophetæ Christo comparantur, tanquàm æmuli et adversi, qui tamen necessariò denique substernantur, sed tanquàm amici et imitatores qui non assequi, sed utcumque vel à longè sequi laborent : ut membra capiti, ut rivuli fonti suo, ut rami suæ radici, ut radii suo soli, ut plenitudini derivationes. Cedit autem in gloriam capitis, si membra non emarcuisse, sed succo vitali ab eo abundare, nec tamen cum eo exundare dictitentur. Ita fonti laus inde quæritur, non si exaruisse, sed si ab eo fluentes rivuli affluere, nec tamen præ illo effluere memorentur. Similiter ergo et lex Mosaica, non æmula Christi gratiæ aut adversaria imaginanda est, sed ejus prælibatio quædam, quæ quò laudabilior ornatiorque erit, eò plus gratiæ debebit, eò ampliùs gratiam illustrabit. Erat enim consentaneum ut quemadmodùm Christus Moysen et Prophetas tanquàm suî portiones præmisit et de suâ opulentiâ pro suo quemque modulo locupletavit, ita Mosis legem et Prophetarum ministeria de ministerii sui gratiâ et plenitudine aspergeret

CAPUT VII.

Insuefacienda erat primùm gens humana per figuras et umbras, postea per corpus proprium contrectare Deum et contueri.

1. Expostulationis hujus, quam repercutimus jamdiù, æstu quodam solent homines abripi, qui nunquàm satis attentè pensitârunt, quàm intolerabilis sit homini lapso divinitas. Est enimverò divinitas omnium penitùs malorum omnipotentissima quædam medicina, sed nisi temperetur coapteturque ægrotantis im-

becillitati, si intempestivò et præfestinatò infundatur, non ægritudinem tantùm, sed ægrotum conficiet et devorabit. Est lex æterna salutis anchora tutissima, sed nisi temporaliter sonet homini in temporalia lapso, fallit, nec exauditur. Est charitas cupiditatum omnium victrix et debellatrix, sed nisi timore viam sibi aperiat, refellitur excluditurque. Est æternitas merces et illecebra immortalibus animabus accommodatissima et efficacissima : sed nisi terrenis affixas refigat per terrena quædam blandimenta, et ad se revocet, nihil proficit. Est sapientia totius sanitatis amussis quædam perfectissima, sed nisi parvulis balbutiat aliquid seque infringat per pueriles præceptiunculas, nunquàm se adultis insinuabit. Est ad eumdem penitùs modum divinitas rationabilium naturarum cumulus felicitatis, sed lippientibus iisdem nisi obnubilet sese, lumen inferet, non quo recreentur, sed quo præstrictæ excæcentur. Porrò non quodlibet temperamentum cuilibet ætati et imbecillitati hominum opportunum est. Quò enim pinguior infantia, eò crassioribus nebulis opacanda illi lex divina est. Itaque caro assumpta à Verbo, velum quidem illa fuit, quo lux ejus nimia frangeretur et adultis hominibus aptaretur ; sed parvulos onerâsset obruissetque ipsa illa lux, quæ carnis velum perrumpebat.

2. Ferendo ergo divinitatis lumini insuefaciendi fuerunt homines per densiores quasdam figurarum nebulas, quas pauculi admodùm radii trajiciebant et perlucebant. Nam, ut spero, non diù illudet tibi crassa illa quæ subire potest imaginatio, carnem Christi densius fecisse umbraculum, atque opacius figuris Mosaicis propheticisque, quas sua statim levitas et fugacitas discutiebat. Quò leviores enim et fugaciores erant illæ umbræ et quasi perfunctoriæ, eò parciùs illis se Verbi deitas permiscebat. At carni quam suam et suî accessionem et seipsum esse voluit, infudit se et inundavit plenissimè. Nec poterat Verbi deitas carni se substantivè et hypostaticè insinuare, quin per eam trajiceretur et perluceret tanta lucis copia et majestas, quantam ferre non possent mortalium oculi, nisi diutinâ nubecularum et sublustrium ejus imaginum contemplatione roborati. Vide his ut hæc nobis prælineaverit Irenæus : « *Unicuique autem datur manifestatio* « *spiritûs ad utilitatem.* Sed quoniam *qui omnia* « *in omnibus operatur Deus* est ; qualis est et « quatenùs est, invisibilis et innumerabilis est « omnibus quæ ab eo facta sunt : incognitus « enim nequaquàm ; omnia enim per Verbum « ejus discunt, qui est unus Deus Pater qui « continet omnia, qui omnibus esse præstat, « quemadmodùm in Evangelio scriptum est : « *Deum nemo vidit unquàm, nisi unigenitus Fi-* « *lius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* « Enarrat ergo Filius ab initio Patrem, quippe « qui ab initio est cum Patre, qui et visiones « propheticas et divisiones charismatum et mi- « nisteria sua et Patris glorificationem conse- « quenter et compositè ostenderit humano ge- « neri apto tempore ad utilitatem. Ubi est « enim consequentia, illic et constantia ; et ubi « est constantia, illic et pro tempore ; et ubi « pro tempore, illic utilitas. » Audin' non posse naturam rationalem divinâ visione in totum fraudari citra interitum suum, ideòque cùm invisibilis sit natura Deitatis, jam inde ab initio enarratam esse Patris, ostensamque Deitatem à Verbo ejus conscio et consorte, sed consequenter, compositè, aptoque tempore, nimirùm per visiones primùm propheticas, per variegata ministeria divinorum præconum, inde per carnem suam, denique apertè in gloriâ revelatum iri? Nam nisi gradatim fieret hæc dispensatio, nulla nobis utilitas constaret.

3. Et idipsum statim apertiùs : « Et propterea « Verbum dispensator paternæ gratiæ factus « est ad utilitatem hominum, propter quos « fecit tantas dispositiones, hominibus quidem « ostendens Deum, Deum autem exhibens ho- « minem ; et invisibilitatem quidem Patris cu- « stodiens, ne quando fieret homo contemptor « Dei, et ut semper haberet ad quod proficeret : visibilem autem rursùs hominibus per « multas dispositiones ostendens Deum, ne in « totum deficiens à Deo homo, cessaret esse. « Gloria enim Dei vivens homo : vita autem « hominis visio Dei. » Vita quippe non hominis, sed animantis est, quæ in corporalibus et corruptibilibus deliciatur. At vita rationalis, quæ vita hominis est, de incorruptibili et intelligibili cibo toleranda utique est. Cùmque vita hominis per incrementa proficiat, dimetienda illi proinde est per varios provectus visio Deitatis. Prophetis ergo primùm dilargienda, ut iis innixæ plebes commanso et quasi transfuso per eos hoc cibo sustententur, et proficiant ad id, ut omnes aliquando visione Dei pascantur. « Quoniam ergo Spiritus « Dei per Prophetas futura significavit, præ- « formans nos et præaptans ad id ut subditi « Deo simus, futurum autem erat ut homo « per sancti Spiritûs beneplacitum videret ;

« necessariò oportebat eos per quos futura « prædicabantur, videre Deum, quem ipsi « hominibus videndum intimabant, etc. Quem- « admodùm et Isaias ait : *Regem Dominum Sa- « baoth vidi oculis meis,* etc. » Ad id ut apertè aliquando videretur, gradus erat, ut ænigmaticè, seu propheticè : ad id ut ab omnibus, gradus erat, ut à paucis quibus cæteri incumberent, videretur Prophetis. Omnium enim hominum una causa, una penè substantia est. Vidimus ipsi quod in amicis vidimus : illorum experimentis oculisque perinde ut nostris inhæremus. Et etiamnum divina paucissimi vident hominum, paucissimi intelligunt, quibus reliquorum fides agglutinatur : vident enim et intelligunt quodammodò, qui videntibus intelligentibusque conserti implicatique inhærescunt. Ita et olim humanum genus erudiebatur ad Deum videndum, cùm optimates quippe et eximii, ac reliquorum capita et oculi Deum videbant, et umbraticè primùm videbant, ut dilucidè videre aliquando sustinerent. Coibat hominum familiaritas cum Deo, et Deus hominibus congredi assuescebat, cùm plebium capita rebus divinis informabantur. *Non igitur manifestè ipsi faciem Dei videbant Prophetæ, sed dispositiones et mysteria, per quæ inciperet homo videre Deum.*

4. Et quoniam cachinnari ad hæc solent homines opinionum suarum plus justo amantes, et contemptim interrogare, num Deo integrum non fuerit, eamdem homini perfectionem atque ad divina contuenda perspicacitatem impartiri statim in.tio, atque postea, hujus quoque cavillationis impetum retundit idem Irenæus : « Si hoc dicat aliquis : Quid « enim ? Non poterat ab initio Deus perfectum « fecisse hominem ? sciat quoniam Deus qui- « dem cùm semper sit idem, et innatus, quan- « tùm ad ipsum est, omnia possibilia ei. Quæ « autem facta sunt ab eo, secundùm quod postea « facturæ initium habuerunt, secundùm hoc « et minora esse oportuit eo qui se fecerit. « Nec enim poterant infecta esse quæ nuper « facta sunt : propter quòd autem non sunt « infecta, propter hoc et ideò deficiunt à per- « fecto. Secundùm enim quod sunt posteriora, « secundum hoc et infantilia : et secundùm « quod infantilia, secundùm hoc et insueta et « inexercitata ad perfectam disciplinam. Quem- « admodùm enim mater potest præstare per- « fectam escam infanti, ille autem adhuc non « potest robustiorem se percipere escam, sic « et Deus ipse quidem potens fuit homini « præstare perfectionem ab initio, homo au- « tem impotens percipere illam : infans enim « fuit. Et propter hoc Dominus noster novis- « simis temporibus recapitulans in seipso om- « nia, venit ad nos, non quomodò ipse poterat, « sed quomodò nos illud videre poteramus. Ipse « enim in suâ inenarrabili gloriâ ad nos venire « poterat, sed nos magnitudinem gloriæ suæ « portare non poteramus. » Hæc sunt arcana illa divinæ dispensationis consilia, quæ Irenæus ab Apostolorum discipulis, à Christo pso exprompta acceperat. Natura quippe rationalis quâ ex nihilo ad esse semel provecta est, hinc proficiendi, id est, ab imis ad superiora surgendi, non ipsam perfectionem uno impetu et quasi congenitam obtinendi necessitatem subiit. Itaque ad Dei visionem, qui ejus beatitatis summus est apex, per varia profectuum curricula impellitur. Alioqui nostræ etiam post Christi adventum sorti succensere debueramus. Nam ne nunc quidem nuda patet nobis Deitas, nec nisi sub carnis involucro. Si autem non gravatè nec indignanter ferimus, necdùm aperiri nobis patriam lucis, sed ad eam nos variis sacramentis purgari : si ubi plusculùm illa subaperire se et subrutilare furtim raptimque videtur proficientibus nobis, hinc gratulamur præsenti, et avidiùs inhiamus futuræ visioni, non priori irascimur frustrationi, quæ frustratio sanè non erat, sed purgatio : quin ad eumdem modum veteris Testamenti hominibus adgaudemus, quòd eruderarentur in dies, et elimarentur pedetentim per varia figurarum sacramenta, ad Deum in carne aliquando potiendum.

5. Nam in totius naturæ conditæ ambitu atque in omnium decursu seculorum, nihil venustius, nihil admirabilius quàm quòd homo ad Deum semper proficiat, hominem Deus ad se semper provehat? Quid enim hâc largitate, quid illâ felicitate magnificentius? Homo Deus non est; ergo homo semper deificetur, Deus hominem semper deificet. Insita naturæ creatæ mutabilitas feliciùs verti, compensari, ornari, liberari non potuit. At verò ad id necesse est, ut hæc deificatio homini stillatim irroretur, non temerè infundatur. Irenæus iterùm : « Novo enim Testamento cognito et prædicato « per Prophetas, et ille qui illud dispositurus « erat secundùm placitum Patris prædicabatur, « manifestatus hominibus quemadmodùm vo- « luit Deus, ut possint semper proficere cre- « dentes in eum, et per Testamenta matura- « scere per affectum salutis. Una enim salus

« est, unus Deus qui formavit hominem : « præcepta autem multa et non pauci gradus, « qui adducunt hominem ad Deum. » Et infra : « Quomodò autem vocem Scripturæ testifi- « cantur de eo, nisi ab uno et eodem Deo om- « nia semper per Verbum revelata et ostensa « fuissent credentibus : aliquando quidem col- « loquente eo cum suo plasmate, aliquando « autem dante legem, aliquando verò expro- « brante, aliquando verò exhortante, ac dein- « ceps liberante servum suum et adoptante in « filium, et apto tempore incorruptibilem hæ- « reditatem præstante ad perfectionem homi- « nis. Plasmavit enim eum in augmentum et « incrementum, quemadmodùm et Scriptura « dicit : *Crescite et multiplicamini*. Et hoc Deus « ab homine differt, quoniam Deus quidem « facit, homo autem fit : et quidem qui facit, « semper idem est : quod autem fit, et initium « et medietatem, et adjectionem et augmen- « tum accipere debet. Et Deus quidem benè « facit, benè autem fit homini. Deus quidem « perfectus in omnibus, ipsi sibi æqualis et « similis, totus cùm sit lumen et totus mens : « homo verò perfectum percipiens et augmen- « tum ad Deum. Quemadmodùm enim Deus « semper idem est; sic et homo in Deo in- « tentus, semper proficiet in Deum; neque « enim Deus cessat aliquando in benefaciendo « et locupletando hominem; neque homo ces- « sat beneficium accipere et ditari à Deo. « Exceptorium enim bonitatis et organum « clarificationis ejus homo, gratus ei qui se « fecit, » etc. Vides quàm latè serpat, et quàm invictè regnet lex illa et vox Dei, ad hominem, *Crescite* : Exinde enim homo per omnia decedentium et succedentium temporum volumina nihil aliud quàm impluitur divinis beneficiis, irrigaturque jugiter, et crescit. Itaque tota vetus in lege et in figuris dispensatio à Verbo administrabatur in hominis augmentum, in hominis salutem. Crescebat homo in Deum, benefaciebat homini Deus, nec posteriora legis evangelicæ et uberioris Christi gratiæ, et veritatis in carne conspicuæ incrementa capere homo potuisset, nisi prioribus illis augmentis confortatus.

6. Atque si veri patientes animos, non contentionis et rixarum amantes nanciscamur, hoc illis etiam deponere atque insusurrare licebit arcanum Irenæi dogma; illas nempe Verbi per multiplicem figurarum varietatem apparitiones olim, quibus carni suæ præludebat et quodammodò prægestiebat, inhumanationes totidem fuisse, et corporationes, quibus coaptabat se Verbum illis tum hominibus, qualem poterant pro suâ vel infantiâ, vel pueritiâ ferre. Corporascebat enim reverà Verbum, et hominis plerùmque formam sibi obducebat, atque ita se objectabat hominibus brevi, sed beatâ usurâ fruendum, non omnibus, sed selectioribus, et cæterorum principibus. Nec in carne suâ omnibus se contrectandum præstitit, sed paucis egregiis, quibus cæterorum fides inniteretur. « Sic et initio « Deus quidem potens fuit dare perfectionem « homini, ille autem nunc nuper factus, non « poterat illud accipere, vel accipiens capere, « vel capiens continere. Et propter hoc coin- « fantiatum est homini Verbum Dei, cùm esset « perfectus, non propter se, sed propter ho- « minis infantiam, sic capax effectus, quemad- « modùm illum homo capere potuit. » Coinfantiari, nonne id ipsum est quod incarnari, et per corporationem lactescere infantiæ nostræ? Ab initio autem Verbum coinfantiatum est. Non ergo procrastinatam diutiùs queramur Verbi corporationem, quæ ab initio statim facta est jugiter, nec fieri unquàm desiit desinetque. Nunquàm enim cessavit, aut cessabit Verbum intelligibilem et intolerabilem nobis in infantiam revolutis lucem suam opacare et attemperare per corporea involucra, id est, per corpus, per carnem suam. Quod autem priùs umbraticâ, postea verâ carne, quod priùs perfunctorio, postea solido et perenni corpore et in æternum suo sese Verbum induat, parciùsque vel copiosiùs perluceat, unius habetur ratio salutis nostræ, per mediocres ad sublimiores gradus agendæ, non præcipitandæ. Porrò ipsa qualiscumque corporatio Verbi et cum hominibus congressio, nonnisi de misericordiâ descendit, et gratiarum rore permadescit. Ergo qui ut adventus Verbi in carne splendidiùs clarescat, priores ejus in figurarum nubeculis corporationes plus nimio premunt, atque ut gratiæ penitùs infœcundas et ingravandis quàm sublevandis hominum morbis aptiores infamant, quid, oro, aliud quàm pro Christo adversùs Christum digladiantur? Verbum enim ipsum idemque, postea in carne, priùs aliter et aliter corporascebat. Æquum est, ut qui de carne suâ exundaturus erat gratiarum flumina, de carnis prolusionibus rores gratiarum aliquos stillaret. Carni ipsi hinc accedet gloriæ quamplurimùm. Nec enim ambigam de carnis Verbo propriæ et hypostaticè copulatæ opulentiâ et gratiarum

ubertate, si vel ipsas carnis umbras et tempo-rarias Verbi corporationes beneficiorum stillis rorâsse comperero. At si priores Verbi corporationes et ad hominem congressiones, inanes penitùs gratiarum audiam, non immeritò forsitan anceps animi dubiusque nutabo, in posterioris veriorisque corporationis liberalitate confitendâ.

7. Hùc conferri debet quod monet Athanasius : « Quandoquidem in sapientiâ Dei non « cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis servare « credentes. Non enim ampliùs ut superioribus « ætatibus per imaginem et umbram sapientiæ « ejus, quæ in rebus deprehenditur, voluit « Deus innotescere : sed ipsam veram sapien-« tiam carnem jussit assumere, et hominem « fieri, mortemque crucis sustinere, ut per fi-« dem quæ in eum est, omnes jam credentes « servari possint. Eadem ipsa est illa sapientia « Dei, quæ priùs per imaginem sui rebus « creatis inditam, quâ de causâ creari dicitur, « manifestavit seipsam, et quæ per se suamque « indolem Patrem nobis manifestum reddidit, « postmodùm ipsa et Verbum et ratio Dei caro « facta est, » etc. Ubi creatam ab initio illam sapientiam in Proverbiis, Verbum ipsum interpretatur, quod in naturâ rerum corporeâ quodammodò creabatur; quia eo ceu amictu velabatur et revelabatur, tanquàm corporata et infusa ipsi naturæ universi, et inde ceu ex vestis suæ pelluciditate perlucebat sapientia. Quantò magis ergo creabatur et corporascebat Dei sapientia in veteris instrumenti universâ dispensatione ! Si autem ab initio creabatur in creaturis corporeis sapientia ad salutem hominum, ut per ea quæ facta sunt, intellecta conspiceretur divinitas, quantò magis salubres hominibus et gratiæ muneribus scatentes erant eæ Verbi apparitiones, quæ reparationi hominis jam serviebant!

8. Basilius quoque præclarè hoc ipsum : « Quemadmodùm doctores facere solent in « instituendis discipulis, ita nos in exercitatio-« ne pietatis dùm ad perfectionem inducimur, « primùm perceptu facilioribus et nostro mo-« dulo congruentibus ad incomprehensibilem « scientiam paulatim introducti fuimus; Deo « qui nostra gubernat, oculos nostros velut in « tenebris enutritos, paulatim ad magnum il-« lud lumen assuefaciendo subvehente. Dùm « enim parcit infirmitati nostræ in profundâ « opulentiâ sapientiæ suæ, inque imperscruta-« bilibus judiciis, placidam hanc nobisque ac-« commodam adhibuit institutionem, ut prius « corporum umbras intueremur, et in aquis « solem cerneremus, consuefaciens, ne prout-« nùs spectaculo puræ lucis offensi caligare-« mus. Ad consimilem enim rationem, tum lex « umbram habens futurorum, tum per Pro-« phetas facta delineatio quæ est veritatis « ænigma, exercitamenta excogitata sunt, qui-« bus oculi cordis nostri præpararentur, ut ab « his facilis nobis transitus esset ad recondi-« tam in mysterio sapientiam. » Hîc duo illa existunt emicantque perspicuè, quæ jamdiù Inculcamus : nempe nec Christum priori illi ante carnem ejus ætati hominum defuisse, nec vacuum gratiæ ejus statum illum regnumque legis effluxisse. Aderat enim seque spectandum fruendumque exhibebat, qualem quantumque illa ætas plenioris boni impatiens ferre poterat, nempe in umbris sui consuefaciens paulatim homines, ut lucem puram aliquando paterentur. Jam verò quòd dùm procrastinatur incarnatio, gratiæ fluenta non usquequaque cohiberentur, liquet vel ex eo quòd ipsa procrastinatio in numero gratiæ sit. Parcebatur enim lippitudini hominis, ne jaculo coruscantis è suâ carne deitatis confoderetur, et interim per umbras curabatur, et soli in umbris adumbrato et sublucenti alludere interim atque consuescere condocefiebat. Non ergo ad desperationem morbi et ingravescentiam spectabat, sed ad ejus curationem opportunam ea tarditas.

9. His affinia sunt quæ disputat Nazianzenus : « Enimverò legem universam futurorum atque « eorum quæ animo et ratione intelliguntur, « umbram fuisse divinus Apostolus ante nos « pronuntiavit. Ac Deus etiam qui Moysi ante « oracula edidit : *Vide*, inquit, *ut omnia facias « juxta exemplar quod tibi in monte ostensum « est;* ea nimirùm quæ aspectu sentiuntur, « quasi adumbrationem quamdam et delinea-« tionem earum rerum, quæ oculorum sensum « fugiunt, esse ostendens. Atque illud persua-« sum habeo, nihil temerè atque inconsideratè, « nihil humiliter, denique nihil Deo legislatore « et ministro Moyse parùm dignum, constitu-« tum esse, etc. Nam in ipso quoque monte « Deus hominibus apparet, partim de speculâ « suâ ipse descendens, partim nos ex terrenâ « depressione in altum evehens : ut à creatâ « naturâ leviter saltem, et quatenùs tutum « est, incomprehensibilis ille concipiatur. Ne-« que enim aliter terreni corporis ac mentis « vinctæ crassities Deum concipere potest, ni-

« si divinitùs adjuvetur. » Adjumenta ergo erant ad Deum pro captu mentis intelligendum, illa omnia legalium Sacramentorum spectacula. Adjumenta, inquam, et Deo digna auctore, quem nefas est nisi beneficum imaginari : et Moyse ministro, quem nisi beneficiorum interpretem haud licet prædicare : et Christo mediatore, qui illa omnia sibi præstruebat, nec poterat vel umbras suî ullas expingere, quin suæ illas pulchritudinis et opulentiæ radiis donisque conspergeret.

10. Sed humani generis statum tunc temporis, Deo videndo inhiantem, et necdùm idoneum, ideòque non crudeliter, sed medicinaliter, in divinorum simulacris adumbratis exercitandum, purgandumque et ad patientiam superni luminis firmandum, nemo descripsit feliciùs quàm Cyrillus. « Christi cognitio legalem institutionem longè antecellit ; « clariorem enim habet prædicationem et ad « cognitionem se extendit legi insuetam. Quo« circa ipse etiam sacrorum antistes Moyses « precabatur, idque frequenter, ut certam atque « umbræ expertem ejus qui est, cognitionem « acciperet, ideòque ipsum omnium servatorem « Deum compellabat : *Ostende mihi teipsum, « apertè videam te.* Quin etiam jussit petram « perfodere, et per angustissimum foramen, si « vellet, contemplari. Quo nobis Deus, opinor, « ænigmaticè subindicat legem discipulis suis, « exiguam Dei cognitionem irradiare, ac veluti « per foramen, lucem istam propemodùm im« mittere. Unum etenim tantummodò Deum « esse credi volebat, errantes ab imaginariis « deis avocans : quo pacto autem in se habeat « se divina et ineffabilis natura, non clarè de« monstravit, quemadmodùm salutaris illa « prædicatio per Christum. Cognito enim Fi« lio, credimus natum esse et processisse à « Patre, tanquàm radice : et geniminis gloria « genitoris naturam velut in tabulâ depingens, « efficit ut mentis oculus res intellectu et ora« tione superiores assequatur. Proinde ad Pa« trem ac Deum qui in cœlis est, aiebat : *Ma« nifestavi nomen tuum hominibus*, etc. Evange« lica itaque præconia institutioni legali longè « antecellunt, quæ unum quidem esse Deum « duntaxat veteribus prædicabat. Deitatis verò « naturam ad Trinitatem secundùm hypostasin « nequaquàm extendebat, ac rursùs in natura« lem unitatem colligebat. » Ostendi Christus non poterat nisi fidem professis unius trinæque Deitatis. At, quæso, num fides illa residere poterat in eorum animo, qui pueriliter vacillabant in unius Dei religione, et subinde ad plurium numinum adulteria revolvebantur? Ergo nihil inhumanius in hos consuli poterat, quàm si palàm incarnata Verbi hypostasis, Deitatisque Trinitas ingereretur, nictitantibus, lapsantibusque identidem in spuriam deorum colluviem. Medicinale his ergo temperamentum fuit, ut umbraticè exhiberetur, et paulatim insinuaretur id à quo si statim erumperet, statim resilirent. Si violentus irruisset, refutaretur Christus à contumacibus ; per cuniculos igitur, per umbras irrepsit, noctu penè insidiatus est et illapsus, qui per diem non fefellisset. Nec aliis artibus grassatus est postquàm carnem sibi nostram conjunxit : nam hominem se primò mirificum probavit, ut postea Deus terrificus crederetur, et Apostoli eadem ferè triverunt vestigia in ejus fide orbi terrarum inseminandâ. Fefellit ergo Deitas per carnem ; ita et olim fallebat per umbras, piâque fraude imponebat hominibus, tanquàm ægris limphatisque, ut sanari se et ditari sinerent ; nec credere cunctarentur quod credidissent, nec in luce refellerent, quod in umbris essent amplexati, nec de die aversarentur, quod noctu tantoperè profuisset.

11. Nec nos præterit, quod emunctioris naris hominibus jam olim suboluit, latere hic molem ingentem et penè inexpugnabilem difficultatis. Nam qui his sacramentis nebulisque legalibus informabantur ad Christum convenienter his postea amplectendum, ii ab eo agminatim resilierunt, et hactenùs illum detestantur, nec nisi senescente seculo sperantur redituri. At gentiles hujus tantæ morositatis expertes, exleges, inter idolorum vitiorumque vepreta hactenùs silvescentes impunèque lascivientes, ad Christi lumen illicò certatim catervatimque convolârunt. Qui ergo non ruit et in frustra dissilit tota illa operosæ argumentationis machina? tota illa negotiosæ ad Christum contingendum substructionis fabrica, quî non ludibrio erit? Nec equidem dissimulo, acumine et mentis robore aliquantulò opus esse, ut non de priore sententiâ sinat se dejici, quisquis vel obiter vel supiniùs in Patrum volutandis lucubrationibus versatus est. At qui altiùs in eorum dogmata pervadenda velificatus erit, et penitiora inspexerit adyta hujus doctrinæ, is hâc mole non deterrebitur. Nam primùm quidem ex infra dicendis liquebit, permagnam in Israelitas ipsos utilitatem redundâsse ex Mosaicis sacramentis ; idque argumento ejus rei est, quòd ex illis qui nomen

Christo dederunt, Israelitæ, ut notavit Augustinus, christianæ sanctimoniæ, temporalium abdicationi, amori æternorum impensiùs se dediderunt, quàm ethnicorum Ecclesiæ alibi terrarum. Nec enim de aliis quàm de Judaicis Ecclesiis proditum est, sua singulos vendidisse, et ad Apostolorum pedes contulisse pauperibus eroganda. Denuò non adeò panci ex Israelitis, atque plerùmque jactari solet, Christi fidem complexi sunt; semel tria millia, iterùm quinque millia, et deinceps turmatim complures accessisse Christo comperies, si Acta Apostolica, si Eusebii historiam, aliaque id genus monumenta evolvas. Sed non tantùm momenti in his omnibus est, ad exsufflandam hujus dubitationis nebulam, quantùm in eo uno, in quo caput et summam hujus dogmatis verti jam non semel monuimus, nempe de universali generis humani tanquàm unius hominis, non de singulorum curâ et providentiâ hîc disceptari. Disjuncta enim est singulorum atque universitatis ratio. Universitas enim hominum, tanquàm unus ingens et ubique gentium sparsus, et omnes temporum tractus pervadens homo, adgubernatur à Deo, per ordinata ætatum profectuumque intervalla. At singuli breviori gyro et loci et temporis coarctantur, et intra eas tamen angustias, easdem profectuum ætates compendiosiùs explicant. Quæ cùm ita habeant, jam perspicuum est, illi humani generis ætati quæ in umbraculis figurarum Deum pati atque intueri condocefacta fuerat, eam succedere debuisse, quæ Deitatem in proprio corpore radiantem verè incarnatam contemplaretur. Atque ut res ea constet, nihil opus est, eosdem ipsos singulares homines qui priùs adumbratis imaginibus innutriebantur, ad verum corpus in quo plenitudo Deitatis inhabitabat, contrectandum accessisse. Non enim id nisi paucissimis eorum contingere potuit. Præmortui enim omnes per diutinos tot seculorum decursus, et in figuris umbraticis, sub lege ad exitum usque hinc suum exercitati, Christi carnem illi quidem non attigerunt. Qui item post Christi hinc demigrationem in cœlos, prognati editique sunt in hujus mortalis vitæ usuram, ii nec visu, nec tactu, nec sensu ullo carnem Christi delibare potuêre. Ergo secernenda est singulorum ratio ab universitate: idque unum mordicùs tenendum, ut publicè universum genus ab umbris opacantibus Deitatem promovendum fuit ad evidentiorem ejusdem in proprià carne lucem, ut et hinc ad eamdem etiam sine velo carnis intuendam fruendamque aliquando perficiatur: ita singulos in quamcumque demùm incurrant universitatis ætatem, privatim per eadem ætatum curricula volvi, et umbratilibus primùm divinitatis initiari simulacris, ut crescant proficiantque ad ejusdem in propriæ carnis naturâ complexum. Quorsùm enim attinet in re manifestâ tricari et tenebras luci offundere? Hæc rerum natura est, hîc ordo necessarius, hæc lex inexorabilis atque indeclinabilis naturarum, vel sorte, vel pœnâ suâ mutabilitati illigatarum, et à regione longinquâ dissimilitudinis ad patriam lucis anhelantium, ut et publicè universi, et privatim singuli per gradus quosdam ab imis ad media, à mediis ad summa se surrigant, et lentè crescere quàm præcipites elidi malint. Notabilis est et conspicua, quia videlicet publica in universo genere humano, hæc graduum provectuumque discriminatio; obscurior est quia privata in singulis, sed necessariò auguranda, quia ea est rerum natura, ea est lex æterna, ea est Patrum doctrina, ea est una ratio ita dispensandæ universitatis, quòd singuli ita regantur. An autem etiam gentilibus præseminatus umbraticis quibusdam sacris esset antea Christus, ut ad eum postea evidentiùs promulgatum confertim advolarent, accuratiori indagine id postea pervestigabitur: nunc refricabo id unum brevissimè, quod supra semel et iterùm submonuimus, legem naturaliter insitam easdem penè vices, quanquàm paulò jejuniùs et occultiùs, obiisse apud ethnicos, atque penès Hebræos Mosaïcam. Nam ante legem erant ethnici, quibus lex innata densiori nocte ignorantiæ aut vitiorum caligine obruebatur: quæ ubi seu per philosophiàm, seu quocumque alio modo non sine supernis auxiliis, paululùm diluxisset, tum secunda hæc erat statio sub lege, cujus prævaricatores erant omnes peccatores terræ; cujus timore identidem conscientia lancinabatur; cujus instinctu Deo saltem, ut omnium sensibilium moderatori ac distributori morigerari incitabantur; cujus præcepta primùm faciliora, inde sensim elimatiora patefiebant; cujus de Deo sensus consensusque congenitus primùm umbrosior et implicatior, pedetentim magis ac magis illuminabatur. In has progressiones ultrò explicat se natura rationalis, ut non injuriâ ita de gentilibus ominemur, ad Christum postea conversis, aut suo vitio non conversis; vel ad Christum posthac convertendis, aut suo vitio non convertendis.

Sed ea apud Hebræos divinis auxiliis instructiores multò erant etiam illustriora.

12. Latinorum jam Patrum testimonia Græcorum doctrinæ substruamus. Hilarius : « Non « perimunt naturæ veritatem cœlestis mise- « ricordiæ sacramenta : sed nec sanctorum « fidem species, quæ ad fidei visionem coap- « tantur, eludunt. Sacramenta enim legis « mysterium dispensationis evangelicæ præfi- « gurant, ut Patriarcha videat et credat, quod « Apostolus contempletur et prædicet. Nam- « que cùm lex umbra sit futurorum, veritatem « corporis umbræ species expressit. Et Deus « in homine, et videtur et creditur et adora- « tur, qui secundùm plenitudinem temporis « esset in homine gignendus, etc. Ad veritatem « verò nascendi familiaritas proficit assumptæ « ad contemplandum formæ. Illic homo per « Deum secundùm naturæ nostræ infirmitatem « videndum assumitur : hìc pro naturæ nostræ « infirmitate, nascitur quod erat visum. Acci- « pit umbra corpus, et species veritatem, et « visio naturam. » Ubi multifariam vides quàm consentiret rerum naturæ et ordinis legi, ut umbraticè primò prælinearetur, quod perficeretur postea ; ut in umbrâ præmeditaretur Verbum, et post in vero corpore sese experiretur ; ut homo in figurarum elementis prædisceret sacramentum, cujus majestatem inopinatò fulgurantem exhorruisset. Christus enim in lege occultabatur ceu throno quodam regio, ubi tantus talisque singulis vel panderetur, vel abderetur, qualem quantumque singuli ferre possent. Hilarius idem : « Quia « non in lege Christus, sed lex sanctificaretur « in Christo, in quâ veluti sedes thronusque « sibi positus sit. » Cui succinnit Ambrosius : « Quotidiè videns drachmam, attende imagi- « nem : hoc est, videns legem, attende in lege « imaginem Dei Christum. Quia ipse imago « Dei invisibilis et incorruptibilis, luceat tibi « velut in speculo legis. Confitere eum in lege, « ut eum in Evangelio recognoscas. » Sed elegantissimè Hugo Victorinus : « Volens ergo « Deus ab hâc distractione corda nostra colli- « gere, et ad interna gaudia contemplanda « revocare, foris loquitur, ut nos intùs redire « admoneat. Sed quia mens visibilibus assueta « nescit tam citò ad invisibilia consurgere, « idcircò voluit ipse quædam etiam visibiliter « exhibere miracula, in quibus nostrum af- « fectum enutriret, et suam nobis charitatem « commendaret. Hæc autem sunt specialiter « illa quæ ad reparationem hominis perti- « nent, etc. Hæc igitur operatus est Deus, ut « qualem erga nos haberet dilectionem, osten- « deret, et nos ab amore hujus mundi ad « amorem suî revocaret. Hæc igitur opera « ita moderari voluit, ne infinita essent, ne « animum nostrum qui colligendus erat, in « occupatione suâ distraherent ; tamen multa « essent, ut eumdem animum perfectæ adhuc « stabilitatis impatientem, rerum varietate « delectarent. Propterea elegit unam gentem « et unum locum, ubi sacramenta non ad « unius gentis tantùm ; sed ad salutem totius « mundi pertinentia initiaret, ut unitas ubique « commendaretur, ut humanus animus intùs « et foris ad unitatem revocaretur ; ut sicut ab « uno Salvatore est salus omnium, ita etiam « ab uno loco et uno populo manaret salutis « initium. »

CAPUT VIII.

Sacramentorum corporalium multitudine et obscuritate domandum primò fuit interim, dùm puerascit genus humanum, et ita Christo initiandum.

1. Luminosissima charitas, veritas ipsissima est, nec in veritatis abditiora penetralia, nisi charitas pervadit. Ergo sacramentorum divinorum veritas illi demùm ætati patere debebat, quæ charitatis ignem ferre posset. Illi autem pueritiæ hominum, cui timor adhuc conducibilis erat et necessarius pædagogus, quàm non poterat charitas, tam nec poterat veritas patentior indulgeri. Sed ut timor ad charitatem pandit aditum, ita timori conjuncta sunt sacramenta et umbracula quædam veritatis, per quæ ad veritatem tandem attingatur. Ideò igitur veteri populo gravis sarcina incubuit et servile onus sacramentorum, quæ pauci intelligerent et diligerent ; plures eò timerent ampliùs, quò minùs intelligerent ; et hoc timore intra servilis saltem officii metas constringerentur, et averterentur ab omnimodâ à Deo defectione. Augustinus : « *Initium* « *sapientiæ timor Domini, et timor non est in* « *charitate,* etc. Proinde præmissus timor in « cor nostrum, pellit inde consuetudinem « malorum operum, et servat charitati lo- « cum, etc. Timentes enim Deum homines « veteris Testamenti propter litteram terren- « tem et occidentem, nondùm habentes spi- « ritum vivificantem, currebant cum sacrifi- « ciis ad templum. Et quamvis in figuram « futuri sanguinis quo redempti sumus, tamen « nescientes, quid per eos præfiguraretur, « cruentas victimas immolabant. Vides ill

timori contexta esse hæc figurarum onera, non multitudine tantùm, sed ignoratione maximè sui deprimentia, atque consternantia homines, crudam adhuc et longævam pueritiam actitantes. Ergo ut timoris, ita et sacramentorum onerumque servilium utilitas erat permagna jam Christo dedicans hanc ætatem, et pœnæ formidine ad ejus charitatem, et per charitatem ad veritatem præformans.

2. Quanquàm autem ipsa corporalium signorum viscera non introspiceret puerilis Judæorum hebetudo et levitas, non poterat non aliquam tamen luculam intelligentiæ supersparsam haurire. Nam ea saltem capiebant omnes quàmlibet carnales ad Dei cultum signa pertinere, Deo religare, ad Dei amorem promerendum conducere. Id autem caput est et fastigium unum religiosæ intelligentiæ : nec potest non exinde summa derivari utilitas ad germanam aliquando religionem et intelligibilem veritatis charitatem eliciendam. Augustinus : « Ea demùm est miserabilis animæ servitus « signa pro rebus accipere : et supra creatu- « ram corpoream, oculum mentis ad haurien- « dum æternum lumen levare non posse. Quæ « tamen servitus in Judæo populo, longè à « cæterarum gentium more distabat. Quando- « quidem rebus temporalibus ita subjugati « erant, ut unus eis in omnibus commendare- « tur Deus. Et quanquàm signa rerum spirita- « lium pro ipsis rebus observarent, nescientes « quò referrentur, id tamen insitum habe- « bant, quòd tali servitute, uni omnium, quem « non videbant, placerent Deo. Quam custo- « diam tanquàm sub pædagogo parvulorum « fuisse scribit Apostolus. » Hæc igitur servitus ad filiationem gradus erat, ideòque necessariò præcurrenda, et divinæ adscribenda erat gratiæ. Nam universim his signis benevolentiam unius et veri Dei promereri se posse, non sine Dei adjutorio, non sine ingenti compendio illis persuadebatur.

3. Sed quanta esset signorum istiusmodi crassâ et pingui intelligentiâ utcumque observatorum utilitas, fidem facit abundè Ecclesia de Hebræis ad Christum conversis primùm conflata. Ea enim cœlestium dogmatum quantò avidior, quantò capacior facta esset per Mosaici ritûs umbras, inaudito et nusquàm aliàs aut alibi gentium prodito testata est documento ejurationis omnium temporalium. Augustinus ibidem : « Sed qui crediderunt, ex quibus « facta est prima Ecclesia Hierosolymitana, « satis ostenderunt quanta utilitas fuerit eo « modo sub pædagogo custodiri, ut signa quæ « temporaliter imposita erant servientibus, ad « unius Dei cultum qui fecit cœlum et terram, « opinionem observantium religarent. Namque « illi quia proximi spiritualibus fuerunt, in « ipsis enim temporalibus et carnalibus vocibus « atque signis, quamvis quomodò essent spiri- « taliter intelligenda nescirent, quia unum « tamen didicerant venerari æternum Deum, « tam capaces extiterunt Spiritûs sancti, ut om- « nia sua venderent, eorumque pretium indi- « gentibus distribuendum ante Apostolorum « pedes ponerent, seque totos dedicarent Deo « tanquàm templum novum, cujus terrenæ « imagini, hoc est, templo veteri serviebant. « Non enim hoc ullas Ecclesias gentium fecisse « scriptum est : quia non tam propè inventi « erant, qui simulacra manufacta deos cole- « bant. Etsi quando aliqui eorum, illa tan- « quàm signa interpretari conabantur, ad « creaturam colendam venerandamque refe- « rebant. » Si quia sacramentis Mosaicis, quanquàm serviliter, innutriti fuerant, per ea « proximi spiritualibus fuerunt, tam capaces « fuerunt Spiritûs sancti, » ut sua omnia excuterent, seque totos Deo dicarent; eximia ergo quædam utilitas ex illâ institutione emergebat : ea ergo erat Christi illos sibi instruentis, sibi admoventis, sui capaces efficientis gratia. Quid ergo quiritaris de cessante Christo, qui nunquàm cessavit viam suam, id est, seipsum qui via est, hominibus informare? Num cessat nunc Christus, si quos sui capaciores efficit, aut si quos spiritualibus proximos esse procurat? Quamdiù ad Christum incrementa fiunt, nihil est quod de ejus cunctatione expostules. Non cunctabatur Christus venire, cùm Hebræos ita imbuebat, ut ex iis excitaret sibi postea non discipulos tantùm, sed discipulorum magistros, et Apostolos, et Evangelii omnem in orbem invictos propagatores. Nam ut ex gentilibus coaluerint turbæ Ecclesiarum, at ex Hebræis, ex Moysis scholâ effulserunt apices et principes fidei.

4. Ergo nè sibi ipsi pugnet Augustinus, paulò humaniùs accipienda sunt quæ alibi duriùs videtur in carnales legalium sacramentorum observatores increpuisse. « Accepit « ergo ille populus legem digito Dei scriptam « in tabulis sanè lapideis, ad significandam « duritiam cordis illorum, quo legem non « erant impleturi. Corporalia quippe dona de- « siderantes à Domino, magis carnali timore, « quàm spiritali charitate tenebantur : legem

« autem non implet nisi charitas. Ideò multis « sacramentis visibilibus onerati sunt, quo « servili jugo premerentur, in observationi- « bus ciborum, et in sacrificiis animalium, et « in aliis innumerabilibus, quæ tamen signa « erant rerum spiritalium, ad Dominum Jesum « Christum, et ad Ecclesiam pertinentium; « quæ tunc à paucis sanctis et intelligebantur « ad fructum salutis, et observabantur ad con- « gruentiam temporum; à multitudine verò « carnalium, tantummodò observabantur, « non intelligebantur. » Decocta hîc et dilapidata videtur illa utilitas omnis, quam supra ipsemet venditaverat, ex signis Mosaicis in eos ipsos refluens, qui ea non intelligentes, observabant tamen. Sed ne conflictetur ipse secum, tenenda est illa concordiæ regula superiùs jam sæpè et ad nauseam usque inculcata. Prosunt hæc signa incipientibus et prima jacientibus fundamenta religionis per timorem : at ubi superstruenda est fundamentis ulterior jam pietas et perfectio charitatis, nil prosunt, imò obsunt eatenùs, quòd in initiis pertinaciter hærere, in pueritiâ consenescere, fundamentis indormiscere, præposterum et exitiale est. Ita legem timor implet, et non implet : implet pro modulo incipientium, non implet pro officio proficientium, aut eorum, quibus probrosum est semper incipere, nec unquàm proficere, et ideò deficere.

5. Et nobis sanè non illa omnis signorum corporalium servitus abstersa est, etsi post Christum allevata vehementer et nobilitata atque illustrata est. Unde Augustinus : « Primò « itaque tenere te volo, Christum leni jugo « suo nos subdidisse et sarcinæ levi. Unde sa- « cramentis numero paucissimis, observatione « facillimis, significatione præstantissimis, « societatem novi populi colligavit. » Et idem alibi : « Hoc verò tempore postea quàm resur- « rectione Domini nostri Jesu Christi manifes- « tissimum indicium nostræ libertatis illuxit, « ne eorum quidem signorum quæ jam intelli- « gimus, operatione gravi onerati sumus : sed « quædam pauca pro multis, eademque factu « facillima, et intellectu augustissima, et ob- « servatione castissima ipse Dominus et apo- « stolica tradidit disciplina. Quæ unusquisque « dùm percipit, quò referantur, imbutus « agnoscit : ut ea non carnali servitute, sed « spiritali potiùs libertate veneretur. » Et alibi : « Verbum enim consummans et abbre- « vians faciet Dominus super terram. Remotis « enim innumerabilibus et multiplicibus sa- « cramentis quibus Judaicus populus premeba- « tur, per misericordiam Dei factum est, ut « brevitate confessionis fidei ad salutem per- « veniremus. » Et rursùm idem : « Proinde « prima sacramenta quæ observabantur et ce- « lebrabantur ex lege, prænuntiativa erant « Christi venturi, quæ cum suo adventu Chri- « stus implevisset, ablata sunt, et ideò ablata, « quia impleta; *non enim venit legem solvere, « sed adimplere*. Et alia sunt instituta, virtute « majora, utilitate meliora, actu faciliora, « numero pauciora, tanquàm justitiâ fidei re- « velatâ et in libertatem vocatis filiis Dei, jugo « servitutis ablato, quod duro et carni dedito « populo congruebat. » Et rursùs : Mutata sunt « sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, « salubriora, feliciora. » Et rursùs alibi : « Propter quod ita divinæ pietatis dispensa- « tione actum est, ut interior homo qui reno- « vatur de die in diem, non adhuc sub lege « positus, sed jam sub gratiâ, exoneratus sar- « cinis innumerabilium observationum, quod « erat reverà grave jugum, sed duræ cervici « convenienter impositum, facilitate simplicis « fidei, et bonæ spei, et sanctæ charitatis, « quidquid molestiarum exteriori homini fo- « rinsecùs intulisset ille princeps qui missus « est foràs interiori gaudio leve fieret. » His, ut vides, sacramenta novæ legis copiosè ornantur, nec tamen ingravescit, sed exoneratur potiùs invidia atque inutilitatis infamia, quæ priscis illis à Moyse institutis inhæserat. Utimur enim nos paucioribus, illi pluribus sacramentis; nos evidentioribus, illi obscurioribus; nos efficacioribus, illi minùs efficacibus; nos facilioribus, illi operosioribus; sed tamen ut illi, ita et nos sacramentis seu signis rerum utimur et constringimur : et lene ac suave, lenius ac suavius hoc nostrum jugum est, sed tamen jugum est : et facillimum onus, sed tamen onus. Quid ergo hinc efficitur, nisi hîc plus, quàm illîc, sed illîc tamen utilitatem quoque carpi non modicam. Si prodest enim nobis leviori jugo premi, proderat et illis graviori. Si salubris est ista adhuc signorum servitus adultioribus, erat et illa operosior pueris salutifera. Sed gradus servandi erant, ut à jugo timoris signorumque pondere graviori, ad charitatis jugum lenius sarcinamque leviorem progrederemur.

6. Et dilucida res erit si primam scaturiginem adeas sacramentorum visibilium, per quæ ad invisibilia reflectamur. Humi enim pondere peccatorum et cupiditatum mole allisi, quò

cecidimus, illîc incumbimus, ut surgamus. Per corporalia ergo in quæ cecidimus, supra corporalia ad intelligibilem veritatis charitatem enitimur. Et quidem quò defixi magis sumus terreno luto, hoc pluribus adminiculis istiusmodi sublevandi sumus : hoc pauciori-bus, quò expeditiores jam et in auram veritatis superam exertiores; sed quia pondus cupiditatis insitæ nonnisi cum mortali corpore, cui penitissimè concrevit, excutitur, non possumus à necessitate corporalium signorum, dùm stadium hujus metimur mortalitatis, penitùs explicari. Plura ergo erant olim, pauciora nunc hæc sacramentorum adminicula, nulla penitùs erunt in beatâ patriâ, quia olim emergere incipiebant ex illâ voragine vitiorum, nunc ex parte emersimus, tunc hinc penitùs excussi, in plenam respirabimus veritatis libertatem. Hæc compendiaria est ratio corporalium omnium signorum, sed inde claret quàm necessariò multitudine signorum ad eorum paucitatem promovendum fuerit genus humanum, ut à paucitate ad omnimodam libertatem quandoque expediatur.

7. Nec abludit Augustini illa ratio, quâ signorum corporalium necessitas omni indicitur religioni. « In nullum autem nomen « religionis seu verum seu falsum coagulari « homines possunt, nisi aliquo signorum vel « sacramentorum visibilium consortio colli-« gentur : quorum sacramentorum vis inenar-« rabiliter valet plurimùm, et ideò contempta « sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, « sine quo non potest perfici pietas. » Hæc ille, ac postea ad christiana Mosaicaque sacramenta descendit. Universim autem negat coire aut coalescere posse religionem ullam sine sacramentis visibilibus, « quorum vis inenarra-« biliter valet plurimùm, » nec contemni citra impietatem potest, quia per eam pietas perficitur. Perficiebatur autem pietas per sacramenta Christum promittentia; ad Christum, ne foràs evagarentur, concludentia. Etsi enim ea non omnes enucleare possent, generatim tamen ea ad unum verum Deum promerendum, et grande aliquod ejus arcanum continendum valere, persuasum illis erat. Unde rursùs Augustinus : « Quapropter christiana « libertas eos quos invenit sub signis utili-« bus, tanquàm propè inventos, interpretatis « signis quibus subditi erant, elevatos ad eas « res, quarum illa signa erant, liberavit. Ex « his factæ sunt Ecclesiæ sanctorum Israelita-« rum. » Non intelligebant ea signa, et tamen jam propè erant, quia rem ipsam et veritatem proniùs amplexabantur, quàm in signo sui jam osculari assueverant, quàm in signo latere, etsi non videbant, obscurè tamen subodorabantur. Et rursùs : « Qui autem non intelligit, quid « significet signum, et tamen signum esse in-« telligit, nec ipse premitur servitute. » Enimverò quotusquisque de plebe christianâ medullam omnem signaculorum in Ecclesiâ frequentatorum perscrutatus est? et illis tamen inhæret subestque, nec frustra inde juvari se, Deoque conciliari sperat. Ergo et in Mosaicâ gente « Sacramentorum vis inenarrabiliter va-« lebat plurimùm, » et carnalium mentes Deo conciliabat, et Christo palàm universis, clam singulis adventanti, in plenitudine temporum, id est, in juventæ limine post profligata puerilitæ primordia, coaptabat.

8. Atque ut indubitatiùs fiat profuisse mirum in modum sacramenta legalia, et in iis medicinæ Christi partem non mediocrem delituisse, ideòque non præmaturandum fuisse carnis Christi adventum, cùm jam advenisset, jam mederetur, audi eumdem rursùs Augustinum, quem quasi adversæ sententiæ patronum venditare solent. « Non ergo lex « data est, ut peccatum auferret, sed ut sub « peccato omnia concluderet. Lex enim osten-« debat peccatum esse, quod illi per consuetu-« dinem cæcati, possent putare justitiam, ut « hoc modo humiliati, cognoscerent non « in suâ manu esse salutem suam, sed in « manu mediatoris. Maximè quippe humilitas « revocat, unde nos dejecit superbia. Et ipsa « humilitas est accommodata percipiendæ gra-« tiæ Christi, qui singulare humilitatis exem-« plum est. Ne quisquam hîc tam imperitè di-« xerit : Cur ergo non profuit Judæis quòd per « angelos legem ministrantes in manu media-« toris dispositi sunt? Profuit enim quantùm « dici non potest. Quæ enim gentium Ecclesiæ « venditarum rerum suarum pretia ad pedes « Apostolorum posuerunt, quod tot millia hó-« minum tam repentè fecerunt? Nec turbæ in-« fidelium considerandæ sunt. Omnis enim « area multis partibus ampliorem habet paleam « quàm frumentum. » Audin' ut asserat, profuisse, « quantùm dici non potest, » idque evincat ex eo quòd multa hominum millia terrenis omnibus valedixerunt, quod nunquàm Ecclesiæ præstiterunt gentilium, tam salutiferis sacramentis minimè innutritorum? Ergo per corporea sacramenta etiam qui eorum venas intimas intelligendi acumine non pervide-

nant, informabantur, juvabanturque ad corporalia omnia aliquando abjicienda, et quasi in vestibulum spiritalis charitatis perducebantur. Rursùm domabantur, et humiliabantur hâc gravi signorum sarcinâ, et ea erat humilitas medicinalis quâ ad Christum liberatorem confugere stimulabantur : non aliter quàm nobis residua signorum corporeorum sarcina, stimulus est, ad æternitatem veritatis intelligibilis vehementiùs concupiscendam. Sed illud in primis adverti cupio quod notat post Lucam Augustinus, etsi plures ex Hebræis à fide Christi resilierint, multa tamen eorum millia palàm ei accessisse; ut hinc conjicere liceat, et clam olim compluscules sigillatim per illa sacramentorum suffulcimenta sublevatos intùs fuisse ad Christi venturi fidem hauriendam. Nam exterior hæc et universalis administratio, delineatio est expressioque clandestinæ singulorum curationis. Et inculcat hoc ipsum paulò post Augustinus de legis eximiâ utilitate : « Priùs autem quàm veniret fides sub lege cu- « stodiebamur, conclusi in eam fidem quæ po- « stea revelata est. Ut enim tam propè inveni- « rentur, etiam de proximo ad Deum venditis « suis rebus accederent, quod Dominus eis « præcepit, qui vellent esse perfecti lege ipsâ « factum est, sub quâ custodiebantur, con- « clusi in eam fidem, id est, in adventum ejus « fidei, quæ postea revelata est. Conclusio « enim eorum erat, tum timor unius Dei. »

9. Eò utique spectabat quod Christus ad discipulos aiebat apud Joannem : *In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui metit, et alius est qui seminat : ut et qui seminat, simul gaudeat et qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborâstis. Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introîstis.* In quæ verba Augustinus : « Quò ergo erant messores mittendi? « Ubi jam Prophetæ prædicaverant, ipsi enim « seminatores. Nam si ipsi non seminatores, « unde ad illam mulierem pervenerat : *Scio* « *quia Messias veniet?* Jam ista mulier fructus « maturus erat, et erant albæ messes et falces « quærebant. Misi vos quoque metere, quod « vos non seminâstis. Alii seminaverunt, *et vos* « *in labores eorum introîstis.* Qui laboraverunt? « Ipse Abraham, Isaac et Jacob. Legite labores « eorum. In omnibus laboribus eorum prophe- « tia Christi, et ideò seminatores. Moyses et « cæteri Patriarchæ et omnes prophetæ, quanta « pertulerunt in illo frigore quando semina- « bant? Ergo jam in Judæâ messis parata erat. « Meritò ibi tanquàm matura seges fuit, quando « tot hominum millia pretia rerum suarum ai- « ferebant, et ad pedes Apostolorum ponentes, « expeditis humeris à sarcinis secularibus, « Christum Dominum sequebantur. » Non infrugifera ergo nec otiosa fluxerunt illa ante Christum secula ; seminabatur enim Christus, seminabatur gratia à Moyse, à Prophetis; surgebant et adolescebant hæc semina, jamque maturæ erant et falci tempestivæ, cùm messores immisit Christus Apostolos. Non extenuandi ergo semper, sed extollendi quandoque sunt etiam Moysis et Prophetarum labores, quorum tam copiosæ messes albescebant, et Apostolorum votis abundè respondebant. Sed quò labores illi Abrahæ, et Isaaci, et Jacobi, et Moysis, et Patriarcharum, et Prophetarum, tot retrò evolutis seculis exantlati, ad seminandum per prophetiam Christum, si nonnisi extinctis omnibus illis quos excoluerant, tam serò post venturus erat Christus et messores immissurus? An tot illæ olim messes ipso Patriarcharum Prophetarumque tempore et opere maturæ, messorum apostolicorum inopiâ aut tarditate emarcuerant? Minimè gentium : sed quod jam sæpiùs replicavimus, quod publicè et visibiliter in universo humano genere peragitur, idipsum privatim et invisibiliter in singulorum salutis procuratione transigi augurandum est. Itaque et illæ segetes temporibus Moysis et Patriarcharum et Prophetarum, sacramentis legalibus propheticisque elaboratæ excultæque et ad maturitatem excoctæ, etsi non eâdem copiâ, aliquâ tamen messorum invisibili curâ, in Christi horrea, id est, ad salutis cumulum provehebantur.

10. Et quandoque quidem incredibilem quamdam paucitatem perhibent sancti Patres extitisse eorum, qui Christum in Mosaicis sacramentis intelligerent. Augustinus : « Christi « adventu sexta ætas agitur ut jam spiritalis « gratia quæ paucis tunc Patriarchis et Pro- « phetis nota erat, manifestaretur omnibus « gentibus, etc. » Et ibidem : « Carnalis po- « pulus agens veterem hominem exceptis pau- « cis intelligentibus Patriarchis et Prophetis, « et nonnullis latentibus sanctis carnaliter vi- « vens, carnalia præmia desiderabat à Domino « Deo, et in figurâ spiritalium bonorum acci- « piebat. » Et in expositione Epistolæ ad Galatas : « Sed hæc justitia fidei, quia non pro « merito data est hominibus, sed pro miseri- « cordiâ et gratiâ Dei, non erat popularis, « antequàm Dominus homo inter homines nas- « ceretur. Semen autem cui promissum est,

« populum significat, non illos paucissimos, « qui revelationibus ea futura cernentes, « quamvis per eamdem fidem salvi fierint, po- « pulum tamen salvum facere non poterant. » Et rursùs : « Adjunctis etiam sibi illis quam- « vis paucissimis, qui ex fide Domini ante am- « bos adventus ejus salutem gratiæ perce- « perunt, » etc. Ubi vides quàm affectatè paucissimos semper memoret. Cui succinit Bernardus : « Æterni connubii cecinit sacra- « menta Salomon, etc., jucundo elogio, figu- « rato tamen. Nimirùm velabat et ipse instar « Moysi faciem suam, non minùs forsitan in « hâc parte fulgentem, eò quòd illo adhuc in « tempore, nemo, aut rarus erat, qui revelatâ « facie gloriam istam speculari sufficeret. » Et rursùm : « Non latuit sanctos et ante adventum « Salvatoris Deum super mortalium genus co- « gitare cogitationes pacis. Nec enim faceret « verbum super terram, quod non revelaret « servis suis Prophetis. Erat tamen verbum « hoc absconditum à multis. Fuit namque in « tempore illo rara fides in terris, et tenuis « admodùm spes in pluribus quoque illorum, « qui expectabant redemptionem Israel. » Quin etiam conscios hujus arcani tam salutiferi pau- cos illos, seu Prophetas, seu alios quoslibet, clam illud habuisse, et cæteris penè invidisse, ne tanta felicitas propalata evulgaretur, in- nuere videtur idem Bernardus : « *Vox turturis* « *audita est in terrâ nostrâ.* Donec homines pro « Dei cultu mercedem tantùm in terrâ, et tan- « tùm terram acceperunt, illam utique lacte « et melle manantem, minimè se cognoverunt « peregrinos esse super terram, nec more tur- « turis ingemuerunt, veluti patriæ reminiscen- « tes, etc. Ita tamdiù non est vox turturis au- « dita in terrâ nostrâ, » etc. Et paulò infra : « Fuit et in tempore Patrum vox ista gemen- « tium, sed rara, et penès quemque suus ge- « mitus. Unde et dicebat quis : *Secretum meum* « *mihi, secretum meum mihi.* Sed et qui aiebat : « *Gemitus meus à te non est absconditus*, pro- « fectò monstrabat absconditum esse, qui soli « Deo non esset absconditus. Et ideò tunc dici « non potuit : *Vox turturis audita est in terrâ* « *nostrâ*, quoniam secretam adhuc paucorum « jam tunc in multitudinem non exivit. At ubi « palàm clamatum est : *Quæ sursùm sunt quæ-* « *rite*, ubi Christus est in dexterâ Dei sedens, « ad omnes jam cœpit pertinere gemitus iste « turtureus, et una omnibus esse gemendi ra- « tio, quia omnes sciebant Dominum, secun- « dùm quod in Hieremiâ legitur : *Et cognoscent* « *me omnes à minimo usque ad maximum*, » etc. Quod prædocuerat Augustinus sæpicuc, re- gnum cœlorum non cœpisse palàm nisi à Chri- sto prædicari.

11. Nihilò tamen seciùs iidem ipsi sancti Patres alibi contestantur, non obruisse silen- tio tam necessarii ad hominum salutem mys- terii conscientiam sanctos illos veteris Testa- menti homines, sed eamdem fidem spemque suam pro virili in cæteros etiam diffudisse. Porrò si nunc complusculi, nunc paucissimi dicantur, vel à sanctis Patribus, vel à nobis eorum vestigia lambentibus, salutem conse- cuti esse ante Christi in carne adventum : nulla in eo rerum, etsi aliqua verborum pugna sit. Comparatione enim plurium, vel pauco- rum, iidem paucissimi sunt, et complusculi. Neminem fugit, verissimè dici electos nunc paucissimos, nunc innumerabiles. Qui innu- merabiles enim sibi sunt, iidem comparatione reproborum paucissimi sunt. Hæc præfati ad rem veniamus et ad Patrum suffragia. Idem Bernardus : « *Erat verbum hoc absconditum à* « *multis.* Fuit namque in tempore illo rara fides « in terris, et tenuis admodùm spes in pluribus « quoque illorum, qui *expectabant redemptio-* « *nem Israel.* Qui verò præsciebant, ipsi et præ- « dicabant Christum in carne venturum, et « cum ipso pacem. Unde quidam eorum : *Et* « *pax erit*, inquit, *in terrâ nostrâ cùm venerit.* « Imò per ipsum Dei gratiam homines recupe- « raturos cum omni fiduciâ, sicut divinitùs ac- « ceperant, prædicabant, etc. Cæterùm illis « prænuntiantibus pacem, moram autem fa- « ciente auctore pacis, nutabat populi fides, « dùm non erat qui redimeret, neque qui sal- « vum faceret. Itaque causabantur homines « moras, quòd ille toties nuntiatus necdùm « veniret, princeps pacis, » etc. Non igitur tam arcto silentii vinculo arcanum hoc premebatur, quandoquidem « qui præsciebant, prædicabant, « et cum omni fiduciâ prædicabant; » et : « Po- « puli fides nutabat; » erat ergo et in populis fides, sed nutans et infirma, non nulla : et quidem non ex paucitate vel invidiâ præconum Christi, sed ex ejus cunctatione nutabat. Fati- gabantur enim tam diutinâ expectatione popu- lares animi, et dubitationis ac desperationis fluctibus plerùmque mergebantur. Rursùs idem Bernardus : « Quid, non amatus est à Patriar- « chis et Prophetis Christus? Est, sed non « priùs, quàm visus est, etc. Neque enim non « viderunt, quem præviderunt, etc. Sed dico : « Numquid omnes Prophetæ? Quasi omnes vi-

« dere voluerint, aut fuerit omnium fides. Sed « eum qui viderunt, aut Prophetæ fuerunt, aut « Prophetis acquiescentes. Et credidisse enim, « vidisse est. Non modò namque qui per pro- « phetiæ spiritum, sed et qui per fidem videt, « si quis ipsum quoque dicat videre in spiritu, « mihi non videtur errare. » Non Prophetæ igitur tantùm, sed et qui Prophetis prædicantibus acquiescebant, ii Christum videbant. Sed nusquàm apertiùs suam circa hæc mentem aperuit Bernardus, quàm ubi vanum quemdam refellit circa hæc blatteronem, qui hominibus veteris quàm novi Testamenti lucem et conscientiam ampliorem prodigebat mysteriorum Christi : « Ecce enim in hâc assertione suâ « dùm pares in scientiâ facit omnes, qui ven- « tura sperabant, iis qui præterita legunt, Deum « profectò aut nimis parcum prædicat, aut ni- « mis largum, oculum discretionis ex nullâ « parte aperiens. Aut enim numerum electo- « rum illius temporis sub paucitate redigit ra- « rissimorum spiritalium, quos pro suæ sancti- « tatis speciali excellentiâ insignes illustresque « illis temporibus extitisse, ac singulari munere « Spiritûs, singula uti ventura erant prævidere « certissimè potuisse Scriptura commemorat ; « et sic nimis abbreviat manum Dei, dùm præ- « ter paucos illos perfectissimos, neminem eo « tempore putat potuisse salvari. Aut certè si « et illa tempora multitudinem salvandorum « etiam præter istos habuisse non diffitetur, « magnam, sed inauditam divini muneris lar- « gitatem veteri populo collatam asserit, siqui- « dem omnem multitudinem omnia quæ de « mysterio nostræ redemptionis superiùs enu- « merata sunt, liquidò prægnovisse constite- « rit. Cùm enim ex his quippiam tunc nec « scriptum manifestè, nec publicè prædicatum « fuisse manifestum sit, restat ut fateamur « omnia omnibus revelata fuisse : et sic omnes « spirituales, omnes perfectos, omnes extitisse « Prophetas, quotquot ab adventu Domini retrò « justi et salvi fuerunt. Fuit itaque antiquis « temporibus aut perrara salus, aut nimirùm « numerosa perfectio. Quorum quidem quodli- « bet sapere, discretionis terminos excedere « est. » Ab utroque scopulo cavet sibi, cavendumque præcipit Bernardus, ne vel rarissimos tantùm tunc salutem consecutos jactemus, nempe mysteriorum Christi tam planâ quàm quæ nunc est, luce ac notitiâ perfusos : aut eorum etiam multitudini salutem annuamus, et eamdem et æquè enucleatam atque nunc, christianæ fidei illuminationem. Illud enim clementiæ Dei obstrepit, hoc novi Testamenti prærogativæ adversatur, ut prolixiùs ibidem disputat Bernardus. Itaque tutum est, et ab ingruente hinc et hinc mendacii naufragio reductum, « etiam illa tempora multitudinem sal- « vandorum habuisse præter illos paucos « perfectissimos ; » nec tamen « inauditam divini « muneris largitatem veteri populo collatam ; » sed plerisque tum salutem obtigisse, citra accuratiorem Christi mysteriorum diligentiam. Nam nec Prophetæ tunc omnes omnia videbant, sed alii alia. Deinde illud prærogativæ populo christiano vindicandum est, ut copiosiore Christi luce et salutis instrumento fruatur. Rursùm illud è dignitate Christi est, ut ejus carnis adventu plurima lux orbi illuxerit. Denique ne nunc quidem de futuro Christi adventu in gloriâ climatam omnes sententiam assecuti sumus, nec tamen despondemus animum. Unde Bernardus ibidem : « Alioqui quid « opus erat foris videre carnem et carnis audire « sermones, si jam intùs à Spiritu fuerant per- « fectè instructi de omnibus : præsertim cùm « Dominus dicat : *Caro non prodest quidquam.* « *Spiritus est qui vivificat?* Quòd si Prophetæ et « qui illustriores videbantur in illo populo, « non omnes omnia liquidò æqualiter agnoscere « potuerunt, *sed alii plus, alii minùs, prout eis* « *Spiritus dabat dividens singulis prout volebat,* « idque absque præjudicio suæ sanctitatis at- « que perfectionis, quantò magis simpliciores « quique justi sine detrimento suæ salutis, « salvationis tempus, modum, et ordinem ne- « scire potuerunt, quæ tamen certâ spe et fide, « uti promissa fuerant, firmissimè tenuerunt! « Quanti hodièque profectò in populo chri- « stiano, vitæ æternæ seculique futuri quod « indubitabiliter credunt et sperant et arden- « ter desiderant, formam tamen ac statum ne « cogitare quidem vel tenuiter nôrunt? Ita « ergo multi ante Salvatoris adventum, Deum « omnipotentem tenentes et diligentes suæ sa- « lutis gratuitum promissorem, credentes in « promissione fidelem, sperantes certissimum « redemptorem, in hâc fide et expectatione sal- « vati sunt, licet quando, et qualiter, et quo « ordine salus repromissa fieret, ignorarent. » Constanter urget Bernardus ut fides, ut spes, ut salus multis, non paucissimis, multitudini, non solis Patriarchis et Prophetis et paucis latentibus sanctis aperta fuerit ante Christum legalium ope sacramentorum. Ad illud autem stabiliendum quamplurimùm præsidii est in hâc ejus sententiâ, quòd saluti tum necessaria

haudquaquàm esset eliquatior Christi mysteriorum elucidatio, sed affatim esset crassa illa et pervulgata tum credulitas, quâ « multi Deum « omnipotentem tenentes, et diligentes suæ « salutis gratuitum promissorem, credentes in « promissione fidelem, sperantes certissimum « Redemptorem, in hâc fide et expectatione « salvati sunt. » Pingui enim huic fidei formulæ inest implicataque atque opacata delitescit Verbi incarnatio, crux, mors, resurrectio, gratia. Sed illa opacitas legalium propria sacramentorum saluti nihil tum officiebat. Nec potest ea sententia invictiùs fulciri, quàm nostro etiam nunc experimento. Nam resurrectio carnis, judicium, Christi adventus in gloriâ, beatæ patriæ felicitas, tanquàm fidei nostræ salutisque certa monumenta à nobis tenentur, sed eorum omnium explicatior diligentiorque cognitio omninò nos præterit; nec minùs fortassè à rei veritate et magnificentiâ degenerat quidquid de iis sigillatim opinamur, quàm quod de Christo ominabatur crassa illa et obtusa vulgi Mosaici fides, à splendore incarnatæ majestatis Verbi deficiebat. Profert ibidem Bernardus in suæ sententiæ patrocinium suffragium Bedæ : « Denique Beda apertè docet, « aperta omnia omnibus nequaquàm fuisse quæ « de Christo futura erant, quod tu quoque « testimonium in tuâ epistolâ posuisti. Unum, « inquit, idemque Dominicæ crucis trophæum, « priùs Prophetæ et Moyses quàm Apostoli « noverant et prædicabant : sed Prophetæ hoc « aliquoties figuratis velatisque sermonibus ; « Apostoli autem Apostolorumque successores « patefactâ luce Evangelii semper apertè præ« dicabant, ita ut nunc omnis populus chri« stianus scire et confiteri debeat fidem quam « eo tempore pauci admodùm et perfectiores « quique noverant; quamvis omnis populus « Dei etiam tunc ejusdem mysteria fidei in « legalibus cæremoniis typicè portabat. » Assentitur Beda Apostolos semper publicè, Prophetas autem aliquoties adumbratè Christi mysteria prædicâsse. Prædicabant ergo et Prophetæ sæpiùs adumbratè, rarò publicè, privatim autem instantissimè Christi fidem in mysterio. Et sanè ita comparatum naturâ est, ut pueris sub lege agentibus nonnisi adumbratè objiciantur adultioris justitiæ decreta, aut si perspicuè, perrarò id fiat. Nec enim deterrendi sunt, sed alliciendi et paulatim consuefaciendi. Absterrentur autem si palàm, si jugiter ingerantur accuratiora sanctitatis placita, quæ eorum vires magnoperè adhuc superant : at ubi ea commodè dissimulantur, et ex parte tantùm patent, vel aperiuntur quidem, sed rariùs, sed privatim validioribus quibusque, nulla hinc desperationis formido, sed spes profectûs multa ostenditur. Per umbras enim pellucet quandoque veritas, et tanta patet, quanta capi tum potest, et major subinde patet, quia major in dies capi potest, et tandem tota capitur, quia suî familiaritate animum sibi devinxit.

12. Sed quoniam illa Bernardi epistola ex quâ tam multa decerpsimus, ad Hugonem Victorinum mittebatur, hujus quoque sensus explorandus est. Ille ergo hæc habet : « Ante « legem dixit Deus se esse, sub lege unum ; « sub gratiâ trinum, ut paulatim crescceret « cognitio veritatis. » Et infra : « Sic per tem« pora crevit fides. Ante legem Deus Creator « credebatur et ab eo salus, et redemptio « expectabatur : per quem verò et quonam « modo eadem salus implenda ac perficienda « foret, exceptis paucis quibus hoc scire singu« lariter in munere datum erat, à cæteris etiam « fidelibus non cognoscebatur. Sub lege autem « persona Redemptoris mittenda prædicabatur, « et ventura expectabatur : quæ autem ipsa « persona foret, hoc est, an homo, an angelus, « an Deus, nondùm manifestabatur. Soli hoc « cognoverunt, qui per Spiritum singulariter « ad hoc illuminati fuerunt. Sub gratiâ autem « manifestè ab omnibus jam et prædicatur, et « creditur, et modus redemptionis et qualitas « personæ Redemptoris. Semper tamen in « Ecclesiâ Dei ab initio fides fuit Incarnationis « et Passionis Christi : quia ab initio nunquàm « defuerunt, qui hoc cognoverunt. Alii salva« bantur, quia horum perfectioni fide simplici « jungebantur, et eos benè operando sequeban« tur. » Et hîc perinde ut Bernardus, ut Beda inter studiosissimos Augustini non postremus est, paucis secundus est, et vides tamen quàm latè explicet, et quàm largè multiplicet illos paucissimos, qui salutis tum compotes fiebant. Complanat enim ipsis viam latissimam et in quam confluere possit non selecta paucitas, sed multitudo copiosa, hominum nempe Deo adhærentium creatori, liberatori, beatificatori, et plenæ libertatis ac felicitatis largitori quandoque futuro, horum autem peculiarem vestigationem non attingentium, sed paucis peritioribus et sanctioribus incumbentium horumque auctoritate et exemplo componentium vitam. Et rursùs idem Hugo : « Hæc sunt qui« bus nihil unquàm minùs recta fides habere

« potuit, ut unus Deus credatur factor omnium « et hominum Salvator. » Interrogatus autem postea : « Qualem fidem habuerunt antiqui de « Salvatore venturo, maximè ii qui circa pri- « mordia seculi existentes, nondùm adhuc « Scripturas in quibus adventus ejus promitte- « batur, acceperant. » Ad hæc respondet : « Non necesse est, ut dicamus omnibus, qui « tunc fideles erant, adventum ejus in carnem, « crucem et resurrectionem manifestè revela- « tum fuisse. Cùm etiam Apostoli qui eum « præsentem in carne viderunt, quorum fides « et justitia ab ipso Salvatore prædicatur, hoc « ignorâsse legantur. Credebant tamen se sal- « vari per eum, quomodò et quando ei placuis- « set. Sed quòd morte illius redimendi essent, « exceptis paucis quibus hoc à Deo revelatum « fuerat, eos ignorâsse ex hoc patenter osten- « ditur, quòd et Petrus Domino mortem suam « prædicenti contraire nititur : et cæteri Apo- « stoli omnes in morte ipsius desperâsse le- « guntur, ideò ut ipsi propter crucem jam « desperantes dicerent. *Nos autem sperabamus « quòd ipse esset redempturus Israel.* Qui enim « eo vivente redemptionem speraverant, postea « autem ipso moriente desperant, patenter « ostendunt, quia quòd per mortem ejus redi- « mendi fuerant, nescierunt. » Quod argu- mentum Hugonis ineluctabile prorsùs videri potest. Nam Apostoli jam baptismo abluti, jam Eucharistiâ pasti, jam mundi à Christo prædi- cati erant, et de morte tamen ejus orbi salu- tiferâ ac resurrectione adhuc ancipites pende- bant, imò adhuc incredduli, tametsi ab eo salutem se adepturos non dubitabant. Ex quo tandem concludit ad salutem fuisse satis tum, ut Deus creator hominum crederetur, idemque Salvator venturus : et fuisse tunc fidem « cognitione parvam et magnam con- « stantiâ : sicut è contrariò nunc multi fidem « habent cognitione magnam, et constantiâ « parvam. » Sed ne nobis blandiamur ineptiùs : « Apud Deum pretiosior est magna fidei con- « stantia, quàm cognitio magna. »

13. At in summâ sententiarum ait quosdam sentire « quòd nullus de antiquis potuit sal- « vari, nisi ista quatuor ad minimum crederet : « scilicet Christum venturum, moriturum, « resurrecturum, et ad judicium venturum : » eosque suæ sententiæ patrocinium accersere ex plurimis Augustini et aliorum Patrum te- stimoniis. Nam Augustinus aperiè : « Ut scia- « mus etiam antiquos justos quicumque esse « potuerunt, nonnisi per eamdem fidem libe « ratos per quam liberamur et nos ; fidem « scilicet incarnationis Christi, quæ illis præ- « nuntiabatur, sicut à nobis facta annuntia- « tur. Ideò enim Christum hominem dicit, « cùm sit et Deus, ne quis existimet antiquos « justos per Deum tantummodò Christum, id « est, per Verbum quod erat *in principio*, « non etiam per fidem incarnationis ejus, quâ « et homo Christus dicitur, potuisse liberari. « Sententia quippe ista destrui non potest, de « quâ et alibi dicit : *Per unum hominem mors, « et per unum hominem resurrectio mortuorum.* » Et idem alibi : « *Habentes autem*, inquit Apo- « stolus, *eumdem Spiritum fidei*, etc. Non di- « ceret eumdem, nisi et illorum idem ipse es- « set spiritus fidei. Sicut autem illi quando « idem Sacramentum occultum erat, crede- « bant Christi incarnationem futuram, sic et « nos credimus factam. Et à nobis autem et ab « illis futurus expectatur ad judicium adventus « ejus. Non est enim aliud Dei mysterium nisi « Christus, *in quo oportet vivificari mortuos in « Adam*, etc. » Et alibi : « Et ita à sanctis Pa- « tribus dispensatio susceptæ carnis futura « credebatur, sicut à nobis facta creditur. « Tempora variata sunt, non fides. » Et rur- sùm : « Non enim quisquam præter istam fi- « dem quæ est in Christo Jesu, sive ante ejus « incarnationem, sive postea reconciliatus est « Deo, cùm sit ab Apostolo verissimè defini- « tum : *unus enim Deus, unus mediator Dei et « hominum, homo Christus Jesus.* » Hujusmodi testimonia ex Augustino congeri possent longè plurima. Cui sententiæ suffragatur et Grego- rius Magnus : « Rectè quoque exterius limen « illos Patres designat, qui ab ipsâ incarna- « tione Redemptoris nostri per intervalla tem- « porum longiùs constiterunt. Et quidem ab « Abel sanguine, passio jam cœpit Ecclesiæ : « et una est Ecclesia electorum præcedentium « atque sequentium. Sed tamen quia discipu- « lis dicitur : *Multi reges et Prophetæ voluerunt « videre, quæ vos videtis et non viderunt* : anti- « quis Patribus quasi foris stetisse est, Re- « demptoris nostri præsentiam corporaliter « non vidisse. Exteriùs igitur, sed tamen non « divisi à sanctâ Ecclesiâ fuerunt, quia mente, « opere, prædicatione ista jam fidei sacramenta « tenuerunt, istam sanctæ Ecclesiæ celsitudi- « nem conspexerunt, quam nos non adhuc « præstolando, sed jam habendo conspicimus. « Sicut enim nos in præteritâ passione Re- « demptoris nostri, ita illi per fidem in eâdem « venturâ sunt salvati. Illi ergo foris, non ex-

« tra mysterium ; sed extra tempus. » Et rursùs idem rei hujus rationem indigitat luculentam, et jam sæpiùs animadversam, quòd mens hominis post peccatum flaccida et fatiscens non possit diutiùs in contemplandâ Deitatis luce defigi, nisi carnis assumptæ adminiculo subinde recreetur. « *Sicut aquila volans* « *ad escam.* Moris quippe est aquilæ utirreverberatâ acie radios solis aspiciat : sed cùm « refectionis indigentiâ urgeretur, eamdem « oculorum aciem quam radiis solis infixerat, « ad respectum cadaveris inclinat : et quamvis « ad alta evolet, pro sumendis tamen carni- « bus terram petit. Sic videlicet, sic antiqui « Patres fuerunt, qui in quantùm humanitatis « infirmitas admittebat, creatoris lucem erectâ « mente contemplati sunt, sed incarnandum « hunc in fine mundi præscientes, quasi à so- « lis radiis ad terram oculos deflexerunt : et « quasi de summis ad ima veniunt, dùm hunc « Deum supra omnia et hominem infra omnia « agnoscunt. »

14. Atque ut unum saltem è Græcis tanquàm reliquorum consensionis fidejussorem repræsentemus, accedet Gregorius Nazianzenus : « Ac simul mysticus et arcanus hic ser- « mo est, mihi quidem atque omnibus Dei « amore præditis admodùm probabilis, nemi- « nem videlicet eorum qui ante Christi adven- « tum numeros omnes virtutis impleverunt, « id citra Christi fidem esse consecutum. « Quanquàm enim Verbum suo postea tem- « pore liberè promulgatum sit, puris tamen « animis etiam ante intonuit. » Hanc omnium Dei amatorum, atque adeò omnium Ecclesiæ Græcæ luminum, unanimem esse consensionem perhibet. Parco pluribus acervandis. Hinc ergo multi argumentantur ad salutem nulli patuisse aditum nisi per fidem enucleatam Verbi incarnati, passi, redivivi.

15. Perstat tamen Hugo in sententiâ, nec isto auctoritatum pondere deterretur, utpote quod in suas potiùs partes inclinari posse sperat. « Alii quibus magis assentimur, dicunt « eos fidem Christi velatam in mysterio ha- « buisse : et quod alii quibus revelatio facta « erat, sciebant, et credebant, hoc isti, etsi « nescirent, credebant ; commiserant enim « illis fidem suam. Unde in Job : *Boves arabant et* « *asinæ pascebantur juxta eos.* Isti erant asinæ « pascentes juxta boves. Sicut hodiè in Eccle- « siâ multi simplices, etsi ita distinctè ne- « sciant Trinitatem assignare, credunt tamen « quia in fide et humilitate adhærent illis qui « hoc et sciunt et credunt, » Itaque Augustini Patrumque aliorum auctoritatem, et receptissimam illam non vellicat sententiam, nulli salutis æternæ januam nisi Christi mediatoris fide patuisse : sed eam humaniùs interpretatur Hugo, et Christi mediatoris fidem saluti idoneam ominatur eam tum fuisse, quæ simpliciùs et involutiùs Deum non creatorem tantùm, sed futurum etiam plenissimè salvatorem venerabatur ; innitebatur autem solertioribus nonnullis salutis illius mysteriorum scrutatoribus, eisque acquiescebat. Quin et ipse Augustinus non Prophetas tantùm in latibulo conscientiæ, sed et populos eorum institutione imbutos fuisse Christi fide consentit, quæ nonnisi rudis admodùm esse tum potuit et trunca. Sic enim habet : « Venerunt ad illos « Prophetæ, annuntiaverunt Christum. Et « erant ibi quidam qui intelligebant et spem « futuram habebant, ut acciperent miseri- « cordiam quæ in cœlo est. Erant ibi qui non- « nisi carnalia desiderabant et terrena, etc. » Ut nunc ergo, ita et tunc, quamvis nec tam publicè, nec tam explicatè annuntiabatur à Prophetis Christus æternorum bonorum auctor, alii acquiescebant ; alii adversabantur. Cùm autem non adeò explicatè annuntiaretur, nec tam explicata fides reposcebatur. Et rursùm : « Profectò erant etiam in illo populo, « qui intelligerent, habentes fidem quæ postea « revelata est, non ad legis litteram, sed ad « gratiam spiritûs pertinentem. Non enim sine « ipsâ fide fuerunt, qui ejus in Christo futu- « ram revelationem prævidere, et prænun- « tiare potuerunt ; cùm et illa vetera sacra- « menta significativa fuerint futurorum. An « soli Prophetæ habebant hanc fidem, non et « populus ? Imò verò etiam qui Prophetas fi- « deliter audiebant, eâdem adjuvabantur gra- « tiâ ut intelligerent quod audiebant. » Et paulò post hoc ipsum confirmat Apostoli testimonio : « *Sed non, inquit, in omnibus illis* « *beneplacitum est Deo. Omnes quidem eumdem* « *cibum spiritualem manducavérunt, et eumdem* « *potum spiritualem biberunt*, id est, spiritale « aliquid significantem, *sed non in omnibus il-* « *lis beneplacitum est Deo.* Cùm dicit : *Non in* « *omnibus*, erant ergo ibi aliqui in quibus be- « neplacitum est Deo. Et cùm essent omnia « communia sacramenta, non communis erat « omnibus gratia quæ sacramentorum virtus « est. Sicut et nunc ; nam revelatâ fide quæ « tunc velabatur, omnibus in nomine Patris « et Filii et Spiritûs sancti baptizatis commune

« est lavacrum regenerationis, sed ipsa gratia « cujus ipsa sunt sacramenta, quâ membra « corporis Christi cum suo capite regenerata « sunt, non communis est omnibus. Nam et « hæretici habent eumdem baptismum, et « falsi fratres in communione catholici nomi- « nis. Ergo et hîc rectè dicitur : *Sed non in « omnibus illis beneplacitum est Deo.* » Quæ Augustini verba disertè favent sententiæ Bernardi et Hugonis, non paucissimos tantùm, sed aliquantam populi multitudinem per Mosaica sacramenta propheticis vocibus elucidata ad fidem Christi, et ad salutis spem admittentium. Sed evangelica veritas non obscurè patrocinatur. Subinde enim existunt emicantque vestigia fidei in Christum, non legis peritis, aut sacerdotibus tantùm, sed ipsis etiam populorum turbis evulgatæ. Hæc erat utique fides illa caliginosior, redemptionis à Deo per hominem præstandæ conscia, sed singularium quorumque dogmatum ignara. Nec discrepat Hieronymus: « Sic igitur et san- « ctos Prophetas et Moysen ambulantes Spiritu « et Spiritu viventes non sub lege, sed quasi « sub lege vixisse, ut ipsi viderentur quidem « esse sub lege, sed eos qui sub lege erant, « lucrifacerent et ab humilitate litteræ ad al- « titudinem spiritûs provocarent. » Quanquàm ergo littera ipsa veteris instrumenti quia littera est, non aliud sonare videatur, quàm temporalitatem; nunquàm tamen non affuerunt Prophetæ, qui spiritaliter interpretarentur vivæ vocis magisterio, et de populo sequaces morigerosque quoslibet spiritali Christi fide et charitate æternorum imbuerent.

16. Sed meritò subtexetur his Irenæus, qui quanto essent emolumento ad Christi fidem prehensandam prophetica sacramenta, apertum facit exemplo Eunuchi, quem Philippus brevissimo tempore docuit, tinxit, dimisit. « Nihil enim aliud deerat ei, qui à Prophetis « fuerat præcatechizatus, non Deum Patrem, « non conversationis dispositionem, sed solum « adventum ignorabat Filii Dei, quem cùm « breviter cognovisset, *agebat iter gaudens*, « præco futurus in Æthiopiâ Christi adventûs. « Quapropter non multùm laboravit circa eum « Philippus, quia erat in timore Dei præaptus « à Prophetis. Propter hoc autem et Apostoli « oves colligentes, quæ perierant domûs Israel, « de Scripturis alloquentes eos, ostendebant « Jesum crucifixum, hunc esse Filium Dei « vivi, et magnam multitudinem suadebant, « quæ tamen habebat timorem ad Deum, et « unâ die baptizati sunt hominum tria millia, « et quatuor, et quinque. » Et rursùs : « Prop- « ter hoc et Paulus gentium Apostolus cùm es- « set : *Plus eis*, inquit *omnibus laboravi.* Illis « enim facilis catechizatio fuit, videlicet cùm « ex Scripturis haberent ostensiones, et qui « Moysen, et Prophetas audiebant, et facilè « recipiebant primogenitum mortuorum, et « principem vitæ Dei eum, qui per extensio- « nem manuum dissolvebat Amalech, etc. Qua- « propter plus laborabat, qui in gentes Aposto- « latum acceperat, quàm qui in circumcisione « præconabant Filium Dei. Illos enim adjuva- « bant Scripturæ, quas confirmavit Dominus, « et adimplevit, talis veniens, qualis et præ- « dicabatur. Hîc verò peregrina quædam eru- « ditio et nova doctrina, deos gentium non « solùm non esse Deos, sed idola esse dæmo- « niorum, etc. » Adverte quàm necessariò adornanda priùs fuerit lex Mosaica, et ingens illa umbrarum propheticarum corporaliumque sacramentorum supellex, quæ pauci penitissimè intelligerent, plures crassiùs quidem, utcumque caperent tamen, plerique omnes ad Dei cultum et ad grande aliquid significandum spectare gnari essent, omnes propemodùm venerarentur, et aliis circa ea oculatioribus se committerent. Hinc enim proclives fiebant omnes ad Christum complectendum. Hinc minùs desudandum fuit in Israelitis quàm in ethnicis Christo conciliandis. Hinc Eunuchus statim ut Philippum audiit, tinctus est, et in Evangelicum præconem emersit. Hinc credebant Apostolis terna semel, et quina millia Mosaicis sacramentis priùs imbutorum. Hinc qui ex Hebræis in Ecclesiam influxêre, cæteris longâ intercapedine antestârunt. Hinc Hebræorum sub lege ante Christum examina memorantur fuisse, qui in fastidio temporalium, in æternorum contemplatione facilè primas tulisse videntur. Hinc inter exordia christiani nominis erant Hebræorum sectæ, quæ nostris ascetis tam propè abfuerunt, ut nonnullis imposuerint, aut si fides eis arroganda sit, et maximè Hieronymo ita asserenti post Eusebium, in christianos monachos profecerint. Sed ut ut ea res se habeat, liquet oppidò hallucinari eos, qui solos paucissimos ex Moysis sectatoribus et non aliquantam etiam multitudinem per legalia sacramenta ad temporalium fugam et æternitatis charitatem exarsisse existimant, etsi quanquàm et hæc multitudo paucissimorum fuisse dici possit, si ratio habeatur longè majoris numeri, vel tunc repro-

borum, vel sub evangelicâ lege electorum.

17. Unum superest contestandum, nihil à nobis ex animi nostri sententiâ dictum esse de eâ fide quæ olim ad salutem ante Christi in carne adventum exigebatur. Lubentiùs enim nos in medio relinquimus rem illam totam, suoque judicio unumquemque frui permittimus. Illud unum nobis propositum erat, quid eâ de re Bernardus, quid Hugo, fidissimi Augustini et sagacissimi interpretes, statuissent, propalare, ut qui pro adversâ et rigidiore sententiâ digladiantur, et Augustino commilitone ac duce invictos se putant, intelligant hanc tanti ducis victoriæque fiduciam infringi sibi et extorqueri posse. Astipulatorem Bernardo addere licebat Rupertum : « Et quidem « Moyses et Prophetæ, alii plus, alii minùs « secundùm placitum Spiritûs sancti dividen- « tis singulis prout vult, sacramenti hujus ha- « buêre notitiam, sed qualiter hoc à populo « subtegere deberent, in uno Moyse omnibus « significatum est. Ubi enim cognitionem se- « cretorum cœlestium accepit, facies ejus se- « cundùm similitudinem mentis refulsit, sed « *splendorem eumdem non valentibus sustinere* « *filiis Israel, velamine operuit,* etc. Sed et « Prophetæ palàm annuntiare prohibiti sunt, « unde uni illorum dicitur : *Liga testimonium,* « *signa legem in discipulis meis.* Et alibi dictum « est : *Tu ergo signa visionem,* etc. Item : *Vade,* « *Daniel, quia clausi signatique sunt sermones* « *usque ad tempus præfinitum.* » Non ergo credere id jubebatur, quod studiosè celabatur populus : ea enim inhumanitas inaudita prorsùs fuisset. Quomodò enim credent sine prædicante? Unde statim ibidem : « Igitur fides « quidem exigebatur à populo Israel, scilicet « ut crederent, quòd Deus Patrum suorum, « Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob « unus et solus verus Deus esset, et quòd in « semine Abrahæ benedicendæ omnes gentes « essent : sed illud ab eis exigi non poterat, « quod non eis erat annuntiatum, ut crede- « rent scilicet quod hoc modo vel tali ordine « benedictiones illæ implendæ forent in Chri- « sto. » Quin et Christus ipse affirmat, peccati puros insontesque fore, nisi affuisset ipse, et opera patrâsset nulli præterea cuiquam concessa. Sed quoquo se modo res ista habeat, nostro instituto id unum abundè est, quod in confesso penès omnes est, legalibus sacramentis homines tam propè ad Christum admotos fuisse, ut illum emicantem protinùs amplexati sint, ejusque fidei ac legis sanctimoniæ se totos incredibili quodam animi æstu dediderint. Inde enim extundere licet quid de singulis sit censendum, qui ante ejus adventum perdiù exculti perpolitique fuerant iisdem sacramentis. Nam nec his defuisse Christus conjectandus est, quando non frustra totus ille sacramentorum apparatus omnibus retrò hominum ætatibus, tanquàm pædagogus ad Christum fuerat : et quod in universi generis administratione publicè spectatur, id ipsum privatim in singulorum curatione suspicandum est.

CAPUT IX.

Non potest Christus à mortalibus nisi adumbratus teneri : quocirca et Mosaicis sacramentis etsi umbraticis, continebatur; et nostris etsi verioribus, adhuc tamen obumbratur.

1. Nec Christi magnitudinem, nec mortalium infirmitatem satis exploratam expensamque habent, qui de ejus tamdiù comperendinato adventu quiritantur. Non potest ille à mortalibus nobis nisi adumbratus teneri, ex quo id quoque solatii emergit, ut et dùm adumbratur, teneatur. Christum ergo nos quidem tenemus et contrectamus, sed in sacramento, sub velamine, obumbratum. Non exhibebatur Israelitis nisi sub sacramentorum velis dissimulatus, ergo et tunc tenebatur. Quid ergo horum injuriam, jacturamque tam amarulentè prosequimur? Illustriora sunt nobis umbracula, id est, sacramenta quàm illis; sed sacramenta sunt tamen et umbracula. Id potiùs dolendum, id toto lacrymarum flumine lamentandum est, quòd ab umbraculis ad puram lucem ejus contuendam nondùm progredimur. Nam ab umbrâ ad umbram, ab obscuriore ad sublustriorem progredi, optatum ja quidem fortunatumque est; sed ab umbrâ ad puri luminis beatos haustus eluctari, id enimverò optatissimum, id votorum omnium remis velisque, ut ita dicam, contendendum est.

2. Quòd ergo legalium sacramentorum tegumentis non obumbraretur tantùm, sed et contineretur Christus, atque adeò tanquàm Christi inanibus indolendum eis non sit, qui horum sacramentorum adipe pascebantur, Augustinus nos docet ex Apostoli Pauli loco : « *Nolo enim vos, ait Apostolus, ignorare, fratres,* « *quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt,* « *et omnes mare transierunt, et omnes per Moy-* « *sen baptizati sunt in nube et in mari; et om-* « *nes eumdem cibum spiritalem manducaverunt,*

« *et omnes eumdem potum spiritalem biberunt.* « *Bibebant enim de spiritali consequente eos pe-* « *trâ, petra autem erat Christus.* Idem itaque in « mysterio cibus et potus illorum qui noster ; « sed significatione idem, non specie : quia « idem ipse Christus illis in petrâ figuratus, « nobis in carne manifestatus est. » Audin eumdem illis nobisque cibum potumque Christum appositum propinatumque esse? Audin in mysterio utrisque, specie tantùm significante paulò diversâ, non diversâ significatione? Nam quòd Christus illis in petrâ figuratus, nobis in carne manifestatus est, est id quidem ingentis loco privilegii Christianis, sed et ipsis tamen in carne obumbratus est. Erat enim et caro ipsa umbra quædam, quâ se nobis Verbum contemperabat. Et ipsa caro rursùm cùm Verbi umbrâ esset fulgidior, subducenda hinc fuit, et densioribus sacramenti velis obnubenda. Ergo idem nobis atque illis cibus potusque, utrisque figuratus, sed aliter atque aliter.

3. Quantuli autem refert, diversis sacramentis coli, dùm idem et æquè sanctum est, quod colitur? Perinde ferè est ac diversis verbis proferri unam eamdemque sententiam. Signa enim variari nihilò plus obest prodestque, quàm verba ; quia et signa non aliud quàm quædam sui generis verba sunt. At ab orbis conditu, sive ab hominis lapsu unum eumdemque Christum, hoc est, sapientiam Dei incommutabilem, humanæ ægritudinis reparatricem, omnia penitùs religiosa personavêre sacramenta, et etiamnum personant omnia. Ergo non ipsa in culpam vocanda est sacramentorum diversitas, sed hominum perversitas in vitio est, quæ sacrorum signorum vocibus obsurdescit, et voluptatum limo se inexplicabiliter immergit. Augustinus : « Respon- « deant ita nihil interesse pro diversâ tempo- « rum locorumque congruentiâ, quàm diversis « sacramentis colatur, si quod colitur sanctum « est : sicut nihil interest, pro diversâ linguarum auditorumque congruentiâ, quàm diversis sonis dicatur, si quod dicitur verum « est. » Et paulò post : « Quamobrem cùm « Christum dicamus Verbum Dei per quod « facta sunt omnia, sub cujus regimine uni- « versa creatura spiritalis et corporalis pro « congruentiâ temporum locorumque adminis- « stratur, cujus moderandæ et gubernandæ « quid, quando et ubi circa eam fieri opor- « teat, sapientia et scientia penès ipsum est ; « profectò et antequàm propagaret Hebræorum « gentem, per quam sui adventûs manifesta- « tionem congruis sacramentis præfiguraret, « et ipsis temporibus Israelitici regni, et deinde « cùm se in carne de virgine acceptâ mortali- « bus mortaliter monstravit, et deinceps usque « nunc cùm implet omnia, quæ per Prophetas « ante prædixit, et ab hinc usque ad finem « seculi quo sanctos ab impiis dirempturus « est, et sua cuique retributurus, idem ipse « Filius Dei, Patri coæternus et incommutabilis sapientia, per quam creata est universa « natura et cujus participatione omnis ratio- « nalis anima fit beata. Itaque ab exordio ge- « neris humani quicumque in eum credide- « runt, eumque utcumque intellexerunt et se- « cundùm ejus præcepta piè et justè vixerunt, « quandolibet et ubilibet fuerint, per eum « procul dubio salvi facti sunt. Sicut enim nos « in eum credimus, et apud Patrem manen- « tem, et qui in carne jam venerit, sic crede- « bant in eum antiqui, et apud Patrem manen- « tem, et in carne venturum. Nec quia pro « temporum varietate nunc factum annuntia- « tur, quod tunc futurum prænuntiabatur, « ideò fides ipsa variata, nec salus ipsa diversa « est. Nec quia una eademque res aliis atque « aliis sacris et sacramentis vel prædicatur aut « prophetatur, ideò alias atque alias res, vel « alias atque alias salutes oportet intelligi. « Quid autem quando fiat quod ad unam eam- « demque fidelium liberationem pertineat, « consilium Deo tribuamus, nobis obedientiam « teneamus. Proinde aliis tunc nominibus et « signis, aliis autem nunc, et priùs occultiùs, « postea manifestiùs : et priùs à paucioribus, « postea à pluribus, una tamen eademque reli- « gio vera significatur et observatur. » Nequaquàm piguit locum tam prolixum exscribere, quòd eo summa contineatur hujus doctrinæ. Una quippe eademque, invariata et invariabilis religio et salus extitit extabitque sempiterna Dei sapientia et incommutabilis justitia Verbum Dei, naturæ rationalis et stantis sustentatrix et lapsæ restauratrix, quibuscumque demùm illa se nostræ vel nativæ exilitati, vel adjectitiæ infirmitati attemperare atque opacare instituerit modis. Omnis quippe varietas in signis et sacramentis versatur, quibus illa vel nobis se coaptat, vel nos ad se sustollit ; cùm veritas, cùm religio, cùm sanctitas, cùm salus et beatitas una eademque invariabiliter omnibus seu locorum seu temporum tractibus dominetur. Itaque nemo impotentiùs defleat antecessorum vicem, nam et ipsis eadem in-

commutabilis sapientia vivificatrix et non sine humaniore ad nos condescensu reparatrix obversata est; nemo successorum felicitati præsidentiùs plaudat, nam nec ipsis nisi eadem, nec nisi sub signorum involucris auxiliari poterit sapientia. Si autem priùs occultiùs, nunc manifestiùs, priùs paucioribus, nunc pluribus expandit sinum suum sapientia, religio, salus, est quòd gratulemur, non quòd conqueramur. An enim invidebimus nostris profectibus? qui autem proficiamus, nisi meliusculè deinceps quàm priùs habeamus? An uberiori in dies divinæ in nos beneficentiæ obtrectabimus et intercedemus? Quis autem largiùs benefaciat, nisi priorem mediocritatem posterior vincat copia? An augescens in dies spiritalium opum copiosior ubertas, non tam ob præsentem nos exhilarabit opulentiam, quàm ob priorem inopiam contristabit? Quin potiùs in mentem venit, priorem illam inopiam dici, quòd præsenti ubertati comparetur et cedat : porrò ipsam sibi non inopiam, sed lautam sibi uberemque visam esse. Succurrat denique hanc ipsam publicam beatitatem humani generis, ab occultioribus ad splendidiora, à parcioribus ad ditiora sapientiæ sospitatricis sacramenta ac dona proficientis, nullius calamitati, sed singulorum non dissimili felicitati vertendam esse auspicandamque : quod unumquemque ominari debeamus privatim casdem profectuum ætates emetiri atque exhaurire potuisse.

4. Non dissident ab antedictis quæ alibi profert Augustinus idem : « *Omnes quotquot* « *venerunt, fures sunt et latrones,* etc. Ante ad- « ventum ipsius, venerunt Prophetæ. Num- « quid fures et latrones fuerunt? Absit : Non « præter illum venerunt, quia cum illo vene- « runt. Venturus præcones mittebat, sed eo- « rum corda quos miserat, possidebat. Vultis « nôsse quia cum illo venerunt? Quid est ipse « semper? Carnem quippe accepit ex tempore. « Quid est ergo semper? *In principio erat Ver-* « *bum.* Cum illo ergo venerunt, qui cum Verbo « Dei venerunt. *Ego sum,* inquit, *via, veritas* « *et vita.* Si ipse est veritas, cum illo venerunt, « qui veraces fuerunt, etc. Ante adventum « Domini nostri Jesu Christi præcesserunt « justi, sic in eum credentes venturum, quo- « modò nos credimus in eum qui venit. Tem- « pora variata sunt, non fides. Quia et ipsa « verba pro tempore variantur, cùm variè de- « clinantur, » etc. Quo minùs mirum est, si per Prophetas olim et postea per carnem suam, unum idemque personaverit Verbum Dei, unamque et eamdem religionem ac salutem promulgaverit. Idem enim et incommutabiliter idipsum est Verbum Dei, animarum rationalium et stantium incolumitas, et lapsarum medicina, et resurgentium sospitas; per Prophetas quos insidebat, per carnem suam quam gerebat, prout homines capere valebant, æternitatis semitam ostendebat.

5. Et paulò post ex Apostolo idem probat : « Ut scias autem quòd una sit fides, audi di- « centem : *Habentes eumdem spiritum fidei et* « *nos credimus;* sic et alio loco : *Nolo vos,* in- « quit, *ignorare, fratres, quia patres nostri omnes* « *sub nube fuerunt,* etc. *Omnes eamdem escam* « *spiritalem manducaverunt,* etc. Mare Rubrum « significat baptismum, Moyses ductor per mare « Rubrum significat Christum, populus trans- « iens significat fideles, mors Ægyptiorum si- « gnificat abolitionem peccatorum. In signis « diversis eadem fides, sic in signis diversis « quomodò in verbis diversis, quia verba sonos « mutant per tempora : et utique nihil aliud « sunt verba quàm signa. Significando enim « verba sunt. Tolle significationem verbo, « strepitus inanis est. Significata sunt ergo « omnia, etc. *Eumdem potum spiritalem bibe-* « *runt;* si spiritalem, eumdem : nam corpora- « lem, non eumdem. Quid enim illi bibebant? « Bibebant de spiritali *sequente petrâ; petra* « *autem erat Christus.* Videte ergo, fide ma- « nente signa variata. Ibi petra Christus, nobis « Christus quod in altari ponitur : et illi pro « magno sacramento ejusdem Christi habue- « runt aquam profluentem de petrâ, nos quid « bibamus, nôrunt fideles. Si speciem visibi- « lem intendas, aliud est : si intelligibilem si- « gnificationem, *eumdem potum spiritalem bibe-* « *runt.* Quotquot ergo illo tempore crediderunt « vel Abrahæ, vel Isaac, vel Jacob, vel Moysi, « vel aliis Patriarchis, aliisque Prophetis Chri- « stum prænuntiantibus, oves erant et Chri- « stum audierunt, » etc. Priscis igitur non tantùm Patriarchis et Prophetis, sed eorum etiam auctoritati accedentibus populis, idem infundebatur, qui nobis spiritus fidei, idem spiritalis cibus potusque Christus esitandus potandusque porrigebatur, sub cortice sacramentorum legalium : ergo ne cunctatorem Christum querelis fatigemus; non cessabat enim qui vorandum hauriendumque se publicè largiebatur. An quòd alia species tunc signorum esset quàm nunc, ferimus gravatè? Sed nil capessitur detrimenti, si variato signo eadem

invariata veritas exhibetur. An non radio solis illustrius manifestiusque est, non visibili specie, quæ alia et alia fuit, sed intelligibili significatione, quæ invariabiliter eadem atque una fuit, totum salutis et gratiæ fructum contineri? Nobis, non illis ipsa Christi caro vescenda offertur. Sentio quantùm id beneficii et prærogativæ sit; sed est quo jacturam suam solentur, qui expertes tanti boni fuêre. Nam et caro ipsissima Christi sacramentum veritatis et charitatis atque intelligibilis unitatis est : quibus ergo sine illo sacramento res ipsa sacramento significata, veritas, charitas, unitas, spiritalis cibus potusque animarum immortalium Christus propinabatur, nimis impotenter illi suam vicem dolere non debebant. At non eâdem largitate spiritalis gratia inundabat, quando sacramentis aliis, quàm carne Christi ipsissima infundebatur? Assentior, sed nec nunc per carnem Christi tanta in nos fluit, quanta dissipatis velis per deitatem Christi revelatam olim influet; nec tamen has moras tam querulo, aut æstuante animo ferimus, sed acquiescimus nos in hâc penè ariditate priùs purgari atque expiari, quàm in illum torrentem voluptatis demergamur.

6. Nihil elegantius autem fieri potuit, nec ad rem quæ versatur nunc à nobis illuminandam appositius hoc contextu ejusdem Augustini : « Sufficerat ut diceret : *Cibum spiritalem* « *manducaverunt*. Eumdem, inquit, eumdem non « invenio quomodò intelligam, nisi eum quem « manducamus et nos. Quid ergo, ait aliquis, « hoc erat manna illud quod ego nunc accipio? « Ergo nihil modò venit si ante jam fuit. Ergo « evacuatum est scandalum crucis? Quomodò « ergo eumdem, nisi quia addidit *spiritalem?* « Nam qui manna illud sic acceperunt ut tan- « tummodò indigentiæ suæ corporali satisfieri « putarent, et ventrem suum pasci, non men- « tem, nihil magnum manducaverunt : factum « satis est eorum indigentiæ. Alios Deus pavit, « aliis aliquid nuntiavit. Hi tales cibum cor- « poralem manducaverunt, non cibum spiri- « talem. Quos ergo dicit *patres nostros cibum* « *spiritalem eumdem* manducavisse? Quos pu- « tamus, nisi qui verè patres nostri fuerunt? « Imò patres nostri non fuerunt, sed sunt : « omnes enim illi vivunt, etc. Erant enim ibi, « qui quod manducabant intelligebant : erant « ibi, quibus plus Christus in corde, quàm « manna in ore sapiebat. Quid de aliis loqua- « mur? unde erat primitùs ipse Moyses famulus « Dei fidelis in totâ domo ejus, sciens quid di- « spensaret, et quia illo tempore sic dispensari « deberent clausa præsentium, aperta futuro- « rum. Breviter ergo dixerim : Quicumque in « manna Christum intellexerunt, eumdem « quem nos cibum spiritalem manducaverunt : « quicumque autem de manna solam saturita- « tem quæsierunt, patres infidelium manduca- « verunt et mortui sunt. » Quid Christus nisi spiritalis cibus? Quid nunc in Ecclesiæ sacramento nisi animas saginat intelligibili pabulo veritatis indeficientis? Quid etiam cùm carnem ejus præsentissimam esitamus, nisi spiritalem escam comedimus, nec dentes ventremque paramus, sed fidem? Quid nisi plus sapit in ore Christus quàm panis? Quid in ipsissimâ ejus carne manducandâ, nisi spiritus est qui vivificat? Quid caro ejus nonne asportanda hinc in cœlum et oculis nostris subducenda fuit, et in sacramento densissimâ velorum nube involvenda, ut spiritali intelligentiâ et spiritali amore jam illam prosequeremur? Ergo non adeò malè consultum in illos est, quibus vel irruente prophetico spiritu, vel ipso Prophetarum hortatu dabatur eumdem spiritalem cibum manducare, et in manna, in aquâ, in reliquis sacramentis unum Christum sapere, Christo saginari. « Sic etiam eumdem potum. « Petra enim Christus. Eumdem ergo potum « quem nos, sed spiritalem, id est, qui fide ca- « piebatur, non qui corpore hauriebatur. « Audisti eumdem potum. Postea erat Christus. « Non enim alter Christus tunc, alter nunc. « Altera quidem illa petra, alter lapis, etc., « idem tamen Christus, etc. Eumdem ergo ci- « bum, eumdem potum, sed intelligentibus « et credentibus. Non intelligentibus autem « illud solùm manna, illa solùm aqua, ille ci- « bus esurienti, potus iste sitienti, nec ille nec « iste credenti, credenti autem idem qui nunc. « Tunc enim Christus venturus, modò Christus « venit : *venturus* et *venit* diversa verba sunt, « sed idem Christus. » Ad cibum spiritalem, quanti interest, venturus sit, an venerit? Nam spiritalis fides, charitasque, immortales et æternitatis vi imbutæ sunt vires quædam, temporibusque servire nesciæ. Itaque tam facilè futura anticipant, quàm præterita revocant, et seu præterita seu futura tanquàm præsentia sibi sistunt. Alioquin Christi mysteria ut illis necdùm advenerant, ita nobis effluxerint : non dissimili ergo dispendio afficeremur, nisi quod optatius plerùmque hominibus est, fruenda expectare, quàm dilapsa recordari et incassùm desiderare. Ergo si nobis non effluxe-

runt, quia fidei de ingenio et afflatu æternitatis vigenti, nihil effluit, nihil perit: nec illis etiam deerant, quæ ventura erant, quia fidei eâdem omnipotentiâ repræsentabantur. Fidei autem sola signorum diversitas perparùm officit, dùm rei significatæ non diversa permittatur usura. Unde Augustinus: « Quod ex utro- « que intelligitur, fortassis unum est; at illa « ex quibus intelligitur, diversa sunt: tanquàm « si nomen Domini et auro et atramento scri- « batur. »

7. Atque ut cardinem ipsum rei indigitemus, audiamus rursùm Augustinum: « Sacrificium « ergo visibile invisibilis sacrificii sacramen- « tum, id est, sacrum signum est. Unde ille « pœnitens apud Prophetam, vel ipse Propheta « Deum quærens peccatis suis habere uti pro- « pitium: *Si voluisses,* inquit, *sacrificium, dedis- « sem utique, holocaustis non delectaberis; sacri- « ficium Deo spiritus contribulatus, cor contritum « et humiliatum, Deus, non despicies.* Intueamur « quemadmodùm ubi Deus dixit nolle sacrifi- « cium, ibi Deum ostendit velle sacrificium. « Non vult ergo sacrificium trucidati prioris, « sed vult sacrificium contriti cordis. Nam si « ea sacrificia quæ vult, quorum hoc unum « est, *cor contritum et humiliatum* dolore pœni- « tentiæ, nollet eis sacrificiis significare, quæ « velint sibi delectabilia desiderare putatus est, « non utique de his offerendis in lege veteri « præcepisset, etc. » Quo uno exemplo, ut alia id genus innumera omittam, promptum est, ipsâ Scripturæ veteris litterâ, et verbis ipsis vulgatissimis quæ vulgi ore diebus et momentis penè singulis terebantur, disertè inculcari et decantari tum solita fuisse fidei spiritalis et charitatis, id est, totius christianæ disciplinæ præcepta et summa fastigia. « Quæcumque « igitur in ministerio tabernaculi sive templi « multis modis de sacrificiis leguntur divinitùs « esse præcepta, ad dilectionem Dei et proximi « significandam referuntur. *In his enim duobus « præceptis,* uti scriptum est, *tota lex pendet « et Prophetæ.* » Et tempestivè satis inter ipsa sacrificia concrepabant Psalmi, quibus eorum spiritalis interpretatio et ad æternorum charitatem traductio continetur. Qui ergo ad hæc calcaria occallescebant, et præsentibus tantùm astupebant signis, non illis Christus deerat, sed ipsi Christo præsenti et personanti terga vertebant, non aliter quàm nunc in manifestissimâ æternorum luce inter christianas aras caligant plurimi, et nonnisi temporalia meditantur.

8. Illis consentanea sunt quæ sentit Ambrosius: « *Sed in lege Domini voluntas ejus, et in « lege ejus meditabitur die ac nocte.* Ordo conve- « niens est, ut primò diligas legem, secundò « ut mediteris. Qui diligit ex voluntate facit « mandata legis; qui timet, invitus observat. « Hanc disciplinam docendi etiam Dei justi- « tiam in lege accepimus. Sic enim scriptum « est: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus « est;* et: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto « corde tuo,* etc. Denique lex voluntarios quæ- « rit, quia *lex Domini,* irreprehensibilis *conver- « tens animam.* Nemo autem convertitur, nisi « qui voluntate convertitur. Ideòque *die et no- « cte* in lege meditatur, in quo non tam conti- « nua legendi postulatur intentio, quàm ser- « vandæ legis affectus. Ille enim plenè medita- « tur, qui ipse sibi lex est, scriptum in corde « suo opus legis ostendens, etc. Meditatur ergo « legem vita nostra, lex enim exemplar est et « umbra cœlestium, umbra futurorum bono- « rum, quæ is qui credit in lege, in Evangelio « recognoscit. » Et aliquantò post: « Utrumque « ergo poculum bibe, veteris et novi Testa- « menti, quia in utroque Christum bibis. Bibe « Christum, quia vitis est; bibe Christum, quia « petra est, quæ vomuit aquam, etc. Bibe « Christum, ut bibas sermones ejus. Sermo « ejus Testamentum est vetus; sermo ejus Te- « stamentum est novum. Bibitur Scriptura di- « vina et devoratur Scriptura divina, cùm in « venas mentis ac vires animæ succus Verbi « descendit æterni. Hoc Verbum bibe, sed or- « dine suo bibe. Primùm bibe in veteri Testa- « mento: inde fac citò, ut bibas in novo Testa- « mento. » Hæc si contexas quæ apud illum sparsa latiùs paulò sunt et nonnullis aliis intertexta ad eumdem tamen sensum spectantibus, efficies id profectò, quod volumus. Videlicet in veteris Testamenti paginis, præceptisque omnibus et sacramentis, etsi non tam manifestè quàm nunc, apertè tamen satis emicuisse, legis charitatem magis quàm pœnæ formidinem sectandam, æterna, non umbratica tantùm bona concupiscenda, et Christum denique, qui bonorum æternorum charitas et charitatis æternitas est, in omnibus sacramentis bibendum devorandumque. Id lex, id Psalmi, id Prophetæ sonabant et consonabant, nec ullum nisi sua obsurdefaciebat cupiditas. Et libro de iis qui mysteriis initiantur, de Eucharistiâ verba faciens: « In illo sacramento Christus « est, quia corpus est Christi: non ergo cor- « poralis esca, sed spiritalis est. Unde et Apo-

« stolus de typo ejus ait : *Quia patres nostri « escam spiritalem manducaverunt et potum spi- « ritalem biberunt.* Corpus enim Dei, corpus est « spiritale ; corpus Christi, corpus est divini « Spiritûs, quia Spiritus Christi, ut legimus, « *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus.* » Quòd ergo eamdem nobiscum antiqui escam comederunt spiritalem tantùm, non etiam corporalem, non tanto eis cedebat detrimento, quanto visum est nonnullis. Nobis enim emolumento est, non quòd corporalem, sed quòd spiritalem devoramus. Est enim corpus ipsum Christi, etsi verissimum et præsentissimum, spiritale tamen, utpote corpus Dei : spiritaliter edendum, fide tangendum, charitate glutiendum : nam etiam dùm caro ejus manducatur, spiritus est qui vivificat, spiritalis satietas expetitur, Christus spiritus et spiritalis immortalitatis alimonia cogitatur. Itaque Abraham, Moysesque vidêre diem Christi, idem alii compares compotesque ejusdem fidei, vel eorum magisterio incumbentes, nec vidêre tantùm, sed gustavêre et bibêre Christum, spiritalem mentium refectionem.

9. Nec abs re erit paucula ex Leone Magno delibare, quibus liqueat, quàm non desideret fides velut absentia, quæcumque vel in præteritum jam defluxerunt, vel in futurum expectando prospiciuntur. Nam mysteria Christi, ut antiquis futura, ita nobis præterita, neutris adfuisse vel adesse putabuntur, si rerum species extima nos remoratur. At fide tamen involamus in plurima retrò secula, et tanquàm præsentia adesse jubemus ; perlustramusque præteriti temporis recessus invios, et tamdiù refuga arcana : tamque feliciter id nobis cedit, ut nihilominùs ex iis carpamus gratiarum, quàm si coram jam nunc nostros ob oculos gererentur : quinimò haud paulò plus spiritalis lucri inde colligimus, quàm ii qui auriti oculatique et iidem multi increduli testes, adversariique fuerunt, cùm peragerentur. Quin ergo et prisci Patres ejusdem fidei omnipotente quâdam et omnipatente amplitudine occupârint futura, quæ nos præterita revocamus, et anticipârint, quæ nos renovamus? Ita ergo habet Leo Magnus : « Sacram Dominicæ Pas- « sionis historiam, evangelicâ ut moris est, « narratione decursam, ita omnium vestrûm « arbitror inhæsisse pectoribus, ut unicuique « audientium ipsa lectio, quædam facta sit vi- « sio. Habet enim hanc potentiam fides vera, « ut ab iis mente non desit, quibus corporalis « præsentia interesse non potuit : et sive in « præteritum redeat, sive in futurum se cor « credentis extendat, nullas sentiat moras tem- « poris cognitio veritatis. » Ita æquum est dominari temporibus fidem et amorem æternorum : et de afflatu æternitatis id valere, ut vel omnia tempora sibi colligat et repræsentet, vel in omnia tempora sese infatigabiliter et invictè diffundat. Quin æquum est, ipsa Christi mysteria quæ ita tempori sunt alligata, ut æternitatem spirent, temporalitatem exurant, temporibus imperitare, nec annorum legibus premi, id est, nec prætereundo oblitterari, nec adventando desiderari, sed jugi et invictâ præsentiâ perennare.

10. Nec præterita tantùm sentire concessum nobis est, sed et futura occupare, ut et Patribus nostris copiam faciamus futura quoque sibi Christi carnis sacramenta præsumpsisse. Christo enim conresuscitati sumus, et consessores paterni throni adsumus, et vita nostra abscondita ibi est cum Christo in Deo : nec jam secundùm carnem sapimus, aut vivimus, nec quemquam secundùm carnem novimus, *sed conversatio nostra in cœlis est.* Non expectatione fatigamur, non cessatione suspendimur, sed animosâ fide, audaci spe, victrici charitate, jam videmus quod visuri sumus ; jam tenemus, quod speramus ; jam æternitatem præripuimus. Idem Leo : « Non hæsitamus diffidentiâ, nec « incertâ expectatione suspendimur, sed acce- « pto promissionis exordio, fidei oculis, quæ « sunt futura jam cernimus : et naturæ prove- « ctione gaudentes, quod credimus, jam tene- « mus. Non ergo nos rerum temporalium oc- « cupent species, nec ad se contemplationem « nostram à cœlestibus terrena deflectant, » etc. Quod ergo familiare sacris est litteris, ut temporum discrimina perturbentur, et tanquàm præterita memorentur, quæ futura adhuc pendent ; vel objiciantur ut præsentia, quæ vel jam olim, vel nondùm fluxerunt, non supinitas ea est, sed curiosior et arcana diligentia : nec eò tantùm intenta, ut Deo adesse omnia, et abesse nihil innuatur ; sed etiam ut Prophetarum oculi, omniumque eorum auctoritati innitentium, demonstrentur in altam quamdam velut speculam æternitatis evecti, superexstare atque eminere temporum per varias vices circumfluentium flumini, atque ea coram simul spectare sibi præsentia, quæ non possunt nisi longo decedentium succedentiumque annorum lapsu explicari. Audeamus in hanc fidei arcem assurgere, et ita esse comperiemus. Si autem abjiciamus animos, et tempori atque parti nos

mancipemus, illam fidei universa ambientis ac pervadentis amplitudinem, velut inter speciosa deliramenta recensendam turpiter delirabimus.

11. Et rursùm ut intelligas non infringi novi Testamenti laudes singulares, et gratiæ illi specialiùs et copiosiùs adsignatæ gloriam, tametsi Christus antiquis etiam fidelibus indulgeatur, audi Irenæum hujus nodi ambages explicantem : « Legite diligentiùs id quod ab « Apostolis est Evangelium nobis datum, et « legite diligentiùs Prophetas, et invenietis « universam actionem et omnem doctrinam et « omnem passionem Domini nostri prædica- « tam in ipsis. Si autem subit vos hujusmodi « sensus ut dicatis : Quid igitur novi Dominus « attulit veniens? Cognoscite quoniam omnem « novitatem attulit, semetipsum afferens, qui « fuerat annuntiatus. Hoc enim ipsum prædi- « cabatur, quoniam novitas veniet innovatura « et vivificatura hominem, etc. Semetipsum « attulit, et ea quæ prædicta sunt bona, *in quæ « concupiscebant Angeli intendere*, et donavit ho- « minibus. » Aderat antiquis Christus, et tamen expectabatur; aderat et tamen advenit. Aderat obumbratus, expectabatur et advenit revelatus : idem tamen in umbrâ, qui post sine umbrâ. Sed et nunc quoque cùm advenerit, cùm adsit, expectatur tamen, et adventat, et adveniet. Advenit enim et adest præclarioribus quidem, sed nonnullis tamen adhuc nubilis velatus; ubi ergo et hæc dissipabit, tunc adveniet, et quia paulatim et in dies dissipat, semper venit, semper veniet. Ei enim qui nusquàm abest, incommutabili sapientiæ Verbo Deo, venire non aliud est quàm manifestari. Quia ergo et apparuit simul et latuit, quia latebras suas nequedùm omnes retexit, quia diebus singulis magis magisque sese retegit, ideò non immeritò existimatur semper venisse, semper venire, semper venturus esse. Nec nostrum est, nisi insolentissimè insanimus, vel nostris profectibus vel divinorum beneficiorum incrementis invidere atque obstrepere. Unde idem ibidem : « *Iota unum aut unus apex « non transibit à lege et Prophetis quoad usque « omnia fiant.* Omnia enim ipse adimplevit ve- « niens, et adhuc implet in Ecclesiâ usque ad « consummationem, à lege prædictum novum « Testamentum. » Adhuc implet legis umbras, implebitque usque ad consummationem seculi, adhuc sese retegit retegetque, adhuc venit venietque, donec ad contemplationem Patris ab omnibus serenatam nubeculis cum toto suo corpore perveniat. tunc enim demùm, ut ipse ait : *Non jam in parabolis* loquetur ad nos, non parabolarum, quibus adhuc obnubilamur, umbras tunc ullas discussurus et sese manifestaturus, ac proinde adventurus expectabitur : *sed palàm de Patre annuntiabit* nobis, cujus Verbum et species est. Dùm autem ægros nos adhuc experimur, et infinitæ lucis Verbi nequedùm patientes, in beneficii numero est, si suffuretur se nobis nonnihil, et obnubat, primùm timore et densioribus umbris, dein amoris aspergine et illustriore umbrâ carnis propriæ, imò carne propriâ, atque ita demùm aptet nos, obfirmetque ad puræ lucis patientiam. Unde idem : « Et quoniam non otiosè, « nec frustra, ut obvenit, datum est prius Te- « stamentum, sed illos quidem quibus dabatur « in servitutem Dei concurrens, ad utilitatem « eorum, non enim indiget Deus ab hominibus « servitutem : typum autem cœlestium osten- « dens, quoniam nondùm poterat homo per « proprium visum videre quæ sunt Dei : et « imagines eorum quæ sunt in Ecclesiâ præ- « figurans, ut firma ea quæ secundùm nos est « fiat fides, et prophetiam futurorum conti- « nens, ut disceret homo præscium esse om- « nium Deum. Talis discipulus verè spiri- « talis, recipiens spiritum Dei, qui ab initio in « universis dispositionibus Dei affuit homini- « bus, et futura annuntiavit, et præsentia « ostendit, et præterita enarrat. »

12. Et sanè quid præclarius quàm ut ab exordio seculi ad finem usque Christus omnia in omnibus adimpleatur? Quo autem adimpletur, nisi ut ipse ad implendam legem venisse se contestatus est, dùm timorem amore mutat, dùm umbras luce repensat, figuras veritate enubilat? Omnia ergo olim erat, omnia nunc est, omnia in omnibus multò præcellentius. Olim, ut ait Sedulius : *Christus erat panis, Christus petra, Christus in undis;* et omnia Christus erat : nunc multò magis Christus omnia in omnibus adimpletur; et multò maximè in beatâ patriâ erit Christus, erit Deus omnia in omnibus, cùm jam nihil supererit adimplendum, quia nihil jam non plenum, nihil figuratum, nihil vacuum. Quamdiù autem mortalem vitam viamque terimus, quia via hæc est et non meta, necesse est, ut vacui aliquid et figurati supersit, quod impleatur, ut Christus omnia in omnibus adimpleatur. Eamdem viam insistimus christianam, quam olim Mosaica gens, eòdem collimamus : propiùs quàm illi absumus, sed absumus à metâ; provectiores in viâ

sumus, sed in viâ sumus; hæc via, hæc meta Christus est; per ipsum ad ipsum omnes imus, nequedùm pervenimus. Ut quid ejusdem viæ socios tanquàm inusitatum aliquid stupemus? Explicabant et illi viam, umbras paulatim Christus implebat et illuminabat, multò manifestior per Prophetas quàm per Mosaicam legem, sicut manifestior per carnem quàm per Prophetas, sed nec sic tamen penitùs manifestans seipsum. Ambrosius : « Igitur sancta « Ecclesia quæ typo mulieris istius evangelicæ « figuratur, cujus farina nos sumus, Dominum « Jesum in interioribus nostræ mentis ab- « scondit, donec animi nostri secreta pene- « tralia color sapientiæ cœlestis obducat. Et « quia in Matthæo legimus, *tribus mensuris ab-* « *sconditum esse fermentum,* congruere visum « est, ut Dei Filium crederemus absconditum « in lege. adopertum in Prophetis, evangelicis « prædicationibus adimpletum, ut perfectam « fidem nobis acquirat ex omnibus, et scripto- « rum collatione formatus, in nobis qui su- « mus corpus ipsius, omnia in omnibus im- « pleatur. Ipse enim erat Verbum Dei et my- « sterium absconditum à seculis et à generatio- « nibus, quo nihil potest ad expressionem « perennitatis ejus attestatius dici. Erat enim « profectò ut absconditus sacrilegis, manife- « status in sanctis, prædestinatus ante secula, « servaretur ad gloriam. »

13. Verùm ut ampliùs elucescat quàm verè Christus advenisset hominibus vetus Testamentum implentibus, operam dabimus, ut etiamnunc expectari eum et nondùm advenisse demonstremus. Ita enim cùm certò constet Christum advenisse, si tamen venturus expectatur, persuaderi poterit advenisse et jam tunc, etsi venturus expectabatur. Et ne te longis morer anfractibus, ne nunc quidem totam Christi veritatem, sed imaginem assecuti sumus; cùm ergo veritas ipse sit, nondùm totus advenit. Si autem tenemus Christum in imagine, quin teneretur olim et in umbrâ? Quid enim umbra quàm imago quædam jejunior? Quid imago quàm umbra quædam sublustrior? Sed nec umbra, nec imago ipsa veritas, sed veritatis expectatio quædam est. Ambrosius : « Verumtamen in imagine « pertransit homo. In quâ imagine ambulat « homo? In eâ utique ambulat, ad cujus simi- « litudinem factus est, id est, ad imaginem « Dei. Christus autem est imago Dei, etc. « Christus ergo imago Dei venit ad terras, ut « jam non in umbrâ ambularemus, sed in ima- « gine. In imagine autem ambulat homo, qui « sequitur Evangelium, etc. Primùm ergo um- « bra præcessit, secuta est imago, erit veritas. « Umbra in lege, imago in Evangelio, veritas « in cœlestibus. Umbra Evangelii et Ecclesiæ « in lege : imago futuræ veritatis in Evangelio, « veritas in judicio Dei. Ergo quæ nunc cele- « brantur in Ecclesiâ, eorum umbra erat in « sermonibus Prophetarum, umbra in diluvio, « umbra in Rubro mari, quando baptizati sunt « patres nostri in nube et in mari, umbra in « petrâ, etc. Sed jam discessit umbra noctis « et caliginis Judæorum, dies appropinquavit « Ecclesiæ, videmus nunc per imaginem bona « et tenemus imaginis bona. » Modesta prorsùs et castigata ad veritatis amussim est hæc gloriatio. Umbram noctis et caliginem Judæorum discessisse gratulatur, sed veritatem nondùm illuxisse profitetur nisi in imagine. Videmus nos et tenemus sed per imaginem, sed imaginis bona, illi per umbram, et umbræ bona; umbra Christus, imago Christus, utròbique Christus, sed magis veritas Christus, qualis nec videtur adhuc, nec tenetur à nobis. Ergo si jam venit, quando per imaginem solam venit, quin venerit et olim per umbras? Si jam venit, etsi adhuc veritas expectetur, quin olim venerit cùm imago expectaretur? Nam immaniùs distat veritas ab imagine, quàm ab umbris imago. Imò umbra et imago promiscuè quandoque habentur, ut vel hîc apud Ambrosium statim : « Tunc videbimus cùm « imago transierit, veritas venerit; tunc jam « non per speculum, sed *facie ad faciem* ea « quæ sunt perfecta videbuntur. Ascende ergo, « homo, in cœlum, et videbis illa quorum « umbra hîc erat, vel imago. Videbis non ex « parte, non in ænigmate, sed in consum « matione, non in velamine, sed in luce. » De sacerdotio Christi hîc sermonem instituerat, negat à nobis videri nisi ex parte, in speculo, in ænigmate, sub velamine, necdùm in luce, necdùm in veritate. Ergo ne nostrorum incuriosi, aliena damna plus justo quiritemur; ne tam doleamus, quòd illi in umbrâ tamdiù jacuerint; sed quòd nos in ænigmate, sub velo, in speculo, ex parte Christum videamus adhuc et teneamus, imò nec videamus, nec teneamus, sed videndum tenendumque suspensi, jejuni, inopesque expectemus, id amaro animo, id impatientiùs feramus. Ne cœlum tundamus invidiâ, quòd priscis illis tam serò Christum irrorârit : sed nosmet tundamus, plangamusque pectora, quòd nonnisi

imaginem ejus et speculum, necdùm veritatem plenamque lucem ferre possimus. Nam quòd ab umbrâ ad imaginem progressi simus, id plurimum est; sed ab imagine ad veritatem inenarrabile interest adhuc interstitium.

14. Ne Christum lacessamus, in causâ enim nos sumus et illius et hujus adventûs tarditatis. Tunc enim umbra, nunc imago veniebat, venitque Christus qui ipse veritas est, quia nos quamdiù corpore gravamur corruptibili, in umbrâ mortis sumus. Velamen seu umbræ seu imaginis, non sua Christo cunctatio, sed nostra imposuit lippitudo. Idem Ambrosius : « *Vivam et custodiam verba tua.* Vivam, ait, « quasi nondùm vivens. Hìc enim in umbrâ « vivimus; ergo ista vita in corpore, umbra « est vitæ, atque imago, non veritas. Denique « in imagine ambulat homo, et *in regione umbræ mortis consistimus.* Sed si quis non ad « terrena oculos mentis intendat, sed ad spiritalia erigat, ut possit dicere : *Spiritus ante « faciem nostram Christus Dominus,* dignus erat, « qui dicat : *In umbrâ ejus vivemus.* Christus « enim vita est, et ideò qui in umbrâ Christi « vivit, in umbrâ vitæ est. Meritòque alibi dicit « sanctus Domino : *In umbrâ alarum tuarum « protege me.* Omnes ergo etiam sancti in umbrâ sunt, quamdiù sunt in corpore. Non « perfectè vident, *sed in parte cognoscunt.* » Antiquis ergo comparati, ex umbris emersisse videbamur in nescio quam imaginis resplendescentiam. Sed quàm perfunctoria hæc lux sit, hìc demùm patuit, ubi nos in umbrâ Christi, in umbrâ vitæ adhuc delitescere indicat, quòd imago illa non aliud quàm sublucidior umbra sit. Ut autem his umbris nos nunc purgamur et assuescimus luci puræ, ita et prisci suis. Una ergo illorum et nostra hæc communis conditio est, et omnium rationalium naturarum à veritate lapsarum statio quædam expiatoria, et medicinalis, ubi per ænigmata et specula et particulas veritatis purgamur roboramurque ad illius plenitudinem lucis iterùm fruendam.

15. Atque ut altiùs ineamus in hæc arcana adyta, et eliquatiùs pervideamus, quid illæ umbræ, quid hæc imago, quid illa cui suspiramus Christus veritas : umbra erat justitiæ et sapientiæ Christi, timor servilis seu initialis; imago est amor filialis, sed et initialis; nondùm plena veritas, quia necdùm plena charitas. In cœlestibus jam non umbra, non imago, sed nuda veritas, quia pura putaque charitas, nulla cupiditas. Initium sapientiæ timor, ergo et umbra sapientiæ. Aliqualis enim justitia et sapientia in timente Deum, sed valdè umbratica et tenebricosa in nondùm amante. Progressus in sapientiâ et ejus jam imago, qualiscumque charitas : sed quia hæc charitatis delibatio est, non plenitudo, primitiæ non cumulus, justitiæ sitis et fames potiùs quàm satietas; peccatorum magis remissio quàm virtutum possessio, ideò imago potiùs sapientiæ et justitiæ quàm veritas ; umbra magis vitæ quàm vita ; Christi magis umbra quàm Christus. Et rursùm in præceptis legalibus ad duritiam, ad pueritiam hominum emollitis initium et umbra sapientiæ, ideòque umbra Christi erat ; et aliqualis tamen sapientia, ideòque et Christus erat. At in legibus evangelicis non jam umbra, quia nec tanta indulgentiæ mollities, sed jam imago justitiæ et imago Christi est, nequedùm tamen veritas, nequedùm plenitudo Christi, quia necdùm inflexam et inexorabilem legis æternæ normam ferre possumus. In cœlestibus mera erit veritas, quia legis æternæ nullo temperamento obumbrabitur sanctitas. Denique mysteria Christi et sacramenta, olim umbrosiora, nunc imaginum instar speciosiora, in cœlo vera et sine sacramentis, id est, sine velis ipsa veritas. Horum documentum in Christi incarnatione elucet. Nec enim in Verbi majestate radians venit, sed carnis obscuritate obnubilatus. Ergo sapientia, justitia, sanctitas, veritas quod Verbum est, non nisi obumbrata ad nos venit in evangelicâ etiam charitate, in evangelicâ lege, in evangelicâ mysteriorum illustratione, ut quanquàm venerit, multò magis ventura expectetur, et expetatur. Ambrosius ita nos docuit : « Cùm Sanctus ipse dicat : « *Placebo Domino in regione vivorum.* Quia perfectè hìc placere nemo potest: ubi etiamsi « fieri possit ut sua peccata non habeat, in « ipsâ tamen regione mortuorum vivendo, purificatione indiget, quæ à contagione eum « regionis hujus absolvat. In umbrâ igitur hìc « vivimus et ideò in umbrâ custodimus verba « Dei. Et ut exemplo utamur, utique ante era« mus sub umbrâ legis quando custodiebamus « neomenias et sabbata, quæ sunt umbra futurorum, etc. Nos quoque secundùm Evan« gelium nunc viventes, umbram sequimur « verborum Dei, etc. An nescimus quoniam « Verbum Dei veniens in hunc mundum, non « sicut Verbum advenit, quale in principio « erat, quale erat apud Deum, sed *exinanivit* « semetipsum *formam servi accipiens.* Venit in

« nube levi, et cùm esset virtus Altissimi, ob « umbravit Mariæ, *ut transfiguraret corpus hu-* « *militatis nostræ, conforme fieri corpori gloriæ* « *suæ*. Sicut ergo ille mutavit formam, cùm ex « Virgine nasceretur, ita et nobis sermones « Dei transfigurati videntur, cùm leguntur in « Evangelio, cùm species eorum videtur in « Scripturis, quasi per speculum, quia tota « veritas hìc non potest comprehendi. Cùm « autem venerit quod perfectum est, non jam « per descensionem, non per speciem ut trans- « figurati, sed integrâ atque expressâ veritate « resplendent. » Quo nihil Ambrosio dignius, nihil altitudini ad quam enitimur, accommodatius dici potuit. Liquet enim non in veritatis majestate venisse ad nos, aut verò venire adhuc potuisse Verbum Dei, sed exinanitum, nube levi, non tam densâ ut olim, sed leviori, nube tamen obductum et obumbratum; et convenienter transfigurata quoque, et per speculum, per condescensionem obumbrata arcana veritatis, præcepta sanctitatis nobis exhibuisse, nondùm integrâ atque expressâ veritate, utpote quæ hìc tota non possit comprehendi. Itaque cùm Verbum sit veritas, cùm sit legis æternæ sanctitas, exinanitum obumbratumque illud esse, ut nobis se coaptaret, non aliud est quàm cœlestium et arcanorum veritatem et præceptorum austeritatem obnubilandam infringendamque adhuc fuisse, ut ferri à nobis et sustineri utcumque posset. Venit ergo, sed ventura adhuc sustinetur Verbi veritas : si autem venit cùm in nube levi venit, quin venerit etiam cùm in paulò densiori et sacramentorum et mandatorum nubilo veniebat?

16. Rursùs idem Ambrosius, idem efficit ipsis ex Christi verbis : « *Si manseritis in verbo* « *meo, cognoscetis veritatem, et veritas liberabit* « *vos. Si manseritis*, inquit, *cognoscetis*. Vides « ergo quia non à principio potuit cognoscere, « quicumque Deum timens, verbum ejus audi- « vit. » Aliud ergo erat Christum tenere et manere in ejus verbis, aliud et posterius cognoscere illum veritatem et veritatis intuitu à servitute hâc corporalium expediri. Nam qui exinanitum tenet Christum, et verba ejus pariter exinanita inflexaque ad nostram nunc ægritudinem, nondùm ille potest, sed exercitatur, imbuiturque ut possit aliquando pati lucem veritatis, et bonum libertatis : id est, sub Christo expectat Christum, et umbroso ejus adventu instituitur firmaturque ad verioremsplendidioremque ejus adventum. Alibi conglobat Ambrosius ad hoc ipsum varia Scri- « pturæ loca : Scire autem Christum vita est « sempiterna, quæ nunc justis præstò est in « umbrâ, in futuro autem erit facie ad faciem. « Spiritus enim ante faciem nostram Christus « Dominus, cui diximus, in umbrâ ejus vive- « mus in gentibus. In umbrâ alarum ejus spe- « ravit David : in umbrâ ejus concupivit et « sedit Ecclesia. Si tantùm, Domine Jesu, con- « fert umbra tua, quantùm veritas afferet? « Quemadmodùm vivemus, quando jam non « erimus in umbrâ, sed in ipsâ vitâ? *Nunc enim* « *vita nostra abscondita est cum Christo in Deo.* « *Cùm autem Christus*, inquit, *apparuerit vita* « *nostra, tunc et nos cum eo apparebimus in glo-* « *riâ.* » Vides quàm constanter conspirent Scripturæ utriusque fœderis, consonentque nequedùm aliud nobis, quàm umbram Christi contigisse : nec id ægrè ferendum, quòd Christi vel umbra deliciis spiritualibus scateat, et initiandæ nostræ hìc felicitati abundè sit; item quòd ita stationi huic quam occupamus consulendum sit, ut futuræ cui inhiamus felicitatis copia propria et peculiaris esse permittatur. Quantùm ergo futuræ vitæ accumulamus lucis et veritatis et perfectionis, tantùm necesse est huic detrahamus. Itaque illic nostram vitam absconditam cum Christo in Deo profitemur, hìc non vitam, sed umbram vitæ : non Christum, non veritatem, sed umbram Christi et veritatis condonatam esse. Ergo cùm alibi ait Ambrosius : « *Quoniam in lege nemo justificabi-* « *tur* : intelligis utique quia justificatio legis, « species est et imago, non veritas; secundùm « veritatem ergo et perfectionem nemo justi- « ficatur in lege secundùm speciem justifica- « tur. » Cùm hæc, inquam, ait Ambrosius, non sibi obviat, pugnatve secum; sed justitiam legis comparat evangelicæ, ut imaginem veritati : cùm rursùs evangelicam cœlesti componit alibi sæpiusculè, illam ut imaginem, hanc ut veritatem describit.

17. Sed quis penetralium suorum scrutator non videt, non erubescit semetipsum adhuc carnalibus implicatum desideriis, in carne adhuc ambulare, adhuc carne contra spiritum concupiscere, adhuc servili timore coercendum esse, adhuc pondere cupiditatis deorsùm vergere, adhuc ad scintillas puræ lucis præstringi, nictitare et inhorrescere, adhuc cœlestis amoris igniculos subinde terrenis libidinibus præfocare? Et quamdiù corruptibili corpore implicati peregrinamur à Domino, etsi sub gratiâ, non jam sub lege simus, hoc loco sumus, ita affecti, ita comparati sumus. Ergo

nondùm advenit, nondùm advenire potuit Christus veritas, Christus charitas, Christus libertas, sed Christus umbra, Christus imago veritatis et libertatis, umbra et imago suî. Ambrosius : « Quod enim carnale, servile, quia « animæ caro servit, liberum innocentia facit, « culpa vernaculum. Oportuit ergo per specu- « lum et in ænigmate fieri spiritalia. *Nunc enim « per speculum videmus, tunc facie ad faciem.* « Nunc secundùm carnem militamus, tunc spi- « ritu videbimus divina mysteria. Et ideò veræ « legis character in nostris moribus exprima- « tur, qui in Dei ambulamus imagine, quoniam « jam legis umbra transivit. Umbra Judæis car- « nalibus, imago nobis, veritas resurrecturis. « Tria enim hæc secundùm legem esse cogno- « vimus, umbram, imaginem, veritatem. Um- « bram in lege, imaginem in Evangelio, veri- « tatem in judicio. Sed Christi omnia et in « Christo omnia; quem nunc secundùm veri- « tatem videre non possumus : sed videmus « quasi in quâdam imagine, futurorum um- « bram in lege perspeximus. » Umbra, imago, veritas, Christi omnia et in Christo omnia. Ergo sub lege versantibus non aberat Christus. At Christum veritatem, non umbram, illis imprecaris? Imprecare et nobis, ad quos nondùm venit Christus veritas. Non sapit quid sit veritas, quid justitia, qui sibi tanquàm ista nacto palpat, reliquis ut frustratis indolet. Ut summum, imaginem, non veritatem nacti sumus, quamdiù hîc degimus. Nam quamdiù adversùs veritatem concupiscimus et bellamus, quamdiù in carne sumus et carnem sapimus, quamdiù nonnisi per speculum et in ænigmate intueri veritatem et scintillas quasdam charitatis sentire possumus, tamdiù à veritate procul sumus.

18. Utque totum ante Ambrosium exhauriamus, quàm ad aliorum descendamus fontes, longè elegantissimum ejus testimonium derivemus ex commentariis ejus in Psalmos. Ibi enim demonstrat ipsam Christi carnem, totumque in carne adventum, cui umbræ omnes Mosaicæ Propheticæque famulabantur, non aliud quàm umbram fuisse, ad hoc indultam ut ad veritatem concupiscendam, et ad veriorem ejus in plenitudine æternitatis, non jam in plenitudine temporis, adventum ambiendum accelerandumque nos inflammaret. « Veni, « Domine Jesu, sed jam non in umbrâ sed in « sole justitiæ. Si umbra profuit, si passionis « tuæ umbra protexit, si corporis umbra sal- « vavit, quantùm conferre poterit charitas « aperta virtutis. Per umbram lepra curata est, « per umbram quoque illius feminæ quæ fim- « briam vestis dominicæ attigit, sanguis stetit; « per umbram te vidimus, quando non habebas « speciem, neque decorem. Umbra tua caro « fuit, quæ nostrarum æstus refrigeravit cupi- « ditatum, etc. Et quid dicam de umbrâ Do- « mini, quando et Apostolorum umbra sanabat? « Veniente etenim Petro *unusquisque offerebat « ægros suos, quos transeuntis Apostoli umbra « reddidit sanitati.* Audi quia caro Domini um « bra erat. *Ecce Dominus sedet super nubem le- « vem et veniet in Ægyptum.* David dicit : *Sub « umbrâ alarum tuarum protege nos.* Factus est « igitur exinanitus umbra nobis, quos sol ini- « quitatis exusserat. Vidimus ergo eum in um- « brâ ejus, cùm adhuc fides prima procederet. « Sed nunc jam totum illuminat mundum, et « tamen adhuc eum per sui corporis, quæ « est Ecclesia, umbram videmus, nondùm *facie « ad faciem.* Neque enim oculi corporis divini- « tatis possunt recipere fulgorem. » En quàm affectatè totam illam Christi in verâ carne dispensationem, totam ejusdem in corpore suo quod est Ecclesia, per orbem universum explicantem se in dies magis magisque manifestationem, pertendit umbram esse, umbram justitiæ, nondùm solem, umbram divinitatis, nondùm fulgorem, umbram libertatis. Quo ergo veteris Testamenti homines superamus, nisi carne Christi et Ecclesiæ amplitudine? Et tamen hæ umbræ sunt. Ergo ne percellamur stupore, si tamdiù umbræ orbem in omnem se protenderint, cùm ne nunc quidem nisi in umbris tametsi paulò lucidioribus versemur, dicamusque cum Ambrosio : « Veni, « Domine Jesu, sed jam non in umbrâ, sed in « sole justitiæ. »

19. Libet Bernardum Ambrosii lambentem vestigia et singula penè verba legentem spectare : « Talem se obtulit Apostolis Apostolo- « rum Dominus, ut jam non *invisibilia Dei per « ea quæ facta sunt intellecta* conspicerent, sed « ipse *facie ad faciem* videretur, qui omnia fe- « cit. » Ecce quantâ se ostendit magnificentiâ. Expectares haud dubio ipsam veritatem, non imaginem spectatum iri. Ausculta parùmper : « Et quia discipuli carnales erant et Deus Spi- « ritus est, nec benè convenit spiritui et carni, « umbrâ corporis sui temperavit se eis, ut ob- « jectu vivificæ carnis viderent Verbum in car- « ne, solem in nube, lumen in testâ, cereum « in laternâ. Spiritus enim oris nostri Christus « Dominus, cui diximus : *In umbrâ tuâ vivemus*

« *inter gentes. In umbrâ,* inquit, tuâ, *inter gentes,* non inter Angelos, ubi purissimum lumen « purissimis oculis intuebimur. Unde et virtus « Altissimi obumbravit Virgini, ne nimio splendore præstricta, divinitatis fulgur etiam singularis aquila tolerare non possit. » In umbrâ ergo Christi vivimus, non in sole, et inter gentes, non inter Angelos : et anterioris umbrarum densitatis solatium caro Christi, umbra tamen et ipsa est; priorum nubium enubilatio humanitas Christi, nubes et ipsa est. Nostra enim puritas priorum inquinamentorum purgatio, impura adhuc et sordida est; nostra charitas prioris timoris progressio, veræ charitatis umbra est, et plurimo adhuc timore scatet, quia nondùm perfecta est; nostra justitia veræ justitiæ conatus est; nostra mundities, adhuc multis sordibus squalet; nostræ cupiditates adhuc bulliunt et exhalant nebulas fuscantes intercludentesque nobis serenitatem veritatis. Avebat, avetque; ardebat jam olim ab initio ardetque etiamnum sol justitiæ Christus exerere se nobis, et purus puris allucere, sed nostris nos illum umbris nebulisque opacamus. Sed in quo potissimùm sita esset illa umbra statim aperit Bernardus : « Ad hoc autem carnem proposuit, « ut omnem cogitatum eorum ab humanis re« bus ad carnem suam, quâ et mirabilia dice« bat, et mirabilia faciebat, adunaret; et sic de « carne transferret ad Spiritum, quia *Spiritus « est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et « veritate oportet adorare.* » Et alibi : « Minimè « tamen vel nubes ipsa levis esse potuit otiosa: « sed eâ quoque usus est in salutem : et discipulorum animos qui nec ad fidei intellectum « sine aliquâ mutatione affectûs poterant pro« moveri, nec assurgere adhuc ad spiritalia « prævalebant, in suæ carnis provocavit affe« ctum, ut amore quodam humano, operanti « mira, mira loquenti homini adhærerent, amo« re utique carnali adhuc, sed tam valido, ut « cæteris omnibus prævaleret, etc. Cæterùm « non ut remaneret in carne, sed ut transfer« retur in Spiritum, totus ab eo in illam car« nem discipulorum fuerat collectus affectus, « ut dicere esset aliquando : *Et si cognovimus « Christum secundùm carnem, sed nunc jam non « novimus*, etc. » Carni Christi adglutinatus amor, est quodammodò humanus adhuc, et carnalis, nondùm spiritalis omninò, necdùm Deo spirituî, necdùm Verbo sapientiæ et justitiæ adhærescens. Est ergo umbraticus amor, umbræ Christi affixus, sed necessarius ad homines carnales excutiendos à carne, et in spiritalem penitùs charitatem trajiciendos. Dùm tranamus autem hujus mortalitatis pelagus, carne Christi trajicimur, carne, id est, umbrâ vectamur, meræ Deitatis veritati per beata, sed rara breviaque momenta, insilimus, illicò resilimus : ergo in umbrâ vivimus, et umbræ vehiculo ad Solem veritatis et charitatis sinceræ trajicimur.

20. Humanum ergo genus ab orbis conditu, vel à suo statim lapsu ad meridiem charitatis et veritatis intelligibilis suspirare ipsum, et à Deo destinari dirigique cœpit : sed quas Soli huic objecerat nebulas densissimas, oculoque nostro obduxerat nostra ægritudo, paulatim eæ enubilandæ fuerunt, et enubilatæ sunt, et enubilantur adhuc in dies; cùmque fugerint omnia nubila, tunc patria lucis se aperiet. Idem Bernardus : « Meritò proinde canit « Ecclesia, non illa quidem Ecclesia sanctorum « quæ in excelsis et in splendore est, sed quæ « interim peregrinatur in terris : *Sub umbrâ « ejus,* ait, *quem desideraveram sedi, et fructus « ejus dulcis gutturi meo.* Lucem quippe meri« dianam ubi pascit sponsus sibi petierat indi« cari, sed repressa est, et pro plenitudine « luminis, umbram, pro satietate interim gus« tum recepit. Denique non ait : *Sub umbrâ « ejus* quam *desideraveram* : sed, *sub umbrâ ejus « quem desideraveram, sedi.* Neque enim ipsius « expetierat umbram, sed ipsum profectò me« ridiem, lumen plenum de lumine pleno. » Acutè suo more notat, cùm non umbra ejus, sed ipse, id est, meridies flagrantissimæ veritatis desideraretur, non ipsum tamen se, sed suî umbram, vel seipsum carne adumbratum indulsisse, quòd nostra infirmitas plus cuperet, quàm caperet.

21. Denique Bernardo est umbra caro Christi, est umbra fides nostra carni affixa Christi : lux est divinitas, lux est intellectus : « *Sub umbrâ ejus quem desideraveram, sedi.* Um« bra ejus, caro ejus; umbra ejus, fides. Ma« riæ obumbravit proprii filii caro, mihi Do« mini fides. Quanquàm et mihi quoque quo« modò non obumbrat caro, qui in mysterio « manduco eam, etc. Et Propheta : *Spiritus,* « inquit, *ante faciem nostram Christus Dominus, « in umbrâ ejus vivimus inter gentes.* In umbrâ « in gentibus, in luce cum Angelis. In umbrâ « sumus, quamdiù per fidem ambulamus, et « non per speciem. Et ideò justus in umbrâ, « qui *ex fide vivit.* At qui vivit ex intellectu, « beatus est, quia non in umbrâ jam, sed in « lumine. Justus erat David et ex fide vivebat,

« cùm dicebat Deo : *Da mihi intellectum et discam mandata tua, et vivam* : sciens successu-« rum fidei intellectum, intellectui revelandum « lumen vitæ et luminis vitam.» Omnia ergo hujus vitæ sacramenta, cùm fidei solatia, subsidiaque sint, umbratica utique sunt, quia et ipsa fides umbra est. Caro ipsa Christi fidei fulcimentum, umbra est. Non ergo ex umbris evasimus, qui attigimus ad carnem Christi. Nec tantùm umbra est, sed littera est, in quâ versamur adhuc, ex eodem Bernardo : « Habeo « et ego Verbum, sed in carne; et mihi appo-« nitur veritas, sed in sacramento. Angelus ex « adipe frumenti saginatur et nudo saturatur « grano : me oportet interim quodam sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, litteræ paleâ, velamine fidei. Et hæc « talia sunt, quæ gustata afferunt mortem, si « non de primitiis spiritûs quantulumcumque « accipiant condimentum. Prorsùs *mors* mihi « *in ollâ*, nisi ex Prophetæ farinulâ dulcoretur. « Denique absque spiritu et sacramentum ad « judicium sumitur, et *caro non prodest quidquam*, et littera occidit, et fides mortua est.» Ne plus æquo vel antiquis insultemus vel nobis suppalpemus, ne plus æquo vel illis indoleamus, vel adgaudeamus nobis, et nos adhuc « quodam sacramenti cortice, carnis furfure, « litteræ paleâ, velamine fidei oportet esse con-« tentos. » Et hæc quidem condiuntur aliquantulùm de primitiis spiritûs, alioqui « sacramen-« tum ad judicium sumitur, *caro non prodest « quidquam*, littera occidit, et fides mortua « est. » Sed nihilo seciùs, ut idem pergit, « quantâlibet abundantiâ spiritûs pinguescant « ista, non pari omninò jucunditate sumitur « cortex sacramenti et adeps frumenti, fides « et species, memoria et præsentia; æterni-« tas et tempus, vultus et speculum, imago « Dei et forma servi.»

22. Præisse hæc illis videtur Origenes homiliâ II ex interpretatione Hieronymi in Cantica Canticorum : « *In umbrâ ejus concupivi et « sedi*. Quàm pulchrè non ait, in umbrâ illius concupisco, sed : *In umbrâ ejus concupivi* : « et non, sedeo, sed, *sedi*. Si quidem in prin-« cipio non possumus cum eo proprium con-« ferre sermonem; verùm in principio, ut ita « dicam, quâdam majestatis illius umbrâ per-« fruimur. Unde et in Prophetis legitur : *Spi-« ritus faciei nostræ Christus Dominus*, cui dixi-« mus : *In umbrâ mortis ejus vivemus in gentibus*. Et ab umbrâ ad umbram aliam, trans-« migramus. *Sedentibus enim in regione umbræ « mortis lux orta est eis*. Et transeamus ab um-« brâ mortis ad umbram vitæ. Semper istius-« modi sunt profectus, ut in exordio desideret « quispiam, saltem in virtutum umbrâ consis-« tere. Ego puto ideò et nativitatem Jesu ab « umbrâ cœpisse, et non in umbrâ, sed in « veritate finitam. *Spiritus*, inquit, *sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit « tibi*. Nativitas Christi ab umbrâ sumpsit exordium. Non solùm autem in Mariâ ab umbrâ « ejus nativitas cœpit, sed et in te, si dignatus « fuerit, nascitur sermo Dei. Fac igitur ut « possis capere umbram ejus : et cùm umbrâ « fueris dignus effectus, veniat ad te, ut ita « dicam, corpus ejus, ex quo umbra nascitur. « Nam *qui in modico fidelis est, et in majoribus « fidelis erit. In umbrâ ejus concupivi et sedi*. « Vides quia non semper in umbrâ stetit, sed « inde ad meliora transierit, dicens : *Et fructus « ejus dulcis gutturi meo*. » Hæc Hieronymus, sive Origenes. Perspicuum est autem ex his, non tanquàm insolentem et inusitatam, sed tanquàm rerum naturæ consonantissimam spectandam esse hanc humani generis sub Dei moderamine dispensationem, ut ab umbris ad umbras proficiamus, et ita demùm aptemur futuræ post hanc exhaustam mortalitatem beatitudinis lumini. Nam « semper « istiusmodi sunt profectus, ut in exordio semper desideret quispiam saltem in virtutum « umbrâ consistere. » A modicis enim et umbraticis ad veriores et solidas virtutes progredi optatissimum est. Item « in principio non pos-« sumus proprium cum Verbo conferre ser-« monem : sed quâdam majestatis illius umbrâ « perfruimur. » Igitur et mens et voluntas nostra in umbrâ quâdam sapientiæ et justitiæ necessariò et ex ineluctabili ordinis lege tirocinia ponere adiguntur. Porrò tota hæc vita quam hîc exigimus, tirocinium est, infantia est, umbra est. Nam etsi adolescere, et juvenescere, et maturescere quandoque spiritaliter hîc dicamur, reapsè tamen non sunt isti nisi alii aliis superstructi gradus infantiæ, quos nobis ipsi blandientes, gloriosis nominibus honestamus. Quamdiù enim Christi carne et nondùm nudo Verbo fruimur, quid, oro, quàm infantiæ nostræ per carnem lactescit sapientia et Verbum Dei? Ergo umbris virtutum pascimur, sed in dies præclarioribus; et umbris sapientiæ paulatim dilucescentibus, sed umbris tamen, quamdiù mortale metimur hoc curriculum. Virtus autem et sapientia nobis Christus homo est nunc : itaque in carne

ejus lambimus umbrosa quædam virtutum et sapientiæ lineamenta. Ideò ille noctu nascitur, ideò ut in Mariâ nasceretur, illi obumbravit : ut et in nobis nisi per umbras nunc quidem nasci se non posse insinuaret. Erant porrò et in veteri lege, erant in figuris et sacramentis Mosaicis, erant in timore servili et initiali, erant in religione utcumque uni Deo addicta, erant, inquam, primæva quædam lineamenta sapientiæ, erant rudimenta justitiæ, quanquàm umbratilia : et tunc ergo Christus per umbras nascebatur. Erat et illa littera Verbi caro; erat et illa umbra, umbra Christi; erat et ille timor, umbra justitiæ; erat ille pædagogus, umbra veri magistri Verbi incommutabilis. Audiamus rursùs Hieronymum : « Origenis « itaque hæc verba sunt : Difficilis locus est, « et ita nobis disserendus videtur. Qui liber « est, et altiori sensu spiritum et veritatem « sequitur præcedentes, et typos contemnit et « litteram, non idcircò debet minores despi- « cere, et occasionem dare his qui non pos- « sunt sentire sublimiùs, de se penitùs despe- « randi. Licet enim infirmi sint, et caro com- « paratione spiritûs appellentur, caro tamen « Christi sunt. Si enim intelligit mysterium « charitatis infirmioribus servientis, faciat « aliquid propter infirmos, etc. Neque ergo « spiritualis laceret Christi carnes, » etc. Ubi qui litteræ adhuc hærent Christiani, nec pos- sunt altiori sensu spiritum et veritatem sequi, usque adeò carni Christi affigi dicuntur, ut caro ipsa Christi sint. Nam Christus spiritus gestat omnes spirituales, ex iisque tanquàm ex membris quibusdam suis coalescit : Christus caro gestat omnes istos carnales, pios quidem sed adhuc carnis umbras, necdùm spiritus lumina consectantes.

23. Utque his omnibus succinat Augustinus, adverte quid ille de nostris in Ecclesiâ sacra- mentis sanciat : « Non enim signacula illa dam- « nata sunt, sed succedentibus opportunioribus « decesserunt. Nam sicut circumcisionem abs- « tulit primus adventus, sic baptismum aufe- « ret secundus adventus. » Ut illa ergo, ita et ista auferenda sunt adventu Christi sacra- menta, quia et illa et ista umbratica, et ad veritatem prolusoria. Expectabatur sacramenta sacramentis, obscuriora clarioribus, plura pau- cioribus mutaturus, expectatur sacramenta penitùs omnia ablaturus; suspendimur ergo adhuc in adventum ejus longè splendidissimum. Et alibi : « Cùm ergo tradiderit regnum Deo « et Patri, id est, cùm credentes et viventes « ex fide, pro quibus nunc mediator interpel- « lat, perduxerit ad contemplationem, cui per- « cipiendæ suspiramus et gemimus, et trans- « ierit labor et gemitus, jam non interpella- « bit pro nobis, tradito regno, Deo et Patri. « Hoc significans : *Hæc vobiscum locutus sum in* « *similitudinibus; veniet hora quando non jam* « *in similitudinibus loquar vobis, sed manifesta* « *de Patre nuntiabo vobis,* id est : Jam non erunt « similitudines, cùm visio fuerit *facie ad fa-* « *ciem.* » Tota ergo hæc sub Christo, sub gratiâ, quam terimus vita, similitudinibus et parabolis distinetur, umbris opacatur, et dùm summo suo bono, carne Christi pascitur, non- nisi umbrâ Verbi, et obumbratâ sacris velami- nibus carne pascitur. Et rursùm : « Alligamenta « medicinalia sunt contritionis nostræ sacra- « menta interim temporalia, quibus habemus « consolationem : et ista omnia quæ loquimur « vobis, ipsa quæ sonant et transeunt, quid- « quid in Ecclesiâ geritur temporaliter, alli- « gamenta sunt contritionum. Quemadmodùm « enim medicus perfectâ sanitate detrahit liga- « turam, sic in illâ civitate Jerusalem, cùm « æquales Angelis facti fuerimus. » Hinc disce, meliùs nobis quidem prospectum esse, quàm olim sub lege, sic tamen ut perinde ut tunc, sacramentis nostris, non aliter quàm alliga- mentis quibusdam vinciamur. Solatia enim sunt hæc miserorum, non gaudia beatorum. Insi- gnia sunt hæc libertatis nostræ, eademque residuæ vincula servitutis. Libertas enim est fidei eademque servitus. Quia libertas fidei ea est, quæ liberatorem ad singula momenta in- vocet. Ne ergo anxii inquiramus, eccur tem- poriùs non venerit, sed queramur quòd tem- poriùs non veniat, et vinculis nos his omnibus absolvat.

24. Juvabit, ut spero, Paschasio etiam Rad- berto aures animosque advertisse, edisserenti nostram in carne Christi potissimam præro- gativam, et ex eâ modum gloriationi nostræ ponenti, ne plus nimio efferamur. « Sed si « veraciter inspicimus, jure simul figura et « veritas dicitur : ut sit figura vel character « veritatis, quod exteriùs sentitur, veritas verò « quidquid de hoc mysterio interiùs rectè in- « telligitur, aut creditur, etc. Unde Paulus : « *Qui cùm sit splendor gloriæ*, etc. Cùm dicit : « *Qui cùm sit splendor gloriæ*, divinitatis con- « substantialitatem prædicat. Cùm verò : *Fi-* « *gura* vel character *substantiæ ejus*, humani- « tatis designat naturam, *ubi corporaliter ple-* « *nitudo inhabitat divinitatis*, etc. Quia sicut

« per characteres vel figuras litterarum, infan-
« tia nostra priùs gradatim pertingit ad lec-
« tionem, deinde ad spirituales Scripturarum
« sensus et intelligentiam, sic ex humanitate
« Christi ad divinitatem Patris pervenitur, et
« ideò jure figura vel character substantiæ
« illius vocatur. » Caro igitur Christi figura est divinitatis, et veluti elementum quo infantia nostra lactatur, ut crescat ad intellectum et contuitum æternorum. Ergo adhuc infantiam agimus, adhuc figuris et umbris lactamur, adhuc temporalibus æternorum figuris Christus nobis adminiculatur. Et ne figurâ istâ tam præclarâ et oppidò quàm præclarissimâ, carne Christi ferociamus, aliis rursùs illa figuris, umbrisque spissioribus vallata est, ut ne figurâ quidem divinitatis, et umbrâ, nisi umbrosioribus figuris et sacramentis septâ potiamur. « Quid enim aliud sunt figuræ litterarum,
« quàm characteres earumdem, ut per eas vis
« ac potestas, ac Spiritûs prolatio oculis de-
« monstretur? Sic itaque formatur Verbum
« caro, ut per carnem nostra infantia ad divi-
« nitatis intelligentiam nutriatur, etc. Quia
« nostram infantiam per se ad spiritalia inte-
« riùs intelligenda provehit, et sensibus nostris,
« ut ea quæ in illo sunt capiamus, visibilem se
« ostendit. Sed quia illum secundùm carnem
« cœlos oportuit penetrare, ut per fidem illùc
« in illo renati, confidentiùs sequi appeterent,
« reliquit nobis hoc sacramentum visibile,
« figuram et characterem carnis et sanguinis,
« ut per hæc mens nostra ad invisibilia et
« spiritalia capessenda, per fidem uberiùs nu-
« triatur. » Ne autem suspicio subeat cujusquam animum, arrodi à nobis nova sacramenta, aut veteribus usquequaque cœquari, ex Algero adscribamus hæc pauca, quæ habet ille adversùs eos qui Eucharistiam meris umbris constare delirabant : « Quid ergo dignius
« contulisset Christus, quàm Moyses, Filius
« Dei in domo propriâ, quàm servus in alienâ?
« Si autem umbram umbrâ mutaret, nec com-
« pleret, quando vel à quo veritas veteribus
« sacramentis figurata et promissa, complenda
« esset, si ille qui veritas est, non veritatem,
« sed umbram, pro umbrâ daret? Dedit ergo
« suæ Ecclesiæ veritas veritatem.. Christus
« corpus suum et sanguinem. » Hoc sapimus, hoc profitemur, veritas Christus venit in verâ carne, verâ carne Ecclesiam suam pascit quotidiè visibilibus velis opertâ : hoc gratiæ singularis munere ditescimus, et eminemus jejunitati Judaicorum sacramentorum, immane quantum. Sed ista carnis veritas in sacramento velanda fuit, sed ipsa carnis veritas extra sacramentum, ipsa sacramentum est, et figura atque umbra divinitatis. Itaque nec nisi velatâ carnis veritate pascimur, et ipsa carnis veritas revelata dùm spectabatur in terris, sordido humilitatis schemate velabatur, et denique quocumque modo spectemus carnis veritatem revelatam, nonnisi velum et figura divinitatis illa est. Et eò hæc vergunt, ut hinc altiùs infigas animo, quàm non possit ægra mens hominis vel in ipso curationis suæ progressu, vel in ipso valetudinis reviviscentis incremento, sapientiam et justitiam veram, nisi sub sacramentorum visibilium, sub corporalium involucro, sub timoris elemento, sub litteræ rudimentis comprehendere.

CAPUT X.

Caro ipsa Christi, quæ novi Testamenti summa hìc interim beatitas est, vel asportanda hinc fuit, vel hìc velanda, ut non carnaliter, sed spiritaliter, et qualiter etiam à patriarchis et prophetis diligi poterat, diligeretur.

Emergit illa hìc nobis quæstio, ex cujus indagine affluat utilitas eximia, nec mediocris jucunditas. Ecquid causæ sit, quamobrem cùm non aliter se nostræ ægritudini Deus Verbum inflectere atque attemperare potuerit, quàm carnem humanam induendo, atque ita se oculis cordibusque nostris obvium et comprehensibilem ingerendo, hanc tamen statim carnem oportuerit rursùm subduci nobis, surripique, vel ipso mortalitatis atque stupendæ humilitatis schemate, quamdiù homo inter homines congressus est; vel sacramentalium velorum nube, cùm migraturus hinc esset, nec abesse tamen vel carne vellet; vel denique reditu in cœlos ad paternam dexteram. Quid enim aliud quàm triplex hæc fuga, triplexque furtum est deificæ illius carnis, nobis ostensæ magis quàm concessæ? An tamdiù promitti debuit, quod tam brevi donaretur fruendum? An boni tam furtim et tam parcè potiundi tam diutinâ expectatione cruciandi fatigandique fuimus? Tam brevis usura caro stetit, quæ tanto desiderandi et tam diuturno æstu redempta est. Sed si necessarium illud erat temperamentum, quo nobis se lux æterna admoderaretur videndam, ecquid illo confestim frustrati sumus? Ecquid tam brevem ejus usuram assecuti sumus, ut repentinam æternamque doleremus jacturam? Si illud erat collyrium nostræ curandæ lippitudini asper-

gendum, ecquid eo fraudamur? Ecquid antiqui illi suspirabant futuræ, nos recordamur præteritæ, pauci præsentem viderunt carnem, iidemque ferè contumaces et intractabiles? Quid istud medicinæ est, quod procul esse et longè seponi satius sit, quod tum magis medetur, cùm fugit? cujus absentia præsentiam utilitate superat? cujus vel desiderium vel recordatio absentis, pluribus prodest, quàm conspectus præsentis? quod invocandum sit, si abest; subtrahendum, cùm adest?

2. Hæc igitur quæstio est hìc ventilanda, ut ex ejus elucidatione clarescat, quàm caro Christi tantumdem ferè posset suî spe olim, quàm postea suî fructu, et nunc suî recordatione nostris mederi infirmitatibus. Et quia res ista non acumine ingenii, non rationum solertiâ, sed Scripturæ sacræ, sed sanctorum Patrum sententiis et pietatis magis quàm curiositatis viribus disceptanda est, nostro more, Patrum Scripturas enucleantium suffragia corrademus, et in eâ si quid exculpi in rem nostram possit, inquiremus.

3. Primam in aciem prodibit Augustinus, eximius præ cæteris nodi hujus expugnator : « *Sede à dextris meis donec ponam*, etc. Sede « non solùm in alto, sed et in occulto : excelle ut domineris, latens ut credaris. Quæ « enim esset merces fidei, nisi lateret quod « credimus? Merces autem fidei est, videre « quod credidimus antequàm viderimus. Sicut « autem Scriptura personat : *Justus ex fide « vivit.* » Prima hæc est objecti dubii enodatio. Verbi caro, non oculis, non manibus, sed fide fuit contrectanda : nec enim curiositati, sed pietati quæsita fomenta sunt : nec carni nostræ solatia, sed menti per incarnationem sunt parta. Mens nostra peccati lue ita contabuerat, ut non jam nisi corporalia et imaginari et amplecti posset : ergo Verbum incarnatum complectatur mens, non manus, non oculus. Sese in se recipiat mens, et credat quod non videt, imò quod ipsa videt; sed non videt corpore foris, quod intùs videt. Ita enim jam à sensu avocatur, jam à sensibilibus expediri incipit et sanari per carnis non carnalem intuitum.

4. Et ibidem illicò : « Mirabile ergo mysterium Christi sedentis in dexterâ Dei. Occultatum est ut crederetur : subtractum est, « ut speraretur. *Spe enim salvi facti sumus.* Spes « autem quæ videtur, non est spes. Quod enim « videt quis, quid sperat? Si autem quod non « videmus, speramus, per patientiam expectamus. » Consanguinea fidei spes, absentiâ rei et ipsa quoque sustentatur, et de bono patientiæ saginatur, quo illam præsentia extruderet. Caro ergo Christi non extrudendæ, sed firmandæ spei nostræ perinde ut fidei comparata, etiam cùm adfuit, abesse debuit, ut crederetur, ut expectaretur salubriùs, quàm cerneretur, aut palparetur. Quid ergo tam impotenter conclamatur prior ætas ex absentiâ carnis Christi, quæ vel cùm adest, abesse cogitur, ut credatur et speretur? Credere illi et expectare poterant futuram ut nos absentem et penè præteritam, quia futura, non aliud quàm absens est.

Et ibidem postea : « Cæterùm forma servi « cum hìc esset, visa est ab impiis. Viderunt « eam et qui crediderunt : viderunt eam et « qui occiderunt. Ne aliquid magnum putes « videri formam illam, viderunt amici, viderunt et inimici. Et quidam videntes interfecerunt, quidam non videntes crediderunt. « Hanc ergo formam servi, quam hìc jam in « humilitate viderunt et pii et impii, videbunt « et in judicio pii et impii, etc. Ipsa forma « servi in judicio conspicua erit et justis et « injustis, et piis et impiis, et fidelibus et infidelibus. » Vides quàm sedulò urgeat, et quantis rationibus pugnet, « ne aliquid magnum putes videri formam illam servi. » Non ergo magnum aliquod damnum experti sunt, qui ante perfuncti sunt hujus vitæ stadio. Illam enim formam viderunt et impii, viderunt et qui crucifixerunt : illam rursùs in judicio videbunt impii, videbunt et qui peremerunt. Illam formam qui viderint et crediderint, paucissimi sunt : qui non viderint et tamen crediderint, longè plurimi et tum retrò, tum postea innumerabiles. Cavesis ergone plus æquo doleas, vel te vel alios hoc non vidisse, quod videre impii potuêre et poterunt; quod qui vidêre, plures persecuti sunt; quod qui non viderunt, plures amplexati sunt.

5. Et ibidem paulò ante : « Id igitur in formâ servi et præsentem tunc viderunt servi, « et absentem nunc credunt servi. Hoc credimus de formâ Dei, servi, quod possumus « capere dùm adhuc sumus servi. Hoc est enim « illud lac parvulorum, quod temperavit, panem « trajiciens per carnem. Nam panis ille angelorum *in principio erat Verbum.* Ut tamen « panem angelorum manducaret homo, Creator « angelorum factus est homo. Ita nobis Verbum « incarnatum factum est receptibile, quòd « recipere non valeremus, si Filius æqualis Deo

« non se exinaniret *formam servi accipiens*. Ut « ergo utcumque capere possemus eum, qui « non posset capi à mortalibus, mortalis factus « est ad mortales, ut peractâ suâ morte face- « ret immortales, et aliquid daret inspicien- « dum, aliquid credendum, aliquid post vi- « dendum. Suspiciendam dedit formam servi « præsentibus, non solùm oculis videndam, « sed etiam manibus contrectandam. Cum « eâdem formâ ascendit in cœlum. Credere « nobis jussit, quod illis videre concessit. » Per carnem admensa se nobis est et tanquàm parvulis latescere voluit Deitas veritatis : et tamen illa servi forma inspicienda obiter exhi- bita est, et statim in cœlos sese proripuit, ut jam non videretur, sed crederetur. Nimi- rùm semel vidisse est satis, quod semper deinceps recorderis. Itaque humanum genus illam formam servi, cui tamdiù venturæ sus- piraverat, oblatam vidit cursim, raptimque, exinde fide, recordatione veneratur. Non sin- gularis enim, sed universalis spectanda hic est divinæ dispensationis providentia, quâ humanum genus sic ut unum hominem regit. Itaque diutinæ expectationi exhibitum semel est videndum, quòd diutinæ etiam recordatio- nis sinu deinceps per fidem servaretur. Quan- do enim foris visibilis assumebatur caro, videnda et foris erat, et contrectabilis contre- ctanda, et corporea omnibus corporis sensibus lambenda ac dissuavianda erat, ut infirmitati nostræ omnimodis fieret satis, ut sensibus illaberetur sua felicitas Deus caro, affricaretur sua sanctitas, ut recordationi sua esca suffice- retur, conspecta vel semel Dei caro. Sed ad universum genus humanum illa Verbi corpo- ratio pertinebat, nam singulis aliàs et aliter privatim corporatur, nascitur, adolescit, ut infra dicemus. Ergo in Apostolis cæterisque tum fidelibus, nos præsentem Christi carnem vidimus, nos eorum oculis conspeximus, nos eorum manibus palpavimus : illi in nobis ab- sentem credunt, visam recordantur. Quin ergo et retrò commeet ista corporis unius societas et amicitia? Quin et Patriarchæ, Pro- phetæ cæterique olim fideles, in posterorum suorum corporibus corporato Deo perfruiti sunt? Quin et Apostoli nosque omnes in anti- quis nostris parentibus expectaverimus? Ita nemo frustratus est Christi carne, quam videt, quisquis credit et credendo videntibus incor- poratur; quam palpat, quisquis sperat, et sperando palpantibus sociatur; quam tenet quisquis recordatur, et recordando iis qui viderunt adhærescit. Ita in omnia temporum volumina supereminet præsensque imminet Christi caro, dùm quam cernunt oculi, quam tractant manus, totum corpus videt et palpat per omnes temporum lapsus dispersum et co- hærescens.

6. Idem rursùs alibi Augustinus : « *Sedet « ad dexteram Patris*, venturus est judex : au- « diant et teneant. Respondes : Quem tenebo, « absentem? Quomodò in cœlum manum mit- « tam, ut ibi sedentem teneam? fidem mitte, « et tenuisti. Parentes tui tenuerunt carne; « tu tene corde, quoniam Christus absens, « etiam præsens est. Nisi præsens esset, à no- « bis ipsis teneri non posset. Sed quoniam « verum est quod ait : *Ecce ego vobiscum sum « usque ad consummationem seculi*, et abiit, « hìc est; et rediit, et nos non deseruit : cor- « pus enim suum intulit cœlo, majestatem « non abstulit mundo. » Sensui corporis se semel objecit, illicò evasit, ut ne sensu corpo- ris teneatur, ut quo potest modo, corde et fide teneatur. Nam ut mederetur animæ in sensus suos projectæ, nec nihil indulgere, nec plus æquo indulgere debuit. Si nihil in- dulgeret, nec corporale quidquam objiceret, non eam proliceret. Si nimis indulgeret, et sensus corporis oblectaret diutiùs, non eam expediret à sensibus, nec sanaret. Ergo in- dulgeat, se tantispei videndum, ut sensibus mancipatos deliciat; mox subtrahat se cre- dendum, ut à sensibus abducat ad cor. Abiit et hìc est; rediit nec nos deseruit, abiit ab oculis, non excessit ab animo etiam carnis majestas. Nam cum famelicâ cogitatione allambimus mysteria Verbi incarnati, ipsa carnis absentis præsens majestas tenetur.

7. Idem alibi : « *Exultavit ut gigas ad cur- « rendam viam*. Non enim tardavit, sed cu- « currit, clamans dictis, factis, morte, vitâ, « descensu, ascensu, clamans ut redeamus ad « eum. *Et discessit ab oculis*, ut redeamus ad « cor, et inveniamus eum. Abscessit enim, et « ecce hìc est. Noluit nobiscum diù esse et « non reliquit nos. » Tam brevem et mortalis vitæ usuram ipse cepit, et sui copiam morta- libus fecit Christus, « non tardavit, sed cucur- « rit, noluit nobiscum diù esse, » ne morbum indulgentia foveret, non levaret, ne hos car- nis oculos pluris faceremus, et sensibilibus altiùs immergeremur, si se sensibiliter potien- dum diutiùs propinaret. Ergo brevi vitæ mor- talis curriculo, velut ad momentum ostendit se humano generi à mundi exordio ad ejusdem

exitum. Ætates suas explicavit, et inde ab oculis abscessit ut rediremus ad cor. Vidit ergo humanum genus et totum vidit corporalibus oculis illam carnem, quam priùs expectatione, quam nunc recordatione colit ac veneratur.

8. Sed luculentissimè idem Augustinus alibi ex ipsis Christi verbis altiùs scrutatur et interpretatur arcanas hujus dispensationis rationes. « *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia « vobiscum eram,* et ego vos consolabor, meâ « corporali præsentiâ exhibitâ humanis sensi- « bus vestris, quam parvuli capere poteratis. « *Nunc autem vado ad eum qui misit me,* etc. *Sed « quia locutus sum vobis, tristitia implevit cor « vestrum,* etc. Id quod exteriùs in Christo « videbant, amittere metuebant, et quia se « amissuros illum vera denuntiantem dubitare « non poterant, contristabatur humanus affe- « ctus, quia carnalis desolabatur aspectus. « Noverat autem ille quid eis potiùs expedi- « ret, quia visus interior ipse est utique me- « lior, quo eos consolaturus Spiritus sanctus, « non cernentium corporibus ingesturus cor- « pus humanum, sed seipsum credentium « pectoribus infusurus. *Ego veritatem dico « vobis, expedit vobis ut ego vadam; si enim « non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si « autem abiero, mittam eum ad vos.* Tanquàm « diceret : Expedit vobis ut hæc forma servi « auferatur à vobis. Caro quidem factum Ver- « bum habito in vobis, sed nolo me carnaliter « adhuc diligatis, et isto lacte contenti, sem- « per infantes esse cupiatis. *Expedit vobis ut « ego vadam : si enim non abiero, Paracletus « non veniet ad vos.* Si alimenta tenera quibus « vos alui non subtraxero, solidum cibum non « esurietis : si carni carnaliter hæseritis, ca- « paces spiritûs non eritis. » Vides ergo quo numero habenda sit carnis Christi carnalis præsentia, rudi infantiæ lactandæ idonea et utilis ad brevissimum tempus est, noxam allatura nisi contrahatur et subtrahatur. Præsens enim carnaliter diligitur, quæ ut carnalem profliget amorem, de Spiritu sancto concepta et à Verbo suscepta est. Ergo rudimento hoc infantiæ carent, qui eâ carent præsentiâ, sed ad spiritalem charitatem rudimenta adsunt et alia quamplurima. Nam timor sub lege, littera legis et id genus alia; erant utique rudimenta et quasi puerilia quædam blandimenta, quibus hominum infantia ad spiritalem Christi amorem inescaretur. Si carnalem hunc Christi carnis amorem eâdem velis censurâ insectari ac lancinare, ac legalem timorem, seu metum gehennæ, vereor ne etiam aliquas ejus labeculas denudes. Nam ab amore casto justitiæ nonnihil semotus est, amore adhuc sui plurimo sordescit, et tamen spiritalis utcumque est, etsi carnalis dicitur, bonus est, ad spiritalem charitatem præsultor quidam necessarius est. Erat ergo et antiquis in legis litterâ, in timore, in temporali mercede à Deo pendulâ, erat caro quædam Christi, cortex Verbi, amor carnalis ad spiritalem prælusor et dux, puerile denique tirocinium, quo carnem Verbum spiritaliter diligere insuescerent. Nam et nunc nobis ad eamdem spiritalem Christi carnis charitatem introducendis, non desunt consentanea ut Apostolis quædam subsidia puerilia- que blandimenta, seu timoris, seu amoris carnalis, seu illecebrarum latentium patentiumve, quæ et ipsa instar habent carnis Christi, quatenùs per hæc corporascit nobis et latescit Verbi sapientia.

Et ibidem : « Quid est ergo, *si non abiero, « Paracletus non veniet ad vos,* nisi : Non po- « testis capere spiritum quamdiù secundùm « carnem persistitis nôsse Christum? Unde « ille qui jam ceperat Spiritum, etsi *noveramus,* « inquit, *secundùm carnem Christum, sed nunc « jam non novimus.* Etiam quippe ipsam carnem « Christi non secundùm carnem novit, qui « Verbum carnem factum spiritaliter novit. » Non eò fugit oculos caro Christi, ut nesciatur, aut oblivione deleatur, sed ut ne secundùm carnem cogitetur à nobis. Est enim Verbi caro, nec tam perpendendum quòd caro sit, quàm quod Verbi caro sit, ideòque ipsa etiam caro non secundùm carnem, sed secundùm Spiritum et secundùm Verbum cogitanda et magnifacienda est. At quamdiù carnales adhuc sumus, carnem Christi sensibus nostris repræsentatam non possemus nisi carnaliter cogitare atque ambire, quia projectior adhuc est in sensus suos corporeos mens nostra. At ubi spiritales evaserimus, cœlorumque incolæ, tunc non poterimus illam nisi spiritaliter ut Verbi carnem intelligere et diligere, ideòque tunc nobis repræsentabitur. Ergo nunc quidem abesse illam, aut oculos sensusque in sacramento præsentem fallere, conducibile est, ut occultiores oculos suos sensusque interiores excolat anima, quibus carnem Verbi ut Verbi invisibilem videat, incomprehensibilem comprehendat.

9. Multos reges et Prophetas concupisse videre, quod videbant Apostoli, indubitatum

est ipsius oraculum veritatis. An ergo eo subruuntur ante dicta omnia? Haud equidem reor. Nam idem ipse Christus alibi ait, beatos esse præ illo, qui quod viderat, crediderat, eos qui non vidissent et credidissent. Unde Augustinus : « Et quoniam ista vox infidelium « esse consuevit : Quomòdò credimus, quod « non vidimus? Ideò credentium justitiam sic « oportuit definiri : *Quia vado ad Patrem*, et « *jam non videbitis me; beati enim qui non vi-* « *dent et credunt.* Nam et qui viderunt Chri- « stum, non in eis laudata est fides eorum, « quia credebant quod videbant, id est, Fi- « lium hominis, sed quia credebant, quod non « videbant, id est, Filium Dei. Cùm verò et « ipsa forma servi subtracta esset eorum « aspectibus, tùm verò ex omni parte imple- « tum est : *Justus ex fide vivit.* » Non ista igitur conflictantur, nisi in fronte, et in verborum quodam cortice. Nam reges et Prophetæ videre carnem illam concupiverant, non ut certiùs crederent, sed eâ quam invictè crederent, ut propiùs fruerentur : à quibus longè ii deficiebant, qui ut crederent, vix ista carnis præsenti admirabilitate expugnabantur. Beatum est enim illam carnem credere, et antequàm videris ; beatius est videre, postquàm crediderìs. Beatum est illam carnem primò secundùm carnem sapere, et ita lactari, ut posthac et secundùm spiritum illam sapias : beatius autem est illam carnem nonnisi spiritaliter etiam absentem sapere, ac deinde ejus etiam præsentiâ nonnisi spiritaliter potiundâ beari. Ergo si cardinem ipsum desiderii quo flagrabant reges et Prophetæ, altiùs inspicias, non carnalem illi carnis deificæ intuitum, nec animalem fructum concupiscebant, sed spiritalem, et eum ipsum quo non omninò carebant, sed explicatiorem prolixioremque, qualem ex ipsâ ejus præsentiâ demetere se posse sperabant. Igitur eâ fortassè de causâ, eoque compendio, concupiscentibus videre regibus et Prophetis, caro Christi dilata est, atque Apostolis videntibus est ablata, quia absens concupiscitur spiritaliter, præsens carnaliter diligi periclitatur. Nam et in nobis quòd beatitatem aliquando extollamus eorum, qui Christum in terris viderunt palpàruntque, carnem redolet hic affectus, et tamen spiritalior est et à sensu corporis defæcatior, quàm si videremus ipsi et tractaremus. Ex spiritali enim existimatione et dilectione, quâ fervemus in Christum, hic pullulascit affectus. Atque ut uno verbo rem ut est dicam, quàm profuit auferri Apostolis carnem Christi, tam fortassis profuit differri antiquis : et beatius ipsis erat absentem spiritaliter expetere, quàm præsentem carnaliter tenere : itaque altiùs consulens Deus, non faciebat, quod petebant, ut perficeret quod volebant, et cardinem desiderii ipsâ desiderii dilatione implebat. Rursùs idem Augustinus : « Non autem esset meritum « grande credentium, et beatitudo gloriosa, « si semper Dominus in resuscitato corpore « humanis oculis appareret. Spiritus ergo « sanctus hoc magnum munus attulit creditu- « ris, ut eum quem carnalibus oculis non « viderent, à carnalibus cupiditatibus mente « sobriâ, et spiritalibus desideriis ebriâ suspi- « rarent. Unde Dominus ait, etc. : *Quia vidi-* « *sti, credidisti, beati qui non vident et cre-* « *dunt*, etc. Unde figuram Ecclesiæ gestanti « mulieri, cùm ei post resurrectionem ad pe- « des crederet : *Noli me tangere*, inquit ; « *nondùm enim ascendi ad Patrem.* Quod my- « sticè dictum intelligitur : Noli me per corpo- « reum contactum carnaliter credere : spiri- « taliter autem credis, id est, fide spiritali « me tangis, cùm ascendero ad Patrem, quia « *beati qui non vident et credunt.* »

10. Si nobis minùs obest, quia non videtur Christus, dummodò audiatur, minùs antiquis oberat non videntibus, sed audientibus Christum ; nec audientibus tantùm, sed exhibentibus, loquentibus, nec manu tantùm, aut linguâ calamove loquentibus, sed toto corpore, et ipso vitæ genere ac decursu eloquentibus. Augustinus : « Dominus noster Jesus « Christus, quod discipulis suis loquebatur, « illo tempore scribebatur, et nobis audien- « dum parabatur. Audivimus ergo verba ejus. « Quid enim nobis prodesset si videretur et « non audiretur? Nec modò aliquid obest, « quia non videtur et tamen auditur. » Nihil igitur antiquis oberat, quòd non videretur, cùm audiretur caro Christi, cùm scriberetur audienda. Quin audiri quàm videri, eò compendiosiùs, quò spiritaliùs ; eò autem spiritaliùs, quò fidei propiùs ; nam fides ex auditu, non ex visu. Visu videretur caro Christus, auditu auditur veritas Christus, nec sine carne tamen, cùm audiri et à carnalibus utcumque percipi non possit veritas, nisi corporascens. Idem Augustinus : « Nos itaque « sic audiamus Evangelium, quasi præsentem « Dominum. Nec dicamus : O illi felices qui « eum videre potuerunt, quia multi in eis qui

« viderunt, et occiderunt. Multi autem in no-
« bis qui non viderunt, et crediderunt. Quod
« enim pretiosum sonabat de ore Domini, et
« propter nos scriptum est, et nobis serva-
« tum est, et propter nos recitatur, et pro-
« pter posteros recitabitur, et donec seculum
« finiatur. Sursùm est Dominus, sed etiam
« hîc est veritas Dominus. Corpus enim Do-
« mini, in quo resurrexit, uno loco esse po-
« test : *Veritas ejus ubique diffusa est.* » Ubique diffusa est veritas ejus, non tantùm ut intelligatur, sed ut audiatur, ut aures corporis personet, nempe veritas corporata Christus ex Evangelio personans. Eadem antiquis veritas caro, seu veritas incarnata non videnda, sed, quod tutius optatiusque est, audienda, credenda, intelligenda, diligenda offerebatur.

11. Superioribus Augustini sententiis pronus assentitur Gregorius Magnus : « *In lectulo*
« *meo per noctes quæsivi, quem diligit anima*
« *mea. In lectulo* quippe et per noctem dile-
« ctus quæritur, quia nimirùm invisibilis
« conditoris species, repressâ omni corporeæ
« visionis imagine, in cubili cordis invenitur.
« Unde et eisdem suis dilectoribus veritas di-
« cit : *Regnum Dei intra vos est.* » Et rursùm :
« *Si ego non abiero, Paracletus non veniet.* Ac si
« apertè diceret : Si ab intentionis vestræ
« oculis corpus non subtraho, ad intellectum
« vos invisibilem per consolatorem Spiritum
« non perduco. » Sed illud in primis egregium quod idem alibi observat, quamdiù mysteria sua Christus in carne mortali, vel etiam immortali in terris degens adhuc explicabat, paucissimos ei accessisse : ubi carne hinc receptâ, per orbem deitas ejus cœpit prædicari, tum gentes turmatim ad ejus Ecclesiam confluxisse.
« Incarnato enim, passo et resurgente Domi-
« no, pauca pennata animalia fuerunt, quia
« rari valdè extitèrunt qui cœlestia desidera-
« rent, et virtutum pennis se in alta suspende-
« rent. Sed postquàm divinitatis ejus prædica-
« tio in mundo diffusa est, quanti jam parvuli,
« quanti graviores, quanti fortes juvenes, quanti
« imbecilles, quantæ conversæ peccatrices,
« quantæ annosæ virgines, per fidem, per
« spem, per amorem, ad cœlestia evolant, quis
« dicere, quis æstimare sufficiat ? » Cujus divini consilii recessum quis perlustrare possit, quis speret ? Carne Christi ejusque hic mortalitate seminabatur omnis illa spiritualium virorum copia, parturiebatur, procreabatur, et tamen tum rarissimi fuêre, postea longè plures, denique innumerabiles. Serebat qui falli non poterat, et magna tum sterilitas ; pariebat, qui sterilescere non poterat, et tamen rarissima tum soboles. Nempe innuebatur illi carni salutem deberi totam, nec illi tamen adhærescendum esse plus nimiò ; præsentiam illius profuisse, sed ampliùs absentiam : fœcunditatem ejus incredibilem esse, sed nulli loco, nulli tempori alligatam ; unde tam in præterita et futura tempora, quàm in præsenti, et alibi ubique locorum plures inenarrabiliter, quàm ibi parturiebat. Itaque carnis ejus in terris præsentia absentiam et præteritam et futuram absolvebat, excusàbat, compensabat, optabiliorem et fœcundiorem esse faciebat. Nam quòd ejus nunc absentia saluberrima est, quòd olim fuit, id quoque ejus præsentiæ debetur. Et istud utique magnificentius digniusque Christo est, dùm in terris adest, non terrenis se legibus astrictum esse demonstrare, nec vim suam in præsentia tantùm, vel loca, vel tempora spargere, sed temporibus locisque dominari, in lapsa retrò secula copiam beneficiorum suorum refundere : in ventura longis lapsibus tempora manum injicere, prolem suam et spiritalium virorum agmina parturire, et in omnes temporum locorumque fines remotissimos proseminare. Quæ cùm ita sint, quid de tempore vel in antecessum, vel postea litem movemus Christo, qui nulli tempori defuit, utpote temporum in carne etiam suâ dominator ?

12. Sed nemo secundùm Augustinum copiosiùs hæc pertractavit Bernardo ; ex quo pauca tamen summatimque stringemus quòd plura jam alibi sparserimus, ad hanc eamdem rem attinentia : « Et nota amorem cordis quodam-
« modò esse carnalem, quòd magis erga car-
« nem Christi, et quæ in carne Christus gessit,
« vel jussit, cor humanum afficiat. Hoc repletus
« amore, facilè ad omnem de hujusmodi ser-
« monem compungitur, etc. Astat oranti ho-
« minis Dei sacra imago, aut nascentis, aut
« lactentis, aut docentis, aut morientis, aut
« resurgentis, aut ascendentis, et quidquid tale
« occurrerit, aut stringat necesse est animum
« in amore virtutum, vel carnis exturbet vitia,
« fuget illecebras, desideria sedet. Ego hanc
« arbitror præcipuam invisibili Deo fuisse cau-
« sam, quòd voluit in carne videri et cum ho-
« minibus homo conversari, ut carnalium vi-
« delicet qui nisi carnaliter amare non pote-
« rant, cunctas primò ad suæ carnis salutarem
« amorem affectiones retraheret, atque ita

« gradatim ad amorem perduceret spiritualem. « Nonne denique in hoc gradu adhuc stabant, « qui aiebant : *Ecce nos reliquimus omnia, et se-* « *cuti sumus te?* Solo profectò corporalis præ- « sentiæ amore reliquerat omnia, adeò ut sa- « lutaris futuræ passionis et mortis ne audire « quidem verbum æquanimiter sustinerent ; « sed nec gloriam ascendentis postmodùm nisi « cum gravi mœrore suscipere, etc. Itaque in « solâ interim gratiâ præsentis suæ carnis, eos « ab amore omnis carnis suspenderat. Monstra- « bat autem postea eis altiorem amoris gradum « cùm diceret : *Spiritus est qui vivificat, caro* « *non prodest quidquam.* » Et infra : « Licet « ergo donum et magnum donum Spiritûs sit « istiusmodi erga carnem Christi devotio, car- « nalem tamen dixerim hunc amorem, illius « utique amoris respectu, quo non tam Ver- « bum caro jam sapit, quàm Verbum sapientia, « Verbum justitia, Verbum veritas, Verbum « sanctitas, pietas, virtus, » etc. Contineo ca- lamum, ne totum exscribam sermonem illum, quo fusissimè et elegantissimè hujus placiti medulla enucleatur. Porrò ex his quæ carpsi- mus, plus satis clarescit, hunc amorem carnis Christi, seu quam præsentem contrectabant Apostoli, seu quam ut præsentem sibi effin- gunt et imaginantur, qui in eâdem spiritalis pueritiæ statione consistunt, longè differre à spirituli amore, quo prosequuntur adultiores Verbum sapientiam, et veritatem, et justitiam. Itaque prior ille amor, carnalis adhuc est, non- dùm est amor sincerus justitiæ, et quod eo amo- re fit, nondùm fit amore mero justitiæ. Et tamen donum est Christi, donum est Spiritûs sancti, eoque etiam utcumque spiritalis dici potest : et virtutibus affigit animum, et à vitiis suspen- dit, sed hæc omnia nondùm perfectè, sed pue- riliter, et quantùm fundamenta ponentibus satis est. Quin ergo et antiquis sub lege con- donamus vel amorem, vel timorem quemdam Dei nondùm spiritalem, sed carnalem, nondùm ipsi justitiæ et sapientiæ, sed involucro cui- dam ejus, vel simulacro, et tanquàm vesti, tanquàm carni Verbi adhærentem, quo virtu- tibus addicerentur, refigerentur à vitiis, de gratiâ et sanguine Christi et de donis Spiritûs sancti manantem, pueritiæ pietatis consenta- neum? Video multa interesse discrimina, et hunc carni Christi deditum amorem, et vel præsenti, vel quasi præsenti aggludinatum, aliquantò esse castiorem ; sed uterque tamen puerilis affectus, uterque incipientium, uterque proficiendi pignus quoddam est, uterque ab amore justitiæ puro diversus, uterque carnalis uterque Dei donum.

13. Sed illud ibidem mihi adverte, quòd eodem loco sunt apud Bernardum tum Apo- stoli præsenti carni Christi inhiantes, tum deinceps fideles omnes, carnis Christi myste- ria et gesta quælibet sibi quasi renovantes cogitando, iisque penitùs se infigendo. Non absurdè tamen bisecaretur hæc statio, nam provectior est, et à carne absolutior qui præ- terita sibi refricat, quàm qui præsentia tena- ciùs retentat carnis deificæ solatia. Nam ab hoc præsentis carnis lacte in totum nos Chri- stus abduxit, sequestratâ aut velatâ suâ carne, ut proficeremus : at illo repræsentandæ sibi in cogitationis aulâ vel nativitatis, vel crucis Christi solatio et fulcimento, non omnes ille avocat, imò paucissimos et fortassis nullos mortales. Ideò enim residet in mortalibus quid- dam semper puerile, et carnis deificæ lacte refovendum : etsi enim devolent quandoque ad puras libandas veritatis et justitiæ incor- ruptibilis auras, rara illa hora est et brevis mora, resorbenturque in hæc ærumnosis pon- deribus, et consuetudinis sarcinâ degravantur ad lactis necessaria fomenta. Prodest autem eis abesse, aut oculos fugere carnem Christi. Nam ea est via, non meta : utendum eâ, non fruendum ; trajiciendum per eam est, non ei acquiescendum. Præsenti autem carni Christi decliviùs illaberemur et inhæresceremus, eâ- que interdùm frui, non uti, supinitas quædam nostra periclitaretur. Rursùs idem Bernardus : « Grande mysterium : *Nisi ego abiero, Paracletus* « *non veniet ad vos.* Itane invisa Paracleto præ- « sentia Christi, aut contubernium Dominicæ « carnis Spiritus sanctus horrebat, quæ ne « concipi quidem, nisi eo superveniente po- « tuerit? Quid est ergo : *Nisi ego abiero, Pa-* « *racletus non veniet?* Nisi carnis præsentia « vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis « gratiæ plenitudinem occupata mens non ad- « mittit, non recipit animus, non capit affec- « tus. » Et paulò infra, ad Eliæ raptum alludens, quo duplicatus discipulo est Spiritûs sancti af- fluxus : « Duplicavit spiritum visio abeuntis, ut « intellectui spirituali spiritualis jungeretur af- « fectus, cùm ipsâ utique, sui potissimùm inhæ- « rebat, carne, raptus in cœlum, quod eviden- « tiùs in Apostolis invenitur impletum, etc. »

Postremò idem Bernardus alibi : « Verbum « panis Angelorum, factus est pabulum jumen- « torum, ut habeat carnis fœnum quod ru- « minet, qui Verbi pane vesci penitùs dissuevit,

« quousque per hominem Deum priori redditus « dignitati, et ex pecore rursùs conversus in « hominem, cum Paulo dicere possit : *Etsi « cognovimus Christum secundùm carnem, sed « nunc jam non novimus.* Quod sanè non arbitror « quempiam dicere posse veraciter, nisi qui « priùs cum Petro ex ore veritatis illud item « audierit : *Verba quæ ego locutus sum vobis, « Spiritus et vita sunt. Caro autem non prodest « quidquam.* Alioqui qui in verbis Christi vi- « tam invenit, carnem jam non requirit, et « est de numero beatorum, qui non viderunt « et crediderunt. Nec enim opus est vel lactis « poculum, nisi utique parvulo, vel fœni pa- « bulum jumento. » Si Israelitis aliud vel fœni pabulum, vel lactis poculum, quàm caro Christi, nempe ante carnem Christi olim exhibebatur, quia utique nonnisi pretio sanguinis Christi emptum, et ad eosdem usus, nempe ad infantiæ rudimenta informanda adhibebatur, non usquequàque conclamata illorum sors, aut desperata salus erat. Nam illud omne quo infantia lactabatur, carnis Christi instar erat et caro Christi, caro Verbi quædam erat; velata illa quidem, sed nec nunc nobis nisi velata offertur, idque non ut ei parcatur, sed ut consulatur nobis. Conducit enim ut nunc affecti sumus, velari illam carnem : cùm enim nudam se hominibus exhibuit, aut pueriliter eam adamârunt, aut hostiliter insectati sunt. Itaque passibile illud schema, quod sibi necessariò circumjecerat, ut mortalibus congrederetur, etsi veli expers primò æstimetur, velum tamen ipsum est, spissius opaciusque. Eo enim ita dissimulatum fallebat homines Verbum caro, ut ab hominibus vel amore puerili; vel odio hostili exciperetur. Nunc autem meliùs consultum est, ut nec hostes provocet, et suorum amorem roboret perficiatque.

14. Atque ut ad Augustinum à quo exorsi sumus, reflectatur hæc disputatio, adverte quid ille dicat : « Adhuc enim discipuli Domi- « num carnaliter diligebant, quandoquidem « etiam ne occisum amitterent, formidabant. « Unde Petrum revocantem se à passione Sa- « tanam appellat, quòd non saperet, *quæ Dei « sunt, sed quæ hominum.* » Vides quò evadat fructus iste, quo fraudabantur antiqui, quo fruebantur Apostoli, carnis Christi contingendæ, videlicet ut qui ei plusculùm indulgeret, gravissimo convicio flagellaretur, et tanquàm profanus hospesque cœlestis sapientiæ castigaretur. Verùm hæc de carne Christi ex Patrum sententiis disceptata, parcè usurpanda, populis haud evulganda, ne hanc non suæ infantiæ infirmitatem, sed nostram aliquam inimicam sinceræ pietati temeritatem interpretentur. Ita nos haud abs re horum consultissimus monet Bernardus : « *Qui autem « non offendit in verbo, ille perfectus est vir,* so- « lido pane vesci cibo idoneus, et licet *in sudore « vultûs* sui, panem Verbi comedit, absque of- « fensione. Sed et securus ac sine scandalo « loquitur Dei sapientiam duntaxat inter per- « fectos, spiritualibus spiritualia comparans, « cùm tamen infantibus sive pecoribus cautus « sit, pro captu quidem eorum, tantummodò « proponere *Jesum Christum et hunc crucifixum.* « Unus tamen idemque cibus ex cœlestibus pa- « scuis, suaviter quidem et ruminatur à pe- « core, et manducatur ab homine. »

CAPUT X

Tota veteris Testamenti et Scriptura et dispensatio, quædam erat Incarnatio Verbi adumbrata, et ea quæ puerili pietati sufficeret.

1. Duo hic aggredimur eliquanda : primùm Scripturam veterem instar habuisse prælusoriæ cujusdam Verbi Incarnationis et tantæ quantam ætas illa tunc capiebat : deinde ipsam populi totius providentiam et aggubernationem, Christi mysteriorum quamdam fuisse anticipatam repræsentationem, ut utrinque non mediocre solatium abundet iis qui priora illa ante Christi carnem secula exegerunt.

2. Quòd autem Scriptura vetus incarnatio sit quædam Verbi, copiosè alibi declaratum est, cùm hinc viam sterneremus corporationi verissimæ Verbi Dei in animos et in fidem hominum insinuandæ, quod post lapsum suum homo, divina jam et æterna non cogitare, non loqui, non scribere possit, nisi sub quodam sensibilium figurarum, parabolarum, metaphorarum, verborum denique corporalium integumento, et hæc jam sit proœmialis quædam æternæ Deitatis corporatio, veluti præcentrix et præsultrix alterius verioris per veram carnem corporationis. Quæ cùm ita sint, et multiplici Patrum astipulatione munita sint, non ergo defuit Incarnatio Patriarchis et Prophetis omnibusque tum fidelibus. Erat enim illis littera et Scriptura, quædam Verbi caro, quæ se illis coaptaret, quâ sensibile se projectis in sensus objiceret, sibi agglutinaret eos, et à sensibus abduceret. Sed quia ad amplitudinem Christi res ista conferre nonnihil potest, libet rursùm corradere paucula deintegrè suffragia sanctorum Patrum.

3. Rupertus : « Genuit antiquus Pater æquè « antiquum Filium, et idcircò diligit eum, fe- « citque ei tunicam polymitam. Quænam hujus « Filii tunica, nisi sancta legalis et prophetica « Scriptura? Cujus enim ob causam, cujus ob « testimonium vel gloriam, nisi hujus Filii sui, « texuerunt digiti Dei omnem Scripturam? » Tunica Verbi caro est, tunica Verbi Scriptura est, caro Verbi Scriptura est. Sed apertiùs idem alibi : « *Antequàm parturiret, peperit.* « Quoties ad aliquem Prophetarum sive Pa- « triarcharum Verbum Dei factum est, toties « Sion peperit Verbum Domini, non aliud « quàm quod beata Virgo concepit, et carnem « factum peperit. Unde hîc unus illorum Isaias « dicit, *à timore tuo, Domine, concepimus et « peperimus, spiritum salutis tuæ fecimus super « terram.* Nota et celebris animabus sanctis « est ista veritas, quòd verè Deus amator fideli « animæ, ut sponsus sponsæ copuletur, atque « ab illo per amoris spiritum suscepto semine « imprægnata, loquendo, prophetando et quod « magis est, scientiam Dei scribendo, mater « Verbi est, antequàm omnis Scripturæ uni- « versitatem, omne Verbum suum Deus in « utero Virginis coadunaret. Ipsa Virgo priùs « mente quàm carne concepit; priùs ore pro- « phetando, quàm ventre parturiendo peperit. « Igitur falsum est ante Mariam non extitisse « Christum. Nam antequàm carnem ejus par- « turiret, peperit ore Prophetarum beata Sion « unum eumdemque Christum, unum idemque « Dei Verbum. » Nonne hæc est corporatio Verbi et inhumanatio, cùm ore Prophetarum paritur visibile et carnalibus sensibile Dei Verbum? Mater Verbi est incarnati, quisquis sapientiam et justitiam incommutabilem Verbum corde concipit, ore parturit, et corpore quodam verborum librorumque obvelat. « Sic Scriptura omnis legalis et prophetica « condita est. » Est ergo Scriptura legalis et prophetica, Verbum ipsum Dei corporatum. Quin nec Virgo ventre peperisset Christum, nisi ad eumdem modum mente priùs illum concepisset. Ex quo rectè infert Rupertus « ante Mariam extitisse Christum : nam beata « Sion unum eumdemque Christum, unum « idemque Dei Verbum ore Prophetarum pa- « riebat : » Et corporaliter utique pariebat, « loquendo, prophetando, et quod magis est, « scientiam Dei scribendo. »

4. Idem non minùs luculentè alibi : « Quid « autem Scripturam sanctam nisi Verbum Dei « esse credimus? Planè multa sunt verba, di- « gesta calamo Prophetarum, sed unum est « Dei Verbum, universitas Scripturarum : Ver- « bum, inquam, unum, quod velut semen de « legitimo viro suo Deo fideles animæ conce- « perunt, et ore facundo parientes, signis qui- « busdam, id est, litteris, ut nobis cognoscen- « dum transmitterent, tradiderunt. Cùm igitur « Scripturam sanctam legimus, Verbum Dei « tractamus, Filium Dei per speculum in æni- « gmate præ oculis habemus. Et reverà, si « benevoli lectores sumus, legendo vel au- « diendo accendimur, legendo vel audiendo ad « amorem Dei proficimus. Nonne ergo de Scri- « pturâ sanctâ nobis amor Dei processit? Quid « autem est amor Dei nisi Spiritus Dei? Pro- « cedit donum ex Patre, ut per Scripturam « intellectam cognoscamus Filium Patris : « procedit nobis amor ex intelligentiâ Scri- « pturæ, ut amemus Patrem Filii et diligamus « Filium Patris. Nonne ergo jam nobis etiam « hoc modo Spiritus sanctus ex Patre Filioque « processit? » Iterùm iterùmque vocat universitatem Scripturarum Verbum Dei, sed signis, id est, litteris vestitum, ut ad carnales transmittatur. Annon ergo hæc quædam incarnatio Verbi est? Nonne vel sic præ oculis habetur cerniturque per speculum in ænigmate sapientia incommutabilis? Nonne et cùm in carne spectabatur coram, nonnisi per speculum, in ænigmate, sub velo carnis, tanquàm sub litterâ quâdam, vel Scripturâ vivâ spectabatur? Sed quod in hoc contextu elegantissimum est, ne hæsites, an Scriptura sit Verbum Dei corporatum, en ore quodam suo inspirat et insufflat tibi Spiritum sanctum, sicut Christus insufflavit Apostolis corporaliter, quem intelligibiliter et æternè ex suâ substantiâ fundit. Cùm enim in lectitandis sacris codicibus incalescis subinde cœlesti quodam amoris igne, à verbo Dei quod tractat, dimanat Spiritus sanctus. Quo ergo fraudabantur ante Christi adventum, qui sub lege erant fideles, cùm et ipsis integrum esset corporato Dei verbo frui, illud amplecti, illud meditando osculari die et nocte, et ejus Spiritûs insufflatione inflammari.

5. Et ibidem idem rursùs corporatum Verbum esse Scripturam demonstrat, non minùs præclarè ex eo quòd de Spiritu sancto concipiatur, et ab æterno non dissimiliter gignatur Patre in tempore. « Multa ejusmodi sunt in « Scripturis propheticis, ubi virum sive ma- « ritum, Ecclesiæ seu Synagogæ se Deus esse « asseruit, etc. Actu quippe vir esse inten- « debat rationalis creaturæ humanæ, id est,

« filium sibi ex eâ generare, quod et facere « incipiebat, cùm hæc et hæc diceret per « Moysen et Prophetas mitteret. Electas nimi- « rùm et probatæ fidei de gente illâ animas, « vir Deus complexibus suis, complexibus « castis spiritaliter Deus Spiritus sanctus ad- « mittebat, et in impetu hujus amoris sui, hujus « Spiritûs sancti, semen suum de secretis « suis, Verbum suum de profundo cordis sui « incutiebat illis. Susceptum in animâ fideli « Verbum veritatis, ora sibi prophetantia « sumptâ voce corporeâ laxabat, fidemque ab « auditoribus exigebat. » De Spiritu sancto concipiebatur Christus Mosaicæ legis temporibus, nascebatur, concionabatur ei, à fidelibus obtemperabatur, ab infidelibus obstrepebatur. Quid ergo de Christi dispensatione tum fiebat? Aliter quidem, et expressiùs et efficaciùs, sed eadem tamen ipsa per carnem suam exhibuit. Cur autem nunc efficaciùs largiùsque, nunc parciùs et jejuniùs se suaque prodigat dona, postea inquiretur, vel potiùs inquirendum non esse docebitur; interim aggaudeamus illi nobisque, quòd nullis se temporibus omninò negaverit; nullis non se largius quàm dici possit, indulserit, etsi aliis aliter, et aliis largiùs adhuc sese effuderit.

6. Nec minùs pulchrum quòd ibidem discriminatur Mariæ conceptus partusque virgineus à propheticis olim conceptibus partubusque, quòd illa immenso et ineffabili quodam mentis sinu totum Verbum, totum Spiritum capere potuerit, ut ad carnem usque ipsam hæc copia redundaret : cùm Prophetæ cæteriquè Scripturæ sacræ parentes portionem tantùm Verbi et delibationem quamdam Spiritûs sancti ceperint. « Neque enim hæc beata Virgo « particularem, ut singuli illorum Verbi gra- « tiam, sed universam isto Spiritu sancto « superveniente suscepit ex eo Verbi Dei sub- « stantiam, et prophetissa singularis facta est, « plenam Spiritûs sancti gratiam suscipiens, « totum Dei Verbum, Deum verum priùs « mente quàm ventre suscipiens. » Ergo et Prophetissa fuit Maria, et Dei matres fuêre Prophetæ : sed cùm hi nonnisi particularem, illa universam Dei Verbi substantiam caperet, hinc ista in carne, illi in Scripturâ Christum pepererunt.

7. Et quanquàm in carne de Mariâ semel natus ad omnium salutem abundè sufficiat, de integro tamen illum adhuc nasci de theologorum cordibus calamisque necesse est labentibus seculis, ut iterùm iterùmque et infatigabiliter nasci perseveraret, qui nasci ab exordio temporum nunquàm cessavit. Idem Rupertus : « *In principio erat Verbum.* Ecce « *veritas* quæ *de terrâ orta est*, carnem de « Virgine assumens, ut nos à diabolo libera- « ret, eadem de virginali Joannis animâ gene- « ratur : vocem corpoream induens, ut pro « nobis contra omnem hæreticam pravitatem « dimicet. Qui enim de corde suo Verbum « bonum eructavit in uterum Virginis, ut « Deus invisibilis, visibilis et verus homo « fieret : ipse castis complexibus suis ascitam « sibi dilecti Joannis animam eodem Verbo « imprægnavit, ut Verbum ineffabile per vo- « cem litteramque ejus audibile et intelligibile « procederet. » Hæ sanè Verbi de theologorum seu sacrorum interpretum corde atque ore nativitates, ab illâ ejusdem principali de Mariâ nativitate religatæ jugatæque pendent. Nam quia Verbum humanæ se naturæ inserere, vitamque et incorruptionem et sanctimoniam incommutabilem suam, id est, seipsum inserere semel statuit, hinc humanis se etiam cogitationibus, sermonibus, verbis, litteris, signisque corporeis innumerabilibus, quæ nostræ naturæ consentanea sunt, prolixè indulsit. Itaque Verbum incomprehensibile cogitatur, ineffabile enarratur, quia incorporeum corporascit, qui intelligibile incarnatur. Semel incarnari opus fuit, ut retrò et post innumerabiliter per humana cogitata, verba, scripta incarnaretur. Incassùm autem semel incarnatur, nisi singulorum sensis animisque immisceatur.

8. Denique si Rupertum perconteris quid sit Scriptura, scitè respondebit : « Et quis « dubitet librum ejusmodi, scilicet sacram « Scripturam, librum esse vel rectè dici Bel- « lorum Domini? Quid enim aliud continetur « vel agitur in libris sanctis, nisi bellum et « certamen Verbi Dei, ad destructionem pec- « cati et mortis? » Atque, ut postea dicemus, id scribebatur in sacris codicibus, quod gerebatur. Gerebantur ergo bella Domini, et toto illo temporum decursu bellabat Verbum Dei, et de morte ac peccato victorias reportabat. Ab initio quippe temporum nunquàm feriata est sapientia, quin insipientiam; nunquàm justitia cessavit, quin injustitiam, vel clam, vel palàm, vel in totum, vel ex parte debellaret. Semper enim veritas invicta, etiam tum cùm cæcutientibus vinci visa est : semper justitia victrix, vel tum etiam cùm conculcari visa est : toto orbe terrarum sapientia et justi-

tia sectatorum suorum inter ipsa adversa felicitate, adversariorum etiam in secundis rebus infelicitate vicit, vincetque, triumphavit et triumphabit. Hæc sunt bella Domini, hæ victoriæ Verbi Dei, hoc Verbum Dei Christus bellator et triumphator, in orbe conspicuus oculatis, in Scripturâ conspicuus spiritalibus et fide oculatis.

9. Ut ad alios nunc Patres veniamus, Hilarius : « Lex autem sub velamento verborum « spiritualium nativitatem Domini nostri Jesu « Christi, et corporalitatem, et passionem, « et resurrectionem locuta est. » En quid tota lex loqueretur. Et Hieronymus : « *Faciamus « hîc tria tabernacula*, etc. Erras, Petre, et « sicut alius Evangelista testatur, nescis quid « dicas. Noli tria tabernacula quærere : cùm « unum sit tabernaculum Evangelii, in quo « lex et Prophetæ recapitulanda sunt. » Et Augustinus : « Quia enim ab uno vero et « summo Deo resilientes evanueramus in multa, « discissi per multa et inhærentes in multis, « oportebat nutu et imperio Dei miserantis, « ut ipsa multa venturum conclamarent unum, « et à multis conclamatus veniret unus, et « multa contestarentur venisse unum, et à mul- « tis exonerati veniremus ad unum. » Quid conducibilius quàm ut ab uno vero bono delapsi in multa, per hæc ipsa inter quæ afflicti jacebamus multa moneremur unum venturum, qui à multis redemptos, uni nos redintegraret : veniret illud unum, multitudinis amores profligaturum : multa contestarentur venisse unum, ut ipsa multitudo unius redemptoris, vel venturi, vel qui venerit, fidem faciens, à multitudine nos avocaret? Illud vetus, hoc novum Testamentum est, illo multa venturum Christum, hoc multa venisse contestantur; utròbique igitur Christus est unus à multitudinis cupiditatibus nos abducens, et ad unum verum recolligens. Et infra idem : « Ecce ad quod « missus est Filius Dei : imò verò, ecce quid « est missum esse Filium Dei. Quæcumque « propter faciendam fidem quâ mundaremur « ad contemplandam veritatem, in rebus ortis « ab æternitate prolatis, et ad æternitatem « relatis temporaliter gesta sunt, aut testimo- « nia missionis hujus fuerunt, aut ipsa missio « Filii Dei. Sed testimonia quædam venturum « prænuntiaverunt, quædam venisse testata « sunt. Factum quippe creaturam per quem « facta est omnis creatura, omnem creaturam « testem habere oportebat. Nisi enim multis « missis prædicaretur unus, non multis dimissis tenerctur unus. » Hùc omnia temporaliter ab æternitate prolata et ad æternitatem relata pertinent, ut missionem Filii Dei testentur, aut ipsa missio sint. Omnis enim creatura Creatoris sui adventum contestari ambit. Nunc venisse, olim venturum esse loquebantur creaturæ, loquebantur Scripturæ et loquuntur. Nusquàm ergo Christus abfuit, qui ut veritas, ut spiritus, ut fide vivificus, tum maximè adest, cùm prædicatur. Unde idem : « Præter hanc viam quæ partim cùm « hæc futura prænuntiantur, partim cùm « facta nuntiantur, nunquàm generi defuit « humano, nemo liberatus est, nemo libera- « tur, nemo liberabitur. » Veritas quippe et fides absoluta est à temporum vinculis, et omnibus seculis una et invariata præstò est. Sive inhumanata ergo, sive inhumananda scribatur deitas verbi, eadem veritas, eadem humanitas Verbi, eadem dignatio Dei, eadem dignitas hominis scribitur et tenetur. Et alibi rursùm : « Utrumque scriptum est, et « de Christo scripsisse Moysen, et omnes qui « ante Christum venerunt, fures fuisse et la- « trones. Venisse quippe ita vult intelligi, quia « missi non sint. Nam qui missi sunt, sicut « Moyses et sancti Prophetæ, non ante ipsum, « sed cum ipso venerunt, quia non eum per « superbiam præcedere voluerunt, sed eum « per ipsos loquentem humiliter portaverunt. » Loquebatur ergo et scribebat seipsum per Prophetas Christus ipse. In omnibus ipse veniebat; nemo ante illum venit, quia in omnibus ipse veniebat. Nec tantùm ipse scribebat et scribebatur, sed solus scribebatur, ut et solus scribebat. Etenim ait ipse de Moyse : *De me enim ille scripsit.* Non ait, etiam de me, sed absolutè, de me. Quia nonnisi de ipso Moyses scripsit, nonnisi de seipso ipse per Moysen et per quoscumque alios scripsit. Quid enim Verbum sonet, nisi seipsum et eum cujus Verbum est? Quid Verbum voci conjugatum sonet, quàm seipsum sono illigatum? Unde rursùs ibidem : « Et Evangelii quidem tam eminens est aucto- « ritas, et tam fundata veritas, ut etiamsi nos « propter tarditatem intelligentiæ nostræ « nulla inveniremus à Moyse scripta de Chri- « sto, non solùm esse aliqua, sed ad Christum « omnia pertinere quæ scripsit, quia non ait: « *Et de me scripsit;* sed : *De me ille scripsit*, « credere deberemus. » Denique quantoperè Christum saperet Scriptura vetus hinc conjice, quòd sine Christo prorsùs desiperet, seu

nihil saperet. Idem Augustinus : « Lege libros « omnes propheticos non intellecto Christo, « quid tam insipidum et fatuum invenies? « Intellige ibi Christum, non solùm sapit « quod legis, sed etiam inebriat, mutans « mentem à corpore, ut præterita obliviscens, « in ea quæ ante sunt extendaris. Ergo pro- « phetia ab antiquis temporibus, ex quo pror- « sùs currit ordo nascentium in genere hu- « mano, de Christo non tacuit. » Cùm arcem auctoritatis et opinionem religionis summam liber ille obtineret, et tamen sine Christo insulsissimus omninò appareret, Christum utique sapere cogebantur, quibus ille liber sapiebat.

10. Eòdem referri debet, quod etiam atque etiam testificatus est Augustinus, utrumque Testamentum indissociabiliter sibi cohærere ; in veteri novum, in novo vetus esse ; occultari novum in vetere, revelari in novo vetus eumdem Christum, eamdem Ecclesiam utròbique, illic opertiùs, hìc in aperto : utròbique spiritales, utròbique carnales : hos litteræ et temporalibus, illos spiritui et æternis servire ; utròbique longè plures terrenis cupiditatibus implicatos, tanto numero et mole superiores esse bonis, quanto superat frumentum palea. Augustinus : « Quid est enim quod dicitur « Testamentum vetus, nisi occultatio novi? « Et quid est aliud quod dicitur novum, nisi « veteris revelatio? » Est autem prorsùs idem Christus, et verè Christus, seu parciùs, seu largiùs se ostendat. Nam non ita se occultat, quin aliunde pateat : non ita se manifestat, quin magnâ adhuc ex parte lateat. Olim latebat, sic tamen ut pateret ; nunc patet, sic tamen ut lateat. Patet in carne, sed caro quid nisi latebra erat Verbi? Latebat in Scripturâ : sed Scriptura quid, nisi manifestatio Verbi? Quòd autem olim quàm nunc magis lateret et plures, minùs pateret et paucioribus, penès ipsum est arbitrium et potestas sui beneficii, unus tamen Christus est; sicut nec nunc diversus est, cùm aliquando plus, aliquando minùs, aliquando pluribus, aliquando paucioribus radios suos vibrat. Et rursùs : « Ecclesia « verò, quod est populus Dei, etiam in istius « vitæ peregrinatione antiqua res est, in « aliis hominibus habens animalem portionem, « in aliis spiritalem. Ad animales pertinet ve- « tus Testamentum, ad spiritales novum. Sed « primis temporibus utrumque occultum fuit, « ab Adam usque ad Moysen. A Moyse autem « manifestatum est vetus, et in eo ipso occul- « tabatur novum, quia occultè significabatur. « Postea verò quàm in carne Dominus venit, « revelatum est novum ; veteris autem sacra- « menta cessârunt, sed concupiscentiæ tales « non cessaverunt. In illis enim sunt, quos « Apostolus jam per sacramentum novi Testa- « menti natos, adhuc tamen dicet animales, « non posse percipere, quæ sunt Spiritûs Dei. « Sicut enim in sacramentis veteris Testa- « menti, vivebant quidam spiritales, ad no- « vum scilicet Testamentum, quod tunc oc- « cultabatur, occultè pertinentes : sic et nunc « in sacramento novi Testamenti, quod jam « revelatum est, plerique vivunt animales : « qui proficere si nolunt ad percipienda quæ « sunt Spiritûs Dei, ad vetus Testamentum « pertinebunt. » Ergo nec vetus Testamentum adhuc desiit, cùm supersint carnales et animales agminatim in Ecclesiam inundantes : nec tunc novum desiderabatur Testamentum, cùm non deessent spiritales. Alterum alteri implicatum hæret, utròbique spiritales et carnales, illi pauciores, hi plures, illi ad novum, hi ad vetus pertinentes. Quæ cùm ita sint, etsi tempore prærierit vetus, novum successerit, ob manifestiorem quamdam Dei providentiam alias aliter et per incrementa profectuum, tempora dispensantem : reapsè tamen non tam tempore, quàm causâ hæc duo discrepant. Tempore enim, et novi homines olim floruerunt, et veteris asseclæ nunc crebrescunt: causa autem semper discreta et disjunctissima fuit. In litterâ veteris Testamenti melleam spiritûs suavitatem legebant spiritales: in verbis Spiritûs et vitæ nunc litteram occidentem incurrunt carnales. Denique quòd olim pauciores quàm nunc iidemque occultiores erant spiritales, id ipsum universali providentiæ serviebat, idque argumento erat frumenta paleæ comparata et numero et mole vinci, rarescere et latitare. In novo enim spiritales etiam et rariores sunt et iidem occultiores. Ergo cùm non exterior rerum frons attenditur, sed medulla veritatis et causæ viscera explorantur, in speculâ quâdam temporibus omnibus superextante spectatur Christus unus, una Ecclesia, per varias profectuum ætates et universis et singulis prospiciens séque indulgens hominibus, per conscientiæ insitæ residuos igniculos ante legem, per legis facem lucidiorem et timoris initia salutaria sub lege, per charitatis augmenta in ævo gratiæ, per justitiæ denique summa fastigia in patriâ, ita tamen ut pigrescant hìc plerique et in rudimentis infantiæ senescant, ali-

qui nonnihil proficiant, paucissimi ad culmen usque sapientiæ connitantur, sintque multò plures semper carni servientes quàm spiritui, et illi utique ut plures, ita manifestiores. « Quæ autem Ecclesia peperit Abel, et Enoch, « et Noe, et Abraham, ipsa peperit Moysen et « Prophetas tempore posteriores ante adven- « tum Domini : et quæ istos, ipsa et Aposto- « los et Martyres nostros et omnes bonos « Christianos. Omnes enim diversis quidem « temporibus nati apparuerunt, sed societate « unius populi continentur, » etc.

11. Quid quòd et evangelica quoque Scriptura, in quâ delitescere Christus non dubitatur, littera tamen carnalibus est, et quidem occidens, nisi spiritu vivificetur? Hieronymus : « *Quomodò Christus Jesus ex maledicto nos legis* « *liberavit, factus pro nobis maledictum* : ita de « maledicto quoque Evangelii, quod statutum « est super eos qui ejus præcepta non fecerint, « eruit nos, *factus pro nobis* ipse *maledictum*. » Et mox : « Sunt qui duo Testamenta et aliter « intelligant, ut Scripturam divinam tam ve- « terem quàm novam juxta diversitatem sensûs « eorumque sententiam qui legunt, aut ancillam « interpretentur, aut liberam, et eos qui adhuc « litteræ serviant, et spiritum timoris habeant « in servitute, de Agar Ægyptiâ velint esse ge- « neratos ; eos autem qui ad altiora conscen- « dant, et allegoricè velint sentire ea quæ scri- « pta sunt, filios esse Saræ, quæ in linguâ nostrâ « ἄρχουσα, id est, princeps interpretatur genere « femmino. Et hoc ob eam necessitatem se « asserunt usurpare, quia iniquum sit Moysen « et Prophetas cunctos de ancillâ, quoslibet « verò gentilium de liberâ intelligere procrea- « tos. Unde meliùs esse, ut non solùm de « his qui in Ecclesiâ sunt, pro diversitate « intellectuum alios servos, alios liberos ar- « bitremur, sed etiam de uno eodemque « homine, quamdiù sequatur historiam, an- « cillæ eum esse filium : cùm autem aperiente « Jesu Scripturas, incensum fuerit cor ejus, « et in fractione panis inspexerit eum quem « antea non videbat, tunc et ipsum Saræ fi- « lium nominari. » Prout ergo quisque, vel timore, vel amore religionem colit, vel litteræ corticem, vel spiritûs penetralia lambit, ita et vel legem adhuc sapit in Evangelio, vel in lege Evangelium degustat, et vel servus est inter libertatis, vel liber inter servitutis insignia ; utrobique autem Christus est idem unusque, quem suus cuique timor inter terrena adhuc reptans obvelat, vel amor revelat, sublimia Spiritûs arcana perlustrans. Nam cùm idem Christus vel litterâ legis, vel carne suâ ut Evangelio amictus, ab aliis carnaliter, ab aliis spiritaliter, imò ab uno eodemque homine nunc carnaliter, postea spiritaliter capiatur, quin etiam uno eodemque tempore, ab uno eodemque homine varios profectuum gradus percurrente, ex parte carnaliter adhuc, ex parte jam spiritaliter intelligatur, hinc apparet penès ipsos homines longè maximam partem hujus tantæ discrepantiæ residere ; ut enim quisque affectus est, carnali caro, spirituli spiritus est ; terrestri terrenis obvolutus sacramentis, et legis, seu litteræ carne, cœlesti cœlestibus pellucidus mysteriis est, et carnis ipsius suæ spiritali luce circumfusus. Unde ibidem rursùm Hieronymus : » Hodie quoque hi qui « in Christo parvuli sunt, et vivunt carnaliter, « persequuntur eos qui ex aquâ et spiritu nati « sunt, et cum Christo resurgentes, ea quæ- « runt *quæ sursùm sunt, non deorsùm*. Faciant « quod volunt : cum Ismaële persequantur Isaac, « ejicientur foràs cum ancillâ matre Ægyptiâ, « nec accipient hæreditatem, quam solus qui « de repromissione natus est, consequetur. » Magnam, ut vides, partem eorum qui evangelicæ legi sunt mancipati, sub lege, sub litterâ adhuc legis sordescere pronuntiat, et à Christo atque à libertate alienos extorresque esse.

12. Subolet et nobis hæc apud Hieronymum magis, quàm Hieronymi esse posse, utpote quæ Origenem prorsùs redoleant, et nonnullo ejus hallucinationum sapore respersa videri possint. Sed liquidò nobis et indubitatè sui animi sententiam prodit Hieronymus epistolâ ad Paulinum : « Totum quod legimus in divinis litteris, « nitet quidem et fulget etiam in cortice, sed « dulciùs in medullâ est. Qui edere vult nu- « cleum, frangat nucem. *Revela*, inquit David, « *oculos meos, et considerabo mirabilia de lege* « *tuâ*. Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ « confitetur, quâ nos putas parvulos et penè « lactentes, inscitiæ nocte circumdari? Hoc « autem velamen non solùm in facie Moysi, « sed et in Evangelistis et in Apostolis positum « est. Turbis Salvator in parabolis loquebatur ; « et contestans mysticum esse quod dicebatur, « aiebat : *Qui habet aures audiendi, audiat*. Nisi « aperta fuerint universa quæ scripta sunt, ab « eo qui habet clavem David, *qui aperit, et nemo* « *claudit, claudit, et nemo aperit;* nullo alio re- « serante pandentur. » En, non solùm in facie Moysi, sed et in Evangelistis et Apostolis velamen positum est, et Christus parabolas lo-

quitur, et tota Christi dispensatio parabola est, carnem ceu quamdam litteram promens, spiritum ceu litteræ medullam premens. Denique littera occidit inhærentes sibi, et caro non prodest quidquam, carnem etiam Christi carnaliter tantùm sapientibus, sed utròbique spiritus est qui vivificat. Nam seu creatura, seu scriptura, seu caro, quid aliud quàm incommutabilis sapientiæ et intelligibilis Verbi integumenta quædam, quibus illa et aperit se nobis et operit, quia videndam se fruendamque per hæc temperat. Sed si in integumento hæres, si fracto nucleo medullam non invadis, si hæres in egenis mundi elementis, si stertis in litterâ, si pigrescis in carne, caro nihil proderit, littera occidet, creatura à Creatore avertet.

13. Sed disertissimè Gregorius Magnus : « *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Alia « quidem est plenitudo Verbi, alia libri. De « plenitudine quidem Verbi accipere, nonnisi « electi possunt, de plenitudine verò Scripturæ « possunt et reprobi. Liber namque beati Joan- « nis Apostoli, et liber Pauli Apostoli plenitudi- « nes quidem sunt, quæ de eis habentur. Eorum « nimirùm verba Paulus sive Joannes scripsit : « sed quod quisque scripsit, loquens in eis « Verbum inspiravit. Qui ergo verbum Scri- « pturæ accipit, non in amore sed in scientiâ, « de plenitudine accipit non Verbi, sed libri. « Et quia rem mortuam accipit, in ejus ipse « acceptione non vivit. Sed quid dico Scri- « pturam mortuam? Non est mortua tantùm, « sed interficiens. Nam scriptum est : *Littera « occidit, spiritus autem vivificat.* Hoc quidem « facit omnis divina littera. Nam littera corpus « est : hujus verò corporis vita, Spiritus. Vi- « vificatum quippe et vivificans corpus accipit, « qui litteram legit, et in amorem intelligentiæ « mentem reficit. » De Scripturis novi Testamenti verba facit Gregorius, aitque rem mortuam illas esse, nec iis accipiendis quemquam vivere : imò non mortuam tantùm, sed interficientem, eo sensu, quo littera occidit : et littera merum corpus est, et veluti caro, quæ nisi à Verbo vivificetur, non prodest quidquam, utpote exanimum et exangue. Igitur non tanti refert in quale Verbi involucrum incurrat quis, sive in creaturam ante legem, sive in Scripturam sub lege, sive in carnem sub gratiâ, quàm quali animo et affectu, carnali an spirituali, terrenorum cupido bibuloque, an cœlestium incurrat. Si enim in involucro hæreat, conclamatum de eo est; si in adyta spiritûs et charitatis illabatur, præclarè cum eo agitur; Inspirata enim à Verbo incarnato charitas, suæ originis haud ignara esse poterit. Quanquàm enim creatura ante legem fuerit veluti Scriptura quædam et veluti corpus Verbi; quanquàm lex instar habuerit carnis Verbi, quâ illud se opacaret conspiciendum lippientibus tunc plurimùm hominibus; quanquàm caro Christi veluti Scriptura sit, quâ se et Patrem eloquitur Deus Verbum, et tanquàm orbis quidam melior et nova creatura, unde per visibilia invisibilis deitas intellecta conspiciatur; à solâ tamen carne seu à verissimâ Verbi incarnatione promanat gratia et charitas, quâ à creaturæ, vel Scripturæ, vel carnis cortice ad spiritûs vitam et suavitatem unusquisque traducitur.

14. Quid autem, si non Scriptura tantùm vetus, sed ipsa totius populi dispensatio, quædam esset Christi adventantis promulgatio? Num satis conspicuus non erat Christus, quem non unus, aut alter Propheta adumbraret dictis gestisque suis, sed totus ille populus, tanquàm catholicus quidam Propheta gestaret, exereretque? Augustinus : « Ut propa- « garetur populus Dei, in quo præmitterentur « Prophetæ Christi, cùm et ipse populus per « ea, quæ *in figurâ contingebant illis,* sive in iis « qui scirent, sive in iis qui illa nescirent, « nihil aliud esset, quàm Propheta Christi, ex « quo nasceretur etiam caro Christi. » Et alibi : « Priori populo multa talia non tantùm « audienda, verùm etiam observanda præcepta « sunt. Tempus enim erat, quo non tantùm « dictis, sed etiam factis prophetari oporteret « ea, quæ posteriori tempore fuerant revelan- « da. » Et alibi : « Oportebat *impleri omnia,* « *quæ scripta sunt in lege Moysi et Prophetis et* « *Psalmis de me.* Non itaque spes nostra in « temporalium rerum promissione defixa est : « quandoquidem nec ipsos illius temporis san- « ctos et spiritales viros Patriarchas et Pro- « phetas his terrenis rebus fuisse deditos cre- « dimus. Intelligebant enim, revelante sibi « Spiritu Dei, quid tempori illi congrueret, et « quibus modis Deus per illas res omnes gestas « et dictas, futura figuranda et prænuntianda « decerneret, magisque desiderium eorum de « novo Testamento erat. Sed præsens functio « corporalis ad significanda nova ventura pol- « licitationibus veteribus præbebatur. Ita il- « lorum hominum non tantùm lingua, sed et « vita prophetica fuit. Carnalis autem populus « promissis vitæ præsentis inhærebat. De quo « tamen etiam populo nihilominùs significa-

« bantur futura. » Quanta hic renidet sapientiæ pulchritudo? Videlicet dùm populus et universitas hominum ipsa Propheta Christi est; hinc enim et magnitudo Christi eminet, et genus humanum honestatur, et non mediocri respergitur sanctitate. Item dùm universitas generis humani suo omni temporum gestorumque decursu demonstrat perspicuè, et quasi in propatulo vociferatur, se superno egere liberatore; nec defuturam suæ inopiæ providentiam Dei tam largam alioqui et pervigilem pollicetur. Item dùm peculiare Israelitarum regimen id apertiùs testatiùsque facit ex gestorum sacramentorumque suorum documentis, quod universa creatura non tacet, vanitati subesse omnia et ingemiscere, donec in primævam integritatis innocentiam restituantur. Sic enim suppetias tulit Scriptura creaturæ, lex naturæ, Christusque ipsæ naturæ reparator est. Item sicut non deest Sapientia creatrix, nec abest usquàm, dùm sub naturæ latet velamine et non latet, quia natura ipsa rerum non aliud est quàm Sapientia ipsa, variegatâ hâc veste creaturarum sese implicans explicansque; ita nunquàm defuit, nusquàm abfuit sub lege etiam Christus, quia populus ipse sub lege administratus, Christus ipse erat prophetico hoc se tegumento detegens. Item dùm hinc patefit, quàm intimus in ore, et in corde cuique homini sit Christus, quando ipsa hominis vita quædam est Christi prophetia. Nam etsi ob specialia quædam sacramenta populus ille propheta esset Christi, unusquisque tamen homo, ut sapientiæ opificium et delibatio, ut justitiæ manceps, aut transfuga, lineamenta non obscura Christi præ se fert, quem gestat, vel quo eget, sine quo deformis, quo se formari postulat etiam inopinus nesciusque, quem inopiâ suâ invocat, ad quem ignarus suspirat, ut liberaturum ab his ærumnis, ut verorum bonorum largitorem. Item dùm planum fit, ex quo genus humanum à veritate prolapsum est, quà patet orbis terrarum, omni seculorum excursu, totam hominum universitatem per scientes et nescientes contestatam esse, et proclamâsse, non posse non appeti felicitatem votis omnibus, non esse in his terrenis sitam felicitatem, quæ occidunt, quæ desiderio suî cruciant, quæ fastidio amarescunt; non esse felicitatem nisi gaudium de veritate et justitiâ incommutabili; non posse illam felicitatem humanis viribus pertingi, ut nunc sunt fractæ et accisæ; extundendum ergo precibus à Deo esse liberatorem, et veræ hujus datorem felicitatis.

15. Istud omne non verbis non scriptis, sed gestis et quidem omnibus et publicâ ipsâ universâque suî dispensatione ab initio rerum proclamavit et etiamnunc proclamat genus humanum, ad terrena subinde nauseabundum, et alia subinde atque alia stimulante clandestinâ verorum et æternorum siti concupiscens. Istud peculiariùs proclamabat Israeliticus populus, singulari ad id quodam regimine Dei delineatus, cujus ea erat summa, ut terrenorum fructu fastidium movente, fugamque maturante incitarentur homines ad æterna æternorumque auctorem suspirare. Item dùm per malos etiam prophetatur Christus, per carnales spiritalis felicitas prædicatur, per ægros medici necessitas et præstantia, denique per vitia ipsa commemoratur et perversis tenebrosisque, non aspernandis tamen quibusdam vestigiis, sanctitas et justitia adumbratur. Familiare enim fuit Augustino aliisque Patribus in ipsis etiam peccatis et vitiosis cupiditatibus explorare notas aliquas distortæ divinorum imitationis. Ad eum ergo modum et per malos malorum omnium profligator Christus prophetabatur. Postremò tandem hinc amplitudo Christi et immensitas quædam ejus gloriæ expromitur, cùm unus omnia est, unus omnia implet, unus omnia in omnibus adimpletur, unus à populis, ab universitate generis humani ostenditur, gestatur, repræsentatur, actitatur; omnium virtutes ejus portiones sunt; omnium vitia, illius distorta imitamenta sunt; omnium peccata, illum liberatorem, omnium ægritudines illum medicum inclamant; omnium cupiditates, suîmet fastidio et cruciatu illum invocant; omne denique genus humanum toto orbe jacens quasi unus ingens ægrotus per nescientes scientesve illum, ut medicum verum optat, illum somniat, illum prophetat, illum exspectat.

16. Et tam explicata est Christi prophetia in illâ vel Scripturæ, vel populi veteris serie, ut non posset alioqui illa non anilium fabularum ignominiâ penitùs infamari. Nam si Christi sensum inde extirpes, jam deliriùs nihil, nihil insulsiùs poterunt mulierculæ fabulari. Si ad alia etiam cum Philone et Judæis quibusdam allegoriam contorquere voles, in nugamenta quædam perridicula defluet cum iisdem. Ita asserit, et probat Augustinus : « Itaque isti Ju« dæi qui Christum nolunt talibus rerum non « solùm dictarum, sed etiam gestarum figuris « prænuntiatum videri, coguntur à nobis di« scere, quid illa significent, quæ nobis aliquid

« significare concedunt. tamen divinæ auctoritatis libros ab ineptarum fabularum ignominiâ non defendunt. Vidit hoc Philo quidam, vir liberaliter eruditus, etc. » Profert ex Philonis allegoriis ad gustum cæterarum, hoc unum quod cùm cætera arcæ interpretatus utcumque esset, « ubi ventum est ad « ostium quod in arcæ latere factum est, etc. « Inferiores corporis partes, quibus urina et « fimus egeruntur, illo ostio significari ausus « est credere, ausus et dicere, ausus et scribere : non mirum si, ostio non invento, sic « erravit. » Non difficiles tantùm explicatus, sed nullos, exitus omninò nullos habebat illa prophetia tota nisi ad Christum : præter hunc, ad sordes, ad anilia deliramenta deveniebatur. Ita Christus implicabat se hominibus, ita singulos ad seipsum coarctabat, ut nemo illum ignorare posset, nisi qui semet nescire posset. Si enim se, si sua quisque gesta dictaque seriò advertisset, ipse sibi ad Christum, ad medicum, ad liberatorem dux hortatorque fuisset. « Quâ in re hoc primum dico, illorum hominum non tantùm linguam, verùm etiam vitam fuisse propheticam : totumque illud regnum gentis Hebræorum magnum quemdam, « quia et magni cujusdam, fuisse Prophetam. « Quocirca quod ad eos quidem attinet, qui « illic erant, eruditi corde in sapientiâ Dei, « non solùm in iis quæ dicebant, sed etiam in « iis quæ faciebant; quod autem ad cæteros « ac simul omnes illius gentis homines, in iis « quæ in illis vel de illis divinitùs fiebant, prophetia venturi Christi et Ecclesiæ perscrutanda est. *Omnia enim illa,* sicut dicit Apostolus, *figuræ nostræ fuerunt.* » Eratque hoc totum cum primis consentaneum, ut per temporalia cuique etiam quæ ipse gereret, significarentur æterna, nisi strepitu vanitatis suæ sibi ipsi obsurdesceret. Ea enim est natura temporalium, ex Dei conditoris servatorisque destinatione, ut æternorum vestigia atque documenta sint, ad ea invitent, ad ea vel suâ ipsorum fugâ contrudant. Idem Augustinus : « Post regnum acceptum, quia terrena acceperant cœperunt meritò peccatorum suorum oppugnari, expugnari et captivari. Ad « extremum eversa est et ipsa civitas. Tales « erant et illæ promissiones non perseveraturæ, per quas tamen figurabantur futuræ « promissiones perseveraturæ, ut ille omnis « decursus temporalium promissionum, figura « esset et quædam prophetia futurorum. »

17. Postremò ne quid vacuum et inane Christi usquàm vel unquàm esset flagitiòsè etiam facta tenebrosis quibusdam imitationibus nobis ejus magnitudinem innuebant. Familiare est hominibus non ineruditis etiam, nec pietatis expertibus, ad hæc exhorrescere, nec facilè sanctis Patribus acquiescere, adulteria nonnunquàm interpretando ad Christi mysteria delineanda intorquentibus. Sed si præjudicatarum opinionum laqueis expedire se ipsi vel tantillùm enitantur, faxo ut hic eorum horror diluatur, ac lubentes in has Patrum interpretationes assentiantur. Pulchrè rem istam disceptat Augustinus : « Priùs prælo« quendum est, ne quemquam parvæ consi« derationis offendat, quod de quibusdam ma« lis operibus hominum in Scripturis sanctis, « quædam non mala, sed bona futura signifi« cantur. Servat enim ubique divina provi« dentia virtutem bonitatis suæ, ut quemad« modùm ex adulterorum concubitu formatur « et nascitur homo, de hominum opere malo, « bonum opus Dei : de fœcunditate seminum, « non de turpitudine vitiorum : ita et in Scri« pturis propheticis non tantùm bona homi« num, verùm etiam malè facta narrantibus, « quoniam prophetica est ista narratio, signi« ficetur aliquid de malis operibus hominum, « etiam futurorum bonorum, non peccantis « opere, sed scribentis. » Hæc est prima ratio, quòd Dei providentia servare ubique pertendat virtutem bonitatis suæ et de malis hominum operibus, bona ipse faciat, bona doceat. Nam de malis benè facere, ampliùs aliquid est, quàm bona significare. Si ergo divinæ bonitatis insigne est, ut de malis benè faciat, minùs mirum est, si de malis bona significet. Quæ autem bona aptiùs de malis significabit, quàm ea ipsa per quæ mala expientur? Ita enim decet ut bonus, et ipsum bonum benè consulat de malis, et bona faciat et bona designet ac portendat, per quæ malitia tandem omnis labefactetur. Consultissimum ergo fuit, ut malis operibus significarentur aliqua Christi mysteria malorum omnium expurgatoria. Pergit porrò Augustinus.

18. Ibidem : « Neque enim Judæ cùm ad « Thamar concupiscentiâ victus intraret, hanc « suæ libidinis intentionem gerebat, ut inde « aliquid significaretur, quod ad salutem homi« num pertineret : sicut nec Judas ille qui « Dominum tradidit, hoc intendit, ut aliquid « inde gereretur, quod ad eamdem salutem « hominum pertineret. Porrò si de tam malo « opere Judæ illius tam bonum opus Dominus

« fecit, ut ejusdem suæ passionis sanguine nos « redimeret; quid mirum si Propheta ejus, de « quo ipse ait : *De me enim ille scripsit*, ex « malo facto Judæ ipsius, boni aliquid signifi- « cavit, ut suo ministerio nos doceret? » Ut Creatori igitur, ita et Reparatori Christo solemne est, magnificum est, mala nostra benè vertere, in bona mala convertere potiùs quàm mala omninò prævertere. Quin id tantò Reparatori familiarius erit, quantò ipse, si fari licet, bonum ejusmodi est amplissimum, ex mali occasione expressum. Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit gratia : peccati infelicitas compensata est Verbi incarnati et Reparatoris felicitate ; hominum facinore effusus est sanguis Christi, quo omnium facinora abluantur. Ergo cùm incarnatio, cùm passio, cùm totum quod Christus est, immensum et infinitum quoddam summumque sit bonum, ex eâ ortum omnipotenti bonitate, quæ in malis benè vertendis quàm in iisdem penitùs antevertendis pulchrior et admirabilior elucet, jam nihil est quòd miremur, si sacramenta Christi per aliqua hominum flagitia significentur.

19. Et rursùs ibidem : « Ad significanda au- « tem aliqua bona nihil interest, facta illa qui- « bus ea significantur, seu bona, seu mala sint. « Quid enim meâ interest, cùm nolo aliquid le- « genda cognoscere, utrùm ex minio reperiam « scriptos nigros Æthiopes, et ex atramento « candidos Gallos? » Universim enim hoc valet, signis longè diversissimis res quaslibet posse significari : nec in signis explorandam esse ipsorum naturam, sed significationem. Si autem facinorosos homines actusve ad sancta et cœlestia quæpiam significanda rapi stomachus tuus non ferat, subeat quod monitos jam nos esse voluit Augustinus, non signorum, sed significantium et significatorum naturam dignitatemque ponderandam esse. Nam mali et mala non id intuentur, nec id ex se valent, ut boni vel umbris illis e pingantur et decorentur; sed summum bonum Deus, sed summus omnium malorum debellator Christus, id valet, id affectat, ut nihil suî omninò vacuum esse sinat, ut radios suos vel in ipsa adversariarum tenebrarum regna invictissimè jaculetur : ut malo ipsi suæ potestatis, suæ victoriæ insignia superscribat. Idem rursùm Augustinus : « Ita de « peccato nostro quod in homine peccatore « ipsa natura nostra commisit, et genus hu- « manum, factum est magnum decus orna- « mentumque terrarum : et tam decenter di- « vinæ providentiæ procuratione administratur « ut ars ineffabilis medicinæ ipsam vitiorum « fœditatem in nescio quam suî generis pul- « chritudinem vertat. » Ars porrò ineffabilis medicinæ cui potiùs quàm Christo vindicanda est? Ejus ergo est, ipsam vitiorum turpitudinem in aliquam tantò admirabiliorem, quantò inopinatiorem pulchritudinem convertere. Ecqua autem venustas de vitiorum deformitate amplior elaborari potest, quàm si per ipsa vitia moneamur, unde aversi simus, et quò debeamus redire conversi? Prolixè Augustinus disputavit, ut virtutum divinarum perversam distortamque imitationem vitia omnia præ se ferant, atque ita ostendant Deum omnium esse Creatorem, nec esse quo omnimodè ab eo recedatur : ostendant et Reparatorem, cùm vera imitatio non nisi ex ejus medicinali gratiâ possit provenire. « Quapropter si et ipsa su- « perbia veræ libertatis et veri regni umbra « est, etiam per ipsam nos commemorat divina « providentia, quid significemus vitiosi, et « quò debeamus redire conversi. » Hæc planè divina providentia aurem nobis vellicans, submonensque vel per ipsa vitia nostra, quò convertenda sit mens nostra, ut veras captet virtutes, quarum umbris illuditur, hæc, inquam, providentia est humanissima et salutis nostræ architecta, atque adeò Reparatoris nostri propria et peculiaris. Non igitur jam quisquam plebeio hoc se ludificari sinet præjudicio, nefas esse ut per hominum flagitia Christi mysteria adumbrentur. Nam si vitiosi significamus grande et medicinale aliquid, et illud ipsum nobis innuimus, quo appulsi vitia omnia exuemus et germanis vestiemur virtutibus, sanè vitiosi Christum nobis vitiorum omnium expugnatorem significamus.

In hâc sententiâ est et Ambrosius; cui ex re esse visum est, etiam Patriarcharum peccata in Scripturis consignari, ut « Instruant « Patriarchæ non solùm docentes, sed etiam « errantes. » Sed id non ad significationem attinet mysticam vitiorum. Aptius est illud : « Nec imputandum est ei peccatum, quia non « fuit in eo dolus malitiæ, sed lapsus erroris : « deinde quia non fuit improbitatis æstus, sed « umbra mysterii. » Excusabantur quodammodò crimina, quæ umbram prægestabant mysterii Christi. Nam cùm in eo sit propitiatio peccatorum non nostrorum tantùm, sed etiam totius mundi, jam tum vim quamdam medicinæ spirabat ipsa umbra mysterii. Unde ait Ambrosius imputandum Davidi non esse adulterium, id est, condonatum pœnitenti fuisse.

quia in eo erat « umbra mysterii, » id est, quia umbra mysterii quam præferebat, vim quamdam expiatricem in antecessum de mysterio ipso præsumptam irrigabat. Quod sanè parcè admodùm et modestè sumendum, nec præsumendum à nobis fuisset, sed Ambrosio nefas est obloqui.

20. Rursùs Ambrosius : « Intelligimus jus « quoddam et summum prophetiæ, quæ more « nucis, foris amara, dura in medio, tenera « intùs est et fructuosa. Etsi igitur in histo- « riâ amariora auditis, in typo dura cognosci- « tis, sperate tamen in mysterio fructuosa. « Adulterium, inquam, in typo salutis est fa- « ctum : non enim adulterium omne damnan- « dum est. Denique ad Prophetam dictum est : « *Vade, accipe tibi uxorem fornicariam.* Domi- « nus jubet cum eâ quæ fornicaria fuerit, esse « conjugium : cujus conjugii fructus est Chri- « stus. Namque filio qui ex fornicatione est « natus à Domino nomen impositum est Israel, « quod est divina generatio. » Sic ille præfatur subjunctæ mox de Incarnatione Verbi doctrinæ : « De divinis autem non audio, licet « pium, adulterium nominare, ne quem « vel sonus sermonis offendat, licet sensus « veneratior in promptu sit : quod potest « tamen cautiùs dici, etsi non expressiùs. « Ex disparibus copulis contubernium pium « factum est, quando scilicet, *Verbum caro « factum est.* Non sunt legitima consortia « divinitatis et carnis : nec ut quodam fœdere « conveniente naturæ, caro animæ, et anima « carni, ita etiam divinitas et caro justi servant « quodammodò tori legem. Suscepit carnem « Deus, assumpsit animam, per inusitatam « nec legitimam incarnationem, consortium « fecit esse legitimum, ut sit *Deus omnia in « omnibus.* » Si cujus adhuc ab his refugiat, abhorreatque animus, pensitet iterùm iterùmque, scelera quælibet ex improbitate quidem hominum ultrò effervescere, non posse tamen nisi permittente atque ordinante Deo procedere. Ne jam ergo pendamus quò peccati libido collineet, sed quò permittentis et peccantium ruinas ordinantis Dei sapientia bonitasque intueatur. Nullum quippe tantum est bonum, quod non meritò suspicemur Deo obversari, et designari in malis seu permittendis seu ordinandis. Pulcherrimum semper et ubique est Dei regnum : nec opis nostræ est, vel in primis, vel in imis illud vel tantisper deturpare. Itaque à nobis quidem turpitudo designari et parturiri potest, at pulchritudinis summa lex erumpere illam non patietur, nis ut ampliorem inde aliquam pulchritudinem exprimat. Unde idem Ambrosius rem eamdem cursim perstringens : « Mysterium igitur in « figurâ, peccatum in historiâ. Culpa per ho- « minem, sacramentum per Verbum. »

Assentitur Hieronymus : « Si illa et cæ- « tera his similia quæ in Scripturis sanctis « legimus facta, poterit approbare, sed aliud « quid significare contenderit; ergo et me- « retrix ista mulier, et illa adultera mu- « lier, quæ aut Prophetæ jungebatur, aut « servatur à Prophetâ, non turpem stupri « conjunctionem sed sacramenta indicant fu- « turorum. » Quo ex loco id argumenti elicies, quando hæc flagitiorum fœditas Prophetis et Patriarchis affricabatur, quando passim in sacris codicibus respergitur, hinc facilem emergere conjecturam, grande aliquid per hæc significari. Nam sacræ litteræ quarum finis Christus est, quæ unum illum meditantur, unum personant, quæ intelligentibus spiritus et vita sunt, non quasi sordidarentur flagitiorum narratione, nisi et hinc documenta quædam ad Christum elicerentur. Prophetæ autem fornicariis feminis exosi peræquè et infesti, non iis utique, jubente maximè Deo, committerentur, nisi ut propheticum, hinc aliquod extrueretur sacramentum. Itaque non Scripturis, non earum scriptoribus sordes et infamiam illinit Deus, sed significandi Christi omnimodâ nos cumulat varietate.

Assentitur et Gregorius Magnus : « Sic pie- « rùmque res quælibet per historiam virtus « est, per significationem culpa; sicut ali- « quando res gesta, in facto causa damnationis « est, in scripto autem prophetia virtutis. » Statimque progreditur ad Davidis flagitium enucleandum. Et quid attinet tricari? Illud ipsum Judæ cum Thamar adulterium in Christi genealogiâ memoratur, ut de peccatoribus nasci peccatorum Redemptor monstretur; et ne miremur si ex adulterio, Christi prophetia exoriatur, cùm indidem Christi ortum ducat genitrix.

Assentitur denique Bernardus : « In operibus « Domini et minùs capaces animos exterior « consideratio pascit; et qui magis exercitatos « habent sensus, solidiorem intùs cibum in- « veniunt et suaviorem, tanquàm adipem, « medullamque frumenti. Sunt enim et ex- « teriori specie delectabilia et interiori virtute « multò delectàbiliora : quemadmodùm et ipse « exteriùs quidem *speciosus* erat *formâ præ « filiis hominum*, interiùs autem tanquàm can-

« dor lucis æternæ etiam ipsis supereminens « vultibus angelorum, etc. Non sic apud Patres « veteris Testamenti reperies. Nam et in ope- « ribus eorum decora et delectabilis est signi- « ficatio mystica; ipsa tamen si per se consi- « derentur, invenientur aliquando minùs di- « gna, ut sunt facta Jacob, adulterium David « et multa similia. Pretiosa quidem sunt fer- « cula, sed vasa non adeò pretiosa. Et fortassè « propterea dictum est : *Tenebrosa aqua in « nubibus aeris,* quoniam tenebrosæ nubes illæ « fuerunt. Et subjunctum est de Domino : « *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt.* » Non atrocia tantùm illa, et rara, ut adulteria et homicidia, sed et alia innumerabilia, non adeò nefariè gesta, alicunde tamen terrenis contaminata cupiditatibus, ut sunt Jacobi nonnulla, ad Christi significationem vocat Bernardus. Et sanè cùm vetus homo tum gereretur, cùm terrenis cupiditatibus largiùs indulgeretur aliquid, cùm ipsi Patriarchæ sanctissimi in opes, in uxores sese effunderent, et ita servirent tempori, cùm temporalis esset tota illa et temporalibus affixa dispensatio, et inde tamen æternorum significatio struereturˌ non poterat non aliquando per maculosa quædam gesta Christus adumbrari. Et id eximium Christo ipsi servandum erat, ut temporalia ejus gesta omnia sic æternorum veritatem et sanctimoniam significarent, ut et ipsa ab omni sorde peccati pura essent et incontaminata. Nam et facta Christi foris conspicua, interioris ejus divinitatis atque æternitatis erant imitamenta, atque intelligentibus argumenta. Sed ut inculpatus ipse, ita et species ipsa exterior factorum ejus omnium intemerata erat; ut labis omninò expers præter ipsum nullus vel Patriarcharum fuit, ita et horum facta etiam alicujus culpæ affinia, ad Christi nihilo seciùs significationem destinabantur.

CAPUT XII.

In Scripturâ et di pensatione veteris Testamenti nunquàm latuit charitas veritatis, nusquàm non adfuit; id porrò unum, id totum Christus, id salus est.

1. Charitatem Dei et proximi Scriptura vetus legis et Prophetarum etiam atque etiam commendabat, non accuratis tantùm et sigillatim informatis præceptionibus, sed toto, ut ita dicam, corpore ipso et contextu operis eam unam parturiebat. Id quippe innuebat Christus, cùm maximum Dei mandatum et alterum ei conjugatum de geminâ dilectione edisserere aggressus, submonuit, hinc pendere legem et Prophetas; hoc est, quidquid in legis, quidquid in Prophetarum voluminibus per longos rerum sermonumque et sacramentorum anfractus dispersum erat, ad unam convergere Dei et proximi dilectionem. At nec ipsa Christi lex aliud quidquam complectitur, nec Christus ipse à nobis aliud esse intelligitur, quàm charitas veritatis et veritas charitatis. Ergo incassùm tamdiù abfuisse Christum ejulamus, cùm nunquàm abfuerit, cùm nusquàm non conspicabilem se ingesserit, nunquàm non hominum aures personuerit lex charitatis, quæ salus, quæ Christi lex, quæ Christus ipse est. Augustinus : « Certè « nemini dubium est, nec aversi vos ita estis « à vero, ut non intelligatis, si diligere Deum « et proximum bonum est, quod negare nemo « potest, quidquid in his duobus præceptis « pendet, vituperari jure non posse. Quid ergo « in his pendeat, ridiculum est, si à me quæ- « rendum esse putas. Ipsum Christum audi, « audi, inquam, Christum, audi Dei sapien- « tiam. *In his,* inquit, *duobus præceptis tota lex « pendet et* omnes *Prophetæ.* » Non abnuit quin vituperationi pateat quidquid in sacris litteris à præcipiendâ charitate cessaverit. At nihil hinc vacare, omnia eò conspirare, atque adeò omnia extra omnem calumniæ aleam posita esse ex ipsâ Christi auctoritate argumentatur. Et idem : « Omnia igitur præcepta divina « referuntur ad charitatem de quâ dicit « Apostolus : *Finis autem præcepti charitas, de « corde puro, et conscientiâ bonâ, et fide non « fictâ. Omnis* itaque *præcepti finis* est *charitas,* « id est, ad charitatem refertur omne præ- « ceptum. Quod verò ità fit, vel timore pœnæ, « vel aliquâ intentione carnali, ut non refera- « tur ad illam charitatem, quam diffundit Spi- « ritus sanctus in cordibus nostris, nondùm « fit quemadmodùm fieri oportet, quamvis « fieri videatur. Charitas quippe ista Dei est « et proximi. Et utique *in his duobus præceptis « tota lex pendet et Prophetæ.* Adde Evange- « lium, adde et Apostolos. Non enim aliunde « vox ista : *Finis præcepti est charitas;* et : « *Deus charitas est.* » Si Christi, si evangelica, si apostolica præceptio omnis unam Dei et proximi charitatem molitur : si indidem pendent lex et Prophetæ : ergo temporibus legis et Prophetarum Christus, Evangelium, apostolica doctrina, charitatis, inquam, prædicatio non silebat, quin ex omnibus paginis, ex omnibus Scripturarum angulis, ex omnibus penè apicibus personabat.

2. Et rursùs Idem : « Deinde monendus est « ex hâc occasione, ut si quid etiam in Scriptu- « ris audiat, quod carnaliter sonet, etiamsi non « intelligit, credat tamen spiritale aliquid si- « gnificari, quod ad sanctos mores futuramque « vitam pertineat. Hoc autem breviter discet, « ut quidquid audierit ex libris canonicis, quod « ad dilectionem æternitatis, et veritatis, et « sanctitatis, et ad dilectionem proximi referre « non possit, figuratè dictum, vel gestum esse « credat, atque ita conetur intelligere, ut ad « illam geminam referat dilectionem. » Vel apertè ergo vel figuratè hoc unum meditantur sacræ litteræ, ut quemdam in animis nostris succendant amorem « æternitatis et veritatis et « sanctitatis : » amoremque item proximi ; parturiunt ergo in nobis amorem unius et trinæ Deitatis, quantùm illam intelligi diligique sufficit pro suo cuique tempore, omnibus peregrinationem hanc mortalem emetientibus. Omnis quippe religio ex illis libris in animos nostros irrepens, quemdam æternorum præ temporalibus gustum, quemdam verorum præ fucatis fallacibusque bonis saporem, quemdam veræ sanctimoniæ suavitatem ingenerat, et is est æternitatis, veritatis et sanctitatis amor, in Dei imagines obvias, seu in proximum quasi innatâ quâdam proclivitate propendens. Non charitas enim, sed fucus, sed larva charitatis, est, si Deum diligere te speres, nec diligas æternam veritatem, veram æternitatem, æternam et veram sanctitatem. Id vetus Scriptura suadet, id jubet, nunc apertè, nunc opertè, sic tamen ut ex apertis operta patefiant.

3. Et rursùm idem Augustinus : « Ut intelli- « gatur legis et omnium divinarum Scriptura- « rum plenitudo et finis esse dilectio rei, quâ « fruendum est, et rei quæ nobiscum eâ re frui « potest : quia ut se quisque diligat, præcepto « non est opus. Hoc ergo ut nosceremus atque « possemus, facta est tota pro salute nostrâ per « providentiam divinam dispensatio tempora- « lis, quâ debemus uti, non quasi mansoriâ « quâdam dilectione atque delectatione, sed « transitoriâ potiùs tanquàm viæ, tanquàm « vehiculorum, vel aliorum quorumlibet instru- « mentorum, vel si quid congruentius dici « potest, ut ea quibus ferimur, propter illud « ad quod ferimur, diligamus. Quisquis igitur « Scripturas divinas vel quamlibet earum par- « tem intellexisse sibi videtur, ita ut isto in- « tellectu non ædificet istam geminam charita- « tem Dei et proximi, non intellexit. » Omnis Scriptura, omnis Dei dispensatio temporalis, ipsa Christi incarnatio, quando et hæc temporalis dispensatio est, non aliud quàm machina quædam est, ad hoc excitata, ut ad fastigium nos promoveat charitatis. Si ergo Scriptura vetus charitatem insinuabat, quid præterea desiderari poterat ? An Christus aliud adventu suo conciliavit humano generi ? An ore suo quidquam præter eamdem charitatem sanxit, quàm ore Prophetarum, quàm voce Scripturæ totius ipsemet promulgârat ? Nam quod Christus eam non chartis jam, sed cordibus inscribit, inscribebat et olim iis, qui auritos se sequacesque ejus per legem et Prophetas mandatis exhibebant : inscribit et nunc, cùm incarnatio ejus tam præterita est quàm olim futura erat. Valet enim ille tam in præteritum, quàm in futurum omnipotentem gratiæ suæ vim diffundere.

4. Et rursùm : « Discussa ergo præcepta, « aut eadem omninò inveniuntur, aut vix aliqua « in Evangelio, quæ non dicta sint à Prophetis. « Præcepta eadem, sacramenta non eadem, « promissa non eadem. Videamus, quare ? « Præcepta eadem quia secundùm hæc Deo « servire debemus. Sacramenta non eadem, « quia alia sunt sacramenta dantia salutem, « alia promittentia Salvatorem. » Audin præcepta eadem ? Audin et causam ? « Quia secun- « dùm hæc Deo servire debemus. » Invariabilis est enim quædam religio legis æternæ et justitiæ norma incommutabilis, quæ non alia et alia aliis et aliis temporibus locisque est, vel esse potest, sed eadem usque et ubique constat, et inexplicabilibus atque adamantinis nexibus rationalem omnem naturam obligat inclinatque ad Deum ex toto corde, proximum tanquàm seipsum diligendum. Omnia præcepta hinc effluunt, et hùc refluunt. Ideò præcepta eadem. Quocirca cassa erat Judæorum carnalibus delectamentis devinctorum causatio, quasi temporalium tantùm vel amittendorum formidine, vel consequendorum cupidine imbuerentur, non ullo autem æternorum sapore. Cassa hæc, inquam, erat tergiversatio, nam Deum diligendum et utique propter se non propter temporalium bonorum quisquilias diligendum, utique diligendum, ideòque propter se diligendum, quia non diligitur nisi quod propter se diligitur : utique diligendum ex toto corde et ex totâ animâ et ex totâ fortitudine, ut citra culpam non posse aliò derivari vel tantilla amoris guttula inculcaretur : Deum, inquam, diligendum ante omnia lex divina urgebat et publicè contestabatur. Unde idem ibidem paulò post : « Hæc dicimus, ut omnes

« de novo Testamento discatis non inhærere « terrenis. Si enim illi inexcusabiliter terrenis « inhæserunt, quibus ipsum novum Testamen- « tum nondùm fuerat revelatum : quantò inex- « cusabiliùs terrena sectantur, quibus jam « promissa cœlestia in novo Testamento reve- » lata sunt? »

5. Rursùm Augustinus : « Dominus Deus « noster fidem in quâ vivimus, et ex quâ vivi- « mus, per libros sanctos, Scripturas sanctas « multipliciter nobis varièque diffudit : sacra- « menta quidem verborum varians, fidem ta- « men unam commendans. Una enim eadem- « que res ideò multis dicitur modis, ut modum « ipse dicendi propter fastidium varietur, sed « propter concordiam una fides teneatur. » Una fides, nempe quæ per dilectionem operatur, ex hâc enim et in hâc vivimus, una charitas, una religio, una salus temporibus locisque omnibus constanter dominatur, quia legis et justitiæ incommutabilis naturas rationales regentis inconcussum hoc imperium est : at illa variis sacramentis implicatur et explicatur, id est, quasi variis verbis et signis profertur, prout digerendæ temporum pulchritudini, et venustando seculorum concentui opportunum duxerit ratio providentiæ. Incarnatio porrò Verbi, et vita hîc ejus in carne, temporaliterque gestorum mysteriorum series, vel olim promissa, vel post exhibita, vel nunc commemorata ; olim propheticis libris, post hominum oculis, nunc evangelicis litteris consignata ; hæc est varietas sacramentorum multiformis, et tanquàm variegata quædam Dei ad homines eloquentia, ad unam tamen justitiæ charitatem complectendam semper et ubique conspirans. Diluendo enim fastidio necesse erat ut quando una res dicenda semper erat, non uno modo diceretur. Unum enim Verbum Dei cùm sit, innumerabili creaturarum varietate expingitur et repræsentatur : ita et una Dei charitas lexque justitiæ æterna cùm sit, multiformi diversitate sacramentorum exprimitur, ut inculcatiùs et urgentiùs, atque citra nauseæ periculum amatoribus jam multitudinis et ab unitatis simplicitate palantibus hominibus imprimatur. « Tali ergo modo eadem dicuntur, et faciunt « nos dulciter cogitare quæ novimus, et « eadem ipsa libenter audire, quia modus « dicendi variatur, et res antiqua ipso modo « dicendi renovatur. » Antiqua sacramenta, quasi antiquata sunt quædam verba ; jam suâ vetustate exoleverunt illa, et recentioribus cessère locum; sed antiquatis tamen illis, eadem quæ novis significabatur charitas veritatis : quæ nec antiqua ipsa est, nec nova ; et semper antiqua, semper nova est, quia incommutabilis et æterna est. Novata ergo sunt sacramenta, sed non novata charitas, quæ tam antiqua quàm æterna est ; antiquata sunt vetera sacramenta, tanquàm verba obsoleta, sed non antiquata charitas, quæ semper nova, quia indeficiens et innovans est.

6. Idem Augustinus : « Quidquid dubitatio- « nis habet homo in animo auditis Scripturis « Dei, à Christo non recedat ; cùm ei fuerit « in illis verbis Christus revelatus, intelligat se « intellexisse. Antequàm autem perveniat ad « Christi intellectum, non se præsumat intel- « lexisse. » *Finis enim legis Christus est, ad justitiam omni credenti.* Contexenda sunt hæc duo Pauli : *Finis præcepti charitas ;* et *Finis legis Christus.* Inde enim emicat, finem unum legis præceptique divini esse Christum, esse charitatem. Quibus gemina sunt et illa ubi dicitur, plenitudo legis charitas, cùm plenitudo legis sit Christus, qui venit non legem solvere, sed adimplere. Quibus denique non dissonant hæc duo Augustini loca, ubi nunc aît, intellecto Christo patere indubitanter cujuslibet Scripturæ loci intellectum ; nunc autem, non ante locum ullum Scripturæ diluxisse censendum, quàm lux aliqua et flagrantia charitatis inde scintillet. Quorsùm hæc? Prorsùs ut tum dilucere Christum intelligas, cùm rutilat charitas : tum charitatem affulgere, cùm renidet Christus. Dei enim ad nos, nostra ad Deum, nostra invicem reciproca charitas Christus est. Ecqua enim vel Dei ad nos, vel nostra ad Deum reciprocatio charitatis post lapsum nostrum, nisi ex Dei indulgentiâ et humanitate venire saltem in mentem potest? Quæ hominis ad hominem propter Deum et propter æternitatem justitiæ infucata charitas, nisi ex eodem fonte indulgentiæ divinæ? Quæ denique usquàm vera et sincera charitas, nisi originis suæ conscia, de cœlo se et de gratiâ Salvatoris nostri Dei nasci gnara? Id porrò totum Christus est, et quisquis ita Deum vel proximum diligit, is Christum tenet.

7. Movere posset aliquem hæc doctrina, majestatis Christi tuendæ studiosiorem, quasi non satis consultum illi esset, si cum charitate quasi unum et idem promiscuè habeatur. Sed hunc scrupulum eximet idem Augustinus : « Supereminens via charitatis tenet eos, qui « propriè pertinent ad regnum cœlorum. Ergo « præceptum charitatis super cœlos, super

« omnes libros. Ei enim subduntur libri, ei « militant omnes linguæ Sanctorum, et omnes « motus dispensatorum Dei, et animæ, et cor- « poris. Supereminens est enim via, et meritò « protegit in aquis superiora cœli, quia nihil « invenis eminentius charitate in divinis li- « bris. » Num parùm magnificum Christo est, quòd sit super omnes libros, quòd ei subdantur libri, quòd ei militent omnes linguæ Sanctorum, et omnis motus naturarum rationalium divinis ministeriis defungentium? Quod nihil denique eminentius illo fit? At hunc dignitatis summum apicem debet Christus charitati, debet sibi quòd ipse charitas sit. Et rursùs idem : « Videbitis hoc vos audire, quod jam « noveratis, sed ideò multipliciter dicta sunt, « ut varietas locutionis fastidium tolleret veri- « tatis. Quod enim amplius audituri, vel salu- « brius cogniturí estis, quàm : *Diliges Domi- « num Deum tuum ex toto*, etc. : *Diliges proxi- « mum*, etc.? Sed ne putetis hæc duo præcepta « parva esse, *in his duobus præceptis tota lex « pendet et Prophetæ*. Quidquid ergo salubriter « mente concipitur, vel ore profertur, vel de « quâlibet divinâ paginâ exculpitur, non habet « finem nisi charitatem, etc. In nullis Scrip- « turis aliud inquiratis, nemo vobis aliud præ- « cipiat; quidquid obscurum est in Scripturâ, « hæc ibi occulta est : quidquid ibi planum « est, hæc ibi aperta est. Si nusquàm aperta « esset, non te pasceret; si nusquàm occulta, « non te exerceret. » Num studiosiùs quidquam desiderabis ad Christi amplitudinem suscipien- dam? Quidquid salubriter vel mente concipi- tur, vel ore profertur, vel utcumque ex sacris litteris exculpitur, ad charitatem pertinet, ad Christum pertinet, quia Christus ipse charitas est.

8. Sed volupe erit audire ab eodem, ut quæcumque in Scripturis præcipiuntur, ad charitatem Christi præstruantur, non tantùm protrito illo et vel tyronibus notissimo sensu, quem præivit Paulus, quòd omnia sigillatim præcepta ad unam recolligantur Dei et proxi- mi dilectionem : sed aliâ speciali ratione et paulò reconditiore. Etenim præcepta omnia tanquàm collyria sunt quorum mordacitate cruciatur, sed interim purgatur ad videndum et amandum supernum veritatis lumen acies mentis, nostræ terrenis cupiditatibus sordi- busque oblimatæ. Nam à contuitu et fruitione veritatis incommutabilis Christi non arcet nos, nisi lippitudo nostra tantæ lucis impa- tiens. In variis præceptis scintillat quædam lucula justitiæ et veritatis, cui contuendæ paulatim insuescit et ad amplioris luminis patientiam firmatur oculus mentis nostræ : sed et ipsâ difficultate obtemperandi, ipso ti- moris divini flagello torquetur, curatur, et à terrenarum cupiditatum laqueis expeditur, ut ad charitatem veri luminis emergat aliquan- do. « Et cùm exercemur nos in ipsis, et rursùs « quasi reflectimur pondere nostro ad ista « consueta, tales sumus, quales lippientes cùm « producuntur ad videndum lumen, etc. Cùm « viderint fulgorem, reverberantur quodam- « modò, etc. Quid ergo facit medicus? Revo- « cat ad solita, et addit collyrium, ut ad illud « quod visum est et videri non potest, deside- « rium nutriat, et ex ipso desiderio curetur « plenius, et si qua mordacia reparandæ sani- « tati adhibentur, fortiter ferat, ut amore illius « lucis accensus, etc. Quæ sunt collyria? Noli « mentiri, noli perjurare, noli adulterari, noli « furari, noli fraudare. Sed consueti, et cum « aliquo dolore à consuetudine revocaris : hoc « est quod mordet, sed sanat. Nam dico tibi « liberiùs ex timore et meo et tuo; si curari « restiteris, et esse idoneus ad fruendum hâc « luce neglexeris, valetudine oculorum tuorum « tenebras amabis, et amando tenebras in te- « nebris remanebis, et remanendo in tenebris, « etiam in tenebras exteriores projicieris : *Ibi « erit fletus et stridor dentium*. Si nihil in te « faciebat amor lucis, faciat timor doloris. » Perspicuè hîc advertis quid conferat timor, quid præceptorum congeries, quid tota vetus Scriptura; nempe nutrit augetque qualem- cumque amorem justitiæ et lucis æternæ, cui omnis religio inhiat fruendæ : et caligantem infirmæ mentis aciem atque tantæ lucis ma- jestate reverberari solitam, hâc collyriorum acrimoniâ lùm mordet, sanat : dum torquet, purgat, redintegratque fruendæ luci veritatis et justitiæ, id est, Christi.

9. Nec inde multùm abludit, quod alibi do- cet, Scripturas omnes novas veteresque ad hæc duo summatim capita revocari posse, quòd Christi mortem et resurrectionem tra- dant. At quid hæc duo nobis, nisi à tempora- libus ad æterna fugam per charitatem insi- nuant? Mortuus est enim peccato Christus et nos ei commortui : revixit justitiæ, vivit Deo, et nos ei consurreximus, id est, terrenis cu- piditatibus mortui sumus, ut Deo, ut justitiæ vivamus, in novitate Spiritûs. Id ergo unum molitur Scriptura, ut doceat mori peccato, vivere Deo; mori, et resurgere; cupiditates

jugulare, charitatem alere; et ita terris abreptos in cœlestis luminis vitam et fruitionem nos promovet : « *Aperuit illis Scripturas, et ostendit « eis, quia oportebat pati Christum, et impleri « omnia quæ de illo scripta sunt in lege Moysi, et « Prophetis, et Psalmis :* omnem Scripturam « circumplexus est. Quidquid illarum Scriptu- « rarum est, Christum sonat, sed si aures in- « veniat. Quid autem ostendit Dominus scrip- « tum de se in lege Moysi et Prophetis et « Psalmis? Quid ostendit? Ipse dicat. Brevi- « ter hoc Evangelista posuit, ut nos noscamus, « quid in tantâ latitudine Scripturarum cre- « dere, et intelligere debeamus. Certè multæ « sunt paginæ et multi libri, hoc habent om- « nes, quod dixit Dominus breviter discipulis « suis. Quid est hoc? *Quia oportebat pati Chri- « stum et resurgere tertiâ die.* » Quò valeant autem hæc duo summa capita dispensationis Christi temporalis, mori et reviviscere, sexcenties alibi ex Paulinis oraculis interpretatus est Augustinus, nempe terrenæ emori, spiritali concupiscentiæ renasci, et ita ad Christi, ad lucis æternæ veritatem fruendam redintegrari. Unde idem : « Quisquis novit natum « esse se, ut audiat, quia puer est et infans, « avidè inhiet uberibus matris et citò crescit. « Est autem mater Ecclesia et ubera ejus duo « testamenta Scripturarum divinarum. Hîc « sugatur lac omnium sacramentorum tempo- « raliter pro æternâ salute nostrâ gestorum, « ut nutritus et roboratus perveniat ad mandu- « candum cibum, quod est : *In principio erat « Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus « erat Verbum.* Lac nostrum Christus humilis « est, cibus noster est idem ipse Christus « æqualis Patri. » Ubera duo, duo sunt testamenta, è quibus sugitur et potatur lac, id est, Christus humilis, Christus moriens et resurgens, hominibusque temporali hâc dispensatione lactescens : et hoc lacte roboratus animus vesci jam potest solido cibo, Christo sublimi, Verbo Deo. Ergo extat in totâ latitudine Scripturarum unus Christus, moriens et resurgens, et hoc lacte alas nostræ charitatis nutriens, ut audeat aliquando in puræ nudæque veritatis lucem flagrantissimam evolare.

10. At rursùs alibi Augustinus quæcumque in Scripturis memorantur, quæcumque temporaliter usquàm geruntur, vehicula esse ostendit quibus ad finem aliquem trajiciamur, ubi sistatur via, ubi figatur meta votorum, ubi conquiescatur. Ille autem finis non est nisi charitas, non est nisi verita Christus. Nam finis legis Christus, et finis legis charitas ex Apostolo. Sed finis naturæ rationalis est veritas; ibi autem acquiescere, hæc est charitas. Id Scriptura sonat, id natura ipsa rerum assonat, id consonat ipsa maximè mentis nostræ conscientia, nullo se fine arctari sinens, nullâ suum impetum frenari metâ ferens, donec limpidissimæ veritatis gaudio perfruatur : « Veni ad Christum, vides inde finem omnis « consummationis. Quis est iste finis? Paulum « interroga : *Finis autem præcepti est charitas « de corde puro et conscientiâ bonâ et fide non « fictâ.* » Alio loco : « *Plenitudo legis charitas.* « Quid tam finitum et terminatum quàm p.e- « nitudo? etc. *Finis legis est Christus ad justi- « tiam omni credenti.* Et quid est finis? Chri- « stus, quia Christus Deus, et *finis præcepti « charitas* et *Deus charitas.* Ibi tibi finis est et « alibi via est. Noli hærere in viâ, et non per- « venire ad finem. Ad quidquid aliud veneris, « transi, donec pervenias ad finem. Quid est « finis? *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* « Adhæsisti Deo, finisti viam, permanebis in « patriâ. Intendite : pecuniam aliquis quærit, « non sit ibi finis, transit tanquàm peregrinus, « etc. Quidquid propter aliud quæritur, non « est ibi finis. Quidquid propter se et gratis « quæritur, ibi est finis. » Finis ergo legis, finis præcepti jure merito Christus est, charitas est, quâ Christo veritati incommutabili adhæretur, quia sola veritatis beatitas, sola charitas veritatis propter se quæritur, gratis quæritur, reliqua propter ipsam : id Scriptura tota canit, natura et conscientia tanquàm gemina Scripturæ et germana soror, ab eodem parente et institutore Deo informata, succinit. Quocirca non Scripturæ tantùm, sed naturæ etiam vocibus, et conscientiæ intestinis magisteriis obsurduerint, necesse est, ii qui temporalibus voluptatibus sese ingurgitantes, Christi seu venturi, seu in cœlos jam recepti, et rursùm venturi, veritatisque semper præsentis, et charitatis semper ad se invitantis nos, delicias aspernentur, in tantum etiam fortassis, ut nec ullas esse putent.

11. Istiusmodi complura Augustinus uno complexus est sermone : « Divinarum Scrip- « turarum multiplicem abundantiam latissi- « mamque doctrinam sine ullo errore compre- « hendit et sine ullo labore custodit, cujus cor « plenum est charitate, dicente Apostolo : *Ple- « nitudo legis est charitas.* Si ergo non vacat « omnes paginas Scripturarum revo'vere, teno

« charitatem et in eâ invenies omnem scien-
« tiam, etc. Nec dubitari potest, quin templum
« Dei sit homo, in quo habitat charitas. Dicit
« enim et Joannes : *Deus charitas est.* Ipse
« quoque Dominus pascens nos verbo verita-
« tis, quod est ipse *panis vivus qui de cœlo des-*
« *cendit; manaatum*, inquit, *novum do vobis*
« *ut diligatis invicem.* » Et iterùm : « *In hoc*
« *scient omnes quia discipuli mei estis, si vos in-*
« *vicem dilexeritis*, etc. *Mortuus est propter de-*
« *licta nostra, et resurrexit propter justificatio-*
« *nem nostram.* Qui ergo contra mortis vetus-
« tatem, attulit vitæ novitatem, ipse contra
« vetus peccatum opponit novum mandatum.
« Quapropter quisquis vetus peccatum vis ex-
« tinguere, mandato novo, extingue cupidita-
« tem, et amplectere charitatem. Sicut enim
« *radix omnium malorum est cupiditas*, ita radix
« omnium bonorum est charitas. Totam ma-
« gnitudinem et latitudinem divinorum elo-
« quiorum secura possidet charitas, etc. Docet
« enim nos unus cœlestis magister, et dicit :
« *Diliges*, etc. *In his duobus præceptis universa*
« *lex pendet et Prophetæ.* Si nunc ergo non
« vacat omnes paginas sanctas perscrutari,
« omnia volumina sermonum evolvere, Scrip-
« turarum secreta penetrare, tene charitatem;
« ibi pendent omnia, ibi tenebis etiam quod
« ibi non didicisti. Si enim nôsti charitatem,
« aliquid nôsti, unde et illud pendet quod fortè
« non nôsti et in eo quod in Scripturis non in-
« telligis. Charitas patet in divinis sermonibus,
« qui charitatem tenet in moribus. » Excute
minutatim, et pondera voces omnes prolixioris
hujus loci, omnia ibi effulgebunt quæ supra
indigitavimus. Liquet enim totam Christi doc-
trinam, unâ charitate contineri. Liquet totam
Christi dispensationem morte et ressurrec-
tione ejus constare, et ad hæc cætera revoca-
ri : mortem porrò ejus non aliò pertinere
quàm ad extinguendam temporalium cupidita-
tem, resurrectionem ad exsuscitandam æter-
norum charitatem. Liquet totum Christum
seu docentem, seu sese exhibentem, vel mor-
talibus mortalem, vel ad immortalitatem re-
divivum, non aliud quàm legem et normam
charitatis esse. Liquet Scripturas non novas
tantùm, sed et veteres, quantæ quantæ sunt,
totas Christo, totas charitati vacare, et non
aliud esse charitati quàm Christo, aut Christo
quàm charitati describendæ, ostentandæ, pro-
mittendæ, exhibendæ vacare. Liquet interpre-
tem Scripturarum cuique præsentissimam et
intimam, eamdemque fidissimam et perspicacis-
simam esse posse charitatem quam nihil latet,
quam ea etiam quæ latent, non latent. Nam etsi
quid latet, si modò tamen charitas ibi patet,
nihil latet. Quidquid enim illud est quod latet,
sinu suo non gestat nisi charitatem, quæ pa-
tet. Liquet in vitio igitur esse et suæ sibi ja-
cturæ auctores, quicumque ex Scripturis Chri-
stum non eliciunt, charitatem non exprimunt;
nam si charitas non adest, quæ illuminet, te-
nebrescit cupiditas, per quam profligatur cha-
ritas, et obnubilatur veritas. Suas ergo tene-
bras voluntariæ imputet cupiditati, quisquis
valedixit charitati luminosissimæ. Liquet etsi
sacramentis omnibus tum novis, tum antiquis
utcumque obumbretur charitas, eam tamen
perspicuè et præclarissimè tum in novis, tum
in antiquis litteris illucescere, ut nec Christus
ipse novum Testamentum condens et ejus
breviarium unâ charitate concludens, potuerit
disertioribus, quàm iis ipsis vocibus eam pro-
mulgare, quas lex Mosaica in fronte prægesta-
bat : *Diliges Dominum*, etc. Et quanquàm hæc
videretur eximia fore legis evangelicæ præro-
gativa, nempe charitas timori succedens, eam
tamen in legem et Prophetas Christus ipse
refudit, quos inde pendere contestatus est.
Quæ ergo tam clarè aures hominum circum-
sonabat charitas, ea una erat Scripturarum
interpres, ea Scripturarum omnium loco una
erat et sufficiebat; ea Sacramentorum omnium
vel lucem præferebat, vel vicem obibat, ea
erat Christi tota doctrina, et vita, ea erat
mors et resurrectio Christi : ut nemo impe-
ritiam suam obtendere jam possit. Liquet de-
nique si lateat charitas in divinis sermonibus,
in causâ esse, ut ait Augustinus, quòd non
teneatur in moribus. Unde idem rursùs :
« *Deus charitas est. Qui habet charitatem, Deus*
« *in illo manet, et ipse in Deo.* Si charitatem
« habes, Deum habes. Quid habet dives, si
« charitatem non habet? Pauper si charitatem
« habet, quid non habet? Tu fortè putas quòd
« ille sit dives, cujus arca plena est auro, et
« ille non sit dives, cujus conscientia plena est
« Deo? Non ita est, fratres. Ille verè dives esse
« videtur, in quo Deus habitare dignatur.
« Quid enim de Scripturis poteris ignorare, si
« te charitas, id est, Deus cœperit possidere?
« Quid enim de bonis operibus non poteris
« implere, si fontem bonorum operum meue-
« ris in corde portare? » Iloc verbum abbre-
viatum, Christus, charitas. Ne anxiè inquiras,
qui potuerit ante adventum suum inter affe-
ctatas veteris instrumenti umbras, Verbi

incarnatio, passio, resurrectio innotescere et credi : tam pronum hoc erat, tam cuique in ore, ad manum, in corde, quàm terrena non concupiscere, et æterna temporalibus amando anteferre. Ut nunc ergo, ita et tunc; et rursùs ut tunc, ita et etiam nunc, suo quisque arbitrio et libertatis nutu, imis affigitur, à supernis et æternis refugit, suas alit cupiditates, fastidit charitatem volens et sciens, atque ita suis se immergit tenebris, ut non videatur veritas, non spectetur lux, et ecce ante nos est: non teneatur clavis, quâ Scriptura tota patescere, quâ Christus totus infundi posset. Postremò præstantissimè id ipsum evincit Augustinus : « Quid est quadragenarium numerum « implere? Continere se ab amore hujus se- « culi. Continentia à rebus temporalibus, ne « perniciosè amentur, quasi jejunare est ab « isto seculo. Ideò Dominus quadraginta die- « bus jejunavit, et Moyses et Elias. Qui ergo « dedit servis jejunare posse, quare noluit « ampliùs, quàm dederat servis, nisi quia in « isto quadragenario numero est mysterium « jejunii, continere ab isto seculo? Quid est « hoc dicere? Quod ait Apostolus : *Mundus mihi « crucifixus est, et ego mundo.* Ipse ergo implet « numerum quadragenarium. Et quid ostendit « Dominus? Quia hoc Moyses fecit, hoc Elias, « hoc Christus, hoc et lex, hoc et Prophetæ, « hoc et Evangelium docet : ne aliud putes « esse in lege, aliud in Prophetis, aliud in « Evangelio. Omnes Scripturæ nihil te aliud « docent, nisi continentiam ab amore seculi, « ut amor tuus currat in Deo, etc. Ergo in « quadragenario numero continentia à seculo « est. Hæc est legis plenitudo. Legis autem « plenitudo charitas. » Sentio quàm invidiosa sit ista uno ex Augustino tanta copia et prolixitas, sed ubi de charitate disceptatur, quis possit ejus ubertatem, quis ignei torrentis impetum sistere? Cùm ergo lex, cùm Prophetæ, cùm tota veteris Testamenti etiam per temporales illecebras dispensatio continentiam à seculo suaderet, et charitatem incitaret ad æterna, et hæc summa sit Evangelii, hæc tota Christi opulentia, si qui tum in carne stertebant, Christi et æternorum charitatis exortes, nimirùm non temporis intercapedo, non incarnationis tarditas, sed sua ipsis cupiditas Christum intercludebat.

12. Ambrosius : « Dicit Apostolus : *Per cha- « ritatem spiritûs servite invicem.* Timor legis « est, charitas Evangelii. Denique *initium sa- « pientiæ timor Domini. Plenitudo autem legis « charitas.* Tamen et ipsa lex dicit : *Et in hoc « verbo omne mandatum instauratur;* et in isto « uno, inquit, sermone impletur : *Diliges proxi- « mum tuum.* Hoc est igitur quod proposuimus, « quia etsi ex lege servitus, tamen secundùm « legem libertas. Charitas enim libertatis, ti- « mor servitutis est. Est igitur et charitas legis, « et servitus charitatis, sed lex charitatis præ- « nuntia est, charitas Evangelii piæ servitutis « arbitra est. Non superflua itaque lex quæ « tanquàm pædagogus prosequitur infirmiores. « Infirmitatem dico morum, non corporum. « Infantes enim sunt, qui fari Dei verbum ne- « sciunt, qui opera ejus non recipiunt. » Liquidò hîc sanctus Pater declarat, legis veluti cardinem universæ in unâ charitate verti; sed si timor strideat, terreatque, in causâ esse non legem, sed hominum infirmitatem et infantiam quamdam, quæ ipsi charitatis mandato nisi pœnarum formidine morigerari nesciat. Itaque hominum infirmitas legem obliquat et detorquet, lex autem ipsa indulgentiùs se nobis adaptans, quos nondùm potest amore, timore interim vincit. Evangelicam igitur charitatem lex reposcit, sed infantia hominum solum adhuc timorem conatur, et ipsa sibi Christum procrastinat. Quod evidentiùs facit Ambrosius idem : « Exploduntur hi, qui sibi legisperiti « videntur : qui verba legis tenent, vim legis « ignorant : et ex ipso primo legis capitulo « docet Christus esse legis ignaros, probans « quòd in principio statim lex et Patrem et « Filium prædicaverit : incarnationis quoque « Dominicæ annuntiaverit sacramentum di- « cens : *Diliges Dominum Deum tuum;* et : *Di- « liges proximum, sicut teipsum.* Unde Dominus « ait ad legisperitos : *Hoc fac et vives.* At ille « qui nesciret proximum suum, quia non cre- « debat in Christum, respondit : *Quis est meus « proximus?* Ita qui Christum nescit, nescit et « legem. Quomodò enim potest scire legem, « cùm veritatem ignoret, cùm lex annuntiet « veritatem? » Audis satis clarè sine Christo verba legis teneri, vim legis non teneri; audis si nesciatur Christus, nesciri legem. Audis et Patrem et Filium lege prædicari et incarnationis Dominicæ sacramentum : audis veritatem et veritatis charitatem lege exhiberi, idque esse Christum. Audis denique nec primum legis capitulum impleri posse, videlicet dilectionem, quin teneatur Christus, quia Christus et Deus ille et proximus ille est, qui diligi lege præcipitur. Charitas enim in proximo Deum,

et in Deo proximum, sive hominem in Deo, et Deum in homine diligens, Christum quodammodò meditatur, qui Deus in homine, et homo in Deo, seu Deus et homo, unus idemque est; et quà Deus, quà homo, hominibus omnibus implicatus et concorporatus, charitatem omnem seu Deo seu hominibus propter Deum impensam in sese recolligit.

13. Hieronymus : « Tantum enim bonum est « charitas, ut omnis lex in illâ recapitule- « tur, etc. Nec difficile est docere quomodò « universa præcepta, *non occides, non adulte- « rabis, non furaberis,* et cætera his similia, « unâ charitatis observatione teneantur. Hoc « ostendere arduum est, quomodò hostiæ quo- « que quæ in Levitico sunt præceptæ, et ci- « borum vel abstinentia, vel permissio, cùm « alia munda, alia immunda; solemnitatum « quoque jugis per annum recursus in uno « charitatis præcepto recapitulentur. Nisi fortè « quis illò se transferat, ut affirmet legem spi- « ritualem esse : et imaginibus et exemplaribus « nos cœlestium deservisse, antequàm verus « Pontifex advenisset. Qui postquàm semel « seipsum offerens victimam suo sanguine nos « redemit, omnis illa priscæ legis varietas et « difficultas in ipsius super homines dilectione « completa est. In tantum quippe Pater ama- « vit mundum, ut Filium suum charissimum « et unigenitum daret pro nobis. » Non mandata tantùm moralia, sed et ciborum delectui, atque istiusmodi morositatibus aliis dicata, quin et festorum, sacrorumque ritus omnes ad charitatem insinuandam spectâsse indubitanter affirmat : idque summatim revincit uno hoc argumento, quòd ad Christi sacrificium delineandum digesta ea essent omnia, quod summæ Dei charitatis monumentum est. Ergo tota lex charitatem et Christum, ut unum et idem aliquid hominum mentibus pro virili informabat. Nec latuit Hieronymum illa hujus totius dogmatis causa, apud Augustinum eliquatissimè declarata, quòd amor pondus sit animæ, illam totam agens ordinansque; quòd item amor omnium animæ affectuum rector et imperator quidam sit, atque ita vitæ humanæ quæ his affectibus tota circumagitur, arbiter summus : quòd denique nullius anima possit ab amore qualicumque vacare in totum, sed eam necesse sit vel desipere terreno, vel cœlesti amore divina sapere. Unde nulla homini instituendo lex præfigi potest, nisi quæ amorem ejus detorqueat à terrenis ad divina, ab imis ad summa, id conscientia animæ ipsi identidem objectat, id ex creaturarum inspectione, id ex Scripturarum qualicumque pervolutatione suspicatur saltem, nec nisi ingravescente quodam libidinum pondere ne id advertat, ne perpendat, ne sequatur, prohiberi potest. Hieronymus epistolâ ad Celantiam : « *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* « Grandem vim obtinet vera dilectio. Et qui « perfectè amatur, totam sibi amantis vindicat « voluntatem. Nihil est imperiosius charitate. « Nos si verè Christum diligimus, si ejus nos « redemptos sanguine recordamur, nihil magis « velle, nihil omninò debemus agere, nisi quod « illum velle cognoscimus. » Et epistolâ ad Eustochium de Virginitate servandâ : « Diffi- « cile est humanam animam aliquid non amare, « et necesse est, ut in quoscumque mens no- « stra trahatur affectus. Carnis amor spiritûs « amore superatur. Desiderium desiderio re- « stinguitur. Quid quùm inde minuitur, hinc « crescit. » Ut ut sibi homines assententur, se suaque omnia uno amoris imperio agi vertique, possunt non cogitare, aliò cupiditatum fluctibus abrepti, non possunt ignorare. Utcumque lex divina insonet, si amore, si amoris saltem amore non obsequuntur, conscii sibi ipsi sunt suæ à Deo defectionis, cui amore non inclinantur, sed longè ab ipso ad ima reclinantur. Ubi autem amorem justitiæ supra suas vires advertunt, illi suspirandum, ejus largitori Deo vota nuncupanda, id est, invocandum Christum esse admonentur. Hinc Tertullianus libro de Patientiâ : « Dilectio summum fidei sacramen- « tum, Christiani nominis thesaurus. » Et Paulinus epistolâ ad Severum : « Et solam il- « lam quæ plenitudo est Evangelii charita- « tem. »

14. Ex Græcis autem Irenæus primùm monet, nil lege priorum Patrum choro opus fuisse, ut quorum animis nondùm exolevisset charitatis lex innata : « Quare Patribus non « disposuit testamentum? Quia lex non est « posita justis. Justi autem Patres virtutem « Decalogi conscriptam habentes in cordibus « et animabus suis : diligentes scilicet Deum « qui fecit eos, et abstinentes erga proximum « ab injustitiâ, propter quod non fuit necesse « admonere eos correptoriis litteris, quia ha- « bebant in semetipsis justitiam legis. » At cùm augescente nequitiâ lex charitatis inscripta mentibus hominum abolesceret, refricandam illam fuisse mox ait, et idcircò à Deo quidem editam immediatè esse legem Decalogi, quæ amore uno constat ordinato, utpote in-

variabilem fixamque in æternum naturis rationalibus legem : reliqua verò quæ adumbrandæ vel exercitandæ pro tempore charitati adjiciebantur, et non usque duratura erant, à Moyse ipso promulgata esse : « Cùm autem « hæc justitia et dilectio quæ erat erga Deum « cessisset in oblivionem et extincta esset in « Ægypto, necessariò Deus propter multam « suam erga homines benevolentiam semet- « ipsum ostendebat per vocem, et eduxit de « Ægypto populum in virtute, ut rursùs fieret « homo discipulus et sectator Dei, etc. Erga « Deum dilectionem præsciebat, et eam quæ « ad proximum est, justitiam insinuabatur, « ut nec injustus, nec indignus sit Deo præ- « struente hominem per Decalogum in suam « amicitiam et eam quæ circa proximum est « concordiam, etc. In quam vitam præstruens « hominem, Decalogi quidem verba ipse per « semetipsum omnibus similiter Dominus lo- « cutus est, etc. Servitutis autem præcepta « separatim per Moysen præcepit populo, apta « illorum eruditioni, sive castigationi. » Hinc infert non aliam à Christo incarnato legem promulgatam, quàm illam ipsam charitatis, quam ipsemet olim ante carnem suam edixerat. Cùm enim idem ipse sit, cùm lex charitatis invariata et æterna sit, hanc unam sive incarnandus, sive incarnatus sanxit; quia tamen caro ipsa Verbi scaturigo est gratiarum ejus omnium in homines, per eam astrinxit arctiùs nexum charitatis, ut perfectior nunc quàm olim, non alia tamen quàm olim lex nos constringat charitatis. « Decalogi quidem verba « ipse per seipsum omnibus similiter Dominus « locutus est. Et ideò similiter permanent apud « nos, extensionem et augmentum, sed non « dissolutionem accipientia per carnalem ejus « adventum. Servitutis autem præcepta sepa- « ratim per Moysen, etc. Hæc ergo quæ in « servitutem et in signum data sunt illis, cir- « cumcinxit novo libertatis Testamento. Quæ « autem naturalia et liberalia et communia « omnium, auxit et dilatavit sine invidiâ lar- « giter, donans hominibus per adoptionem, « Patrem scire Deum et diligere eum ex toto « corde, etc. Auxit etiam et timorem. Filios « enim plus timere oportet quàm servos et ma- « jorem dilectionem habere in Patrem, etc. » Lex ergo charitatis, quia naturalis, liberalis, communis omnibus, nunquàm cessavit, ea una à Christo rogata est, sive ante carnem, sive in carne, sive ante legem clam, sive sub lege palàm, sive in carne sub gratiâ manifestiùs largiùsque. Nam lex illa à Christo non potuit, nisi ampliùs commendari post carnem suam hominibus ultra proficientibus. Sed et olim cùm proficere singulos lex charitatis, seu insita, seu scripta juberet, penes singulos erat, ut ad Christi carnem vel properarent, vel lentescerent, atque ita sua illos non Christi tarditas fatigaret.

Cyrillus his consentaneus est : « Ait Chri- « stus : *Mandatum novum do vobis ut diligatis* « *invicem*. At quomodò hoc novum mandatum « esse dixit, qui per Moysen veteribus præcepit : « *Diliges Dominum Deum tuum*, etc., *et proximum* « *sicut teipsum*. Ecce enim charitate erga Deum « primo loco positâ, mutuam aliorum erga « alios dilectionem subintulit, alteramque al- « teri conjunxit, etc. Sed novitatem sermonis « intendens, suamque dilectionem aliquid ma- « jus ac præclarius habere quàm vetus illa in « proximos dilectio, subjunxit statim : *Sicut ergo* « *dilexi vos, ut et vos diligatis invicem*, etc. « Lex enim præcepit diligere fratrem sicut se- « ipsum, Dominus autem noster dilexit nos, « plusquàm seipsum. » Igitur ex Cyrillo amplificata est à Christo et ulteriùs provecta lex charitatis, non quasi innovata : quasi dicas, adolevisse Christum et ætatis incrementa fecisse, non tum exortum, aut natum esse primum, ut qui ante legem et sub lege existeret jam, et infantiam saltem quamdam in hominum genere agitaret. Ut autem Christus ipsa sit charitatis lex, quæ et antea viveret foveretque homines, tum autem per charitatis incrementa adoleverit, affirmat idem Cyrillus paulò post : « Quid fabrilis artis peritus, non- « ne ideò se artem apprimè callere dixerit, « quia fabro usus sit magistro ? Eodem modo « qui charitatis erga Deum plenam in seipsis « vim habent, nullo negotio cognoscendum « præbebunt se charitatis extitisse discipulos, « sive Christi qui perfectissimam in se chari- « tatem continet. Sic enim dilexit mundum, « ut et animam pro ipso posuerit, etc. Cùm « enim Deus sit charitas juxta Joannis vocem, « quippe qui sit charitas, hoc est, naturalis « et unici ac veri Dei Filius, charitas etiam « ipse manifestò est : non pompâ verborum « conspicuam habens dignitatem, sed operibus « ipsis ac rebus fructum se esse substantiæ « Patris ostendens. » Et paulò post : « Itaque « ipsemet erit charitatis fructus, et cùm sit « etiam ipse charitas, sicuti Pater ex quo est « Filius, nostris per charitatem animis insig- « nietur et mutuam charitatem mordicùs am-

« plecti, conjunctionis et familiaritatis cum « ipso notas bonis imprimit. » Non potuit efficaciùs demonstrari Christus mera charitas esse, et ipsa natura ac substantia charitatis, doctrina ejus unâ charitate concludi, vita operumque series unius charitatis esse monumentum : charitatem à Deo sibi promulgari Israeliticus audisse populus, charitatem è Scripturis fulgurantem vidisse, id est, Christum et ipse tenere potuisse, nisi sua ipsum cæcitas atque duritiès à cœlestibus aversum ad terrena afflixisset. Promptum esset et alios græcæ theologiæ optimates percunctari et consonantes his eorum audire sententias, nisi longiùs nos evectos nimia hæc jam prolixitas deterreret. Compendiosiùs dicam ne potuisse quidem eos circa hæc ullo dubitationis ambiguo æstuare ; quòd tota naturæ humanæ in Deum religio et justitia invariabilis unâ charitate contineatur ; quòd Christus quantus quantus est, mera sit Dei hominumque charitas ; quòd charitatem ante cætera sciscerat atque imperaret tota vetus Scriptura ; quòd denique neminem Mosaicis legibus, imò naturalibus notitiis imbutum latere posset, eam charitatem quam nostris viribus assequi haud ulla spes superesset, precibus à Deo ruinæ nostræ reparatore expugnandam esse. His ita fixis et conclusis, jam efficitur invictissimè id quod capite isto moliebamur, nulli in veteribus Scripturis defuisse saltem Christi, id est, charitatis infantiam, nisi suâ ipsius spontaneâ surditate et terrenarum libidinum absurditate.

CAPUT XIII.

Verbum Deus ante carnem suam ad omnes ubique gentium extra Israelem populos visis congruis veniebat, et præcoquis futuræ incarnationis suæ beneficiis quibusdam irrorabat.

1. Jamdiù est quòd unis insudamus Israelitis, eisque præseminatum Christi mysterium prærogatumque sanguinem, imò Christum ipsum ante carnis suæ præsentiam repræsentatum philosophamur cum sanctis Patribus. Tempestivum jam est et ad alios per orbem dissipatos latissimè populos, et per errorum devia, per vitiorum abrupta præcipites, respectare : atque inquirere, ecquid tamdiù illos Christus adventu suo, etiam umbraticâ ejus spe defraudârit et etiamnunc plerosque fraudet, aut num quâ eos suæ lucis gratiæque aspergine irroret? Cæterùm jampridem nos illam alibi usurpatam non hîc tenemus disputandi rationem, quæ in varia capita atque argumenta dispescebatur, viâ et methodo pertutili et præclariore. Ex quo enim orsi sumus indagare arcana divinæ providentiæ consilia in procrastinando Christi adventu, quasi nihil affirmare, nihil argumentari constitutum nobis esset, sola Patrum suffragia contexuimus, et eorum sensa nudare atque admirari visi sumus. Consultò id à nobis factum est. Lubrica est enim quæstio hæc tota, et salebris undique obsita. Vestigia ergo Patrum ponè legere, singulorum calculos rogare et expendere et magni pendere, ab affirmandi temeritate, et à nostrarum opinationum evulgatione longissimè abesse tutissimum nobis et consultissimum visum est. Itaque antedictorum omnium fides, fideique periculum sit penès eos auctores quorum verba ipsa excerpsimus : idonei erunt ipsi fidejussores. Si quorum no. sensa minùs assecuti sumus, aut interpretando detorsimus, et ita nostrum aliquid interserui mus, id totum expungi chartis, animisque oblitterari non assentimur tantùm, sed obsecramus.

2. Sed multò nunc cautiùs incedendum nobis est et suspensis ingrediendum vestigiis, in hujus capitis argumento. Est enim gentium ratio quàm Israelitarum multò caliginosior, et intempestæ nocti haud absimilis. Rarissima Scripturarum lumina, pauca Patrum testimonia ad eorum res nobis aperiendas præeunt, conjecturis plurimus superest locus, quibus statum nobis est nihil admodùm indulgere. Est enim in his tanti momenti rebus non tam admiranda solertia, quàm fugitanda conjectandi temeritas. Itaque multò pressiùs legemus vestigia anteeuntium, nobisque qualemcumque auctoritatis vel rationis facem præferentium vel Patrum vel magni nominis auctorum. Eorum scita proferemus, placita nostra omninò nulla erunt, aut si quà incautis erumpant, hinc jam ejurabuntur.

3. Non inscita sunt quæ variis locis circa rem istam philosophatus est Nicolaus à Cusâ S. R. E. cardinalis, scriptis rebusque in Ecclesiâ et pro Ecclesiâ gestis notissimus. « Omnis motus clauditur terminis speciei, quiescit « enim omnis res in naturâ suâ specificâ. Spe« cies enim est cœlum quoddam ambiens om« nem individualem motum suæ naturæ, etc. « Non est oculus inquietus, quia non audit, « aut quia non gustat, etc. Solùm appetit vi« dere et in videndo habere omnem perfectio« nem quæ per oculum desiderari debeat, etc. « Sic nec homo potest appetere, quòd sit al-

« terius speciei, aut Angelus, etc. Vellet igitur « homo in suâ humanitate quam exire non vel- « let, consequi omnem perfectionem. Homo « autem habet vitam. Non igitur vellet homo « aliud quàm habere perfectam et indeficientem « vitam, etc. Sic appetit intelligere perfectè « omne intelligibile. Nam sicut videre est « vita oculi, ita intelligere est vita animæ « intellectivæ, etc. Sic velle nunquàm est « satiabile per acquisitionem bonorum, nisi « omne bonum acquiratur. Non igitur quie- « tatur homo, nisi attingat in humanitate suâ « vitam quæ est ratio omnis vitæ; veritatem « quæ est ratio omnis veri intelligibilis; bo- « num quod est ratio omnis boni et appetibilis. « Et cùm homini insit hic motus à naturâ hu- « manitatis suæ, hinc sequitur in ipsâ huma- « nitatis specie, quietem motûs attingere posse « hominem, qui nec frustra movetur, nec « extra speciem. Humanitas autem est una « per quam omnes homines sunt homines, etc. « Motus igitur humanitatis meæ est, ut in ho- « mine meæ humanitatis consequar quietem. « Sed cùm nihil majus aut melius dici, exco- « gitarive possit, quàm id quod me quietare « debet, scilicet vita sine corruptione, veri- « tas sine fallaciâ, bonum sine omni malo: « tunc dico, hoc esse Deum. Deus enim est id « maximum et id optimum quo majus aut me- « lius concipi nequit: sed tale, quies est at- « que terminus motûs, spiritus intellectualis. « Hinc motus humanitatis meæ est, ut in ho- « mine meæ humanitatis attingam Deum. Re- « perio igitur in meipso hominem humanitatis « meæ qui ita est homo, quod est et Deus. Et « hîc est homo in quo solùm ego in meâ hu- « manitate quietem attingere valeo: quies « enim Deus est. Homo igitur ille qui est et « Deus, est ille ad quem omnes homines se- « cundùm naturam humanitatis moventur. Et « hic est Christus Jesus benedictus. Hic Jesus « fuit occultus, desideratus omnibus gentibus, « et venit in hunc mundum post longam ex- « pectationem. » Hæc ille, quæ compendio possunt ad ista summa capita reduci. Primò nativo impetu omnes homines concupiscere, vitam sine defectione, veritatem sine fallaciâ, voluptatem imperturbabilem: id est, non mori, non falli, non dolere. Rursùm vitam hanc æternam, et veritatem voluptatemque inexpugnabilem, non esse nisi Deum. Ad hæc insitum id etiam esse ut nostræ ipsimet speciei hæc tanta insit felicitas, nec aliunde sit mendicanda. Nam individua cujusque speciei intra ejus fines ita coarctantur, ut inde evagari ne votum quidem aut spes ulla sit. Ex quibus conglobatis perficitur, in votis esse omni homini, ut homo saltem aliquis et in eo natura hominum universa ceu in vertice suo sit vita indeficiens, veritas nusquàm errans, suavitas inexhausta, id est, ut homo Deus sit. Cùmque insita insusurrataque à naturâ non possint frustrabilia esse desideria, hinc omnibus hominibus etiam inopinantibus inesse in animi recessu interius desiderium Christi et spem eo potiundi. Hoc est enim quod ait Cusanus, « ad eum omnes ho- « mines secundùm naturam humanitatis mo- « veri; » hoc est quod ait: « hunc fuisse oc- « cultum desideratum omnibus gentibus, et « venisse in hunc mundum post longam expe- « ctationem; » hoc est quod paulò post addit: « Hic est igitur princeps ille, quem omnis crea- « tura ingemiscens desiderat. Omnis enim « creatura desiderat meliori modo esse quo « potest: et hoc aliter esse nequit quàm in « homine omnes naturas inferiores, in intel- « lectuali suâ complicante, qui sit et Deus, « etc. Nihil igitur aliud est, quod omnia desi- « derent, quàm caput principiumque nostrum « Dei Filium, primogenitum omnis creaturæ, « per quem omnis creatura inesse existit, et « in quem redire expectat, et gemit, quous- « que redeat ad quietem. Vide ergo quomodò « Christum in nobis reperimus, et quòd ipse « est perfectio nostra, omnia adimplens quæ « appetimus et motum nostrum quietans, quan- « do nos in ipsâ nostrâ humanitate, in ipso « divinam vitam et omne desideratum attin- « gemus. » Ita vult Cusanus omnem creaturam, omnem hominem in ipso felicitatis appetitu innato ad Christum suspirare, quòd Christus unus ea felicitas sit, quam omnia naturaliter concupiscant, nempe summa et indissociabilis copula Deitatis cum naturâ creatâ. Sic illi Christus est, desideratus omnium gentium, sic omnis creatura ingemiscit et parturit, revelationem filiorum Dei per Christum complendam expectans; sic cuique Christus proximus est in ore et in corde, ut ait Paulus, sic, ut ait Christus ipse, regnum Dei intra nos est: sic, ut alibi dicitur, redeant prævaricatores ad cor, et ibi vulnerum medelam omnium nanciscentur, quæ foris sparsi per deliciosas lassitudines exceperunt. Porrò his accedet aliquid luminis, si advertas homini post lapsum suum familiare fuisse et inolitum, ut Deum et felicitatem suam in rebus corporeis venaretur, nec ullam tamen corpoream naturam suæ an-

teponeret. Quaquaversùm patebat genus humanum per omnes terrarum tractus, et Deum et beatitudinem quærebat, et à naturis corporeis extricare mentem suam non poterat, et naturis corporeis facilè semet antestare intelligebat, ideòque Deos, aut saltem majorum gentium Deos nonnisi humanâ formâ aut fingebat, aut pingebat, aut sculpebat. Nonne hinc Cusano largieris, omnibus hominibus præjudicatum præsumptumque fuisse, nonnisi in Deitate humanatâ, universæ felicitatis summam esse collocatam? Nam quòd adulterinis numinibus operam darent, ea erat erroris fallacia de consuetudine superfundens sese, nec tamen valens opprimere penitùs innatum sensum consensumque unius veri summi numinis; cui inter angustias deprehensi, et naturæ, non consuetudinis instinctum tunc sequentes, vota faciebant. Omnes ergo illæ fictitiorum Deorum superstitiones, non aliud erant quàm deviantia quædam et distorta incarnationis imitamenta, sed indubitata testimonia insiti omnibus hominibus, seu ex naturæ, seu ex ægritudinis ingenio præjudicii, non posse homines nisi in Deo humanato conquiescere. Accedet rursùs aliquid lucis sententiæ Cusani, si advertas illam hominum pronitatem naturaliter incumbentem in æterni, verissimi, et suavissimi, boni aucupium, cùm motus quidam sit, à Deo cieri atque foveri. Movet enim Deus hominem, ut alibi prolixiùs statuitur, ad universale bonum, quod Deus ipse est, æternitas, veritas, voluptas summa et incommutabilis, et ex hâc Dei motione illa proficiscitur hominis æstuatio et contentio ad bonum sibi comparandum, quo nec mori, nec falli, nec dolere posse consequatur. Cùm ergo ex ægritudine suâ homo jam nequeat, nisi sensibilia vel mente vel amore complecti, et tamen Deo ciente inclinetur ad æternæ veritatis charitatem imperturbabilem aucupandam, hanc in sensibilibus aucupatur; rectè, si ad Deum verum in sensibilia misericorditer inclinatum; obliquè et distortè, si ad commentitios Deos respiciat. Deus enim quo priùs cœperat, etiam post lapsum pergens movere et impellere, movet impellitque ad veri boni auctorem et restauratorem Christum, id est, ad æternitatem veræ charitatis sensibili naturâ hominis obvolutam: at homo æger impulsum ad remedium detorquens aliò, et ægritudini suæ indulgens largiùs, in profanas religiones lascivit.

4. Iterùm idem Cusanus: « Cùm omnes « ratione vigentes participent de ipsâ sapientiâ, et non sit adeò sapiens in mundo, quin « videatur in eo aliquis defectus propter quem « cognoscatur sapientior possibilis; hæc autem « possibilitas nisi in effectum perveniat, non « est id à Deo factum quod est possibile fieri « et deficit perfectio. Ideò si debet in effectum « pervenire, necesse est, quòd divinæ et in- « corruptibilis sapientiæ plenitudo inhabitet « illum corporaliter seu essentialiter uti est; « non accidentaliter, seu participativè, sed « corporaliter, sic quòd omnes sapientes participatione illius sapientiæ sint tantùm id quod « sunt. Et hunc in lumine naturæ in quo omnium defectum videmus, in ejus comparatione, omnes sapientes prævidisse futurum « potuerunt tanquàm plenitudinem divitiarum « et thesaurum desiderabilium. Hanc plenitudinem virtutis vivificantis, Christum regem « regum, opera quæ fecit circa medelam sensibilis rationalis vitæ, venisse ostenderunt « quæ nemo ante eum operatus est. » Non longè discrepat hæc Cusani argumentatio ab illâ quam præluserant Platonici philosophi, sed quam Augustinus creberrimè usurpavit et christianæ inseruit philosophiæ. Videlicet justitiam, sanctitatem, æqualitatem non visum iri nobis in quolibet homine, vel opere etiam singulari quocumque, vel abundare, vel delicere, nisi ante oculos obversaretur animi nostri summa quædam et numeris omnibus absolutissima, atque infinita forma justitiæ, sanctitatis, et æqualitatis, cujus accessu vel recessu de rebus et naturis omnibus sententiam ferre auderemus. Atqui post peccati nostri labem casumque in corporalia, non jam valemus formam illam æternam et infinitam justitiæ et veritatis, id est, Verbum Dei, in suâ sursùm naturâ et luce contueri, sed corporeâ et maximè humanâ illam naturâ necessariò vestimus. Non tam justitiam enim ipsam à mater â explicatam intelligimus, quàm hominem aliquem justissimum et qui ipsissima justitia sit, imaginamur. Et amabo te, nonne hic est quem Christum nos appellamus? Ergo, ait Cusanus, « Hunc in lumine naturæ in quo omnium de- « fectum videmus in ejus comparatione, omnes « sapientes prævidisse futurum potuerunt. » Cùm enim singulos ferè homines fastidimus ut aliquantulùm semper delirantes ab eâ regulâ justitiæ, quam mente versamus, subest utique desiderium, subest vaticinium ejus hominis, qui nec transversum unguem deviet, sed ipsissima justitia sit.

5. Et ibidem paulò post : « Aliquid igitur « supra omnem mensuram comprehensionis « desiderat nobilis spiritus et ingemiscit, quia « id quod maximè desiderat, apprehendere « nequit. Unde cùm hoc desiderium apprehen- « dendi vitam in suâ æternitate et immortalitate « omnibus nobilibus intellectualibus spiritibus « insit, qui scilicet suam vitam intellectualiter « intelligere summè cupiunt ; tunc cognoscunt « illum qui de gratiâ suâ hanc dedit nobilem « immortalis desiderii naturam, quòd non de- « dit eam tali desiderio fervidam sine spe asse- « quendi. Nam aliàs esset dare tormentum, « quod optimo Deo non est adscribendum, qui « solùm novit dare bona. Unde omnes Prophetæ « et sapientes etiam ex gentibus, videntes ex « se non posse ad hoc quod spiritus desiderat, « attingere, etiam scientes non frustra hoc eis « desiderium inesse, affirmârunt illum qui de- « dit hoc tale naturæ intellectuali desiderium, « etiam gratiam assequendi daturum. Hæc au- « tem gratia quæ est suppletio defectuum na- « turæ, necessariò erit in aliquo gratia genera- « tionis, per quem gratia regenerationis in « omnes veniet. Nemo autem dubitat si per- « fectè artem vivificandi sciret, quòd tunc vi- « veret semper, quia non sineret se ad mortem « venire quam tantùm abhorret. Quare veteres « exoptârunt quòd ars vitæ immortalis, quæ ab « omnibus appetitur, inveniretur cognata uni « per gratiam generationis, qui ipsam omni « spiritui intellectuali posset communicare. « Deus autem est vita immortalis et ars vitæ « est sapientia, seu Filius ejus. Unde hic est « Salvator qui regenerat nos lumine sapientiæ « seu artis immortalis, ad assequendum ulti- « mum desideriorum. » Vides, ni fallor, quid machinetur Cusanus, scrutari videlicet fibras interiores innati ejus desiderii, quo felicitatem, quo sapientiam summam et immortalem ardemus consequi, iisque implicatum vestigare Christi liberatoris desiderium velut innatum. Inexpugnabili enim naturæ instinctu flagrant homines in summæ et indefectibilis sapientiæ assecutionem ; immortaliter enim vivere avent, et vivere non aliud magis censent quàm sapere, unde et aliorum omnium quàm mentis et rationis jacturam æquiùs tulerint. Hoc immortale desiderium non frustra inesse persuasum est, imò facilè præjudicatur *de gratiâ suâ* illud nobis inseruisse auctorem naturæ, tanquàm pignus reliquæ liberationis. Si enim naturam nostram post lapsum omninò abjecisset, nec ullam reparationis spem residuam superesse nobis voluisset Deus, hoc etiam abscidisset desiderium, quod non magis pristinæ amissæque felicitatis argumentum est, quàm ejusdem recuperandæ pignus et jam rudimentum. Ergo cùm ex illo sensu et desiderio insito displicent nobis sapientissimi quique homines, ut aliquà ex parte semper titubantes, nec implentes usquàm omnes numeros ejus sapientis, quem oculo mentis contemplamur, tum auguramur affore in aliquo homine incorruptibilem et infinitam sapientiam ipsam, ab eoque in reliquos homines dimanaturam. Quapropter, ait Cusanus, « Sapientes etiam ex gentibus, videntes ex se non posse ad hoc quod spiritus « desiderat, attingere, etiam scientes non frustra hoc eis desiderium inesse, affirmârunt « illum qui dedit hoc tale naturæ intellectuali « desiderium, etiam gratiam assequendi datu- « rum. » Nimirùm ista naturæ ægræ et ægritudinis suæ remedium præsagientis desideria haud ulla existerent, si natura insanabiliter ægrotaret. Si autem insanabilis non est, ab auctore suo curatum iri certa spes est. Nam si ab auctore suo desperata abjiceretur, non immeritò existimaretur insanabilis.

6. Eòdem redeunt quæ alibi habet idem Cusanus : « Verbum Dei in nobis posuit suî simi- « litudinem. Cùm sit λόγος, seu ratio, in rationali « spiritu lucere voluit, in quo posuit desiderium « veritatis, desiderium vitæ et legem æternam « per quam potest intrare in veritatem et vi- « tam. Christus est Verbum, quod est veritas, « vita, et via. Appetimus autem veritatem, « Christum igitur appetimus. Appetimus vitam, « Christum appetimus. Quærimus quâ viâ per- « tingamus ? Christus est via, quia Deus est « charitas. Charitas est via ad veram vitam. « Omnes hâc in ratione nostrâ characterizatâ « sentimus : quia nemo est qui non afficiatur « ad veritatem, nemo est qui non optet immor- « talitatem, nemo est qui non amet. Sed in « hoc mundo ignoramus quid veritas, quid vi- « ta, quid via, lex seu charitas ; unde Christus « intravit in hunc mundum, ut nobis hæc om- « nia ostenderet. » Appetimus et ad appetendum utique à Deo incitamur ; quid enim vitæ, quid motûs, quid maximè ad superna ambienda stimuli, nisi ab illo suggereretur ? Appetimus ergo vitæ æternitatem : veritatis incorruptibilitatem, id porrò Christus est. Via ad hæc consequenda est charitas, nec id nos latet, nam lex æterna, lex interna et fibris animi à Deo inscripta charitas est : et charitas Christus est. Si ergo pura et intaminata à terrenis

sordibus servarentur ab hominibus hæc munerum divinorum exordia nulli penitùs inconcessa, quantulùm aut quàm nihil à Christo distarent! Nam ægritudinis et virium inopiæ post peccatum contractæ ipsa nos monet experientia, clamat conscientia, adeòque ad invocandam cœlitùs reparatoris Dei gratiam stimulat. Num Christus in carne aliud hominibus quàm æternitatis et veritatis charitatem persuasit? Cùm ergo singulis invisibiliter hominibus clandestinos subdit aculeos Christus idem, ut æternitatem vitæ, ut pulchritudinem veritatis incommutabilis ament, ut ambiant, ut caducis antehabeant, nonne ad eos tum venit? Nonne eis se ostendit, et adventûs sui gratias aspergit? Plenius id quidem per carnem suam peregit, sed non omnes debent totâ perfundi plenitudine, ii maximè qui asperginem et exordia gratiarum ejus aspernantur.

7. Idem: « Spiritus noster rationalis participat « rationem rationis divinæ. Et ob hoc, quòd ex « lumine illo divino quod *illuminat omnem ho-* « *minem venientem in hunc mundum,* ea in nobis « in potentiâ apprehensionis per innata desi- « deria esse sentimus, quæ Verbum incarnatum « se esse fatetur, scilicet veritatem, vitam et « viam. Si enim divina ratio ad cujus imagi- « nem nostra ratio creata est, et à quâ lumen « rationis habet, se illa esse fatetur: non mi- « rum si nos magno desiderio inclinamur ad « veritatem, ad vitam scilicet veram et indefi- « cientem. Et in nobis est lex æterna, ut in « suâ imagine, quæ est via ad veritatem et « vitam. Sed quia ratio nostra quæ est lex de « luce divinâ, lucet in tenebris hujus corporeæ « atque carneæ substantiæ, etc. Hanc igno- « rantiam nostram miseratus Deus misit in « carnem, ipsam rationem absolutam, sive « Verbum aut Filium consubstantialem, ut nos « instrueremur, quomodò desideratam verita- « tem et vitam, quæ non est in hoc mundo, « attingere valeamus. » Vides quàm expressè asserat « ex lumine illo divino, quod *illuminat* « *omnem hominem venientem in hunc mundum,* « esse in nobis per innata desideria ea ipsa « quæ Verbum incarnatum se esse fatetur, « scilicet veritatem, vitam et viam: » ergo per innata desideria inest Christus, idque ex beneficio Christi ipsius, seu luminis viri quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: per hæc ergo lumina, per hæc desideriorum rudimenta venit Christus ad singulos homines, venit veritas, vita, lex æterna, et infirmis objectat se vel an plectendam, vel ut vires augeat invocandam. Et ista, amabo, desideria, nisi hiatu cupiditatum subter ebullientium obfuscarentur, atque devorarentur, quid nisi incitationes quædam ad superna bona et æterna Christi munera? Nam desiderare, utique aliquod amare est, et incitari atque impelli. Ad Christum ergo veritatem et justitiam impelliturhomo per illa irradicata à Verbo desideria: unde idem Cusanus: « Cùm se as- « tringit voluntas veritati, tunc efficitur unum « corpus cum Jesu, qui est veritas ab initio. »

8. Postremò idem Cusanus in Dialogo de pace fidei: « Omnes homines nonnisi æternam « vitam in suâ naturâ humanâ desiderant et « expectant, et ad hoc purgationes animarum « et sacra instituerunt, ut se illi æternæ vitæ « in suâ naturâ meliùs adaptent. Non appetunt « homines beatitudinem, quæ est ipsa æterna « vita, in aliâ quàm propriâ naturâ. Homo non « vult esse nisi homo, etc. Hæc autem felicitas « nisi fruitio et unio vitæ humanæ cum fonte « suo, unde scilicet emanat ipsa vita, et est « vita divina immortalis. Hoc autem quomodò « esset possibile homini, nisi in aliquo commu- « nis omnium natura ad talem unionem ele- « vata concedatur, per quem tanquàm media- « torem omnes homines ultimum desideriorum « consequi possint? Et hic est via, quia homo « per quem accessum habet omnis homo ad « Deum, qui est finis desideriorum. Christus « ergo, qui præsupponitur per omnes qui spe- « rant ultimam felicitatem se asseculuros! » Etenim dùm stabat in veritate homo integer innocensque, Verbo uni adhærescebat ut regi, ut magistro, ut mediatori ad Patrem, ut beatitati suæ et veritati. At ex illâ integritate præcipitatus in hanc sensibilium phantasmatum servitutem, jam ubique somniat sibi sensibilem regem, magistrum, mediatorem, beatificatorem: nec tamen oblitterari potuit, aut potest adhuc innata, et ingeminata identidem à superno illuminatore et stimulatore Deo anticipatio, præsumptioque veritatis et vitæ et charitatis incommutabilis, ex quâ pendet et cui clam suspirat. Hinc porrò perspicuum est quid efficiatur: nempe expectare atque inhiare homines homini alicui, qui vita, veritas, et charitas voluptasque castissima et indeficiens ipse sit, omnesque homines ad sui societatem asciscat. Eò intuebatur omnis illa superstitio hominum in deos relatorum, qui et homines essent et dii, qui et dii essent et ad unum summum Deum mediatores. Ut enim

perversa pietatis imitatrix impietas, et veritatis simulatrix falsitas pro uno vero qui interlucebat, plures deos insaniebat: ita pro uno vero qui caliginosus radiabat, plures adulterinos mediatores, deos eosdemque homines somniabat, utrôbique rea et distorta veri imitatrix, veri luminis desertrix. Idem Cusanus statim: « Optimè hæc placent. Nam si « intellectus humanus credit se assequi posse « unionem ad sapientiam ubi æternum vitæ « suæ pastum adipiscatur, præsupponit alicu- « jus altissimi hominis intellectum unionem « illam altissimè assecutum, et hoc altissimum « magisterium adeptum, per quod quidem « magisterium se sperat similiter ad sapien- « tiam illam aliquando perventurum. Si enim « hoc non crederet possibile in aliquo etiam « hominum omnium altissima, in vanum spe- « raret. Et quoniam omnium spes est aliquando « consequi posse felicitatem, propter quam est « omnis religio: nec in hoc cadit deceptio, « quia hæc spes omnibus communis est, ex « cognato desiderio, et quam sequitur religio, « quæ pariformiter omnibus consequenter co- « gnata existit: hinc video hunc magistrum « et mediatorem, naturæ humanæ supremita- « tem perfectionis, et principatum tenentem, « ab omnibus præsupponi. » Omnibus religionibus etiam aberrantibus præfundatam vult Cusanus esse quamdam anticipatam Christi Dei atque hominis præsensionem. Ut enim omnibus superstitionibus præstruebatur insitus viri Dei unius sensus, cui quia spiritaliter adglutinari pigritabantur carnales et corporeis deliciis excantati homines, hinc fiebat ut in plures deos luxuriarent: ita mediatorum spuriorum colluvies quos sibi gentilium insania fabricabat, non aliunde scatebat, quàm quòd præjudicatum esset quidem et quasi intùs à Deo insusurratum omnibus hominibus in aurem interiorem, opus sibi esse mediatore, qui homo idem et incommutabilis esset sapientia: sed seu desidiâ, seu fatuitate, seu superbiâ abrepti, non tam cœlitùs hunc expectare, quàm ipsi sibi procudere adoriebantur. Uno igitur ex capite utraque serpebat impietas, ut qui pro libidine suâ deos, iidem etiam mediatores sibi commiscerentur; et distortè atque perversè abuterentur supernâ eâ illuminatione atque motione, quâ naturalia desideria ad veri Dei et veræ sapientiæ per hominem adventantis investigationem agebantur.

9. Hæc Cusani placita non sum nescius quàm multis insolentia visum iri. Ut invidia ergo in eum concitanda occupetur, vel concitata jam aliquantulùm saltem demulceatur, venanda nobis sunt ex sanctis Patribus patrocinia, si qua ei propitia et consentanea exprimi possint. Et siquidem quæ ex Patribus accersemus, in idem conspirent, tum nos quoque in eamdem sententiam concedemus: sin minùs, scitorum suorum periculum subire, et lectorum ultricem censuram illum ferre sinemus. Professi enim sumus tum alibi semper, tum verò hìc maximè aliorum decreta à nobis proferri, nostrûm nihil esse proprium, aut si quid ejusmodi incogitantibus nobis excidat, id jam nunc à nobis spontaneâ ejuratione præfocari.

10. Augustinus præ cæteris excutiendus nobis est, quem ante alios admirari et sequi amat Cusanus. Pulsabatur hâc eâdem quæstione sanctus Pater à gentilibus, ut testatur « ipse: « Item alia proposuerunt, quæ dicerent « de Porphyrio contra Christianos tanquàm « validiora decreta. Si Christus se, inquiunt, « salutis viam dicit, gratiam et veritatem, in « seque solo ponit animis sibi credentibus re- « ditum, quid egerunt tot seculorum homines « ante Christum? etc. Quid actum de tam « innumeris animis qui omninò in culpâ nullâ « sunt, siquidem is cui credi posset, nondùm « adventum suum hominibus commodârat? etc. « Ne dicant lege Judaicâ vetere hominum cu- « ratum genus: longo post tempore lex lu- « dæorum apparuit, ac viguit angustâ Syriæ « regione; postea verò prorepsit etiam in fines « Italos, sed post Cæsarem Caium, aut certè « ipso imperante. Quid igitur actum de Roma- « nis animabus, vel Latinis, quæ gratiâ non- « dùm advenientis Christi vindicatæ sunt, « usque ad Cæsareum tempus? » Hæc ex Porphyrii officinâ, ut vides, machina proferebatur, quâ Ecclesia Christi à gentilibus arietaretur. Scilicet non facilè Christo accedebant gentiles eo maximè nomine, quòd ab eo tamdiù abjecti, tamdiù frustrati essent. Non injuriâ ergo tantùm studii operæque posuimus nos in hâc conterendâ argumentatione, in quâ ethnici tantùm sibi adversùm nos præsidii esse jactabant. Advertamus ergo qui hunc congressum sustineat et repercutiat Augustinus: « Quamobrem cùm Christum dicamus « Verbum Dei per quod facta sunt omnia, « sub cujus regimine universa creatura spiri- « talis et corporalis pro congruentiâ temporum « locorumque administratur; cujus moderandæ « et gubernandæ, quid, quando, et ubi circa

« eam fieri oporteat, sapientia et scientia penès « ipsum est. Profectò et antequàm propagaret « Hebræorum gentem, per quam sui adventûs « manifestationem congruis sacramentis præ- « figuraret, et ipsis temporibus Israelitici re- « gni, et deinde cùm se in carne de Virgine « acceptâ, mortalibus mortaliter monstravit, « et deinceps usque nunc cùm implet omnia, « quæ per Prophetas ante prædixit, et ab « hinc usque in finem seculi, quo sanctos ab « impiis dirempturus est et sua cuique retribu- « turus, idem ipse est Filius Dei Patri coæter- « nus et incommutabilis sapientia per quam « creata est universa natura et cujus partici- « patione omnis rationalis anima fit beata. « Itaque ab exordio generis humani quicumque « in eum crediderunt, eumque utcumque in- « tellexerunt, et secundùm ejus præcepta piè « et justè vixerunt, quandolibet et ubilibet « fuerint, per eum proculdubio salvi facti « sunt. »

11. In promptu est quid hìc studeat Augustinus : nimirùm salutem per Christum ante Christi adventum non Hebraicæ tantùm genti, sed et reliquis per orbem disseminatis impartiri. Cùm enim Christus sit sapientia Dei et justitia incommutabilis supernè radians et hominum mentibus præsidens, quicumque usquàm vel unquàm in eum crediderunt, vel eum utcumque intellexerunt, eique vitam attemperârunt moresque suos, ii salutem per eum consecuti meritò conjiciuntur. Nam Verbum Dei, sapientia Dei, lex æterna Christus nunquàm feriata est ab initio, nunquàm à regendo, illuminando, ad sese prolectando humano genere cessavit. « Et tamen ab initio generis humani aliàs oc- « cultiùs, aliàs evidentiùs sicut congruere « temporibus divinitùs visum, nec prophetari « destitit, nec qui in eum crederent defue- « runt, ab Adam usque ad Moysen; et in ipso « populo Israel, qui speciali quodam mysterio « gens prophetica fuit et in aliis gentibus ante- « quàm venisset in carne. Cùm enim nonnulli « commemorantur in sanctis Hebraicis litteris « jam ex tempore Abrahæ, nec stirpe carnis « ejus, nec ex populo Israel, nec ex adventitiâ « societate in populo Israel, qui tamen hujus « sacramenti participes fuerunt, cur non cre- « damus etiam in cæteris hàc atque illàc gen- « tibus, aliàs alios fuisse, quamvis eos comme- « moratos in eisdem auctoritatibus non le- « gamus? » Ita ille ibidem latissimam pandit januam conjectandi de cæteris extra Israelem gentibus quibus se Christus ante adventum suum indulserit. Si pauculos enim eorum sacra Scripturæ monumenta prodiderunt, id eò spectat, ut ex iis conjecturam de cæteris faciamus, qui ad occultam Christi mysteriorum conscientiam sunt adsciti. Ex quibus tandem perficit Augustinus : « Ita salus religionis hujus « per quam solam veram salus vera veraciter- « que promittitur, nulli unquàm defuit qui « dignus fuit, et cui defuit, dignus non fuit. « Et ab exordio propagationis humanæ usque « in finem quibusdam ad præmium, quibusdam « ad judicium prædicatur. »

12. Ad idem collimat et alibi Augustinus : « Nondùm enim venerat, scilicet in carne, « sicut venit quando post hæc *in terris visus* « *est, et cum hominibus conversatus est.* Verùm- « tamen ab initio generis humani vel ad arguen- « dos malos, sicut ad Cain, ac priùs ad ipsum « Adam uxoremque ejus, vel ad consolandos « bonos vel ad utrosque admonendos, ut alii ad « salutem suam crederent, alii ad pœnam suam « non crederent, ipse utque non in carne sed « in spiritu veniebat, visis congruis alloquens « quos volebat sicut volebat. » Et paulò post obscuriori loco Epistolæ Petri hæc aptans : « *Quia Christus*, inquit, *semel pro peccatis no-* « *stris mortuus est, justus pro injustis, ut nos* « *adducat Deo, mortificatus quidem carne, vivi-* « *ficatus autem spiritu. In quo et iis qui in car-* « *cere conclusi erant, spiritibus adveniens præ-* « *dicavit, qui increduli fuerant aliquando*, etc. « *Quoniam priusquàm veniret in carne pro nobis* « *moriturus, quod semel fecit, sæpè antea venie-* « *bat in spiritu ad quos volebat, visis eos admo-* « *nens sicut volebat, utique in spiritu,* » etc. Quibus ergo adventus carnis Christi prolatabatur, adventus Christi in spiritu per visa congrua non differebatur, quibus argueret singulos, moneret, consolaretur. Itaque quibuscumque veritas, quibuscumque justitia, castitas et virtutum lux vibravit desuper, vel utcumque scintillavit, ad eos Verbum Christus in spiritu venit, et venturæ carnis suæ fructus quasi præcerptos infudit : sive clam et invisibiliter, sive per aliquos visibiliter justos veritatis et sanctimoniæ dictata atque exempla subministrans. Unde alibi Augustinus : « Ven- « turus præcones mittebat, sed eorum corda, « quos miserat possidebat. Vultis nôsse, quia « cum illo venerunt? Quid est ipse semper? « carnem quippe accepit ex tempore. Quid est « ergo semper? *In principio erat Verbum.* Cum « illo ergo venerunt, qui cum Verbo Dei vene- « runt. *Ego sum*, inquit *via, veritas et vita*

« Si ipse est veritas, cum illo venerant, qui « veraces fuerunt. » Et hæc ille quidem de Prophetis, quæ nemo non videt consequenter porrigenda esse ad omnes qui usquàm gentium veraces fuerunt, insidente ipsos Verbo et veritate incommutabili, et per eos ad aliorum hominum resipiscentiam adventante. Quotusquisque autem est, vel fuit unquàm cujus oculos animumque nunquàm vel scintilla unquàm et quantulacumque lux afflaverit veritatis et justitiæ, seu intùs radians, seu foris evibrata? Nemo, ut reor : quocirca nec ullus hominum est qui rationis limina attigerint, quem adventu suo Christus Dei Verbum, usquequàque fraudaverit. Undè rursùs ille : « *In generatione et « generatione veritas tua, fundâsti terram et permanet.* Post cœlum enim terram contuitu « fidelis mentis aspiciens, invenit in eâ gene« rationes quæ in cœlo non sunt, et ait : *In « generatione et generatione veritas tua :* sive « omnes generationes istâ repetitione signifi« cans, à quibus nunquàm defuit veritas Dei « in sanctis ejus, modò paucioribus, modò « pluribus, ut sese temporum varietas habuit « vel habebit ; sive duas quasdam generationes « intelligi volens, unam scilicet ad legem et « Prophetas, alteram ad Evangelium pertinen« tium. » Nunquàm defuit veritas, utpote quæ non tantùm ad legem, ad Prophetas, ad Evangelium, sed ad omnes penitùs generationes venerit.

13. Sed præclarissimè idem Augustinus : « Quisquis alienigena, id est, non ex Israel « progenitus, nec ab illo populo in canonem « sacrarum litterarum receptus, legitur aliquid « prophetâsse de Christo, si in nostram noti« tiam venit aut venerit, ad cumulum à nobis « commemorari potest : non quòd necessarius « sit, etiamsi desit, sed quia non incongruè « creditur fuisse et in aliis gentibus homines « quibus hoc mysterium revelatum est, et qui « hoc etiam prædicere impulsi sunt, sive par« ticipes ejusdem gratiæ fuerint, sive expertes; « sive per malos Angelos docti sunt, quos « præsentem Christum quem Judæi non agno« scebant, scimus fuisse confessos. Nec ipsos « Judæos existimo audere contendere nemi« nem pertinuisse ad Deum præter Israelitas, « ex quo propagatio Israel cœpit esse, repro« bato ejus fratre majore. Populus enim re« verà qui propriè populus Dei diceretur, « nullus alius fuit. Homines autem quosdam « non terrenâ, sed cœlesti societate ad veros « Israelitas supernæ patriæ cives pertinentes « etiam in aliis gentibus fuisse negare non « possunt. Quia si negant facillimè convincun« tur de sancto Job, qui ex gente Idumæâ « genus ducens, etc. Divinitùs autem provisum « fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus « etiam per alias gentes esse potuisse, qui se« cundùm Deum vixerunt, eique placuerunt, « pertinentes ad spiritalem Jerusalem. Quod « nemini concessum fuisse credendum est, « nisi cui divinitùs revelatus est, *unus media« tor Dei et hominum homo Christus Jesus,* qui « venturus in carne sic antiquis sanctis præ« nuntiabatur, quemadmodùm nobis venisse « nuntiatus est : ut una eademque fides per « ipsum omnes in Dei civitatem, in domum « Dei, in Dei templum prædestinatos perducat « ad Deum. » Extra gregem illius populi, qui singulariter populus Dei audiebat, extitisse homines quibus Christus in carne venturus innotesceret, à quibus etiam per consignata litteris vaticinia prædiceretur, autumat Augustinus, et exemplo beati Job ansam arripit, de aliis conjiciendi. Sed quàm latè pateat hæc gratia, quàm paucos, quàm multos complectatur, id verò non attingit, plerùmque ad paucos revocat hoc beneficium, nempe cumulatæ salutis.

14. Sed quid hæc ad illa Cusani placita, qui Christum innatis etiam et anticipatis naturaliter desideriis insculpebat? Itaque hæc Augustini præclara quidem sunt ad rei quam tractamus elucidationem, ut liqueat Christum etiam ante carnem suam ad gentiles venisse per interna veritatis lumina, per externa etiam quædam sui vaticinia, selectis ex ipsâ gentilitate pauculis vatibus effusa : sed vereor ut inde patrocinium pro Cusani decretis ullum exculpi possit. Nisi quis humaniùs agere instituerit, et quæ Augustinus effatus est de Veritate, de Sapientiâ, de Verbo Christo, in Spiritu et intelligibiliter, vel etiam per visa congrua veniente ad homines ubique terrarum ab exordio mundi, ea liberaliùs in Cusani suffragationem interpretari volet. Sed multâ hìc opus est et prolixâ indulgentiâ. Posset et ad id conferri quod idem disputat in Confessionibus, ubi agens de informato naturaliter omnibus hominibus beatitudinis desiderio, et amore veritatis, in quâ sitam esse beatitatem haud usquequaque ignari esse possunt, ait : « Hanc vitam beatam omnes volunt, hanc vi« tam quæ sola beata est, omnes volunt; « gaudium de veritate omnes volunt, etc. Et « cùm amant beatam vitam, quod non est

« aliud quàm de veritate gaudium, utique « amant etiam veritatem. Nec amarent nisi « esset aliqua notitia ejus in memoriâ eorum. « Cur ergo non de illâ gaudent? Cur non « beati sunt? Quia fortiùs occupantur in aliis, « quæ potiùs eos faciunt miseros, quàm illud « beatos, quod tenuiter meminerunt. Adhuc « enim modicum lumen est in hominibus. Am- « bulent, ambulent, ne eos tenebræ compre- « hendant. » En ut ex appetitu ingenito beati- tudinis eliciat notitiam veritatis ejus summæ et incommutabilis, cujus gaudere intuitu, ea una beatitas est. Et has ait esse residui lumi- nis reliquias quibus si homines obsequantur, si ambulent, utique tenebras penitùs effugient, et ad veram beatamque veritatis lucem Chri- stum contingent. Ergo et hìc quædam veri luminis Christi, quædam veritatis lux, quæ- dam veræ salutis et beatitatis initiatio in inge- nitis naturaliter desideriis ab Augustino de- prehensa est. Posset etiam ad id rapi, quod alibi ita habet : « Sed quoniam exulavimus « ab incommutabili gaudio, nec tamen inde « præcisi atque abrupti sumus, ut non « etiam in istis mutabilibus et temporalibus « æternitatem, veritatem, beatitudinem quæ- « reremus; nec mori enim, nec falli, nec « perturbari volumus ; missa sunt nobis di- « vinitùs visa congrua peregrinationi nostræ, « quibus admoneremur, non hìc esse quod « quærimus, sed illùc ad ipsa esse redeun- « dum, unde nisi penderemus, hìc ea non « quæreremus. » En rursùs ut innata desideria anhelare ostendit non ad commentitiam aut perfunctoriam, sed ad veram Deitatis æter- nitatem, veritatem, beatitatem, quamvis in transcursu sæpissimè illudat error, ut in infimis quærantur, quæ reperire non est nisi in summis. Itaque eò collimare totam Christi dispensationem ut moneat, adducatque ea quidem quærere quæ quærimus, sed feli- ciùs quærere in supernis, et invisibilibus, quæ delusi et malè fascinati nequicquàm inter hæc terrena quæritamus. Itaque si Christus non aliud moliatur, quàm ut redeamus ad cor, si non aliud quàm naturæ reparator est, ergo qui ante ejus adventum in cor reflectebantur aliquantisper, qui innata desideria sua intro- spiciebant, qui ponderabant ea, qui superje- ctam humum tantisper everrebant, qui se sibi, et naturæ meliori reddebant, utique supernè adjuti, et veram divinorum æternitatem, veri- tatem, voluptatem, sibi ambiendam videbant et docebant, ii utique Christum ad se in spi- ritu venientem ex parte aliquâ prehensabant : et ibi si hæsissent, si non resilissent ad ista ingravescente consuetudinis sarcinâ, utique Christum tenuissent. Eòdem redit quod idem ait alibi : « Quoniam fames mihi erat intùs ab « interiori cibo, teipso, Deus meus, et eâ fame « non esuriebam, sed eram sine desiderio « alimentorum incorruptibilium, non quia ple- « nus eis eram, sed quò inanior, eò fastidio- « sior. Et ideò non benè valebat anima mea, « et ulcerosa projiciebat se foràs ; miserabiliter « scalpi avida contactu sensibilium. » Fames illi erat interioris cibi, Verbi Dei, et tamen eâ fame non esuriebat, quia illam superabat, nec tamen extinguebat fames alia peregrina, et de contage vel originis, vel consuetudinis affri- cata, et in sensibiles pruriens illecebras. Ut- cumque regnaret hæc adventitia terrenorum esuries, non obruebatur tamen illa interior et penitior atque ipsis animæ venis implicata esuries Verbi Dei ; quin inextincta et immor- talis, premi poterat, opprimi non poterat : nec ita premi poterat, quin partes suas alternatim ageret, et creberrima nausea adversariam suam fatigaret. Hæc fames interior illa est, quam Cusanus describit, in veritatem, in sapientiam exardescens, nec tamen ut nunc res sunt post labem naturæ nostræ, eam vel somniare potis, nisi sensibilibus tegumentis obductam. Itaque sicut hinc Cusani placita satis Augustino approbata videantur, benè habet : sin minùs, nihil urgeo præterea. Sus- penso enim gradu statum mihi est per hæc in- cedere, nec quòquam præcipitare assensum.

15. Nunc operæ pretium est animum ad- vertere ad auctorem librorum de Vocatione gentium. Complura enim acervata ibi sunt, ex quibus hujus opacitas quæstionis non media- criter illuminetur. En ejus verba : « Sed ne in « præteritis quidem seculis hæc eadem gratia « quæ per Domini nostri Jesu Christi resurre- « ctionem ubique diffusa est, et de quâ scri- « ptum est : *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi « terræ*, defuit mundo. Quamvis enim speciali « curâ atque indulgentiâ Dei populum Israeli- « ticum constet electum, omnesque aliæ natio- « nes vias suas ingredi, hoc est, secundùm « propriam permissæ sint vivere voluntatem, « non ita se tamen æterna creatoris bonitas ab « aliis hominibus avertit, ut eos ad cognoscen- « dum se atque metuendum, nullis significa- « tionibus admoneret. Cœlum quippe, ac terra, « et mare omnisque creatura, quæ videri atque « intelligi potest, ad hanc præcipuè disposita

« est humani generis utilitatem, ut natura ra-
« tionalis de contemplatione tot specierum,
« de experimentis tot bonorum, de perce-
« ptione tot munerum, ad cultum et dilectio-
« nem sui imbueretur auctoris : implente om-
« nia Spiritu Dei, *in quo vivimus, movemur et*
« *sumus.* Quoniam etsi *longè* est *à peccatoribus*
« *salus,* præsentiâ tamen salutis ipsius ac vir-
« tute nihil vacuum est. » Perpende, quæso, expressas auctoris hujus voces, quòd « hæc ea-
« dem gratia quæ per Christi resurrectionem
« ubique diffusa est, » nunquàm mundo, nunquàm aliis extra Israelem hominibus defuerit. Christus enim Dei Verbum, ut postea per carnem suam, ita priùs ad omnes ubique locorum homines *de cultu et dilectione Dei* concionabatur per creaturæ universitatem, tanquàm per sapientiæ et justitiæ incommutabilis vestem et penè carnem quamdam. Eadem utròbique gratia, etsi non eadem gratiæ largitas, sive per carnem, sive per creaturam, ad Dei cultum et dilectionem hominum genus imbuebat. Ecqua autem gratia nisi per Christum ? « Igitur, sicut dicit Propheta : *Miseri-*
« *cordiâ Domini plena est terra :* quæ nullis
« unquàm seculis, nullis generationibus de-
« fuit, eamque providentiam quâ universita-
« tem rerum administrat et continet, regen-
« dis alendisque naturis semper impendit, dis-
« positum habens ex incommutabilis æterni-
« tate consilii, quibus quidque temporibus
« distribueret, et multiformis gratiæ suæ in-
« scrutabiles ininvestigabilesque mensuras per
« quæ dona ac sacramenta variaret. Sicut
« enim ista gratiæ largitas, quæ in omnes no-
« vissimè effluxit, non evacuat eam, quæ su-
« per unum Israel sub lege roravit, nec præ-
« sentes divitiæ fidem præteritæ abrogant
« parcitati : ita nec de illâ curâ Dei quæ Pa-
« triarcharum filiis propriè præsidebat, conji-
« ciendum est gubernacula divinæ misericor-
« diæ cæteris hominibus fuisse subtracta. Qui
« quidem in comparatione electorum videntur
« abjecti : sed nunquàm sunt manifestis oc-
« cultisque beneficiis abdicati. » Non ad providentiam ergo tantùm creatoris, sed ad misericordiam æternæ utique salutis procuratricem pertinere illa cœli terræque beneficia contendit hic scriptor ; nec corpori, sed animo etiam alendo servire ; nec manifestis tantùm, sed occultis etiam Dei muneribus constare. Ad hæc de eâdem gratiâ fluere autumat et quæ per creaturam, et quæ per legem Mosaicam et quæ per Christi carnem irrigantur nobis misericordiæ divinæ beneficia, nec discrimen interesse ullum, nisi ex parcitate et largitate. Largior enim utique fluxit ex Christi carne, qui fons ipse gratiæ Deus Verbum hypostaticè humanitati insinuatus erat. Denique præclarum est quod ait, ut ex ubertate gratiæ christianæ nihil obloquendum est gratiæ Israeliticæ parciori, ita nec cæterorum hominum sortem conclamatam esse, tanquàm divinâ penitùs gratiâ orbatam, etsi non tantâ cæteri copiâ gratiæ, quantâ Israelitæ donarentur. Parcior enim Israelitis quàm Christianis, parcior cæteris quàm Israelitis affluxit gratia et salus, sed nullos tamen omninò præteriit. Nec abjecti à Deo existimandi sunt fuisse cæteri homines, etsi non eâ ubertate perfusi sunt, quâ Israelitæ : sicut nec hi repudiati sunt penitùs, quanquàm inopes admodùm et nudi videantur præ christianæ gratiæ exuberante opulentiâ. Sed et inter ipsos Christianos, alii aliis multò liberaliùs proluuntur Christi gratiâ, nec ulli tamen penitùs denudantur : et idem ipse homo nunc exundare, nunc exarescere sibi videtur. Quod argumento est, justitiam et veritatem incommutabilem Christum nulli hominum se in totum subducere, non omnibus se æqualiter præstare : semper ad homines et universos et singulos venire, aliter et aliter aliâ atque aliâ gratiæ suæ copiâ, nec ullos tamen penitùs defraudare.

16. Quibus quia obstrepere videbatur concio quædam Pauli Apostoli in Actis, adverte ut eam nobis idem ibidem interpretetur : « Le-
« gimus in Actis Apostolorum Paulum et Bar-
« nabam Apostolos Lycaoniis dicere : *Viri,*
« *quid hæc facitis ? Et nos homines sumus mor-*
« *tales similes vobis, annuntiantes vobis ab his*
« *vanis converti ad Deum vivum qui fecit cœlum*
« *terram, et mare et omnia quæ in eis sunt : qui*
« *in præteritis generationibus dimisit omnes gen-*
« *tes ingredi vias suas.* Et quidem non sine te-
« stimonio semetipsum *reliquit, benefaciens de*
« *cœlo, dans pluvias et tempora fructifera, im-*
« *plens cibo et lætitiâ corda vestra.* Quod autem
« hoc testimonium, quod semper Domino de-
« serviunt, et nunquàm de ejus bonitate ac
« potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi
« inenarrabilis pulchritudo, et inenarrabilium
« beneficiorum ejus dives et ordinata largitio,
« per quæ humanis cordibus quædam æternæ
« legis tabulæ præbebantur, ut in paginis ele-
« mentorum ac voluminibus temporum, com-
« munis et publicæ divinæ institutionis do-
« ctrina legeretur ? » Non ad corpus igitur,

non ad terrenæ tantùm vitæ fulcimenta sufficienda, sed « ad testimonium auctoris, » ad æternæ legis tabulas ob oculos hominum ingerendas, ad divinam institutionem omnibus ubique gentibus instillandam comparata erat illa tota et Dei providentia et mundi pulchritudo. Quòd ergo perhibeatur Deus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas, non id prohibet, quin illis sui testimonium, et legem æternam, et Christi gratiam objectaret : ut et nunc sinit maximam partem Christo initiatarum turbarum ingredi vias suas, quarum tamen aures christianæ sanctimoniæ documentis interstrepit. « Cœlum ergo cunctaque cœlestia, « mare et terra, omniaque quæ in eis sunt, « consono speciei suæ ordinationisque con- « centu protestabantur gloriam Dei, et prædi- « catione perpetuâ majestatem sui loquebantur auctoris : et tamen maximus numerus « hominum, qui vias voluntatis suæ ambulare « permissus est, non intellexit, nec secutus « hanc legem est : et odor mortis ad mortem, « ut etiam in illis visibilibus testimoniis disce- « retur, quia littera occideret, spiritus autem « vivificaret. Quod ergo in Israel per constitu- « tionem legis et prophetica eloquia gerebatur, « hoc in universis nationibus totius creaturæ « testimonia et bonitatis Dei miracula semper « egerunt. » Quis hîc offucias quærat? Quis tergiversetur? Quod lex, quod Prophetarum chorus Israelitis, hoc cæteris nationibus universis totius creaturæ testimonia semper egerunt? Ut Israelitæ ergo, ita et cæteræ gentes Christo imbuebantur aliter et parciùs, imbuebantur tamen. Lex enim et gratia Christi, ut Mosaicis umbris, ita et creaturæ universæ tegumentis velabatur. Lex Christi charitas eminebat tamen et emicabat, perruptâ et umbrarum Mosaicarum, et naturæ totius opacitate. Lex Mosis à plerisque secùs accipiebatur, cùmque spiritalis et salutifera ipsa quidem esset, carnalibus fomes erat et incitamentum effrenatius libidinandi. Ita et creaturæ universitas prædicatione perpetuâ Dei gloriam contestabatur illa quidem, et ad ejus charitatem provocabat; sed hominibus cupiditatum œstro furiatis, inde bacchandi materia et pernicies pullulabat. Lex Mosaica, ut et evangelica, per sese odor vitæ ad vitam spirans, plerisque odor fit mortis ad mortem; nec aliter lex æterna paginis elementorum insculpta.

17. Denique perinde ut lex Mosaica prævaricationes accumulabat, et reatu hominem constringebat, cogebatque ipsum suî pertæsum ad Liberatoris misericordiam confugere : ita planè lex æterna per creaturas omnes hominem conveniens, et ex impotentiâ insitarum libidinum prævaricationes potiùs adaugens, ad gratiam superni medici implorandam illum adigebat, per visibilia hæc testimonia docens, « quòd littera occideret, spiritus autem « vivificaret. » Quis ergo jam querelarum locus? An istam prædicationem veritatis et charitatis ex universæ creaturæ decore et concentu circumsonantem, nullâ ex parte Christo accepto ferendam garrient? Ut quid ergo hæc gratia, hæc misericordia, hæc salus ab hoc Patre creberrimè dicitur? Ut quid eadem gratia esse fertur, quæ largiùs per Christum à mortuis reducem sparsa est? Ut quid eadem munia præstare fertur, quæ legis et Prophetarum volumina? Ut quid quamvis parcior, gratia tamen perinde ut lex, perinde ut Evangelium dicitur? Ut quid ad Dei cultum et charitatem invitat homines, quod unius Christi munus est, si de Christi censu non est? Ut quid sapientiæ et justitiæ legem æternam, id est, Christum præfert, ingeritque sapientium oculis, si nihil illi cum Christo? Ut quid etsi rariores, nonnulli tamen hinc salutis suæ recuperatæ exordia sumpserunt, si hæc de Servatoris beneficio nihil spirant? Ergo et ista quædam sapientiæ et justitiæ sempiternæ Christi incarnatio est, seu corporatio, non aliter quàm illa Verbi per varias umbras in Israele apparitio. An foris quidem personare per creaturas legem æternam Christum, sed intùs nihil gratiæ inspirari dicent? Ut quid ergo hoc externum testimonium misericordiæ et gratiæ Dei testificandæ opportunissimum, et à Paulo, et ab auctore hujus operis prætenderetur? Ut quid hoc foris conspicuum, intùs vacuum et inane auxilium, ludificandis magis quàm juvandis hominibus instructum, vel à Deo suppeditaretur, vel à Dei præconibus venditaretur? Ut quid eadem hæc gratia, eadem esse misericordia jactatur, quæ per Christum latiùs fusa postea est? Ut quid pauci saltem hinc respicere et Deo sese reddere potuerunt, si nihil interioris roboris afflabatur? Ut quid præclarè cum illis actum iri arbitramur, si lex Mosaica illis, si Christi Evangelium innotuisset? num certiores sumus præter exterius Verbi præconium, adjutorii quoque interioris sufficientem copiam abundaturam? Ut quid Paulo adversamur dicenti litteram occidere, spiritum vivificare? vel Christo aienti, carnem non prodesse quidquam, sed spiritum vivifi-

care, ut tam in Evangelii quàm in legis et creaturæ prædicatione id valeat? An denique dicent, non Christi humanatam deitatem, non crucem, non mortem resonare à creaturarum spectaculo, adeòque nec saluti parandæ accommodam hanc esse prædicationem? Ut quid ergo jactant Patres hanc gratiam, hanc misericordiam, hanc præsentem esse salutem? Ut quid hinc aiunt personari cultum Dei, charitatem Dei, legem æternam, quod unum, quod totum Christus est? Ut quid hic odor vitæ ad vitam spirâsse, dicitur ab hoc scriptore, cùm vita nisi ex Christi fide non aspiretur? Ut quid idem in voluminibus elementorum cœlorumque, quod in Mosaicis evangelicisque lectitari aiunt? Ut quid ante legem promulgatam et à Mose descriptam, non aliùs tot antea justis et Patriarchis liber ob oculos objectabatur, quàm creaturæ, unde salutis necessaria haurirent documenta? Ergo ad prædiscendum tunc Christum quantus saluti curandæ necessariò discendus erat, nihil opus erat tum legis volumine, sed vel externa, vel interna abundè suppeditabantur dignis documenta; vel indignis autem aliqua saltem præstò erant, quorum contemptu aditum sibi ipsis ad ulteriora obstruebant. Nam quibus justitiæ amorem, ut cætera sileam, cœli terræque liber expansus suadebat, Christi utique portionem longè optimam, etsi non totum suadebat : quisquis hinc resiliebat vel inertia, vel pervicacia, reliquam sibi præsecabat Christi fidem gratiamque.

18. Hæc firmantur validissimè contextu eximio sequentium capitum libri ejusdem : « Quæ « gratia Dei etsi parcior antea atque occultior « fuit, nullis tamen seculis se negavit, virtute « unâ, quantitate diversâ, consilio incommutabili, opere multiformi. Nam et in his dic- « bus quibus totum mundum ineffabilium do- « norum flumina rigant, non idem modus « omnibus, nec eadem mensura confertur, etc. « Quis nisi insipientissimus de differentiâ di- « vinorum munerum conqueratur? etc. » Et ibidem : « Ut secretissimâ æterni consilii vo- « luntate, voluerit in omnibus super omnes « generationes aut super omnes homines, « æquales donorum suorum esse mensuras. « Siquidem aliter eos juverit, quos ad cogno- « scendum se, cœli et terræ testimoniis con- « veniebat : aliter illos quibus non solùm « elementorum famulatu, sed etiam doctrinâ « legis, Prophetarum oraculis, miraculorum « signis et Angelorum cooperationibus consu- « leba. : et multò magis aliter misericordiam « suam universis hominibus declaraverit, « quando Filius Dei factus est filius homi- « nis, etc. Quæ igitur causæ sint harum sub « eâdem gratiâ dissimilitudinum, quæve ratio- « nes, sanctis Scripturis non loquentibus, quis « loquetur? » Hùc totâ mole operis sui et argumentationum pondere connititur hic scriptor, ut cogat nos acquiescere non repulsæ aliquorum, et aliorum vocationi : sed differentiæ divinorum munerum, sed ingenti sub eâdem gratiâ dissimilitudini, sed diversæ quantitati. Eadem ergo gratia, eadem salus, idem Christus nullis se negans, omnibus se vel per creaturam vel per legem, vel per Evangelium præbens, sed mensurâ et quantitate non unâ. Et quàm imperscrutabilis est hæc divinorum munerum differentia, tam indubium est, neminem eorum penitùs exortem præteriri. « Nec tamen quia nequeunt clausa penetrari, « ideò etiam reseratorum est prætereundus « introitus. Manifestaverunt enim divinorum « aliquorum multæ auctoritates, et continua « omnium seculorum experimenta docuerunt, « justam Dei misericordiam misericordemque « justitiam, nec alendis unquàm corporibus « hominum, nec docendis juvandisque eorum « mentibus defuisse. » Ut ait ille. Qui aliquantò infra hæc adjicit magni ad hæc ponderis : « Quoniam etsi fuerunt ex alienigenis, quos « temporibus legis veritas illustrare dignata « sit, tamen tam pauci fuerunt, ut vix cogno- « scantur, an fuerint. Neque tamen ob hoc « excusatæ sunt nationes, quæ alienatæ à con- « versatione Israel, spem non habentes et sine « Deo in hoc mundo sub ignorantiæ tenebris « perierunt, quia hæc abundantia gratiæ, quæ « nunc universum mundum rigat, pari antea « largitate non fluxit. Adhibita enim semper « est universis hominibus quædam supernæ « mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris oc- « cultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen sicut « Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, « omnibus ad testimonium. » Parcior, occultior, nonnulla tamen semper gratia Christi etiam ante legem, etiam extra Israelem omnibus dispensata est, sufficiens quidem, sed ex quâ tamen paucissimi salutem inter alienigenas sortiti sint. Si nunc enim cùm manifesta et exundantior gratia fluit, non tamen nisi paucissimi sinceritatem et medullam christianæ fidei et salutis assequuntur, quantò pauciores illa tunc parcitas gratiæ servabat? Itaque omnes penè vacui et exortes fidei in

Christum dici possunt, quia irroratas ab eo fidei et justitiæ primitias non ita excoluerunt, ut ad penetralia ipsa fidei, ad crucis, ad mortis, ad resurrectionis ejus arcana, vel ad justitiæ perfectionem perduci potuerint. Potuerunt aliqui, ut Cornelius et si qui alii Cornelii similes non injuriâ conjiciuntur.

19. Denique idem scriptor cùm Scripturæ testimonia plura conjecisset, quibus Israelitis Dei cura affixa fuisse perhibetur : « Quamvis « ergo et hæc et multa similia veritatis Scri- « ptura pronuntiet, secundùm ipsam tamen « credimus et piissimè confitemur, quòd nun- « quàm universitati hominum divinæ provi- « dentiæ cura defuerit. Quæ licet exceptum « sibi populum specialibus ad pietatem direxit « institutis, nulli tamen nationi hominum bo- « nitatis suæ dona subtraxit : ut propheticas « voces et præcepta legalia convincerentur in « elementorum obsequiis ac testimoniis acce- « pisse. » Et infra : « Quamvis credamus nullis « hominibus opem gratiæ in totum fuisse sub- « tractam. » Et rursùm compendio declarans, quid operis sui serie meditatus sit evincere : « Elaboratum est enim quantùm Dominus ad- « juvit, ut non solùm in novissimis diebus, sed « etiam in cunctis retrò seculis probaretur « gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, « providentiâ quidem pari et bonitate generali, « sed multimodo opere, diversâque mensurâ : « quoniam sive occultè, sive manifestè ipse « est, ut Apostolus ait : *Salvator omnium homi-* « *num, maximè fidelium.* » Venit ergo ad uni- versos, et ad singulos homines ab exordio re- rum Christus opere multimodo, diversâque mensurâ gratiæ, sic ut neminem adventûs sui gratiâ penitùs fraudaverit : et propheticas vo- ces præceptaque legalia, id est, sui testimonia in elementorum saltem paginis nulli non homini objecerit.

20. Hieronymus non abhorret ab hâc sen- tentiâ : « Hoc solùm à vobis volo discere : *Ex* « *operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu* « *fidei,* etc. Consideremus diligenter quia non « dixerit : Volo ex vobis discere, utrùm *ex* « *operibus spiritum accepistis;* sed adjecerit, « *ex operibus legis.* Sciebat enim et Cornelium « Centurionem spiritum ex operibus accepisse, « sed non ex operibus legis quam nesciebat. « Si autem è contrario dicitur : Ergo et sine « auditione fidei accipi Spiritus sanctus potest: « nos respondebimus, accepisse quidem eum « Spiritum, sed ex auditu fidei et naturali lege, « quæ loquitur in cordibus nostris bona quæ- « que facienda et vitanda mala per quam « dudùm quoque Abraham, Moysen, et cæteros « sanctos justificatos retulimus; quam augere « deinceps potest operum observatio; legis « quoque justitia, non tamen carnalis legis quæ « præteriit, sed spiritalis quia lex spiritalis « est. » Hîc verò primas partes sibi vindicat lex innata, et legem scriptam antecedit. Nam ex operibus legis nulli penitùs, ex operibus ex lege insitâ factis obtigit Cornelio justifica- tio : obtigit ex iis omnibus, quos ubique gen- tium, quocumque seculorum tractu etsi raros, extitisse, tamen aliquos non temerè suspica- mur. Ut enim de Jobo Augustinus colligebat et alios ejusdem sanctimoniæ floruisse inter vepreta gentilitatis; ita ex Cornelio fas est con- jecturam ad alios ejusdem generis porrigere. Sed illud præ cæteris attendendum quod ait Hieronymus Cornelium, « accepisse spiritum « ex auditu fidei et naturali lege quæ loquitur « in cordibus hominum bona quæque facienda, « et vitanda mala : per quam dudùm quoque « Abraham, Moysen, et cæteros sanctos justi- « ficatos retulimus. » Ubi non scriptæ tantùm, sed innatæ maximè legis cognatio et consan- guinitas cum fide Christi, cum Spiritûs sancti gratiâ esse demonstratur : unde et Abraham et cæteri eò superiores justi vel eò etiam po- steriores, sed ante legem Mosaicam tamen justificati sunt, non sine aliquali Christi fide, nec tamen ullâ lege nisi ingenitâ utentes. Unde liquet reliquas gentes legis Mosaicæ alienas eo loco fuisse, quo erat ante legem Mosaicam to- tum genus humanum, et ipse etiam piorum grex pusillus, nempe in legis insitæ lumine versatas esse, quâ ad Deum et ad Christum ita deduci poterant occultis ejusdem Christi be- neficiis, ut legem Mosaicam non desiderarent. Sed rursùs idem Hieronymus: « Quærat quis- « piam si fides non est nisi ex auditu, quo- « modò qui surdi nati sunt, possunt fieri « Christiani? Deum quippe Patrem ex magni- « tudine et pulchritudine creaturarum potest « quis intelligere, et à conditionibus conditor « consequenter agnoscitur. Christi autem na- « tivitas, crux, mors, resurrectio nisi ex auditu « sciri non potest. » Huic quæstioni quasi prolusoriè respondet, non omnium fidem ex auditu dici, sed tantùm fidem ex auditu, nempe eorum qui audire possunt. Item posse surdis per nutus vel alia id genus significari ea ipsa quæ aliorum auribus committuntur. « Deinde « etiam hoc, quod Dei sermo cui nihil surdum « est, ad eas magis loquatur aures, de quibus

« ipse ait in Evangelio : *Qui habet aures audiendi audiat.* Et in Apocalypsi : *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* « Et Esaias : *Dominus addit mihi auriculam.* « Iste est alius homo, cui Deus loquitur in occulto : qui clamat in corde credentis : *Abba Pater.* Et quomodò corpus omnia membra « et sensus habet, ita animam quoque universos « et sensus et membra habere legimus : et inter cætera aures etiam, quas qui habuerit « non magnoperè indigebit his auribus corporis ad Christi Evangelium cognoscendum. » Quanquàm non perstrepat aures corporis Evangelium Christi, at interiores animæ aures increpat, si modò eas strepitus vanitatis non obturaverit veritati. Igitur Evangelium Christi antequàm palàm fieret, ante ipsam Christi carnem insusurrabatur occultis animarum auribus, sed rarò admittebatur.

21. Denique idem Hieronymus : « *Cùm autem placuit ei, ut revelaret Filium suum in me,* etc. Non est ipsum, *Revelaret Filium suum in me,* quod si diceret : *Revelaret Filium suum mihi.* Cui enim quid revelatur, huic « illud potest revelari, quod ante in eo non « erat. In quo verò revelatur, illud revelatur « quod priùs fuit in eo, et postea revelatum « est. Simile est illud in Evangelio : *Medius in vobis stat, quem vos nescitis.* » Et alibi : « *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ex quo perspicuum « fit naturâ omnibus Dei inesse notitiam, nec « quemquam sine Christo nasci, et non habere semina in se sapientiæ et justitiæ et « reliquarum virtutum. Unde multi absque « fide et Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non « opprimant vicinos, non aliena diripiant, « magisque judicio Dei obnoxii fiant, quòd habentes in se principia virtutum, et Dei semina, non credant in eo sine quo esse non « possunt. » Adverte hîc mihi neminem sine Christo nasci ; cui revelatur Christus, non quasi accersititium aut peregrinum quid, sed tanquàm intimum et intestinum naturaliterque ingenitum revelari ; ideòque non tam illi aliunde, quàm in ipso et ex ipso revelari ; inesse Christum, cui insunt semina sapientiæ et justitiæ et cæterarum virtutum, quia videlicet Christus quantus maximus est, non aliud est quàm sapientia et justitia ; Christi crux, et mors sapientia et justitia est, nec sapere cuiquam jam aut justum esse post lapsum, nisi Dei dono, et humilitatis beneficio contingit. Quæcumque porrò gentiles vel sapienter vel sanctè gerunt, hæc argumenta sunt inseminatorum sapientiæ et justitiæ, id est, Dei et Christi rudimentorum, in quæ excolenda si illi gnaviter incumberent, ad fidei et justitiæ perfectionem adolescerent aliquando. Eccui autem dubium, venire et venisse Christum omni ævo, et omni loco, ad eos omnes qui non sine Christo nascuntur ? in quibus revelatur, cùm revelatur : et cùm non revelatur, sylvescente vitiorum densitate opprimitur ; in quorum medio stat, etsi nesciatur.

22. Tertulliani illa decantatissima hîc jam subeunt animum ex libro de Testimonio animæ : « Non multùm refert, an à Deo formata sit « animæ conscientia, an litteris Dei, etc. Ut « naturæ et Deo credas, crede animæ ; ita fiet « ut et tibi credas, » etc. Audin' ut animæ conscientiam iisdem Deus decretis inscripserit, ac Scripturam ipsam ? Ac proinde parùm referat, animæ conscientia, an Scriptura consulatur vel audiatur, cùm utraque eodem Deo parente procreata et informata, idem spiret, idem eloquatur. « Cùm enim times fieri Christianus, eam conveni, etc. Cur verba habet « Christianorum, quos nec auditos visosque « vult ? etc. Suspectam habe convenientiam « prædicationis in tantâ disconvenientiâ conversationis, etc. » Nonne hoc est quod aiebat Hieronymus, neminem sine Christo nasci ? quod Paulus, Christum in nobis revelari ? quod Joannes, *Medius vestrûm stetit ?* quod Christus ipse, *Regnum Dei intra vos est ?* quod supra ex Augustino prolixè ostensum, « Intimus cordi « est, sed cor recessit ab eo ? » Animæ porrò conscientia, si christianæ prædicationi tam consentanea est, per eam ergo Christus ad omnes venit, Christus omnes convenit. Si ex conscientiæ à Deo exaratæ instinctu etiam gentiles verba habent Christianorum, ergo per sua ipsorum verba Christus eos circumstrepit. « Meritò igitur omnis anima rea et testis est : « in tantum rea erroris, in quantum testis veritatis : et stabit ante aulas Dei, die judicii, « nihil habens dicere : Deum prædicabas et « non requirebas, etc. Christianum nomen sapiebas, et Christianum persequebaris. » Initia hæc sunt Christi, hæc fidei et carnis ejus elementa quædam, nulli non indulta, nulli non ad maturitatem quamdam proventura, nisi vitiorum sentibus opprimantur. Ante adventum Christi in carne non aliter affecti erant gentiles, ergo christianum nomen sa-

piebant ex aliquâ parte; ergo Christi adventû afflatu aliquo inhalabantur. Nam si tu velis has esse reliquias primævi boni, fruere tuo judicio : qui autem nihil sibi de massâ damnationis nisi ignorantiam et peccatum obvenisse persuasus est, has potiùs interpretatur primitias novitatis de innovatore naturæ Christo prælibatas aspersasque omnibus hominibus, quibus si cura et diligentia impendatur, sanctitas tandem et salus maturescat. Nam quidquid ad naturæ reparationem utcumque confert, id omne certum nobis est Christo reparatori acceptum referre, quantumvis de censu naturæ ipsius residuo id quibusdam esse videatur. Verbum quippe Deus idem auctor reparatorque naturæ nostræ, post lapsum nostrum, post incarnationis peragendæ consilium, jam posthac non occursat nobis nisi carnis suæ vel assumendæ vel assumptæ merita spargens, imperium stabiliens. Itaque quod tu auctori naturæ imputare voles, id libentiùs reparatori adsignabimus nos, quodcumque ei reparandæ vel servit, vel destinatur. Rursùs idem Tertullianus : « Anima licet carcere « corporis pressa, licet institutionibus pravis « circumscripta, licet libidinibus et concupi- « scentiis evigorata, etc., cùm tamen resipi- « scit ut ex crapulâ, ut ex somno, ut ex aliquâ « valetudine, et sanitatem suam patitur, et « Deum nominat, etc. Et quod Deus dederit, « omnium vox est; judicem quoque contesta- « tur illum, Deus videt et Deo commendo, et « Deus mihi reddet. O testimonium animæ « naturaliter christianæ! » Non utcumque religiosam, sed christianam naturaliter animam iterùm iterùmque inculcat Tertullianus. Quanquàm enim hæc manifestiùs eluceant in animæ conscientiâ, de Deo uno, de judicio, de æternitate præmiorum pœnarumque oracula veritatis, at cætera de cruce, et morte Christi non ita facilè inde depromi possint : contexta tamen ineffabilibus nexibus ista sunt; et ut absolutiùs nos hinc expediamus, quisquis illa initia Christi medullitùs amplexatus fuerit, quod utique non sine Christo fiet, ad corpus ipsum fidei et plenitudinem christiani mysterii indubitatissimè provehetur.

23. Possent è Latinis plures alii adsciri suffragatores, sed ultra modum jam se porrigit hujus capitis moles. Veniamus ergo ad Græcos. Et quidem Origeni fortassè imputari potest, quod legitur apud Hieronymum : « *In* « *laudem gloriæ gratiæ suæ, in quâ gratificavit* « *nos in dilecto*, etc. Nunc verò in eo quod « absolutè locutus est, dicens : *In dilecto* ita « mihi intelligendum videtur, ut subaudiatur « ab omnibus. Si enim Christus, ut sæpè jam « diximus, sapientia est, justitia, pax, gau- « dium, continentia et cætera hæc virtutum « vocabula, etiam hi qui sequi nequeunt, « diligunt : et nullus tam confessi sceleris est, « ut non sapientiam et justitiam amare se di- « cat. Quomodò et de substantiâ Dei omnium « hominum consentit opinio, quòd divina sit, « et nullius sensu facilè comprehendatur : errat « verò unusquisque, dùm talem, vel talem eam « putat; ita et Christum secundùm id quod di- « versas virtutes sonat, omnes diligunt, licet « plures non possint factis probare, quod di- « ligunt. » Nihil absolutiùs adhuc, nihil ad Cusani mentem appositiùs occurrerat. Istud enim superest, ut aiebat Augustinus supra, modicum lumen in hominibus, quo justitiam et sapientiam internoscunt, magnificiunt, radicitùs diligunt, divinum quid esse sentiunt, et è cœlo infundendum, et humanæ irrigandum naturæ, et hoc totum Christus est. Interlucenti huic lumini si obsequerentur, si vitam moresque accommodarent, in Christum utique incurrerent tandem. Sed quantumvis ad hoc luminis exordium conniveant, feriuntur tamen ejus appulsu aliquo, et toto Christi adventu non defraudantur, aut improbitati suæ debent, quòd defraudantur. Sed Origenes ipse apertè : « Magis mihi videntur hæc « quæ in corde scripta dicuntur, cùm evan- « gelicis legibus convenire, ubi cuncta ad na- « turalem referuntur æquitatem. Quid enim « ita naturalibus sensibus proximum, quàm ut « quæ nolunt sibi fieri homines, hæc ne fa- « ciant aliis? Legi verò Moysi concordare, lex « naturalis secundùm spiritum, non secundùm « litteram potest. Nam quæ erit in hâc intelli- « gentiâ naturalis, verbi gratiâ, ut octavâ « die quis circumcidat infantem, etc. » Ergo lex naturaliter inscripta mentibus evangelicæ convenit, Mosaicæ etiam consonat, quâ spiritaliter hæc, non materialiter sumitur. Lex enim innata charitatem Dei et proximi sancit evidentissimè, ex quo uno lex, Prophetæ, et Evangelium pendet. Quò ergo frustratos causabuntur populos omnes extra Israelis claustra, cùm quod Evangelium, quod lex Mosaica spiritalis sonabat, hoc ipsis in cordis meditullio lex innata, et ipsissima animæ substantia insonaret? Et rursùs Origenes idem : « Christiani videntur Celso digni vitu- « perio, quòd doceantur odisse vitia et tem-

« perare à maleficiis, virtutemque honorare « et colere ut à Deo factam et ipsam Dei Filium. « Quamvis enim nomen femininum est, non « tamen credendum est substantiâ feminam, « sapientiam justitiamque, quæ juxta nostram « existimationem est Dei Filius, sicut germa- « nus ipsius discipulus de eo scriptum prodi- « dit : *Quòd factus sit nobis à Deo sapientia et « justitia, sanctificatio et redemptio.* Ergo etiamsi « secundùm Deum dicamus, sciant quòd his « verbis nihil aliud dicimus, quàm virtutem « in se omnes virtutes continentem. » Et paulò post : « Si propriè lex accipitur, natu- « ralis ipsa est regina omnium. Quamvis qui- « dam more latronum discedentium ab officio « deficiunt ab eâ, injustè viventes et prædato- « riè. Itaque nos Christiani naturalem illam « legem reginam omnium agnoscentes, quæ « ipsa Dei lex est, conamur juxta eam vivere, « valere jussis omnibus illegitimis legibus. » Quæ quem in scopum collineent, manifestum est. Claret enim Christum Dei Filium ipsam esse sapientiam et justitiam, ipsam naturalem legem, reginam omnium, cujus nemo in to- tum ignarus esse sinitur, naturalis enim est lex, id est, naturæ omni rationali inscripta. Et alibi idem : « Qui ostendunt opus legis « scriptum in cordibus suis ; quis autem « scripsit in cordibus eorum, nisi Deus di- « gito suo? Legem utique naturalem, quam « dedit Deus humano generi et in cunctorum « mentibus scripsit : unde et initia sumimus « et semina quædam ad perscrutandam capi- « mus veritatem, quæ semina si benè excola- « mus, fructum vitæ afferent in nobis in Chri- « sto Jesu Domino nostro. » Disertè tradit in cunctorum mentibus inscriptam esse digito Dei, id est, Spiritûs sancti dono legem illam, ex quâ initia sumimus quædam veritatis, quæ si ex- colantur, in Christi plenitudinem adolesce- mus. Sunt enim in illis inseminatæ legis pri- mitiis rudimenta tantùm quædam Christi, ut plurimos fallant, et à Christo aliena prorsùs esse et peregrina videantur ; sed si tamen cul- tura impendatur, ut in Cornelio et aliis ejus- dem sortis, efflorescet totus Christus, et tum demùm patebit quid in rudi informique se- mine delitesceret. Et rursùm : « Sicut ipse « justitia Christus, ipse veritas, ipse sanctifica- « tio, similiter ipse est etiam sustentatio. Et « non aliquid justum sine eo, neque patiens, « quod in se non habet Christum. » Et rursùm : « Est ergo aliqua prudentia Dei, quam nolo ut « extra Christum requiras. Omnia quippe quæ « sunt Dei, Christus est ; ipse sapientia ejus, « ipse fortitudo, ipse justitia, etc. » Ex quibus efficitur omnibus advenire, omnibus allucescere Christum, quibus sapientiæ et justitiæ radius aliquis affulgescit : est enim hic adven- tantis Solis justitiæ antelucanus præcursor.

24. Justinus Martyr his consonantissima scripsit : « Ac Socrati quidem certè, nemo « tantùm fidei habuit, ut pro placito ejusce- « modi mortem perferret. Christo autem qui et « à Socrate ex parte est agnitus ; ratio enim, « seu Verbum, et est, et erit, in universitate « rerum existens, » etc. Et infra : « Non quòd « alienæ sint à Christo Platonis doctrinæ, sed « quòd sibi ipsis non omninò constent : sicut « neque aliorum, Stoicorum videlicet, et poe- « tarum et historicorum. Pro se enim quisque « ex parte nativæ sibique insitæ divinæ ratio- « nis, id quod affine et cognatum sibi esset, « cernens, rectè promulgavit. Qui autem hisce « contraria de rebus majoris momenti dixe- « runt, scientiam consistentem et notionem « irreprehensibilem eos consecutos non esse « apparet. Quæcumque ergo apud omnes rectè « dicta sunt, nostra Christianorum sunt. In- « geniti namque et ineffabilis Dei rationem, « seu Verbum secundùm Deum et adoramus « et amplectimur, quoniam nostrâ causâ homo « factum est, ut perpessionum nostrarum par- « ticipatione medicinam nobis faceret. Nam « scriptores omnes propter rationis semen « illis insitum, perquàm tenuiter, ea quæ « sint, cernere potuerunt. Aliud est enim se- « men alicujus et imitatio pro virili parte con- « cessa ; aliud ipsum, per cujus gratiam inde « provenientem, participatio illa et imitatio « existit. » Totus in eo est Justinus, ut Chri- stum esse monstret rationem primam, cujus plenitudo Christianis, portio, delibatio et se- men philosophis aliisque extra specialem Dei populum obtigerit. Itaque quæcumque ubique gentium, vera et casta justaque vel ex aliquâ parte extiterunt, vel gesta, vel dicta, vel cogitata, ea Christi segmenta quædam sunt, ea christianæ plenitudinis derivationes sunt. Nullus ergo Christi in totum expers et inanis fuit, nemo ejus adventûs non afflatum aliquem percepit. Et alibi de Socrate ob unius Dei con- fessionem interempto et de christianis marty- ribus verba faciens : « Non modò enim apud « Græcos per Socratem à ratione seu Verbo, « sed apud barbaros quoque ab ipsâmet ra- « tione seu Verbo inhumanato et Jesu Christo « dicto hæc idololatriæ germina sunt repre-

« hensa. » Et infra : « Christum primogenitum « Dei esse instituti sumus, et rationem atque « Verbum esse cujus universum genus hu- « manum particeps est. Et quicumque vixêre « μετὰ λόγου Christiani sunt, etiamsi athei ha- « beantur : quales inter Græcos fuêre Socra- « tes, Heraclitus atque iis similes : inter bar- « baros autem Abraham et Ananias, Aza- « rias, etc. » Ubi nolim equidem quemquam vel Socratis, vel cujuscumque sigillatim causæ ita pertinaciter patrocinari, ut eum certò asserat æternæ salutis compotem factum. Nec enim hujus instituti res ea est, et complures alios è sanctis Patribus comperi, qui et Socratis et aliorum philosophorum vitia insectati sunt acerbissimè, ut insolescentem adversùm nos retunderent gentilium gloriationem. Unum id Justinus, unum id nostra hæc disputatio molitur, ut quæcumque veri rectique semina, quibus omninò nemo hominum ratione utentium frustratus est, à Christo Verbo priùs sine carne, postea incarnato dimanâsse in omnes hominum ætates, et ideò Christum ad omnes venisse, omnes sui adventûs fructu aliquò aspersisse, et ne plenius cumularentur, ipsos suâ improbitate intercessisse, liquescat.

25. Cyrillus Alexandrinus scribens contra Julianum, hanc impii transfugæ adversùm nostrum dogma criminationem refert : « Quòd « autem Deus Judæorum solùm ab initio cu- « ram gesserit, et sors ista ejus eximia fuerit, « non Moyses solùm et Jesus, sed et Paulus « dixisse cernitur, etc. Denique Jesum ad eos « misit, etc. Tot annorum myriadas aut si « vultis chiliadas in tantâ ignoratione nos præ- « termisit, simulacris, ut dicitis, servientes, « quotquot ab oriente sole ad occidentem, et « à mediis septentrionibus ad meridiem, præ- « ter exiguam gentem, neque ante bis mille « totos annos in unâ parte Palæstinæ collo- « catam. Si enim omnium nostrûm Deus est « et omnium æquè conditor, cur aspernatus nos « est? » His ille nos querelis insectabatur. Advertamus ergo quæ in eum regerat Cyrillus : « Ait Apostolus : *An Judæorum Deus tantùm?* « *Nonne et gentium?* Certè et gentium. Si qui- « dem *unus Deus*, etc., omnium opifex, et gen- « tium Deum se esse vel per insitas leges ple- « nissimè comprobavit, quas omnium cordibus « opifex insculpsit. Quando enim *gentes*, in- « quit, *quæ legem non habent*, etc., *ipsi sibi* « *sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in* « *cordibus suis*. Sed si Judæorum tantùm Deus « esset, non autem etiam gentium et Deus et « opifex, quomodò qui legem non habent, ipsi « sibi lex sunt, insitâ disciplinâ eò pervenien- « tes? Suâ enim sponte natura boni omnis « cognitione dives est, conditoris nutu hoc « quoque consecuta. Dignatur ergo providen- « tiâ suâ non eos modò, qui è sanguine sunt « Israelis, sed etiam qui ubique terrarum « sunt. » Hæc prima est Cyrilli responsio. Rursùm autem prolixam declarat Dei munificentiam ante Moysis tempora exhibitam, ante et post diluvium. Et quidem ante diluvium ait neminem prorsùs dæmoniis aut idolis colendis deditum fuisse, quòd Scriptura in causis illius cladis cætera quidem enumeret flagitia, non tamen idololatriam. Ergo hæc erat divinæ providentiæ gratia singularis, quæ per insitas leges humanum genus Deo uni vero religaret, non utique sine Christi sanguinis et meritorum contemplatione. « Deducunt quidem ab « Adamo ad Noe decimum ab ipso annos qua- « draginta duos supra ducentos bis mille. In « sacris autem litteris neminem prorsùs repe- « riemus eorum qui id temporis extiterunt, « deorum multitudinis criminibus implicatum. « Nam aliorum quidem rei acti sunt, neque « frustra invectâ diluvione perierunt. Idolola- « triæ autem probrum illatum prorsùs nullum « reperiemus. » Ergo hæc erat Christi gratia in omne genus humanum indiscriminatim effusa, non ad ullam gentem peculiariter restricta. Tertiò rursùs cùm idololatria tandem irrepsisset in Noemi posteros, ex eorum turbâ sequestratus est Abraham, et ad germanum Dei cultum cum suâ prosapiâ revocatus. Non ergo gentium salutem Deus nihil pensi habebat, cùm ex earum mediâ colluvie aliquos seponeret sibi peculiaribus beneficiis devinciendos. Quin ante Israelitici nominis exortum gentes curabat Deus et Christo suo imbuebat. Nec Israelitica plebs aliud fuit quàm gentium universitatis portio selectior et specialiùs accurata : ut ex curâ et gratiarum copiâ impensâ huic particulæ, liceat augurari non intepuisse divina in gentium universitatem studia, nec beneficia aruisse. « Jam quomodò « ignoravit ille doctrinarum peritus, Deo curæ « fuisse salutem gentium? Ecce enim, ecce « eorum qui per legem et Prophetas instituti « sunt, radix Abraham extitit, quem vocatum « dicimus è multitudinis deorum errore, ad « ejus qui re est et veritate Dei notitiam. Di- « cimus itaque antiquiorem fuisse etiam voca- « tione Israelitarum ex Ægypto, curam de « gentibus et provisionem ejus qui supra om-

« nia est Dei, ut et gentium vocatio sit Hebræorum abrogatio. » Ad gentes utique veniebat Christus, cùm ad Abrahamum ejusque genus, è medio gentium populo, gentilitiis ritibus et ipsum inquinatum veniebat. Quocirca et alibi Cyrillus : « Unde si rectè rem « æstimare volumus, primitiæ vocationis gentium jure meritò intelligitur fuisse Abraham « et ejus posteri. » Quartò respondet et Moysen in Ægypto versatum perdiù, genusque Israeliticum, unde effricari potuerat omnis superstitio ab illâ gente : et Jonam ad Assyrios missum esse pœnitentiæ præconem ; et ominari hinc licet quantùm orbi terrarum universo potuerit sinceri luminis et genuinæ sanctitatis aspirari, per gentilium cum Israelitis, vel Israelitarum cum gentilibus contubernia, per sacrorum librorum in omnem terram evulgationem, per singulorum Prophetarum ad gentiles ablegationem, sive hæc Scriptorum monumentis consignata sint, et ad nos pervenerint, sive consignata sint, sed interciderint, sive silentio sint obruta, et ab exemplo Jonæ tantùm auguranda. Quò etiam referri debet, id quod plerisque et Græcis et Latinis Patribus cordi fuit, enucleare atque indigitare sigillatim quid exteri scriptores cujuscumque farinæ mendicârint à nostratibus, id est, à sacris propheticisque scriptoribus. Nam quidquid veri rectique intersparsum est seculari litteraturæ, id non tantùm à fontibus legis et conscientiæ intimæ à Deo Magistro descriptæ, sed etiam ex aliquâ sacrarum Litterarum derivatione ad exteras usque gentes stagnante haustum esse majoribus nostris visum est. « Ostendimus Abraham progeniem, « imò ipsum divinum Abraham cùm esset alie« nigena et à Chaldæis oriundus vocatum esse « à Deo ad cognitionem veritatis. Quin et « Ægypti incolas idolorum cultui addictos, « intercedente Moyse, Deus servavit, et ad « rectum sincerumque vitæ genus datâ lege in« stituit. Unde si rectè rem æstimare volumus, « primitiæ vocationis gentium jure merito « fuisse intelligitur Abraham et ejus posteri. « Missus item est Jonas Propheta Ninivitis præ« dicaturus, nec ultrò sanè profectus est, ve« rùm Deo jubente, ut illud iter capesceret, « missus est. » Quod argumenti genus quàm latè serpat, nemo non sentit, nisi admodùm obtusus. Quantùm enim luminis, quantùm sinceri cultûs ab Hebræis transfundi posset ad cæteras gentes omnigenis et diversissimis modis quis mente possit vel sermone complecti?

26. Clemens Alexandrinus illud prosequetur paulò liberaliùs, quod modò strictim attigimus argumentum. Audiamus ergo quo apud illum loco sit Græcorum philosophia, ut ab Hebræorum fontibus derivata, portio veritatis Hebraicæ, à Scripturis furtim libata, à Deo gentilibus instar legis donata, quâ ad justitiam excitentur, quâ Christo præpararentur, quâ non aliter quàm Hebræi lege Mosaicâ tanquàm pædagogo ad Christum manuducerentur. « Ille qui veritatem philosophorum ita secta« tus est Plato, ut Hebraicæ veritatis excitârit « scintillam. » Et alibi : « Qui Mosis imitator « longè optimus est Plato. » Alia id genus complura prætereo, ex quibus affinitas philosophiæ castigatioris cum doctrinâ Mosaicâ, adeòque cum Christo quem unum illa spirabat, non obscurè declaratur. Rursùm idem Clemens : « Philosophiam autem non dico « Stoicam, aut Platonicam, aut Epicuream, et « Aristotelicam, sed quæcumque ab his sectis « rectè dicta sunt, quæ docent justitiam cum « piâ scientiâ, hoc totum selectum, dico phi« losophiam, etc. Propterea enim græcâ voce « expositæ sunt Scripturæ, ut nullum unquàm « ignorantiæ possint prætextum afferre, cùm « possint quæ apud nos sunt audire, si tantùm « voluerint. » Et infra : « Versas autem fuisse « Scripturas et legis, et Prophetarum, ex Hebræo sermone in linguam græcam aiunt « tempore Ptolemæi, etc. Dei enim erat vo« luntas quæ id ad Græcorum aures consultò « comparaverat. Neque verò ab inspiratione « Dei erat alienum, qui prophetiam dederat, « ut interpretationem quoque tanquàm græ« cam efficeret prophetiam. » Vides quàm latè spargat Scripturas adventûs et gratiæ Christi præseminatrices. Invigilabat prorsùs Dei providentia in gentium salutem, in Christi sui ubique terrarum promulgationem, cùm Scripturas suas evulgabat : ut inde philosophi, inde omnes homines veritatis dogmata expiscarentur. Unde subjicit Clemens : « Sicut « etiam Pythagoras multa ex nostris transtulit « in suorum dogmatum traditionem. Nume« nius autem philosophus Pythagoreus apertè « scribit : *Quid enim est Plato, nisi Moyses qui « loquitur Atticè.* »

Idem rursùs alibi : « Præterea autem oster« dit, quòd idem Deus suppeditavit utrumque « Testamentum, qui etiam Græcis dedit græ« cam philosophiam, per quam omnipotens à « Græcis gloriâ afficitur. Id autem hinc quo« que est manifestum. Ex græcâ quidem certe

« disciplinâ, et ex legali in unum genus po-
« puli cui salus datur, congregantur qui fidem
« admittunt, non tempore divisis tribus po-
« pulis, ne quis triplices existimet naturas,
« sed diversis eruditi Testamentis, unius Do-
« mini, unius verè Domini verbo. Quòd enim
« quemadmodùm Judæos Deus salvos esse vo-
« luit, dans eis Prophetas, ita etiam Græco-
« rum spectatissimos propriæ suæ linguæ Pro-
« phetas excitatos, prout capere poterant Dei
« beneficentiam, à vulgo secrevit, præter Petri
« prædicationem, declarabit Paulus Apostolus
« dicens : *Libros quoque Græcos sumite, agno-*
« *scite Sybillam quomodò unum Deum significet,*
« *et ea quæ sunt futura : et Hydaspem sumite*
« *et legite et invenietis Dei Filium multò clariùs*
« *et apertiùs esse scriptum*, etc. Propterea dicit
« Petrus Dominum dixisse Apostolis : *Egredi-*
« *mini in mundum, ne quis dicat : Non audivi-*
« *mus.* Sed ut in tempore nunc venit prædi-
« catio, ita in tempore data quidem est lex et
« Prophetæ barbaris, philosophia autem Græ-
« cis, aures assuefaciens ad prædicationem. »
Laudat Clemens libros exoletæ auctoritatis,
sed et ejusmodi non unquàm etiam à cano-
nicis scriptoribus allegati sunt : aut, ut casti-
gem ipse memet, ex iis tanquàm aurum ex
stercore nonnulla et luce veritatis et fruge
utilitatis commendatissima carpserunt cano-
nici auctores. Quod autem ait Clemens, Chri-
stum sibi ex gentilibus Prophetas delegisse, id
etiam sensit Augustinus, Gregorius, aliique,
et Jobi exemplo invictissimè demonstratur.
Quod verò ait philosophiam Græcis perinde, ut
legem Hebræis à Deo misericorditer concessam, vix aut ne vix quidem negari poterit.
Deum enim esse, et unum esse atque incor-
poreum, et castis moribus colendum esse, et
à vitiis temperandum, Deique muneris esse
quidquid recti sapimus et vivimus, et alia id
genus intaminatæ veritatis atque pietatis ora-
cula, in philosophiæ pulpitis quotidiè concre-
pabant. Hæc ergo Dei dona esse, hæc legis
instar habuisse, hæc ad Christi evangelicam
et longè elimatiorem veritatem rudimenta quæ-
dam esse potuisse quis cordatus inficiabitur ?
Sed illud cavendum quod præfatus semel est
Clemens, ne philosophiam interpretemur hanc
aut illam peculiarem sectam, sed omnem à
quibuscumque demùm indagatam veritatem,
hanc philosophiæ nomine insigniamus. Unde
idem Clemens fidenter pronuntiat : « Meritò
« ergo Judæis quidem lex, Græcis autem data
« est philosophia usque ad adventum ; hinc
« autem est universa ac generalis vocatio, ad
« peculiarem populum justitiæ, per eam quæ
« est ex fide doctrinam, per unum congregante
« Domino, qui est unus solus Deus amborum,
« Græcorum scilicet et barbarorum, vel potiùs
« totius humani generis. » Viden' ut genera-
lem hanc vocationem dicat, quòd Deus huma-
num genus miris et innumeris modis haud
unquàm destiterit ad verum, ad honestum,
ad Christum vocare, et per Christum vocare,
atque adeò et Christum mittere. Et rursùs
ibidem : « Dicit Psalmus de Deo : *Nulli genti*
« *sic fecit, et judicia sua non manifestavit eis.*
« Illud autem, non sic fecit, fecisse quidem
« significat, sed non sic. Illud ergo, *sic*, posi-
« tum est ut fiat comparatio cum nostrâ excel-
« lentiâ, etc. Quin etiam Petrus quoque in
« Actis, in veritate comprehendo, inquit, quòd
« Dominus *non acceptor personarum est, sed in*
« *omni gente qui timet ipsum et operatur justi-*
« *tiam, est ei acceptus.* » Et ibidem paulò ante :
« Nam Paulus in Epistolis non videtur repre-
« hendere philosophiam, sed eum qui est par-
« ticeps altitudinis cognitionis non vult am-
« pliùs recurrere ad græcam philosophiam,
« eam allegoricè vocans mundi elementa, ut
« quæ elementa quodammodò doceat, et sit
« veluti disciplina præcedens veritatem. » In-
rehitur ergo in philosophiam quandoque Pau-
lus, si Clementem audimus, sicut et in legem,
non ut ei notam inurat aliquam infamiæ, sed
ut ab eâ tanquàm à lacte quodam puerili de-
terreat eos, qui non jam rudibus elementis et
præludiis, sed ipsi fastigio veritatis debent
inhærere. Quanquàm enim lex antistet philo-
sophiæ, est tamen hæc quoque perinde ut illa,
quanquàm non tam cumulatè ut illa, præ-
structrix quædam et ad Christum initiatrix
disciplina. Et ibidem : « Quòd si quis dicat,
« per hominum intelligentiam fuisse inventam
« à Græcis philosophiam ; atqui invenio Scrip-
« turas dicentes : *Intelligentiam à Deo missam.* »
Et paulò ante : « Is autem Deus Verbum,
« dictus est sapientia ab omnibus Prophetis.
« Is est magister omnium quæ orta sunt. Is
« autem ab alto, à primâ mundi constitutione
« *multifariàm multisque modis* et docuit et per-
« ficit. Unde meritò dictum est : *Ne dixeritis*
« *vobis magistrum super terram.* Vides unde-
« nam ansas acceperit vera philosophia, etiam-
« si lex sit imago et umbra veritatis. » Et ut
semel dicam : « Omnis utilitas quæ ad vitam
« pertinet, supremâ quidem ratione, à Deo
« omnipotente qui præest omnibus Patre, per-

« ficitur per Filium, qui etiam propterea est « *servator omnium*, inquit Apostolus, *maximè « autem fidelium.* » Et infra : « Neque enim « qui homo est, potest pro dignitate de Deo « dicere, etc. Quanquàm qui Deum sibi ad- « scribunt Magistrum, vix perveniunt ad Dei « notitiam, opera eis ferente gratiâ ad quan- « tulamcumque cognitionem, » etc. Cohibeo calamum, ne plura ex eodem testimonia et argumenta congeram, quibus efficiatur, non humanæ solertiæ, sed divinæ misericordiæ adscribendam esse qualemcumque philosophiæ ante Christi adventum orbi irradiantem lucem ; quippe cùm omnia bona etiam extrema à fonte boni incommutabilis sint ; cùm omnia vera summæ veritatis stillicidia quædam sint ; cùm omne lumen ab increato Verbi lumine derivetur ; cùm magister non sit aut esse possit, nisi Christus incommutabilis Dei sapientia ; cùm Dei veritas tam inaccessa et invia sit homini terrenis fæcibus oblimato ; cùm omnis ad veritatem et sanctimoniam initiatio, quàmlibet rudis et decolor, nonnisi gratiæ medicinali Christi assignanda sit, non homini, suo in censu jam non aliud, quàm peccatum et ignorantiam habenti. Postremò idem Clemens philosophiam Christo viam præmunisse, et pædagogi instar ad eum homines inclinâsse atque præformâsse sic tradit : « Atque erat « quidem ante Domini adventum philosophia « Græcis necessaria ad justitiam, nunc autem « utilis ad Dei cultum et pietatem iis qui fi- « dem colligunt per demonstrationem. Quo- « niam pes, inquit, tuus non offenderit, si « quæ bona sunt, ad Dei providentiam referas, « sive Græca sint, sive nostra. Omnium enim « bonorum Deus est causa, sed aliorum qui- « dem principaliter, ut Testamenti veteris et « novi, aliorum autem per consequentiam, si- « cut philosophiæ. Fortè autem principaliter « tunc etiam Græcis data fuit, priusquàm Do- « minus Græcos quoque vocâsset. Nam ipsa « quoque Græcos pædagogi more docebat, si- « cut lex Hebræos ad Christum. Præparat « ergo philosophia, ei viam muniens, qui à « Christo perficitur. » Quis hîc nodum in scirpo quærat? Ἐπαιδαγώγει γὰρ καὶ αὐτὴ τὸ ἑλληνικὸν, ὡς καὶ ὁ νόμος τοὺς Ἑβραίους, εἰς Χριστόν : Et rursùm : Προπαρασκευάζει ἡ φιλοσοφία, προοδοποιοῦσα τὸν ὑπὸ Χριστοῦ τελειούμενον. Et rursùs : « Philosophia « autem græca veluti præpurgat et præparat « animam ad fidem accipiendam, » etc. Ut igitur per legem Hebræos sibi præparabat Christus, et ad eos per lac istud jam prænasci, sibique præire et adventum suum prævenire maturabat : ita, licet parciùs, et sinuosiùs ventitabat ad Græcos per philosophiam, per quam complura è suis decretis præseminabat.

27. Videre mihi videor homines indignante supercilio jamdiù frementes, quòd philosophiam penè consecremus, quòd Christum ethnicorum sordibus oblinamus, quòd ab Augustino secessionem moliamur, qui gratiam Christi non ita passim prostrare voluit, sed paucis eximiis et electis seponi. Sed incassùm hæc tota sævit indignatio. Neque enim plus æquo extollitur philosophia, si infra legem statuitur, quæ tamen nihil ad perfectum adduxit, quæ infirmis et egenis constabat elementis, quæ justitiam nulli plenam contulit. Quid autem invidiosum tantoperè videtur, si illa qualiscumque delibatio veritatis quam philosophia olim attigit, Christo accepta referatur? Cùm tota et plena veritas Christus sit, cùm lumen ipse sit, quo omnis homo illuminatur, quid adeò alienum videtur, si rivulus, quo philosophia irrigata est, fonti veritatis reddatur? Si luminis coruscatio, quo illustrata raptim est, Soli suo refundatur? Si denique Christo imputetur quidquid veri, honesti, salutiferi usquàm est? Quid invidemus Clementi Atheniensi, de philosophiæ gremio in Ecclesiam ingresso, si philosophiam et suo experimento, et quotidianis suorum temporum documentis Ecclesiæ vestibulum fuisse contestetur? Si qua extra Christum aut vera, aut bona hominibus coruscâsse diceremus, tum verò in nos meritò accenderetur indignatio. At si ne minima quidem recti verique lumina esse usquàm patimur, quorum non ipsum gratulemur auctorem, viderint, in nos, an in Christum ipsum hæc conflagret invidia. Errabit, qui vel sola, vel maxima hæc esse Christi gratiæ dona dixerit; non qui aliqualia, non qui initialia gratiæ dona esse senserit.

28. Quod autem ad Augustinum attinet, non tantùm non adversatur ille Clementi, sed et vehementer patrocinatur. Et ipsum enim defæcatior quædam philosophia à Manichæorum colluvie, à phantasmatum corporeorum sordibus explicuit, et sin minùs ad Ecclesiæ Catholicæ penetralia, certè ad ejus quodammodò limina appulit. Ipsum audiamus : « Tunc lectis « Platonicorum illis libris, postea quàm inde « admonitus quærere incorpoream veritatem, « invisibilia tua per ea quæ facta sunt intellecta « conspexi, et repulsus sensi, quid per tene-

« bras animæ meæ contemplari non sineret, » etc. Illis libris ad incorpoream veritatem, ad verum Deum appulsus est, ejusque luce reverberatus et infirmitatem suam intellexit, et ad viam comparandi roboris fruendo Deo idonei quærendam invitari cœpit. Ibidem : « Et « mirabar quòd jam te amabam, non pro te « phantasmata ; et non stabam frui Deo meo, « sed rapiebar ad te decore tuo, moxque diri- « piebar abs te pondere meo, » etc. Et rursùm: « Et quærebam viam comparandi roboris, quod « esset idoneum ad fruendum te, nec inveniе- « bam, donec amplecterer mediatorem Dei et « hominum, hominem Christum Jesum, » etc. An non aperta hæc est ad Christum manuductio? Cui enim ostenditur veritas, cui beatifica patria, cui oculorum lippitudo declaratur, cui superni auxilii necessitas, nonne illi umbratiè Christus ostenditur? Annon hâc eâdem arte Israelitæ Christo initiabantur ? Et his enim lex, justitia, sanctitas ostentabatur et imperabatur, ut dùm ad eam eniterentur, et irrito conatu fatiscerent, supernum peterent liberatorem. Illis ergo veritas, his sanctitas divinitatis per philosophiam et per legem Mosaicam subrutilabat, et lenocinabatur, ut ad se pertraheret, ut sequi per invia, ut venire per cœnosa cupiditatum non valentes, viam et auxilium gratiæ supernæ implorare compelleret. Et quidem philosophis etiam sanctitas veritatis moribus æmulanda, et Hebræis veritas sanctitatis intellectu contemplanda sublucebat, ut quæreretur, et utriquè utrâque arte ad medici invocationem provocarentur : sed Hebræis lex magis, philosophis sapientia magis cordi erat. Et quia ad veritatem beatificam morum castitate compendiosiùs, quàm mentis acumine pervenitur, Hebreæi etiam philosophos anteiverunt et fidei Christi priores compotes facti sunt. Sed Augustino cum Clemente conciliando unus plus satis erit adhuc locus, ubi de antiquis et recentioribus Platonicis agens, hæc habet: « Illi enim si reviviscerent, quorum isti « nominibus gloriantur, et invenirent refertas « ecclesias templaque deserta, et à cupiditate « bonorum temporalium et fluentium ad spem « vitæ æternæ et bona spiritalia et intelligibilia « vocari et currere humanum genus : dicerent « fortassè, si tales essent, quales fuisse memo- « rantur : Hæc sunt quæ nos persuadere popu- « lis non ausi sumus, et eorum potiùs consue- « tudini cessimus, quàm illos in nostram fidem « voluntatemque traduximus. Itaque si hanc « vitam illi viri nobiscum rursùm agere potuis- « sent, viderent profectò cujus auctoritate fa- « ciliùs consuleretur hominibus : et paucis mu- « tatis verbis atque sententiis Christiani fierent, « sicut plerique recentiorum nostrorumque « temporum Platonici fecerunt. » Annon ergo, ut aiebat Clemens, pædagogi ad Christum vicem obibat philosophia, cujus sectatores plerique in Ecclesiam, ut primùm ea emicuit, certatim confluxerunt? Annon pædagogi ad Christum vicem obibat philosophia, cujus asseclæ paucis mutatis verbis atque sententiis Christiani fiebant? Annon pædagogi ad Christum munus obibat philosophia, quæ eadem nobiscum de Deitate, de animorum immortalitate, de fugâ temporalium, de amore æternorum, de patriâ pacis sentiebat? Annon pædagogi ad Christum vicem obibat philosophia, quæ veritatis æternitatem populis sensibilium consuetudine hebescentibus ostendi non posse monstrabat, nisi per ejus fidem et morum consentaneam castitatem ante purgarentur : fidem autem sine divinæ auctoritatis personâ humano generi persuaderi non posse ; hanc porrò auctoritatem hominibus defieri, cœlitùs ergo expetendam expectandamque esse convincebat? Quòd autem de cruce, de morte Christi, de resurrectione ejus nihil sonet in philosophiâ veteri, non ideò de Christo siletur. Est enim Christus non tantùm caro et crucis hostia, et mortis domitor, sed etiam Verbum et veritas, et lux et morum castitas, et beata æternitas. Portio ergo Christi et initiatio ad eum est quidquid horum aliqua redolet. Per humana Christi ad ejus divina, et vicissim per divina ad humana devenitur, per quæ in divinitatis arcana penitiùs subeatur.

29. Non me contineo quin attexam hîc quod exciderat ex Gregorio Magno : « Erranti igitur « homini data est lex : erranti verò sub lege ad- « ducitur testimonium eorum qui extra legem « sunt, etc. Circumscripsit nos divina provi- « dentia, circumvenit excusationem nostram : « undique conclusus est aditus tergiversationis « humanæ. Homo gentilis, homo sine lege ad « medium adducitur, ut eorum qui sub lege « sunt, pravitas confundatur. » Et paulò post : « Nec immeritò inter Hebræorum vitas in au- « ctoritatis reverentiam, vita justi gentilis ad- « ducitur, quia Redemptor noster sicut ad « redemptionem Judæorum et gentilium venit, « ita utrorumque vocibus prophetari voluit : « ut per utrumque populum diceretur, qui pro « utroque populo quandoque pateretur. » Gentilis iterùm iterùmque Job fuisse incitatur,

qui tamen et justus et Christi Propheta et Hebræis invidiam facturus dicitur à Deo excitatus fuisse, ut nihil ambigas venisse ad gentiles etiam Deum Verbum et futuræ crucis suæ carnisque merita instillâsse. Nam Jobi, Melchisedechi, Abimelechi, Cornelii et alia id genus exempla in Scripturis rarissima, latiùs conjectandi potestatem nobis faciunt. Quibus adde et Augustinum : « Venit hominibus Chri- « stus magisterium et adjutorium ad capessen- « dam sempiternam salutem. Magisterium qui- « dem, ut ea quæ hîc ante dicta sunt utiliter « vera, non solùm à Prophetis sanctis, qui « omnia vera dixerunt, verùm etiam à philo- « sophis atque ipsis poetis, et hujuscemodi « auctoribus litterarum, quos multa vera falsis « miscuisse quis ambigat ? illius etiam in carne « præsentatâ confirmaret auctoritas, propter « eos qui illa non possent in ipsâ intimâ veri- « tate cernere atque discernere. Quæ veritas « et antequàm hominem assumeret, ipsa aderat « omnibus, qui ejus participes esse potuerunt. » Vides unde influxerint quæcumque utiliter vera à gentilibus quibuscumque dicta sunt, nempe ab intimâ et æternâ veritate Christo, qui ante carnem suam omnibus aderat, qui ejus participes esse potuerunt, et utique potuerunt, quos cœnosa cupiditas non penitùs excæcabat. Quocirca et singulis hominibus et ipsi gentilium reipublicæ universæ quadrare possunt illæ etiam stationes ante legem, et sub lege, etsi obscuriùs, etsi occultiùs. Nam antequàm ratio cuique et lux interna et lux æterna fulgescat, is ante legem degit in intempestâ quâdam nocte ; ubi fulserit, tum sub lege est. Similiter antequàm philosophia secularis vel ingenitos veritatis et legis intimæ igniculos excitando; vel de sacris litteris et de Hebræorum contubernio pleraque mutuando illucesceret orbi, ante legem volutabatur in meris tenebris genus humanum : ubi illuxit, tum quasi sub lege agere visum est. Ita « partim singulis « hominibus, partim verò ipsi hominum ge- « neri subvenitur, » ut ait idem Augustinus.

30. Verùm nemo expressiùs saluti gratiæque in gentiles effusæ patrocinatus est quàm Richardus à Sancto Victore. Itaque et ex ipso aliqua excerpam. « Multi non solùm ex Ju- « dæis, verùm et ex gentibus Christi adventum « prænoverant, et cum magno desiderio ex- « pectabant, secundùm illud : *Ecce veniet de-* « *sideratus cunctis gentibus.* Non dicit, Desi- « derandus, sed, *Desideratus.* Ut intelligas in « omni gente aliquos aliquando in ejus desi- « derio flagrâsse. Erat igitur ejus adventus à « multis gentilium præcognitus et ardenter « desideratus. Ad hanc tamen cognitionem « paulatim et per intervalla temporum pede- « tentim ascenderant. Nam primò quidam il- « lorum divinitùs illuminati, et naturali ra- « tione edocti intelligebant, quantis tenebris « totum penè genus humanum involutum « erat, » etc. Fusè deinceps prosequitur ut « divinitùs illuminati et naturali ratione edo- « cti, » ad Christi cognitionem vel vaticinium perducti sint. Nam quod recta ratio ad æternam salutem frugiferum explorat, id utique Deus revelat. Unde Paulus docet, cùm philosophi per ea quæ facta sunt, ad invisibilia divinitatis intelligenda grassati sunt, Deum illis revelâsse. Revelat enim sese lux veritatis cùm oculo etiam perspicaci affulget. Deo ergo illuminante, et mente hominis indagante, ait Richardus, patuisse quòd Deus verus esset, quòd ejus conspectus et amicitia bearet hominem, quòd ab eâ felici sorte in barathrum quoddam calamitosum delapsi essemus, quòd hinc emergere nostris opibus haud pares essemus, quòd ab unius Dei indulgentiâ tantæ hujus ærumnæ nostræ solatium præstolandum sit. Vides quàm mollis et expedita hæc via esset, quâ Christus adventum carnis suæ antevertens, ad homines singulos veniebat, aut ne veniret, eorum à seipsis dispersione atque irrevocabili peregrinatione, vel phantasmatum curarumque temporalium tempestate quâdam propulsabatur. Sive ergo eos spectes, qui explicatiùs quid de Christo per ipsius Christi prævium lumen intelligebant, sive ad illos te convertas, qui quamvis tenebrosis libidinibus insepulti, nil pensi habebant æterna et interna bona, non tamen poterant vel suborientem identidem temporalium nauseam, vel impetum mentis immortalis ad immortalia et cognata sibi bona irrequietè et infatigabiliter anhelantis, penitùs obruere ac suffocare : utrinque constabit, sive scientes, sive inopinos omnes homines ubique locorum ad id suspirâsse utcumque, quod Christum nos esse credimus et intelligimus. Unde pulchrè Cassianus : « Cùm lator legis « clamaverit : *Obsecro, Domine, mitte quem* « *missurus es,* pius utique Propheta et otius « in se generis humani affectum habens, eum « qui mittendus à Patre ad redemptionem om- « nium erat, ut quàm celerrimè mitteretur, « quasi totius à Deo Patre humanæ carnis vo- « cibus postulabat, dicens : *Obsecro, Domine,* « *mitte quem missurus es.* »

CAPUT XIV.

Christus non universis tantùm, sed singulis etiam hominibus venit; singulis nascitur, crescit, moritur, resurgit; ideòque non semel, sed semper venit, et etiam nunc, cùm venerit jam, venturus expectatur.

1. Hic cardo vertitur orthodoxæ in re istâ doctrinæ. Nec enim tantoperè satagendum de Christi ad universos, quàm de ejusdem ad singulos adventu. Ad universos enim adventus sacramento et pompæ servit : adventus verò ad singulos, et in singulos salutem importat sempiternam. Non aliter quàm secundi adventûs tempus in ambiguo esse nihil obest, quandoquidem cujusque interest, non tam quando universis, quàm quando sibi sigillatim morienti Christus judex imminebit. Ita et primus in carne adventus Verbi ad pompam, ad Sacramenti majestatem certo alicui temporis articulo alligandus ille quidem fuit : sed juvenescente, an senescente mundo, an in ætatis meditullio potiùs locandus fuerit, non ita interest scrutari, quia dùm singulis omnium ætatum hominibus adveniat, et innascatur, adolescat et immoriatur, resurgat et in cœlestibus consideat Christus, præ lærè satis nobiscum agitur, et omnis æstuatio sedatur. Itaque gratulandum iis est, quibus privatim et invisibiliter informatus est Christus, sapientia et veritas incarnata, etsi longo temporum interstitio à manifesto ejus adventu illi disterminati fuerint. Illis ex adverso illacrymandum est, quibus visibiliter Deus in carne apparuit, nec tamen invisibiliter per fidem in eorum mentibus incarnatus est. Ab angustiis igitur temporum extricanda est causa et ratio adventûs Christi, id est, sapientiæ et justitiæ incorruptibilis in naturam humanam, et à sensuum corporeorum exilitate in quamdam æternitatis amplitudinem expandenda est. Ex quo Verbi Dei lapsum nostrum miserantis sanctitas et veritas illuminare et castificare homines cœpit, eorumque naturæ illabi, et illapsu suo inhærentem peccati mortisque luem expungere, ex tunc venire et incarnari cœpit, et quamdiù id præstare pergit, tamdiù venit et incarnatur, cùmque semper id præstare pergat usque ad exitum seculi, venire et incarnari perennat, donec tota Christi plenitudo per extremum ejus adventum consummetur, cùm omnes peccati mortisque reliquiæ penitùs exurentur. Universalis hic autem et perpetuus Christi adventus, qui singulos et universos complectitur, aptus utique et religatus est ab illo utroque conspicuo et speciali adventu, quo in homine sigillatim et hypostaticè assumpto jam venit humilis, et veniet iterùm in gloriâ. Sed hæc sancti Patres elegantiùs disserent.

2. Ambrosius ita habet : « Quid enim mihi « prodest diem scire judicii? Quid mihi pro- « dest tantorum conscio peccatorum, si Domi- « nus veniat, nisi veniat in meum animum, « redeat in mentem meam, nisi vivat in me « Christus, in me Christus loquatur? Ergo « mihi Christus debet venire, mihi debet ad- « ventus ejus fieri. Fit autem Domini secundus « adventus in defectione mundi, quando pos- « sumus dicere : *Mihi autem mundus crucifixus* « *est, et ego mundo.* Sed hunc virum talis « mundi defectus si in superioribus domûs « inveniat, ut *conversatio ejus in cœlis* sit, tunc « destruetur templum corporale atque visibile, « lex corporalis, pascha corporale et pascha « visibile, azyma corporalia, et azyma visibi- « lia; audeo dicere : Christus temporalis ut « fuit Paulo antequàm crederet, quia in eo cui « mundus deficit, Christus æternus est. Huic « spiritale templum, lex spiritalis, pascha « etiam spiritale, quoniam semel Christus oc- « cidatur. Hic epulatur azymâ, non ex fruge « terrenâ, sed ex fruge justitiæ. Fit ergo huic « præsentia virtutis atque justitiæ, præsentia « redemptionis. *Christus enim semel* quidem « pro peccatis populi *mortuus est*, sed quotidiè « peccata populi redempturus. » Nescio quid hic sapit de salivâ Origenis, sed benè habet, quòd expiata per Ambrosium sit omnis obliqua suspicio. Adverte autem in aureolo et bracteato hoc toto contextu, quàm nihil admodùm de conspicuo ad universos, sed vehementiùs de peculiari ad singulos, seu primo, seu secundo adventu satagendum sit. Adverte etsi nobis jam Christus venerit, expectari tamen venturum : et qui venturus expectabatur, venire quotidiè, si modò exolescat in nobis amor mundi, si corporalia nobis deficiant et vilescant, si exterioris hominis cura expuatur, et in interiorem in dies repullulascamus. Adverte secundo Christi adventu in nos eadem præstari, quæ primo, sed cumulatiùs splendidiùsque, templum videlicet corporale et visibile destrui, legem corporalem aboleri, pascha corporale desinere, azyma visibilia oblitterari, id est, corporalem et typicum cultum abrogari, spiritalem cœlestemque invehi, infantiam quamdam Christi et justitiæ crepundiâ

excuti, ætatem plenitudinis Christi, id est, sapientiæ et justitiæ perfici. Adverte hinc semper Christum venire, quamdiù justitia in singulis aliquibus exoritur, vel maturescit, sive ante, sive post solemnem ejus in carne adventum, quamdiù injustitia in singulis deficit : solemnem autem ejus adventum primum in humilitatis schemate, secundum in gloriâ peragi, quia justitiæ exordia ab humilitate cuique surgunt, pertingunt autem per incrementa quotidiana ad perfectissimæ sanctitatis gloriam.

3. Idem Ambrosius alibi : « Meritò prohibe- « tur tangere Dominum, non enim corporali « tactu Christum, sed fide tangimus. *Nondùm « enim*, inquit, *ascendi ad Patrem meum.* Id « est : Nondùm tibi ascendi, quæ *virentem cum « mortuis* quæris. » Et infra : « Denique Ste- « phanus supra terram quæsivit, qui stantem « te ad dexteram Dei vidit; Maria autem quæ « quærebat in terrâ, tangere non potuit; Ste- « phanus tetigit, quia quæsivit in cœlo. Ste- « phanus inter Judæos vidit absentem, Maria « inter angelos non vidit præsentem. Sed quare « non potuerit illa tangere, Evangelista nos « docuit, quia cùm te videret, nesciebat quia « tu esses. Meritò tangere non potuit, quæ vi- « dere non poterat. Nam qui videt, tangit. » Quod hic de locis, tu de temporibus argumentare, perinde enim ab utrisque absolvenda Christi majestas est. Incredulæ tum Mariæ præsens aderat, nec videri tamen, aut tangi poterat; fideli Stephano longè aberat, et videbatur tamen ab eo, et tangebatur : quia nempe fide videtur, fide tangitur. Itaque distantiam et intervalla, etsi multa sint, fides vincit; etsi nulla sint, interjicit perfidia. Abest ubi non creditur, etsi præsens sit; adest, ubi creditur, quanquàm longè positus. Ita et temporibus fides, temporibus Christi incarnatio dominatur. Illis inter mundi initia veniebat et incarnabatur, à quibus credebatur; illis in plenitudine temporum non veniebat, non incarnabatur, quorum incredulitate ablegabatur. Rursùm hîc adverte etsi tum resurrexerat Christus, etsi ad Patrem ascendebat, non ascendisse tamen, aut resurrexisse, nisi iis à quibus Deus esse non dubitabatur. Nam qui carni ejus carnaliter agglutinabantur, iis jam quidem natus erat fortassis, jam grandiusculus, sed nondùm à mortalitate redivivus, nondùm in Deitatis gloriam sublimatus. Unde ibidem : « Ergo ascendisti et nobis, ut te sequamur « mentibus, quem oculis videre non possumus. « Ascendisti Apostolis, quibus dixisti : *Qui me « videt, videt et Patrem.* Denique Joannes ubi « te quæreret scivit; apud Patrem te quæsivit « et reperit, et ideò ait : *Et Verbum erat apud « Deum.* Ascendisti et Paulo, qui non contentus solus te sequi, nos quoque docuit quemadmodùm te sequamur, et ubi te reperire possimus, dicens : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est « ad dexteram Dei sedens.* Et ne oculorum magis hoc, quàm animorum putaremus officium, addit : *Quæ sursùm sunt sapite; non quæ super « terram.* Ergo non supra terram, nec in terrâ, « nec secundùm carnem te quærere debemus, « si volumus invenire. Nunc enim secundùm « carnem jam non novimus Christum. » Quod de ascensione, idem de aliis Christi sacramentis æquum est pronuntiare. Illis ascendit, qui fidei et charitatis ejus apicem summum tenent; illis nascitur, in quibus prima pietatis fundamenta jacit, et ita de aliis. Unde rursùs idem : « Eleventur ergo portæ tuæ, ut non « Ariano sensu parvulus, non pusillus, non « subditus ad te Christus introeat; sed intret « in Dei formâ, intret cum Patre, intret cùm « talis qualis est, et cœlum et omnia supergressus, et mittat tibi Spiritum sanctum. « Expedit tibi ut credas quòd ascendit, et sedet « ad dexteram Patris. Nam si eum inter creaturas et terrena impiâ cogitatione detineas, « si non tibi abeat, non tibi ascendat, nec Paracletus ad te veniet, sicut ipse dixit : Nam « *si ego non abiero, Paracletus non veniet ad « vos, si autem abiero mittam illum ad vos.* Quòd « si inter terrena eum requiras, sicut Maria « Magdalene requirebat, cave ne et tibi dicat : « *Noli me tangere, nondùm enim ascendi ad « Patrem meum.* » Ecce quibus ascendit Christus, nimirùm quibus Spiritum sanctum plenissimè immisit, quibus Deus et gloriæ paternæ collega creditur : cæteris enim non ascendit, sed adhuc inter terrena reptat. Itaque et illa Spiritûs sancti plenior post receptum in cœlos Christum effusio, solemniter et conspicuè semel facta ad sacramentum universitati hominum condendum, jugiter fit, semper fit, singulis hominibus fit, nisi per ipsos stet. Universim enim privatâ fide et charitate singulis fit Christus, quidquid universis semel factus est ad fidem et charitatem illam semel promerendam, quam singulis impartiret. Quare ibidem paulò post : « Si non credis, non descendit tibi, non tibi passus est. »

4. His plaudit Hieronymus creberrimus et

ipse hujus arcani interpres non sine sapore aliquo haustæ ab Origene doctrinæ, et à suspicione erroris purgatæ. « *Qui ædificat in* « *cælo ascensionem suam*, etc., ipse est qui quo- « tidie ædificat in cœlo ascensionem suam, et « dicit in Evangelio : *Pater meus usque modò* « *operatur, et ego operor* : et non solùm de costâ « Adam in typum Ecclesiæ semel ædificavit « Evam, sed quotidiè credentes et membra « corporis sui ædificat, et de terris ad cœlum « levat, ut in illis ipse conscendat. Ascendit « Dominus in cœlum cum Enoch, ascendit cum « Eliâ, ascendit cum Moyse, cujus sepulturæ « locus, quia in cœlum ascenderat, in terrâ « non potuit inveniri. Ascendit cum Paulo, « qui vas electionis in Apostolum ex persecu- « tore mutatus est, et de humilibus raptus ad « sublimia, ita ut ascenderet ad cœlum tertium, « et per Spiritum sanctum et Filium perveni- « ret ad Patrem, et audiret verba ineffabilia, « mysteria Trinitatis, quæ hominibus audire « non licitum est. Iste ergo qui quotidiè ascen- « dit in sanctis, » etc. Innuit Hieronymus è dignitate Christi esse, ut non semel, sed semper operetur; non semel, sed semper nascatur, semper resurgat, semper ascendat Christus homo, sicut et Christus Deus cum Patre hactenùs operatur, et deinceps infatigabili potestate operabitur. Nam quæ semel creavit, eadem indesinenter recreat aut creare perpetuat, ut æterna sint ejus opera, substantiæ ejus æternitatem æmulantia. Ita non semel, sed semper nascitur, semper ascendit, ut quos semel his sacramentis in seipso creavit, hos indesinenter creare et perficere pertendat. Ut enim omnia in principio rerum creata quidem sunt et seminata, sed explicantibus sese seculorum voluminibus explicantur et illa, jugique creatione parturiuntur ac prodeunt, ita in Christo creati, nati, resuscitati, cœlis invecti omnes semel sumus, sed quasi seminaliter : lapsu temporum explicanda sunt hæc semina, ut semper creetur nova hæc creatura. Innuit rursùm Hieronymus è dignitate Christi esse, ut quisquis gratiæ nascitur, quisquis peccato moritur, quisquis immortalium gustui reviviscit, quisquis in æternitatis sinum rapitur, Christus nascatur, Christus moriatur, ille resurgat, ille rapiatur : quòd intelligibilium bonorum, nostrum sit nihil, quòd omnia sint ejus, quòd omnia sit ipse, quòd omnia in omnibus adimpleatur, quòd universalis justitia, et unus justus, quia tota justitia, ipse sit. Innuit tertiò paulò post Hieronymus, quòd Christus visibiliter natus sit semel, et mortuus, et excitatus, eam esse litteram historiæ : quòd quotidiè nascatur, et moriatur, et suscitetur, hunc esse spiritum, hanc veritatis intelligibilem medullam : et quidem litteræ tanquàm fundamento insistendum esse, sed non immorandum ibi, quin ad superna spiritalis intelligentiæ culmina, id est, ad mysteriorum Christi expansissimam quamdam universalitatem enitendum esse. « Et cùm historiæ habuerint « fundamenta, tunc spiritalis intelligentiæ cul- « men accipiant; ut verè Christus de virgine « natus sit, verè Lazarum mortuum suscitârit, « verè ad tactum ejus hæmorrhoïssa sanata « sit, etc., licet secundùm tropologiam quotidiè « de animâ virginali nascatur sermo divinus, « quotidiè peccato mortui et vitiorum funibus « alligati de sepulcro scelerum suorum ju- « beantur exire, quotidiè sanguinis opera con- « stringantur, etc. » Itaque qui morosiùs tricantur circa tempus visibilis Christi adventûs, in litteræ vepribus defiguntur et ideò spinosis lancinantur difficultatibus, à quibus utique extricarent sese, si liberioris intelligentiæ auras spirare, et invisibilem ad singulos ejus adventum cui visibilis serviebat, singulis omnium ætatum hominibus præstò fuisse contemplarentur. Innuit quartò Hieronymus ibidem, ideò singulis nasci, mori, reviviscere Christum, quòd singuli ei instar omnium sint, et omnes instar singulorum. Non enim alio pretio universos, alio singulos, sed quo et quanto universos, eo et tanto singulos emit, nempe toto, nempe seipso. Itaque Moysi, Eliæ, Paulo se totum impendit, se totum expandit, se totum quantus quantus est explicuit, implicuitque : illis singulis natus, illis adolevit, etc. Id tenebat Paulus cùm diceret : *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Id Scriptura omnis testificatur, cùm Hierosolymam cui se Christus totum libavit, et totam Ecclesiam, et singula Ecclesiæ membra interpretari monet. Unde idem Hieronymus : « Quatuor modis intelligi « potest Jerusalem, vel hæc quæ Babylonio et « Romano igne succensa est, vel cœlestis pri- « mitivorum : vel Ecclesia quæ interpretatur « visio pacis : vel animæ singulorum, quæ fide « cernunt Deum. »

5. Ab his haud dissident, quæ alibi disputat idem Hieronymus, ubi tradit Moysen cæterosque olim justos eâdem intùs Christi et Evangelii ejus copiâ ditatos fuisse atque Apostolos, sive alios Ecclesiæ christianæ filios, sed legalibus tamen sacramentis ex necessariâ

tunc dispensatione servàsse, non aliter quàm Paulus et comam rasit et nudipedalia exercuit, cùm lex illi antiquata jam esset : « Ut dicamus « illos quo modo Paulus factus est Judæis Ju- « dæus ut Judæos lucrifaceret, et in Cencris « ex voto comam totondit, et nudipedalia atque « calvitium Hierosolymis in templo exercuit, « ut eorum sedaret invidiam, qui causati de « eo fuerant, quod contra legem Moysi et « Deum faceret Prophetarum : ita et sanctos « viros fecisse quidem ea quæ legis erant, sed « sensum magis legis secutos esse, quàm lit- « teram. Qui non minùs quàm Abraham, sub- « lato de facie velamento, cupierunt videre « diem Christi, et viderunt et lætati sunt; « facti infirmo populo infirmi, ut infirmos lu- « crifacerent, et his qui sub lege erant, quasi « essent et ipsi sub lege, ut eos ab idolis quibus « in Ægypto assueverant, separarent. Absur- « dum quippe est Moysen et cæteros confabu- « latores Dei in eâ fuisse conditione, ut non « credamus eis et præfinitum tempus à Patre « venisse, et redemptos eos esse de servitute « legali, et adoptionem filiorum consecutos, et « hæreditatem cepisse cum Christo. Quæcum- « que enim toti generi humano sapientia Dei « quasi in Filio præstitit, hæc eadem unicuique « sanctorum semper suo ordine et dispensa- « tione largita est. » Hæc summa est, hic apex disputationis hujus, hoc unum meditamur, hùc toti connitimur, ut constet, quòd « quæ- « cumque toti generi humano sapientia Dei « præstitit, hæc eadem unicuique sanctorum « semper suo ordine et dispensatione largita « est. » Itaque natalem suum Christus, incre- menta ætatis, sapientiæ et gratiæ, mortem, vitæ novitatem, cœli fastigium toti humano generi semel ad ostentationem sacramenti, singulis autem justis exhibet ordine cuique suo et tempore. Itaque Abraham concupivit videre diem Christi, vidit et gavisus est. Diem Christi, utique intelligentiâ irradiatam totam ejus in carne dispensationem videre concupivit Abraham et vidit; concupiêre justi quocum- que loco et tempore indiscriminatim, vidêre et gavisi sunt. Itaque nihil amplius nihil salu- brius imprecari illis antiquioribus potes, quàm quod consecuti sunt, nempe Christum, et diem Christi vidisse, et gaudio ejus toto perfusos esse. Itaque plaudendum illis magis est, qui ita Christum in carne non viderunt, ut vide- rint et gavisi sint, quàm his qui viderunt, sed fide non viderunt, ideòque non viderunt : carnem enim viderunt, non diem, ideòque gavisi non sunt, sed viderunt et inviderunt, quidam etiam crucifixerunt. Itaque sapientia Dei Christus venit et videtur omni loco, omni tempore; et carnis ejus dispensatio, quia et ipsa mera est sapientiæ interpretatio, etsi uni loco temporique inserta, radiat tamen et adest omnibus loci temporisque tractibus, et instar sapientiæ, omnibus et singulis integram intimamque se præbet.

6. Rursùs idem Hieronymus verba Pauli exponens : « *Ipsius enim sumus factura, creati* « *in Christo Jesu in operibus bonis*, etc. Crea- « tionis et conditionis nomen ad magna sem- « per solet opera copulari. Verbi causâ illa « urbs condita est, et ab initio creatus est « mundus, et unusquisque sanctorum per « varia dogmata atque virtutes in semetipso « mundus est totus; propterea nunc creati in « Christo dicimur et creati in operibus bonis, « sive quæ ipsi fecimus, vel facturi sumus, « sive in aliis creaturis, ad quæ nostra con- « versatio transferenda est, ut quæ præparavit « Deus in illis ambulemus, etc. In nobis et in « Christo per singula opera et profectus crea- « tura atque conditio accipi potest : ut quoti- « diè in credentibus, quia variè secundùm « diversa merita montes dicuntur, et valles, et « colles, atque campestria, Christus creatus, « natus et conditus sit. » Adverte hic creatu- ram nos dici in Christo, quia quilibet sancto- rum instar habet mundi universi, cui expendit se totum Christus perinde ac mundo. Adverte rursùm ut in creaturâ mundi creatur quodam- modò et corporatur sempiterna Dei et in- commutabilis sapientia, quæ per visibilia quasi visibilis fit, et his veluti vestibus ami- citur, et penè corporascit; ita in novâ crea- turâ creari, et iterùm iterùmque corporari Christum, ut in singulis sanctis conspicuus ipse sit et penè contrectabilis. Adverte rursùs creata ab initio ita esse universa, ut creanda tamen in decursu temporum et explicanda ob oculos sint singula : ita in Christo visibiliter nascente et exerente sese, nos quidem omnes creatos fuisse, sed creandos tamen sigillatim esse, ipso in singulis nascente, per temporum curricula. Adverte Deum creâsse creanda, et fecisse quæ futura sunt; condenda enim con- debat, quando cardinales causas, unde prodi- rent omnia, procreabat; ita creati sunt justi in operibus bonis, quæ præparavit Deus; nati sunt enim in Christo, antequàm nascerentur, et nunc nascuntur in Christo, tamdiù post adventum suum Christo ad ipsos veniente et

post natalem suum nascente. Adverte creari tantùm in mundo futura, non præterita; at in Christo etiam præterita. Nam Christo nascente nascebantur, qui jam olim nati in Christo ante Christi adventum fuerant. Creatio enim utcumque servit tempori, at redemptio temporibus invictiùs dominatur, et uni famulatur æternitati. Justitia enim et sapientia in novâ, quàm in primâ creaturâ fulgentior splendet. Ergo justitia et sapientia Christus nullâ temporum ratione habitâ semper nascitur, semper resurgit, cum justitiâ et sapientiâ vel nascitur, vel in novitatem perfectissimam efflorescit. Unde apud eumdem Hieronymum : « *Qui facit justitiam.* Justitia Dominus noster « est. Justitia enim Domini Dominus noster « dicitur, et Salvator. *Beatus* ergo *qui facit* « *justitiam,* hoc est, qui facit Christum. Quo- « modò ergo facimus Christum, hoc est, justi- « tiam? Si justè agamus, concipitur in nobis « justitia, et paritur ex nobis justitia, et sumus « mater justitiæ. Felix et beatus est, qui omni « tempore et pater, et mater est justitiæ. » Quasi dicat : Justitia universalis et justitia Christus est; ubicumque ergo et quandocumque ab orbis initio ad calcem, ab ortu ad occasum justitia vel nascitur, vel perficitur, Christus nascitur et perficitur. Itaque noli anxiari, quòd Christus non ante sit natus; sed angere potiùs, quòd non ante hominibus justitia arriserit : si enim priùs adlubuit, priùs natus est Christus. Itaque omnis querelarum fons præclusus est, quando Christus justitia illis omnibus nascitur, quibus adlubescit. Itaque non ipsi de Christo, sed Christus de ipsis jure merito conqueritur, quòd per ipsos sua nativitas suspendatur.

7. Ut hæc autem liqueat de penu Origenis prompta esse, sed approbata et perpurgata ab Hieronymo, accipe et frustulum hoc ex Homil. 2 Origenis in Cantica, ab eodem latinitate donatâ : « Si intelligis Evangelium, ut se « vult intelligi Evangelium et prædicari, vides « Jesum omnem languorem et infirmitatem « non solùm eo tempore; quo carnaliter facta « sunt, fuisse medicatum; sed hodièque me- « dicantem; et non tantùm tunc ad homines « descendisse, sed hodièque descendere et « esse præsentem. *Ecce enim,* inquit, *vobiscum* « *sum usque ad consummationem seculi,* etc. » Et paulò infra : « Semper istiusmodi sunt pro- « fectus, ut in exordio desideret quispiam « saltem in virtutum umbrâ consistere. Ego « puto ideò et nativitatem Jesu ab umbrâ cœ- « pisse, et non in umbrâ, sed in veritate fini- « tam. *Spiritus,* inquit, *sanctus, superveniet* « *in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Nativi- « tas Christi ab umbrâ sumpsit exordium. Non « solùm autem in Mariâ ab umbrâ ejus nativi- « tas cœpit, sed et in te, si dignatus fuerit, « nascitur sermo Dei. Fac igitur ut possis ca- « pere umbram ejus, et cùm umbrâ fueris « dignus effectus, veniat ad te, ut ita dicam, « corpus ejus, ex quo umbra nascitur. »

Producendus nunc in medium est Origenes ipse, qui hâc in re sæpissimè idemque elegantissimè versatus est. Alicubi illa expendens Christi verba : *Nunc quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi à Deo,* quærit quâ de causâ subditum sit à Christo : *Hoc Abraham non fecit,* cùm Christi adventum tot seculis Abraham antecesserit. Respondet et Abrahæ ætate advenisse Christum, et Abrahæ visum, auditumque esse, et veritatem propalâsse, nec ullis tamen ejus insidiis appetitum esse : « Non enim natus « erat Abrahæ tempore Jesus. Sed dicerem ego « juxta doctrinam Servatoris docentis ac di- « centis : *Abraham pater vester exultavit, ut* « *videret diem meum, et vidit, et gavisus est,* « fuisse Abrahæ tempore hominem, qui veri- « tatem quam à Deo audisset loqueretur, quem « tamen Abraham ipse interficiendum non « curavit. Et observa quòd homo qui tropicè « intelligitur in Jesu, nunquàm non advenerit « in hanc vitam, et post temporà historiæ sui « ipsius, et antea. » Vides quàm fidenter audeat Christi adventum in omnia temporum ac labentium seculorum volumina explicare atque amplificare, et omnibus omnium ætatum mundi hominibus repræsentare. Semper enim veritas hominibus cœlitùs insusurrata est, semper à bonis lubentissimè hausta, à malis crucifixa fuit. Unde subdit Origenes peræquè ante Christi in carne adventum atque postea habere locum quod in Actis Pauli legebatur Christus dixisse : *Denuò debeo crucifigi;* ab orbis enim initio ad exitum usque, quicumque veritatem et justitiam aversantur, sibimetipsis, ut ait idem Paulus, crucifigunt Filium Dei. Crucifigitur enim Filius Dei Christus, quoties veritati et justitiæ gravis inuritur contumelia. Nam et ipsa caro Christi semel in plenitudine temporum, non tam manibus militum, aut vocibus tunc Judæorum, quàm peccatorum qui usquàm et unquàm fuerant, erant, futurive supererant, vi et grassatione fixa est cruci. Ex adverso sancti omnes quâcumque

demùm mundi ætate vitam transegerint, cum Paulo dixerunt : *Christo confixus sum cruci : vivit verò in me Christus.* Quapropter Christus seu crucifigendus à malis, seu amplexandus dissuaviandusque à bonis, semper et ubique adfuit, semper et ubique adventum suum repræsentavit. « Vide verò, an non tantùm sanctorum qui post Christi adventum fuêre, sit « vox illa : *Cum Christo crucifixus sum*, sed « æquè ad priores etiam pertineat, ne differre « dicamus sanctos, qui post Christi adventum « fuêre à Moyse et Patriarchis. Vox illa quoque : « *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus*, æquè etiam dicatur non solùm de sanctis, qui post Christi adventum fuêre, verùm « etiam de his qui antea. » Et his tandem subjicit, quod universim valet : « Tradimus enim et « docemus, nunquàm defuisse sanctis spiritualem Jesu adventum, atque dispensationem. »

8. Et rursùs idem Origenes : « Attamen non « ignorandum nobis est, Christi adventum « antequàm corpore ad terram descenderet, « intelligibilem multò ante factum fuisse perfectioribus, minimèque parvulis. Quippe qui « à pædagogorum curatorumque curâ ac tutelâ « liberi essent, ob oculos habentes plenitudinem eam temporis, quæ mente cernebatur. « Ut erant illi Patriarchæ et Moyses ille tantus « servus, ac reliqui Prophetæ, qui Christi gloriam contemplati sunt. Cæterùm ut ante corporalem et manifestum adventum ad perfectos advenerat, sic etiam post divulgatam « ipsius præsentiam ad eos qui etiam nunc « sunt parvuli, quia sunt sub curatoribus et « administratoribus, ac nondùm pervenerunt « ad temporis plenitudinem, sermones quidam « præcursores Christi advenerunt, animis puerilibus accommodati, qui jure pædagogi vocentur. At verò ipse Filius, ipse glorificatus « Deus Verbum nondùm advenit, nimirùm « expectans ut Dei homines divinitatem illius « percepturi, decentem apparatum faciant. « Jam et hoc quoque sciamus necesse est : ut « lex umbram continet futurorum bonorum « quæ declarantur ab eâ lege quæ annuntiatur « secundùm veritatem, sic etiam Evangelium, « quod vel à quibuscumque vulgaribus intelligi « existimatur, umbram docet mysteriorum « Christi. Atque equidem quod Joannes appellat Evangelium sempiternum, quod propriè « dici posset spirituale, apertè viris cordatis « et intelligentibus ob oculos ponit omnia de « ipso Filio Dei tum mysteria, ab ipsius ser« monibus exhibita, tum res, quarum ænig« mata ipsius actiones erant. » Verborum prolixitatem abundè excusat sententiarum opulentia. Ergo Christi adventus ante ejus carnem quibusdam perfectissimus obtigerat : et post ejus carnem non natam tantùm, sed cœlo etiam in sedem magnitudinis illatam, nonnisi initiatus et prælusus quibusdam est. Nam sive ante, sive post carnis ejus adventum, in omnia quæ retrò, in omnia quæ postea secula, diffundente se carnis hujus et carnalis totius dispensationis gratiâ, initiatus illis omnibus Christi adventus est, qui ipsum secundùm carnem tantùm sapuerunt, nec penitiores venas sapientiæ et justitiæ invadere ac degustare potuerunt : perfectus verò illis et ex omni parte absolutissimus adventus obtigit, qui carnem ejus spiritaliter, et omnem justitiæ ac sapientiæ medullam ex quodam Evangelii cortice extrahere ac devorare potuerunt. Itaque etiam nunc tametsi in cœlis in solio majestatis regnet, infantiam tamen adhuc in plerisque carnalibus Christianis agit, adhuc concipitur, adhuc nascitur, lactescit, puerascit, balbutit, per præcursores quosdam suî sermones, per lac puerilibus animis accommodatum. Ex adverso autem antequàm nasceretur, quibusdam perfectioribus jam resurrexerat, jam cœlos et thronum gloriæ occupaverat, jam in pleno divinitatis lumine fulgurabat. Quapropter locorum et temporum discrepantia seponenda, atque parvipendenda est, causa ipsa autem penetranda. Omni enim tempore et omni loco, sed aliis et aliis per varios gradus profectuum nascitur, adolescit, moritur, reviviscit et cœli fastigia calcat Christus, et simul hæc omnia, et perverso ordine temporum, hæc omnia, quia non temporum, sed æternitatis ista sunt omnia. Idem alibi rursùm : « Venio ad novum « Testamentum, in quo est plenitudo omnium, « et inde volo ostendere, quomodò et nos possimus novum Testamentum Domini Jesu nostri « Christi habere super carnem nostram. Non « enim sufficit solo nomine in verbo hæc dici, « sed rebus oportet impleri. Joannes quippe « Apostolus dicit : *Omnis spiritus qui confitetur Jesum in carne venisse, à Deo est.* Quid ergo « si peccans quis et non rectè agens, confitea« tur Jesum in carne venisse, in Spiritu Dei « videbitur confiteri? Non est hoc Testamen« tum Dei habere in carne, sed in voce. Quo« modò ergo erit testamentum Christi super « carnem meam, requiro. Si mortificaverom em« bra mea, quæ sunt super terram ; si semper « mortem Christi in corpore meo circumferam ;

« si complantatus fuero similitudini mortis « ejus, testamentum ejus ostendo esse super « carnem meam. Quid enim prodest, si in illâ « tantùm carne, quam de Mariâ suscepit, di- « cam venisse Christum, et non ostendam « etiam in hâc meâ carne, quòd venerit? » Venit igitur semel in eâ carne quam de Mariâ sumpsit: sed qui omnia in omnibus adimplet- tur, etiam in nostrâ singulorum carne, in nostrâ maximè singulorum et universorum mente venisse demonstrandus est, per car- nis servitutem, mentis imperium. Ita enim Ver- bum venit in carnem, quando carnem priùs re- bellantem menti, mentem sibi sapientiæ utpote et justitiæ subjugat. Tunc igitur venit Christus, tunc nascitur, tunc moritur, tunc resurgit Christus, quando unusquisque hæc ejus sacra- menta in seipso explicat, et in carne ac in mente suâ Christum indutus demonstrat. Et alibi idem : « Non est unus Domini mei Jesu « Christi adventus, quo descendit in terras; « et ad Isaiam venit, et ad Moysen venit, et ad « populum venit, et ad unumquemque Prophe- « tarum venit : neque tu timeas, etiamsi jam « cœlo receptus est, iterùm veniet. Quia au- « tem et ante præsentiam carnalem ad homi- « nes venerit, ipsum accipe testem denuntian- « tem atque dicentem : *Jerusalem, Jerusalem,* « *quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad* « *te missi sunt, quoties volui congregare filios* « *tuos! Quoties volui!* Non dicit : Non vidi te « nisi isto adventu, sed dicit : *Quoties volui!* « Et per singulos Prophetarum convertens se : « *Ego*, inquit, *eram Christus, qui loquebar per* « *Prophetas.* Dixi : *Neque tu timeas.* Et nunc « mittitur Jesus Christus. Non mentitur : *Vo-* « *biscum sum,* ait Dominus, *omnibus diebus us-* « *que ad consummationem seculi.* » Ad Prophetas, ad sanctos quoslibet veniebat, quia nisi for- mato in ipsis Christo, nec Prophetæ, nec sancti audissent, et per ipsos ad populum, ad cæteros homines veniebat, quia sanctus quilibet Christi portio est, et voce ejus Chri- stus loquitur, et de pectore ejus oracula et imperia sua promit. Et nunc quanquàm cœlo receptus, iterùm veniet; veniet enim, quo- ties sanctitatem cuiquam, id est, seipsum inseret, et per eum, et suî membrum, ad cæ- teros veniet. Nam iterùm jam iterùmque monui, quòd semel de Virgine nasci et prin- cipalem hunc adventum suum commendare voluit, id ad sacramentum pertinebat assu- mendæ hominum universitatis, ad sacramen- tum, inquam, simul et fundamentum suî ad singulos homines hujus universitatis iterati et iterandi innumerabiliter adventûs. Unde idem : « Venit sermo Domini ad eum, qui de « Virgine nascebatur, id est, hominum, sermo « semper in Patre manens, ut fierent utraque « unum, et consociaretur homo, quem ob sacra- « mentum et salutem universæ humanitatis in- « dueret, divinitati ejus et naturæ unigeniti Dei. »

9. Utque ne tædiosior sim in expromendâ horum ingenti prorsùs apud Origenem copiâ, unum non ampliùs addam insuper locum : « Sic etiam λόγος, id est, ratio dicitur, quid- « quid est in nobis à ratione alienum prorsùs « auferens, et nos præparans convenienter « veritati, etc. Nam si ipsum participantes re- « suscitamur, illuminamurque, fortassis autem « pascimur etiam, vel regimur, quis non videat « rationis capaces nos divinitùs effici ipso λόγῳ, « hoc est, Filio Dei, atque ipsâ ratione, cuncta « in nobis à ratione aliena, atque ipsam mor- « tificationem, quatenùs ratio est, et resurre- « ctio, abolente? Quocirca inspice, an quodam- « modò ipsius, quatenùs λόγος, hoc est, ratio, « participes sint omnes homines, quos eum « inveniendi cupidos hâc etiam ratione doceat. « Apostolus extra se quærere non debere, di- « cens : *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet* « *in cœlum?* hoc est, Christum ex alto dedu- « cere; aut *quis descendet in abyssum?* hoc « est, Christum ex mortuis deducere. Sed quid « dicit Scriptura? *Prope te Verbum est valdè* « *in ore tuo et in corde tuo*, perinde ac si ipse « Christus etiam esset Verbum. Quin etiam « quando ipse Dominus loquitur : *Nisi venis-* « *sem et locutus fuissem eis, peccatum non habe-* « *rent :* nunc autem non habent quod prætexant « peccato suo; nihil aliud intelligendum est « λόγον, hoc est, Filium Dei et rationem dicere, « quàm eos quibus nondùm λόγος, hoc est, « ratio completa est, peccatum non habere : « sed illos tantùm peccato obnoxios esse, « qui participes effecti jam ipsius rationis, « agunt præter rationes, ex quibus hæc ratio « in nobis completur. In quem sensum tantùm « verum est illud : *Nisi venissem et locutus fuis-* « *sem eis, peccatum non haberent.* Age enim de « Jesu aspectabili, ut vulgares existimabunt, « hoc expendatur, quomodò jam verum sit eos « ad quos non venerit, non habere peccatum « Namque omnes qui fuerunt ante Servatoris « adventum, ab omni peccato immunes futuri « sunt, quoniam non venerit aspectabilis juxta « carnem Jesus, » etc. Non ad Judæos tantùm quibus præsens Christi caro sistebatur ob ocu-

los, sed ad omnes prorsùs homines vult hæc Christi verba pertinere Origenes. Et quidem si ad illos tantùm tunc temporis pauculos verborum operumque Christi mirificorum oculatos auritosque testes ea referrentur, constaret utique illis sensus genuinus, ab aliis passim interpretibus assignatus. Sed non abs re Origenes altiora allegoricè addita scrutari solitus, effundere illa latiùs, et ad omnes prorsùs homines propugnare laboravit. Quantulùm enim est, quòd suo Christus adventu reos egerit paucissimos illos, quorum pervicaciâ exagitatus est; quantulùm est si illos beâsse diceretur, qui fide tùm ei et pietate adhæserunt. Non est intra has angustias premenda Christi adventûs gloria, nec tam arcto limite finienda potestas ejus est. Ea tum loquebatur, ea operabatur, quæ irent in secula et retrò et post omnia. In illo brevi gyro sacramenta condebat omnium et præcedentium et succedentium ætatum. Quasi compendio seriem omnium seculorum describebat. Ea effabatur, quæ personuissent, quæ personarent in omnes temporum citra et ultra lapsus. Ea operabatur quorum vis et efficacia nullis temporum moris, nullis vicibus angustiaretur. Omnibus enim hominibus, omnibus ætatibus venerat, omnibus verba, omnibus opera, omnibus seipsum dedicabat. Itaque qui tunc vitam mortalem carpebant paucissimi homines, omnium qui ante, qui postea, qui propè, qui longissimè, hominum vicem tenebant. Increduli tunc et fideles pauci personam omnium qui usquàm et unquàm fuerant futurive erant, sustinebant. Illis fidelibus omnes gestabantur fideles, illis contumacibus omnes impii inerant, et eorum vocibus manibusque Christum figebant cruci. Quæ cùm ita sint, omnibus venit Christus, omnibus Verbum, et lux sapientiæ justitiæque aliqua exoritur, exortuque suo vel obsequentes beat, vel immorigeros convincit et condemnat. Illi enim rei sunt, illi obnoxii, quicumque adventûs ejus lucem floccifecerunt. Christo, id est, rationis, sapientiæ, justitiæ reus est, quisquis impiè agit, nec ullus usquàm perit, nisi rationi et justitiæ contumeliosus. Unde idem hæc verba Christi infra exponens : *Nisi crediderilis quòd ego sum, moriemini in peccatis vestris*, hæc habet : « Verbi gratiâ, qui credit quòd sit justi- « tia, injuriam non inferet, et qui crediderit « in sapientiam, is nec fatuum aliquid loqua- « tur, nec faciet. »

10. Antequàm ad Latinos orationem reflectamus, Gregorium Nyssenum antedictis valdè consentaneum audiemus : Qui « enim natus est nobis puer Jesus, qui in « iis qui ipsum susceperunt, diversè proficit « *sapientiâ et ætate et gratiâ*, non est idem in « omnibus, sed pro modo ejus in quo est, « quatenùs is qui ipsum capit, est idoneus, « talis apparet, aut infans, aut proficiens, aut « perfectus, convenienter botri naturæ, qui non « semper cernitur in vite in eâdem formâ, sed « mutat formam cum tempore, florens, vernans, « perfectus, maturus, vinum factus. » Pauca copiosè dixit hic sanctus doctor. Easdem enim ætates inducit Christus, quas quisque in Christo gerit, cum nascentibus nascitur, cum perficientibus proficit, cum perfectis perficitur, quia non aliter illi vel nascuntur, vel proficiunt, vel proficiuntur, quàm nascente in ipsis, et perficiente, et perfectâ sapientiâ justitiâque Verbi inhumanati.

11. Quibus succinit Paulinus Nolanus episcopus : « Qui sicut in ipso illo homine quem « gestit, ita in nostris mentibus gradus quos- « dam corporeæ ætatis exequitur, nascitur, « crescit, roboratur, senescit. Sed orandus, « ne in nobis diù aut jugiter parvulus, et « infirmus, et pauper sit. » Ergo unicuique venit, cùm quisque ad ipsum venit; unicuique nascitur, cùm illi revelatur. Quare Chrysologus : « Non ergo conceptione temporum, non « passione viscerum, sed Pater Filium nobis « generat, dùm revelat. » Verbum enim, sapientia, justitia tunc gignitur, tunc advenit, cùm illucescit. Ideò et Verbum caro de Virgine nasci debuit, cujus fide magis quàm ventre ederetur, ut vel sic per fidem cuique advenire et innasci se testaretur. Quibus adde hæc Salviani : « Licet generale sit debitum « et speciale, tamen esse non dubium est. « Licet sit commune omnium, est tamen pe- « culiariter singulorum : ita ad omnes æquali- « ter pervenit, quod tamen de summâ unicuique « nihil recedit. Christus enim sicut pro om- « nibus passus est, sic pro singulis, et cunctis « se impendit pariter et singulis; et totum se « dedit universis, et totum singulis. Ac per « hoc quidquid passione suâ Salvator præstitit, « sicut totum ei debent universi, sic totum « singuli : nisi quod propè hoc plus singuli « quàm universi, quod tantùm acceperunt « singuli, quantùm universi. Ubi enim hoc « unus accipit, quod universi, etsi par est « mensura, major invidia est. » Quæ in id valent, ut non pretium modò et emolumentum ex Christo tantùm ad singulos redeat, quan-

tum ad universos; sed etiam quòd totum se Christus et omnem mysteriorum suorum seriem atque opulentiam perinde singulis explicet atque infundat, ac omnibus. Nec enim pretii et emolumenti passione suâ parti magnitudinem unicuique prodigit, nisi dùm unicuique et nascitur et figitur et resurgit. Etenim, ut ait rursùm Paulinus Nolanus, « unus homo « universitatis portio, et universitas unius « forma hominis et causa est. »

12. Fulgentius verò causam hujus decreti altiùs repetisse visus est. Etenim Deitas immutabilis ad homines mutabiles vel venit, vel rursùs abscedit, vel ascendit, vel descendit, non suâ, sed ipsorum, ut par est, mutatione. Adest enim ubique et semper immutabiliter Deus: sed non ei nos semper adsumus, et morum dissimilitudine plerùmque ab ipso præsente peregrinamur. Cùm ergo ad ipsum redimus, tunc ille advenire nobis; cùm illum utcumque pueriliter sapimus, tunc ille ad nos descendere prædicatur; tunc nobiscum ascendere, cùm ad exerta æternitatis culmina exilimus. Immutabili enim ita mutabilis natura agglutinanda est, ut in immutabilitatem ejus ipsa proficiat, non ut in hujus mutabilitatem illa deficiat. Et Christus mutabiles ætatum suarum vices semel visibiliter executus, deinceps totus Deus, et sibi paternæque redditus gloriæ, nec secundùm carnem sapiendus, de ingenio immutabilitatis id quoque obtinet, ut ad nos veniat usque et ubique, nascatur, moriatur, reviviscat, non suo jam, sed nostro profectu, venientibus nobis ad ipsum, illi nascentibus, illi commorientibus, illi conresuscitatis: « Quantùm ergo ad substantiam « et potentiam suam, ubique est Trinitas « unus Deus, totus totum complens virtute, « non mole; totus in singulis, totus simul in « omnibus creaturis. Quantùm verò ad cogita- « tiones nostras descendere ad nos Deus dici- « tur, cùm sermonem suum ita nobis Divinitas « temperat, ut humano nobiscum more lo- « quens agnitionem et dilectionem suam inti- « mare nobis dignatur. Ascendit autem in no- « bis, quando nos ascendimus per charitatem « et scientiam Deitatis, etc. Talis est Patris et « Filii et Spiritûs sancti credendus adven- « tus, etc. Ita cùm venisse vel descendisse « dicitur, divinæ revelationis erga nos gratia « commendatur, et cùm non descendere, sed « ascendere dicitur, profectus nostræ illumina- « tionis agnitionisque monstratur. Talem Do- « minus Jesus ascensum significavit, quando « tangendi se facultatem Mariæ Magdalenæ « prohibuit, etc. Quid est enim: *Noli me tan-* « *gere, nondùm enim ascendi ad Patrem meum,* « nisi: Noli hoc in me tantùm credere, quod « putas, quia quamdiù in me illa tantùm quæ « sunt carnis attendis, æqualitatem meam « cum Patre non sentis? Et reverà nondùm « illis Christus ascendit ad Patrem, qui Patri « Filium non confitentur æqualem, etc. Illi « autem verè Filius ascendit ad Patrem, qui « Filium Patri æqualem sempiternitatis et im- « mensitatis parilitate non ambigit, etc. Mani- « festè itaque claret, per illum ad Patrem « ascensum Filii, nostræ potiùs profectum « fidei demonstrari. Nos enim eum quodam- « modò in nostris cordibus exaltamus, quando « sic in ejus intelligentiâ crescimus, ut de « illo tanquàm de Deo vero, quæ divinæ cel- « situdini digna sunt, cogitemus, etc. Sic in « nobis verè exaltatur, quando eum exaltamus, « cùm sit ipse semper altissimus, sicut in no- « bis sanctificatur, quando eum sanctificamus, « cùm semper ipse maneat sanctus. Nam bea- « tus Petrus admonet nos dicens: *Dominum* « *verò Christum sanctificate in cordibus vestris.* « Quid est autem Christum sanctificare, nisi « de Christo quæ sancta sunt cogitare? » Hæc non piguit excerpere prolixiùs ex Fulgentio, ut extergeretur suspicio, atque invidia sedaretur, quæ inde excitari in nos videbatur, quòd Christum semper et ubique easdem iterare moriendi nascendique vices adigeremus, atque ita ipsum infinitæ cuidam et irrequietæ mutabilitati mancipâsse videremur. Contra enim est hoc totum. Hinc enim amplior ipsi quædam immutabilitatis gloria vindicatur. Nam ubi semel ipse mortalis vitæ stadium explicuit, seque in adytum penetrale retulit incommutabilis Deitatis cum suâ carne, exinde fidenter pronuntiem, temporibus ipsum locisque invictissimè omnibus dominari, nec suâ, sed nostrâ mutatione, advenire vel refugere, descendere vel ascendere, nasci vel ex morte renasci; nostri sunt isti ad ipsum profectus, ut ad sapientiam, ut ad justitiam; non ejus vel defectus, vel profectus ullus.

13. Gregorius Papa in eadem penè verba incidit: « Cur tangi non debeat, ratio quoque « additur, cùm subinfertur: *Nondùm enim* « *ascendi ad Patrem meum.* In corde etenim « nostro tunc Jesus ad Patrem ascendit, cùm « æqualis creditur Patri. Nam quisquis eum « æqualem Patri non credit, adhuc in ejus « pectore ad Patrem Dominus non ascendit. »

Sed longè præclarissimum est quod idem observat, adventum Christi et olim expectatum fuisse, et etiam nunc expectari à nobis, sed alium et alium, illum scilicet priùs in humilitate carnis, hunc posteriorem in majestate gloriæ. Æquum enim est, ut quæ ætatum, eædem profectuum sint vicissitudines, eadem sint augmenta. Itaque priùs per umbras carnis, inde per carnem quâ majestas obumbrabatur, denique in ipsâ veniet majestate revelatâ. Venit enim semper non tam suo, utpote Deus, quàm nostro per mutationes varias progressu. Itaque cùm nonnisi umbras Deitatis pati poteramus, ita ille ad nos veniebat, aut nos ad ipsum, cùm per ætatem adultiorem verum Deitatis corpus sustinere potuimus, incorporatus est, id est, nostræi substantialiter natura in unam accessit hypostasin. Cùm denique ad cumulum perfectionis quantam possumus adipisci, profecerimus, tunc veniet ad nos in glorià, tunc ad ejus gloriæ plenitudinem veniemus. Itaque venire nunquàm cessat cessabitque, dùm nos ad ipsum per gradus profectuum veniemus : et expectabitur semper venturùs, quia non legis tantùm finis Christus, sed novi quoque Testamenti finis est. Finis, inquam, est, non finiens, sed perficiens, non consumens, sed consummans. Et quid omnis creatura, seu stans, seu lapsa, quàm eniti debet, ut ipsa veniat ad sapientiam et justitiam, et per id veniat sibi sapientia et justitia aliis et aliis modis gradibusque sibi accommodatis, ut ferendo sit, donec ad ejus summum gloriæ fastigium sublimetur? Nondùm Christi nisi nucleum quemdam carnis et corticem adepti sumus, nondùm medullam divinitatis ejus nisi fide odorari potuimus, necdùm contueri, necdùm amplexari. Itaque ille adhuc nobis venit, quia nos ad ipsum adhuc accedimus, et quanquàm venturus semel est conspicabilis in fine seculorum, ille tamen in dies singulos iis venire occupat, quos à consuetudine sensuum avocat, quos à lippitudine mentis curat, quos puræ et æternæ divinorum lucis patientiores facit esse in dies, quos, si quos tamen, jam fulgurantibus quibusdam repentinis coruscationibus beatæ gloriæ raptim experitur et assuefacit. « Testamentum vetus unum nobis « mediatorem Dei et hominum nuntiavit, et « Testamentum novum eumdem nobis nuntiat « in æternâ claritate venturum, quem jam pro « nobis cognovimus incarnatum. Finis autem « utrorumque Christus est, quoniam ipse « quem lex prædixit, in carne apparuit; et « idem ipse quem nunc Testamentum novum « loquitur, in glorià majestatis apparebit, et « tunc utrorumque finis erit, cùm visus in divinitatis suæ potentiâ, omnia quæ sunt « prædicta compleverit. Scriptum namque « est : *Finis legis Christus ad justitiam omni « credenti.* Finis videlicet non quia consumit, « sed quia perficit, etc. Ecce Evangelium quotidiè legitur, ventura vita prædicatur. Tunc « igitur erit et novi Testamenti finis, cùm ea « quæ de se promisit, impleverit. Finietur « verò Testamentum novum, quia perficietur. » Adimplevit legem primo adventu, adimplebit Evangelium secundo. Promissis enim refertum est Testamentum novum, perinde ut vetus. Veteris promissa veniens implevit, novi promissa veniens implebit, sed et quotidiè veniens adimplet. Ergo semper venit, et semper adimplet. Nam quid promisit, aut promittit usquàm, nisi seipsum, sed parvulis parvulum, grandioribus grandiorem, perfectis perfectum? Implere ergo promissa non aliud est, quàm seipsum magis magisque, iterùm iterùmque in dies majorem et illustriorem validioribus repræsentare. Ipsum concupivit ab exordio rationalis natura, lumen bonumque suum, ipsum expectavit, ipsum pro virili suscepit, et suscipiendo roborata est, ut invalesceret majorem majoremque venientem excipere, et tandem summo virium aucta incremento totum in gloriæ apice venientem excipiet. « Quemadmodùm enim Dominus noster « Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto præsidet in cœlo, legem implevit per mysterium incarnationis et perfectæ humanitatis « suæ, ita Testamenti novi promissa impletus est, per ostensam gloriam claritatis suæ. »

14. Quibus apprimè consentiunt quæ commentatus breviter est Prosper : « *Concupivi « salutare tuum, Domine, et lex tua meditatio « mea est.* Salutare Christus hauddubio est, et « ipsum se concupisse justi antiqui veracissimè « confitentur. Ipsum concupivit Ecclesia venturum de visceribus matris. Ipsum concupiscit Ecclesia venturum à dexterâ Patris. Legis autem meditatio nutrit et firmat hoc desiderium, dùm testimoniis suis pronuntiat « Christum. » Quid enim Ecclesia, seu universitas naturæ rationalis concupiscat unquàm, nisi verum lumen suum, sapientiam, et verum bonum suum, justitiam? Non participationem tantùm ejus, sed ipsam, et per participationem ejus, ipsam substantivè amplectendam? Et

qui concupiscat, nisi quatenùs capit dùm carnalis est, in carne opacatam? dùm spiritalis evadit paulatim, spiritalem? dùm perficitur, perfectam? Et quid est justitiam et sapientiam concupiscere, quàm jam habere? Amando enim acquiritur, amando possidetur sapientia et justitia. Concupiscere sapientiam, id sapere est. Concupiscere justitiam, id præclarum est justitiæ documentum. Itaque quantum concupiscitur, tantum adest, tantum advenit. Semper ergo concupivit Ecclesia Christum, semper concupiscit, qui semper adveniebat, semper adhuc advenit.

15. Cui necessariò subnectendus est Augustinus: *Defecit in salutare tuum anima mea*: « Bonus est ergo iste defectus. Indicat enim « desiderium boni nondùm quidem adepti, sed « avidissimè ac vehementissimè concupiti. Sed « quis hoc dicit nisi *genus electum, regale sacer-* « *dotium, gens sancta, populus acquisitionis?* Ab « origine generis humani usque ad hujus se- « culi finem, in eis qui suo quique tempore hîc « vixerunt, vivunt, victuri sunt, desiderant « Christum, etc. Nec tunc ergo quievit hoc de- « siderium sanctorum, nec nunc quiescit in « Christi corpore quod est Ecclesia, usque ad « terminum seculi, donec veniat desideratus « cunctis gentibus sicut promittitur per Pro- « phetam. Propter quod dicit Apostolus: *Su-* « *perest mihi corona justitiæ*, etc., *non solùm* « *mihi, sed et omnibus qui diligunt manifestationem* « *ejus*. Hoc itaque desiderium, de quo nunc « agimus, de dilectione consurgit manifestatio- « nis ejus. De quâ item dicit: *Cùm Christus* « *apparuerit vita vestra, tunc et vos cum illo* « *apparebitis in glorià*. Prima enim tempora « Ecclesiæ ante virginis partum sanctos ha- « buerunt, qui desiderarent incarnationis ejus « adventum. Ista verò tempora ex quo ascendit « in cœlum, sanctos habent, qui desiderent « ejus manifestationem ad vivos et mortuos « judicandos. Neque hoc Ecclesiæ desiderium « ab initio usque in finem seculi requievit ali- « quantulùm, nisi quamdiù hîc cum discipulis « in carne conversatus est, ut totius corporis « Christi in hâc vitâ gementis vox convenienter « intelligatur: *Defecit in salutare tuum anima* « *mea*. » Vides ut ante et post virgineum partum, omnium aliquo æternitatis afflatu perculsorum unum ferveat desiderium, una vox erumpat deficientium in expectationem Christi, nec possit hoc desiderio et hâc voce supersedere omnis rationalis anima, quamdiù conspectu summi luminis summique boni fraudatur. Itaque nc vicem plus æquo eorum plangamus, qui tamdiù Christum expectârunt, cùm et nobis adhuc expectandus sit: ne omni ejus adventu fraudatos nugemur, ex eo quòd eum expectarent, cùm et nos ejus adventu, quò magis fruimur et ditamur, eò flagrantiùs illum adventantem concupiscamus. Ecclesia illi inhiavit olim, et etiam nunc inhiat, et concupiscendo deficit, deficiendo convalescit, ut flagrantiùs concupiscat, et flagrantissimè concupiscendo tandem adipiscatur. Una enim ratio ea est assequendi Verbum Deum, lumen bonumque nostrum, instantissimè concupiscendo, et ita in illum à nobis penitùs deficiendo. Cùm enim anima in ipsum à seipsâ defecerit, tunc ab ipso ultimùm adveniente perficietur. Hùc porrò referri possunt complura haud oscitanter pensitanda, quamvis à nobis brevissimè tantùm libanda sint, et cursim tantùm indigitanda. Inde est enim quòd prisci Prophetæ non ita curiosè semper utrumque Christi adventum dispescere satagebant, sed plerùmque utriusque permiscebant insignia, ut id etiam fraudi fuerit Judæis oculo carnali Scripturas inquinantibus spiritales. Non alium enim quàm gloriosum, et quidem mundanâ, quæ sola eis sapiebat, gloriâ circumfluentem ejus adventum suspicati, humilitatem carnis ejus despicati sunt. Si adventum autem spiritalis gloriæ, id est, sapientiæ et justitiæ, hominibus à miseriæ barathro emergentibus utique auspicandæ ab humilitate, vel suspicari potuissent, nihil admodùm obfuisset illa utriusque adventûs confusa descriptio, nihil enim gloriosiùs duxissent humilitate resipiscendi, et labore proficiendi per justitiam ad veram et immortalem gloriam. Inde secundò est quòd Isaias et Paulus eadem usurpant verba: « *Oculus* « *non vidit, nec auris audivit, Deus, absque te,* « *quæ præparâsti diligentibus te.* » Hæc apud Prophetam incarnationem Verbi; apud Paulum, gloriam beatæ patriæ videntur insinuare. Quorsùm hæc? An Prophetæ reluctatur Apostolus, vel ejus mentem assecutus non est? Apage tam præposteras suspiciones. Uterque sensus quadrat, uterque genuinus, uterque unus est. Præparavit enim Deus et indulsit naturæ humanæ Verbum suum, speciem gloriæ, sapientiæ et justitiæ beatissimam incorruptibilitatem. Ea incarnatio, ea glorificatio est; is primus, is secundus adventus Christi est; is unus, is catholicus, is jugis, is æternus adventus illapsusque Verbi est in naturam humanam deificandam, bonis omnibus cumu-

landam, glorificandam, et ut omnis superflua verborum copia excidatur, nihil aliud quàm deificandam : Deitas enim omnium bonorum ubertas et gloria est. Et quando longis ista videntur intervallis dissita et penè dissipata, nostræ istæ angustiæ sunt, quibus longo et tædioso tractu morantur tempora secularia, cùm quidquid temporale est, æterno breve sit, punctum sit, nihilum sit. Deinde non diù venit, sed diù excipitur Verbi ad nos opulentia veniens : nam semel locutus est Deus, quod nos diù audimus, et semel dedit Filium suum et in eo omnia, quem et quæ nos non simul capimus, sed pauxillatim capiendo capaciores evadimus, ut plusculùm, et demùm ut totum capiamus. Inde est tertiò quòd Prophetæ primum Christi de virgine adventum, iis prosequuntur plausibus, iis opibus et pacis, sapientiæ, sanctitatisque ornamentis illustrant, quæ nonnisi secundo adventu implebuntur. Nimirùm una illa est ubertas pacis et sanctimoniæ, una voluptatis et deificationis copia, quam Christus, quam Christi incarnatio contulit per Deitatis consociationem cum naturâ nostrâ, quam confert, quam conferet, quam in dies perficit; cui inhiamus, cui innatamus, cui magis magisque in dies singulos immergimur, quâ obruî atque absorberi avemus. Itaque illa cui venturæ suspiramus, et hæc Ecclesia præsens, cui affixi hæremus, una eademque est, hîc junior, illîc maturior; hîc ditescens, illîc ditata; hîc proficiens, illîc perfecta; hîc augescens, illîc ad cumulum aucta. Ut enim idem est Christus, qui ad Ecclesiam venit, et semper venit per varias ætatum progressiones, donec plenus ad capacem plenitudinis perveniat, ita una eademque Ecclesia est, quæ ad Christum venit et semper venit, donec ad mensuram ætatis plenitudinis ejus suæque perveniat. Inde est quartò quòd annuis Ecclesia hîc nostra precibus iteratis atque ad exitum usque seculi iterandis adventum Christi præstolatur et accelerat. Utrùm autem adventum maturari oret, non satis liquescit ex conceptis orationum ejus verbis. Aliàs enim judicis, aliàs sanctificatoris adventum maturum orat, eique potentiam Dei, ei corda nostra excitari iterùm iterùmque supplicat. Nihil diligentius hâc indiligentiâ. Indefessis enim votis invocandus, et in nos vocandus est Christus, sapientia et justitia nobis factus, ut quotannis, quot diebus veniat ac semper veniat, sanctificator idem et præmiator ac judex; judex vindexque eorum qui ipsius adventum vel respuerunt, vel frustrati sunt, præmiator autem suorum non aliter, quàm quia sanctificator. Ecquod enim præmium, ecqua corona, quàm corona justitiæ, ut ait Paulus? Ecqua merces ab eo quàm ipsemet, qui merces est magna nimis, ut ad Abraham ait; qui veritas et justitia est, ut in Evangeliis ait? Ergo invocatur, ut veniat justitia Christus in dies plenior et cumulatior, donec plenissimæ cumulus justitiæ ipsemet adveniat, tum plenus sanctificator et eò præmiator futurus.

16. Hic autem ne subrepat error, ne calumnia perturbet incautos, advertendum sedulò est, quod monuit Augustinus longè aliter mitti atque aliter venire Verbum, ut sit homo, aliter ut sit cum hominibus. « Sed aliter mittitur « Sapientia, ut sit cum homine, aliter missa « est, ut ipsa sit homo. In animas enim san- « ctas se transfert, atque amicos Dei, etc. Cùm « autem venit plenitudo temporis, missa est, « etc., non ut esset in hominibus, aut cum « hominibus; hoc enim et antea in Patribus et « Prophetis, sed ut ipsum Verbum caro fieret, « etc., in quo facto et prædicato salus sit om- « nium credentium, sperantium, diligentium. » Adventus ille Verbi, ut Christus fieret; hic, ut Christi membra; ille visibilis, hic invisibilis; ille semel, hic semper fit; ille plenissimus, hic ex illo derivatus; ille ad caput totâ plenitudine divinitatis inebriandum, hic ad membra pro modulo derivationis irriganda. Sed tamen utròbique unius Verbi adventus est, et si velis minùs cavillari in verbis, unus adventus est in capite primùm, tanquàm in fonte, cum totâ opulentiæ et plenitudinis majestate scaturientis, inde autem in alios aliosque rivulos sese dispensantis, tanquàm in quædam membra. Mitti autem et venire ad singulos Christum, paulò post adjicit Augustinus : « Ab illo mitti- « tur Dei Verbum, cujus est Verbum, de quo « natum est. Mittit qui genuit, mittitur quod « genitum est. Et tunc unicuique mittitur, cùm « à quoquam cognoscitur atque percipitur, « quantùm cognosci et percipi potest pro captu « vel proficientis in Deum, vel perfectæ in Deo « animæ rationalis. Non ergo eo ipso quo de « Patre natus est, missus dicitur Filius, sed vel « eò quòd apparuit huic mundo Verbum caro « factum, unde ait : *Exivi à Patre, et veni in « hunc mundum;* vel eò quòd ex tempore cu- « jusque mente percipitur; sicut dictum est : « *Mitte illam ut mecum sit et mecum laboret.* » Et paulò post : « Cùm autem ex tempore cu- « jusque profectûs mente percipitur, mitti

« quidem dicitur, sed non in hunc mundum : « neque enim sensibiliter apparet, id est, corporeis sensibus præstò est. Quia et nos secundùm quod mente aliquid æternum quantùm possumus, capimus, non in hoc mundo sumus. Et omnium justorum Spiritus etiam « in hâc carne viventium, in quantum divina « sapiunt, non sunt in hoc mundo. » Vides ut mittatur et veniat Verbum ad unumquemque à quo percipitur, veniat autem non uno ætatis et profectûs modo, sed « pro captu vel profi- « cientis in Deum, vel perfectæ in Deo animæ « rationalis. »

17. Eòdem redit quod alibi disserit idem sanctus Pater in hunc versum : « *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare « tuum da nobis.* Christum tuum da nobis : in « illo enim est misericordia tua. Dicamus illi « et nos : Da nobis Christum tuum. Jam quidem « dedit nobis Christum suum ; adhuc tamen « illi dicamus : Da nobis Christum tuum, quia « dicimus illi : *Panem nostrum quotidianum da « nobis hodiè.* Et quis est panis noster, nisi « ipse qui dixit : *Ego sum panis vivus qui de « cœlo descendi.* Dicamus illi : Da nobis Christum tuum. Dedit enim nobis Christum, sed « hominem quem novimus ; dedit hominem : « eum ipsum nobis daturus est Deum. Homi- « nibus enim hominem dedit, quia talem illum « hominibus dedit, qualis posset capi ab homi- « nibus. Deum enim Christum nullus hominum « capere poterat, factus est hominibus homo, « servavit se Deum diis. » Datus est nobis Christus, et instamus, ut detur : venit, et urgemus, ut veniat. Datus est et venit homo ; urgemus ut detur et veniat Deus. An verò datus est homo tantùm, et non velatus homine Deus ? Datus est utique et venit Deus in homine, instatur ut detur, ut veniat suâ in specie Deus. An non et tunc erit Deus in homine et Deus homo ? Erit utique, sed cùm idem ipse sibi sit, non idem nobis erit, quia non iidem nos erimus. Talis enim datur, quales sunt, quibus datur. Datur hominibus homo etsi Deus, qui non sapiunt Deum nisi humanitùs. Dabitur tunc eisdem perfectioribus Deus etsi homo, qui tunc sapient Deum divinitùs. Non dabitur autem tantùm et veniet ad eum modum, sed semper datur, quia semper proficiunt à lacte carnis ad panem quotidianum et supersubstantialem divinitatis.

18. Conducet nonnihil illud etiam ad hujus quæstionis enodationem, quod ex Augustino alibi adnotavimus, aliud esse quod in sacramentum patenter ostenditur, aliud quod latenter idem peragitur, et tamen utrôbique unum et idem beneficium largiùs parciusve præstatur. « Sicut ergo Domini adventus in- « telligitur demonstratio corporalis, tamen « ante hanc demonstrationem ipse in omnibus « prophetis sanctis tanquàm Dei Verbum et « Dei sapientia locutus est : sic et adventus « Spiritûs sancti demonstratio Spiritûs sancti « est ipsis etiam oculis carneis, quando visus « est ignis divisus super eos, et *cœperunt loqui « linguis.* Nam si non erat in hominibus Spiri- « tus sanctus ante Domini visibilem clarifica- « tionem, quomodò dicere potuit David : *Et « Spiritum sanctum tuum ne auferas à me?* » Semel ergo venit Spiritus sanctus cum ingenti strepitu, qui semper venerat, semper veniet, etsi non eâdem atque tum fortassis copiâ, non malignâ tamen suî effusione : ita semel venit Christus in carne visibiliter, qui invisibiliter semper venerat, venietque ad dignos quoslibet. Sed illud Deo permittendum est, ut cùm libuerit et ubi libuerit, patenter edat, quod latenter singulis benefacit. « Ut autem « quædam latenter, quædam per creaturam « visibilem visibiliter Deus operetur, pertinet « ad gubernationem providentiæ, quia omnes « divinæ actiones, locorum, temporumque or- « dines distinctione pulcherrimâ peraguntur, « cùm ipsa divinitas nec teneatur, nec migret « locis, nec teneatur varieturque temporibus. » Nec adventus tantùm Verbi in carnem istiusmodi est, sed omnis ejus dictorum gestorumque per ætatum seriem explicatio, ut patenter semel universis exhibita sit, latenter autem singulis in quodam animi recessu iteretur.

19. Quapropter idem rursùs alibi : « Veni, « hodiè est Christus, tibi quotidiè resurgit. « Quomodò *Filius meus es tu, ego hodiè genui « te.* Hodiè est quando Christus resurgit. *Heri « et hodiè ipse est,* Paulus Apostolus ait. » Quotidiè resurgit, singulis resurgit, qui semel universis resurrexit. Et rursùs idem : « Quid « est ergo : Noli me tangere ? Noli credere, « quia hoc solum sum quod vides. Ascendam « ad Patrem, et tunc tange. Tibi ascendo, « quando intellexeris æqualem. Quando me « putas minorem, nondùm ascendo tibi, etc. « Ecclesia ergo cujus figuram Maria gerebat, « audiat quod audivit Maria. Tangamus omnes. « Si credamus, jam ascendit ad Patrem, sedet ad « dexteram Patris. » Quotidiè ascendit, singulis ascendit, etsi semel universis ascendit, et non

aliter habet de reliquis ejus mysteriis. Unde rursùs : « Proinde quia veritas et pax et justi- « tia Christus est, hunc fide concipite, operi- « bus edite : ut quod agit uterus Mariæ in « carne Christi, agat cor vestrum in lege « Christi. » Concipitur igitur editurque etiam in singulis et à singulis, utpote justitia et veritas. Denique exemplo Abrahæ res perspicua sit, qui vidit diem Christi, diem æternitatis Christi, diem inhumanationis vidit. Diem tum sine testâ carnis, tum carnis testâ velatum vidit et gavisus est. Vidit enim ita ut non tam expectantis desiderio fatigatus cruciaretur, quàm coram tuentis ac possidentis gaudio bearetur. Quocirca idem Augustinus : « *Abraham pater vester exultavit, ut videret « diem meum, vidit et gavisus est.* Magnum « testimonium perhibet Abrahæ, Creator « Abrahæ : *Abraham exultavit*, inquit, *ut vi- « deret diem meum.* Vidit, non timuit, sed *exul- « tavit ut videret diem meum.* Erat enim in illo « *charitas*, quæ *foràs mittit timorem.* Non ait : « Exultavit quia vidit ; sed : *Exultavit ut vide- « ret.* Credens utique exultavit sperando, ut « videret intelligendo, et vidit. Et quid potuit « plus dicere, vel quid debuit plus dicere Do- « minus Jesus Christus ? Et *vidit*, inquit, *et « gavisus est.* Quis explicat hoc gaudium, « fratres, si gavisi sunt illi quibus Deus ocu- « los carnis aperuit, quale gaudium fuit vi- « dentibus cordis oculis lucem ineffabilem « Verbum manens, splendorem piis mentibus « refulgentem, sapientiam indeficientem, apud « Patrem manentem Deum aliquando in « carne venturum, nec de Patris gremio re- « cessurum ? Totum hoc vidit Abraham. Nam « quod ait : *Diem meum*, incertum potest esse « unde dixerit, utrùm diem Domini tempora- « lem, quo erat venturus in carne, an diem « Domini qui nescit ortum, nescit occasum. « Sed ego non dubito patrem Abraham totum « scîsse. » Exultavit ut videret, et vidit : quod concupivit, assecutus est. Exultatio quippe illa charitas fuit, charitas autem oculus est, quo Deus, quo Christus videtur, quo videri prodest. Nam veritatem et sapientiam qui amat videt ; et amâsse, vidisse est. Ipsa enim charitas Deus est, et hominem inhabitat, et sui ignara non est. Deum ergo et Christum videt charitas, quæ se videt, Dei munus et misericordiæ visceribus effusam.

20. Quæ pulcherrimè executus est Bernardus eumdem torquens locum : « Magis verò et « ipsam quæ paucis collata videtur gloriam, « nobis quoque ab ipso invenire est reserva- « tam. Quodni reservaret posteris, quam præ- « rogavit antiquis ? David rex et Propheta « exultavit, ut videret Deum istum, et *vidit « et gavisus est.* Alioqui si non viderat, unde « psallebat : *Suscepimus*, inquit, *Deus, miseri- « cordiam tuam in medio templi tui ?* Suscepit « hanc misericordiam Domini David, suscepit « Simeon. Suscepimus et nos, et quicum- « que sunt præordinati ad vitam. Siquidem « *Christus heri et hodiè* et in æternum. In me- « dio enim templi misericordia est, non in « angelo, aut diversorio, quia *non est acceptio « personarum apud Deum.* In communi posita « est, affertur omnibus, et nemo illius ex- « pers, nisi qui renuit. Derivantur aquæ tuæ « foràs, Domine Deus, et nihilominùs tamen « fons tuus tibi proprius est, et non bibit « alienus ex eo. Qui tuus est, non videbit « mortem, donec viderit Christum Domini, « ut dimittatur in pace. Quidni dimittatur in « pace, qui Christum Domini habet in pectore? « Ipse enim est pax nostra, qui per fidem « habitat in pectore. » Adnota quòd ait Christum et nobis posteris reservatum, et antiquis prærogatum, utpote qui heri et hodiè et in æternum sit. Adnota in meditullio quasi temporum, velut in medio templi, Verbum incarnatum esse, ut omnibus præstò esset et præcedentibus et succedentibus, ab omnibus inspectaretur, ab omnibus teneretur. Adnota hanc gratiam « in communi positam, « afferri omnibus, et neminem illius expertem « esse, nisi qui renuit. » Ad singulos enim venit, et nisi rejiciatur, in singulos venit ; ut quisquis expers ejus est, non ejus procrastinationi aut fastidio, sed suæ contumaciæ calamitatem suam debeat. Adnota rursùs etsi hæc adventûs Christi gratia in propatulo sit, et foràs etiam derivetur, id est, ad reprobos quoque et foris latrantes canes, esse tamen electos aliquos tanquàm Dei peculiares et eximios homines, qui non vident mortem, donec viderint Christum, et dimittantur in pace. Adnota tandem Christum advenire singulis, quia inhospitatur singulis, utpote pax intima et charitas et sapientia. Ea enim heri et hodiè et in secula est : hæc undique spectatur præsens, hæc in medio templi ubique est, hæc omnibus obvia, hæc nullum præterit, nisi à quo respuitur ; hæc semper adest et semper venit, hæc à quibus diligitur, et videtur et inenarrabili cum ubertate gaudii possidetur ; hæc denique nonnisi humanitatis in-

voluero temperata à mortalibus participatur.

21. Et ne Prophetas solos in consortium putes adsciri posse Christi adventûs videndi et fruendi, accipe quæ idem Bernardus effudit alio loco : « Quid non amatus est à Patriarchis et Prophetis? Est, sed non priùs « quàm visus est et ab ipsis pasci inter lilia. « Neque enim non viderunt, quem prævide- « runt. Nisi quis ita absque spiritu sit, ut vi- « dentem spiritu, putet videre nihil. Unde « ergo videntes (nam sic Prophetæ appellati « sunt), si nihil viderunt? Inde est quòd vo- « luerunt videre, quæ non viderunt. Neque « enim poterant velle videre in corpore, quem « in spiritu non vidissent. Sed dico : *Numquid* « *omnes Prophetæ?* Quasi omnes videre vo- « luerint, aut fuerit omnium fides. Sed eum « qui viderunt, aut Prophetæ fuerunt, aut « Prophetis acquiescentes. Et credidisse enim, « vidisse est. Non modò namque qui per pro- « phetiæ spiritum, sed et qui per fidem videt, « si quis ipsum quoque dicat videre in spi- « ritu, mihi non videtur errare. » Non Abrahæ ergo tantùm, non Patriarchis et Prophetis modò, etsi illis amplissimè, sed et iis qui Prophetis acquiescebant, id indultum est, ut gauderent et viderent Christi adventum. Corpore enim carnem Christi nec Abraham vidit : fide autem et spiritu Christi incarnatam deitatem vidit quisquis fidelis tum fuit. Etsi autem corporeos oculos magni pendat, quicumque corporalibus ludibriis excantatus est, oculos tamen multò perspicatiores et certiores et voluptatis fontes uberiores habet spiritus quàm corpus, fides, charitasque quàm caro. Utque hanc videndi Christi gratiam, ne ægrè feras à nobis in plures publicari, intexam hîc quamvis alieno loco auctoritatem Hieronymi : « Siquidem *Abraham vidit diem* « *Christi et lætatus est. Et Moyses majores* « *divitias æstimavit thesauro Ægyptiorum im-* « *properium Christi. Aspiciebat enim in remu-* « *nerationem.* Et *Isaias vidit gloriam Christi*, « ut Joannes Evangelista commemorat. Et « Judas de omnibus generaliter : Commonere, « inquit, vos volo, scientes simul omnia, « quoniam Jesus populum de terrâ Ægypti « salvans, secundò eos qui non crediderunt « perdidit. » Vides ut ad populum etiam dispensationem Christi videndam evulget. Sed occultos fidei oculos, quia corporeis posthabemus, ideò vix aut nec vix animum inducimus, cogimusque, ut credamus credendo rem videri. Quid si fidem etsi temporali cortici vel carni incumbentem, necessariò tamen æternum quid suspicari et odorari ac spirare advertamus, et arcano sensu sapere æternitatem nescio quam sapientiæ et justitiæ : alioqui non fides, sed larva erit fidei : nonne tum demùm constabit nobis oculos suos fidei esse, quibus videat æternitatem sapientiæ et justitiæ, et pacem animorum castissimam Christum, cœlitùs affulgentem, et cœlesti gratiâ lapsis cæcisque irradiandum? Ea enim istiusmodi sunt, ut credi vix possint, quin aliquatenùs intervideantur.

22. Recurrat jam ad eumdem Bernardum oratio. Sic ergo ille : « Verumtamen sicut ad « operandam salutem in medio terræ venit « semel in carne visibilis, ita quotidiè ad sal- « vandas animas singulorum in spiritu venit « et invisibilis, sicut scriptum est : *Spiritus* « *ante faciem nostram Christus Dominus.* Et « ut noveris occultum esse spiritualem hunc « adventum : *In umbrâ ejus*, inquit, *vivemus* « *inter gentes.* Propterea dignum est, ut si non « valet infirmus in occursum tanti medici « procedere longiùs, saltem conetur erigere « caput, et aliquatenùs assurgere venienti. « Non te oportet, ô homo, maria transfreta- « re, non penetrare nubes, non transalpi- « nare necesse est. Non grandis, inquam, « tibi ostenditur via : usque ad semetipsum « occurre Deo tuo : propè est enim Verbum « in ore tuo et in corde tuo. » Omni ergo tempore, omni loco suum in singulis Christus molitur adventum, nec necesse est tranare maria, aut terrarum tractus immensos emetiri, ut ille ad nos veniat, vel nos ad ipsum : in sinu animæ, in aulâ pectoris res hæc tota peragitur; in ore, in corde cuique suo Christus præstò est, si ipse sibi homo præstò sit, si receptui canat à deformi in hæc ima pulchrâ sui dispersione. Nec enim navibus atque quadrigis petitur sapientia, sed solo animi nutu studioque. Porrò quod de adventu dictum est, seu nativitate Christi in nobis singulis, ad reliqua id ejusdem sacramenta vitæ trahit idem Bernardus : « Sunt quibus non- « dùm passus est Christus, qui labores fugiunt « et mortem metuunt usque adhuc : quasi « verò ille et labores sustinendo, et mortem « moriendo non vicerit. Sunt quibus nondùm « surrexit, qui in laborum anxietate et affli- « ctione pœnitentiæ, morte afficiuntur totâ « die, nondùm spirituali consolatione receptâ, « sed *nisi breviati fuissent dies illi*, quis posset « sustinere? Aliis surrexit Christus, sed non- « dùm ascendit : imò cum eis adhuc piâ dul-

« cedine commoratur in terris, his scilicet « qui in devotione sunt totâ die, flent in ora- « tionibus, etc. Sed oportet lac eis subtrahi, « ut discant vesci solito cibo, et expedit eis, « ut Christus vadat, et hæc temporalis devo- « tio subtrahatur. Sed quando hoc capere « poterunt? Desertos se à Domino. privatos « gratiâ conqueruntur. Sed expectent, paulu- « lùm sedeant in civitate, donec induantur « solidiore quâdam virtute ex alto, et majora « percipiant charismata Spiritûs sancti, sicut « Apostoli promoti sunt in gradum altiorem « et supereminentem viam charitatis ingressi: « non jam solliciti quomodò flerent paululùm, « sed quomodò magnâ quâdam victoriâ de « communi adversario triumpharent, et con- « culcarent Satanam sub pedibus suis.» Nemo explicatiùs digessit ætatum Christi et mysteriorum seu visibilium in se, seu invisibilium in nobis seriem et contextum. Ea enim ipsa virtutum contextio est, et per incrementorum vices progressio. Itaque quòd Christus nascitur, moritur, resurgit, cœlorum conscendit culmina, ea est series conspicua, invisibilium significatrix, auctrixque animæ ad virtutum usque fastigia progressionum. Trutinare verba Bernardi, non possunt nisi per illa vestigia adiri ac penetrari latibula altioris sapientiæ et charitatis: ergo via illa quam Christus mysteriorum suorum tenore continuo signavit, trivitque nobis, ea ipsa virtutum invisibilium, ea sapientiæ et charitatis via est. An quòd virtutes Christum æmulentur, et ejus se imitatione consecrari gaudeant? An quòd Christus semet virtutum naturæ accommodaverit, et ita vitam suam hic temperaverit, ut qui suarum ætatum, iidem virtutum gradus essent? An potiùs quòd Verbum, sapientia et justitia, ipsaque virtutum substantia sit, et ubi se naturæ nostræ implicuit, per eam omnes virtutum, id est, deitatis et justitiæ et veritatis opes explicavit, ut per humanam naturam et in humanâ naturâ explicari et implicari illas lex æterna, hoc est, ipsemet Deus Verbum decernebat? Itaque Verbi per naturam humanam vitæque humanæ seriem dispensatio, non aliud quàm ipsa est virtutum natura, hominum naturæ inserta, sese expromens exprimensque visibiliter. Quo minùs mirum est, si eadem semita terenda nobis est, ut virtutum apicem assequamur, si exprimenda in nobis Christi vita sit, quandoquidem res eadem toties iteratur, et sapientia justitiaque humanæ naturæ vitæque cujusquam singulari imprimitur. id est, Christus iterùm iterùmque formatur.

23. Ne gravemur et Cusani obiter rogare sententiam. Ita ille nobis Christi mortem et resurrectionem digerit, ad quæ duo revocari facilè possunt omnia vitæ ejus sacramenta. « Christi passio est testimonium transitûs à « mundo ad Patrem, de corruptibili ad incor- « ruptibile, de mortali ad immortale, ut *mor- « tale induat immortalitatem;* de sensibili ad in- « tellectuale per victoriam sensibilium hujus « mundi, et per transcensum ad stabilem ve- « ritatem intellectualis mundi sive cœli. Volen- « tem igitur ad immortale desiderium perve- « nire, calcare oportet omne desiderium « sensuale et corruptibile, et amplecti virtu- « tem, atque in Christi vestigiis ambulare.» Et paulò ante: « Nemo resurgit ad cognitio- « nem veritatis immortalis, nisi qui illam « præfert omnibus mundanis. Qui enim non « intelligit intellectualiter resurgere, oriri post « mortem sensibilium, ac illam vitam novam « spiritualem, per infinitum omni delectabili « vitæ sensibilis præferendam, ut in Christo « testimonium videt, ille non resurgit in Chri- « sto, quia sensualiter in Christo mortem non « patitur. Quare hic non habet Spiritum Chri- « sti, neque ad ultimum desideriorum, scilicet « ad unionem cum fonte omnis boni, deside- « rique, scilicet ipsius Dei nostri in Christo, « pervenire poterit.» *Oportuit Christum pati et resurgere à mortuis.* Hoc breviarium Christi est, hæc summa virtutis. Declinare à malo, et facere bonum. Mori cupiditatibus, vivere justitiæ. *Non concupisces. Diliges Dominum.* A sensibilibus fugam maturare et temporalibus et caducis, ad intelligibilia omni nisu contendere et æterna et incorruptibilia. Quæcumque alia via somnietur, devia est, nec ad vitam ducit, sed præcipitat in mortis barathrum. Utròbique porrò virtus est, et in moriendo his, et in resurgendo illis; utròbique Christus, hìc moritur, illìc renascitur; utròbique Christus, utròbique virtus, moritur et reviviscit.

24. Video longiùs nos et ultra modum excurrere, sed si fastidioso lectori morem geram, vereor ut propitiari mihi possint sancti Patres, quorum opulentiam promere et ostentare aggressus, maximam ejus et longè pulcherrimam partem dissimulavero. Finem faciam dicendi, si obiter animadvertero ex Gregorio Papâ verbum Dei scriptis consignatum et quodammodò corporatum cum parvulis reptare, cum proficientibus crescere, cum perfectis in columen majestatis evadere. Ita ergo et Christus unus

et invariabilis nunc, nostram tamen in nobis omnem implet ætatem, et cum pueris puerascit, grandescit cum grandibus, cum perfectis perficitur : « Et quia unusquisque sanctorum, « quantò ipse in Scripturâ sacrâ profecerit, « tantò hæc eadem Scriptura sacra proficit « apud ipsum, rectè dicitur : Cùm ambularent « animalia, ambulabant pariter et rotæ : et « cùm elevarentur animalia de terrâ, eleva- « bantur et rotæ, quia divina eloquia cum le- « gente crescunt ; nam tantò illa quisque altiùs « intelligit, quantò in eis altiùs intendit. Unde « nec elevantur rotæ, si non elevantur ani- « malia, quia nisi legentium mentes ad alta « profecerint, divina dicta, velut in imis, non « intellecta jacent. » Id ab Augustino sexcenties replicatum est, Scripturam cum parvulis crescere, et pro cujusque augmento augescere et ipsam. Et Christus ergo instar Scripturæ est, et inter pueritiæ cunabula nobiscum jacet, et ad canitiem quamdam sapientiæ maturescit. Et Christi caro litteræ habet speciem, quâ spiritualis intelligentia opacatur. Unde Augustinus : « *Usquequò, Domine, oblivisceris me « in finem?* Id est, differs me ad intelligendum « Christum spiritualiter, qui est Dei sapientia, « et rectus finis omnis intentionis animi. » Hæc pueritia Christi in nobis est, hæc littera, Christi caro, unde cuique auspicandum est pietatis tirocinium. Hæc senectus Christi in nobis est, hæc intelligentiæ senilis provectio, Christus sapientia Dei, cui ut fini suo nostra omnis intentio famulatur. Et quidem quantoslibet feceris quis progressus in curriculo hoc vitæ caducæ, quàmlibet nonnunquàm resurrexisse ei et ascendisse in cœlos Christus videatur, habet tamen quo enitatur, in anteriora anhelans, posteriorum immemor; habet ulteriora fastigia, quò suspiret, et quorum comparatione se inter reptantis infantiæ nugas et sordes jacere ingemiscat. Est enim Christus incomprehensibilis, et quantùmcumque videatur quis ætatem plenitudinis ejus attigisse, semper deficit, nisi proficit; retrò labitur, nisi residua ad eum assequendum intervalla alacer et expeditus perlabitur. Augustinus : « *Et ascendit super Cherubim et volavit.* Et « exaltatus est super plenitudinem scientiæ, ut « nemo ad eum perveniret, nisi per charitatem. « *Plenitudo enim legis est charitas.* Et citò se « incomprehensibilem esse monstravit dile- « ctoribus suis, ne illum corporeis imaginatio- « nibus comprehendi arbitrarentur. *Volavit « super pennas ventorum.* Illa autem celeritas, « quâ se incomprehensibilem esse monstravit « super virtutes animarum est, quibus se « velut pennis à terrenis timoribus in auras « libertatis attollunt. *Et posuit tenebras latibu « lum suum.* Et posuit obscuritatem sacramen- « torum et occultam spem in corde credentium, « ubi lateret ipse, non eos deserens. » Ascendit Christus in arcanum quemdam sinum incomprehensibilitatis. Quotus quisque eum illùc assequi, imò vel sequi potis est? Adhæreamus ergo carni ejus, ætates et progressus carnis ejus in nobis impleamus : Verbi lucem à longè sequamur, utique per charitatem. Utque charitatis cumulum non attinget hæc vita mortalis, ita nec finem assecutionis suæ. Etenim sapientia est, quam intelligere, id verò est sapere. Non sapit autem sapientia nisi charitati. Quid enim charitas quàm gustus et suavitas, sapor et delectatio sapientiæ?

CAPUT XV.

Christus in Ecclesiâ sponsâ et ipse sponsus et sponsa, caput et membra, justitia et justorum universitas, ab exordio ad exitum usque seculi, semper venit et semper veniet.

1. Conjuncta hæc et consequentia sunt iis quæ capite superiori pertractavimus. Eliquescet autem id quod demonstrare instituimus, si nonnullorum Patrum sententias in interpretando adventu Christi posteriore elucidemus. Posterior enim et postremus idem adventus venturi in gloriæ suæ fulgore Christi à nobis adhuc expectatur, et idem tamen in nobis quotidiè peragitur, si è senatu Patrum ipsos antistites audiamus. Ergo non novum, non mirum cuiquam accidet, si et ante primum adventum suum, et expectatum fuisse et venisse tamen constituatur. Quòd autem secundum Christi eumdemque postremum adventum in gloriâ jam cœpisse, jam peragi, in dies magis magisque perfici arbitrati sint sancti Patres, id ex eorum testimoniis suadebitur, et argumentis inde exculptis. Agmini præeat Augustinus, qui ita argumentatur : « Utraque « pars erit in omnibus gentibus, altera quæ « premat, altera quæ premitur. Una quæ di- « cat : Pax et securitas; altera in quâ sol ob- « scuretur, et luna non det lumen suum, et de « quâ cadent stellæ, et in quâ virtutes cœlorum « moveantur : *Et tunc videbunt Filium hominis « venientem in nube cum potestate magnâ et ma- « jestate.* Quod video duobus modis accipi « posse : sive in Ecclesiâ, tanquàm in nube « venientem, sicut etiam nunc venire non

« cessat, secundùm id quod ait : *Amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis, et venientem in nubibus cœli;* sed ideò tunc *cum potestate magnâ et majestate*, quia major potestas et majestas illius apparebit sanctis, quibus magnam virtutem dabit, ne tantâ persecutione vincantur. Sive in corpore suo in quo sedet ad dexteram Patris, in quo etiam mortuus est et resurrexit, et ascendit in cœlum, secundùm quod scriptum est in Actibus Apostolorum : *His dictis, nubes suscepit eum, et sublatus est ab eis.* Et quia illic etiam dictum est ab Angelis : *Sic veniet quemadmodùm vidistis eum, euntem in cœlum.* » Utramque interpretationem profert in medium, ut vides. Et quidem non ambigit, nec ambigi à quoquam fidei catholicæ cupido potest, quin in suo singulari corpore Christus et in nube venturus sit, gloriæ insignibus circumfusus, eumque esse magis obvium sensum non dissimulat Augustinus ; sed delitescere aliquando sensum abstrusiorem monet, quo apertior non elevetur, sed commendetur potiùs. Cùm ergo scrupulosiùs trutinatus esset verba singulorum Evangelistarum hæc commemorantium, tandem subjicit : « Tunc ergo scimus propè eum esse, cùm viderimus, non aliqua eorum, sed hæc omnia, in quibus et hoc est, quod videbitur *Filius hominis veniens*, et *mittet Angelos suos*, et *de quatuor mundi partibus*, id est, de toto orbe terrarum *congregabit electos*, quod totâ horâ novissimâ facit, veniens suis membris tanquàm in nubibus, vel in totâ ipsâ Ecclesiâ, quod est corpus ejus, tanquàm in nube magnâ, fructificante atque crescente, in universo mundo, ex quo cœpit prædicare et dicere : *Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Ita ut fortassè omnia quæ ab his tribus Evangelistis dicta sunt de ejus adventu, diligentiùs inter se collata atque discussa, inveniantur ad hoc pertinere, quòd quotidiè venit in corpore suo, quod est Ecclesia, de quo adventu suo dixit : *Amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris Dei, et venientem in nubibus cœli;* exceptis his locis, ubi ab eo ille adventus ultimus in seipso, quando est vivos judicaturus et mortuos, ita promittitur, ut propinquare dicatur. » Expectatur itaque ultimus ille Christi in seipso adventus, sed interim tamen, ut ait Augustinus, venit, et venire non cessat in membris suis, in Ecclesiâ suâ, in corpore suo per universum orbem effuso et augescente in dies singulos. Usque adeò autem hic adventus uterque Christi aptus sibi et contextus est, ut iisdem verbis uterque significetur, iisdem signis indigitetur.

2. Nunc enim emicante et florescente Ecclesiâ, ut Christi corpore, videtur Filius hominis sedens à dextris virtutis, nunc mittuntur angeli, nunc venit in nube seu in fidei propagatoribus, nunc congregantur electi ab universo orbe. Ideò ergo indiscriminatim utrumque adventum hunc, sive utrumque unius adventûs modum descripsêre Evangelia, quia unus venit Christus, etsi membra præeant capiti. Ideò regnum cœlorum et appropinquâsse et pervenisse in evangelicis litteris testatur Christus. Pervenit enim per corpus, appropinquat per caput Ecclesiæ seipsam et prægredientis et subsequentis, ob infinitam quamdam amplitudinem suam. Ideò in sacris litteris regnum cœlorum etiam præsentis temporis Ecclesia appellitatur; in eâ enim et per eam jam venit, jam regnat Christus, tunc absolutissimè regnaturus, cùm eam numeris omnibus et membris suis universis integraverit. Illùc quoque spectat quod idem disputat alibi : « Quod Dominus dicit : *Sicut enim fulgur exit ab oriente et pervenit usque ad occidentem, ita erit et adventus Filii hominis*, orientis et occidentis nomine totum orbem voluit significare, per quem futura erat Ecclesia, incipiente Evangelio à Jerusalem, secundùm illum sensum quo dixit : *Amodò videbitis Filium hominis venientem in nubibus.* Convenienter enim Ecclesiam nunc fulgur nominavit, quod maximè solet emicare de nubibus. Constitutâ ergo auctoritate Ecclesiæ clarâ atque manifestâ, consequenter discipulos admonet, atque omnes fideles et qui in eum credere voluerint, ne schismaticis atque hæreticis credant. Unumquodque enim schisma aut unaquæque hæresis, aut locum suum tenet in orbe terrarum, partem aliquam tenens, aut obscuris atque occultis conventiculis, curiositatem hominum decipit. Ad quod pertinet quod ait : *Si quis vobis dixerit : Ecce hic est Christus, aut illic* quod significat terrarum partes et provincias : *Aut in penetralibus, aut in deserto*, quod significat obscura et occulta conventicula hæreticorum. Quod ergo dixit ab oriente in occidentem perventurum adventum suum, contra illos valet, qui per terrarum particulas nominantur, » etc. Hic, ut vides, adventus Christi describitur; Filius hominis, Christus, fulgur, et hujusmodi alia verba, arctare nos videbantur, ne nisi de corporeo judicis Christi

extremoque adventu exponere fas esset, et hæc tamen omnia ad ejus per Ecclesiam adventum vindicat sanctus Pater. Nimirùm jam nunc in glorià venit Christus, jam paterni consessûs majestas, jam nunc potestas ejus se aperit, cùm Dei Filius, cùm Deus, cùm paternæ majestatis collega creditur, cùm toto ex orbe ad eum convolatur, cùm certatim ex omnibus superstitionum ludibriis, ad Deum, ut ad sapientiam et sanctitatem inviolabilem, sese humanum genus transfert, cùm peccatum extirpatur, cùm mors conculcatur. Nam extremus adventus nihil aliud quàm hæc perficiet, et ultimam veluti manum apponet. Tunc peccati reliquias exuret penitùs, tunc mortis germina residua radicitùs elidet, tunc perficiet quæ nunc facit, tunc ultimam limam adjiciet operi, quod nunc elaborat; non ergo tunc tantùm veniet, sed et nunc venit.

3. Præcinuerat hæc Augustino Ambrosius : « *Et erunt signa in sole, et lunâ, et stellis*, etc. « Et prophetiæ vera series, et integra causa « mysterii, quòd et captivi Judæi secundò in « Babyloniam Assyriamque ducentur, captivi in « toto erunt orbe, quia negaverunt Christum. « Et Jerusalem quæ videtur, ab hostili exer- « citu calcabitur, cadentibus Judæis *in ore gla- « dii*. Et Judæa omnis à nationibus crebruris « subjicietur in ore gladii spiritualis, qui est « sermo bis acutus, etc. *Tunc sol obscurabitur, « et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent.* « Plurimis enim à religione deficientibus, « clara fides obscurabitur nube perfidiæ, quia « mihi sol ille justitiæ meâ fide vel minuitur, « vel augetur. Et quemadmodùm menstruis « cursibus luna, vel terræ oppositu cùm fue- « rit è regione solis, vanescit : sic et sancta « Ecclesia, cùm lumini cœlesti vitia carnis ob- « sistunt, fulgorem divini luminis de Christi « radiis non potest mutuari, etc. Stellæ ca- « dent, illi utique resurrectionis glorià jam « micantes, illi viri sicut luminaria in seculo « Verbum vitæ continentes, etc. Excident ergo « hominibus Patriarchæ, excident Prophetæ, « si persecutionis acerbitas convalescat. Quæ « oportet fieri donec Ecclesiæ in omnibus vir- « tutibus in singulis plenitudo cumuletur. » Ad adventum Christi, ad Ecclesiam hæc ille rapit omnia. Nec immeritò. Quanquàm enim ad sacramentum et ad extimam dispensationis pompam necesse sit, cœlo delabi corpus Christi judicis, et in conspicuâ etiam malis majestate repræsentari, gloria tamen et amplitudo Christi, sed adventus ejus in glorià eò maximè continetur, quòd ab hominum universitate agnoscitur, diligitur, adoratur, eique errorum, vitiorum, temporaliumque omnium cupiditatum ejuratione litatur, et ejus demùm immortali ac beatæ sapientiæ et charitati universa electorum gens immergitur, sibique vilescens, suî immemor in eum absorbetur. Hæc gloria est Christi, hæc adventûs ejus majestas, hoc consilium. Id porrò jam tum peragi cœptum est, jam exerceri, jam propagari visum est, nec deinceps invalescere destitit, ex quo Christus dixit : *Amodò videbitis Filium hominis venientem in nubibus, in majestate et potestate.* Nam quòd in sole et sideribus portentosa quædam prodigia ostentanda sint, nec nos imus inficias : sed monemus carnalibus et sensu corporis sola omnia metientibus, ea magis necessaria esse, quàm spiritalibus, qui intra corticem rerum gnari sunt venari medullam quamdam arcani sacramenti. Itaque etsi illa foris signa sint adventûs Christi, sed hæc tamen quæ spiritaliter observantur à sanctis Patribus, non paulò plus habent momenti ad Christi gloriam amplificandam. Et fortassis inde est, quod Christus ait : *Amodò videbitis Filium hominis venientem*, etc. Viderunt enim et illi ipsi ad quos tum verba faciebat, hunc ejus adventum per Ecclesiam clarescentis orbe toto, et eo divinam ostentantis majestatem suam, hostes suos Judæos evertentis, electos suos colligentis, sanctificantis, invictosque et mortis contemptores præstantis. Quo quid potentiæ et majestatis plenius? Inde est etiam fortassis quòd vel Christus, vel Evangelista Christi verborum scriptor, ac denique Spiritus sanctus, qui divinas concinnavit nobis litteras, accuratissimâ utique incurià adventum Christi illigavit, immiscuitque iis eventis, quæ statim aut paucis post mortem Christi annis contigerunt. Per illam enim ipsam gentis Judaicæ et Hierosolymæ eversionem, per suorum inde in omnes terras non cursuum magis, quàm victoriarum spiritualium peragrationem, per Ecclesiæ suæ amplificationem adveniebat Christi gloria, regnum cœlorum propagabatur in sapientiæ et justitiæ triumphis, et in mortis contemptu jam immortalitas præsumebatur.

4. Subjicit ibidem Ambrosius : « *Nam vir- « tutes cœlorum movebuntur*, etc. Fortassè quem- « admodùm Domini expectatur adventus, ut « ejus præsentia in toto fiat vel hominis orbe, « vel mundi; quæ fit utique in singulis, cùm « omnibus affectibus receperint Christum : sic

« etiam virtutes cœlorum adventu Domini Salvatoris ac reditu; est enim virtutum Domini, augmentum gratiæ consequantur, necesse est, et plenitudine divinitatis pleniùs se infundente moveantur. » Adventu redituque Christi, hoc est, primo et secundo adventu ejus, ait Ambrosius virtutes augmentum gratiæ consequi, utpote infundente se pleniùs divinitate. Eò enim vergebat et ad hoc adornabatur omnis Christi adventus ad homines, ut Verbum, ut sapientiæ et justitiæ Deitas pleniùs pleniùsque in homines se infunderet. Cùm ergo illa se plenissimè infuderit, cùm nullum electorum in præteritis reliquerit, is erit tum extremus ejus adventus; sed et advenit interim tamdiù quamdiù se infundit. Advenit autem in nubibus. Si sciteris quales sint hæ nubes, respondebit ibidem Ambrosius : « Vides illum in nubibus. Non equidem puto, quòd in caligine tenebrosâ et horrore pluviali Christus adveniat. Nubes enim « quæ videntur, cœlum utique caligandi horrore subtexunt. At quomodò *in sole posuit tabernaculum suum,* si pluvialis erit ejus adventus? Sed sunt nubes, quæ quia sic oportet, cœlestis obtexunt mysterii claritatem. « Sunt nubes, quæ rore gratiæ spiritualis humescant, etc. Ergo Moses et Josue nubes « sunt, etc. Nubes sunt Isaias et Ezechiel, etc. « In his nubibus venit Christus, etc. *Cùm ergo apparuerit Christus in nubibus, concident se tribus terræ.* Est enim quidam ordo criminum et series peccatorum, quæ Christi dirimatur adventu. » En quas nubes inscendat adveniens Christus, nempe Scripturas, nempe homines sanctos, per quos ros gratiæ cœlestis infunditur, per quos obtexitur nimia cœlestis mysterii claritas : diffluentibus autem paulatim nubibus, aperit se et rutilat sol veritatis, ut plenus nudusque exoriatur, qui temperatus advenit, et exoritur jugiter. Cùm autem et Moyses, et Josue, et Isaias et illi olim flosculi fructusque præcoces, in eodem recenseantur ordine, ut per illos adveniat et videatur Christus, nimirùm non obscurè innuitur advenisse etiam tum Christum in nubibus, non extremo, non eo quo nunc, sed consentaneo tamen luminis sui gratiæque proventu adventuque.

5. Sed quia extremus ille adventus sonat judicantis terrorem, et sedes una judicantium Apostolorum, cæterorumque limatioris perfectionis sectatorum, advertamus quid de his nos admoneat Ambrosius ibidem : « Neque « duodecim throni corporalis aliqua sunt recepta sessionis : sed quia sicut secundùm « divinam similitudinem judicat Christus cognitione cordium, non interrogatione factorum virtutem remunerans, impietatemque « condemnans; ita et Apostoli in judicium « spiritale formantur remuneratione fidei et « execratione perfidiæ, virtute errorem redarguentes, sacrilegos odio persequentes. » Quanquàm ista manifestiùs et magnificentiùs speranda supersunt, jam nunc tamen non penitùs obscurè præsumuntur. Nam Christus judex ultorque invisibiliter et non rarò visibiliter pollet regnatque jam nunc, dùm suos virtutum ergo remunerat, cumulatque earumdem virtutum pleniore copiâ et beatitate : quæ enim beatitas nisi virtutum plenissima ubertas? dùm adversarios vel clam vel palàm excruciat suâmet ipsorum fœditate, cæcitate, anxietate. Sedet enim infatigabili lege super illicitas cupiditates spargens pœnales non cæcitates tantùm, sed anxietates. Hîc ergo anticipatus est jugisque Christi adventus judicantis, præmiantis, ulciscentis. Sedent et perfecti quique in judiciariæ hujus potestatis collegio, suo et ipsi plausu bonis aggratulantes et lætitiæ cumulum superfundentes; suo et ipsi cauterio omnem impietatem inurentes, et nunquàm intermorituræ infamiæ addicentes. Hæc invisibiliter plerùmque nunc fiunt, sed tamen fiunt, nec minùs fieri videntur iis, quorum fides et animi pondus in invisibilia magis propendet; quorum fides non apparentium non præsumptio incerta, sed substantia jam ipsa est; quorum oculi non in corpore, sed in mente sunt, veritatem invisibilem contemplantes, et eò magis, eò certius esse pronuntiantes, quò invisibilis est.

6. Hieronymus nunc in partes veniat, et hujus ipse sententiæ non dubius suffragator. Ille ergo ita habet : « Quomodò autem ii qui « rapiuntur in nubibus, rapiantur obviàm in « Christo, diligentiùs contemplandum est. « Scimus nubes Prophetas, quibus præcepit « Deus, ne pluerent super Israel imbrem, « quando impleverunt mensuram patrum suorum, et facta est lex et Prophetæ usque ad « Joannem Baptistam. Et quia *Deus posuit in Ecclesiâ primùm Apostolos, secundò Prophetas,* « non solùm Prophetæ, sed et Apostoli nubes « intelligendi sunt. Si quis igitur ascendit ad « Christum, ascendit super nubes legis et « Evangelii, super Prophetas et Apostolos; et « assumptis alis columbæ, eorumque doctrinâ « ad excelsa sublatus, occurrit non deorsùm, « sed in arce et spiritali intelligentiâ Scriptu-

« rarum. Occurrens autem in spiritalibus et « terrena dimittens, sive ille sit dormiens, sive « in Christo mortuus, sive vivens et in illius « præsentiam reservatus, semper cum illo « erit, et perfruetur verbo Dei et sapientiâ, « veritate atque justitiâ. » Quod Paulus ait raptum iri nos obviàm Christo judici et remuneratori in aera in nubibus, audin' ut sanctus Pater exponat de spiritalis intelligentiæ sublimatione quâdam, quâ jam nunc terrenos excutimus affectus, corporeis valedicimus sensibus, Christum non in litterâ, non in carnis nucleo, sed in medullâ sapimus, non in nubibus obumbratum, sed in luce quâdam intelligibili complectimur, ut sapientiam, ut veritatem atque justitiam? Ergo adventus ille vel Christi ad nos, vel noster ad Christum, tunc quidem absolutissimè fiet, cùm intelligentiæ et charitatis ubertas ad excoquendum usque et innovandum in immortalitatem corpus nostrum redundabit: sed et nunc fit, et semper fieri implerique pergit. Nec enim ultimus ille adventus ad solam corporis à mortalitate redemptionem valebit, et non etiam et penè ampliùs ad plenissimam intelligentiæ et charitatis spiritalis inundationem, ex quâ convenienter effluat ipsa corporis immortalitas. Cæterùm, ut nunc jam præcipitur adventûs illius gratia, qui expectatur, ita et ante partum Virginis expectabatur, sed et anteveniebatur prior de Virginis utero Verbi adventus, et tunc veniebat idem, qui nunc venit venturus.

7. Non intutum fortassis nunc erit Origenem producere in apertum, huic eidem sententiæ patrocinantem. Hæc ille Christi verba tractans: *Cùm venerit Filius hominis in gloriâ suâ et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super seaem gloriæ suæ, et congregabuntur ad eum omnes gentes,* etc. Paucis præmissis hæc disputat: « Existimo ergo quoniam erit tempus adven- « tûs Christi, quando tanta manifestatio fu- « tura est Christi et divinitatis, ut non solùm « nullus justorum, sed nec aliquis peccatorum « ignoret Christum secundùm quod est, « quando et peccatores cognoscent in con- « spectu suo sua delicta, et justi manifestè vi- « debunt semina justitiæ suæ, ad qualem eos « perduxerint finem. Et hoc est quod dixit: « *Congregabuntur ante eum omnes gentes.* Si « enim modò quando nec omnes cognoscunt « Christum secundùm quod est, nec ipsi qui « videntur cognoscere, palàm eum cognoscunt, « sed in fide tantùm, intrant homines in con- « spectum ejus, quando agnitionem ejus acci- « piunt per fidem, sicut scriptum est: *Intrate « in conspectum ejus in exultatione:* quantò « magis rectè dicuntur ante eum omnes gen- « tes congregandæ et constituendæ, quando « palàm omnibus tam malis quàm bonis, tam « fidelibus quàm infidelibus fuerit factus mani- « festus ante oculos mentis eorum jam non « fidei aut diligentiæ alicujus inquisitione « repertus, sed ipsius divinitatis suæ manife- « statione prælatus. Non in aliquo quidem loco « apparebit Filius Dei, *cùm venerit in gloriâ uâ,* « in altero autem non apparebit, sed sicut ipse « secundùm comparationem fulguris exeuntis « adventum suum voluit demonstrare, dicens: « *Si dixerint vobis,* etc. *Sicut enim fulgur egre- « diens ab oriente,* propterea quòd omnia im- « plet, apparet usque in occidentem, *sic cùm « venerit Christus in gloriâ suâ,* propterea que « ubique futurus est, et ipse in conspectu « omnium erit ubique, et omnes ubique erunt « in conspectu ipsius, et sic constituentur ante « sedem gloriæ ejus, hoc est, ante regnum ejus « et potestatem dominationis ipsius. Sedes « autem ejus, aut certè perfectiores quidam « sanctorum dicuntur, de quibus scriptum est: « *Quoniam illic sederunt sedes in judicio,* aut « virtutes quædam angelicæ, » etc. Ita ille. Nec valent ista, alioqui non valerent, sed jacerent funditùs; non valent, inquam, ad labefactandum corporalem localemque Christi judicis adventum, sed ad stabiliendum spiritale dogma, quod plerosque præterit, defixos et demersos penitùs in corporalis adventûs stuporem. Videlicet veniet non nomo tantum judex, sed Verbum, humanâ quidem formâ omnibus promiscuè conspicuum, sed Verbum tamen et sapientia et justitia veniet, et nos ad ipsum veniemus. Ut ergo seponatur jam corporeî adventûs, quia corporeus erit, consideratio, cùm Verbum sapientia et justitia ad animas veniet, et convenient ad ipsum animæ rationales, non locorum ementione fiet adventus iste, sed luminum progressione et mentium. Veniet enim Verbum, cùm innotescet, venient animæ ad ipsum, cùm ad lucem notitiamque ejus ingredientur. Veniet in gloriâ, cùm splendidissimè illucescet: venient *et congregabuntur omnes gentes,* et ipsæ impiorum cohortes, cùm et ipsas jam non latebit, sed vel cæcutientes præstringet sapientiæ et justitiæ majestas, tantùmque singulis de suâ asperget luce, quod tum necesse est, ut ipsi seipsos introspiciant, suamque intestinam turpitudinem et videant et exhorrescant. Ita

ultrò citròque ventitat Verbum ad animas, animæ ad Verbum, non localibus, sed mentalibus motionibus. Corporeum enim simul adventum conventumque et agnoscimus, et solâ consideratione disjungimus. Quæ cùm ita sint, quis jam non perspicit, quanquàm cumulatior et præclarior expectetur, fieri jam tamen non obscurè illum spiritalem Christi ad animas adventum, jam in nubibus advenire, jam exire ut fulgur, jam ubique parere, jam in judicii sessitare throno, jam congregari ad eum omnes gentes, jam denique magis magisque et bonis et malis adsplendescere incommutabilem Verbi sapientiam et justitiam, quâ illi recreentur, hi ringantur, hi puniantur, illi in antecessum gloriæ beata lumina prælambant. « Ergo rex seculorum Deus Verbum, qui in formâ factus est « hominis, sedebit super hujusmodi sedem « gloriæ suæ, *et congregabuntur* ad eum *omnes* « *gentes,* jam non dispersæ in dogmatibus « multis et falsis de eo, et sic erunt ante « eum, » etc., ut ille ibidem pergit.

8. Gregorius Magnus nil dissidet ab antedictis : « Cunctis liquet quòd in illâ extremâ « requisitione examen publicum facturus est « omnipotens Deus, ut alios ad tormenta deserat, alios ad participationem regni cœlestis admittat. Sed hoc nunc secreto judicio « quotidiè agitur, quod tunc in publico demonstratur. Nam justè ac misericorditer singulorum corda vel examinans, vel disponens, « alios ad exteriora respuit, alios ad ea quæ « sunt intrinsecùs trahit; hos accendit interna « appetere, illos pro voluptatibus suis deserit « exteriora cogitare : horum mentem ad superna erigit, illorum per superbiam in infimis desideriis mergit. Aliena autem corda « humanis oculis clausa sunt, et nescitur qui « repellitur, quia penetrare nequeunt quæ ab « unoquoque cogitantur. » Audin' satis exertè dici, « hoc nunc secreto judicio agi, quod tunc « in publico demonstrabitur? » Audin' justè et misericorditer singulorum corda jam pensitari, et alios in exteriores tenebras, alios in intimæ lucis gaudia ablegari? Quod ergo nunc fit, tunc fiet, sed manifestiùs pleniùsque : et quod tunc fiet, nunc jam fit, sed occultiùs parciùsque. Oculos ista desiderant, illos scilicet fide illuminatos.

9. Bernardus : « Hoc est quod quotidiè petimus in oratione, cùm dicimus Deo : *Adveniat regnum tuum.* Regnum hoc necdùm ex « toto pervenit in nos. Quotidiè tamen paulatim adventat, sensimque in dies magis ac « magis dilatat terminos suos in his duntaxat « quorum per Dei adjutorium interior homo « renovatur de die in diem. In quantum erge « regnum gratiæ dilatatur, in tantum peccati « potestas minuitur. » Subdit pios quosque reliquiis vetustatis prægravatos ingemiscere et exclamare : « *Adveniat regnum tuum.* Quod non « erit vel in ipsis consummatum, quousque « peccatum non solùm non regnet in mortali « eorum corpore, sed nec sit omninò, nec esse « possit in immortali jam corpore. » Cui ambiguum est, regnum illud cujus acceleronem votis prosequimur, adventu Christi in gloriâ contineri? De eo ergo ait Bernardus, « hoc necdùm ex toto permisisse in nos, quotidiè tamen paulatim adventare, sensimque « in dies magis ac magis dilatare terminos « suos. » In arcem causæ hujus invadit sanctus Pater. Regnum enim Christi regnum est meræ veritatis et sanctimoniæ. Id regnum in dies augescit et amplificatur, tum in singulis, tum in universis. Quanquàm enim rarescere videantur nonnunquàm justi, non rariores forsan, sed occultiores sunt; aut si rariores, illustriores sunt; aut si nec illustriores et tamen infrequentiores, non pœnitendo tamen numero sunt, et priori multitudini accedunt, atque ita accessio fit regno justitiæ. Augescunt enim semper examina piorum, cùm anterioribus juniores seu plures seu pauciores, aliqui tamen accumulantur. Cùm ergo prece creberrimâ Deum lacessimus, ut regnum Christi adveniat, quod nisi advenisset, non justitia, non sapientia usquàm vel tantilla scintillaret; quod nisi advenisset, non vel ut adveniret, optari orarique posset; quod advenisse vel ipse qui orat, conscius et testis est; cùm, inquam, flagitamus ut adveniat, postulamus ut consummetur, prout adnotavit Bernardus. Sapientia enim et veritas cultores suos recreatura, hostes suos cruciatura, semper venit, nec venire cessat; semper veniet, donec plenissimam sui his inopiam, illis copiam invehat. Ita et Verbum caro veniebat olim per varias carnis, seu litteræ, seu cujuscumque demùm veli et temperamenti obumbrationes, nec venire cessabat, donec venit absolutissimè in carne Verbi propriâ. Semper enim seu per velum infirmis, seu dimotione veli fortioribus animabus rationalibus venit Verbi veritas et justitia.

10. Eliquescet iterùm quod capite isto demonstrandum suscepimus, si evincamus magnum illud *sacramentum pietatis,* quod, ut ait Paulus Apostolus, *manifestatum est in carne.*

justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloriâ, in quo omnes utique præsidium suæ salutis spemque omnem collocârunt, nullo seculo defuisse, nunquàm exhiberi desisse, omnibus præstò semper fuisse hominum ætatibus. Id autem non operosum erit ostendere, si qua fides interpreti addatur Augustino. Constantissimè enim ille hoc de Ecclesiâ accipit. Est enim Christus Ecclesia, est Christus caput et membra, universitas illa justorum, quæ à cunabulis mundi ad senium usque ejus nunquàm usquequàque interire aut evanescere potuit. Hoc sacramentum est pietatis, hujus adventus et proventus est utique optatissimus. Nam si solum capitis adventum perpendas, est in eo quod concupiscas, est et quod contremiscas. *Positus est* enim ille *in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel et in signum cui contradicetur.* Fuit ille aliis stultitia, aliis scandalum, utrisque odor mortis ad mortem. At sacramentum pietatis est in copulatione corporis cum capite, in capitis ubique locorum in omnes seculorum effluxus dilatatione et restagnatione gratiarum in corpus suum. Ita Augustinus : « Idem Apostolus « ait : *Quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et « firmamentum veritatis.* Et sine dubio *magnum « est pietatis sacramentum, quod manifestatum « est in carne, justificatum est in spiritu, appa- « ruit Angelis, prædicatum est in gentibus, cre- « ditum est in mundo, assumptum est in gloriâ.* « Nempe manifestum est, hoc quod in extremo « posuit, etiam nunc nondùm esse completum, « quantò magis tunc quando ista dicebantur! « Ecclesia quippe tunc assumetur in gloriâ, « quando dicetur : *Venite, benedicti Patris « mei, percipite regnum,* et tamen tanquàm « factum fuisset, hoc dictum est quod certo « sciebatur futurum. » Ubi antecedentia planum faciunt ad Ecclesiam referenda esse ea quæ alioqui proniores uni capiti Ecclesiæ vindicaremus. De Christo enim sermonem instituerat, cùm eò devolutus est Paulus ut diceret : *Magnum* istud esse *pietatis sacramentum.* Augustinus autem id totum asserit Ecclesiæ, quam assumptam quoque in gloriâ dici potuisse affirmat, sicut et alibi conresuscitati et consedere in cœlestibus jussi ab eodem Paulo pronuntiamur, quòd hæc non in dubio pendeant et fluctuentur, sed quòd rata fixaque sint ita ut teneantur jam magis quàm expectentur. Cui contexi non absre potest illud quoque quod alibi vocat idem Paulus: *Magnum sacramentum; ego autem dico,* inquit, *in Christo et in Ecclesiâ.* In quæ verba Augustinus: « In ipso exordio Adam « et Eva parentes omnium gentium erant, et non « tantummodò Judæorum : et quidquid figura- « batur in Adam de Christo, ad omnes utique « gentes pertinebat, quibus salus erat in Chri- « sto, etc. *Sacramentum hoc magnum est.* Et « ne quis istam magnitudinem sacramenti in « singulis quibusque hominibus uxores haben- « tibus intelligeret : *Ego autem dico,* inquit, *in « Christo et in Ecclesiâ,* quòd est hoc sacra- « mentum magnum, *erunt duo in carne unâ.* » Sacramentum igitur magnum est, non seorsim Christus, non seorsim Ecclesia, sed Christus in Ecclesiâ; Ecclesia in Christo, Christus et Ecclesia, Christus unus, sed totus, non caput solitarium, non corpus truncatum, sed totius plenitudo.

11. Ne duriùs autem videatur dictum de Ecclesiâ, assumptam esse in gloriâ, audi eumdem Augustinum : « Ut sit unus Christus qui descendit et ascendit. Descendit caput, ascendit cum corpore, vestitus Ecclesiâ suâ quam sibi exhibuit sine maculâ et rugâ. Solus ergo ascendit, sed et nos quando cum illo sic sumus, ut in illo membra ejus simus, et nobiscum solus est, et ideò unus et semper unus. » Audin' ut audeat et fidenter pronuntiet caput descendisse, sed cum corpore, hoc est, cum Ecclesiâ ascendisse? Cùmque alibi dicat Christus, unum illum ascendere in cœlum, qui inde descendit, ad id alludens Augustinus et nodum exolvens ait, unum ascendere, sed unum cum membrorum suorum compage. Nam si unus ascendit, et ascensura tamen erat Ecclesia, unus cum Ecclesiâ et solus erat Christus et cum eâ ascendebat. Ne ergo ambages hîc ullas suspicemur, ne verba Pauli ad Timotheum tenebricosiora esse quiritemur, plana sunt et expedita, sed Christi amplitudo atque universitas non satis perspecta et explorata nobis est.

12. Nec enim incuriæ labem quisquam impingere vel Apostolo vel alibi sacris litteris nisi delirus admodùm et excors poterit, quòd Ecclesiæ et Christi insignia passim confundant. Ea est Ecclesiæ, ea Christi magnificentia, qui non unus aliquis peculiaris imaginandus est justus esse, sed tota justorum respublica, tota sapientum qui usquàm et unquàm extiterint universitas. Justitia enim et sapientia est Deus Verbum, quocirca nec ulla usquàm est sapientiæ et justitiæ stillula, quæ non ejus delibatio sit, quæ non illi fonti se debeat, quæ non illi ut plenitudini insit, quæ

non ipse sit. Est Verbum Deus natura ipsa sapientiæ et justitiæ, non particularis, non singularitatis obicibus circumscripta, sed universalis et tota. Ubi ergo in singularem naturam humanam descendit, non potuit quin amplitudinis suæ ingenium retineret, et ejus universitatem sibi consociaret, sibique consereret. Justorum ergo universitas ipse est; justus quilibet portio ejus est. Augustinus idem : « An et ipsa nota sunt quibusdam excellentioribus membris hominis hujus, qui « cum suo capite Salvatore totus est Christus. » Et alibi : « Et corpus in capite suo est, secundùm Apostolum dicentem : *Et simul resuscitavit, et simul sedere fecit in cœlestibus;* et « nos ibi sedemus, et ipse hìc laborat. Nos ibi « sedemus secundùm spem, et ipse hìc noscum est secundùm charitatem. Hæc compago tanquàm unius hominis facit duos in « carne unâ, sponsum et sponsam. » Et rursùm : « Quid ergo dedignamur audire vocem « corporis ex ore capitis? Ecclesia in illo patiebatur, quando pro Ecclesiâ patiebatur : « sicut etiam in Ecclesiâ patiebatur ipse, « quando pro illo Ecclesia patiebatur. » Et rursùm : « Et multi homines sunt, et unus « homo est : multi enim Christiani, et unus « Christus. Ipsi Christiani cum capite suo « quod ascendit in cœlum, et unus est Christus. Non ille unus, et nos multi, sed et nos « multi in illo uno unum. Unus ergo homo « Christus, caput et corpus. » Et denuò : « *Sicut enim corpus unum est,* inquit Apostolus, « *et multa membra habet, omnia autem membra « corporis cùm sint multa, unum est corpus, ita « et Christus.* Non ait : Ita et Christus et corpus; sed : *Corpus unum membra multa, ita et « Christus.* Totum ergo Christus. » Et paulò post : « Ut inde videatis quantâ gratiâ pertingatis ad Deum, ut ipse voluerit esse nobiscum unus, qui est cum Patre unus. »

13. Eòdem collineant ilia quoque testimonia, quibus duo tantùm homines orbem occupare universum, et universam labentium ætatum ac seculorum seriem exhaurire perhibentur. Omnes enim impii in Adam et cum Adam unus homo; omnes justi in Christo et cum Christo unus homo. Augustinus : « Cecidit primus « homo, et omnes qui de illo nati sunt, de illo « traxerunt concupiscentiam carnis. Oportebat ut nasceretur alius homo, qui nullam « traxit concupiscentiam carnis. Homo et homo : homo ad mortem, et homo ad vitam, « sicut dicit Apostolus : *Quoniam quidem per « hominem mors, et per hominem resurrectio « mortuorum.* » Homo et homo; homo per quem mors, homo per quem resurrectio; homo ad mortem, et homo ad vitam. Et rursùm : « In « hâc causâ duo constituuntur homines. Adam, « ex quo consistit generatio carnalis; et Christus, ex quo regeneratio spiritalis, etc. *Sicut « per inobedientiam unius peccatores constituti « sunt multi, ita et per obedientiam unius justi « constituuntur multi.* Qui multi? Nisi quos jam « paulò ante omnes dixerat : *Vide quemadmodùm commendat unum et unum,* id est, Adam « et Christum. » Sed luculentissimè idem alibi : « Nec advertitis primum hominem Adam « sic olim fuisse defunctum, ut tamen post « illum secundus homo sit Christus, cùm tot « hominum millia inter illum et hunc orta « sint. Ideò manifestum est ad illum pertinere « omnem, qui ex illâ successione propaginis « nascitur : sicut ad istum pertinet omnis qui « in illâ gratiæ largitate nascitur. Unde fit ut « totum genus humanum quodammodò sint « homines duo, primus et secundus. » Scitè elicit ex Apostolo totum genus humanum non esse nisi homines duos, primum et secundum, Adamum et Christum. Omnes enim scelesti membra sunt Adæ, omnes pii membra sunt Christi. Ergo secundus homo Christus non traxit moras, non feriatus est, non tarditate gratiam suam commendatam voluit, non dilatione, non tergiversatione beneficium suum corrupit, sed ut primùm lapsus est Adam, et contagione vitiatæ originis virus suum universitati seminis sui infudit, protinùs adfuit Christus, non totus, quia nec totus tum erat Adam, sed quantus reparandæ labi sufficiebat. Quin ut inspirata divinitùs sapientia testatur, adfùit Adamo ipsi sapientia Christus, et ex foveâ illâ eum eduxit, et ejus proli Abelo, Setho, aliisque medicinalis gratiæ suæ uberem largitus est copiam, et in sua ipsius membra hos omnes sibi adscivit et agglutinavit. Usque adeò igitur primi hominis luem secundus non distulit adventu suo curare, ut in ipsum primum hominem secundus invaserit, suo ipsum corpori inseruerit, et jam indè nunquàm destiterit corporis sui amplitudinem et membrorum suorum numerositatem et quamdam infinitatem explicare.

14. Non obloquimur capitis nostri singularibus ornamentis, quin damus operam pro virium modulo toto hoc opere, ut ejus majestas et opulentia quàm fieri poterit accuratissimè propaletur. Sed ejus amplitudinem non

injuriâ interpretamur ex omnium etiam ejus membrorum infinitâ quâdam effusione. Itaque nobis Christus occurrit, ut unus omnes justos complexus, ut genus justorum omne unus ipse ; ut quidquid ubique justus quilibet piè et fortiter facit vel patitur, faciens ipse vel patiens unus ; ut denique universitas sapientiæ et justitiæ plenitudo infusa humano generi, et per membra omnia sibi conserta explicans sese exertansque. Quando enim nostris mederi erroribus, seque carnem humanam induere paterno Deus misericordiæ consilio statuit, non illi uni consultum singulariter volebat humanitati, quam suæ Verbum hypostasi copulavit, sed universitati electorum prospiciebat, cui cùm concorporari decrevisset, non potuit illi ut membrorum suorum multitudini se insinuare ita ut non conspicui hujus sui corporis caput aliquod conspicabile et ipsum sublimaret, eique ita se infunderet, ut ex eo in reliqua se diffunderet membra. Ergo divina charitas in beneficii sui universalitatem intuebatur, et electorum generalitati divinas opes divinitatis ipsius illapsione dilargiri satagebat. Non immeritò ergo Verbum incarnatum Christus illa prædicatur esse piorum et sapientûm universitas, tanquàm unus homo catholicus plenitudine deitatis et gratiæ delibutus, cujus vita, cujus gesta fines terræ quaquà patet, et omnia seculorum volumina occupârunt. Quid ergo attinet quærere, quando venerit, aut cur non seriùs, vel temporiùs? Semper enim venit, qui semper fuit, et est, et erit. Quorsùm angi, quo potissimùm loco et tempore caput ipsum hujus corporis se conspiciendum præbuerit? Nam quocumque demùm loco vel tempore caput extiterit, nihilo seciùs membra sua quaquà versum sparsa, sed sibi tamen cohærentia, eâdem facilitate vegetat, eâdem largitate locupletat. Quorsùm sollicitari de capitis adventu, cùm singulorum salus corporis Christi universitati illigata sit? Itaque nostrâ interest ut in nos et per nos veniat, id elaborandum, id urgendum est; sibi autem venerit caput, ubi et quando collibitum fuerit; perinde enim vitæ spiritalis fluenta in nos derivabit, quòd nec locorum nec temporum res ista sit. Augustinus : « Proinde ipse Dominus Jesus loquitur in istâ prophetiâ, sed quædam in membris suis et unitate corporis sui, tanquàm in uno quodam homine diffuso toto orbe terrarum, et succrescente per volumina seculorum : quædam verò in seipso capite nostro. » En quis sit Christus, unus homo diffusus toto orbe terrarum et succrescens per volumina seculorum. Et rursùs : « *Miserere meî, Domine, quoniam ad te clamavi totâ die.* Non unâ die, totâ die, omni tempore intellige : ex quo corpus Christi gemit in pressuris usque in finem seculi, quò transeunt pressuræ, gemit iste homo et clamat ad Deum; et unusquisque nostrûm pro portione habet clamorem suum in toto isto corpore. Clamâsti tu diebus tuis, et transierunt dies tui; successit tibi alius, et clamavit diebus suis; et tu hîc, ille alibi. Corpus Christi totâ die clamat sibi decedentibus et succedentibus membris. Unus homo usque in finem seculi extenditur. » En quis sit Christus, unus homo ubique terrarum diffusus, usque in finem seculi ab exordio extensus, clamans ad Deum, particeps omnium sapienter et castè timentium, hoc est, diligentium Deum, quia sapientes et justi omnes ejus participatio, ejus particula sunt. Et rursùm : « Unus homo cum capite et corpore suo Jesus Christus, etc. « Si in membris Christi es, quicumque homo, quidquid pateris ab eis qui non sunt in membris Christi, deerat passionibus Christi. Ideò additur, quia deerat, mensuram implens, non superfundens. Tantùm ergo pateris, quantùm ex passionibus tuis inferendum erat universæ passioni Christi, qui passus est in capite nostro et patitur in membris suis, id est, in nobis ipsis, ad communem hanc quasi rempublicam. Nam quisque pro modulo nostro exsolvimus quod debemus, et pro posse virium nostrarum quasi canonem passionum inferimus, paratoria plenaria : passionum omnium non erit finis, nisi seculum finitum fuerit. Quidquid passi sunt Prophetæ à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, appositum est super hominem, quia præcesserunt adventum incarnationis Christi quædam membra Christi : sicut in nascente quodam, nondùm quidem procedente capite præcessit manus, sed tamen capiti connectebatur et manus. » Exporrige et amplifica sinum animi tui et cogitationum ad hanc Christi amplitudinem, et dubitatiuncularum angustiis te facilè expedies.

15. Ne unum opineris Augustinum contemplatione hâc corporis Christi per omnia loca, per omnia secula expansi delectatum esse, cursim ad alios etiam Patres deflectemus, tum Græcos, tum Latinos, eosque comperiemus eâdem admiratione perfusos. Ambrosius impios quo-

quein unum hominem coalescere narrat: «Quis «contentus est suo? Cujus non inflammat «divitis animum vicini possessio? Non igitur «unus Achab natus est, sed quod pejus est, «quotidiè Achab nascitur, et nunquàm huic «seculo moritur. Si unus occidat, assurgunt «plurimi: plures qui rapiant quàm qui amit- «tant. Non unus Naboth pauper occisus est: «quotidiè Naboth sternitur, quotidiè pauper «occiditur.» Et infra: «Quid enim aliud in «illâ historiâ, nisi divitum avaritia describitur, «quæ est vanum profluvium, quod omnia «fluvii more rapit et nulli usui profutura «traducit? Hæc est Jezabel illa, non una, sed «multiplex; non unius temporis, sed tempo- «rum plurimorum; hæc omnibus dicit, sicut «illa dixit viro suo Achab: *Surge et manduca*, «etc.» Nulla est avaritiæ, nulla impietatis substantia, cui omnes ejus consortes conglutinentur et in unum concrescant corpus; et tamen imitatione, unum quasi corpus compingitur omnium flagitii societate devinctorum; quanquàm flagitii sit non tam consociare et adunare, quàm divellere et committere. At verò justitiæ et sanctitatis substantia sursùm est, et summè est, et una est, et summè una atque unifica est: quapropter non possunt, quicumque illi conglutinantur, aut eâ vegetantur, non in unum et strictissimè unum corpus coagmentari. Idem rursùs: «Potest tamen et «hîc in uno accipi species generis humani. «Fuit Adam, et in illo fuimus omnes. Periit «Adam, et in illo omnes perierunt.» Non sine ingenti jacturâ aut compendio experimur quàm sint omnes homines unus homo, seu mali malus, seu boni bonus. Omnes enim fuimus ille unus qui peccavit. In illo fuimus, et ille fuimus: unde et illo pereunte periimus, qui illo permanente permansissemus. Non acutè, non tenuiter hoc dictum est, non acuminis nostri specimen, sed experimentum, sed certissima et solidissima veritas, sed rerum natura ita habet, omnes unus fuimus, in illo peccavimus, in illo periimus. Ergo ille Adam qui tum deliquit et periit, superstes adhuc est, et ad exitum usque seculi perpetuabitur ubique terrarum jacens, non magis mole corporis, quàm mole miseriæ mirabilis et miserabilis. Efficacior est ad copulandum et ad vegetandum justitia, quàm injustitia. Ergo et Christus in membrorum omnium compage unus est, seculorum locorumque universâ amplitudine ulterior.

16. Sed corporis Christi interminatam vastitatem idem Ambrosius pulchrè alibi prosequitur, ubi verba Pauli exponit, aientis, cùm Christo fuerint omnia subjecta, tunc et ipsum subjectum iri Patri: «*Quomodò ergo subjecta* «*erunt, sic utique quomodò ipse Dominus dixit:* «*Tollite jugum meum super vos*, etc. Ideò sub- «jecta ante non erant omnia, qui nondùm re- «ceperant sapientiam Dei, etc. Dicet aliquis: «Ergo jam subjectus est Christus, quia plurimi «crediderunt? Minimè: quia non in paucis «est Christi subjectio, sed in omnibus. Sicut «enim si in me concupiscat adhuc caro ad- «versùs spiritum, spiritus autem adversùs «carnem, non videor esse subjectus, etsi ex «parte sim subditus, ita quia omnis Ecclesia «unum corpus est Christi quàmdiù genus dis- «sentit humanum, Christum dividimus. Non- «dùm ergo subjectus est Christus, cujus non «sunt adhuc subjecta membra. Cùm autem «fuerimus non multa membra, sed unus spi- «ritus, tunc et ipse subjectus erit, ut per ejus «subjectionem sit Deus omnia in omnibus.» Audin' Christi subjectionem non in paucis esse, sed in omnibus? Nec enim paucitas, sed universitas corpus ejus est. Ergo quia ab initio jugum ejus subîêre quidam, quia sapientiam jam tum quidam recepêre, quia Adamus ipse jugo sapientiæ superbam tandem inclinavit inseruitque cervicem: jam tum Christus cœpit Patri subjici, quia jam tum cœpit aliquos sibi subjicere. Non ergo tum desiderabatur Christus, qui tum erat, tum corpus suum fundabat, tum Patri subjici incipiebat. Et exinde magis magisque subjici perseveravit, in aliis et aliis membris suis, quod humanæ saluti abundè est. Ne ergo adventus ejus quasi tardior incusetur, qui semper fuit, cujus semper aliqua portio adfuit. Universitas enim non tota semel unquàm venit, nisi cùm jam pervenit et venire destitit. Ne nostras angustias Christo impingamus. Sic venit, ut universitas, ut infinitas venit. Locorum infinitas ubique tota est, hîc illicque per portiones sui adest, sed nusquàm deest. Temporum universitas semper est, nunc vel tunc sui segmentis implet, sed nusquàm deest. Sapientia Christus de censu incircumscriptæ majestatis habet, ut omnia in omnibus adimpleat, et omnia in omnibus adimpleatur. Quod enim sui impartit, non à se desecat, sed quibus impartit, eos sibi adunat. Unde idem Ambrosius: «Uterque eramus in Christo, in quo et summa «universitatis et portio singulorum est.» Et eleganter alibi: Rectè ergo fermento Dominus «comparatur, qui cùm esset specie homo, hu-

« militate parvus, imbecillitate dejectus, tantâ « intrinsecùs sapientiæ virtute pollebat, ut « doctrinam ipsius mundus ipse vix caperet, « qui cùm se caput per totum orbem divinita- « tis vigore diffundere, statim omne hominum « genus in substantiam suam suî potestate sub- « traxit, ut et jugum Spiritûs sui sancti in- « funderet omnibus, hoc est, Christianos cun- « ctos faceret esse quod Christus est. Nam « quòd homo Dominus Jesus unus et solus es- « set in mundo, tanquàm fermentum in massâ « reconditum, universos homines præstitit « esse quod ipse est. » Quid tantoperè laboras quo massæ loco condatur fermentum, dùm tota illi massa peræquè subigatur et concres- cat? Sapientiæ vigor nullo locorum fine clau- ditur, nullo temporum lapsu exhauritur; in longinqua perinde jaculatur ut in proxima; plerùmque propinqua præterit, et in procul dissita radiat. Quin longinqua propinquaque ipsi sunt omnia, non locorum temporumve legibus, sed animorum moribus. Propè abest sapientia cordatis ubicumque et quandocum- que sint, longè abest excordibus; illis enim inest, his deest; et hoc est adesse, vel abesse. Itaque illis incarnatus est, illis passus, illis revixit, qui inter mundi vel initia vel excidia, justitiæ ejus se addixêre; nequaquàm autem illis qui corporalia hæc ejus sacramenta oculis contuiti, animis aversati sunt. Denique idem Ambrosius unam esse Christi vitam pronun- tiat, quæ per justos omnes vivit, non suam ipsorum quolibet, sed Christi vitam in seipso explicante. « Itaque septima mundi ætas con- « clusa est, octava illuxit gratia, quæ fecit ho- « minem jam non hujus mundi esse, sed supra « mundum. Jam enim non vitam nostram, sed « Christum vivimus. Nobis enim *vivere Chri- « stus, et mori lucrum.* Itaque jam non in carne, « sed in fide vivimus Christi. Unde colligimus, « quia conclusus est mundi dies. Denique no- « vissimâ horâ venit Dominus Jesus, et *pro no- « bis mortuus est, et omnes in illo mortui sumus, « ut vivamus Deo.* Non ergo nos qui oramus, « vivimus, sed vivit Christus in nobis. » Quæ ita physicè et verissimè habere experti nô- runt, qui suam à se vitam quotidiè ejurari et expugnari conscii sibi sunt: inspirari autem vitam aliam, cœlestia spirantem, mente et corde toto sursùm anhelantem, verè vitam non hominis terreni et terrenis addicti, sed vitam sapientiæ et justitiæ, vitam Christi. Expertus hæc probè callebat Paulus, callet et omnis Pauli imitator, aut præsultor, cum eo dicere potis: *Mihi vivere Christus est; vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Christus. Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Con- versatio nostra in cœlis est, ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* Expertus hæc affirmabat Ambrosius, qui ait, ideò novissimâ horâ venisse Christum, et conclusum jam esse mundi diem, et se- ptimâ corruptibilium vicissitudinum ætate præterlapsâ, octavam illuxisse gratiam, quâ solâ degitur Christi in omnibus vita, quasi jam pateat beata patria, cujus hæc summa felicitatis est, ut vitam Dei vivamus. Nec id quidem temerè: nam vita Dei quam beati vivunt, vita patriæ felicis, non alia est quàm sapientiæ et justitiæ exuberantissima; quam cùm delibare et haurire pro suo quisque mo- dulo hinc jam justi præsumant, illam utique Dei, illam Christi vitam vivunt. Denique indu- bitatiora hæc fient, si memoriâ repetantur, quæ alibi de vitâ et sanctitate divinâ sanctas animas illabente et vegetante disputantur. Li- quidò enim patebit hanc divinam Verbi vitam in hominibus emicuisse, seseque exeruisse, quamdiù justi ulli Christi sanguine redempti ævum hoc mortale traduxerunt.

17. Hieronymus eadem prorsùs sentit: « Hæres iste parvulus, qui *nihil differt à servo, « cùm sit Dominus omnium,* totum humanum « genus usque ad adventum Christi, et ut am- « pliùs dicam, usque ad mundi consummatio- « nem significat. Quomodò enim omnes in pro- « toplasto Adam necdùm nati moriuntur, ita « et omnes etiam hi qui ante adventum Chri- « sti nati sunt, in secundo Adam vivificantur. « Atque ita fit, ut et nos legi servierimus in « patribus, et illi gratiâ salventur in filiis, etc. « Verè enim in Christo omnes unus panis su- « mus, et duo consensimus super terram, » etc. Et hic videtur cum Augustino duos tantùm ho- mines agnoscere, qui omne ævum mundi exhau- riant, primum et secundum Adam, veterem et novum hominem, nec tam temporum discri- mina, quàm causæ consensionem contemplari.

18. Paulinus episcopus Nolanus: « Ipse, in- « quam, Dominus, fecit nos, qui etiam refecit « jam ab initio per omnia quæ operatus est, « et locutus in sanctis suis, salutis nostræ, id « est, reparationis humanæ sacramenta moli- « tus. Nam justum Abelem illicò reparavit « sancta generatio in Seth, qui ore consimili « formatum ad imaginem Dei retulit patrem. « Inde per cæteros à primo fonte decurrens « permanavit vena justitiæ. Et quamvis inter-

« veniente diluvio in uno quidem, attamen « justo universitatis peremptæ seminarium « stetit, jam tunc operante mysterio unici « Redemptoris. » Qui fuerat ergo, ipse reficiebat ab initio Christus, et sacramenta salutis jam inde moliebatur, et erat citra controversiam unus ipse vena illa vitæ et justitiæ à primo fonte decurrens, permanansque in justos omnes. Non deerat ergo Christus, sed ut inexhaustum justitiæ flumen per omnes mundi ætates genus humanum irrigavit. Et rursùs ibidem : « Ab initio seculorum Christus in om- « nibus suis patitur. Ipse est enim initium et « finis, qui in lege velatur, in Evangelio re- « velatur, mirabilis semper et patiens, et « triumphans in sanctis suis Dominus. In « Abel occisus à fratre, in Noe irrisus à filio, « in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus, « in Jacob famulatus, in Joseph venditus, in « Moyse expositus et fugatus, in Prophetis la- « pidatus et sectus, in Apostolis terrâ marique « jactatus, et multis ac variis beatorum mar- « tyrum crucibus occisus. Idem igitur etiam « nunc infirmitates nostras et ægritudinem « portans, quia ipse est homo semper pro no- « bis in plagâ positus et sciens ferre infirmi- « tatem, quam nos sine ipso nec possumus « ferre nec novimus. Ipse, inquam, nunc quo- « que pro nobis et in nobis sustinens mundum, « ut perferendo destruat, et virtutem in infir- « mitate perficiat. Ipse et in te patitur oppro- « bria, et ipsum inde odit hic mundus. » Hanc Paulini elegantiam et suavitatem quis non osculetur? Duo interim argumenta suggerit, quamobrem ab exordio ad occasum orbis unus Christus existimandus sit sapienter et justè vivere, piè et fortiter facere et pati omnia. Primum quidem quòd ubi Abel, ubi Seth, Noe, Abraham, cæterique justi hominum vel odia vel admirationem converterunt in se, sapientiæ et justitiæ quæ in ipsis renidebat, quæ similes demulcebat, quæ exasperabat dissimiles, id totum assignandum sit. Nam ipsi quà portio erant mundi, et de mundo, in eâdem cum cæteris causâ erant. At quà portio erant Christi, reliquorum utpote dissimilium odia, vel similium amorem provocabant. Non ipsi ergo, sed in illis sapientia et justitia Christus hanc totam sustinebat vel odii sævitiam, vel amoris flammam. Itaque justitia Christus in Abel occisus est, in Isaac oblatus, in Joseph venditus, etc. Deinde, ut notat Paulinus, sine Christo hæc tanta cruciamenta pro defensitanoâ justitiâ non poterant justi ferre, nec noverant : ipse ergo in eis sustinebat mundum, ut perferendo destrueret, et virtutem in infirmitate perficeret. Quæ non ergo querelæ jam obstructæ sunt? Nam qui ante Christi adventum contaminatam sceleribus vitam exegerunt, Christi, id est, justitiæ portiunculas insectati sunt, eòque prodiderunt, quantò acerbiore odio in ipsam justitiæ plenitudinem efferbuissent, quantisque desævissent crucibus, si copiam suî fecisset : nec eorum dispares fuêre, qui ipsam per sese veritatem et justitiam in propriâ carne crucifixerunt. Nec enim aliud in Christo Judæi deicidæ execrati sunt, quàm illam eamdem veritatis charitatem, quam eorum majores in Prophetis, quam injusti omnes in justis ubique gentium et omni tempore, odiorum et cruciatuum omni immanitate persecuti sunt et adhuc persequuntur.

19. Gregorius Magnus : « Sicut Redemptor « noster una persona est cum congregatione « bonorum, ipse namque caput est corporis, et « nos hujus capitis corpus, ita antiquus hostis « una persona est, cum cunctâ collectione re- « proborum. » Et rursùm : « Redemptorem « mundi totis suis allegationibus curat sancta « Scriptura promittere, eumque per electos « omnes, ut per ejus scilicet membra, studuit « designare, etc. *A plantâ pedis usque ad verti-* « *cem* vulnera suscepit, quia sanctam Ecclesiam « quæ corpus ejus est, non solùm per extrema « et ultima, sed usque ad summa membra per- « secutione sæviens tentator afflixit. » Christum Scriptura promittebat, et repræsentabat per eosdem ipsos, per quos promittebat. Erant enim illi ut plurimùm non figuræ tantùm Christi, sed membra; non figuræ tantùm, sed veritas. Veritas enim Ecclesia est, idque tam præcellenti gloriâ, ut ejus figuram se quandoque esse ipse Christus caput et veritas præ se tulerit, et etiam nunc in mysterio præ se ferat. Ergo qui promittebatur Christus, repræsentabatur, ne momento quidem temporis interposito. Sicut etiam nunc promittitur simul et tenetur. Promittebatur enim totus cum corpore suo, in eo enim salus universorum nostra constat : non caput solum à corpore sejunctum et viduatum, quo nostra potiùs ruina intentaretur. Et idem Gregorius alibi : « Christus « cum totâ suâ Ecclesiâ, sive quæ adhuc ver- « satur in terris, sive quæ cum eo jam re- « gnat in cœlis, una persona est. Et sicut est « una anima, quæ diversa corporis membra « vivificat, ita totam simul Ecclesiam unus Spi-

« ritus sanctus vegetat et illustrat. Sicut nam- « que Christus, qui est caput Ecclesiæ, de Spi- « ritu sancto conceptus est, sic sancta Ecclesia « quæ corpus ejus est, eodem Spiritu repletur « ut vivat ; ejus virtute firmatur, ut in unius « fidei et charitatis compage subsistat : unde « dicit Apostolus : *Ex quo totum corpus per ne- « xus et conjunctiones subministratum et con- « structum crescit in augmentum Dei.* Istud est « corpus extra quod non vivificat Spiritus. « Unde dicit beatus Augustinus : Si vis vivere « de Spiritu Christi, esto in corpore Christi. » Tam latissimè ergo diffunditur corpus Christi in omnes loci temporisque fines remotissimos, quàm latissimè vegetat et vivificat Spiritus sanctus. Est enim Spiritus sanctus vita corporis Christi, quâ Christus ipse conceptus est, quâ vixit, quâ corpus ejus totum irrigatur, ut vivat. Ab ortu igitur ordis ad ejusdem occasum porrigitur corpus Christi, et vita Christi Spiritus sanctus ; hæc est enim, ut aiebat Paulinus, vena justitiæ, à summo fonte decurrens, et in omnia permanans, quâ rigantur, cui permiscentur et in unum confluunt omnes justitiæ derivationes.

20. Leo Magnus : « *Verum caro factum est et « habitavit in nobis.* In nobis utique quos sibi « Verbi divinitas coaptavit, cujus caro de ute- « ro Virginis sumpta nos sumus, etc. Quia *in « Christo habitat omnis plenitudo divinitatis cor- « poraliter, et estis repleti in illo.* Totum igitur « corpus implet tota divinitas, et sicut nihil « deest illius majestatis, cujus habitatione re- « pletur habitaculum, sic nihil deest corporis, « quod non suo habitatore sit plenum. Quod au- « tem dictum est, *et estis repleti in illo,* nostra « utique est significata natura, ad quos illa re- « pletio non pertineret, nisi Dei Verbum nostri « sibi generis et animæ et corpus unisset. » Caro Christi nos sumus, quos sibi Verbi divinitas coaptavit : cum plenitudine divinitatis inhabitatur Christus, justi omnes in eo replentur, quia in commune à membris omnibus omnia possidentur, et capitis opulenta gratia, non ei ita peculiaris est, quin eam ut suam singulæ partes corporis ausint sibi vindicare suo quasi jure. Corpus ergo Christi justi sunt singuli atque omnes ab exortu rerum, quia justi non extitissent, nisi illos sibi divinitas jam tum à venturo post capite vegetatos coöptâsset et inhabitâsset. Et alibi idem Leo : « Non est ergo dubium naturam humanam in « tantam connexionem à Filio Dei esse susce- « ptam, ut non solùm in illo homine, qui est « primogenitus totius creaturæ, sed etiam in « omnibus sanctis suis unus idemque sit Chri- « stus ; et sicut à membris caput, ita à capite « membra dividi non possint. Quanquàm enim « non istius vitæ sit, sed æternæ, ut sit Deus « omnia in omnibus, tamen etiam modo tem- « pli sui, quod est Ecclesia, indivisus habi- « tator est. » En incarnationis quanta sit am- plitudo, ut non solùm in illo homine, qui primogenitus est, sed etiam in fratribus ei adoptatis, in membris, in sanctis omnibus unus sit Christus, ut qui omnes ad illam suo quisque gradu et modo pertineant cum Verbo copulationem. Ergo Christus nusquàm orbi defuit.

21. Ex Mario Victorino Afro carpi aliquid summatim juvabit forsitan ; nam ne plura ex eo metantur, intercedit impervia quædam opacitas. Adversùs Arium hæc ille habet in hanc sententiam : « Unde non mirum, quòd myste- « rio sumpsit carnem, ut carni et homini sub- « venerit ; sed cùm carnem sumpsit, univer- « salem λόγον carnis sumpsit. Nam idcircò « omnis carnis potestas in carne triumphavit, « et idcircò omni subvenit carni, ut dictum « est in Isaiâ : *Videbit omnis caro salutare Dei ;* « et in libro Psalmorum : *Ad te omnis caro ve- « niet.* Item et universalem λόγον animæ, etc. « In Ezechiele : *Omnes animæ meæ sunt, ut ani- « mæ Patris, sic et anima Filii,* etc. Assumptus « ergo homo totus, assumptus et liberatus est. « In isto enim omnia universalia fuerunt, uni- « versalis caro, anima universalis, et in cru- « cem sublata atque purgata sunt per salu- « tarem Deum λόγον, universalium omnium « universalem ; per ipsum enim omnia facta « sunt, qui est Jesus Christus. *Logos* igitur « quæ sunt, quæque esse possunt, quæve esse « potuerunt, veluti semen ac potentia, existen- « tia, sapientia, ac virtus omnium substantia- « rum de Deo, » etc. Non necesse est ad alium hæc sensum distrahi, quàm supra jam sæpiculè insinuatum, omnes homines ad illam Verbi copulam cum humanitate, et profluentes inde opes spectare, suo quemque ordine et modulo. Ratio autem à Mario Victorino ea promitur, quæ jam indigitata est, quòd Verbum universale sit omnium universalium, quòd ratio, quòd potentia, sapientia, sanctitas omnis sit et omnium ; quòd non possit universali Verbo angusta habitatio definiri, sed necessariò universalitas ipsi corporum animarumque dedicanda sit, ut si corporascere et humanari velit, homo fiat universalis, amplissimus, quasi infinitus, omne genus humanum complexus, sub uno ipso capite adunatum.

22. Etherius et Beatus : « Et solus Filius est « homo, qui cum Patre et Spiritu sancto unus « est Deus. Non cum Patre et Spiritu sancto « unus est homo, sed cum Ecclesiâ totâ unus « est homo, quia caput et corpus una persona « est Christus. Ergo nemo dicat : Et ille Chri- « stus et nos Christi ; et nos unde dicimur « Christi, nisi à Christo ? » Et infra : « Absque « mendacio matrem habet naturaliter virgi- « nem, et non sic alter homo præter eum cum « totâ Ecclesiâ quam redemit sanguine suo, « una persona ex tribus substantiis Christus. « Qui cum Patre et Spiritu sancto est una sub- « stantia, non una persona : sed tres sunt per- « sonæ. Cum toto homine Adam quem assum- « psit, ipse solus est una persona, et non una « substantia. » Huic personæ Christi totam complexæ Ecclesiam ne limites, ne moras, ne absentiam affingas : ejus enim vastitas effusis- sima has recusat angustias. Prosper in Sen- tentiis : Primus homo Adam sic olim defunctus « est, ut tamen post illum secundus homo sit « Christus, cùm tot hominum millia inter illum « et hunc orta sint, etc. Unde fit ut totum ge- « nus humanum quodammodò sint homines « duo, primus et secundus. » Quæ probè me- ministi ex Augustino supra esse relata verbis totidem.

23. Claudet agmen Latinorum Cusanus præ- clarissimâ suffragatione, quam decerpsimus ex ejus lib. 3 Exercitationum : « Habemus igi- « tur Salvatorem, qui est mediator, omnia « adimplens, primogenitus creaturarum. Hic « Jesus à mundi exordio in salvatis membris « suis unicam vocem emisit, et gradatim cre- « scentem, quousque maxima fieret in ipso, « quando expiravit. Et hæc quidem unica vox « est, non esse vitam nisi in Verbo. Et sicut « mundus exivit in esse per Verbum, ita qui- « dem in esse per Verbum conservatur et « reducitur ad principium. Hæc autem re- « versio est, ut inferiora per superiora re- « ducantur ordine suo, primitiæ autem om- « nium Jesus. Non possunt inferiora ad gustum « felicitatis reverti, nisi desinant esse inferiora « et spurca, ut sic sint spiritalia et apta. Ne- « cesse est igitur si ad gustum felicitatis æter- « næ reverti volumus, ut veritatem vitæ in « suâ puritate et justitiâ huic temporali sensi- « sibili motioni præferamus. Hæc est illa magna « vox, in mentibus nostris sonans, mentibus « nostris à Prophetis insinuata, ut Creatorem « unicum veneremur, ut virtutem colamus, ut « ad Salvatorem confugiamus in quo apti si- « mus, ut sensibilem vitam nihili faciamus. « Postquàm hæc vox annis multis insonuit, et « continuè crevit usque in Joannem, qui *vox « clamantis* erat *in deserto* et digito Salvatorem « ostendit : vox illa magna incarnata est, et « post multos gradus vocis, doctrinæ et mira- « culorum, omnium terribilium terribilissi- « mum, mortem scilicet sensibilem, propter « veritatem eligendam esse ostendens, *emissâ « voce magnâ expiravit.* » Quo Cusani dicto ni- hil equidem exertius, nihil magnificentius me legere usquàm in hoc genere memini. Docet autem totum Christum non aliud esse quàm Verbum incarnatum, hoc est, vocem substan- tialem carnali totâ suâ dispensatione vocife- rantem et inclamantem in aures humani gene- ris, fugâ temporalium ad æterna velificandum esse, vitam hanc sensibilem vitæ justitiæ et veritati posthabendam et impendendam esse. Porrò ea ipsa vox id ipsum et ante intonuit per omnes Prophetas, per omnes ubique jus- tos, quorum vita et ratio conversationis in propatulo hoc effabatur, cupiditates tempora- lium elidendas, ut sola efflorescerat charitas æternorum. Vox ergo illa una et universalis à lapsu primorum parentum per omnium justo- rum jugem perpetuamque conversationem per- strepens, et augescens semper, et demùm in ipsâ Christi morte vehementissimè invalescens, quando emissâ voce magnâ expiravit, invi- ctamque veritatis et justitiæ vitam in ipsâ cor- poris cruciatione atque interfectione vivere testificatus est, hæc, inquam, vox, Christus fuit, hæc æterni Verbi dispensatio in carne fuit, et per carnem provocatio ad æternita- tem, hæc Christi fuit prædicatio nullis seculis non subministrata.

24. Quæ Cusani sententia memoriam refri- cuit pulcherrimi apud Gregorium papam con- textûs, eòdem ferè recidentis. Quando ergo suffugerat nos ne suo supra loco memorare- tur, hìc non ineptè collocabitur. « Libet inter « hæc mira dispensationis divinæ opera cer- « nere, quomodò ad illuminandam noctem vi- « tæ præsentis, astra quæque suis vicibus in « cœli faciem veniant, quousque in finem no- « ctis Redemptor humani generis quasi verus « Lucifer surgat, etc. Ad ostendendam inno- « centiam venit Abel, ad docendam actionis « munditiam venit Enoch, ad insinuandam « longanimitatem spei et operis venit Noe, ad « manifestandam obedientiam venit Abraham, « ad demonstrandam conjugalis vitæ castimo- « niam venit Isaac; ad insinuandam laboris to-

« lerantiam venit Jacob, ad rependendam pro « malo bonæ retributionis gratiam venit Jo- « seph, ad ostendendam mansuetudinem venit « Moyses, ad informandam contra adversa fidu- « ciam venit Josue, ad ostendendam inter fla- « gella patientiam venit Job. Ecce quàm ful- « gentes stellas in cœlo cernimus, ut inoffenso « pede operis, iter nostræ noctis ambulemus. » Quæ Cusano vox, ea Gregorio lux, nec injuriâ, est enim Verbum idem et lumen verum. Omnium virtutum, totius sapientiæ et justitiæ officiorum una universalis vox, eademque lux Christus est, loca omnia circumsonans, tempora omnia pertonans, omnia illuminans per justos quoslibet, id est, per sui luminis radios, per suæ vocis sibilos, et humani generis irrumpens surditatem, cæcitatem oppugnans. Porrò hi radii solem, hi sibili vocem plenissimam promittebant adfuturam, et ex parte jam exhibebant; etenim membra corpus, partes totum, rivuli fontem ita pollicentur ut in antecessum repræsentent. « Nam cognitioni homi- « num divina dispensatio quot justos exhibuit, « quasi tot astra super peccantium tenebras in « cœlum misit, quousque verus Lucifer surge- « ret, qui æternum nobis mane nuntians, cæ- « teris clariùs ex divinitate radiaret. Quem « electi omnes dùm benè vivendo præeunt, et « rebus, et vocibus prophetando promiserunt. « Nullus enim justus fuit, qui non ejus per « figuram nuntius extiterit. Dignum quippe « erat, ut in semetipsis bonum omnès osten- « derent, de quo omnes boni essent, et quod « prodesse omnibus scirent. » Non nuntius autem tantùm, sed et portio Christi erat justus quisque: nuntius quippe vocis vox est, et nuntius lucis lux est. Nec enim vox nisi voce significari, nec lux nisi luce præmonstrari potest. Sed vocis majestas levi sibilo, et lucis infinitas brevi radio potest præsignari, sic tamen ut simul ex parte et membro sui aliquo consignetur. Itaque Christus Verbum universale et lumen, semetipsum et prænuntiabat, et jam tum præstabat.

25. Libemus nunc paucula è Græcis, à superioribus haud abhorrentia. Irenæus: « Cùm « enim et ipsi Prophetæ membra essent Christi, « unusquisque eorum secundùm quod erat « membrum, secundùm hoc et prophetationem « manifestabat, omnes et multi unum præfor- « mantes, et ea quæ sunt unius annuntiantes. « Quomodò enim per nostra membra operatio « quidem nostri corporis ostenditur, figura au- « tem totius hominis per unum membrum non « ostenditur, sed per omnia; sic et Prophetæ « omnes quidem unum præfigurabant, unus- « quisque autem eorum secundùm quod erat « membrum, secundùm hoc et dispositionem « adimplebat, et eam quæ secundùm illud mem- « brum erat, operationem Christi prophetabat. » Vaticinabantur Christum, sed membra Christi; ergo semet ipse vaticinabatur, qui præstò aderat per aliqua saltem sui membra. Vaticinari enim ac despondere Christum non poterat, nisi Christus. Vocem significare nisi vox, lucem ostendere nisi lux, veritatem propalare nisi veritas, sapientiam demonstrare nisi sapientia, justitiam promittere nisi justitia non potest. Est enim ea natura vocis et lucis, ut ipsa sese prodat; est ea utriusque dignitas, ut nisi semet ipsa non prodat. Est similiter veritas lux, quæ nisi suo in lumine videri nequit. Ita sapientiam et justitiam expectare aut expectandam extollere, id jam sapientiæ specimen, ea justitiæ quædam præsumptio est. Per sui ergo quædam initia se totum affore Christus spondebat, propterea quod ita comparatum impræsentiarum est, ut gradatim ad boni cumulum promoveamur, et rudimenta ipsa sapientiæ gnaviter excolentes, certâ hinc spe et fiduciâ ejus pleniorem copiam non defore ominemur. Tota enim venit, quæ sui minutias pro nostro captu in antecessum, quasi ad gustum faciendum vel ad irritandam sui famem ex hâc prægustatione largitur.

Origenes: « Apostolus dicit: *Quia corpus « Christi sumus et membra ex parte.* Christus « ergo cujus omne hominum genus et fortasse « totius creaturæ universitas corpus est, et « unusquisque nostrùm *membra ex parte est*, « etc. » Universitas totius creaturæ utcumque dici potest corporatio quædam esse, et ita corpus æternæ et intelligibilis sapientiæ, quæ non aliter in carnalium oculos incurreret, nisi hâc se veste totius creaturæ sensibilis, et hâc veluti carne obducens, conspicabilem se et penè palpabilem objecisset. Sed humanum genus Christi corpus est jure quodam speciali, atque inter homines grex fidelium. Unde idem Origenes: « Dicimus ex auctoritate sacræ Scri- « pturæ, corpori Christi, quod est Ecclesia Dei « pro animâ esse Dei Filium, membra autem « universi corporis esse quoscumque fideles. « Quoniam sicut anima vivificat et movet cor- « pus, quod ex seipso vivum motum non ha- « bet, ita Verbum illud mirâ energiâ corpus « suum incitans, ad ea quæ debet facere, mo- « vet simul membra Ecclesiæ omnia, nil sine

« ratione facientia. » Hoc corpus Christi est Ecclesia fidelium, cui pro animâ est Verbum Dei. Hæc amplitudo corporis Christi nusquàm abest, nunquàm deest. Quò enim non pervadit hæc anima? Quando hoc corpus defuit orbi terrarum? Denique quàm nusquàm et nunquàm abesse possit Christus, eruditissimè exponit idem alibi Origenes : « Ergo primùm « quæramus de peregrinatione ipsius, maximè « quia peregrinationi ejus videtur esse con- « trarium, quod ipse de se discipulis suis pro- « mittit dicens : *Ubi fuerint duo vel tres congre- « gati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* « Item illud : *Ecce ego vobiscum sum omnibus « diebus usque ad consummationem seculi.* Et « quod Baptista dicit de eo, ubique eum esse « demonstrans : *In medio autem vestrûm stetit, « quem vos nescitis.* Propterea dicet aliquis : « Si in medio etiam nescientium se stat, si « *ubicumque duo vel tres* in nomine ejus *congre- « gati* fuerint, inter eos habetur, si per omnes « dies vitæ discipulorum cum eis est, *usque « ad consummationem seculi,* quomodò in istâ « parabolâ proponitur peregrinans? Vide si « possumus solvere hoc modo quod quæritur. « Qui enim dicit discipulis suis : *Ecce ego vo- « biscum sum,* etc. Et item : *Ubi fuerint duo,* etc. « Et : *In medio,* etc. Unigenitus Dei est, Deus « Verbum, et sapientia, et justitia, et veritas, « qui non est corporeo ambitu circumclusus. « Secundùm hanc divinitatis suæ naturam non « peregrinatur, sed peregrinatur secundùm « dispensationem corporis quod suscepit. » Et paulò infra, cùm corpus Christi non esse ubique dixisset : « Si autem peregrinantes à cor- « pore cum Domino fuerimus, et ipse tunc erit « nobiscum, et pro eo quòd per fidem ambu- « lavimus, ut et per speciem postea ambulemus. « Speciem autem dicimus Verbi et sapientiæ, « et veritatis, et justitiæ, et pacis, et omnium « quidquid est unigenitus Deus. Speciem au- « tem Verbi et speciem sapientiæ intelliges cùm « intellexeris quod ait Apostolus : *Filioli mei, « quos iterùm parturio, donec formetur Christus « in vobis.* » Vides ut ubique præsens sit Chri- stus, nempe ut anima corporis sui quod est Ecclesia, ut Verbum, ut sapientia, ut veritas. Ita enim formatur in nobis, ita in medio est nostrûm, ita interest cœtibus suorum, ita no- biscum est usque ad consummationem seculi. Atqui ita etiam intererat aderatque ante pro- priam suam carnem; ergo nec ab illis seculis peregrinabatur. Est nimirùm veritas et justitia incommutabilis Verbum Deus anima Ecclesiæ, quæ semper fuit; est forma et vita justorum, quorum etsi non ampla, aliqua tamen semper fuit copia; est corporis Christi non universi tantùm, sed membrorum etiam omnium ve- getatio. Et quanquàm per carnis semel de Virgine assumptæ fonte fluant hæc in cæte- ros homines Verbi beneficia, non illa tamen seorsim caro, sed *spiritus est qui vivificat,* ab illâ carne etiam ante illam retrò manans, et ubi illa abest, præsens.

27. Dionysius Alexandrinus in Epistolâ ad versùs Paulum Samosatenum, ad quintam ejus quæstionem respondens, et exponens, quî puer Christus cresceret sapientiâ et gratiâ, quod ille veritatis transfuga ad enervandam divinitatis ejus fidem objectabat, hæc habet : « *Crescebat et confortabatur :* et nos interrogas « quare et quomodò? Interroga Danielem, cùm « dicit : *Lapis scissus est ex monte sine manibus;* « et subjungit : *Postquàm fregit statuam, factus « est lapis mons magnus,* etc. Vide quid Joan- « nes Baptista dicat : *Qui habet sponsam sponsus « est;* et paulò post subjungit de Deo crescen- « te : *Illum oportet crescere, me autem minui.* « Usque in hodiernum diem Verbum Dei currit « et glorificatur, et crescit ac multiplicatur in « Ecclesiâ sanctorum. Postquàm enim venit « homo in mundum, si vita ejus est, verbi « gratiâ, unus dies, qui ex duodecim horis « constat, fluxerint verò duæ horæ illius diei, « deficit qui natus est. Non enim accessio ho- « rarum aut annorum est accretio illius homi- « nis, sed potiùs quotidiè deficit. Puer autem « Jesus Deus Israel, Deus est idem ipse, *et anni « ejus non deficient,* etc. Verbum Patris est, « quod in novissimis diebus genitum est, et « auxit, et auget in nobis illuminationem « suam. Accretio igitur Dei, ad Ecclesiam per- « tinet. Scriptum est enim, quòd *Ecclesia Dei « per totam Judæam et Samariam habebat pa- « cem, et ædificabatur, et ambulans in Verbo « Domini et consolatione Spiritûs sancti multipli- « cabatur.* Crescit igitur Verbum Domini quo- « tidiè, et multiplicatur Spiritus sanctus in « Ecclesiâ Dei. Non igitur homo sicut nos erat, « qui crescebat ætate et sapientiâ, sed Deus « genitus puer et datus nobis Filius æternus, « qui erat ante secula et verè nobis crevit, et « crescit quotidiè, *et anni ejus non deficient.* « Immutabilis est enim Christus, utpote Deus « Verbum. » Libuit hæc aliquantò fusiùs excer- pere, ut tantò major cieatur admiratio, quòd nodum illum non alio cuneo perfringat Dio- nysius. Nec enim illum præteribat corpus illud

peculiare, cui Verbi divinitas per hypostaticam se illigavit copulam, naturalibus incrementis per ætatum intervalla in molem ampliorem succrevisse, et sapientiæ documenta in dies illustriora foris explicavisse, ne portentosâ alioqui novitate vel homines alienaret, vel propositum humilitatis infringeret; si inter cunas sapientiam virilem et virili etiam depromeret ampliorem. Hæc obvia et expeditissima erat responsio, et abundè Pauli Samosateni retundendis conatibus suffectura. Nec tamen ad eam unquàm declinat Dionysius. Quinimò cùm ejusdem generis argumentatiunculas complures idem ad divinitatem ex humanitatis infirmitatibus labefactandam torqueret Paulus, vix unquàm ac ne vix quidem aliter Dionysius, quàm hoc eodem responsionum genere eas repercussisse comperietur, corpus Christi Ecclesiam interpretando. Et hæc quidem ratio, video quantas in hominum reprehensiones incursura sit, nisi auctoritate tanti viri, et æstimatione atque famæ ejus in posteros propagatæ magnitudine obtrectatorum conteratur audacia. At quibus cordi est Christi amplitudo, quibus explorata est ejus necessitudo cum Ecclesiâ, quibus sacramenti ejus universalitas perspecta satis est, ii non tam arrodendam quàm admirandam Dionysii theologiam intelligunt. Incrementa enim ætatis et sapientiæ in Verbo incarnato non tam ea exaggeranda erant, quæ in proprio et singulari corpore ab eo explicabatur, quàm quæ in universo Ecclesiæ corpore. Ut enim illud corpus hujus corporis, ita illius incrementum hujus sacramentum erat incrementi et præfiguratio: ut illud corpus huic impendebatur, ita illud incrementum huic serviebat. Illud corpus erat humilitatis, illa incrementa erant obscuritati dicata; hoc corpus est gloriæ, hujus incrementa majestatem deitatis ejus toto orbe concelebrant. Inficianti ergo divinitatem Verbi, Christi majestatem imminuenti et inter homunciones meros eum recensenti propter illa ætatis et sapientiæ augmenta, opportunè admodùm ingerebantur à Dionysio ea Christi incrementa in universæ Ecclesiæ corpore, ex quibus ejus divinitas conspicuè elucesceret. Ita enim resipiscunt quandoque veritatis adulteri et interpolatores, dùm non tam tricandi et disputandi acumine, quàm ingestâ ob oculos mysterii majestate percelluntur. Et ex adverso in errorem plerùmque deviant, qui sacramenti amplitudinem suspicere et admirari pigrescentes, in solis tricari et jurgari litteræ ambagibus eligunt. Ergo si Dionysio animum adjiciamus, Verbo Deo qui sapientiæ et gratiæ universitas est, corpus universale Ecclesiæ adaptandum est, in quo infinitatem suam exporrigat, quo locorum temporumque fines remotissimos superet, in quo sapientiæ et gratiæ flumina in dies singulos uberiora profundat, atque ita se Deum verum prodat, qui nusquàm et nunquàm defuerit, qui infiniti corporis universitatem vegetare et sanctificare sufficiat.

CAPUT XVI.

Solvitur objectio et quædam in speciem conflictatio inter sanctos Patres, aientes modò orbem lege et timore ante fuisse præparandum; modò expectandum ut summa vis morbi tum fureret, ut tunc medicus in orbem ægrum adveniret.

1. Movebit aliquem illa in speciem evidens conflictatio dissidentium sanctorum Patrum, quorum alii tum venisse, tum venire debuisse Verbum affirmant, cùm acerbissima vis morbi ingravescere cœperat, nec in cumulum ulteriorem improbitas jam exaggerari poterat. Alii ex adverso tum orbi inferre se Christum debuisse autumant, cùm lege ceu pædagogo, cùm timore ceu antecursore charitatis via esset quasi complanata in animos hominum, et aditus patefactus. Num effrenatissimè grassari impietatem, id Christo in nos aditum aperiebat? Num vim morbi sævire vel maximè, id prævium fuit ad efficacissimam medicinam fomentum? Auctor operis de Vocatione gentium: « Cùm potiùs in hominibus illius temporis quo « mundi Redemptor advenit, quantò erat pro- « pago tardior, tantò sit iniquitas inventa ro- « bustior. Probavit hoc Judaici furoris impie- « tas; et quàm apta Evangelio Christi fuerit « illa generatio, non solùm populi, sed etiam « Scribarum et principum ac sacerdotum corda « docuerunt: quibus parùm fuit in agnum Dei « tollentem peccatum mundi, contra testifica- « tionem legis, contra oracula Prophetarum, « contra divinarum experimenta virtutum, « seditionibus, sputis, alapis, crucis atrocitate « sævisse, nisi etiam testes resurrectionis ejus « eâdem persequerentur insaniâ. » An fuêre usquàm nequiora secula, an facinorosiora hominum ingenia, quàm quæ Christum tam innocentem, tam beneficum, tam mirificum, etiam cruce sustulerunt? Sed qui morturus veniebat, et immolandus, carnifices quærebat? Ubi ergo tota legis et Prophetarum adornatio,

An conciliabat sibi populum, à quo figendus cruci erat? An sperabat et lege ipsum emendari, et ab eo tamen se, id est, justitiam interfici posse? Cùmque idem auctor allegâsset, quod in Actis legitur : *Convenerunt in civitate istâ adversùs sanctum Filium tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel facere quæ manus tua et consilium decreverunt fieri :* hæc deinde argumentatur, quasi inde existat hæc conclusio, captatam potiùs à Deo esse occasionem temporis quo extrema colluvies impietatis exundabat, ut tum carnem indueret, in quâ à nefariis occideretur, et morte suâ superbientem tum maximè iniquitatem debellaret. « Igitur « ad manifestandam gratiam Dei, quæ ex æterno « ejus immutabilique consilio in salutem omnium gentium disponebatur, non priora « quasi incapacia declinata sunt tempora, sed « ista electa, quæ tales populos ediderunt, « quorum ferox et voluntaria iniquitas non « consulendi affectu, sed instructione sæviendi « persisteret facere, *quæ manus* Dei et *consilium* « *decreverunt fieri,* ut mirabilior esset gratia et « potentia Dei, quæ de tam duris animis, tam « tenebrosis mentibus, tam inimicis cordibus « fecit sibi populum fidelem. » Quæ ratio luculenta cum primis est, ut id efficiat quod hic auctor meditatur. Ut enim invictissimè atque patentissimè constaret, nullis hominum meritis, sed solo misericordiæ consilio inclinatum esse Deum ad carnem nostram sibi induendam; rursùs ut constaret gratiam primariam et specialem, de Servatoris fontibus scatentem, esse, non obnoxiam, non eventûs dubiam, sed suâ sponte efficacem et omnipotentissimâ facilitate pollentem, tum venit Christus, tum orbi illuxit, cùm summa et desperatissima iniquitatis licentia orbi universo imperitabat. Gratia eluxit, quæ tam malè merentibus se infudit, quæ tam obstinatos beneficiis emollivit. « Potuitque pleniùs, luculentiùs, veriùs explicari, « quæ merita hominum Christus invenerit, et « quos sibi mores subjecerit, quæ ad se corda « converterit, quando venit mederi non sanis, « sed malè habentibus, et *vocare non justos, sed « peccatores?* Fremebant gentes, irascebantur « populi, sæviebant reges et potestates, contradicebant superstitiones, et totius mundi re« luctabantur errores. Sed de resistentibus, « furentibus, persequentibus, populum suum « Christus augebat, ac per vincula, et supplicia « mortesque sanctorum roborabatur fides, vin« cebat veritas, perque universum mundum « Dominici agri segetis multiplicabatur uber« tas. » Si morti nascebatur, si carnifices venabatur Christus, si gratiæ suæ vim de malè meritis benè merentem, de contumacibus triumphantem ostentare affectabat, quò ergo legis apparatus, quò tot sacramentorum rudimenta, quò figurarum suî prælineatio, quò timoris ad charitatem introducentis tirocinium?

2. Idem ex aliâ ratione Paulinus efficit : « Jam enim corpus omne, id est, universum « genus humanum ita pervaserat peccatum, « ut neque malagma debilibus et sauciis, nec « ligatura prodesset. Corroboratâ enim vitiorum valetudine, omnem humanæ opis medelam fortior remediis morbus excluserat, et « ideò venit qui et venturus est, *conformatus « corpori humilitatis nostræ,* ut *nos conformaret « corpori gloriæ suæ.* » Quo non medici tantùm gloriæ, sed ægroti utilitati consulitur. Sinendo enim maturescere ægritudo, ut collecta vis ac sævitia morbi tum denique expugnetur. Cui consonat Gregorius Magnus : « Ad hoc quippe « illi sancti missi sunt, ut in cordibus homi« num viam huic sapientiæ prædicando præparent, neque ut pro eâ, sed per eam subjectos populos regerent. Quia enim certum « erat, quòd per accessum temporum deficientis seculi languores excrescerent, actum est « ut æterna Dei sapientia in fine secutorum « per semetipsam veniret, ad grandem hunc « et nimiæ infirmitatis ægrotum, id est, per « totum mundum jacens languidum genus hu« manum : ut transmissis priùs prædicatoribus « quasi quibusdam visitatoribus, tantò post« modùm major fieret potentia medici, quantò « magis morbus crevisset ægroti. »

Quod idem exequitur accuratiùs Gregorius Nyssenus Oratione Catechetică, ubi dubitationem adversariorum ita primùm profert : « Dicunt enim : Si quod factum est, honestum « erat, et Deum decebat, cur distulit beneficium? Cur autem cùm esset vitium in principio, ejus ad ulteriora progressum non amputavit? » Et statim ad hunc modum respondet : « Per sapientiam beneficii in nos « collati facta est dilatio. Nam in morbis cor« poralibus, quando aliquis humor pravus et « corruptus irrepit ad poros, priusquàm in « superficie apertum fuerit quidquid est præter naturam, corpori condensantia non ad« hibent medici medicamenta, sed expectant « donec prodierit quidquid intrinsecùs delite« scit. Postquàm ergo humanæ naturæ semel

« incubuit morbus vitii, expectavit medicus « universitatis, ut nullum esset reliquum ge- « nus morbi immixti naturæ. Propterea non « statim post invidiam, et Caïn factam fratris « cædem homini adhibet medicinam : nondùm « enim in lucem prodierant scelera eorum, « qui Noemi tempore perierunt, nec Sodomi- « ticæ iniquitatis gravissimus ille morbus ca- « put exeruerat, neque Ægyptiorum adversùs « Deum pugna, etc. Postquàm ergo vitium « pervenit ad summum, nec erat ullum genus « sceleris, quod admittere non ausi essent « homines, ut per omnem ægritudinem perva- « leret medicina, eâ de causâ non incipientem, « sed perfectum jam morbum curat. » Existere atque erumpere priùs morbum necesse erat, et coire pestem ejus totam, atque æstuare, ut tum demùm invicta supernæ medicinæ vis eam aggrederetur, atque aboleret. Alioqui fefellisset nos, quanto ex interitu asserti per liberatorem essemus, et hinc exitialior ingrati animi labes irrepsisset. Porrò hæc eadem totidem verbis leguntur apud Cyrillum libro adversùs Antropomorphitas. Quæ ex Nysseno Cyrillus exscripserit, an quopiam alio casu id evenerit, aliorum esto judicium.

3. Augebitur hujus dubii caligo, si Ruperti quoque sententiam attexamus. Ille enim neque præstruendæ et molliendæ Christi in homines viæ per legem et per timorem, neque ut tota vis morbi furere sineretur, ut tota semel posset excindi, has tam diutinas moras præfisse docet; sed quòd properantem Christum, et venire sponte suâ cupientem flagrantissimè, nostra morarentur delicta. « Cur adventum « suum tamdiù distulit? Num tardus est, aut « segnis? Imò velocissimus in opere suo est, etc. « *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens « colles. Similis est dilectus meus capreæ hinnu- « loque cervorum*, etc. *Voca nomen ejus : Acce- « lera spolia detrahere, festina prædari*, etc. « Quàm longum expendit tempus in faciendo « id quod de ipso scriptum est : *A summo cœlo « egressio ejus, et occursus ejus usque ad sum- « mum ejus.* Spatio annorum plusquàm triginta « duorum, tantam exultando cucurrit viam « saliens atque transiliens, tanquàm caprea « hinnulusque cervorum in uterum meum, de « utero ad crucem, de cruce in sepulcrum, « de sepulcro rursùs in cœlum. Propter quem « ergo parietem nostrum tamdiù moratus est, « qui tam velox in opere est? Nimirùm pro- « pter parietem inimicitiarum, qui non de uno « tantùm originali peccato, verùm etiam de « multis actualibus peccatis congestus est. » Et portenta mox aliqua scelerum recenset, quæ singulis ætatibus intercesserunt Christo adventanti et quasi retrò illum egerunt. « Post « hujusmodi parietem nostrum en ipse stat, « id est, propter hæc talia peccata generis « nostri, cui repromissus fuerat, ipse justas « fecit moras. » Hæc ergo jam nova compugnantia est in verborum saltem fronte. Nam peccatis non retardabatur, si opperiebatur ipse contra, ut peccandi licentia summa luxuriaret et tum exsecaretur. Et vicissim si luem ad extremum serpere et augescere sinebat, ut tum veniens eam invaderet et semel exscinderet, non ergo eluvione peccatorum venire prohibebatur.

4. Quàm certum nobis est hæc omnia à sanctis Patribus esse pronuntiata, tam persuasum habemus, nonnisi in speciem ea inter se conflictari, reapsè autem consentire. An consensus nobis diluxerit, subdubitamus et ipsi; integrum nobis haud tamen est detrectare hanc operam conciliandæ inter sanctos Patres concordiæ. Periculum ergo faciemus, et saltem præclaro conatu nosmet solabimur. In magnis enim saltem voluisse, præclarum est : etiam potuisse beatum est. Fortunabit conatum nostrum ipsa veritas cui insudamus, iis patronis, quibus laboramus conciliandis.

5. Primùm ergo, etsi morbus et naturâ et consuetudine inolitus, non solùm clam adjuvante Deo intrinsecùs, sed etiam palam per justos, per Patriarchas, per Prophetas, per legem et timorem curaretur, ille tamen invalescebat. Ita enim quotidiè usuvenit in corporum medicinâ. Prælusoriis delinimentis mitigatur morbus, et tamen in dies efferatur. Nec nihil tamen illa procemialia efficiunt fomenta; nam quamvis superentur æstu morbi, ut eum penitùs sopire non possint, extenuant illum tamen et nonnihil commitigant, ut quamvis magis magisque ægrescat, non tantus tamen effervescat, quantus si nullis hujusmodi prætentaretur blandimentis. Itaque lex ut pædagogus, timor instar tutoris, figuræ venturi mediatoris, et ejus generis alia medicamenta, legis insitæ lumina, creaturæ ob versantis hortamenta, febrem humani generis lenièbant aliquantulùm, et venturæ parabant medicinæ absolutiori; nihilò tamen seciùs febris validior his remediis, æstuabat in dies flagrantior, etsi non tam effrenatè fureret, quàm si nullis demulceretur hoc genus præviis medicamentis. Non pugnat ergo quod pugnare

videbatur. Curabatur morbus, et tamen ingravescebat; validiorem desiderabat medicinam, nec tamen illâ quasi prælusoriâ nihil emendabatur.

6. Secundò abruptiùs responderet aliquis remediis illis prioribus morbum curatum utcumque, vel curari cœptum quidem fuisse, sed tamen ex hominum vecordiâ in seipsos sævientium, exasperatum potiùs esse quàm lenitum. *Per legem enim abundavit peccatum:* et objecto præcepti obice pronior in vetitum concupiscentia immoderatiùs irrupit, effuditque se latiùs. Itaque opus erat ut et Deus experiretur illa priùs pharmaca, et illud efficacissimum non adhiberet, nisi ubi constaret illa non processisse. Itaque nihil pugnæ in eo erit si Deus existimetur et adventui suo plurima præstruxisse, et donec peccata in summam baccharentur, licentiam expectâsse.

7. Tertiò molliùs alii censebunt, præsultorios illos legis, timoris, et umbraticorum sacramentorum apparatus aliquibus saltem non nihil contulisse levamenti, cæteris hinc magis magisque obdurescentibus. Ita enim contingit ut plurimùm in arte medicinæ, iisdem ut alii leventur remediis, alii magis graventur. Igitur veniens Christus invenit et à quibus excipe retur, et à quibus in crucem ageretur. Atque ita evanescit suspicio illa conflictûs inter sanctos Patres. Tempestivè enim tunc venit, cùm et legis aliorumque id genus adminiculorum ope complures jam pietatis puerilia rudimenta transegerant, et virili justitiâ jam per ætatem poterant informari : complures autem cultu illo puerili ob suam proterviam magis efferati, in magistrum pædagogo succedentem impetum fecerunt, et immanissimâ morte sævierunt.

8. Quartò quin etiam illi ipsi, quos exulcerabant illa, quæ priùs tantabantur remedia, eo ipso fortassis ad implorandum et recipiendum medicum magis inclinabantur. Suâ enim indomitâ adversùs legem et timorem duritiâ, morbi sui per ipsa medicamenta exasperatione, monebantur et penè cogebantur summi alicujus medici omnipotentem gratiam invocare. Itaque et medicamina præseminabantur leniendo morbo, et expectabatur tamen dùm morbus vehementissimè ingravesceret, quia morbi per ipsa medicamina exulceratio, humilitatis conciliatricula quædam erat opportunissima, atque hortatrix efficacissima ad medici opem implorandam.

9. Quintò si detur paulò altiùs oculos insecrere in arcana divini consilii, prælucentibus tamen et nostram excusantibus audaciam sanctis Patribus, exteriori hoc dispensationis Christi sacramento, duo quædam maximè pernecessaria erant hominibus commendanda. Primum quidem adventanti gratiæ Christi præmuniendum esse iter, hoc est, charitatis viam complanandam esse per timorem, et consectaria timoris opera. *Initium* enim *sapientiæ* et charitatis, *timor Domini* est. Alterum, omne meritum bonum gratiâ anteveniri, omnemque imparati segnitiem, omnem obdurati cordis contumaciam ejusdem gratiæ efficacitate superari. Charitati et justitiæ non aliter meliùs coaptare nos possumus, quàm si divinitùs adjuti, et pro virili enitamur ei nosmet purgare atque ornare ; et tamen conatum nostrum omnem cassum esse certò sciamus, et ipsius justitiæ esse, ut gratis se indulgeat, et repagula in nobis omnia perfringat. Horum primum in illis emicuit qui Christum Dei sapientiam et justitiam in sacramentis et timore legis prægustaverant, et ita initiati pronis animis illum exceperunt. Alterum verò in illis demonstratum est apertissimè, quos insanientes atque impotentissimè sævientes in ipsum Christum et in justitiam substantivam, prostravit tamen Christus sibique invictissimè subjugavit. In illis enim et merita bona antevertit omnia, et pervicaciam domuit. Gemina hæc est ratio quâ in animos justitia, Christus in mundum ingreditur ; in alios jam præpurgatos utcumque diutino timoris tirocinio, et penè obvios atque invitantes illabitur; in alios inopinantes aut tum vel maximè restitantes atque ferocientes irruit et omnipotenter dominatur.

10. Sextò, quinimò consignandum id erat in sacramento hoc conspicuo universalis misericordiæ, eos ipsos Hebræos, atque adeò et singulos homines, quantumvis initiatoriis legis et timoris præmunitos auxiliis, et Christo excipiendo, justitiæque amplectendæ jam idoneos, fovere tamen adhuc in sinu intimo clancularias pestes, quæ si erumpant, Christo insidiabuntur, justitiamque cruci suffigent. Singuli enim homines instar habent humani generis, et genus ipsum humanum eodem regimine, quo unusquilibet homo, à Deo administratur. Ne ergo justitiæ legis et timoris initiis plus æquo quidpiam arrogemus ; prolusoria enim hæc sunt tantùm, et rudimenta quædam, atque conamina, quæ donec ad Christum et ad justificantis gratiæ complexum provehan-

tur, seminarium adhuc peccatorum, et hostilis in justitiam odii latentes favillas cinerique doloso supposítas circumferunt. Non tantùm ergo alii et alii, sed iidem ipsi sunt, qui quamvis legis justitiâ et timoris tirocinio imbuti, nisi gratiâ tamen aliâ validiore, et merita anteeunte, et cordis duritiam auferente per Christum advenientem cumulentur, violentas ipsi Christo manus inferunt, justitiam crucifigunt, et de lege ac legis timore, id est, de pietatis initiis adversùs ipsam pietatem superbiunt, et quibus assurgere in superna debuerant, iis præcipitantur.

11. Septimò, juventæ ætas expedita ad utrumque est, ad justitiam et ad nequitiam robustiorem. Puericia enim enervis adhuc est, nec nisi imbelles conatus ad utramque conferre potest. Ergo seu penitiùs prolixiùsque infundenda hominum pectoribus, seu manibus eorum crucifigenda adventabat sapientia, non debebat nisi juventæ limites ingressis sui copiam facere. Juventam hic autem non aliam, vel in genere universo hominum, vel in singulis interpretor, quàm illam quæ ex Augustino, jam ignorantiæ puerilis ante legem, jam sub lege secundam ætatem emensa est. Ante legem quippe et sub lege potest officiis coli, potest contumeliis affici Christus sapientia et justitia, sed levioribus et penè puerilibus. Quamdiù enim non totam se exhibet, et non nisi sui velut umbram obtendit sapientia pueris adhuc hebescentibus, nonnisi levioribus eorum vel officiis vel contumeliis affici potest. At ubi seipsam verè et totam repræsentat jam adultis, jam maturam exerentibus juventam, tum enimverò eorum vel amorem vel odium concitatissimum experitur, et vel in intimas animi medullas admittitur, vel penitùs extruditur, et in crucem agitur.

Non hæc porrò tantùm, hìc à me tentata, sed et quidquid tribus theologicorum Dogmatum tomis lucubratum est, audacius, ut sentio, operosiusque, quàm felicius, boni consulet lector benevolus, excusabit clerus Gallicanus, cui nostra hæc omnis opera desudavit, et cujus virgam censoriam lubens excipiet, haud ignara, quàm indivulsis ille nexibus sedi Apostolicæ devinciatur

MONITUM.

Naturalis rerum series postularet ut finem præsenti tomo imponeremus, et nono statim inchoando daremus operam. Nonum verò volumen, ac proximè sequens decimum, jamdudùm impressa sunt. Id enim effecit *Subscriptorum* animus, moræ omnis impatiens, ut numeralem voluminum ordinem intervertere fuerimus coacti, quanquàm sæpè ac iterùm usurpatum à nobis foret notum axioma : *Sat citò, si sat benè.* Hinc verò illud secutum est incommodum, ut nimiâ celeritate abrepti, magnæ utilitatis et summi etiam momenti res prætermiserimus, quas ideò vel silere omninò, vel hoc in loco interponere necesse est, licet meliùs tractatum de Incarnatione, servatâ rerum genuinâ serie, sequi debuerint. Posteriorem viam iniimus, approbandos à lectoribus nos inde sperantes, remque ipsis eò gratiorem præstituros, quòd, ne quid ad suscepti laboris omnimodam perfectionem deesset, neglecta à nobis constanter esse privata commoda palàm omnibus pateat.

Illic rursùs pro datâ occasione lectorum nostrorum ingens ac nobile agmen enixè rogamus, ut si quis quamdam hujusmodi aliam omissionem in hoc vel illo nostrorum *Cursuum* volumine fortè deprehenderit, rem nobis deferendam omni studio curet. Quæstiones omissæ in voluminibus nondùm editis tractabuntur, quando scilicet affinis occurret materies. Nemo enim in theologicis vel minimùm versatus, nescit complures in variis æquè tractatibus agitari posse disputationes. Quòd si indicatis appendicibus congruens locus in decursu non occurrerit, eas ad calcem totius operis postea per modum supplementi dabimus, nihil antiquius habentes, quàm ut numeris omnibus verò *completi Cursus* nostri absolvantur. Nec inde vel minima nobis exsurgit molestia, quòd, proprio sensu abdicato, omnium simul et singulorum auctoritati subjiciamur : consilia enim nos quasi genuerunt; consilia hucusque secuta sunt ; ad finem etiam consilia nos comitentur. Ubi consiliorum abundabit auctoritas, superabundabit animi nostri obsequentia.

BILLUART VITA.

Billuart (Carolus Renatus) Revini, in oppidulo Mosæ adjacenti, non procul à Rocroio, natus est die 8 januarii anno 1685. Dominicanorum familiæ aggregatus, ibi theologiam magno cum splendore docuit, sodaliumque provincialis ter electus est. In natali loco obiit januarii die 20, anno 1757. Ediderat *Cursum Theologiæ*, qui primùm Leodii prodiit 1746-1751, 19 vol. in-8°, typis multoties postea recusus cum locupletissimis additionibus ex Natali Alexandro plerùmque depromptis. Eximium hìc de Mysteriis Christi tractatum pro scopo intento subjecimus, quippe qui ad incarnationem viam non incongruè sternat. P. Billuart complures dedit præterea dissertationes quæ circa opiniones scholasticas versantur.

TRACTATUS
DE MYSTERIIS CHRISTI
ET BEATÆ VIRGINIS.

(*D. Th.* 3 *p. a. Q.* 27 *ad* 60.)

Discutiendis in tract. de Incarnatione quæ spectant unionem Dei et hominis et quæ ad illam consequuntur, gratum fore existimavi lectori pio ac curioso, si speciali tractatu expenderem cum Angelico Doctore quæ Filius Dei incarnatus in naturâ humanâ sibi unità gessit vel passus est, etiamsi ista scholarum disputationibus subjici non soleant. Expendemus itaque 1° ea quæ pertinent ad ingressum ejus in mundum; 2° ea quæ pertinent ad progressum vitæ ipsius in hoc mundo; 3° exitum ejus ex hoc mundo; 4° ea quæ pertinent ad exaltationem ipsius post hanc vitam. Et quia beatissima ejus Mater pertinet ad ingressum ipsius in mundum, ideò sit

Dissertatio prima.

DE BEATISSIMA VIRGINE MARIA, MATRE CHRISTI.

(*D. Th. QQ.* 27, 28, 29, 30.)

ARTICULUS PRIMUS.

De sanctificatione beatæ Mariæ Virginis.

(D. Th. q. 27.)

Quatuor in hoc articulo quæruntur : primum, utrùm B. Virgo mater Dei fuerit sanctificata in utero; secundum, utrùm per hanc sanctificationem fomes fuerit in eâ totaliter sublatus : dicitur fomes appetitus sensitivus, non secundùm se, sed ut habitualiter inclinatus ad actus contrarios rationi; tertium, utrùm beata Virgo nunquàm peccaverit etiam venialiter; quartum, utrùm habuerit plenitudinem gratiæ.

Dico 1° : Quamvis Scriptura sacra nihil dicat de sanctificatione B. Mariæ in utero, sicut nec de ipsius nativitate, rationabiliter tamen creditur fuisse in utero sanctificatam : an in primo vel secundo instanti conceptionis, non disputo. Vide quæ dixi de peccato originali (D. Th. q. 27, a. 1, 0).

Prob. Rationabiliter creditur quòd illa quæ genuit Unigenitum à Patre, plenum gratiæ et veritatis, præ cæteris omnibus majora privilegia gratiæ sanctificationis acceperit : unde angelus Luc. 1, ei dixit : *Ave, gratiâ plena.* Atqui invenimus quibusdam aliis hoc privilegium fuisse concessum ut in utero sanctificarentur, sicut Jeremiæ, cui dictum est Jerem. 1 : *Antequàm exires de vulvâ, sanctificavi te;* et Joanni Baptistæ, de quo dictum est Luc. 1 : *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* Ergo. (Ibid.)

Dico 2° : Per hanc primam sanctificationem fomes non fuit totaliter sublatus in B. Virgine, sed per secundam tantùm in conceptione Christi (ibid. a. 3, 0)

1° Quia SS. Patres, S. Leo, Serm. 2 de Nativ., S. Joan. Damascen. lib. 4 Orthod. fid. cap. 15, S. Bernard. Serm. 3 de Purif. et Hom. 3, super *Missus*, dicunt B. Virginem ex conceptione Christi fuisse purgatam et purissimam factam : remanebat ergo tunc in eâ aliquid purgandum, non peccatum : ergo infectio fomitis. 2° Quia sicut ante immortalitatem carnis Christi resurgentis nullus adeptus fuit carnis immortalitatem, ita inconveniens esse videtur dicere quòd ante Christi carnem, in quâ nullum fuit peccatum, caro Virginis matris ejus, aut cujusvis alterius fuerit absque fomite, qui dicitur lex carnis seu membrorum. Fuit tamen in beatâ Virgine ligatus fomes per primam sanctificationem, quatenùs per virtutem gratiæ et providentiam singularem cohibebantur vires inferiores, ne moverentur contra rationem. Unde sequitur nullum unquàm fuisse in beatâ Virgine motum inordinatum etiam indeliberatum.

Dico 3° : B. Virgo nunquàm peccavit etiam venialiter.

Ita communiter SS. PP. et theologi. Unde Trid. sess. 6, can. 23, dicit quòd Ecclesia teneat B. Virginem, ex speciali privilegio, in totâ vitâ suâ vitâsse omnia peccata etiam venialia (ibid. a. 4, 0).

Prob. Illos quos Deus elegit ad aliquid ita præparat et disponit, ut ad id ad quod eliguntur inveniantur idonei : beata autem Virgo fuit divinitùs electa ut esset mater Dei ; et ideò non est dubitandum quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddiderit. Subsumo : Atqui non fuisset idonea mater Dei, si peccâsset aliquando. Ergo. Prob. subsumptum. 1° Quia sicut honor parentum redundat in prolem, secundùm illud Prov. 17 : *Gloria filiorum Patres eorum ;* ita per oppositum ignominia matris redundâsset in prolem. 2° Quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab eâ carnem accepit : dicitur autem, 1 Corinth. 6 : *Quæ conventio Christi ad Belial ?* 3° Quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsâ habitavit, non solùm in animâ, sed etiam in utero ; dicitur autem Sap. 1 : *In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Ergo.

Dices 1° S. Chrysost. Hom. 45 in Matth. exponens illud Matth. 12 : *Ecce Mater tua et fratres tui foris stant quærentes te,* dicit : « Manifestum est quòd solùm ex vanâ gloriâ hoc « faciebant. » Et super illud Joan. 2 : *Vinum non habent,* dicit idem S. Chrysost. Hom. 40 in Joan., quòd Mater Jesu « volebat jam eum « gratiam hominum conciliare, et seipsam « clariorem facere per Filium, et fortassis « quid humanum patiebatur, quemadmodùm « et fratres ejus, dicentes : *Manifesta teipsum « mundo.* » Et post pauca : « Nondùm enim « quam oportebat de eo opinionem habebat. » Atqui constat hoc totum esse peccatum : ergo.

Resp. uno verbo cum auctore, S. Chrysost. in illis verbis excessisse contra communem SS. Patrum et Ecclesiæ sensum (ibid. ad. 3).

Inst. : Christus Joan. 2 reprehendit Matrem dicens : *Quid mihi et tibi, mulier ?* Ergo peccaverat. — Resp. hæc verba non esse reprehendentis, sed instruentis circumstantes, se nihil habere commune cum Matre, ubi agitur de miraculis, quæ sunt propria opera divinitatis, non humanitatis quam habebat à Matre. Quod autem quidam SS. Patres dicunt verba Christi esse reprehensionis, intelligendi sunt non de reprehensione propriè dictâ propter culpam, sed de reprehensione quoad apparentiam tantùm ; quatenùs si verba nudè spectentur, habebant speciem reprehensionis ; seu, ut dicit auctor, ibid., in Matre cohibuit Dominus non inordinatum gloriæ motum quantùm ad ipsam, sed id quod ab aliis posset æstimari. Quod autem addit Christus : *Nondùm venit hora mea,* quidam intelligunt de horâ seu tempore mortis suæ, quia familiare erat Christo designare suam passionem per hanc vocem, *hora,* in quâ debebat agnoscere Matrem. Alii intelligunt de tempore patrandi miracula, quia nondùm tunc omnibus innotuerat defectus vini, quod requirebat Christus, ut per hoc miraculum evidentiùs probaret suam divinitatem.

Dices 2° : B. Virgo poterat orare : *Dimitte nobis debita nostra.* Ergo. — Resp. sic potuisse orare, non in suâ, sed in aliorum personâ.

Dico 4° : B. Virgo majorem præ omnibus aliis, sive angelis sive hominibus, habuit gratiæ plenitudinem, quia quantò aliquid magis appropinquat principio in aliquo genere, tantò magis participat effectum illius principii : atqui Christus est principium gratiæ, secundùm divinitatem quidem auctoritativè, secundùm humanitatem verò instrumentaliter, et B. Virgo illi fuit propinquissima secundùm

humanitatem, quia ex eâ accepit humanam naturam. ergo (ibid. a. 5, 6).

Articulus II.

De B. Virginis parentibus, ortu, educatione et oblatione in templo.

Circa seculum octavum invaluit opinio apud Græcos, deinde apud Latinos quosdam, B. Virginem à parentibus Joachim et Annâ senibus et sterilibus miraculosè in lucem editam esse, eam ætatis suæ anno tertio ex voto parentum in templo fuisse oblatam, ac tunc virginitatis voto se adstrinxisse; traditam Levitis et sacerdotibus ad educationem, in templo, imò in Sancto sanctorum per undecim annos fuisse commoratam et cœlesti pabulo enutritam, donec annum decimum quartum assecuta, tradita fuerit in matrimonium Josepho virgæ florentis indicio designato, qui virginitatem ejus custodiret, non violaret. Quærimus utrùm hæc omnia sint vera.

Dico 1°: Hæc omnia sunt dubia et incerta, quia sunt excerpta ex scriptis partim spuriis et apocryphis, partim recentioris ætatis. Quantùm ad S. Greg. Nyssen., qui laudatur, id refert ex historiâ incerti auctoris; similiter Epistola Evodii Apostolorum in sede Antiochenâ successoris, quæ citatur, habetur apocrypha: cæteri sunt recentioris ætatis.

Equidem Baronius multis argumentis probat id fieri potuisse: at non sequitur ita factum esse; imò non fuisse ita factum duo suadent. Primum: Si B. Virgo tanto honore tantisque privilegiis fuisset decorata, nunquàm Judæi Christo in probrum vertissent ejus Matris vilitatem, ut ejus miracula, sapientiam et virtutes deprimerent, neque dixissent Matth. 13: *Unde huic sapientia hæc et virtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria? Unde ergo huic hæc omnia ista?*

Secundum, quia juxta Apost. Heb. 9, nemini nisi summo pontifici semel in anno licuit Sanctum sanctorum ingredi ex mandato Dei, Exodi 30 et Lev. 17. Quæ religio vigebat adhuc apud Judæos tempore Philonis, ut ipse testatur in libro de Legatione ad Caïum imperatorem. Nullatenùs autem est verisimile sacerdotes et levitas admisisse aut tolerâsse, contra religionem suam et Dei mandatum, in Sancto sanctorum commorantem puellam, cujus dignitatem et excellentiam ignorabant; neque enim eam futuram Dei matrem sciebant.

At, inquies, quid ergo Ecclesia celebrat die vigesimâ primâ novemb. sub nomine Præsentationis B. Virginis? — Resp.: Celebrat Ecclesia actum illum pientissimum et generosissimum quo B. Virgo se adhuc tenerâ ætate voto virginitatis adstrinxit, atque professione vitæ perfectioris se Deo dicavit atque consecravit; quod factum esse in templo creditur. An autem hæc oblatio facta fuerit à parentibus ex voto? an triennis oblata fuerit puella? an in sacerdotum disciplinam tradita? an in Sanctum sanctorum inducta, et ibi undecim annis commorata? an decimo quarto anno ætatis Josepho florescentis virgæ indicio designato in matrimonium tradita? nec dicit nec colit Ecclesia. Imò cùm olim in oratione festi Præsentationis legeretur: « Deus qui sanctam tuam Genitricem tabernaculi sancti Spiritûs post triennium in templo præsentari voluisti, » Sixtus V jussit hanc orationem emendatam sic legi, prout hodiè legitur: « Deus qui B. Mariam semper Virginem Spiritûs sancti habitaculum hodiernâ die in templo præsentari voluisti, præsta, quæsumus, » etc.

Dico 2°: Parentes B. Virginis coluntur ab Ecclesiâ sub nominibus Joachim et Annæ; sed incertum est an sint vera et propria eorum nomina, an ratione mysticæ significationis tantùm imposita. Joachim enim hebraicè significat præparationem Domini, Anna significat gratiam. Non pauci putant nomen proprium patris B. Virginis esse Heli, ut dicemus dùm de genealogiâ Christi. Cæterùm in id curiosiùs inquirere superfluum reputat S. Petrus Damianus Serm. 3 de Nativit., quia, inquit, lector nimis inutiliter quærit quod Evangelista narrare superfluum duxit.

Articulus III.

De virginitate B. Mariæ.

(D. Th. Q. 28.)

Dico 1°: B. Maria virgo concepit, virgo peperit.

Prima pars est contra Cerinthum, qui dicebat Christum ex semine Joseph conceptum; secunda, contra Jovinianum, qui, licet agnosceret B. Mariam fuisse virginem in conceptu, volebat tamen in partu fuisse corruptam, ut refert S. Aug. Hæres. 82, et l. 1 cont. Julian. c. 2 (Q. 28, a. 1 et 2).

Utraque pars est de fide. Constat 1° ex illo Isai. c. 7: *Ecce virgo concipiet et pariet filium.* Neque dicas cum quibusdam Judæis, vocem hebræam *haalma* non significare virginem, sed

puellam adolescentulam, sive virginem, sive non; observant enim linguæ hebraicæ periti vocem hanc, *haalma*, cum articulo emphatico *ha*, nullibi usurpari in S. Scripturâ nisi pro puellâ virgine. Aliunde Isaias hoc loco prænuntiat portentum ingens et inauditum : quid verò novi et portenti haberet, si puella virum experta sit filium paritura? Unde Matth. cap. 2, volens probare Christum esse conceptum ex Spiritu sancto, dicit : *Hoc totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem : Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium.* 2° Constat ex Symbolis Apostolorum et Constantinopolitano, in quibus dicitur Christus *conceptus ex Spiritu sancto, natus ex Mariâ virgine.* 3° Constat ex perpetuâ traditione Ecclesiæ. Plures congruentias pro utràque parte affert S. Th. 1 et 2 articulo hujus quæst., quas videre potest curiosus lector. Exivit itaque Christus ex utero clauso penetratione miraculosâ, sicut post resurrectionem intravit ad discipulos januis clausis. Atque hinc sequitur quòd B. Virgo peperit absque dolore; causa enim dolorum in partu est apertura seu fractura claustrorum, quæ hìc abfuit.

Dices : S. Ambrosius in cap. 2 Luc. dicit de Christo : « Ilic est qui aperuit matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret. » Ergo.

Resp. quòd ista apertio non significat reserationem claustri pudoris virginei, sed solum exitum prolis de utero matris. Unde idem S. Ambrosius l. de instit. virg., c. 8, dicit : « Bona porta Maria quæ clausa erat et non « aperiebatur; transivit per eam Christus, sed « non aperuit. » (Ibid. a. 2, ad 1.)

Dico 2° : B. Maria post partum virgo permansit. (Ibid. a. 3. 0.)

Est iterùm de fide contra Helvidium, qui dixit Matrem Christi post partum à Joseph fuisse carnaliter cognitam et alios genuisse filios.

Prob. 1° ex illo Ezech. 44 : *Porta hæc clausa erit et non aperietur, et vir non transibit per eam, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Quod exponens S. Aug. serm. 18 de Temp., dicit : « Quid est porta in domo Do« mini clausa, nisi quòd Maria semper erit in« tacta? Et quid est, *homo non transibit per « eam*, nisi quòd Joseph non cognoscet eam? « Et quid est, *Dominus solus intrat et egreditur « per eam*, nisi quòd Spiritus sanctus impræ« gnavit eam, et angelorum Dominus nascetur « per eam? Et quid est, *clausa erit in æternum*, « nisi quòd Maria virgo est ante partum, et « virgo in partu, et virgo post partum? » Eodem sensu allegoricè exponunt hunc locum alii SS. Patres et interpretes. (Ibid. in a. s. c.) 2° Hæc est Ecclesiæ catholicæ traditio et fides adeò indubitata et universalis, ut in omnibus suis officiis Mariam semper virginem, virginem priùs et posteriùs, virginem ante partum, in partu et post partum, unanimi consensu celebret; et hoc ipso quo quis profert nomen *Mariæ*, statim virgo intelligitur. « Neque enim, « inquit Epiphan. Hæres. 78, altera videtur « S. Mariæ vox et virgo. » Unde in quintâ synodo generali dicitur : « Mariæ virginitas ante « partum, in partu et post partum interminabilis. » 3° Suadent variæ rationes auctoris. 1° Error Helvidii derogat perfectioni Christi, qui sicut secundùm divinam naturam Unigenitus est Patris tanquàm perfectus per omnia Filius ejus, ita decuit ut esset unigenitus Matris tanquàm perfectissimum germen ejus. 2° Ilic error injuriam facit Spiritui sancto, cujus sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit : unde non decebat quòd de cætero violaretur per commixtionem virilem. 3° Derogat dignitati et sanctitati Matris Dei, quæ ingratissima videretur si tanto Filio contenta non esset, et si virginitatem quæ in eâ miraculosè conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum. 4° Etiam ipsi Josepho esset ad maximam præsumptionem imputandum, si eam quam revelante angelo de Spiritu sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret. Ergo.

Obj. 1° : Matth. 1 dicitur de Mariâ et Joseph : *Antequàm convenirent, inventa est habens de Spiritu sancto* : quod non potest dici nisi de conventuris; sicut nemo dicet de non pransuro, antequàm pranderet. Ergo. 2° Ibid. dicitur : Joseph *accepit uxorem suam, et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum* : τὸ *donec* significat tempus determinatum, quo fit id quod usque ad illud tempus dilatum est. 3° *Primogenitus* non dicitur, nisi qui habet fratres sequentes. 4° Christum reverà habuisse fratres exprimit S. Scriptura, Joan. 2, ubi dicitur quòd Christus descenderit in Capharnaüm cum Matre et fratribus suis. Ergo.

Resp. ad primum cum S. Hieron. lib. cont. Helvid. de Perpet. virg. Mariæ, quòd, licet particula *antequàm* sæpè consequentia indicit, nonnunquàm tamen ea tantùm quæ cogitabantur aut solebant fieri ostendit; nec necesse

est ut cogitata vel solita fieri, fiant cùm aliquid intervenit quod impedit ne fiant; sicut ni diceretur: Antequàm nautæ in portu prandèrent, navigaverunt, non significaretur nautas pransisse in portu postquàm navigaverint, sed eos solitos et cogitantes prandere in portu, abiisse impransos. Ita similiter cùm Evangelista dicit, *antequàm convenirent, inventa est*, etc., non significat quòd postea convenirent, sed quòd dùm secundùm opinionem vulgi viderentur conventuri, prævenit conceptio per Spiritum sanctum, ex quo factum est ut ulteriùs non convenerint. Ad secundum, ex eodem S. Hieron. in Comment. ad 2 c. Matth., quòd, quamvis *usque* seu *donec* significet quandoque certum tempus, quandoque etiam significet tempus indefinitum, ut cùm dicitur Psal. 113: *Oculi nostri semper ad Dominum, donec misereatur nostri;* non est sensus quòd post impetratam misericordiam oculi avertantur à Deo, cùm tunc debeant magis converti. Et secundùm hunc modum loquendi, significantur ea de quibus posset dubitari, si scripta non fuissent; cætera verò intelligentiæ nostræ relinquuntur. Secundùm igitur hunc modum Evangelista scribit Matrem Dei non esse cognitam usque ad partum, de quo posset dubitari; imò contrarium præsumi, ut multò magis intelligamus cognitam non fuisse post partum. (Ibid. ad 3.) Ad tertium, primogenitus in S. Scripturis dicitur ante quem nullus est genitus, sive post eum alii gignantur, sivè non. Unde secundùm legem primogenita debebant redimi, antequàm aliud nasceretur. (Ibid. ad 4.) Ad quartum, secundùm morem S. Scripturæ, fratres Domini dicuntur qui erant ejus consanguinei, ut patet de Abraham et Loth, Genes. 13, et de Laban et Jacob, Gen. 29. Quoto autem gradu consanguinitatis, non constat. Plures volunt quòd essent filii Cleophæ, qui aliter dicebatur Alphæus, fratris S. Joseph, sicque erant secundùm opinionem vulgi consanguinei Christi in secundo gradu. Alii dicunt quòd essent filii Mariæ Cleophæ sororis B. Virginis, et sic reipsà erant consanguinei Christi in secundo gradu. (Ibid. ad 5.)

Articulus IV.

De voto virginitatis à Deiparâ emisso.

Quatuor hic quærimus: primum, utrùm Deipara emiserit votum virginitatis; secundum, cujus conditionis fuerit illud votum, an conditionatum an absolutum; tertium, quandonam emisit; quartum, an prima emiserit.

Dico 1°: Deipara emisit votum virginitatis. Est contra Calvinistas, qui inde vident probari vota monastica quæ odio habent. (Ibid. a. 4, o.)

Prob. 1°: Ex responso ipsius Deiparæ facto angelo nuntianti quòd Christum conciperet et pareret: *Quomodò*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quibus verbis objicit difficultatem quam patiebatur. Ista autem difficultas non oriebatur ex simplici proposito servandæ virginitatis, quod propriâ voluntate mutare poterat; neque ex hoc quòd actum cognitionis nunquàm exercuerat, partus enim proponebatur futurus ab angelo: non repugnat autem quòd quæ nondùm cognovit virum, postea cognoscat et pariat; neque repugnat quòd postea cognoscat, nisi votum virginitatis emissum. Hanc ergo impotentiam cognoscendi B. Virgo his verbis exprimit: *Virum non cognosco*, id est, cognoscere non possum: sicut dùm abstemius dicit: *Non bibo vinum*, id est, bibere non possum; vel cæcus: *Lumen cœli non video*, id est, videre non possum. Unde S. Aug. l. de S. Virginit. c. 4, dicit: « Hoc profectò non diceret, « nisi Deo virginem se ante vovisset. » (Ibid. in a. s. c.)

Si dicas Deiparam non ignorâsse Messiam nasciturum ex virgine, juxta illud Isai. 7: *Ecce virgo concipiet et pariet*, respondeo id non ipsi statim occurrisse ut ad se pertinens; unde dicitur turbata in sermone angeli. Insuper quomodò id fieri posset (quòd Messias nasceretur ex virgine) ante non legerat, inquit Ven. Beda in cap. 1 Luc.

Prob. 2° ex SS. Patribus. Præter Aug. jam laudatum, S. Greg. Niss. Orat. in diem Natalem Christi, Venerab. Beda supra cap. 1 Luc., S. Bernard. Serm. 4 super *Missus*, S. Edmerus lib. de Excellentiâ B. Virginis cap. 4, et alii votum B. Virginis adstruunt.

3° Ratio suffragatur. Perfectionis opera magis sunt laudabilia si ex voto fiant, ut docuimus 2-2, ad a. 6, q. 88; atqui virginitas debuit excellere in Matre Dei, propterea quòd aliis virginibus proponenda erat in exemplum, et propter alias rationes congruentes, quas refert Auctor a. 1 hujus q.; ergo (ibid. o).

Dico 2°: Probabile est Deiparam primùm vovisse virginitatem conditionatè, si nempe Deo placeret, aut aliud non ordinaret; postea, cognitâ Dei voluntate, et accepto sponso secundùm quod mores illius temporis exigebant,

unà cum ipso absolutè vovisse. Est expressa sententia S. Th. non solùm hìc, sed etiam in 4, dist. 30, q. 2, art. 1.

Prob.: Erat Deiparæ justa ratio dubitandi num virginitatis votum Deo placeret, imò et timendi ne ipsi displiceret : ergo prudens et religiosa Virgo illud absolutè non emisit, sed conditionatè, si Deo placeret, ne se exponeret periculo displicendi Deo. Prob. ant. : Esto non fuerit tunc præceptum strictum saltem singulis vacandi generationi, cùm jam esset sufficienter propagatum genus humanum et multiplicatus populus fidelis ; attamen colere virginitatem, erat adhuc tunc contrarium moribus Israelitarum, præsertim quoad mulieres : ergo Deiparæ justa ratio fuit, etc. Prob. ant., 1° auctoritate Patrum : S. Aug. lib. de Bono Viduitatis cap. 7, dicit : « Sanctas feminas « propheticis temporibus nubere obedientia, « non concupiscentia compellebat. » Idem habet S. Hieron. lib. contra Helvid. c. 10. S. Bernard. Serm. de Virgine, ad illa verba Apocal. : *Signum magnum apparuit in cœlo,* dicit B. Virginem vovendo virginitatem, legis Mosaicæ decreta transcendisse.

Has autem auctoritates theologi, etiam ii qui hìc nobis adversantur, exponunt de lege impropriè sumptâ pro consuetudine quæ tunc vigebat apud Judæos, ut omnes nuberent ad propagationem populi fidelis, item de obedientiâ et necessitate respectivè ad hanc consuetudinem : et benè ex ipso S. Aug., qui lib. de Virginit. c. 4, expendens votum à Deiparâ nuncupatum, dicit : « Hoc Israelitarum mores « adhuc recusabant. » Ergo secundùm SS. Patres, etiam fatentibus adversariis, colere virginitatem, erat adhuc tunc contrarium moribus Israelitarum. Prob. 2° idem ant. : Licet habeamus quædam exempla virorum qui tempore Legis manserunt cœlibes, ut Josue, Eliæ, Elisæi, etc., nullàm tamen legimus mulierem coluisse virginitatem. Id equidem quidam opinantur de Mariâ sorore Moysis, sed apertè contradicit Joseph, lib. 3 Antiquit. c. 2, ubi dicit Mariam fuisse junctam matrimonio Huri, qui unà cum Aarone Moysis brachia in monte sustinebat, Exodi 17. Aliunde unius factum, sicut non facit, ita nec destruit morem. Ergo.

Dices 1° : SS. Patres qui votum virginitatis in Deiparâ agnoscunt, votum simpliciter dicunt, nec distinguunt inter absolutum et conditionatum. 2° Quod est perfectius, est tribuendum B. Virgini ; atqui perfectius est absolutè vovere quàm conditionatè ; ergo. 3° B. Maria erat virginibus proponenda in exemplum ; istæ autem absolutè vovent. 4° Nulla est ratio quæ cogat agnoscere in B. Virgine votum tantùm conditionatum, non præceptum legis Judaicæ vacandi generationi, quia vel nullum fuit, vel saltem spectabat communitatem, non singulos nisi in casu necessitatis, quæ tunc non erat, non matrimonium initum cum S. Joseph, quia essentia matrimonii consistit in jure mutuo ad copulam, non in ipso usu copulæ, qui potest separari à jure ; votum autem absolutum virginitatis non repugnat juri mutuo ad copulam, sed ipsi tantùm usui copulæ. Ergo.

R. ad primum : Argumentum est negativum, quod nihil probat. Insuper non erat ratio cur SS. Patres distinguerent inter votum absolutum et conditionatum, cùm utrumque B. Virgo emiserit.

Si dicas : Juxta SS. Patres, B. Virgo emisit votum absolutè ante matrimonium initum cum S. Joseph, quod nos dicimus emissum tantùm inito matrimonio ; sic S. Aug. lib. de Virginit. cap. 4 : « Desponsata est, inquit, viro justo, « non violenter ablaturo, sed potiùs contra « violentos custodituro quod illa jam voverat. » Et S. Greg. Nyss. in diem Natalis Christi : « Non liberorum causâ Joseph nupsit, quin « imò nefas illi fuit cognoscere virum. »

Resp., laudatos Patres posse intelligi de voto conditionato, si Deus aliter non ordinaret ; quamdiu enim id non innotescebat illi, tenebatur voto. Adde quòd hoc argumentum militet tantùm contra circumstantiam temporis in quo dicimus emissum votum absolutum, non autem probat quòd ab initio fuerit absolutum.

Ad secundum, distinguo minorem : Perfectius est vovere absolutè quàm conditionatè, secundùm se, concedo ; attentis circumstantiis, ut si esset periculum displicendi Deo per votum absolutum, nego. Sic autem erat in casu. Adde quòd Deipara etiam voverit absolutè, ut jam dictum est, et quidem ante annuntiationem angeli. Et per hoc patet responsio ad tertium.

Ad quartum, resp. quòd neque ratione præcepti strictè legis Mosaicæ, neque ratione matrimonii initi cum Joseph, dicamus Deiparam non vovisse absolutè, sed quia « hoc mores « Israelitarum adhuc recusabant, » ut dicit S. Aug. supra laud.

His tamen non obstantibus, sententiam contrariam ut verè probabilem etiam agnosco

propter rationes mox deductas, et quia à pluribus insignibus theologis etiam Thomistis propugnatur, ita ut videatur hodiè communior. Et quantùm ad D. Th., qui videtur apertè contrarius, observat noster Serrius S. doctorem in sententiam voti conditionati ivisse, delusum supposititio testimonio S. Augustini, à Magistro Sententiarum et Gratiano laudato, cujus suppositionem S. Th. in suâ ætate propter probatorum codicum penuriam deprehendere non potuit; sic enim S. Aug. loquentem inducunt Magister Sent. lib. 4, d. 30, et Gratianus can. *Sufficiat*, causâ 27, q. 2 : « Beata « Virgo proposuit se servaturam votum virgi- « nitatis in corde; sed ipsum votum non ex- « pressit ore; subjecit se divinæ dispositioni; « proposuit se perseveraturam virginem, nisi « Deus ei aliter revelaret, committens virgo « suam virginitatem divinæ dispositioni; con- « sensit in carnalem copulam, illam non ap- « petendo, sed divinæ inspirationi in utroque « obediendo. Postea verò simul cum viro « labiis expressit, et uterque in virginitate « permansit. » Quo S. Augustini testimonio, bonâ fide accepto, sententiam firmat S. Th. in q. cit. d. 30, q. 2, art. 1, dicens : « Et hoc « est quod Augustinus in litterâ tradit, quòd « proposuit se perseveraturam virginem, nisi « Deus aliter ordinaret. » Attamen nihil horum habet S. Aug., neque lib. de Nupt. et Concup. qui apud Magistrum Sent. citatur in margine, neque lib. de Virginitate à Gratiano notato.

Cæterùm quidquid sit, cùm utraque sententia admittat Deiparam vovisse absolutè virginitatem, et sit tantùm disputatio de tempore, an ab initio, an decursu temporis, quando novit ex divinâ revelatione id Deo placere, quod est contra hæreticos hodiernos, restant argumenta eorum solvenda.

Obj. : Præceptum erat in lege vacandi generationi, Gen. 1, v. 28, his verbis : *Crescite et multiplicamini; et replete terram.* Quod Deus repetit post diluvium, ibid. c. 9, v. 1. Ergo Mater Dei non potuit absque transgressione et peccato vovere absolutè virginitatem.

Resp. 1° hæc verba non esse Dei præcipientis, sed benedicentis et promittentis fœcunditatem; eadem enim legimus cap. cit. v. 22, dicta brutis, quæ non sunt capacia præcepti. 2° Esto fuerit, præceptum istud obligabat tantùm per se, directè et primariò communitatem, non privatos nisi in casu necessitatis propter propagationem generis humani et multiplicationem populi fidelis, ut probavi in tract. de Matrim. dissert. 1, art. 1, § 2, et docet S. Th. in 4, d. 37, q. 3, a. 2, ad 2; tempore autem B. Virginis ex neutro capite necessitas urgebat; sufficienter enim propagatum erat genus humanum, et multiplicatus populus fidelis.

Inst. 1° : Exodi 23, v. 26, legitur : *Non erit infœcunda et sterilis in terrâ tuâ.* Et Deuteron. 7, v. 14 : *Non erit in te sterilis tam in hominibus quàm de gregibus tuis.* Ergo.

Resp. ut ante, 1° non esse prohibitionem colendæ castitatis, sed promissionem futuræ fœcunditatis : non enim sterilitas seu fœcunditas subjacere potest præcepto, cùm non sit in potestate hominis, neque pecora sint capacia præcepti. 3° Si sit præceptum, non afficit singulos nisi in casu necessitatis, qui tum non erat.

Inst. 2° : Saltem in vet. Testam., sterilitas erat probrosa, et instar maledictionis habebatur : Oseæ 9 : *Da eis vulvam sterilem;* Rachel, Gen. 30, ubi peperit filium, *abstulit,* inquit, *Deus opprobium meum;* è contra fœcunditas pro benedictione et summâ felicitate habebatur : Isai. 26 : *Beatus qui habet semen in Sion;* et Luc. 1, Elisabeth propter natum Joannem Bapt., *congratulabantur vicini et cognati, quia magnificavit Dominus misericordiam suam* cum illâ. Ergo.

Resp. : Distinguo antecedens : Sterilitas ex impotentiâ in conjugatis, qui cùm vellent generare non possunt, erat probrosa, concedo; sterilitas ex electione in virginibus, quæ cùm possent generare, nolunt, majoris perfectionis studio, nego. Similiter de fœcunditate, est summa felicitas et benedictio in conjugatis, quia assequuntur quod optant in conjugio : at major est felicitas et benedictio servata virginitas, quia virgines bonum excellentius quod quæruntur, scilicet carnis incorruptionem, assequuntur, juxta illud Sap. 3 : *Felix est sterilis incoinquinata, quæ nescivit torum in delicto; habebit fructum in respectione animarum sanctarum.*

Quantùm ad quosdam Patres qui videntur agnoscere legem vacandi generationi, explicuimus supra de lege impropriè sumptâ pro moribus et consuetudine Israelitarum.

Dico 3° : Constat ex primâ conclusione Deiparam votum virginitatis absolutum emisisse antequàm salutaretur ab angelo, cui ideò respondit : *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, cognoscere non possum, ob votum virginitatis, ut exposui loco citato. Si namque votum fuisset conditione suspensum,

si Deo placeret, aut aliud non ordinaret, ex nuntio angeli statim intellexisset id Deo non placere, sed aliud ordinâsse, neque respondisset : *Quomodò fiet istud? quoniam virum non cognosco,* id est, cognoscere non possum, cùm se sensisset solutam à voto conditionato, conditione non purificatâ.

Qui tenent votum fuisse ab initio conditionatum, dicunt emissum fuisse absolutè post matrimonium contractum cum S. Joseph, alii ante matrimonium. Quo verò ætatis Deiparæ anno, incertum æstimant.

Dico 4° : Juxta quosdam SS. Patres, Deipara mortalium prima virginitatem vovit, eamque ex voto servavit.

Prob.: S. Bernardus Serm. de Virg. in hæc verba Apocal. : *Signum magnum apparuit in cælo,* dicit : « Propositum virginitatis et ipsius « quoque propositi novitas virginitatem carnis « illustrat, quòd videlicet in libertate spiritûs, « legis Mosaicæ decreta transcendens, illiba- « tam Deo corporis et spiritûs sanctimoniam « vovit. » S. Anselmus in Stimulo amoris, dicit Christo : « Descendisti è regali solio su- « blimis gloriæ tuæ in humilem et abjectam « in oculis suis puellam, primo virginitatis « continentiæ voto sigillatam. » Rupertus abbas l. 3 in Cantica : « Qui votum egregium « Deo prima vovisti, votum virginitatis, » etc.

Articulus V.

De matrimonio B. Virginis cum S. Joseph.

Verum extitisse matrimonium inter B. Virginem et S. Josephum probavi in disgressione historicâ ad calcem diss. 3 de Matrim. Illùc recurrat lector, et simul conferat art. 5 ejusdem diss. de objecto consensûs matrimonialis. Hoc supposito, restant duæ quæstiones solvendæ : prima, quandonam matrimonium istud fuit contractum; secunda, quoto utriusque ætatis anno. Unde

Dico 1° : Matrimonium inter B. Virginem et S. Josephum non fuit contractum tribus mensibus post salutationem angelicam, quando nempe B. Virgo reversa ex visitatione Elisabeth apparuit Josepho gravida, et ipse de mysterio fuit instructus ab angelo, ut quibusdam SS. Patribus visum est : sed probabiliùs contractum fuit antequàm B. Virgo salutaretur ab angelo. Ita sentiunt SS. Chrysost. Hom. 4 in Matth. 5, Ambros. in Luc. cap. 1, Bernard. Hom. 2 super *Missus*, Petrus Chrysologus Serm. 175, Th. hìc q. 29. a. 2, ad 3, et alii.

Prob. 1° : Ideò secundùm SS. Patres, etiam illos qui hìc nobis adversantur, Christus voluit nasci ab uxoratâ, ut Matris honori consuleretur, ne scilicet haberetur fornicaria : atqui si post tres menses tantùm à conceptione juncta sit matrimonio, apparuisset gravida ex concubitu fornicario, sive cum Josepho sive cum altero : ergo.

2° Ideò, juxta eosdem SS. Patres, Deipara juncta fuit matrimonio ut partus ejus celaretur diabolo, dùm de Joseph semine et non de virgine putat esse natum : atqui si tribus mensibus post imprægnationem inivisset matrimonium, quando jam apparebat gravida, diabolus non putâsset ex Joseph semine esse conceptum : ergo.

Dices : Matth. 1 sic legitur : *Cùm esset desponsata mater Jesu, Maria, Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere illam. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est; pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum..... Exsurgens autem Joseph à somno, fecit quod præcepit ei angelus Domini, et accepit conjugem suam.* Atqui ex toto hoc contextu eruitur quòd tunc solùm Joseph acceperit Mariam in conjugem suam, quando ei revelatum est ab angelo mysterium divinæ fœcunditatis : ergo.

Resp. : Nego assumptum ; quinimò ex hoc contextu attentè perpenso eruitur contrarium. Nam 1° tunc jam Joseph dicitur *vir ejus,* scilicet Mariæ : ergo jam tunc erat Josepho juncta matrimonio. 2° Dicitur, *voluit dimittere illam :* nemo autem dimittit uxorem quam reipsà non duxit : « Quam non accepit, inquit S. Am- « bros. l. 2 in Luc. c. 1, nemo dimittit; et ideò « qui volebat dimittere, fatebatur acceptam. » 3° Dicitur : *Noli timere accipere conjugem tuam;* et postea : *Joseph accepit conjugem suam.* Qui autem in matrimonio primùm jungitur, non dicitur *accipere conjugem suam,* sed *accipere in conjugem suam.* Itaque sensus horum verborum est : *Cùm esset desponsata mater Jesu, Maria, Joseph,* non per verba de futuro quæ sponsalia tantùm efficerent, sed per verba de præsenti quæ verum matrimonium efficiunt : quo sensu dixit Luc. cap. 2 : *Ascendit Joseph à Galilæâ cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante, antequàm convenirent,* id est, antequàm ullam copulam haberent. *Joseph autem cùm esset*

justus et nollet eam traducere; voluit occultè dimittere illam; id est, cùm nollet eam diffamare et in judicium deducere, voluit occultè dimittere illam de domo suâ et convictu. *Noli timere accipere conjugem tuam,* id est, acceptam retinere in domo et convictu. Quod posset opponi ex his verbis, *antequàm convenirent,* quasi postea carnaliter convenerint, dilutum est supra, dùm de virginitate B. Mariæ.

Quantùm ad ætatem utriusque conjugis, quidam ex Epist. Evodii in sede Antiochenâ S. Petri successoris, dixerunt Josephum, dùm contraxit matrimonium cum Deiparâ, fuisse senem ad minus octogenarium. Et Baronius ex eâdem Epist. scribit B. Virginem fuisse quatuordecim annorum; sicque eos exhibere solent pictores. Verùm hæc Evodii Epist. nunc ab eruditis penes omnibus rejicitur ut apocrypha, spuria et næniis atque fabulis referta. Unde

Dico 2°: Joseph dùm cum Mariâ matrimonium iniit, non erat senex octogenarius, sed vir ætate florens. Prob. 1°: Ideò, juxta unanimem SS. Patrum sensum, Joseph datus est maritus B. Virgini, ut illi esset solatio et præsidio in fovendâ et educandâ prole, in rebus domesticis gerendis, in oneribus matrimonii ferendis, utque pauperem familiam arte et industriâ aleret: atqui hæc præsidia et subsidia à sene octogenario exspectari non poterant: ergo. 2° Item, juxta eosdem SS. Patres, Deus B. Mariam matrimonio jungi voluit, ut ejus honor in tuto poneretur, possetque ejus partus marito tribui ab his qui mysterium ignorarent: atqui in hunc finem congruebat virum esse ætate florentem, non senem effœtum; quinimò effœta mariti ætas malè suspicandi de uxore juvenculâ pariente ansam præbuisset.

Dico 3°: Nullum exstat certum antiquitatis monumentum B. Virginem ætatis suæ anno decimo quarto iniisse matrimonium: quin potiùs rationi videtur conformius eam tunc fuisse grandiusculam et maturioris ætatis. 1° Quia post aliquot menses à matrimonio contracto, longam et difficilem peregrinationem suscepit in montana Judææ, salutatura cognatam suam Elisabeth. 2° Quia cùm nuberet non libidine aut desiderio prolis impulsa, sed ut Judæorum moribus se conformaret, nulla erat ratio accelerandi suum matrimonium.

Quo autem præcisè ætatis suæ anno et ipsa et Joseph matrimonium contraxerint, incertum planè est.

Articulus VI.

De annuntiatione B. Virginis.

Plura hìc occurrunt discutienda: primum, utrùm fuerit conveniens annuntiari B. Virgini incarnationem Verbi in eâ esse perficiendam; secundum, utrùm ista annuntiatio debuerit fieri per angelum; tertium, quis, ex quâ hierarchiâ et ex quo ordine fuerit angelus Gabriel missus ad B. Virginem; quartum, utrùm angelus in humanâ specie apparuerit B. Virgini; quintum, utrùm debito ordine peracta sit salutatio angelica; sextum, ubi et quando sit peracta; septimum, unde orta sit turbatio B. Virginis, de quâ S. Lucas c. 1. Pro quorum resolutione

Dico 1°: Conveniens fuit annuntiari B. Virgini incarnationem Verbi in eâ esse perficiendam. (Q. 30, a. 1, o.) 1° Ut debito ordine priùs Deum mente conciperet quàm corpore: unde S. Aug. l. de Virgin. c. 3, dicit: « Beatior est « Maria percipiendo fidem Christi, quàm con« cipiendo carnem Christi. » Et infra: « Ma« terna propinquitas nihil Mariæ profuisset, « nisi feliciùs Christum corde quàm carne « gestâsset. » 2° Ut super hoc sacramentum divinitùs instructa, posset illius esse certior testis. 3° Ut voluntariè Deo sua obsequia offerret, ad quod promptam se exhibuit dicens: *Ecce ancilla Domini.* 4° Ut obtineretur ejus consensus, quia in hoc mysterio intercedebant sponsalia seu spirituale matrimonium tum inter Verbum divinum et naturam humanam quam induit, tum inter Spiritum sanctum et Mariam quam imprægnavit, tum inter Christum et Ecclesiam quam instituit; ad sponsalia autem seu matrimonium requiritur consensus sponsæ, quem B. Virgo suo et Ecclesiæ totiusque naturæ humanæ nomine dedit. (Ib. a. 2, o.) Item requirebatur iste consensus ut, sicut femina, dando consensum angelo, tentatori ruinæ generis humani initium dedit, sic femina dando consensum angelo salutanti redemptionis generis humani initium daret.

Dico 2°: Annuntiatio B. Virginis convenienter facta est per angelum. (Ibid.) 1° Quia hæc est Dei ordinatio, quòd mediantibus angelis, nisi quid obstet, divina ad homines perveniant. 2° Congruum erat ut, sicut angelo tentatore perierat genus humanum, ita angelo ministrante repararetur. 3° Sic etiam congruebat virginitati Matris Dei: unde S. Hieron. in Serm. Assumpt. dicit: « Benè angelus ad Vir« ginem mittitur, quia semper est angelis co-

« gnata virginitas ; profectò in carne præter « carnem vivere, non terrena vita est, sed « cœlestis. »

Dico 3° : Angelus Gabriel missus ad Mariam, non est supremæ hierarchiæ, sed infimæ primus ex secundo ordine qui est archangelorum. (Ibid. ad 4.) Ad quorum intelligentiam, *observandum est* angelos distribui in tres hierarchias, et quamlibet in tres ordines. Suprema hierarchia continet Seraphinos, Cherubinos et Thronos; media, Dominationes, Virtutes et Potestates; infima, Principatus, Archangelos et Angelos. Prob. itaque conclusio. 1° Quia Gabriel missus ad Mariam, ab Ecclesiâ et Patribus dicitur passim archangelus. 2° Quia tanti mysterii excellentia requirebat ut illius nuntius esset summus inter eos qui summa nuntiant ; atqui spiritus superiorum ordinum non mittuntur ad ferenda nuntia, sed soli archangeli et angeli ; archangeli quidem ad summa, angeli ad communia.

Nec obstat dictum S. Greg. Hom. 34 in Evang.: « Summum angelum venire dignum fuerat, qui « summum omnium nuntiabat. » Per summum enim non intelligit primum omnium, sed primum inter eos qui mittuntur ad ferenda nuntia : unde ibid. paulò ante vocat ipsum archangelum. « Ad Mariam Virginem, inquit, non qui« libet angelus, sed Gabriel archangelus mit« titur. » Et hoc nomen, ut ibid. addit, « officio « suo congruit ; Gabriel enim fortitudo Dei « nominatur : per Dei ergo fortitudinem nun« tiandus erat, qui virtutum Dominus et po« tens in prælio ad debellandas aereas potesta« tes veniebat. »

Dico 4° : Angelus in humanâ specie apparuit B. Virgini. (Ibid. a. 3, 0.) Id apertè indicat series narrationis Evangelicæ, Luc. 1. Dicitur enim angelus ingressus ad Mariam, cum eâ locutus, et finito colloquio discessisse ; quæ omnia externam speciem et quidem humanam referunt. Idem suadent congruentiæ. Prima, quia cùm angelus nuntiaret Deum invisibilem assumpturum visibilem carnem humanam, congruum erat ut invisibilis creatura formam quâ appareret visibilis assumeret. Secunda, quia cùm B. Virgo non solùm in mente, sed etiam in ventre corporeo Dei Filium recepturа erat, non solùm ejus mens, sed etiam sensus corporei erant visione angelicâ refovendi. Tertia, ut Maria certior fieret ejus quod annuntiabatur; ea enim quæ sunt oculis subjecta, certiùs apprehendimus quàm ea quæ imaginamur. Unde S. Chrysost. Hom. 4 in Matth. dicit, quòd « angelus non in somnis, « imò visibiliter Virgini astitit : nam quia « magnam valdè relationem accipiebat ab « angelo, egebat, ante tantæ rei eventus, vi« sione solemni. »

Dico 5° : Salutatio angelica debito ordine peracta est. (Ibid. a. 4, 0.)

Prob. Tria angelus intendebat circa B. Virginem. 1° Quidem reddere ejus mentem attentam ad tantæ rei considerationem, quod facit eam salutando novâ quâdam et insolitâ salutatione, in quâ præmittit ejus idoneitatem ad conceptum, dicens : *Gratiâ plena;* exprimit conceptum mox futurum, dicens : *Dominus tecum;* et prænuntiat honorem inde consequentem, dùm dicit : *Benedicta tu in mulieribus.* 2° Intendebat eam instruere de mysterio Incarnationis in eâ perficiendo : quod facit, tum prænuntiando conceptum et partum : *Ecce concipies et paries,* etc., tum indicando dignitatem prolis concipiendæ : *Hic erit magnus,* etc., tum denique demonstrando modum conceptionis : *Spiritus sanctus superveniet in te,* etc. 3° Intendebat animum ejus inducere ad consensum, quod fecit exemplo Elisabeth et argumento ex omnipotentiâ Dei deducto : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Observandum quòd angelus proposuerit exemplum conceptûs Elisabeth, non ut B. Virgini quasi incredulæ mysterium Incarnationis persuaderet; iste enim conceptus longè minor erat conceptu quem annuntiabat; sed proponebat ut in aliquo simili mysterium explicaret et rem ipsam confirmaret : sicut angelus nuntians pastoribus Christi nativitatem, dedit eis signum, quamvis ipsi de re indicatâ non dubitarent.

Dico 6° : Salutatio angelica peracta est in civitate Galilææ, cui nomen Nazareth. Ita Luc. 1. Nec obstat quòd Joseph et Maria, utpote Judæ tribules, debuerint habere domum in Judæâ, quæ in partitione terræ sanctæ obtigerat tribubus Judæ et Benjamin, non in Galilæâ quæ in sortem tribuum Zabulon et Nephthali cesserat. Non obstat, inquam, quia partitio facta à Josue erat possessionum, non habitationum. Poterant ergo Joseph et Maria habere in Galilæâ domunculam elocatam, possessiones verò in Judæâ. Adde quòd post captivitatem Babylonicam, limites possessionum à Josue præscripti non ita fuerint religiosè servati, quin potiùs omnes susdeque permixti.

Dico 7° : Juxta Ecclesiæ traditionem peracta est salutatio angelica vigesimâ quintâ martii : ita ut inter conceptionem Christi et ejus nativitatem, quæ pariter creditur contigisse vigesimâ quintâ decembris, intercesserint novem menses integri. De horâ incertum est ; et ideò ad memoriam et venerationem hujus sacratissimi momenti, usus obtinuit inter fideles ut ter in die, manè, meridiè et vesperè salutationem angelicam recitarent. Non est tamen omninò improbabilis illorum opinio qui censent salutationem angelicam peractam esse statim post mediam noctem sub initium dici naturalis. 1° Quia hâc ipsâ horâ Christus natus est, sicque justè completi sunt novem menses gestationis in utero. Quia id significatum videtur his verbis Sap. 18 : *Cùm quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus exsiliens de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator, in mediam extermini terram prosilivit.*

Dico 8° : Turbatio B. Virginis, de quâ Lucas c. 1, orta est ex aliquo timore, quem ut excuteret angelus dixit : *Ne timeas, Mariâ.* Quæ fuerit autem causa timoris, varii variam assignant. S. Ambros. lib. 2 de Abraham c. 9, assignat introitum angeli sub specie viri : at non dicitur turbata *in introitu ejus,* sed *in sermone ejus,* et non cogitabat quis et qualis esset qui apparebat, sed *qualis esset ista salutatio.*

Alii assignant sublimitatem mysterii ab angelo nuntiati. Verùm sublimitas mysterii non tam timorem quàm admirationem causâsset, et hunc timorem, si inde natus esset, non sedâsset, sed auxisset angelus dicendo : *Spiritus superveniet in te,* etc. Alii dicunt B. Virginem inde timuisse, quòd dubitaret qualis esset angelus qui loquebatur, an bonus, vel malus qui eam laudando ad superbiam provocaret. Verùm non dicitur, ut jam observavi, cogitâsse de salutatore, quis esset, sed qualis ejus salutatio. Quapropter veriùs videntur sentire qui dicunt eam fuisse turbatam ex eo quòd timeret fractionem voti virginitatis quod priùs emiserat; subintellexerat enim ex his angeli verbis : *Benedicta tu in mulieribus,* prolem concipiendam, eò quòd esset solita in veteri Testamento mulierum benedictio; et cùm nondùm sciret modum quo id perficiendum esset, timebat ne cum jacturâ virginitatis fieret; unde quærit : *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quod posset opponi ex prophetiâ Isaï. c. 7, quam non ignorabat Maria, solutum est supra, articulo 4, concl. 1.

Articulus VII.

De morte Deiparæ.

Duo potissimùm hìc vertuntur in quæstionem : primum, an mortua sit B. Virgo; secundum, ubi sit mortua.

Dico 1° : Certissimè tenendum est B. Virginem esse mortuam. Prob. 1° ex lege generali, quâ *statutum est omnibus hominibus semel mori,* Hebr. 9; et Psal. 88 : *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem?* Prob. 2° auctoritate Ecclesiæ, quæ in officio Assumptionis pluries agnoscit B. Virginem esse vitâ functam, præsertim in Collectâ ex Sacramentario S. Gregorii depromptâ : *Sancta Dei Genitrix Virgo mortem subiit temporalem;* et in Secretâ : *Quam pro conditione carnis migrâsse cognoscimus.* Prob. 2° ex communi sensu SS. Patrum, quorum nullus ante S. Epiphanium de morte B. Virginis dubitavit.

Levi autem fundamento nixus dubitavit S. Epiphanius, quia nimirùm S. Scriptura silet de B. Virginis morte. « Quærant, inquit hæresi « 78, vestigia S. Scripturarum, et invenient « utique, neque mortem Mariæ, neque an « mortua sit, an non mortua; neque an se« pulta sit, an non sepulta... Non omninò de« finio hoc, et non dico quòd immortalis man« sit, sed neque affirmo an mortua sit. » Quasi verò necesse sit mortem alicujus exprimi in S. Scripturâ ut crederetur mortuus, dùm constat nullum ab eâ lege excipi. Nullius apostolorum, excepto Jacobo, mors exprimitur in S. Scripturâ, ideòne dubitamus an sint mortui? Neque locus erat referendi mortem Virginis in Evangelio, quod Christi duntaxat historiam continet usque ad ejus ascensionem; neque in Actis, quæ historiam apostolorum, præsertim Petri et Pauli, tantùm referunt. Epistolæ verò apostolicæ singulares tractant materias quæ nihil attinent ad transitum B. Virginis.

Dices insuper : 1° Mors est pœna peccati originalis : atqui B. Virgo immunis fuit à peccato originali : ergo. 2° Henoc, Elias, S. Joannes Evangelista, non sunt mortui, quidni eodem privilegio donatam Deiparam dicamus?

Resp. ad primum : Omissâ minore distinguo majorem. Mors est pœna peccati originalis tantùm : nego maj.; est insuper nativa conditio naturæ humanæ sibi relictæ, concedo maj. Equidem Adam ex privilegio justitiæ

originalis fuisset immortalis, et peccando amisit justitiam originalem atque inde promanans privilegium immortalitatis, sicque ex illâ parte mors est pœna peccati : sed etsi fuisset creatus Adam absque hoc privilegio, et conditioni naturæ suæ ex qualitatibus contrariis sese destruentibus relictus, mortem etiam subiisset independenter à peccato; ideòque B. Virgo, etiamsi supponatur à peccato originali immunis, cùm tamen non esset justitiæ originalis privilegio donata, mortem subire debuit. Quinimò Christus, in quo certò non erat peccatum originale, nativæ suæ conditioni relictus mortem senescendo subiisset, si ab hominibus non fuisset occisus, ut docet S. Aug. lib. 2 de peccat. Merit. et Remiss. cap. 29.

Ad secundum : Nego conseq. Henoc enim et Elias non sunt translati in cœlestem patriam, sed in locum amœnum mortalibus impervium, donec veniat Antichristus contra quem pugnabunt, et quo devicto morientur, ac tum demùm æternam beatitudinem obtinebunt : quæ de B. Virgine dici non possunt. Idem foret dicendum de S. Joanne Evangelistâ, si verum esset quòd non obierit; sed contraria sententia est longè probabilior et communior.

Dico 2° : Quo loco obierit Deipara, an Ephesi, an Jerosolymis, certò definiri non potest, propter probabilitatem utriusque sententiæ.

Obiisse Ephesi suadet potissimùm Epistola synodica concilii Ephesini, anno 431 ad cierum et populum Constantinopolitanum, ubi Patres synodici referunt Nestorium damnatum in urbe Ephesi, *in quâ,* inquiunt, *theologus Joannes et Dei genitrix Virgo sancta Maria;* hoc enim, subintelligendo, *est,* quod juxta leges linguæ Latinæ et Græcæ eleganter subintelligitur, significat Joannem theologum et B. Virginem *esse* Ephesi, utique inhumatos; quomodò enim tunc aliter esse possent?

Equidem aliqui dicunt hanc phrasim esse mutilam, et supplendum, vel *aliquando habitaverunt,* vel *sacras ædes habent,* vel *magno sunt in honore;* sed ex nullo codice probatur mutilatio, et si subintelligitur *est,* secundùm usum linguæ Græcæ et Latinæ, non est recurrendum ad mutilationem.

Confirmatur. Patres Ephesini idem voluerunt significare, Joannem illic esse inhumatum; id enim apud ipsos constabat, ut patet ex Epistolâ Cœlestini papæ, in quâ eos hortatur ut Joannis documenta sequantur, *cujus reliquias,* inquit, *præsentes veneramini.* Et episcopi Orientales qui ad concilium venerant, conqueruntur injectam sibi moram, ne sanctorum martyrum et singulariter Joannis Evangelistæ reliquias deoscularentur.

His non obstantibus remanet dubium; difficile est enim designare tempus quo B. Virgo potuerit venire Ephesum, si reverà venerit. Communiter dicitur venisse cum S. Joanne Evangelistâ. Is autem juxta S. Irenæum l. 3, c. 3, S. Epiphanium hæresi 51, et Acta S. Timothæi apud Bollandistas ad vigesimam quartam januarii, non venit Ephesum, saltem ad habitandum et ad regendam Ecclesiam, nisi valdè senex et post mortem SS. Petri et Pauli, hoc est, anno æræ vulgaris sexagesimo sexto, quo tempore habuisset B. Virgo octoginta quinque annos, supponendo quòd peperit Salvatorem anno ætatis suæ decimo quinto, ut quidam volunt, aut annos nonaginta quatuor, supponendo cum aliis quòd peperit Christum anno ætatis suæ vigesimo quarto. Non est autem verisimile eam tot annis gravatam hoc iter suscepisse. Necesse est ergo dicere S. Joannem priùs venisse Ephesum cum B. Virgine, sed ibi non fuisse commoratum : at quo fundamento id dicatur, non liquet, nec est verisimile Joannem illùc adduxisse B. Virginem, ut statim eam desereret. Insuper Polycrates Ephesiorum episcopus, in Epistolâ ad Victorem papam, quam refert Eusebius, l. 5 Hist. cap. 24, refert magna sanctitatis lumina Ephesi et in Asiâ exstincta, nec B. Virginis meminit.

Respondet Serrius, ideò non meminisse B. Virginis, quia recensendo ista sanctitatis lumina, intendebat probare eorum exemplo pascha esse celebrandum decimâ quartâ martii : cùm autem B. Virgo breve tempus duxerit Ephesi et paulò post adventum obierit, non fuit illi occasio celebrandi illic paschatis : unde non erat cur Polycrates eam cum aliis pascha decimâ quartâ die celebrantibus laudaret. Verùm hæc ultima faciliùs dicuntur quàm probantur; unde enim scire possunt? Obiisse verò Jerosolymis quidam probant ex D. Dionysio, qui c. 3 de Divinis Nominibus, dicit se cum apostolis et Hierotheo illùc convenisse ad videndum corpus B. Virginis. Sed præterquàm quòd multi hodiè habeant ista scripta ut D. Dionysio supposita ab auctore quodam quinti seculi, non pauci etiam censent Dionysium sive verum sive fictitium, non loqui de corpore Virginis, sed de sepulcro Christi, et

inde natum errorem quòd legeretur σώματος, corporis, pro σήματος, sepulcri. Ita S. Maximus, Hincmarus, Harduinus, Combefisius, Thomassinus, Tillemontius et alii. Certum itaque argumentum inde peti non potest.

Omitto alia scripta potiori jure reputata apocrypha, ut liber qui appellatur *Transitus B. Virginis* Melitoni Sardensi episcopo suppositus, sermo de Assumptione ab aliquibus S. Hieronymo, ab aliis Sophorino ejus amico affictus, quidam sermones SS. Athanasio et August. falsò adscripti. S. Joannes Damascenus, Andræas Cretensis, Nicephorus referunt ex Euthymio, Juvenalem episcopum Jerosolymitanum anno 451, respondisse Marciano Augusto et Pulcheriæ de corpore Deiparæ sollicitis, ejus sepulcrum Gethsemani prope Jerosolymam esse situm, sed vacuum.

At reponunt alii 1° Euthymium esse auctorem ignotum, cui ideò certa fides adhiberi non potest. 2° Dato Juvenalem sic respondisse Marciano, ipsum majorem fidem non mereri, quippe qui, juxta S. Cyrillum, vir fuit ambitionis immodicæ, adjutor Dioscori in Latrocinio Ephesino, et qui juxta S. Leonem falsa monumenta supposuit in favorem sui patriarchatûs Jerosolymitani. Insuper S. Leo in litteris ad eumdem Juvenalem, datis tertio circiter anno post datum, ut dicitur, Marciano responsum de sepulcro Mariano, in quibus ex professo agit de locis Jerosolymorum religione fidelium frequentatis, nihil prorsùs habet de sepulcro Deiparæ; quod procul dubio non omisisset, si ex responso ipsiusmet Juvenalis ad imperatorem jam factum esset celebre.

His igitur omnibus omissis, hujus sententiæ probabilitatem repetimus tantùm ex his quæ refert Baronius ad annum 48, n. 19, ubi postquàm dixit non multùm ante tempora Juvenalis Marianum sepulcrum fuisse repertum, subjungit : « Qui loca illa intuiti sunt, eademque fideliter descripsêre (citat in margine Burchardum l. 1, c. 7, § 47), sanè testantur post cladem Jerosolymitanam à Romanis illatam, sepulcrum Dei Genitricis ruinâ propinquorum ædificiorum sic fuisse coopertum et obrutum, ut per gradus circiter sexaginta pateat ad illum locum descensus. Et qui nostris temporibus illùc peregrinati sunt, testantur illud in petrâ excisum esse et instar sepulcri Domini, nativi lapidis cohærentiâ, loco immobiliter inhærere. Meminit et Beda de Locis Sanctis, sepulcrum Dei Genitricis suis temporibus vacuum cerni in dicto loco : unde et miramur quomodò illud dicatur Constantinopolim fuisse translatum. » Hæc Baronius.

Unde non mirum S. Hieronymum et S. Epiphanium, qui loca sancta frequentârunt, mentionem non fecisse sepulcri Mariani (quod est argumentum oppositæ sententiæ), siquidem dicatur post illorum tempora repertum.

Longè magis incertum est quo anno vitæ suæ et Christi obierit B. Virgo. Alii dicunt mortuam esse anno Christi quadragesimo octavo; alii usque ad extremam senectutem devenisse; alii vitâ functam dicunt ipso anno Christi in cœlum assumpti; alii anno Christi trigesimo septimo, ætatis suæ quinquagesimo secundo, vel, ut aliis placet, sexagesimo primo.

Placidâ verò morte obiisse, et non martyrio, ut quidam commenti sunt, communissima est sententia. Nec favet contrariæ illud Luc. 2: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius;* non enim de gladio materiali intelligendum est, cùm materialis gladius non possit transfigere animam, sed de doloribus, quos, Christo patiente, passa est.

Articulus VIII.

De assumptione B. Virginis.

Dico : Temerarium foret negare B. Virginem esse corpore et animo assumptam in cœlum.

Prob. 1° auctoritate Ecclesiæ, quæ in officio Assumptionis inseruit lectiones ex S. Joanne Damasceno et S. Bernado, in quibus asseritur assumptio corporea B. Virginis, et in Collectâ dicit : *Sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit.* Per nexus mortis verò intelligit Ecclesia corruptionem corporis, non peccata, ut quidam fingunt; alioquin nihil tribueret B. Virgini præ cæteris sanctis, cùm nullus justorum moriendo deprimatur peccato. 2° Auctoritate Patrum et theologorum. Sic enim docet S. Greg. Turonensis seculo 6, l. de Miraculis, c. 4; Andræas Cretensis Orat. 2 de laudibus Deiparæ; S. Greg. Mag. ex cujus Sacramentario deprompta est collecta de quâ supra; S. Joannes Damasc. Orat. 2 de Dormitione Deiparæ; B. Petrus Damiani Serm. de Assumpt.; S. Bernardus Serm. 1 de Assumpt. Idem unanimiter docent scholastici, S. Th. hìc, q. 27, a. 2, in 4, d. 43, q. 1, c. 1, a. 3, et opusc. 8; Hugo à S. Victore l. 3 erudit.

Theologicæ c. 125; Durandus l. 7 de divinis Officiis, et cæteri communiter. 3° Ex communi sensu fidelium, qui magnâ cum solemnitate festum Assumptionis B. Mariæ celebrant, intelligentes assumptionem corpore et animo. 4° Variis congruentiis : ita enim exigebat primò pientissimi Filii in Matrem dilectissimam affectus : secundò summa ejus cum Christo conjunctio, ut quæ in vitâ illi corpore et animo adhæsit ab eo post vitam nec corpore nec animo separaretur; tertiò dignitas Matris Dei : « Quomodò enim, inquit S. Damasc. « citatus, curruptio invaderet corpus illud, in « quo vita suscepta est? » quartò sanctitas supereminens omnibus angelis et hominibus.

Quis neget gravem temeritatis notam incurrere eum qui sententiam tot auctoritatibus fultam tamque Matri Dei honorificam, impugnare ausus fuerit? Nihilominùs

Dices 1° quosdam antiquos Patres dubitâsse an B. Virgo sit corpore assumpta in cœlum : S. Epiphanius sec. 4, hæresi 78; S. Idelphonsus Tolet. Serm. 6 de Assumpt.; Ven. Beda l. de Locis Sanctis. Imò ipsa Ecclesia Romana eâ de re dubitavit, diu enim usa est Martyrologio Usuardi, in quo ad diem decimam quintam augusti legitur : « Dormitio sanctæ Dei Ge- « nitricis Mariæ... quo autem venerabile illud « Spiritûs sancti templum nutu et consilio « divino occultatum sit, plus elegit sobrietas « Ecclesiæ cum pietate nescire quàm aliquid « frivolum et apocryphum inde tenendo do- « cere. » Item in solemni officio legebat olim sermonem de Assumpt. D. Hieronymo affictum, in quo pariter hoc dubium exprimitur. Ergo

Resp. potiorem et pluris faciendam esse assertionem eorum quos pro nobis citavimus, quàm allorum dubitationem; dubia enim argumenta nihil possunt adversùs positiva. Et esto Ecclesia aliquando de eâ re dubitaverit, constat tamen jamdudùm acceptis luminibus dubitationem excussisse, et palàm profiteri atque colere assumptionem corpoream B. Virginis.

Dices 2° : Plures SS. Patres docent Christum solum resurrexisse non ampliùs moriturum : sic S. Ambros. lib. 1 in Job cap. 6 : « Solus ipse (Christus) adhuc resurrectione « perpetuâ resurrexit. » S. Avitus Viennensis in Fragmentis : « Christus hactenùs solus est « qui non moriturus resurrexit. » Ergo.

Resp. : Distinguo antecedens : Plures SS. Patres docent Christum solum resurrexisse non ampliùs moriturum de lege ordinariâ et summo jure, concedo; ex privilegio, nego. Secundùm enim plures alios Patres, S. Ignatium Epist. ad Magnesianos, Origenem in c. 27 Matth., Eusebium l. 4 Demonst. Evang. c. 12, S. Epiphanium hæresi 57, qui surrexerunt cum Christo, eo ascendente in cœlum, ipsi quoque cum suis corporibus ascenderunt. Longè verò potiori jure simile privilegium Matri Dei est concedendum.

Dices 3° : Patres Ephesini in Epistolâ synodicâ ad clerum et populum Constantinopolitanum, de quâ art. præced., dùm dicunt, *in quâ theologus Joannes et Dei genitrix sancta Maria*, eodem modo loquuntur de B. Virgine ac de S. Joanne, ut ibidem diximus; atqui de Joanne intelligunt quòd sint ibi ejus reliquiæ, ut patet ex Cœlestino et Patribus orientalibus ibid. citatis : ergo.

Resp. : Distinguo majorem. Eodem modo loquuntur, etc., quoad inhumationem, concedo; quoad reliquias existentes, nego. Patet ex ipso Cœlestino et Patribus orientalibus citatis, qui loquuntur duntaxat de veneratione reliquiarum S. Joannis, non omissuri reliquias B. Virginis, si pariter credidissent eas ibi existere, majorem enim istæ venerationem merebantur quàm illæ.

Dissertatio secunda.

DE CONCEPTIONE CHRISTI.

(*D. Th. QQ.* 31, 32, 33, 34.)

ARTICULUS PRIMUS.

De conceptione Christi secundùm se.

Plura hìc subjicimus examini : primum, quo instanti salutationis angelicæ Christus sit conceptus; secundùm, utrùm assumpserit carnem de Adam; tertium, utrùm de feminâ; quartum, quas partes habuerit B. Virgo in conceptione Christi, quas Spiritus sanctus; quintum, utrùm solus Spiritus sanctus activè egerit in conceptione Christi; sextum, utrùm Spiritus sanctus seu tota Trinitas debeat dici Pater Christi secundùm carnem.

Dico 1° : Christus non fuit conceptus sub initium salutationis angelicæ, quando angelus dixit : *Ave, gratiâ plena, Dominus tecum;* sed in fine, quando B. Virgo præbens consensum, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.*

Prob. ex S. Scrip. Luc. c. 1, postquàm angelus dixit : *Ave, gratiâ plena, Dominus tecum*, subdit : *Ecce concipies*. Ergo nondùm conceperat. Item : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi ;* ergo nondùm obumbraverat ad conceptum. Ipsa autem B. Virgo interrogat de modo : *Quomodò fiet istud ?* ergo nondùm factum erat. Item Luc. 2, dicitur ab angelo *vocatum nomen Jesu priusquàm in utero conciperetur ;* et tamen nondùm vocatum erat, dùm dixit angelus : *Dominus tecum*. Denique constat angelum fuisse missum ad Mariam ut obtineret ejus consensum ; non consensit autem nisi in fine colloquii, dùm dixit : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*. Atque ita sentiunt S. Aug. Serm. 18 de Sanctis, S. Greg. Mag. lib. 18 Moral. cap. 27, S. Joan. Damasc. lib. 3 de Fide, cap. 2, S. Bèrnard. serm. 4 super *Missus*, et alii plures. Unde quæ opponuntur ex quibusdam aliis Patribus, qui videntur contrarium docuisse, benignè sunt intelligenda, et ad sensum rectum flectenda ; non enim credendum ipsos censuisse contra aperta S. Scripturæ testimonia.

Qui ergo dicunt B. Virginem concepisse dùm salutata est *gratiâ plena*, etc., intelligunt de integrâ salutatione, quæ fuit absoluta dùm dixit Virgo : *Ecce ancilla Domini*.

Qui dicunt Christum fuisse conceptum quando dixit angelus, *Dominus tecum*, intelligunt de conceptu mox futuro. Qui denique dicunt Mariam fuisse gratiâ plenam, quia Christum conceperat, non intelligunt conceptum factum antequàm salutaretur, quod esset absurdum, sed prædestinationem ad hanc dignitatem ; ita ut sensus sit, Mariam fuisse gratiâ plenam, quia hanc plenitudinem requirebat dignitas matris Dei, ad quam erat destinata.

Dico 2° : Christus accepit carnem de Adam. (Q. 31, a. 1, 0.) Constat 1° ex Apost. Heb. 2 dicente : *Nusquàm angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*. Semen autem Abrahæ sumptum est ex Adam. (Ibid. in a. s. 0.) 2° Ratione. Christus assumpsit naturam humanam ut eam purgaret : ergo congruum erat ut assumeret illam quæ purgatione indigebat ; hæc autem est quæ ex Adam descendit.

Dico 3° : Christus assumpsit carnem de feminâ. Ita Apostol. Galat. 4 : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*. (Ibid. a. 4. 0.) Idque convenientissimum fuit ; licet enim Filius Dei carnem humanam assumere potuisset ex quâcumque materiâ voluisset, congruum tamen erat ut de feminâ acciperet : 1° quia per hoc tota natura humana nobilitata est ; 2° quia per hoc veritas carnis adstruitur : unde S. Aug. Epist. 3 ad Volusianum ait : « Si omnipotens Deus hominem ubicumque formatum, « non ex utero materno crearet, sed repentinum afferret aspectibus, nonne opinionem « erroris confirmaret, nec hominem verum « suscepisse ullo modo crederetur ? Et omina « mirabiliter facit, auferret quod misericordiater facit. » 3° Quia per hunc modum completur omnis diversitas generationis humanæ ; nam primus homo productus est ex limo terræ sine viro et feminâ ; Eva producta est ex viro sine feminâ : alii verò homines nascuntur ex viro et feminâ. Unde hoc quartum quasi Christo proprium relinquebatur ut produceretur ex feminâ sine viro.

Dico 4° : B. Virgo more aliarum feminarum præparavit et subministravit materiam, purissimum scilicet sanguinem conceptui aptum : Spiritus autem sanctus hunc purissimum sanguinem deduxit in uterum ex quo sacrum corpus organisatum illic formavit, eique animam creatam infudit ; ita ut totum quod efficaciæ et virtutis est in virili semine, modo excellentiori præstiterit Spiritus sanctus ; B. Virgo autem quidquid est corporalis substantiæ subministraverit. (Ibid. a. 5, 0, et q. 32, a. 11.)

Dico 5° : Non solus Spiritus sanctus, sed tota Trinitas activè operata est conceptionem Christi, quia opera ad extra sunt communia toti Trinitati. Attamen appropriatione quâdam specialiter tribuitur Spiritui sancto propter tria : 1° Quia Incarnatio est divini amoris opus, juxta illud Joan. 3 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*. Amor autem tribuitur Spiritui sancto, quippe est amor Patris et Filii. 2° Quia est maximè opus gratiæ : gratia autem tribuitur Spiritui sancto, juxta illud 1 Corinth. 12 : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*. 3° Quia per Incarnationem singulariter sanctificata est humanitas Christi : sanctificatio autem etiam tribuitur Spiritui sancto.

Dico 6° : Nihilominùs Spiritus sanctus seu tota Trinitas non debet dici Pater Christi secundùm carnèm, quia ad denominationem Patris requiritur ut generans conferat aliquid de suâ substantiâ ad formationem prolis, et quòd eam producat in similitudinem suæ na-

uræ; paternitas enim sequitur generationem, generatio autem est origo seu productio viventis à vivente in similitudinem naturæ specificæ : atqui Spiritus sanctus seu tota Trinitas neutrum præstitit in conceptione Christi secundùm carnem : nihil enim contulit de suâ substantiâ, nec produxit similem in naturâ : ergo

ARTICULUS II.

Ex quâ tribu et familiâ ortus sit Christus?

Articulo præcedenti diximus Christum carnem sumpsisse ex Adam : nunc gravior quæstio hoc integro articulo discutienda, ex quâ tribu et familiâ sit ortus. Cùm enim notum sit ex veteri Testamento Messiam futurum de tribu Judâ et familiâ David, Isai. 11, Ps. 88, 131 et alibi, Religionis christianæ hostes, Celsus, Porphyrius, Julianus Apostata, Tatianus et Faustus Manichæus, ut Jesu nostro Messiæ dignitatem eriperent, dixerunt eum non esse de tribu Judâ et stirpe David, sed ex tribu Levi, ideòque non esse Messiam. Contra quos

Dico : Christus secundùm carnem est ex stirpe David. (Q. 31, a.)

Prob. 1° : Certo certius est Josephum esse de tribu Judâ et familiâ David, Luc. 1 et 2, specialiter Matth. 1, ubi ejus genealogia deducitur ab Abraham per Judam, Davidem et Salomonem : atqui Maria ejus uxor erat ejusdem tribûs et familiæ cum sponso suo : ergo et Jesus Mariæ Filius. Prob. min. Lege latâ Num. 36, occasione filiarum Salphaad, prohibitum erat filiabus quæ defectu fratrum erant hæredes parentum, nubere nisi viris suæ tribûs et familiæ. Sic fert lex : *Filiæ nubant quibus volunt, tantùm ut suæ tribûs hominibus nubant, ne commisceatur possessio filiarum Israel.* Et adhuc clariùs in Hebræo : *Omnis filia hæreditans hæreditatem* (id est, hæres patris defectu fratrum) *uni de familiâ tribûs patris sui erit in uxorem.* Atqui Maria erat hæres parentum suorum ; carebat enim fratribus, et cùm tam ipsa quàm Joseph essent religiosi legum observatores, indubiè secundùm hanc legem quâ tenebantur, matrimonium inter se contraxerunt, proindeque erant ejusdem tribûs et familiæ. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus, Hilarius, Damascenus et alii.

Dices : Eadem lex lata erat pro viris : dicitur enim ibid. : *Omnes viri ducent uxores de tribu et cognatione suâ, et cunctæ feminæ de eâdem tribu maritos accipient, ut hæreditas permaneat in familiis.* Quæ tamen lex multas passa est exceptiones etiam in religiosis viris, ut probant varia exempla. Sic Aaron de tribu Levi duxit Josabeth filiam Joram de tribu Judâ, Exodi 6. Sic David de tribu Judâ duxit Michol de tribu Benjamin, 1 Reg. 18. Joaidas de tribu Levi duxit Josabeth filiam Joram de tribu Judâ, Paralip. 22. Ergo ex illâ lege erui non potest B. Virginem fuisse ejusdem tribûs et familiæ cum suo sponso.

Item omnes tribus Israel, Judic. 21, jurârunt se non daturos filias suas in matrim. Benjamitis : quod innuit id jam fuisse antea usitatum, et ideò legem etiam pro puellis non ampliùs vigere.

Resp. ad primum, hanc legem non fuisse generalem, nec spectare omnes viros, sed eos solùm de quibus mota fuerat quæstio coram Moyse, scilicet, ratione quorum hæreditas uxoris devolvenda esset ad aliam tribum et familiam. Quare reciprocam eo in casu obligationem Deus imponit, ut sicut jubet puellæ hæredi nubere alicui de suâ tribu et familiâ, ita jubet viro huic puellæ proximè cognato eam ducere, nisi cedat jure suo, et alter ejusdem familiæ eam requirenti transferat, ut factum legitur Ruth 4. Id patet tum ex occasione hujus legis, tum ex ejus fine, tum ex textu Hebræo cit., tum ex exemplis citatis in object.

Ad secundum : Fatemur usitatum fuisse ut filiæ non hæredes, aut hæredes quidem, sed quæ renuntiarent hæreditati suæ, nuberent quibus vellent etiam aliarum tribuum, et illas spectabat juramentum tribuum Israel contra Benjamitas : at B. Virgo erat hæres, ut dictum est, nec est ulla ratio fingendi eam renuntiâsse hæreditati suæ ut nuberet Josepho.

Confirmatur præcedens ratio ex titulo quem Matthæus præfigit genealogiæ Joseph : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham.* Porrò si Mater Jesu nihil attineret ad Josephum, non esset *liber generationis Jesu Christi,* sed Josephi duntaxat, sicque falso titulo Matthæus hanc genealogiam decorâsset; quod admitti non potest.

Reponit Serrius id fecisse Matthæum ut veluti argumento ad hominem magis urgeret Judæos, qui Christum verum et naturalem Josephi filium habebant, sicque eos convinceret esse filium David. Quasi verò Matthæus adhibuisset mendacium ut veritatem probaret;

est enim in oppositâ sententiâ falsum et mendacium hanc genealogiam esse *librum generationis Jesu Christi*. Quinimò Matthæus Judæos confirmâsset in suo errore; sic enim ratiocinati fuissent : Christus est filius David, nec est talis nisi per Josephum : ergo est verus et naturalis filius Joseph.

Prob. 2° et confirmatur præcedens probatio. Maria mater Christi secundùm carnem erat verè ex stirpe et familiâ David : ergo et Jesus ejus filius. Prob. ex historiâ evangelicâ. Lucas cap. 2 sic narrat : *Exivit edictum à Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis, et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem* (id est, quæ esset caput familiæ). *Ascendit autem et Joseph à Galilæâ de civitate Nazareth in Judæam in civitatem David, eò quòd esset de domo et familiâ David, ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante.* Non dicit simpliciter Lucas (quod benè nota) : *Ascendit Joseph in civitatem David cum Mariâ*, quasi eam viæ comitem tantùm habuisset; sed dicit : *Ascendit in civitatem David, ut profiteretur cum Mariâ sibi desponsatâ uxore prægnante.* Professa est ergo Maria in civitate David : ergo erat de domo et familiâ David. *Ibant* enim *omnes, ut profiterentur singuli, in suam civitatem.* Idem probatur ex genealogiâ Christi per B. Virginem secundùm Lucam, ut videbimus art. seq.

Prob. 3° ex Evangelio, in quo Christus pluries vocatur filius David, etiam ab iis qui ipsum ex solâ Virgine natum noverant : sic Matth. 1 : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abrahæ.* Sic angelus Luc. 1 : *Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum.*

Sic dicas, etiam Josephum vocari à B. Virgine patrem Jesu, Luc. 2 : *Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te*, licet opinione tantùm esset ejus pater : ergo similiter.

Resp. : Nego conseq. Disparitas est quòd, quamvis Joseph non esset pater Jesu, hoc sensu quòd ex ejus semine esset ortus, erat tamen ratio cur verè vocaretur pater Jesu, quia scilicet erat sponsus Matris ejus. Jure ergo dicebatur et erat pater Jesu, non ratione copulæ conjugalis, sed ratione matrimonii inter ipsum et Matrem Jesu contracti, et quia Jesus natus erat in fundo ipsius, in eo scilicet corpore ad quod ratione conjugii potestatem habebat. At si Jesus non sit reverà ex semine David, non est ratio cur David dicatur pater ejus.

Prob. 4° ex Apostolo. Rom. 1 de Christo dicit : *Qui factus est ex semine David secundùm carnem.* 2 Timoth. 2 : *Memor esto Dominum Jesum resurrexisse à mortuis ex semine David.* Esse verò ex tribu Judâ et non ex tribu Levi, non solùm asserit Heb. 7 dicens : *Manifestum est quòd ex Judâ ortus sit Dominus noster, in quâ tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est;* sed etiam probat dùm addit ibid. : *Si consummatio per sacerdotium leviticum erat, quid adhuc necesse fuit secundùm ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundùm Aaron?*

Obj. 1° : Maria erat cognata Elisabeth de filiabus Aaron : ergo et ipsa erat de eâdem tribu et familiâ. 2° Quidam SS. Patres dicunt Christum esse de genere sacerdotali, quod soli tribui Levi addictum erat. 3° Nathan, per quem Lucas deducit genealogiam Christi à Davide, erat filius David adoptivus tantùm, non naturalis, sed Uriæ; aut certè erat propheta qui David de adulterio reprehendit : hic autem non erat de tribu Judâ et familiâ David. Ergo.

Resp. ad primum, Mariam fuisse cognatam Elizabeth, non quòd ipsa sicut Elisabeth esset ex tribu Levi, sed quia vel aliquis avorum Mariæ duxerat aliquam ex tribu Levi, vel è contra quia aliquis avorum Elisabeth duxerat aliquam ex tribu Judâ.

Ad secundum, eâdem ratione quidam Patres dixerunt Christum esse de genere sacerdotali, quia nempe aliquis ex proavis B. Virginis duxerat uxorem ex filiabus Aaron; nec enim contradixerunt Apostolo dicenti Rom. 7 : *Manifestum est quòd ex Judâ ortus sit Dominus noster, in quâ tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.*

Ad tertium, nego ant. pro utrâque parte. Et 1° Nathanem per quem Lucas deducit genealogiam Christi, esse verum et naturalem filium David, constat ex 1 Reg. 5, ubi dicitur : *Hæc sunt nomina filiorum qui nati sunt David in Jerusalem, Samna, et Sobab, et Nathan, et Salomon.* Idem legitur 2 Paralip. 3. 2° Iste Nathan filius David natus est in Jerusalem, ut patet ex textu cit. Nathan autem propheta in Gabbath, nec cujus sit tribûs certò scitur, licet quidam dixerint esse de tribu Levi.

Articulus III.

De genealogiâ Christi.

Difficultas est in conciliandis tum inter

se tum cum veteri Testamento binis Christi genealogiis à Matthæo et Lucâ descriptis, quam duplici §§ resolvere conabimur. Unde sit

§ 1. *Conciliantur inter se binæ Christi genealogiæ.*

Matthæus cap. 1 Christi genealogiam describit descendendo ab Abraham usque ad Joseph; Lucas ascendendo à Joseph usque ad Adam et Deum. Inter utramque apparent quædam dissonantiæ et contradictiones. 1° Matthæus dicit Josephum fuisse filium Jacob : *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ.* Lucas dicit fuisse filium Heli : *Joseph qui fuit Heli.* Impossibile est autem unum filium habere duos patres. Hinc 2° avi et proavi in utrâque genealogiâ sunt diversi, exceptis Salathiele et Zorobabele, qui in utrâque genealogiâ reperiuntur, cum hoc tamen discrimine, quòd Matthæus assignet illis patrem Jechoniam dicens : *Jechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel;* Lucas verò assignet illis patrem *Neri,* dicens : *Zorobabel qui fuit Salathiel, qui fuit Neri.* Denique 3° Matthæus deducit genealogiam Christi à David per Salomonem; Lucas per Nathanem alterum filium Davidis.

Ad conciliandas has apparentes dissonantias, duæ sunt viæ. Prima est Julii Africani tertio seculo, dicendo Matthæum descripsisse genealogiam carnalem Josephi; Lucam, legalem.

Pro cujus intelligentiâ observandum est fuisse legem latam Deut. 25 : *Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui, et primogenitum ex eâ filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus in Israel.* Hæc autem lex non intelligitur de fratribus strictè, qui ex eodem patre et matre nati sunt, sed latiori sensu secundùm phrasim solitam S. Scripturæ de cognatis et propinquis, consequenter nec de habitantibus simul in eâdem domo, sed de viventibus simul eodem tempore, ita ut τὸ *simul* sit adverbium temporis, non loci. Quomodò enim in eâdem domo habitâssent omnes cognati? Neque etiam frater matrimonio junctus, cujus possessio jam erat separata, poterat manere in eâdem domo cum aliis fratribus absque confusione familiarum. Insuper utrumque patet ex historiâ Ruth 4, viduæ Mahalonis; cùm enim actum est de jure illam ducendi, contentio non fuit inter fratres Mahalonis, sed inter ejus cognatos et propinquos, eamque obtinuit Booz, non frater Mahalonis habitans cum ipso, sed ejus cognatus et propinquus. Itaque secundùm hanc legem, quæ dicebatur *leviratûs,* quia *levir* idem est ac *mariti frater,* Heli absque liberis defuncto, Jacob, sive fuerit frater ejus uterinus, ut quidam volunt, sive cognatus tantùm, duxit ejus viduam ex quâ genuit Joseph. Erat ergo Joseph filius naturalis Jacob, et filius legalis Heli : unde non mirum si in utrâque genealogiâ recenseantur diversi avi et proavi, quousque perventum sit ad communem stipitem, scilicet Davidem.

Quantùm ad Salathielem et Zorobabelem qui in utrâque genealogiâ reperiuntur, dicendum est quòd Salathiel erat filius naturalis seu carnalis Jechoniæ, gener verò Neri, et hoc sensu ejus filius, quia filiam unicam Neri duxerat. Iste Salathiel genuit Zorobabel descendentem à Davide per Salomonem ex parte patris, et per Nathan ex parte matris. Zorobabel genuit Abiud, qui ponitur in genealogiâ Matthæi, et Rezas qui ponitur in genealogiâ Lucæ.

Obj. 1° : Si Joseph esset filius legalis Heli, debuisset ejus nomine vocari *Heli* et non Joseph, juxta hæc verba legis leviratûs : *Et primogenitum ex eâ filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel.* Ergo. 2° Si Joseph fuerit filius Heli legalis tantùm, idem dicendum erit de omnibus nominatis in genealogiâ Lucæ : sic Isaac erit filius legalis Abrahæ, Jacob Isaaci, et sic de cæteris. Falsum consequens : ergo. Prob. sequela. De omnibus dicitur eodem modo ac de Joseph : *Qui fuit Mathat, qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraham,* etc. Ergo.

Resp. ad primum : Nego sequelam. Quia sensus legis non est quòd filius ex secundo matrimonio natus, debeat prioris mariti nomine appellari; non enim natus ex secundo matrimonio Ruth cum Booz, vocatus est nomine prioris mariti *Chelion,* sed *Obed.* Sensus est igitur quòd filius ex secundo matrimonio natus, habebitur ac reputabitur filius prioris mariti atque hæres illius constituetur, ut non pereat ejus memoria ex Israel. « Ad hoc va- « let, inquit S. Aug. lib. 2 Retract. c. 12, ut « ejus filius diceretur, non ut hoc, quod ille « vocaretur. »

Ad secundum : Nego sequelam. Ad prob. distinguo ant. Dicitur eodem modo quoad aliquid, concedo; quoad omnia, nego. In hoc

ergo est paritas, quòd Joseph habeatur filius et hæres Heli, sicut cæteri nominati respectu eorum quorum dicuntur; at est disparitas, quòd Joseph id haberet ex privilegio legis, cæteri ex naturâ et carnali generatione. Porrò hunc conciliationis modum à Christi cognatis se accepisse scribit Julianus Africanus Epist. ad Aristidem : « Cognati, inquit, Salvatoris « nostri, sive ad ostendendam generis sui no- « bilitatem, sive ut simpliciter rem docerent, « veraci utique sermone nobis hæc tradide- « runt. » Hunc que secuti sunt plures ex antiquis Patribus, Euseb. l. 1 Hist. cap. 7, S. Hieron. ad cap. 1 Matth., Nazianz. in Carmine de Christi genealogiâ, S. Ambros. l. 3 in Luc. c. 1, S. Aug. loco cit., licet de eo antea dubitaverit S. Th. hìc q. 31, a. 3, ad 2.

Alter conciliationis modus qui pluribus et etiam nobis arridet, est, ut dicamus Matthæum texere genealogiam Christi per progenitores naturales Joseph, Lucam verò per progenitores naturales B. Virginis, ut is qui vocatur in Evangelio Heli sic Eliathim vel Joachim, pater B. Virginis, socer Josephi; adeòque istorum verborum quibus Lucas incipit suam genealogiam : *Jesus ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli,* duplex est sensus : primus, ut Joseph sit filius Heli, non naturâ, sed jure matrimonii, quia est ejus gener, suæ filiæ B. Virginis sponsus. Alter, ut τὸ *qui fuit* non referatur ad Joseph, sed ad Jesum, sic scilicet : Erat Jesus incipiens annorum quasi triginta (ut putabatur filius Joseph), qui tamen fuit Heli, et ideò Heli nepos. Et hinc illa diversitas progenitorum in utràque genealogiâ, donec ad communem stipitem, scilicet Davidem, regressi, in unam postea coaluerint genealogiam.

At dices 1° : Pater B. Virginis vocatur Joachim, non Heli. 2° Secundùm genealogiam Lucæ, hoc modo explicatam, Christus non est ortus ex David per Salomonem, sed per Nathan : atqui ex 2 Reg. 7, debuit nasci ex David per Salomonem : ergo.

Resp. ad primum : Dixi superiùs parentes B. Virginis equidem coli ab Ecclesiâ sub nominibus Joachim et Annæ, sed utrùm hæc sint nomina propria, an ratione mysticæ significationis, quòd Joachim significet *præparationem Domini,* et Anna *gratiam,* non constare. Insuper fuit fortè Joachim binomius, ut in pluribus contingit.

Ad secundum : Solutio patet ex his quæ superiùs dixi, Salathielem scilicet, qui ponitur in genealogiâ Lucæ ut filius seu gener Neri, fuisse filium carnalem Jechoniæ, qui descendit ex Davide per Salomonem.

Si petas cur Matthæus descripserit genealogiam Joseph, et Lucas genealogiam Mariæ, responsio in promptu est, quia Matthæus scribens Judæis, voluit illorum morem sequi : mos autem Judæorum erat non mulierum, sed virorum genealogias texere, ut testatur S. Hieron. super Matth. c. 1, S. Ambros. l. 3 in Luc., S. Aug. contra Faustum l. 3, c. 2. Lucas verò scribebat Theophilo Antiocheno apud quem nulla erat necessitas sequendi morem Judæorum in texendis genealogiis usitatum.

§ 2. *Conciliantur binæ Christi genealogiæ cum veteri Testamento.*

Conciliatis inter se binis genealogiis, restant conciliandæ cum veteri Testamento quocum videntur etiam habere quasdam dissonantias.

Prima dissonantia est, quòd Matthæus scribat, *Joram genuit Osiam,* cùm tamen 4 Reg. c. 8 et 11 legatur : *Joram genuit Ochosiam, Ochosias genuit Joas, Joas genuit Amasiam, Amasias genuit Osiam.* — Resp. sensum Matthæi esse, Joram genuisse Osiam mediatè, scilicet mediantibus tribus recensitis 4 Reg., quo sensu Isaias 51 dixit : *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quæ genuit vos.* Ideò autem Matthæus hos tres omisit, quia erant ex progenie Achabi (Joram enim genuit Ochosiam ex Athaliâ filiâ Achabi,) cui progeniei Achabi Deus maledixerat 3 Reg. 21. Nec obstat quòd Evangelista nominaverit Osiam et sequentes, qui erant etiam ex posteris Achabi; quia maledictio Dei lata contra filios ob peccata parentum, non extenditur ultra tertiam et quartam generationem, Exod. 20.

Secunda dissonantia. Lucas in suâ genealogiâ scribit Arphaxad genuisse Cainan, Cainan genuisse Sale : *Sale qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad :* attamen in veteri Testamento, Gen. cap. 10, v. 24, cap. 11, v. 12 et 13, et 1 Paralip. cap. 1, v. 18, legitur Arphaxad, omisso Cainan, genuisse Sale. Neque reponi potest quod modo dicebam de Joram respectu Osiæ, scilicet Arphaxad genuisse Sale mediatè, mediante nempe Cainan, quia c. 11 Gen. cit. dicitur : *Arphaxad vixit triginta quinque annis et genuit Sale :* porrò si genuisset immediatè Cainan et eo mediante Sale, non tantùm fuisset triginta quinque annorum quando genuisset Sale, sed plurium

scilicet eorum quos Cainan numerabat quando genuit Sale. Et, quod observandum est, hæc antilogia reperitur in Vulgatâ editione : unde ejus authenticitas non magis favet uni quàm alteri loco. — Respondeo oscitantiâ vel amanuensium, vel typographorum, vel temerè emendantium, irrepsisse mendum in alterutro textu. Neque tamen id officit authenticitati Vulgatæ editionis, tum quia est vitium sive amanuensium, sive typographorum, sive temerè emendantium, non sacrorum scriptorum; tum quia est quid levis momenti, ex quo non est natus sequi error perniciosus contra fidem aut mores ; authenticitas enim Vulgatæ editionis in hoc sita est, juxta communiorem sententiam, quòd nihil contineat fidei aut bonis moribus repugnans, ex quo perniciosus error natus sit sequi, ut latè diximus in tract. de Regulis fidei, diss. 1, a. 6.

Ex quâ verò parte stet mendum, dissentiunt interpretes. Quidam volunt esse in veteri Testamento, quia Septuaginta interpretes interserunt Cainan inter Arphaxad et Sale, sicut Lucas in suâ genealogiâ ; sic enim habent : *Arphaxad triginta quinque annorum genuit Cainan ; Cainan triginta annorum genuit Sale.* Atque ita censent Euseb., Ambros., Aug., Lippomanus, Canus, Toletus, Bellarm. et alii plures. Alii volunt mendum stare ex parte genealogiæ Lucæ ; tum quia facilius est mendum irrepere in unọ loco quàm in quatuor locis : in veteri autem Testamento quater omittitur Cainan inter Arphaxad et Sale, in novo semel tantùm inseritur ; tum quia textus Hebraicus Genesis et Paralipomenon, item Versio Chaldaica et Samaritana similiter omittunt Cainan. Et quamvis hodierna versio Septuaginta Interpretum habeat Cainan, verisimile est esse interpolatam, siquidem Julius Africanus, Irenæus, Origenes et Epiphanius, qui illâ utebantur, in genealogiâ patriarcharum omittant Cainan. Ita Serrius, et valdè probabiliter.

Tertia dissonantia : Matthæus scribit : *Josias genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigratione Babylonis ;* et tamen ex 4 Reg. c. 24 et 25, et 1 Paralip. 3, notum est Josiam non genuisse Jechoniam, sed Eliacim seu Joakim, neque ipsum et fratres, scilicet Johanan qui obiit ante patrem, Joachas dictum Sellum, et Mathaniam dictum Sedeciam, genuisse in transmigratione Babylonis, cùm ante illam occisus fuerit à Pharaone in Mageddo, 4 Reg 23. — Respondent quidam, Josiam genuisse Jechoniam, non immediatè, sed mediatè, mediante scilicet Joakimo ; sed hoc non solvit nodum : dicit enim Matthæus Josiam genuisse Jechoniam et fratres ejus ; Jechonias autem filius Joachimi non habuit fratres, sed unum tantùm nomine Sedeciam, 1 Paralip. 3, v. 16.

Quapropter dicendum est cum aliis, hunc Joakim seu Eliacim quem genuit Josias, esse ipsum Jechoniam quem nominat Matthæus, eò quòd etiam hoc illi nomen esset, cujus fratres, ut jam notavi, erant Johanan, Joachas, aliàs Sedecias. Iste autem Joachim seu Jechonias genuit filium sui nominis dictum Jechoniam et Joachim, item et Sedeciam alterum, 1 Paralip. 3, v. 16. Contingit autem ex scriptorum vitio, Jechoniam non fuisse bis repetitum, seu hunc secundum Jechoniam esse omissum ut filium primi Jechoniæ in genealogiâ Matthæi, quæ ideò sic intelligenda est : Josias genuit Jechoniam seu Joakim et fratres ejus in transmigratione Babylonis ; Jechonias autem seu Joakim genuit Jechoniam seu Joachim ; et post transmigrationem Babylonis, iste secundus Jechonias genuit Salathiel.

Quantùm ad id quod Matthæus dicit : *In transmigratione Babylonis*, intelligitur imminente transmigratione seu circa tempus transmigrationis; vel, ut alii dicunt, τὸ *in transmigratione* non refertur ad *genuit*, sed ad *fratres ejus ;* ita ut sensus sit, genuit Jechoniam et fratres ejus qui fuerunt in transmigratione Babylonis.

Cæteræ apparentes antilogiæ. 1° Matthæus scribit : *Et post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel*, quem tamen Jechoniam Jeremias c. 22 scribit virum sterilem. 2° Salathiel 2 Paralip. 35, dicitur genitus in transmigratione, non post transmigrationem Babylonis. 3° Matthæus dicit : *Salathiel genuit Zorobabel*, et tamen 1 Paralip. 3, Zorobabel dicitur Phadaiæ.

Resp. ad primum, Jechoniam dici à Jeremiâ *virum sterilem*, non absolutè et physicè, cùm constet 1 Paralip. 3, multos habuisse filios ; sed sterilem secundùm quid et moraliter, quia nullum habuit filium qui illi succederet in regiâ dignitate ; ita apertè se explicat Propheta : *Scribe*, inquit, *virum sterilem, qui in diebus suis non prosperabitur ; nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David.*

Ad secundum : Matthæus intelligit post actum transmigrationis : 1 autem Paralip. 3, intelligitur tempus commorationis in Babylone,

quod duravit septuaginta annis, quo tempore Jechonias genuit Salathiel.

Ad tertium, quidam dicunt Salathielem et Phadaiam esse eumdem, qui fuit binomius; sed id videtur contrarium S. Scripturæ 1 Paralip. 3, ubi Salathiel et Phadaia ponuntur ut duo filii distincti Jechoniæ : *Filii Jechoniæ fuerunt, Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia*, etc. Unde verius videtur Zorobabelem filium Phadaiæ, esse diversum à Zorobabele filio Salathielis.

Articulus IV.

De modo et ordine conceptionis Christi, necnon de perfectione prolis conceptæ.

Petes 1° utrùm conceptio Christi facta sit in instanti. — Resp. : Conceptio Christi quantùm ad formationem corporis, in quâ principaliter consistit conceptio, facta est in instanti.

Prob. : 1° Agens infinitæ virtutis potest in instanti materiam disponere ad debitam formam; tantò enim agens potest citiùs materiam disponere, quantò majoris est virtutis: atqui agens per quem formatum est corpus Christi, nempe Spiritus sanctus, est infinitæ virtutis : ergo. 2° Si ante formationem perfectam corporis præcessisset tempore corpus imperfectè conceptum, illud non assumpsisset Filius Dei; non enim debuit assumere aliquid imperfectum, et sic tota conceptio non terminaretur ad ipsum, nec simpliciter et integrè dici posset *Filius Dei conceptus*, quod tamen confitemur in Symbolo Apostolorum.

Dices : Motus localis intercessit in conceptione Christi, scilicet transmissio purissimi sanguinis in locum naturalem generationis, ejus coagulatio, condensatio et configuratio; ad hæc enim omnia requiritur motus localis : atqui motus localis non fit in instanti, cùm de ejus ratione sit quòd partes successivè subintrent locum : ergo. — Resp. quæ assignantur in majori non constituere essentiam conceptionis, quæ, ut dixi, consistit principaliter in formatione corporis, sed esse præambula ad illam. Igitur sanguine citissimè coagulato, condensato et configurato, in instanti corpus formatur.

Petes 2° utrùm corpus Christi animatum fuerit in primo instanti suæ conceptionis. — Resp. affirmativè, quia ut conceptio Filio Dei attribuatur, terminativè scilicet, sicut confitemur in Symbolo, ut jam dictum est, necesse est ut ipsum corpus Christi à Verbo fuerit assumptum quando concipiebatur : atqui non assumpsit corpus nisi animatum, ut probavimus in tract. de Incarnat. dissert. 7, a. 2, ad q. 6, D. Th. Ergo.

Petes 3° utrùm corpus Christi in primo instanti suæ conceptionis fuerit à Verbo assumptum? (Ibid a. 2, o.) — Resp. affirmativè : Jam patet ex præcedenti resp. Item quia si caro Christi fuisset concepta antequàm susciperetur à Verbo, habuisset hypostasim præter hypostasim Verbi, quod est contra rationem Incarnationis, secundùm quam ponimus Verbum Dei esse unitum humanæ naturæ et omnibus partibus ejus in unitate hypostasis. Nec fuit conveniens quòd hypostasim præexistentem humanæ naturæ, vel alicujus partis ejus, Verbum Dei suâ assumptione destrueret; non enim venit destruere humanitatem, sed perficere. Et ideò contra fidem est dicere quòd caro Christi priùs fuerit concepta et postmodùm assumpta à Verbo : unde S. Aug. lib. de Fide ad Petrum cap. 18, dicit : « Firmissimè « tene et nullatenùs dubites carnem Christi « non fuisse conceptam in utero Virginis, « priusquàm susciperetur à Verbo. » (Ib. a. 3, o.)

Petes 4° utrùm Christus in primo instanti suæ conceptionis habuerit plenitudinem gratiæ sanctificantis. — Resp. affirmativè, quia abundantia gratiæ sanctificantis animam Christi, derivatur ex ipsâ Verbi unione, quæ in primo instanti suæ conceptionis facta est, ut modò dicebamus. Ergo. Confer dissert. 8 de Incarnat. art. 1, ad q. 7, D. Th. (Q. 34, a. 1, o.)

Petes 5° utrùm Christus in primo instanti suæ conceptionis habuerit usum liberi arbitrii. — Resp. affirmativè, quia Christus in primo instanti suæ conceptionis habuit spiritualem perfectionem, ut patet ex dictis : atqui perfectio ultima non consistit in potentiâ seu habitu, sed in operatione : ergo Christus habuit in primo instanti suæ conceptionis illam operationem spiritualem, quæ potest in instanti haberi, qualis est operatio intellectûs et voluntatis, in quâ consistit usus liberi arbitrii.

Petes 6° utrùm Christus in primo instanti suæ conceptionis meruerit. — Resp. affirmativè. Vide dissert. 19 de Incarnat. art. 1, concl. 2. (Ib. a. 3, o.)

Petes 7° utrùm Christus fuerit comprehensor in primo instanti suæ conceptionis. — Resp. affirmativè. Vide dissert. 10 de Incarnat. art. 1, concl. 2. (Ibid. a. 4, o.)

ARTICULUS V.

De peregrinatione B. Virginis in montana Judææ, ad visitandam cognatam suam Elisabeth.

Lucas cap. 1, narrat quòd postquàm angelus discessisset à Mariâ, ipsa abierit cum festinatione in provinciam Judæ, visura cognatam suam Elisabeth. Quod non debet intelligi factum ipsâ die discessûs angeli : quamvis enim dicatur iter confecisse cum festinatione, non dicitur tamen suscepisse cum festinatione : quin potiùs contrarium innuitur, dùm dicitur : *Et discessit ab illâ angelus : exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione.* Quæ loquendi formula, *in diebus illis*, significat non ipsâ die quâ discessit angelus iter fuisse susceptum, sed circa id tempus et paucis post diebus.

Circa hanc peregrinationem tria quæruntur : primum, quâ de causâ B. Virgo illam susceperit; secundum, utrùm Joseph illam comitatus fuerit ; tertium, utrùm exsultatio seu motus S. Joannis in utero matris fuerit naturalis et corporis tantùm, ut contingit aliquando naturaliter in infantibus adhuc in utero, an supernaturalis et animi. Ex quibus resolutis quædam corollaria deducemus. Itaque

Dico 1° : B. Virgo hanc peregrinationem non suscepit ut exploraret veritatem dictorum ab angelo, aut ut certior de eâ fieret, ut quidam minùs dignè senserunt; omnimodam enim fidem dictis angeli præbuit, dùm dixit : *Ecce ancilla Domini*, etc., et de firmitate fidei laudatur ab Elisabeth : *Beata quæ credidisti quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.* Neque dicas non dubitâsse de suâ, sed de Elisabeth imprægnatione; quæ enim majus et difficilius credit, de minori et faciliori non dubitat.

Suscepit ergo hanc peregrinationem B. Virgo ex speciali instinctu Spiritûs sancti, qui eâ mediante volebat replere suâ gratiâ Elisabeth et Joannem in ejus utero, ac utrique revelare mysterium Incarnationis; quamvis istos fines fortè tunc ignoraret B. Virgo, sed solo animo obediendi divino instinctui hoc iter susceperit.

Dico 2° : S. Joseph non est comitatus B. Virginem in hoc itinere.

Prob. : Joseph post reditum B. Virginis ignorabat adhuc mysterium divinæ ejus fœcunditatis, et ideò videns ejus uterum intumescentem, volebat illam dimittere : atqui illud probè novisset, si comes viæ prodigia quæ patrata sunt in domo Zachariæ vidisset, et audivisset Elisabeth exclamantem : *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui ; et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me?* Ergo.

Vel igitur B. Virgo sola perficit hanc peregrinationem propter secretum mysterii, vel sociam adhibuit gravem aliquam matronam, prout honestas postulare videbatur

Quæ sit autem illa civitas Judæ ad quam accessit B. Virgo salutatura Elizabeth, non certò scitur, cùm S. Scriptura dicat duntaxat eam ivisse in civitatem Judæ. Verisimile est tamen fuisse *Cariatharbe*, quæ *Hebron* seu *Chebron* dicta est; quia civitas in quâ habitabat Zacharias sacerdos, erat sacerdotalis et in monte Juda; nulla autem alia civitas in monte Juda fuit sacerdotalis quàm Hebron. Hæc autem distat à Nazareth viginti sex leucis circiter.

Dico 3° : Exsultatio seu motus Joannis in utero matris fuit supernaturalis, et non corporis tantùm, sed etiam animi.

Prob. 1° ex prædictione angeli ad Zachariam Luc. 1, v. 15 : *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ ;* quod non alio tempore fingi potest completum, quàm cùm ad adventum Domini exsultavit in utero matris. 2° Ex his verbis Elisabeth, ibid. v. 24 : *Exsultavit in gaudio infans in utero meo;* non utique in gaudio matris, ut quidam fingunt, sed in gaudio suo, ut apertè innuit Lucas his verbis ibid. : *Ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu sancto Elisabeth.* Super quæ verba S. Ambros. lib. 2 in Luc. dicit : « Exsultavit « infans, et repleta est mater; non priùs repleta « mater quàm filius, sed cùm filius esset reple« tus Spiritu sancto, replevit et matrem. » Et S. Aug. Epist. olim 57 ad Dardanum, nunc 187 : « Joannes, inquit, nondùm in hanc editus « lucem, tamen exsultavit in gaudio, quod « utique nisi operatione Spiritûs sancti fieri « posse quis credat. »

Ex his colliges 1°, usum rationis tunc acceleratum fuisse in Joanne; quale enim gaudium absque usu rationis ille esse potuisset?

An autem fuerit instantaneus, an continuatus, non ita constat. Fuisse continuatum saltem quoad intelligentiam mysteriorum tradunt Origenes et S. Ambrosius, primus Hom. 9 in Luc., secundus lib. 2 in Luc., ubi scribunt Mariam mansisse tres menses apud Elisabeth, ut

ex ejus præsentiâ proficeret Joannes ; nullus autem profectus absque usu rationis. Item Orig. Hom. 10 in Luc. et S. Ambros. loco cit., dicunt Joannem recens natum intellexisse canticum Zachariæ : « Potuit, inquit S. Ambros., vocem patris natus audire, qui Mariæ salutationem antequàm nascerctur audivit. »

Colliges 2° fuisse sanctificatum in utero, cùm ibi fuerit repletus Spiritu sancto, sicque mundatum à peccato originali, quocum subsistere non potest sanctificatio. Nec obstat quòd nemo possit renasci, nisi priùs fuerit natus : id namque verum est duntaxat de regeneratione communi quæ fit per baptismum, non de regeneratione quæ fit miraculosè occultâ Dei virtute.

Dissertatio tertia.

DE NATIVITATE CHRISTI.

(D. Th. Q. 35.)

ARTICULUS PRIMUS.

De nativitate Christi secundùm se consideratâ.

Plura hìc occurrunt expendenda : primum, utrùm tribuendæ sint Christo duæ nativitates ; secundum, utrùm pariter tribuendæ sint duæ filiationes ; tertium, utrùm B. Virgo sit vera et naturalis mater Christi ; quartum, utrùm possit et debeat dici mater Dei ; quintum, utrùm pepererit sine dolore.

Dico 1° : Tribuendæ sunt Christo duæ nativitates, quia nativitas et omnis generatio comparatur ad naturam sicut motus ad terminum, et motus diversificatur secundùm diversitatem terminorum : atqui in Christo sunt duæ naturæ, divina scilicet et humana ; ergo illi tribuendæ sunt duæ nativitates, una quâ æternaliter natus est ex Patre, altera quâ temporaliter natus est ex Matre. Atque ita canit Ecclesia in Symbolo S. Athanasii : *Deus est ex substantiâ Patris ante secula genitus ; et homo est ex substantiâ Matris in seculo natus.* Sicque definivit quinta synodus, can. 2, his verbis : « Si quis non confitetur Dei Verbi esse duas « nativitates, etc., anathema sit. » (Q. 35, a. 2, o.)

Hinc inferes, Christum posse dici bis natum. Neque refert quòd prima nativitas non fuerit interrupta, neque quòd secunda non sit ejusdem speciei cum primâ ; nam proverbium *bis* non requirit interruptionem temporis : unde qui ab uno episcopatu transit in alium, dicitur bis episcopus, etiamsi nulla fuerit interruptio. Item beatus qui rem intelligit visione beatificâ et cognitione naturali, dicitur bis intelligere, quamvis nulla sit intellectionis interruptio. Neque etiam proverbium *bis* requirit actus ejusdem omninò speciei, sed sufficiunt duo actus qui in aliquâ communi ratione analogâ conveniunt : unde quamvis generatio et resurrectio differant, attamen homo resurgens dicitur bis productus.

Dico 2° : Sunt in Christo duæ filiationes, sicut sunt duæ nativitates : una æterna, altera temporalis, cum hoc discrimine, quòd relatio filiationis temporalis in Christo non sit realis, sed rationis tantùm. (Ibid. a. 5, o.)

Prob. : Subjectum inhæsionis filiationis non est natura sola, sed totum compositum ex naturâ et subsistentiâ, seu suppositum et persona ; non enim dicimus quòd natura sit filia, sed quòd subsistens sit filius : atqui in Christo est unicum suppositum, idque divinum, quod non potest esse subjectum inhæsionis accidentis realis : ergo.

Neque tamen id obstat quin Christus sit verus et realis filius B. Virginis, quia ad hoc sufficit relatio realis in Matre ad ipsum : sicut licet non sit relatio realis Domini in Deo, sed rationis tantùm, est tamen verè et realiter Dominus, ex reali relatione subjectionis creaturarum ad ipsum.

Dico 3° : B. Virgo est vera et realis mater Christi, quia totum præstitit in conceptione Christi quod solent præstare aliæ matres, subministravit scilicet materiam aptam conceptui, ut dixi supra. (Ib. a. 3, o.)

Si dicas, in eâ non fuisse resolutionem seminis feminei, sicut in aliis matribus, — resp. resolutionem seminis feminei non requiri ad conceptionem tanquàm quid necessarium, sed tanquàm quid utile tantùm, et ut meliùs ac perfectiùs fiat conceptio, quod à Deo potuit suppleri per virtutem Spiritûs sancti absque detrimento maternitatis in B. Virgine. Unde Joan. 2 vocatur *Mater Jesu ;* Luc. 1, *Mater Domini,* et sic alibi. (Ib. ad 3.)

Dico 4° : B. Virgo verè et propriè potest et debet dici Mater Dei. (Ib. a. 4, o.) — Est de fide decisâ in conc. Ephesino contra Nestorium ; deinde in conc. Chalcedon. act. 8, et in aliis.

Prob. : Ex eo mulier dicitur mater alicujus, quòd eum conceperit et genuerit : atqui B. Virgo verum Deum concepit et genuit : ergo.

Prob. min. : 1° Juxta S. Script., Christus est Deus ex B. Virgine conceptus et genitus, Luc. 1 : *Quod ex te nascetur, vocabitur* (id est, verè erit et celebrabitur) *Filius Dei.* Et paulò ante angelus nuntiat Mariæ quòd is quem concipiet et pariet, *vocabitur Altissimi Filius.* Ergo. Prob. 2° ead. min. Concipi et generari tribuitur personæ et ad eam terminatur; non enim dicimus naturam concipi aut nàsci, sed personam : atqui in Christo est unica persona, eaque divina, ad quam in primo instanti conceptionis assumpta est natura humana in utero Virginis : ergo B. Virgo verò concepit et genuit personam divinam seu Deum, nimirùm in naturâ humanâ.

Obj. Actio B. Virginis terminata est ad naturam humanam priusquàm assumeretur à Verbo; prius enim est esse quàm uniri : ergo non potest dici mater Dei nisi impropriè, id est, mater illius qui postea factus est Deus. — Respondeo : Distinguo antecedens : Actio B. Virginis terminata est ad humanam naturam priusquàm uniretur Verbo, prioritate naturæ, concedo; prioritate temporis, nego. In eodem enim instanti reali conceptionis in utero B. Virginis, Verbum univit sibi hypostaticè humanitatem ex B. Virgine assumptam, sicque fuit illius conceptionis et generationis terminus. Quapropter non est impropriè mater Dei, sive ad sensum Nestorii, eò quòd genuerit hominem in quo postea Deus per gratiam habitaret ut in templo, sive eo sensu quo mulier dicitur mater episcopi, quia genuit eum qui postea episcopus factus est; sed verè et propriè, quatenùs ejus actio generativa terminata est ad personam divinam.

Inst. : Divinitas non est assumpta ex B. Virgine : ergo non est mater Dei. — Respondeo : Nego consequens : Ut enim mulier sit et dicatur mater alicujus, non est necesse ut ex se conferat totum quod est in composito, sed sufficit quòd ex eâ assumatur corpus, ut patet in homine cujus anima non est ex matre, quæ tamèn dicitur mater hominis : in Christo autem corpus est assumptum ex B. Virgine.

Urgebis : B. Virgo nec est nec dici potest mater Verbi divini : ergo nec Filii Dei. — Respondeo : Omisso antecedente, nego conseq. Disparitas est, quòd τὸ Verbum formaliter significet terminum generationis æternæ per divinum intellectum; at τὸ Filius significat indifferenter terminum generationis sive æternæ sive temporalis. Omisi ant., quia multi promiscuè et sine scrupulo vocant B. Virginem matrem Verbi sicut matrem Dei, et sensu catholico, intelligendo scilicet materialiter, quòd sit mater illius qui est Verbum Patris.

Insistes : Mater debet esse consubstantialis suo filio : atqui B. Virgo non est consubstantialis Christo : ergo. — Respondeo : Distinguo maj. : Mater debet esse consubstantialis filio ex parte, concedo maj.; ex toto, nego maj. Ad cujus sensum distinctâ min. nego conseq. Hujus quidem rei exemplum non habemus in naturâ, quia mysterium est singulare, et si exemplo constaret, singulare non foret, ut ait S. Aug. Ep. 2 ad Volusian.

Inferes : Ergo B. Virgo poterit dici causa Dei, quod non admittitur. — Respondeo : Nego illat., quia τὸ causa magis latè patet quàm τὸ mater : esse enim causa, significat generalem causalitatem totius illius respectu cujus dicitur; esse autem mater, significat peculiarem modum causalitatis, scilicet per generationem.

Dico 5° : B. Virgo peperit absque dolore, quia dolor parientis causatur ex apertione meatuum per quos proles egreditur; Christus autem, ut dixi supra, egressus est ex utero clauso Matris. Deinde decebat ut quæ sine libidine conceperat, sine dolore pareret; adeòque nervi umbilicaris, quo fœtus utero matris cohæret, sectio, absque sensu matris Deo operante facta creditur. (Ibid. a. 6, o.)

Neque tantùm sine dolore, sed cum ingenti jucunditate et lætitiâ peperit B. Virgo, juxta illud Isai. 35 : *Germinans germinabit sicut lilium, et exsultabit lætabunda et laudans,*

Attamen ut servetur partûs proprietas, dicendum est quòd B. Virgo actione et impulsu quodam emiserit fœtum per partes genitales, absque tamen violentiâ et labore. Ita censent S. Hieron. contra Helvid. cap. 9, et S. Epiphan. lib. 3 contra Hæreses, atque sic canit Ecclesia : *Enixa est puerpera.*

Hinc inferes, nullam illic fuisse obstetricem quæ parienti opem ferret : « Nulla ibi « obstetrix, inquit S. Hieron. cit., nulla mu- « liercularum sedulitas intercessit : ipsa pan- « nis involvit infantem, ipsa et mater et ob- « stetrix fuit. » Hinc ridendi sunt pictores qui Virgini parienti obstetricem effingunt, et ei decumbenti ac quasi infirmæ subsidia præbentem.

Utrùm verò fuerint sordes in hoc puerperio, sicut in aliis puerperiis, negare videntur plures SS. Patres. Aug. Orat. de 5 Hæresibus c. 5, ubi loquens contra Manichæum, qui

nolebat Filium Dei dici filium hominis, à quo ipsum inter alia deterrebant humanæ nativitatis sordes, dicit : « Stulte, unde sordes in « virgine matre, ubi non est concubitus cum « homine patre? unde sordes in eâ quæ nec « concipiendo libidinem, nec pariendo per- « pessa est laborem? unde sordes in domo ad « quam nullus habitator accessit? » S. Fulg. Serm. de Laudibus B. Virginis, loquens de concept. Christi : « O, inquit, conjunctio sine « sordibus facta! Hoc splendore concipitur Dei « Filius, hâc munditiâ generatur. » Bern. Serm. 3 de Purif. inducit B. Virginem sic loquentem : « Quid mihi opus purificatione?.... « Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impu- « rum, nihil illicitum, nihil purgandum.... « Quid in me legalis purificet observatio, quæ « purissima facta sum in ipso partu immacu- « lato? » Si dicas ibi agi de purificatione ab immunditiâ legali, verum est; sed immunditia legalis oriebatur ex immunditiâ naturali puerperarum. Pro eâdem sententiâ citantur Epiphan. l. 3 cont. Hæres. circa finem; Hildephonsus l. de perpetuâ Virg.; denique S. Hieron, c. 4 cont. Helvid., ubi dicit : « Polluatur « cruore puerpera, obstetrices suscipiant par- « vulum vagientem, maritus lassam teneat « uxorem : sic incipiant nuptiæ, ne evange- « lista mentitus sit; sed absit ut hoc de Matre « Salvatoris et viro justo sit existimandum! »

Unde quod objicitur ex eodem S. Hieron. c. 9 ejusd. lib. dictum est per transitionem, quasi diceret : Esto ita sit, non ideò erubesceremus, qui crucem ignominiosam sustinuisse confitemur.

Non desunt tamen theologi et interpretes, Tostatus, Christianus Lupus, Serrius, qui contrarium opinentur, hoc nixi fundamento, quòd, cùm Christus per omnia nobis similis factus sit, atque humanæ naturæ sordes et contumelias toto decursu vitæ non horruerit, illas nascendo horruisse non sit putandus.

Ad SS. Patres respondent, eos esse intelligendos de sordibus animi, non corporis. Verùm non ita facilè hanc solutionem accommodabis quibusdam textibus citatis, ut legenti patet.

Articulus II.

De circumstantiis nativitatis Christi.

§ 1. *De loco Christi nascentis.*

Tria hìc quærimus : primum, utrùm Christus sit natus in Bethlehem; secundum, utrùm in ipsâ civitate Bethlehem, an in ejus suburbio; tertium, utrùm Christo nascenti bos et asinus adfuerint.

Dico 1° : Juxta Evangelistas, Matth. 2 et Luc. 2, Christus natus est in Bethlehem civitate Judæ seu tribûs Judæ. Exprimitur civitas Judæ, ut distinguatur ab alterâ Bethlehem tribûs Zabulon. (Ibid. a. 7, o.)

Voluit autem Christus nasci in Bethlehem in quâ natus est David, 1° ut ostenderet se esse ex ejus semine, et promissionem ipsi factam esse impletam; quod designat Evangelista, dicens : *Eò quòd esset de domo et familiâ David.* 2° Quia, ut S. Greg. dicit Hom. 8 in Evang., Bethlehem domus panis interpretatur: ipse autem est qui ait : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi;* sicque adimpletum est quod prædixerat Michæas 5 : *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israel.* Vocat Propheta Bethlehem *Ephrata,* quia sic antiquitùs vocabatur, Gen. 35 et 48.

At fortè quis movebitur quòd Matthæus 2, referens illam prophetiam, scribat : *Et tu, Bethlehem, terra Juda, nequaquàm minima es in principibus Juda,* etc., cùm tamen Propheta vocet eam *parvulam in millibus Juda;* quæ videntur contraria.

Respondet S. Hieron., Matthæum prophetiam hanc non retulisse ex se, sed prout redita fuerat à principibus sacerdotum et Scribis Herodi interroganti ubi Christus nasceretur, eamque vitiationem noluisse corrigere, ut omnibus innotesceret quanta tunc esset in sacerdotibus et Scribis Scripturarum ignorantia. Qui verò existimant Matthæum retulisse prophetiam proprio nomine, dicunt hæc verba prophetiæ : *Parvula es in millibus Juda,* non esse dicta à Michæâ affirmando, sed interrogando; quasi diceret Propheta : *Tune parvula es in millibus Juda?* nec mirum quòd id non exprimatur in S. Scripturâ, quia Hebræi interrogationis puncta scribendo non habent : unde Matthæus dicendo : *Nequaquàm minima es in principibus Juda,* expressit sensum germanum prophetiæ.

Dico 2° : Probabile est Christum natum esse in suburbio Bethlehem, in speluncâ diversorio conjunctâ, brutis animantibus destinatâ.

Colligitur ex S. Scripturâ. 1° Lucas 2 narrat, *pastores custodientes vigilias noctis super gregem suum,* seu sub dio cum grege cubantes, venisse adoratum Dominum; non autem habuissent facilem aditum de nocte intra civi-

latem probabiliter muris circumseptam ; nec facilè in civitate puerulum natum invenissent. 2° Quia Herodes jussit occidi omnes infantes, non solùm in civitate natos, sed *in omnibus finibus ejus*, hâc scilicet de causâ quòd Bethlehem nomine sciret intelligi non solùm ipsam civitatem, sed etiam ejus suburbia. Cæterùm ita censent Euseb., qui lib. 7 Demonst. Evang. c. 2, dicit *agrum juxta Bethlehemum demonstrari, ubi Virgo enixa Infantem deposuit;* et Justinus in Dialogo cum Tryphone, qui dicit speluncam in quâ natus est Jesus, esse *juxta Bethlehemum positam.*

Dixi, *in speluncâ, diversorio conjunctâ, brutis animantibus destinatâ,* seu stabulo. Ita constat ex Luc. 2 dicente : *Reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.* Erat autem verisimiliter illa spelunca in terrâ vel rupe excisa, ut moris erat in illis partibus; et ideò S. Hieron., Epist. 27, vocat *parvum terræ foramen.* Euseb. lib. 3 de Vitâ Constant. vocat *antrum,* et Venerab. Beda lib. de Locis Sanctis cap. 8, *semiantrum.*

Dico 3° : Christo nascenti adfuisse bovem et asinum antiqua traditio est apud S. Hieron. Ep. 27, S. Greg. Nazianz. Orat. 38 de Nativit. Christi, S. Greg. Nyssen. de Christi Generatione, Paulinum ad Severian. Epist. 11, S. Cyrillum Catechesi 12, S. Aug. contra Judæos cap. 13, etc. Hi nempe hanc sententiam Isai. 1 : *Bos cognovit possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui,* quæ sensu litterali intellecta, exprobrat populo Judaico ingratitudinem suam erga Dominum præ bobus et asinis qui grati sunt dominis suis, sensu accommodatitio applicant bovi et asino qui Christo recens nato in præsepio Bethlehemitico astiterunt, eumque sive naturali sive miraculosâ aliquâ reverentiâ agnoverunt et adoraverunt. Idem de hâc alterâ sententiâ prophetæ Habacuc c. 3, secundùm Septuaginta : *In medio duorum animalium cognosceris;* quæ licet per duo animalia significet Cyrum et Darium, qui ab Isaiâ duobus animalibus, scilicet asino et camelo, assimilantur, allegoricè tamen Patres variè intelligunt, modò de duobus Testamentis, modò de duobus latronibus, modò de Christo recens nato, in præsepio posito inter bovem et asinum, et à pastoribus agnito.

Atque hanc traditionem recipit Ecclesia, quæ in Officio Nativitatis respons. 4, canit : « O magnum mysterium et admirabile sacra- « mentum, ut animalia viderent Dominum « natum jacentem in præsepio! » Et resp. 6 festi Circumcisionis : « In medio duorum ani- « malium jacebat in præsepio et fulgebat in « cœlo. »

Scio quosdam recentiores, inter quos noster Serrius, habere traditionem pro fabulâ, hâc potissimùm ratione, quòd Lucas, qui Christi nativitatem accuratè describit, nihil de bove et asino scribat, et angelus qui pastoribus signa recens nati Salvatoris dedit, non dixit in medio duorum animalium esse positum.

At hæc sunt argumenta negativa, quæ non satis evincunt contra traditionem auctoritate Patrum et usu Ecclesiæ firmatam. Insuper, et Lucas describendo Christi nativitatem, et angelus eam nuntians pastoribus, sufficienter indicaverant locum Christi nascentis, dicendo ipsum jacere in præsepio, nec erat necesse commemorare omnia quæ solent esse in præsepiis, fœnum, paleas et alia hujusmodi.

Ad SS. Patres qui scribunt bovem et asinum cognovisse possessorem suum et præsepe Domini sui, respondent allegoricè et figuratè locutos fuisse, eoque bovis et asini subjugalium animalium symbolo, pastores genere et religione Judæos ferendo Mosaicæ legis oneri assuetos intellexisse, qui ex dato sibi signo ab angelo natum Salvatorem in præsepio cognoverunt et adoraverunt; vel, ut alii volunt, intellexisse magos et pastores, gentiles et Judæos.

Verùm nulla figura apparet in his quæ cantat Ecclesia, neque in his quæ plures ex laudatis Patribus dicunt. Sic S. Hieronym. Epist. 27, de Paulâ dicit : « Inde Bethlehem « ingressa, in specum Salvatoris introiens, « postquàm vidit sacrum Virginis diversorium « et stabulum in quo agnovit bos possessorem « suum et asinus præsepe Domini sui, » etc. Neque specus, neque diversorium neque stabulum hìc ponuntur figuratè : ergo neque bos et asinus. Item S. Greg. Nazianz. Orat. 38 de Nativit. : « Cognosce, inquit, ut bos, possessorem « tuum, et cum asino præsepe Domini tui; « cum stellâ curre, cum Magis adora, cum « angelis tripudia. » Numquid verè et litteraliter stella præcessit, Magi adoraverunt, angeli lætantes gaudium magnum nuntiaverunt? Ergo verè et litteraliter bos et asinus Christo nascenti adfuerunt.

Denique cùm natus sit Christus in speluncâ brutis animalibus destinatâ, ut omnes conveniunt, nihil miri aut absurdi, quin potiùs convenientiæ est, si dicatur ibi reperta fuisse quædam animalia.

§ 2. *Le tempore Christi nascentis.*

Tria hìc expendenda occurrunt : primum, quo anno à creatione mundi Christus natus sit ; secundum, quo mense et quâ die mensis ; tertium, quâ horâ diei.

Dico 1° : Secundùm communem nunc sententiam, computando sex mundi ætates juxta textum Hebraicum et Vulgatam editionem, natus est Christus anno circiter quater millesimo à creatione mundi. Hic annus erat quadragesimus primus imperii Augusti Cæsaris, sub quo uno principe vivebat orbis universus et profundâ pace fruebatur. Porrò congruebat eo tempore nasci Christum, qui est pax nostra *faciens utraque unum,* ut dicitur Ephes. 2, et qui venerat congregare suos in unum, *ut esset unum ovile et unus pastor,* Joan. 10.

(Q. 35, a. 8, o.) Dixi, *computando juxta textum Hebraicum et Vulgatam editionem ;* quia computando juxta versionem septuaginta Interpretum, longè major est annorum numerus. Sed vitiata in hoc communiter creditur editio hæc, quamvis unde vitio provenerit incertum sit. Atque hinc factum est quòd Martyrologium Romanum, quod editum fuit tempore quo Ecclesia communiter utebatur editione septuaginta Interpretum, numeret à creatione mundi ad Christum natum annos 5199, quamvis et hic numerus nondùm attingat numerum septuaginta Interpretum. Verùm Ecclesia, ad hæc utpote leviora, accuratiùs disquirenda majestatem suam non dimittit, inquit Cano, sed calculo chronologorum relinquit.

Dico 2° : Universa Ecclesia tam Græca quàm Latina, ex constanti majorum traditione, tenet Christum esse natum vigesimo quinto decembris. Improbanda est itaque opinio Ecclesiarum Ægypti quæ existimant Christum esse natum sexto januarii, et ideò hâc die quatuor mysteria celebrant, scilicet nativitatis Christi, epiphaniæ, baptismi Christi et primi ejus miraculi in Canâ Galilææ ; utpote contraria traditioni universæ Ecclesiæ, et quam aliunde ut minùs fundatam impugnat S. Hieron. in c. 1 Ezechiel.

Dices cum quibusdam heterodoxis, quorum alii vigesimo aprilis, alii vigesimo maii Christum esse natum volunt, verisimile non esse Christum esse natum mediâ hieme : habetur enim Luc. 2, Christo nascente pastores custodivisse vigilias noctis super gregem suum, id est, sub dio cubantes : id autem fieri non potuit mediâ hieme. Ergo. — Respondeo : Nego assumptum. Palæstina enim sicut aliæ orientales et australes plagæ sunt temperatissimæ ; in quibus etiam mediâ hieme greges sub dio pernoctant, et pastores juxta accubant.

Dico 3° : Natus est Christus mediâ nocte.

Quòd sit natus de nocte, colligitur ex Lucâ qui, narratâ Christi nativitate, immediatè subjungit : *Pastores erant in eâdem regione vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem suum.*

Quòd mediâ nocte, constat partim ex antiquissimâ Ecclesiæ praxi, quæ à primis seculis ideò hâc die sua officia celebrat mediâ nocte ; partim ex illo Sapient. cap. 2 : *Cùm quietum silentium teneret omnia, et nox in sui cursu medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit.* Quod dictum de Christi nativitate multi Patres interpretantur.

Petes utrùm à Virgine pariente abfuerit S. Joseph. — Respondeo verbis S. Petri Dam. Serm. 62 : « Adest et Joseph, sed ab utroque « remotus, et in excessu mentis miratur, et « mirari satis non potest, qualiter sit ad tantæ « dignitatis admissus arcanum. » Rectè quidem ; non enim verisimile est, quod quidam comminiscuntur, sanctissimum sponsum mediâ nocte abfuisse domo, et sponsam partui proximam dereliquisse.

Dissertatio quarta.

DE MANIFESTATIONE CHRISTI NATI.

(*D. Th. Q.* 36.)

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm manifestatio Christi nati convenienter facta fuerit?

Quæ hâc q. 36 docet S. Th. pro majori parte sequentibus conclusionibus breviter perstringo. Unde

Dico 1° : Non debuit nativitas Christi communiter et promiscuè omnibus manifestari, quia si fuisset omnibus manifestata per signa exteriora cum ostensione signati, adjuncto lumine interiori fidei, sicut fuit manifestata pastoribus, Magis, Simeoni et Annæ, Christus non habuisset persecutores et crucifixores, juxta illud 1 Corinth. 2 : *Si cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent ;* inde-

que impedita fuisset redemptio generis humani, quæ per crucem peracta est.

Dico 2°: Debuit tamen aliquibus manifestari nativitas Christi, tum quia nulli profuisset, si omnibus fuisset occulta, juxta illud Eccl. 10: *Sapientia abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* tum quia ordo divinæ sapientiæ est, ut ejus dona et opera non maneant penitùs occulta, neque tamen omnibus æqualiter innotescant, sed quibusdam præordinatis, et per eos ad alios perveniant; tum denique quia tolleretur fides si nulli cognitum fuisset istud mysterium, à quo ab aliis posset audiri; *fides* enim *ex auditu*, Rom. 10: neque sufficiens fuisset Josephi et Mariæ testimonium, quia, cùm esset domesticum, fuisset suspectum.

Dico 3°: Convenienter fuerunt electi illi quibus Christi nativitas est manifestata, nempe pastores, Magi, Simeon et Anna, quia cùm Christus esset Salvator omnium, ejus nativitas convenientissimè omnibus hominum conditionibus est manifestata, scilicet pastoribus, qui erant Judæi, pauperes et simplices; Magis qui erant gentiles, sapientes, potentes et peccatores; viris et mulieribus, scilicet Simeoni et Annæ, qui erant justi; ut significaretur nullam conditionem à salute Christi excludi, juxta illud Coloss. 3: *In Christo Jesu non est masculus et femina, et gentilis et Judæus, servus et liber.*

Si petas ubi ab angelis nuntiata fuerit pastoribus Christi nativitas, — respondeo, juxta S. Hieron., nuntiatam fuisse ad turrim *Ader* seu *Eder*, id est, *Gregis*, sitam inter Bethlehem et Jerusalem, distantem à Bethlehem mille passibus, ubi pastores greges suos de nocte pascebant, et inde venisse adoratum Dominum. Ita S. Doctor in Traditionibus Hebraicis ad cap. 35 Gen. et Ep. 27, ubi hæc habet: « Haud procul inde descendit Paula ad turrim « Eder seu Gregis, juxta quam pavit Jacob « greges suos, et pastores nocte vigilantes au- « dire meruerunt: *Gloria in excelsis Deo, et « super terram pax hominibus bonæ voluntatis.* »

Quantùm ad numerum, tres vulgò numerantur ex Bedâ lib. de Locis Sanctis c. 8. Quidam tamen quatuor numerant.

Dico 4°: Non decebat quòd Christus per seipsum manifestaret suam nativitatem, quia id derogaret fidei humanitatis; et aliunde voluit nasci nobis similis, omnibus infantiæ infirmitatibus obnoxius.

Dico 5°: Convenientissima fuerunt media quæ divina sapientia assumpsit ut Christi nativitatem manifestaret.

Prob. Manifestatio quæ fit per signa, debet fieri per ea quæ sunt familiaria iis quibus fit manifestatio. Porrò justis est familiare et consuetum interiori Spiritûs sancti instinctu edoceri absque signorum sensibilium demonstratione; et ideò convenienter Simeoni et Annæ tanquàm justis manifestata est Christi nativitas per interiorem instinctum Spiritûs sancti, secundùm illud Luc. 2: *Responsum accepit Simeon à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.* Alii verò corporalibus rebus dediti per sensibilia ad intelligibilia deducuntur: unde pastoribus et Magis corporalibus addictis manifestata est Christi nativitas per visibiles apparitiones angelorum et stellæ: pastoribus quidem per apparitionem angelorum, quia apud Judæos frequenter fiebant apparitiones angelorum; Magis autem per apparitionem stellæ, quia erant assueti siderum contemplationi.

Observandum tamen quòd hæc stella non fuisset Magis certum signum nati Salvatoris Dei et hominis, nisi præter illam speciem, quæ corporalem incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuisset; non enim ex solâ novæ stellæ consideratione ad tanti mysterii veritatem pervenire poterant.

Dico 6°: Convenienti ordine manifestata est nativitas Christi, primò pastoribus, deinde Magis, postremò Simeoni et Annæ, quia pastores repræsentabant Apostolos et Judæorum primitias; Magi erant primitiæ gentium; justi autem in templo repræsentabant plenitudinem Judæorum. Porrò fides Christi primò manifestata est apostolis, deinde plenitudini gentium, postremò in fine seculorum manifestabitur plenitudini Judæorum.

Articulus II.

De Magis Christi nascentis adoratoribus.

Expeditis iis quæ docet S. Th. sex primis articulis hujus q. 36, restant variæ difficultates circa ipsos Magos Christi adoratores et stellam quæ eis apparuit.

1° Quænam fuerit hæc stella. 2° Utrùm existens in oriente apparuit Magis, an potiùs existens in Judæâ apparuit Magis existentibus in oriente. 3° Utrùm duxerit Magos ab oriente in Jerusalem. 4° Cujusnam conditionis fuerint Magi. 5° Unde venerint.

Dico 1° : Stella quæ apparuit Magis, non erat una ex sideribus cœlestibus, neque cometa, sed nova stella ex elementari aliquâ materiâ miraculosè formata. Patet, quia ista stella ita movebatur secundùm divinam voluntatem, ut modò staret, modò progrederetur, modò esset occulta, modò conspicua etiam in meridie : hæc autem non competunt sideribus cœlestibus, neque cometis. Insuper non fulgebat in cœlo stellato, sed in aere terræ vicino ; alioquin nec Magos ducere, nec certam domum eis indicare potuisset.

Dico 2° : Hæc stella existens in oriente apparuit Magis. Id significare videtur Matthæus c. 1, dicens : *Stella quam viderant in oriente*, sitam scilicet ; et illa verba Magorum : *Vidimus stellam ejus in oriente*, scilicet fulgentem.

Si objicias vaticinium Balaam, num. 24 : *Orietur stella ex Jacob*, — resp. hoc vaticinium intelligi de Christo ipso, qui Apocal. 22 vocatur *stella splendida et matutina*, cujus stella quæ apparuit Magis erat nuntia.

Hanc autem stellam non fuisse visam Judæis colligitur ex Evangelio, quo docemur Herodem nonnisi ex Magis didicisse tempus stellæ. Aliunde, si ex solâ relatione apparitionis stellæ turbatus fuerit Herodes et omnis Jerosolyma cum illo, quantò magis fuissent turbati si vidissent ipsam stellam ab Jerusalem in Bethlehem progredientem !

Dico 3° : Probabilius est hanc stellam duxisse Magos ab oriente in Jerusalem. Prob. 1° ex Matth. c. 2, qui dicit de Magis egressis Jerusalem : *Et ecce stella quam viderant in oriente antecedebat eos, usque dùm veniens staret ubi erat Puer.* Si ab Jerusalem in Bethlehem duxit, cur non ab oriente in Jerosolymam, cùm tunc esset magis necessaria ? Si dicas, his verbis, *quam viderant in oriente*, innui stellam solùm visam fuisse in oriente, non prævisse, nego *assumptum* : Evangelista namque narra quod primùm factum est, non negat quod inde subsecutum est. Prob. 2° auctoritate Ecclesiæ, quæ in sacro hymno cantat : *Ibant Magi quam viderant stellam sequentes præviam.* 3 Auctoritate Patrum : S. Chrysost. Serm. 15, dicentis : « *Ambulante Mago stella ambulat*, « *dormiente excubat ;* » S. Leonis Serm. 2 de Epiph. : « *Magos ad Christum adorandum præ* « *via stella perduxit,* » et S. Th. hìc a. 7, o, qui tamen addit id à quibusdam relinqui sub dubio. Equidem non desunt clarissimi interpretes, qui nullum in stellâ ab oriente in Jerusalem motum agnoscunt, sed sive orienti sive Judææ incubantem, visam fuisse à Magis fixam dicunt ; eos autem ex prophetiâ Balaam num. 24, *orietur stella ex Jacob*, intellexisse quid ista nova stella quam videbant indicaret sicque eos sine ductore venisse in Judæam In hanc sententiam adducuntur præsertim ex verbis Matth. cit., *stella quam viderant in oriente*, ut dixi supra. Fatemur hanc sententiam non esse improbabilem ; sed prior est communior, et Ecclesiæ ac Patrum sensui videtur conformior.

Dico 4°, Magos Christi adoratores non fuisse magicis artibus et dæmonum invocationibus addictos, sed philosophos, sapientes, et siderum scientiæ peritos, qui in oriente vocantur Magi, communior et probabilior est sententia.

Non fuisse reges simpliciter, qui populis et provinciis supremâ potestate dominantur, probabilius nobis videtur. 1° Quia nullus veterum Patrum eis talem regiam dignitatem, sed sapientiam et siderum notitiam attribuit : primus omnium Theophilactus, auctor undecimi seculi, hanc eis tribuit. 2° Quia Matthæus illos nec regio titulo nec regio apparatu adventantes designat, quod non omisisset ad majorem nascentis Christi gloriam et famam. 3° Herodes ipsos alloquitur ut inferioris conditionis homines et cum iis ex imperio agit : *Mittens eos in Bethlehem, dixit : Ite et interrogate diligenter de Puero, et cùm inveneritis, renuntiate mihi.* 4° Non est verisimile reges exteros ingressos fuisse limites alterius regni, nullis missis nuntiis aut legatis ; nec Herodes, qui ad simplicem nuntium novi regis Judæorum nati turbatus est, illorum ingressum facilè permisisset.

Dices : Ecclesia in festo Epiphaniæ usurpat hæc verba Psal. 71 : *Reges Tharsis et insulæ munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent ;* item prophetiam Isaiæ 60 : *Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortûs tui.* Ergo. — Resp., hæc utriusque prophetiæ verba dicta esse generatim de conversione regum gentium nationumque barbararum ad Christi cultum, ea autem Ecclesia accommodat suis officiis in festo Epiphaniæ, quia Magi fuerunt primitiæ conversionis gentium. Aliàs si de Magis Christi nascentis adoratoribus litteraliter dicta velis, necesse erit dicere Magos fuisse, non quales cumque reges, sed reges Æthiopes, Tharsen

ses, Insulenses, Arabes et Sabeos, imò omnes reges terræ ad Christum nascentem in præsepe convolâsse ; dicit enim Psalmista loco cit. : *Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent : reges Tharsis et insulæ munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent ; et adorabunt eum omnes reges terræ.*

Quia tamen sensus communis fidelium est eos fuisse reges, et solo titulo *regum* festum Epiphaniæ celebrant, nihil obstat quominùs dicamus cum pluribus eos fuisse reges seu regulos, secundùm phrasim S. Scripturæ, quæ cujusvis oppidi aut certi territorii dominos seu toparchas solet vocare reges, ut patet de quinque regibus quos Abraham debellavit, Genes. 14. Et sic conciliantur sententiæ.

Tres fuisse vulgò creduntur, ex S. Leone Serm. de Epiph. 1, 3, 5 et 6. Incerta eorum nomina, de quibus nihil fuit auditum ante finem duodecimi seculi. Verisimile est singulos obtulisse tria munera, aurum, thus et myrrham ; quia cùm ea offerrent ut symbola fidei suæ, quâ credebant Christum esse regem, Deum et hominem mortalem, debuerunt singuli omnia hæc tria offerre : aurum ut regi, thus ut Deo, myrrham ut homini mortali in sepulturam ejus.

Dico 5° : Certum est ex Evangelio Magos venisse ex oriente, quod debet intelligi respectivè ad Jerusalem. Sed ex quâ parte orientis, magna est SS. Patrum dissensio. Quidam dicunt eos venisse ex Chaldæâ, in quâ Magorum scientia florebat. Quidam, ut Origenes et Basil. Magnus, ex Mesopotamiâ. Alii, ut Justinus Martyr, Tertull., Epiphan., Hilarius, etc., tenent eos venisse ex Arabiâ Felice, ubi aurum, thus et myrrha abundant. Alii tandem venisse ex Perside, in quâ Magorum nomen et professio celebris erat, et vigebat mos adorandi cum muneribus : hujus sententiæ sunt SS. Chrysostomus, Clemens et Cyrillus Alexand., et ipse S. Th. hic, a, 7, o.

Cæterùm undecumque venerint, extra dubium videtur omnes ex unâ et eâdem regione, eâque orientali venisse. Unde absque fundamento depingitur unus inter illos niger, quasi ex Æthiopiâ vel alterâ regione Africæ esset oriundus. Qui error creditur manâsse ex Collectaneis apocryphis Venerabili Bedæ falsò adscriptis.

Articulus III.

De tempore adventûs Magorum.

Suppono cum sententiâ communi contra paucos, stellam apparuisse Magis non biennio ante Christi nativitatem, sed ipso jam nato. Constat ex verbis Magorum Matth. 2 : *Ubi est qui natus est rex Judæorum ? Vidimus enim stellam ejus*, utique nati, non nascituri.

Hoc supposito, quidam, inter quos Epiphanius, censent Magos adventâsse Jerosolymam, subinde Bethlehem biennio post nativitatem Christi. Alii sentiunt non advenisse nisi post purificationem B. Virginis. Novissimè noster Serrius tenet non advenisse nisi vigesimo sexto vel vigesimo septimo januarii, non alio fundamento nixus, quàm quòd falsò putat omnia benè cohærere in suâ sententiâ, non in aliis. Contra quos omnes

Dico : Magi advenerunt Jerusalem, subinde Bethlehem die decimo tertio post Christi nativitatem, hoc est, sextâ januarii.

Hic est sensus communis fidelium et Ecclesiæ traditio, quam defendunt celebres auctores, S. Th. hic cit.; Baron. ad annum primum Christi, n. 31 et seq.; Melchior Cano de Locis Theolog. lib. 11, c. 5, ad 5; Jansenius Gand. in Concord. c. 9; Sylvius hic, Turnelius et alii, nec quidquam opponitur quod illam efficaciter impugnet, ut patebit ex sol. obj., quin potiùs contra duas primas sententias militat hoc efficax argumentum.

Si Magi non advenerunt nisi biennio post Christum natum, aut nonnisi post purificationem B. Virginis et præsentationem Filii in templo, non invenissent puerum Jesum et parentes ejus in Bethlehem, siquidem ex Luc. 2 : *Ut perfecerunt omnia secundùm legem Domini*, id est, post peractam purificationem Mariæ et præsentationem Jesu in templo, *reversi sunt in Galileam in civitatem suam Nazareth.*

Item Matthæus 2 narrat : *Cùm natus esset Jesus, ecce Magi ab oriente venerunt.* Atqui si post biennium vel post sex hebdomadas, vel etiam post mensem, non dixisset Evangelista : *Cùm natus esset, ecce Magi.* Hæc enim loquendi formula non adhibetur de re tam serâ, sed subitâ et improvisâ, ac præsenti, seu quasi præsenti : sic Genes. 24 dicitur : *Necdùm verba compleverat* servus Abrahæ, *ecce Rebecca egrediebatur.* Item, cùm dixit angelus Mariæ : *Ecce concipies*, ipsa intellexit se statim concepturam, unde è vestigio subdit : *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

Si dicas cum Serrio, Matthæum eamdem loquendi formulam adhibere de iis quæ inter

se plusquàm mense distant ; dicit enim c. 2 : *Qui reges cùm recessissent, ecce angelus apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum;* et tamen secundùm nos, inter recessum regum et monitum angeli mediant sex circiter hebdomadæ ; Ergo,

Resp. ex S. Aug. l. 2 de Consensu Evang. c. 5, Matthæum prætermittere quæ Lucas 2 narrat gesta circa Dominum et Matrem ejus in templo : unde texendo unam narrationem, ex utrâque dicendum et intelligendum est : Qui Magi cùm recessissent, postquàm impleti sunt dies purgationis Mariæ, et peracta omnia secundùm legem Domini, venerunt in Nazareth ; et ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, etc.

Obj. 1° : Herodes, teste Matth. 2, à Magis *diligenter didicit tempus stellæ quæ apparuit eis;* et ut vidit se ab iis esse delusum, occidi jussit omnes pueros *à bimatu et infra, secundùm tempus quod exquisierat à Magis.* Unde colligitur stellam eis biennio apparuisse antequàm Jerusalem advenirent ; stella autem, ut supponimus, non apparuit nisi Christo nato : ergo Magi advenerunt Jerusalem biennio post Christum natum.

Resp. sequelam in antecedente ex verbis Matthæi malè deduci ; hæc enim verba, *secundùm tempus quod exquisierat à Magis,* non referuntur ad istas particulas, *à bimatu,* sed ad has sequentes, *et infra,* quas immediatè afficiunt ; ita ut sensus sit, Herodem jussisse occidi omnes pueros à bimatu ; nec solùm illos, sed etiam alios infra bimatum ; non tamen omnes, sed *secundùm tempus quod exquisierat à Magis :* id est, eos solos, licet non bimulos, qui nati essent ante apparitionem stellæ Magis, non verò eos qui post nati essent, quia certò sciebat eos non posse esse Christum : sicque non initium, sed terminum occisionis statuit Herodes, *secundùm tempus quod exquisierat à Magis.*

Urgebis : Ut quid ergo Herodes jussit occidi omnes pueros à bimatu, si Magi advenerint decimo tertio die post Christum natum ?

Resp. cum S. Chrysostomo Hom. 7 in Matth., id factum esse pro abundantiâ cautionis. Quamvis enim Herodes didicisset tempus stellæ, dubitare tamen poterat num natus esset Christus antequàm stella apparuisset. Item suspicari poterat ne puer cui sidera famulabantur, speciem suam paulò supra ætatem transformaret. Similiter quamvis ex principi bus sacerdotum et scribis didicisset Christum nasciturum in Bethlehem, hoc tamen non obstante jussit occidi pueros, non solùm in Bethlehem, sed etiam in omnibus finibus ejus. Sicut ergo pro abundantiâ cautionis extendit locum, sic etiam extendit tempus.

Obj. 2° : Matth. c. 2, scribit Herodem statim atque persensit se à Magis esse illusum, jussisse pueros occidi : hæc autem cædes nonnisi aliquot diebus post purificationem peracta est, dùm Virgo Deipara illiusque sponsus Jerosolymis discessissent et Nazareth pervenissent, atque inde ab angelo moniti in Ægyptum aufugissent, hoc est, elapso ut minimum mense integro post sextam januarii, quâ Magos adventâsse dicimus : atqui unius mensis spatium non fuit necessarium Herodi ut se à Magis per aliam viam reversis delusum intelligeret, puerorumque cædem ediceret, maximè cùm sexto duntaxat milliari seu duabus leucis Bethlehem distaret Jerosolymis : ergo Magi die sextâ januarii non adventârunt. Ita Serrius.

Resp. : Nego subsumptum. Existimavit enim Herodes, cùm de Magis nihil audiret, ipsos fallacis stellæ visione deceptos, non invenisse quem natum putaverunt, et erubuisse ad ipsum redire. Peractis verò purificatione B. Virginis et præsentatione Jesu in templo, vulgatisque iis quæ de ipso Simeon et Anna dixerant, se sensit delusum ; hinc quæsivit Puerum ad perdendum eum, et cædem Innocentum edixit : quod proinde factum est cùm essent Jesus et parentes ejus in Nazareth, ubi ab angelo moniti sunt fugere in Ægyptum.

Obj. 3° : Magi tam brevi temporis intervallo tam longum iter agere nequiverunt, præsertim si ex Perside accessisse supponantur, leucis supra quingentis ab Jerosolymis distante. Ergo. Ita iterùm Serrius.

Resp. 1°, incertum esse unde profecti sint Magi, cùm alii ex Chaldæâ, alii ex Mesopotamiâ, alii ex Arabiâ, alii ex Perside profectos velint : unde nihil certi ex hoc argumento erui potest contra nostram conclusionem ; si enim vel ex Chaldæâ, vel Mesopotamiâ, vel Arabiâ, non longè à Judæâ distantibus, potuerunt facilè pervenire Jerusalem die decimâ tertiâ.

2° Id etiam potuerunt, supposito quòd venerint ex Perside ; ex descriptione enim Asiæ tempore Augusti, comperimus Persidem distare à Judæâ non quingentis leucis et ultra, ut dicit Serrius, sed centum et quinquaginta leucis circiter. Sed et dato Persidem à Judæâ distare quingentis leucis, etiam istud iter de-

cem et tribus conficere potuerunt, partim virtute divinâ, partim velocitate dromedariorum, qui juxta Philostratum in vitâ Apollonii, unâ die iter mille stadiorum, id est, quinquaginta leucarum conficiunt, et juxta Aristotelem Hist. animal. c. ult., sunt equis Nisæis velociores.

Obj. 4°: Si Magi ante purificationem venerint, B. Virgo quæ tunc magnam auri copiam ab illis receperat, non oblationem pauperum, sed divitum fecisset. Ergo. — Respondeo : Nego sequelam; quia hanc auri copiam, si fuerit, vel in pauperes jam distribuerat *Mater misericordiæ,* vel in sacros usus servabat. Sed quidquid sit, non decebat ut quæ pauper erat conditione et ab omni fastu aliena, oblationem divitum imitaretur, mutaretve conditionem quam sciebat Filio Dei placuisse. Neque dicas, sic transgressam fuisse legem; non enim erat obnoxia legi, ut dicam infra.

Petes quam speciem adorationis Magi exhibuerunt Christo nato, an civilem tantùm, an spiritualem et religiosam. — Respondeo exhibuisse spiritualem et religiosam ut homini Deo. Est contra Socinianos. Ita sentiunt Patres, Orig. l. 4 contra Celsum, S. Greg. Nazianz. Orat. 38, S. Ambros. l. 2 in Luc., S. August. Serm. 30 nunc 200 et seq. de Temp., S. Hieron. in cap. 2 Matth. et alii.

Prob. insuper ratione. 1° Multi reges Judæorum nati sunt atque defuncti; item erat Herodes actualiter regnans : atqui tamen nullam eorum Magi adorandum quæsierunt : ergo distinctionem regni Judaici non attendebant, neque regi Judæorum, quales illic esse solebant, hunc magnum honorem, longinqui, alienigenæ et ab eodem regno prorsùs extranei, à se deberi arbitrabantur; sed talem esse natum didicerunt, in quo adorando se salutem quæ secundùm fidem est consecuturos minimè dubitabant. 2° Magi fuerunt primitiæ gentium in Christum credentium, in quibus apparuit ut in quodam præsagio fides et devotio gentium venientium à remotis ad Christum : atqui fides et devotio gentium fuit et est ad Christum ut hominem et Deum : ergo.

Confirmatur ex muneribus quibus fidem suam in Christum ut regem, ut Deum et ut hominem testati sunt Magi; obtulerunt enim illi aurum ut regi, thus ut Deo, myrrham ut homini mortali. Unde Irenæus l. 3, c. 10, dicit : « Deductos Magos à stellâ ad Emmanuel, « per ea quæ obtulerunt munera, ostendisse « quis erat qui adorabatur? »

Dices : Moris erat apud orientales venerari hominem se prosternendo et offerendo munera. Insuper verbum *adoro* non semper sumitur in S. Scripturâ pro cultu *latriæ,* ut notant interpretes. Ergo. — Respondeo nos non facere vim in his solis verbis, *et procidentes adoraverunt eum;* neque præcisè in muneribus quoad substantiam; sed tum in auctoritate Patrum, tum in rationibus deductis in primâ et secundâ probatione, et in qualitate munerum. Insuper licet in veteri Testamento verbum *adoro* non semper sumatur pro cultu *latriæ,* vix tamen aut ne vix sumitur aliter in novo Testamento, maximè si adjuncta sit prostratio.

Dissertatio quinta.

DE LEGALIBUS CIRCA PUERUM JESUM SERVATIS, DE FUGA IN ÆGYPTUM, DE CÆDE INFANTIUM, NECNON DE INSTITUTO VITÆ CHRISTI USQUE AD SUUM BAPTISMA.

(*D. Th. Q.* 37.)

Articulus primus.

De Christi circumcisione.

Christum fuisse circumcisum fides est Ecclesiæ. Quamvis enim Lucas 2, non dicat expressè fuisse circumcisum, id tamen aperte innuit, dùm scribit : *Postquàm consummati sunt dies octo ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus Jesus.* Ad quid enim adnotâsset, *ut circumcideretur Puer,* nisi reverà fuisset circumcisus? Adde quòd tum fuerit ipsi impositum nomen, quod non imponebatur nisi in circumcisione.

Neque te moveat quòd dicat : *Postquàm consummati sunt dies octo,* cùm tamen non liceret circumcidere puerum post octavum diem à nativitate. Consummatio enim non refertur ad ipsos dies, quasi expletis omninò totis octo diebus sit circumcisus, sed ad numerum dierum, quasi septem dies integri erant completi et octavus inchoatus, qui per synecdochen dicuntur octo dies, phrasi Hebræis familiari, sicut dicitur Marci 8 : *Oportet Filium hominis post tres dies resurgere,* id est, tertiâ die. Unde non dixit simpliciter et absolutè Lucas, *postquàm consummati sunt dies octo,* sed, *ut circumcideretur Puer.*

Porro ideò non dixit expressè Christum fuisse circumcisum, sicut expressè dixit nominatum fuisse Jesum, quia circumcisio erat

in usu pro omnibus masculis, et idcircò illam ut indubitatam supposuit : impositio autem nominis *Jesu* erat Christo propria, et ideò illius expressè et distinctè meminit. Hoc supposito

Quæritur 1° utrùm Christus debuerit circumcidi ? 2° ubi fuerit circumcisus ? 3° à quo fuerit circumcisus ? 4° quid factum sit de illius præputio ? 5° ubi exstet sacrum præputium ? 6° denique utrùm nomen *Jesus* fuerit Christo convenienter impositum ?

Dico 1° : Quamvis Christus non esset lege circumcisionis summo jure adstrictus, non enim erat obnoxius legi, ut docet auctor a. 4, et nos dicemus infra, convenienter tamen se illi legi subjecit. (Q. 37, a. 1, o.)

Primò, ut ostenderet veritatem carnis humanæ, quam Manes dixit phantasticam, Apollinaris consubstantialem divinitati, Valentinus cœlestem. 2° Ut approbaret circumcisionem quam Deus olim instituerat, et ostenderet se esse de genere Abrahæ, qui circumcisionis mandatum acceperat. 3° Ut Judæis excusationem auferret ne ipsum reciperent, si esset incircumcisus. 4° Ut obedientiæ et humilitatis exemplum nobis præberet. 5° Ut legis onus in se sustinens, alios à legis onere liberaret, secundùm illud Galat. 4 : *Misit Deus Filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.*

Dices : Si Christus fuit circumcisus, ergo et nos debemus circumcidi. Patet conseq., quia omnis actio Christi est instructio nostra. Respondeo : Nego illationem. Ad prob. Distinguo : Omnis actio Christi est instructio nostra modo et tempore debito, concedo ; secùs, nego. Est enim cuique negotio tempus et opportunitas, ut dicitur Eccl. 8. Et alioquin sequeretur quòd deberemus observare alia legis Mosaicæ præcepta, quæ observavit Christus. Itaque Christus fuit circumcisus tempore quo circumcisio erat sub præcepto. Nunc autem nec præceptum nec tempus est circumcisionis, quæ distinguebat Judæos à gentibus. Unde hanc Christi actionem in hoc imitari debemus, ut observemus ea quæ sunt nostro tempore in præcepto. (Ibid. ad 2.)

Dico 2° : Christus non fuit circumcisus in templo aut synagogâ, sed in speluncâ Bethlehemiticâ, vel in vicinâ domo ad quam fortè SS. parentes cum divinâ prole commigrârunt post peractam descriptionem et evacuata diversoria.

Prob. 1° ex S. Epiphan. Hæres. 20 : « Natus « est, inquit, in Bethlehem, circumcisus in spe- « luncâ, oblatus in Jerusalem, » etc., et ex Nicephoro l. 1 Hist. cap. 12 : « In die octavo, « dominico scilicet, circumciditur in Bethle- « hem in domo Joseph, » in quâ nimirùm hospitabatur. 2° Nullus locus, sive templum, sive synagoga, erat aliquâ lege determinatus ad circumcisionem, sed solebat fieri in domo parentum, vel in alio quovis loco. Id constat ex Abraham, cui primùm indicta est lex circumcisionis ; ipse enim domi suæ se, filium et omnes vernaculos circumcidit, Genes. 17. Sephora circumcidit filium suum in diversorio, dùm iter ageret, Exod. 4. Josue circumcidit omnem populum, transacto deserto, in valle Præputiorum, Josue 5. Et ne fortè dicas ita peractum esse ante constructionem templi, ipse Joannes Baptista fuit circumcisus in domo parentum ; aderat enim tunc Elisabeth mater ejus, quæ cognatis volentibus Zachariæ nomen infanti imponere, dixit : *Nequaquàm, sed vocabitur Joannes ;* id procul dubio dixit domi ; cùm enim esset puerpera octo dierum, non poterat domo exire ut in templum vel synagogam se transferret, cùm ex præcepto legis deberet per quadraginta dies manere in sanguine suæ purificationis, Levit. 12. Nec obstat quòd Lucas dicat : *Factum est die octavo, venerunt circumcidere puerum ;* id namque dictum est, non de Zachariâ et Elisabeth, sed de cognatis et amicis, qui *vocabant eum nomine patris sui Zachariam.*

Dico 3° : Christus non fuit circumcisus à summo pontifice, neque ab alio sacerdote, sed ab alterutro parente, quia ministerium circumcisionis non erat sacerdotale, imò nec leviticum, sed laicum, quod à parentibus exerceri solebat. Patet tum ex secundâ probatione conclusionis præcedentis, tum ex Act. Apost. c. 7, ubi dicitur Abraham circumcidisse Isaac, Isaac Jacob, Jacob duodecim patriarchas ; et ex 2 Machab. 6, ubi duæ matres dejectæ leguntur de muro, mandato Antiochi, eò quòd suos filios circumcidissent.

A quo autem parente fuerit circumcisus ? Libro de verâ Circumcisione inter apocrypha S. Hieron. et lib. de Lamentatione B. Virginis inter apocrypha S. Bernardi, legitur circumcisum fuisse à Mariâ. Verius tamen videtur circumcisum fuisse à S. Joseph ; tum quia id disertè asserit S. Ephrem Hom. de Transfiguratione, cujus auctoritas potior est quàm operam apocryphorum ; tum quia moris erat apud Judæos ut viri, tanquàm familiarum capita, hoc munus obirent, et non mulieres.

nisi in necessitate. Corrigendi sunt itaque pictores qui nobis exhibent summum pontificem circumcidentem in templo puerum Jesu.

Dico 4° : Secundùm communem theologorum opinionem, Christus reliquit in terrâ suum præputium ad venerationem fidelium : unde ad id quod opponitur de integritate corporis Christi resurgentis, respondent tam exiguam partem, quæ vix latitudinem ungulæ humanæ æquat, non pertinere moraliter loquendo ad integritatem corporis Christi, maximè si consideretur ut filius Abrahæ et vir judæus, cui ex lege præputium debebat deesse; sicque eo carere exigebat ejus conditio. Hinc inferes, divinitatem non mansisse hypostaticè unitam præputio, quia non debebat resumi in resurrectione.

Dico 5° : Non potest certò definiri ubinam exstet sacrum præputium, propter pugnantes eâ de re narrationes.

S. Brigitta lib. 6 Revelat. c. 112, scribit servari Romæ. Idem Innoc. III, l. 4 de Mysteriis Missæ, cap. 4, scribens ab angelo delatum fuisse Carolo Magno, qui illud deposuit Aquisgrani, et postea translatum à Carolo Calvo Romam in basilicam Lateran., atque depositum in loco qui dicitur *Sancta sanctorum*. Alii dicunt servari Antuerpiæ; alii, licet non negent olim servatum fuisse Antuerpiæ, volunt tamen, furente Calvinismo, inde fuisse sublatum; quò verò non dicunt. Alii Brugis, alii Anicii servari scribunt. Quidam denique, ut concilient istas pugnantes narrationes, dicunt sacrum præputium divisum fuisse in plures particulas, quæ in variis urbibus fuerunt distributæ. Ridet Serrius Vendelinum hujus conciliationis auctorem : « Quia, inquit, hanc « partitionem præputii exiguitas non patitur, « quod vix minimæ ungulæ humanæ latitudi- « nem æquat. » Verùm, quamvis hanc partitionem ut veram asserere nolim, non video tamen cur sit ridenda; potest enim ungula humana dividi in quatuor aut quinque partes lenè sensibiles.

Dico 6° : Nomen *Jesu* fuit convenienter Christo impositum; quia *Jesus* idem est ac Salvator : Christus est Salvator omnium hominum, et quoad animam liberans eos per gratiam à morte peccati, et quoad corpus per immortalitatem in resurrectione conferendam.

Quamvis ergo quibusdam veteris Testamenti, ut Nave, Sirach et Josedech inveniatur impositum hoc nomen, propter aliquam particularem et temporalem salutem; soli tamen Christo perfecta et integra ejus significatio convenit, utpote qui solus spiritualem, universalem et æternam salutem attulit. Et ideò illi soli est proprium hoc nomen, in quo flectatur omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum.

Articulus II.

De purificatione B. Virginis et oblatione pueri Jesu in templo.

Sanctus Lucas, cap. 2, sic narrat : *Postquàm impleti sunt dies purgationis ejus secundùm legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini : quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur; et ut darent hostiam, secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Ad quorum intelligentiam, observandum est in veteri Testamento triplicem fuisse legem latam de puerperis, Levit. cap. 12, et alteram quartam de primogenitis, Exodi cap. 13.

Prima lex Levit. 12, hæc est : *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstruæ* (quo tempore domi recludebatur, nec cum quoquam commercium habere poterat, nisi cum eo qui cibum et necessaria afferret, et hic ob hoc ipsum legaliter immundus erat). *Et die octavâ circumcidetur infantulus : ipsa verò triginta et tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ; omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium donec impleantur dies purgationis suæ.* Sicque erant quadraginta dies purgationis, septem primi strictiores, cæteri minùs stricti. Secunda lex ibid. : *Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxûs menstrui, et sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ :* id est, octoginta diebus; quia juxta Hippocrat, lib. de Naturâ pueri, et Franciscum Valesium de sacrâ Philosophiâ, cap. 18, purgatio parientis feminam diuturnior est quàm parientis masculum. Tertia lex ibid. : *Cùmque repleti fuerint dies purificationis suæ pro filio sive pro filiâ* (id est, purgationis ab immunditiâ contractâ ex partu filii aut filiæ), *deferet agnum anniculum in holocaustum* (hoc est, ut Deo gratias agat), *et pullum columbæ sive turturem pro peccato* (scilicet immunditiâ legali), *ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, et orabit pro eâ; et sic mundabitur à profluvio sanguinis. Ita est lex parientis masculum aut feminam. Quòd si non potuerit offerre agnum, sumet*

duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccato, orabitque pro eâ sacerdos, et sic mundabitur. Quarta lex est de primogenitis. Exodi 13, his verbis : *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus quàm de jumentis : mea sunt enim omnia,* non solùm titulo creationis, sed etiam quia primogenitos Israel à communi strage primogenitorum Ægyptiorum per angelum exterminatorem exemerat : in cujus beneficii memoriam et gratiarum actionem hæc lex lata est.

Per sanctificationem autem in hâc ultimâ lege, intellige consecrationem et oblationem factam Deo primogenitorum animalium mundorum ad immolationem, primogenitorum autem hominum ad servitium Dei perpetuum; sed quia Deus loco primogenitorum totius Israelis, qui totâ vitâ alligati fuissent servitio tabernaculi et templi, elegit et substituit solam et totam tribum Levi, ideò primogeniti hominum redimendi erant quinque siclis, Num. 3, hoc est, quinque circiter florenis Belgicis. His præsuppositis,

Quæstio est 1° de cujus purgatione loquitur Lucas c. 2, an matris, an prolis; 2° utrùm B. Virgo debuerit purificari; 3° utrùm Christus debuerit offerri in templo; 4° quis fuerit Simeon, qui Jesum excepit in ulnas suas, an sacerdos, an laicus.

Dico 1°: S. Lucas his verbis : *Postquàm impleti sunt dies purgationis ejus secundùm legem Moysi,* loquitur de purificatione solius matris, non prolis. Prob. 1° ex mente Ecclesiæ, quæ est S. Scripturarum fidelis interpres. Hæc autem in Evangelio Purificationis loco *ejus* legit *Mariæ,* et cantat in Evangelio : *Postquàm impleti sunt dies purgationis* Mariæ; non addendo verbo Dei, sed illud explicando. Item in Officiis et Martyrologio vocat Purificationem B. Virginis. Prob. 2° ex ipsis Lucæ verbis. 1° Nulla erat lex purgationis pro primogenitis, sed oblationis tantùm, Exodi 13 Erat autem pro puerperis, Levit. 12. Ergo quando Lucas dicit : *Postquàm impleti sunt dies purgationis ejus secundùm legem Moysi,* non potest intelligi de purgatione prolis, sed matris duntaxat. Nec obstat quòd in tertiâ lege Levitici statuatur offerendum esse agnum et turturem aut pullum columbæ *pro filio sive pro filiâ;* quia hæc verba, *pro filio sive pro filiâ,* non referuntur ad sequentia, *deferet agnum,* etc., sed ad præcedentia, *postquàm impleti sunt dies purgationis ejus;* ita ut sensus sit, ut jam notavi : Postquàm impleti sunt dies purgationis ejus pro filiâ sive pro filio, id est, purgationis ab immunditiâ contractâ ex partu filii aut filiæ, deferet agnum, etc. Eodem sensu intelligendum est quod dicit Lucas ibid. de parentibus Christi, quòd *fecerunt secundùm consuetudinem legis pro eo,* et quod canit Ecclesia in Officio hujus festi : *Obtulerunt pro eo Domino,* id est, eò quòd B. Virgo eum pepererat. Eodem sensu intelligendus S. Th. hìc a. 3.

2° Nullum erat tempus determinatum in lege pro oblatione primogenitorum. Quamvis enim dicatur Num. 18, *cujus redemptio erit post unum mensem siclis argenti quinque,* hæc redemptio non erat oblatio; imò redimebatur infans, ut familiæ suæ ac reipublicæ civis redditus, ministeriis sacris non adstringeretur, nec fiebat in templo, neque cum cæremoniis : unde in oblatione Christi nulla mentio facta est de ejus redemptione. Erat autem in lege tempus determinatum pro purificatione puerperarum, scilicet quadraginta dies si peperisset masculum, et octoginta si peperisset feminam. Ergo dùm Lucas dicit, *postquàm impleti sunt dies purgationis ejus secundùm legem Moysi,* manifestum est quòd loquatur de purgatione matris, et non prolis, cujus occasione infans fuit etiam oblatus in templo : unde addit Lucas : *Et ut darent hostiam, secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum,* quæ erat lex puerperarum.

Si fortè dicas, Annam non obtulisse Samuelem nisi post triennium et postquàm esset ablactatus : ergo si non ex lege, saltem ex consuetudine triennium erat tempus determinatum pro oblatione primogeniti. Hoc argumento recens auctor Historiæ populi Dei in secundâ parte, contendit probare utramque cæremoniam tam purificationis Mariæ quàm oblationis Jesu, non fuisse peractam nisi post triennium in reditu ex Ægypto. — Respondeo Unicum unius factum neque legem neque consuetudinem adstruere, præsertim cùm in illo singulari facto esset ratio differendi oblationem ad triennium, quæ non currit pro aliis infantibus; sic enim Samuel debebat ex voto matris offerri Domino, ut nunquàm postea recederet à tabernaculo : ad id autem requirebatur certa ætas infantis, et quòd esset ablactatus. Insuper allucinatur laudatus auctor, dùm putat sacram familiam triennio mansisse in Ægypto; nec enim uno anno integro remansit, ut probabo infra.

Obj. præcipuè : Lucas dicit : *Postquàm impleti sunt dies purgationis ejus :* τὸ *ejus,* secundùm regulam grammatices et usum communem, debet referri ad personam de quâ immediatè facta est mentio : atqui hæc fuit Jesus, de quo dixit Evangelista : *Postquàm consummati sunt dies octo ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo priusquàm in utero conciperetur,* immediatè subjungens : *Et postquàm impleti sunt dies purgationis ejus :* ergo.

Respondeo 1°, equidem ordinariè sic esse ut τὸ, *ejus,* referatur ad personam immediatè præcedentem, nisi aliunde eruatur sensus contrarius, ut hìc eruitur, tum ex mente Ecclesiæ, tum ex verbis Lucæ collatis cum lege. 2° Observandum est cum quibusdam, integram periodum de Christo esse ibi insertam velut intra parenthesim ; proindeque τὸ, *ejus,* referendum esse ad personam de quâ fuit sermo ante parenthesim : fuit autem sermo de B. Virgine, de quâ dixerat Evangelista : *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Ad Mariam ergo, et non ad Jesum, τὸ *ejus* referendum est.

Inst. : Juxta Estium legitur græcè αὐτῶν, pluraliter *eorum*, scilicet matris et filii. Ergo. — Respondeo : Esto fortè in quibusdam codicibus in quos incidit Estius, legatur αὐτῶν, Jansenius Yprensis, à Lapide et alii testantur non legi in græco neque αὐτοῦ, singulariter masculinè, neque αὐτῶν pluraliter, sed αὐτῆς, singulariter femininè. Insuper magis standum est auctoritati Ecclesiæ quàm textui Græco, maximè non constanti.

Dico 1° B : Virgo legi purificationis non fuit summo jure adstricta, convenienter tamen se illi subjecit. (Ibid. a. 4, o.)

Prob. prima pars : 1° Lex ita fert : *Mulier, si suscepto semine peperit masculum, immunda erit,* etc. ; atqui B. Virgo non peperit Christum ex suscepto semine, sed ex Spiritu sancto ; ergo. Unde S. Bernardus Serm. 3 de Purific. : « Lex « ipsa, inquit, Matrem Domini non includit, « quæ non suscepto semine peperit. » (Ibid. ad 2.)

Si dicas, per *semen* intelligi *prolem*, ut familiare est in S. Scripturis ; ita ut sensus sit : *Si mulier, susceptâ prole, masculum pepererit.* — respondeo : Quamvis non rarò in S. Scripturis semen sumatur pro prole, sic tamen hìc accipi vetat, tum textus Hebraicus qui habet, *si mulier suscepto spermate ;* tum quia Moyses ponit *suscepto semine*, tanquàm causam cur mulier sit immunda ; non est autem immunda præcisè quia prolem edit, sed quia illam edit ex immundo semine ; tum quia parere ex suscepto semine, propriè est edere prolem ex semine susceptam.

Prob. 2° : Ideò ex lege debebat mulier purificari, quia immunda erat ex profluvio sanguinis ; sic enim dicit lex : *Mundabitur à profluvio sanguinis.* Atqui profluvius sanguinis non fuit in B. Virgine, quæ sine apertione claustri virginalis fœtum effudit, et in quâ, cùm conceperit ex Spiritu sancto, solus fuit sanguis necessarius ad nutrimentum fœtûs, quo egresso, conversus est sanguis ad ubera, ut lac fieret.

Prob. secunda pars : Decebat ut, sicut Filius, ita et Mater humilitatis et obedientiæ exemplum præberet, legem approbaret, et occasionem calumniæ Judæis eriperet. Ergo.

Dico 2° : Christus legi primogenitorum non erat etiam summo jure adstrictus ; convenienter tamen se illi subjecit. (Ibid. a. 3 et 4, o.)

Quidam probant primam partem ex eo quòd lex dicat : *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam.* Christus autem nascendo non aperuit vulvam Matris, sicque sub lege non comprehenditur. Verùm hæc sententia videtur contraria Evangelistæ, qui hanc legem ipsi Christo adaptat, ut videre est in textu cit., initio articuli. Aperire vulvam igitur, hìc nihil est aliud quàm eam sibi perviam facere, ita ut primo nascenti nullo sit impedimento ; sive hoc fiat fractione claustri, ut fit communiter ; sive clauso manente, penetratione miraculosâ, ut singulariter factum est in Christo. Neque iste loquendi modus est inusitatus in S. Scripturis : sic Matth. 3, de Christo baptizato dicit : *Ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam.* Et Act. 17, S. Stephanus dùm lapidaretur, dicebat : *Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem à dextris Dei :* non quòd soliditas cœlorum sit disrupta sed oculis pervia, nulloque fuerit impedimento quominùs et Christus Spiritum descendentem videret, et Stephanus Jesum stantem à dextris Dei.

Ast, inquies, si ita sit, frustra ergo Moyses addidit, *quod aperit vulvam*, sed satis fuisset dicere *primogenitum ;* hoc ipso enim quo est primogenitus, primus ex utero egreditur. — Respondeo : Nego illationem. Ad prob. distinguo : Hoc ipso quo est primogenitus simpliciter et absolutè, primus egreditur, concedo ; hoc ipso quo est primogenitus secundùm quid tantùm, nego. Primogenitus simpliciter et absolutè est antequàm nulla generatio sive masculi

sive feminæ præcessit, et iste aperit vulvam: primogenitus secundùm quid est qui primus inter masculos nascitur, licet puellæ generatio præcesserit; et iste non aperit vulvam, sed apertam supponit. Quia verò lex erat de primogenitis simpliciter et absolutè, ut designarentur, debuit addi, *quod aperit vulvam.*

Aliunde igitur petenda est probatio conclusionis. In primis videtur expressa sententia D. Th. hìc a. 4, o, ubi dicit: « Christus, licet « non esset legi obnoxius, voluit tamen cir- « cumcisionem et alia legis onera subire. »

Prob. ratione: Legislator non tenetur suâ lege, non solùm vi coactivâ, sed etiam nec directivâ, quando est dispar conditio legislatoris et subditorum respectivè ad legem: atqui sic erat in casu; Christus enim homo Deus erat legislator, et vi unionis substantialis divinitatis ad humanitatem erat sanctus et in servitium Dei perpetuò consecratus, non sic alii primogeniti; sicque non indigebat oblatione seu consecratione legali.

Si dicas: Christo licet substantialiter sancto per gratiam unionis hypostaticæ, necessaria fuit sanctificatio accidentalis per gratiam habitualem, ut docent Thomistæ in tract. de Incarnat.; ergo pariter ipsi sancto et consecrato substantialiter unione divinitatis, necessaria fuit consecratio legalis, — respondeo: Nego conseq. Disparitas est, quòd præter gratiam unionis, necessaria erat Christo gratia habitualis, quâ posset elicere connaturaliter actus supernaturales; id enim non conferebat gratia unionis, ut latè dixi in tract. de Incarnat. diss. 8, a. 2; consecrationi autem substantiali nihil addebat consecratio legalis, sicque nullatenùs erat necessaria. Quando ergo SS. Patres dicunt Christum debuisse subire hanc legem, intelligendi sunt debito decentiæ, non strictæ obligationis.

Prob. secunda pars. Decebat ut Christus, sicut diximus de sanctissimâ ejus Matre, humilitatis et obedientiæ exemplum præberet, legem approbaret, et occasionem calumniæ Judæis tolleret, quæ præstitit per oblationem suî in templo. (Ibid. a. 3, o.) Postquàm narravit Lucas parentes Jesu ipsum tulisse Jerusalem ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, è vestigio subdit: *Et ecce homo erat in Jerusalem cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israel.... Et cùm inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum,* etc. Hinc quæstio est quis fuerit iste Simeon, an sacerdos, an laicus.

Dico 1°: Simeon qui Jesum excepit in ulnas suas, non erat sacerdos, sed vir laicus.

Prob. 1° ex silentio Lucæ, qui, cùm alias Simeonis qualitates accuratè describat, nihil de ejus sacerdotio dicit; item ex silentio utriusque Ecclesiæ Græcæ et Latinæ, quæ in suis Officiis et Martyrologiis Simeonem à sacerdotio non commendant. Idem dic de SS. Patribus, quorum nullus sacerdotii Simeonis meminit: imò Theophilactus Enarrat, in c. 2 Lucæ, et Euthymius in 4 Evangelia c. 3, disertè dicunt Simeonem fuisse laicum. Prob. 2°: Sacerdotes in interiori parte templi pueros de manibus parentum exceptos offerebant, nec nisi post purificationem matrum; ante enim matres *omne sanctum non tangebant nec ingrediebantur in sanctuarium,* Levit. 13. Atqui Simeon occurrit parentibus Jesu ante fores aut in foribus templi; id enim apertè indicant verba Lucæ: *Et ecce,* inquit, *homo erat in Jerusalem cui nomen Simeon.* Hæc verba indicant rem novam et insolitam, quod non dixisset Lucas de sacerdote: *Et cùm inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas;* nondùm ergo induxerant, nondùm fecerant secundùm consuetudinem legis, sicque ante fores vel in foribus ante purificationem Matris.

Dices: S. Aug. Serm. 13 de Temp., dicit: « In templo præsentabatur, et à Simeone sene « annoso, probato, coronato agnoscebatur. » Atqui per τὸ, *coronato,* nihil aliud videtur posse intelligi quàm mitram sacerdotalem: ergo. — Respondeo: Nego min. Quidam dicunt per τὸ, *coronato,* S. Augustinum allusisse ad hæc verba Epist. Jacobi cap. 1: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ;* sicque intellexisse non coronam sacerdotalem aut aliam temporalem, sed coronam vitæ æternæ, *quam repromisit Deus diligentibus se.* At fortè non absurdè quis intelliget τὸ, *coronato,* de defectu capillorum in vertice capitis, ut frequenter senibus contingit, ex quo fit quædam corona; idque indicare videntur verba S. Augustini, *sene, annoso, coronato.*

Articulus III.

De fugâ in Ægyptum.

Duo hìc potissimùm inquirimus: primum, unde et quando S. Joseph cum Mariâ et di-

vinâ prole profectus sit in Ægyptum; secundùm, quamdiù sacra familia commorata sit in Ægypto. Quasdam etiam quæstiunculas incidentes resolvemus.

Dico 1°: S Joseph cum Mariâ et divinâ prole profectus est de Nazareth paulò post purificationem B. Virginis et oblationem Jesûs in templo.

Prob. Secundùm Lucam 2 : *Ut perfecerunt omnia secundùm legem Moysi* (id est, statim ac perfecerunt), *reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth.* Ante verò illud tempus non acceperat Joseph mandatum ab angelo fugiendi in Ægyptum ; cùm enim ex Matth. 2, statim ac accepit, eâdem ipsâ nocte consurgens secesserit in Ægyptum cum Mariâ et ejus prole, non potuissent adesse Jerosolymis quadragesimâ die à nativitate ad perficiendum officium purificationis. Ex quibus sequitur quòd nec Bethlehemi nec Jerosolymis acceperit istud mandatum, sed Nazareth, unde profectus est post purificationem.

Quod posset opponi ex Matth., mandatum fuisse datum Josepho fugiendi statim post discessum Magorum, solutum est art. 3 præcedentis diss., post probationes.

Dices insuper : Regressus in Nazareth post purificationem, de quo loquitur Lucas, non fuit præceps, quem statim exciperet fuga in Ægyptum, sed fuit constans et perpetua Nazarethi habitatio Christi unà cum Mariâ et Joseph ; postquàm enim dixit Lucas v. 39 : *Ut perfecerunt omnia secundùm legem Moysi, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth*, immediatè subjungit v. 40 sequenti : *Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientiâ :* quæ verba indicant non transeuntem, sed permanentem Nazarethi habitationem. Ergo. — Respondeo Evangelistas in suis narrationibus non semper servare ordinem quo res gestæ sunt, ut patet ex instantiâ præcedente, et posset pluribus aliis exemplis probari : cùm ergo Lucas omittat fugam in Ægyptum, quam refert Matthæus, hìc inserenda est, et verba objecta intelligenda sunt de habitatione Christi Nazarethi post reditum ex Ægypto.

Sed petes quid fugâ opus ? Duo enim videntur obstare. Primum, Christus Dominus omnipotens poterat aliter furorem Herodis declinare. Secundum, si, ut contendimus, erat tunc Nazareth, poterat ibi tutò manere, aut in alio loco Judææ, cùm Herodes jusserit tantùm occidi infantes Bethlehem et in omnibus finibus ejus. — Respondeo ad primum, quòd non conveniebat Christum adhuc infantem per se edere miracula ; tum quia in similitudinem hominum factus, voluit habere infantiam similem infantiæ aliorum hominum ; tum quia si per se fecisset miracula, derogâsset fidei humanitatis. Et Judæi existimâssent Incarnationem esse phantasma, atque ante tempus opportunum ipsum cruci affixissent livore liquefacti ; tum quia si in primâ ætate fecisset miracula, Judæi non indiguissent alio manifestante, cùm tamen Joannes Baptista dicat Joan. 1 : *Ut manifestetur in Israel, propterea veni in aquâ baptizans.* Insuper Christus arripuit fugam ut ostenderet se vitam pauperem, ærumnis et periculis plenam assumpsisse, et nobis daret exemplum fugiendi instante persecutione. (Ib. q. 36, ad. 3.)

Ad secundum : Quamvis Herodes jussisset occidi infantes Bethlehemi tantùm et in ejus finibus, variis tamen aliis artibus et modis per universum regnum suum ipse cum sacerdotibus et scribis, qui pariter fuerant turbati, insidiabatur vitæ infantis, ut scribit S. Hieron. l. 1 Comment. in Matth., præsertim postquàm vulgata sunt quæ dixerant et prædixerant Simeon et Anna die purificationis : quapropter nullus infanti locus tutus erat intra fines regni Herodis, qui dominabatur non solùm in Judæâ propriè dictâ, sed etiam in Galilæâ ; solùm enim post ejus mortem divisum est regnum in quatuor tetrarchias.

At, inquies, si tot inquisitiones faciebat Herodes, quare non jussit occidi Joannem Baptistam, cujus fama divulgabatur super omnia montana Judææ, propter ea quæ contigerant in illius circumcisione, et quem inde poterat conjicere Herodes esse Christum ? — Respondeo quosdam censere Zachariam patrem Joannis Baptistæ fuisse occisum eò quòd puerum suum subduxisset. At id maximè controversum est. Cæterùm verisimile est Herodem, auditis quæ de Joanne dicebantur, veritum ne ipse esset Christus, jussisse ipsum occidi ; sed divinâ providentiâ factum est ut transferretur in loca deserta, et ibi usque ad obitum Herodis educaretur.

Si ulteriùs petas quare mandatum fuit fugere in Ægyptum potiùs quàm in aliam regionem, — respondeo 1°, ex Matth. 2, ut id quod erat dictum per Oseam 11, litteraliter de populo Judaico ut gerente personam Christi, et allegoricè de Christo, per hanc fugam et reditum verificaretur : *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* 2° Quia Ægyptus erat antiquum refugium Israelitarum, cujus Joseph, qui erat

figura Christi, dictus est Salvator, et erant tunc in Ægypto plura millia Judæorum.

Dico 2° : Sacra familia commorata est in Ægypto non novem, aut septem, aut quinque, aut tribus annis, ut quidam opinati sunt, sed anno necdùm integro.

Prob. Reversi sunt in Galilæam dùm Archelaüs, defuncto patre suo Herode, regnaret in Judæâ ; sic enim scribit Matth. c. 2: *Audiens autem Joseph quòd Archelaüs regnaret in Judæâ pro Herode patre suo, timuit illò ire, et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ.* Atqui Herodes Magnus, secundùm Josephum, l. 17 Antiquit. c. 11 et 12, miserâ tabe confectus, obiit circa festum Paschæ eodem anno quo edixit stragem infantium : Archelaüs autem ejus filius nonnisi post sex circiter menses regnare incœpit in Judæâ, non regis, sed tetrarchæ titulo; ut enim narrat Josephus, totam æstatem post mortem patris Romæ transegit, ut ab Augusto patris regnum vel partem obtineret. Ponamus nunc, ut antè diximus, S. Josephum secessisse in Ægyptum post purificationem et ante cædem innocentum, verisimiliter circa medium seu finem februarii, numerabis novem vel decem menses circiter commorationis in Ægypto.

Dices, non constare Josephum rediisse in Galilæam statim ac Archelaüs regnum seu tetrarchiam Judææ administrare cœpit : potuit ergo post tres, vel quinque, vel septem, vel novem annos redisse. — Respondeo id planè constare ex S. Scripturâ ; dicit enim Matth. 2, v. 15: *Et erat ibi* (in Ægypto) *usque ad obitum Herodis.* Et v. 19 : *Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit Joseph in Ægypto, dicens : Surge et accipe Puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel ; defuncti sunt enim qui quærebant animam Pueri. Qui consurgens accepit Puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel : audiens autem quòd Archelaüs,* etc. Porrò hæ loquendi formulæ non significant longam plurium annorum moram, sed brevem aliquot mensium. Et quomodò verum esset Josephum mansisse in Ægypto *usque ad obitum Herodis* duntaxat, si tres, quinque, septem vel novem annis post hunc obitum ibi mansisset? Id autem optimè verificatur moraliter loquendo, si post aliquot menses tantùm ab hoc obitu ex Ægypto recesserit.

Articulus IV.

An et quæ miracula patrata sint ingrediente Jesu in Ægyptum ?

Baronius ad annum Christi primum, duo narrat et approbat, videlicet incurvationem arboris quæ dicebatur *persis* vel *persea*, et commotionem ac concussionem simulacrorum. Serrius hæc ut commenta rejicit, exercitatione 38.

Dico : Quamvis hæc duo miracula ut certò vera non asseramus, non tamen ut commenta rejicimus, sed ut probabilia facta sustinemus.

Prob. In primis Sozomenus, auctor quinti seculi, lib. 5 Hist. ecclesiast. cap. 20, dicit : « Memorant arborem esse, quæ *persis* dicitur, « Hermopoli, quod est oppidum Thebaïdis, « cujus fructus aut folium aut particula aliqua « corticis ægrotis admota, morbos à compluribus depulerit : nam traditum est Joseph, « cùm propter Herodem, assumptis secum « Christo et Mariâ sanctâ Deiparâ, fugisset, « venisse Hermopolim, atque simul ut portæ « appropinquavit, statim arborem, licet planè « maximam, adventu Christi turbatam esse, « atque ad solum usque se inflexisse et Chri- « stum adorâsse. Atque hæc quidem, sicut à « multis audivi, à me commemorata sunt. Quæ « quidem, si quid ego judico, vel significa- « bant jam Christum in urbe adesse, vel, ut « est verisimile, non modò arborem quam in- « colæ propter magnitudinem et pulchritudi- « nem lege gentilitiâ venerabantur, dæmone « jam qui ibi colebatur, ob Christum talium « eversorem, qui in eo loco comparebat, per- « horrescente, suâ sponte commotam esse ; « verùm etiam omnes Ægyptiorum statuas, « adventante tum Christo, juxta prophetiam « Isaïæ convulsas. Itaque dæmone inde abacto, « arbor, quò rei gestæ testimonium esset, re- « mansit ibi, fidelesque morbis liberavit. Atque « ut Ægyptii et Palæstini, istarum rerum, « sicut alii singuli aliarum quæ apud ipsos « gestæ sunt, testes locupletes existunt. »

Nicephorus l. 10, c. 31, postquàm retulit quæ narrat Sozomenus de arbore perseâ et de simulacris Ægyptiorum, quæ dicit « diffluxisse, « Christi non ferentia adventum, juxta id quod « ab Isaiâ est dictum, » sic concludit caput : « Cæterùm dæmone ex arbore eâ expulso, ad « certum rei gestæ indicium, prona et incli- « nata permansit, fide accedentes sanans. Ha- « rum rerum Palæstini et Ægyptii idonei fide- « que digni sunt testes. »

Evagrius in Vitis Patrum l. 2, c. 7, dicit : « Vidimus et alium sanctum virum nomine « Apollonium apud Thebaidam in finibus Her- « mopolis, ad quam civitatem Salvatorem cum « Mariâ et Joseph de Judææ finibus venisse

« tradunt, secundùm prophetiam Isaiæ : vidi « mus ergo ibi et templum ipsum in quod in« gresso Salvatore, corruisse omnia idola in « terram et comminuta esse memorabantur. »

Dicit Serrius has auctoritates non facere fidem integram, quia narrant prodigia facta quingentis annis ante eorum ætatem patrata, idque sine testimonio veterum et ex traditione obscurâ. — Respondeo non facere quidem fidem integram, certam et indubitatam, facere tamen probabilem; sunt enim auctores sinceri, probati et fide digni, qui quæ narrant, ab incolis locorum in quibus res gestæ sunt acceperunt : hi autem ex traditione majorum, non obscurâ, sed quorum erant testes locupletes, idonei et fide digni, et quorum patens exstabat indicium, nimirùm ipsa arbor inclinata. Quot sunt sanè quæ non pro commentis, sed pro probabilibus habentur, quæ non tam solido nituntur fundamento!

Quantùm ad id quod dicit Serrius, ea ab istis auctoribus referri absque testimonio veterum, mox examinabitur.

Oraculum autem Isaiæ quod afferunt isti auctores, hoc est cap. 19 : *Ecce Dominus ascendit super nubem levem et ingredietur Ægyptum; et commovebuntur simulacra Ægypti à facie ejus, et cor Ægypti tabescet in medio ejus.*

Respondet Serrius, hoc oraculum litteraliter prænuntiare eversionem Ægypti per Sennacherib et Nabuchodonosor; allegoricè significare Christum aliquando ingressurum mundum, et idololatriam longè latèque diffusam deleturum : idque probare contendit ex S. Hieronymo, qui per Ægyptum intelligit mundum.

Verùm, esto S. Hieronymum per Ægyptum intellexisse mundum, non sequitur quòd non possit etiam intelligi terra Ægypti, prout intellexerunt alii Patres et interpretes. Unde Estius in hunc locum dicit : « Hoc de adventu « Christi pueri in Ægyptum, quando Herodes « eum ad mortem quærebat, plerique interpre« tantur. » Et Tirinus ibid. dicit quòd S. Athanasius, S. Hieron., S. Aug., Procopius, Theodoretus, Eusebius, Haymo, Hugo, et Lyrarius id allegoricè exponunt de Christo ulnis B. Virginis in Ægyptum invecto. Non ergo sine testimonio veterum locuti sunt laudati historici, quod maximè patebit ex diserto testimonio Eusebii illis omnibus antiquioris. Unde

Prob. 2° ex Eusebio. Is lib. 6 Demonst. Evang. cap. 2, expendens præfatum oraculum Isaiæ, secundùm versionem Aquilæ, hæc habet : « Scriptura dicit : *Ecce Dominus ascendit* « *super crassitudinem et venit in Ægyptum.* Igitur « ipsa hæc prophetiæ particula ad verbum « exitum sortita est, quo tempore angelus Do« mini in somnis visus ipsi Joseph, dixit : « *Surge, accipe Puerum et matrem ejus, et fuge in* « *Ægyptum, et esto ibi donec dicam tibi.* Tunc « igitur iste Dominus Deus Verbum, puerilem « ætatem ingressus et suo corpori quod ex « sanctâ Virgine acceperat conjunctus, in « terrâ Ægyptiorum diversatur. » Jam vides Eusebium hanc prophetiam Isaiæ non interpretari de ingressu Christi in mundum, sed in terram Ægypti. Prosequitur : « Ili qui priùs « incolebant Ægyptum vitiosi pravique dæ« mones, per multa secula in simulacris lati« tantes, animasque Ægyptiorum omnis su« perstitionis errori addicentes ac subjicien« tes, cùm sensissent novam quamdam divi« namque virtutem ad se accessisse, illicò « commoti sunt, et fluctuationem ac pertur« bationem in seipsis pertulerunt, corque « ipsorum et vis intelligendi intrinsecùs in « ipsis convicta sunt, cesseruntque ac fugata « sunt ab eâ virtute quæ, visum effugiens, « illos compellebat, et ignis instar ineffabili « quâdam ratione adurebat. Et tunc quidem « invisibiliter dæmones talia passi sunt, cùm « Salvator noster Jesus Christus in Ægyptum « cum visibili corpore pervenit. »

Serrius, quod fortè miraberis, contendit hoc testimonio, etsi pro nobis apertissimo, non probari concussa idola Ægyptiorum, sed potiùs negari; quia, inquit, Eusebius priorem tantùm partem oraculi Isaiæ, quæ futurum Domini ingressum in Ægyptum portendebat, *ad verbum exitum sortitam esse* dicit; alteram autem quæ commota eversaque simulacra prænuntiabat, non item. At si eversorum simulacrorum prodigium reipsà contigisset, utraque prophetiæ pars *ad verbum* tunc temporis exitum habuisset.

Verùm in primis jugulum sibi petit Serrius, qui priùs contendebat prophetiam Isaiæ intelligendam esse de ingressu Domini, non in terram Ægypti, sed in mundum. 2° Non mirum si Eusebius de solâ primâ parte hujus prophetiæ et non de secundâ dixerit, quòd *ad verbum* sortita esset exitum, quia solam primam et non secundam retulerat : in his autem quæ postea subjungit, alludens ad secundam partem, apertè ostendit etiam fuisse *ad verbum* impletam, ut legenti patet.

Instat Serrius. Eusebius dicit quidem dæmones in simulacris latitantes, Christo in

Ægyptum intrante, divinâ virtute fuisse commotos, perturbatos, convictos et fugatos, sed *intrinsecùs* tantùm et *invisibiliter*, non autem apertè, externè et manifestè per eversionem idolorum. — Resp. : Rectè quidem Eusebius : quis enim sibi fingat puros spiritus, quales sunt dæmones, posse extrinsecùs et visibiliter commoveri, turbari, convinci, fugari ? sed iis intrinsecùs et invisibiliter commotis, turbatis, convictis, fugatis, benè sequitur simulacra, in quibus latitabant remansisse muta et inertia, atque hoc sensu fuisse concussa, commota et turbata, ut loquuntur Isaias, Eusebius et Sozomenus. Equidem Evagrius dicit omnia *corruisse in terram*, sed loquitur de solis idolis quæ erant in templo in quod ingressus est Christus ; non de aliis idolis Ægypti. Neque necesse est intelligere etiam sensu dicto de omnibus omninò idolis Ægypti universalitate absolutâ, sed accommodâ, id est, de pluribus et in pluribus locis.

Urget Serrius : Ipso Baronio teste Ægypti idololatria, illiusque fana et simulacra ad annum Christi 389 perennârunt, quo tempore à Theodosio imperatore eversa sunt : ergo commentum est quod dicimus de prodigiis factis ad ingressum Christi in Ægypto. — Respondeo : Nego conseq. Non enim dicimus tunc idololatriam Ægypti omninò et pro semper cessâsse, omniaque ejus fana et simulacra fuisse eversa, sed ingrediente Christo in Ægyptum, ac fortè ibi eo commorante, dæmones conturbatos expulsos fuisse è pluribus simulacris, quæ ideò manserunt muta et inertia, atque hoc sensu concussa ac commota : recruduisse autem idololatriam egresso Domino, et redeuntibus dæmonibus simulacra convaluisse non negamus.

Articulus V.

De cæde infantium, et vitæ Christi instituto usque ad suum baptisma.

Tria hìc breviter resolvenda occurrunt : primum, quandonam Herodes edixit cædem infantium ; secundum, quot infantes fuerunt occisi ; tertium, quodnam fuit vitæ Christi institutum usque ad suum baptisma.

Dico 1° : Herodes cædem infantium edixit, non biennio post nativitatem Christi, sed statim post purificationem et fugam in Ægyptum. Prob. prima pars : Ideò quidam ad biennium differunt cædem infantium, vel quia Herodes jussit occidi infantes à bimatu et infra secundùm tempus stellæ quod exquisierat à Magis, quam inde putant non apparuisse nisi biennio post nativitatem Christi ; vel quia, ut existimant, Herodes de variis criminibus accusatus, ut objecta dilueret, Romam apud Cæsarem pergere coactus est, et ibi biennio commorari. At primum fundamentum concussimus a. 3 diss. præced. Secundum falsum esse constat ex eo quòd, secundùm Josephum et Dionem, Herodes iter Romam non susceperit, imò nec suscipere potuerit post diem Christi natalem ; quia ultimo vitæ suæ anno, qui secutus est Christi nativitatem, acerbis et continuis doloribus vexatus fuit. Prob. secunda pars : Tunc indixit Herodes cædem infantium, quando se sensit delusum à Magis : atqui non sensit se delusum à Magis statim ac ipsi recesserunt ; existimavit enim eos fallaci stellâ fuisse deceptos, nec ausos fuisse redire Jerusalem, ne ipsi et toti populo essent ludibrio, sicque putavit id quod Magi dixerant de nato rege Judæorum, esse figmentum. Verùm cùm audivit quæ de ipso contigissent in templo die purificationis, tunc se sensit illusum à Magis, et cædem infantium Bethlehemi et in finibus ejus indixit, eorum scilicet qui essent bimuli et inferioris ætatis usque ad illud tempus quo stella Magis illuxerat. Cur autem à bimatu jusserit occidi ? Dixi superiùs id fuisse ex abundantiâ cautionis.

Dico 2° : Numerus infantium occisorum est incertus, silentibus eâ de re tam Evangelio quàm antiquis Patribus. Unde ut gratis fictum reputamus quod Græci in suis menologiis referunt, fuisse quatuordecim millia. Nullatenùs enim verisimile est in oppidulo et angustis ejus finibus, tot infantes, præter puellas et masculos, qui interea temporis mortui sunt, biennio natos esse.

Hos verò infantes occisos esse verè martyres, si non animo, saltem facto et ex gratiâ Christi, probavimus in tract. de Fortitudine, diss. 1, a. 2, obj. 1, et tract. de Bapt. diss. 1, a. 6.

Dico 3° : Christus usque ad suum baptisma exercuit cum S. Josepho artem fabrilem, quâ posset suæ et parentum inopiæ succurrere, atque humilitatis ac modestiæ exemplum præberet. Prob. : Judæi, quibus notum erat externum vitæ Christi institutum, ipsum vocabant, non solùm *fabri filium*, sed etiam *fabrum*, Marci 6 : *Nonne hic est faber ?* Atque ita docent S. Aug. lib. 2 de Consens. Evang. cap. 42, S. Basil. in Asceticis, S. Chrysost. Hom. 13 in cap. 13 Matth., et S. Th. ibid.

Si ulteriùs petas quam artem fabrilem exercuerit, an ferrariam, an lignariam, — respondeo : S. Hilar. in cap. 14 Matth. et S. Pet. Chrysologus Serm. 8, dicunt ferrariam. At S. Justinus his longè antiquior, quippe qui vivebat secundo sec., in Dialogo cum Thryphone, dicit lignariam; cui subscribit S. Ambros. lib. 3 in Luc. Insuper Theodoret. lib 3 Hist. cap. 18, et Sozomenus lib. 2, cap. 23, referunt quòd, cùm Libanius ethnicus, Juliani Apostatæ familiaris, irridendo petiisset à quodam ludimagistro christiano : « Quid agit « nunc fabri filius? » intelligens Christum, respondit ludimagister : « Juliano tuo fere- « trum fabricatur. » Quod eventu probatum est; paulò post enim Julianus fuit occisus et in feretro ad tumulum delatus.

Dissertatio sexta.

DE JOANNE BAPTIZANTE ET CHRISTO BAPTIZATO.

(*D. Th. QQ.* 38 *et* 39.)

Articulus primus.

De Joanne baptizante.

Occurrunt hìc discutienda : 1° utrùm fuerit conveniens Joannem baptizare; 2° utrùm illius baptismus esset à Deo; 3° utrùm conferebat gratiam; 4° utrùm baptizati baptismo Joannis, essent postea baptizandi baptismo Christi.

Dico 1° : Conveniens fuit Joannem baptizare. 1° Ut Christus manifestaretur : unde ipse Joannes dicit Joan. 1 : *Ut manifestetur Christus in Israel, propterea veni in aquâ baptizans;* concurrentibus enim turbis ad baptismum, annuntiabat Christum, quod facilius sic factum est quàm si ad singulos discurrisset, ut observat S. Chrysost. Hom. 10 in Joan. 2° Ut suo baptismo homines assuefaceret baptismo Christi. 3° Ut homines ad pœnitentiam inducens, eos præpararet ad dignè suscipiendum baptisma Christi. (Q. 38, a 1, o.)

Dico 2° : Baptismus Joannis quantùm ad ritum fuit à Deo, qui familiari Spiritûs sancti revelatione Joannem ad baptizandum misit, juxta illud Joan. 1 : *Qui me misit baptizare in aquâ, ille mihi dixit : Super quem videris,* etc. Quantùm verò ad effectum, qui nihil aliud erat quàm mundatio corporis, ut patebit ex sequentibus, erat ab homine, non à Deo, nisi in quantum Deus operatur in homine (Ibid. a 2, o.)

Dico 3° : Baptismus Joannis gratiam non conferebat ,ideòque non erat sacramentum. (Ibid. a 3, o.)

Prob. 1° ex illo Matth. 3, Luc. 3, Marci 1 : *Ego baptizavi vos aquâ; ille verò baptizabit vos Spiritu sancto.* Si autem baptismus Joannis etiam conferret gratiam, non staret hæc inter utrumque differentia, cùm aliunde uterque conferretur in aquâ. Ergo.

Confirmatur. Qui baptizati erant baptismo Joannis Act. 9, nec acceperant Spiritum sanctum, nec an esset Spiritus sanctus audierant.

Prob. 2° : Tota doctrina et operatio Joannis præparatoria erat ad Christum, sicut ministri et inferioris artificis est præparare materiam ad formam quam inducit principalis artifex : atqui gratia conferenda erat hominibus per Christum, secundùm illud Joan. 1 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est;* ergo baptismus Joannis gratiam non conferebat, sed solùm ad gratiam præparabat, 1° per doctrinam Joannis inducentem ad fidem Christi; 2° assuefaciendo homines ad ritum baptismi Christi; 3° per pœnitentiam ad quam inducebat; erat enim signum et protestatio pœnitentiæ peragendæ ab his qui illum suscipiebant.

Dices : Marci 1 dicitur : *Fuit Joannes in deserto baptizans et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Atqui remissio peccatorum est per gratiam : ergo. — Respondeo quòd baptismus Joannis dicatur baptismus pœnitentiæ, quia, ut jam dictum est, erat inductivum ad pœnitentiam, ut quædam protestatio quâ profitebantur homines se pœnitentiam acturos : pœnitentia autem ducit ad remissionem peccatorum, non per ipsum baptisma Joannis, sed per Christum conferendam.

Dico 4° : Baptizati baptismo Joannis, etiamsi habuissent fidem et spem in Christum, erant postea baptizandi baptismo Christi. (Ibid. a. 6, o.) Sequitur ex præcedenti : Baptismus Joannis non conferebat gratiam, neque etiam characterem : atqui fides et spes eorum qui illum suscipiebant, non poterat hos defectus supplere : ergo. Unde Act. 19, qui erant baptizati baptismo Joannis, jussu Pauli baptizati sunt baptismo Christi. — Confirmatur. Christus Joan. 3 dicit : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in re-*

gnum Dei. Atqui solus baptismus Christi erat in Spiritu sancto : ergo. Atque ita sentiunt unanimiter SS. Patres.

Petes utrùm Joannes fuerit baptizatus baptismo Christi. — Respondeo probabiliùs affirmativè : suadetur ex hoc quòd Christus Matth. 3, Joanni dicenti : *Ego debeo à te baptizari*, respondit : *Sine modò*; quasi dixisset : Fac modò quod peto, faciam postea quod petis. Ita SS. PP., Gregorius Nazianz. Orat. 39, Chrysost. Hom. 12 in Matth., Aug. Serm. 292, Hieron. in cap. 3 Matth. et alii. Interpretari autem cum Serrio SS. Patres non de baptismo, sed de abundantiori effusione gratiæ, est illorum verba ab obvio et naturali sensu gratis detorquere, et nostro Doctori contradicere. (Ibid. ad 3.)

Ex his sequitur apostolos etiam fuisse baptizatos baptismo Christi : de quo dixi alibi.

ARTICULUS II.

De Christo baptizato.

Quæritur hìc 1° utrùm fuerit conveniens Christum baptizari à Joanne ; 2° quo suæ ætatis anno fuerit baptizatus ; 3° quo loco ; 4° de prodigiis Christi baptismum secutis, nimirùm de apertione cœlorum, de descensu Spiritûs sancti in specie columbæ, et voce Patris auditâ.

Dico 1° : Conveniens fuit Christum baptizari à Joanne. 1° Ut tactu mundissimæ carnis suæ aquas sanctificaret ac eis postea vim regenerandi conferret. 2° Ut baptismum Joannis comprobaret. 3° Ut et ipse faceret quod aliis faciendum præcipiebat ; et hoc est quod ipse dicit Matth. 3 : *Sic decet nos implere omnem justitiam ;* ut enim S. Ambros. ait lib. 2 in Luc. c. ult. : « Hæc est justitia, ut quod « alterum facere velis, ipse incipias, et tuo « alios horteris exemplo. » 4° Ut in tantâ multitudine Judæorum qui ad Joannem confluebant, reciperet testimonium Patris, quo suum ministerium majori cum auctoritate postea obiret. (Q. 39, a. 1, et 2, o.)

Dico 2° : Christus baptizatus est anno ætatis suæ circiter trigesimo. Constat ex Luc. cap. 3, ubi cùm dixisset : *Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato,* paucis interjectis subdit : *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta.*

Scio aliquos referre τὸ, *incipiens,* ad ministerium Christi, non ad ejus ætatem ; quasi diceret Evangelista : *Et ipse Jesus erat incipiens* publicum prædicationis ministerium, *quasi annorum triginta.* Alii tamen non minùs probabiliter referunt ad ætatem Christi, ita ut sensus sit : Jesus incipiebat esse fermè annorum triginta scilicet completorum ; inchoaverat enim annum trigesimum. Huic sensui favent multi SS. Patres ; Irenæus lib. 2, cap. 39, Justinus in Dialogo cum Tryphone, Eusebius lib. 1 Hist. cap. 10, Hieron. in cap. 1 Ezech., Aug. lib. 2 de Doctrinâ Christianâ, cap. 28, etc. Et hic quidem videtur sensus obvius horum verborum Lucæ 3 : *Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris... Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta.* Sensus, inquam, obvius est, quòd annus decimus quintus imperii Tiberii Cæsaris, sit annus Christi trigesimus inchoatus.

Sed utut sit, cætera verba Lucæ sufficiunt probandæ conclusioni. *Et ipse Jesus erat... quasi annorum triginta.* Vel enim particula *quasi* sumitur *assertivè,* ut Joann. 1 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre ;* et tunc habemus Christum decurrere annum trigesimum, aut ipsum absolvisse et incipere trigesimum primum. Vel sumitur *diminutivè,* quo sensu Christus desinente anno vigesimo nono jamjam inchoaturus erat trigesimum. Vel sumitur *dubitativè,* pro *circiter,* ut sumi solet dùm præponitur numero rotundo : sic Matth. 1 : *Mansit autem Maria cum illâ quasi mensibus tribus.* Marci 8, dicuntur *quasi quatuor millia virorum* manducâsse, qui Matth. 15, dicuntur *quatuor millia.* Sic autem sumptâ particulâ *quasi,* Christus fuit baptizatus vel desinente anno vigesimo nono, vel decurrente anno trigesimo, vel inchoante anno trigesimo primo. Et ideò posui in conclusione, *anno circiter trigesimo.*

Dico 3° : Christus baptizatus fuit in Jordane prope Bethaniam. Constat ex illo Marci : *Venit Jesus à Nazareth Galilææ, et baptizatus est à Joanne in Jordane ;* et ex illo Joan. 1 : *Hæc facta sunt in Bethaniâ trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.* Intellige Bethaniam, non illam quæ Marthæ et Mariæ erat domicilium prope Jerosolymam, sed alteram trans Jordanem, ubi solitus erat fluvii trajectus, et quæ alio nomine vocabatur *Bathabara ;* utriusque enim vocis est ferè eadem vis : Bethania Hebraicè sonat *locus navis,* et Bathabara *locus transitûs.*

Dico 4° : Prodigia, scilicet apertio cœlorum, descensus columbæ, et vox Patris audita, non contigerunt dùm actualiter baptizaretur Christus, ut solent exhibere pictores, sed ipso ba-

ptizato et orante, juxta illud Matth. 3 : *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aquâ, et ecce aperti sunt ei cœli*, etc., et istud Luc. 3 : *Jesu baptizato et orante, apertum est cœlum, et descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum, et vox de cœlo facta est*, etc.

Dico 5° : Jesu baptizato et orante, aperti sunt cœli, non siderei et propriè dicti ; hi enim naturaliter scindi non possunt, supernaturaliter autem esset superfluum ; sed suprema aeris regio cœlis propinqua, quæ in S. Scripturis sæpè cœlum appellatur, quatenùs dùm ejus partes aliquæ hinc inde condensantur, medio aere manente rariore, hiatus apparet ex quo columba descendere cerneretur, et vox Patris audiretur. Matthæus dicit : *Aperti sunt ei cœli*, non quòd ipse solus et non alii viderint cœlos apertos, sed quia propter ipsum sunt aperti.

Dico 6° : S. Th. hìc a. 7, post. SS. Aug., Hieron. et Anselmum, docet columbam fuisse verum animal ; sed in 1, d. 16, a. 3, ad 3, docet contrarium his verbis : « Dicendum quòd « columba non fuerit verum et naturale ani- « mal, sed tantùm similitudo columbæ, visibi- « liter ostensa in aliquâ materiâ ad hoc præ- « parata. Unde et peracto officio, in pristinam « materiam reversa est. Nec fuit ibi aliqua fi- « ctio, quia illa similitudo columbæ non os- « tendebatur ad manifestandam aliquam veri- « tatem in ipsâ columbâ, sed ad manifestandas « proprietates invisibilis missionis. Et ideò « non fuit ipsi falsitas signi, quia signatum « respondebat signo et res similitudini. » Hæc autem sententia est communior.

Porrò descendit Spiritus sanctus in Christum, non ut Christum sanctificaret aut ejus sanctitatem augeret, quippe qui erat perfectè sanctus à conceptione, ut superiùs dictum est ; sed ut significaretur adstantibus præsentia Spiritûs sancti in Christo et in eis qui ejus baptismo baptizarentur ; descendit autem sub specie columbæ ad exprimendas proprietates columbinas, quas tum in Christo, tum in baptizatis operatur. Has proprietates fusè explicat auctor hìc a. 6, ad 4.

Dico 7° : Christo baptizato, convenienter vox Patris Filium protestantis audita est. Quia in baptismate Christi, quod fuit exemplar seu potiùs figura nostri baptismatis, debuit demonstrari id quod in nostro baptismate perficitur. Baptisma autem nostrum consecratur invocatione et virtute Trinitatis, secundùm illud Matth. ult. : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Ergo in baptismo Christi convenienter Trinitas demonstratur, quatenùs scilicet Filius in humanâ naturâ baptizatur, Spiritus sanctus descendit in columbæ specie, et vox Patris testimonium Filio perhibentis auditur. Hæc autem vox quamvis non fuerit vera et naturalis, quatenùs non erat per organa vitæ prolata, erat tamen verus, sensibilis et articulatus sonus, non solùm à Joanne, sed etiam ab adstantibus auditus, ut ex eo Joannes posset efficaciùs testificari de Christo. Ex quo sequitur quòd etiam apertio cœli et descensus columbæ fuerint visi à populo ; alioquin si solam vocem audivissent absque alio signo visibili, potuissent adstantes existimare quòd Joannem et non Christum spectaret. Et quamvis ista vox formata fuerit à totâ Trinitate, quia opera Dei ad extra sunt indivisa, per appropriationem tamen attribuitur Patri, quia formata est ut solum Patrem significaret, sicut species columbæ missa est ut solum Spiritum sanctum repræsentaret.

Dissertatio septima.

DE MODO CONVERSATIONIS CHRISTI, NECNON DE EJUS TENTATIONE IN DESERTO.

(*D. Th. QQ.* 40 *et* 41.)

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ fuerit humana facies et corporis Christi forma?

Dico : Humana faciei et corporis Christi forma non fuit insigniter venusta, neque insigniter deformis, sed mediocriter pulchra.

Prob. Christus humanam faciei et corporis formam assumpsit, quæ conditioni ac ministerio conveniret ; sicut ergo, ut modò dicam, noluit esse dives, ut divitiarum contemptum nos doceret, ita insigniter venustus esse noluit, ut vanam esse corporis pulchritudinem demonstraret. Item cùm deberet conversari cum hominibus, eos verbis suis ad fidem perducendo, non decuit ipsum esse ita facie deformem, ut aliorum oculos offenderet, et eos à suo consortio removeret : sequitur ergo eum fuisse mediocriter pulchrum. Unde auctor in Psalm. 44, dicit : « Pulchritudinem Christus « habuit, secundùm quod competebat ad sta- « tum et reverentiam suæ conditionis. Non « est ergo intelligendum quòd Christus habue-

« rit capillos flavos, vel fuerit rubeus, quia « hoc non decuit eum. » Et in cap. 53 Isai.: « Christo non erat aspectus magnificus, se- « cundùm quod dicitur : Species Priami digna « est imperio. »

Obj. 1° contra primam partem concl. illud Psal. 44 : *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum..... Specie tuâ et pulchritudine tuâ, intende prosperè, procede et regna.* Quæ de Christo dicta intelliguntur. — Respondeo hæc verba regii Vatis referri ad divinitatem Christi, vel ad pulchritudinem animi, non corporis. Ita SS. Patres : Basil. in hunc Psal. 44, Theodoret. ibid., Aug. in Psal. 45, 113 et 118, et alii. Et benè ad mentem regii Vatis ; insulsum enim foret Christum ob pulchritudinem corporis benedictum esse à Patre, et ipsâ suâ pulchritudine corporali debellâsse hostes et sibi ac nobis obtinuisse regnum, ut ferunt verba laudati Psalmi 44.

Inst. : S. Hieron. Epist. 140 ad Principiam dicit : « Nisi habuisset in vultu oculisque « quiddam sidereum, nunquàm eum statim « secuti fuissent apostoli, nec qui ad eum « comprehendendum venerant corruissent. » Et in cap. 9 Matth.: « Fulgor iste et majestas « divinitatis occultæ, quæ etiam in humanâ « facie relucebat, ex primo ad se venientes « trahere poterat aspectu. » Et S. Chrysost. hom. 27 in Matth. « Non enim, inquit, mira- « cula duntaxat faciens admirabilis erat, sed « etiam cùm simpliciter aspiceretur, ingenti « abundabat gratiâ. » Ergo. — Respondeo hæc non spectare nativam Christi cultûs formam, sed significare tantùm radium, seu, ut dicit S. Hieron., fulgorem divinitatis in ejus facie miraculosè, quando volebat, apparentem; alioquin dicendum foret, et apostolos ad ejus sequelam et fidem attractos fuisse, et milites corruisse, ex ejus oris venustate, quod est ridiculum.

Obj. 2° : Nicephorus l. 1 Hist. c. 40, describit singula oris Christi lineamenta, membrorum compositionem, atque integram corporis formam, eamque excellenter venustam, idque dicit acceptum à veteribus. Item in Epistolâ alicujus Lentuli ad senatum Romanum describitur etiam venusta forma Christi. Ergo. — Respondeo : Nicephorum, auctorem seculi decimi quarti, nullam horum notitiam habere potuisse, tacentibus Evangelistis et antiquis Patribus ; dicit quidem id acceptum à veteribus, sed nullum nominat. Epistola autem istius cujusdam Lentuli, ab omnibus spuria habetur. Adde quòd ejus descriptio non conveniat in omnibus cum descriptione Nicephori.

Obj. 3° præstantissimas Christi et Deiparæ imagines à S. Lucâ depictas, quæ in pluribus templis prostant.

Respondeo his imaginibus fidem adhiberi tanquàm à S. Lucâ depictis, tria obstant : primum, quòd septima synodus, secunda Nicæna, et Patres ejus ævi, qui contra Iconomachos tot exempla imaginum conquisierunt et congesserunt, ut dogma de cultu imaginum confirmarent, harum à S. Lucâ depictarum non meminerint. 2° Quia Lucas à Paulo, Coloss. 4, dicitur medicus, non pictor, quo titulo eum decoravit primus, quod sciatur, Metaphrastes seculo nono. 3° Quia Lucas vel fuit natione Judæus et unus ex septuaginta duobus discipulis, ut volunt SS. Epiph. et Greg. Mag., vel genere gentilis, Antiochiæ natus et à Paulo ad fidem conversus, ut censent Tertull., S. Irenæus, Euseb. et S. Hieron., quodque videtur verius. Si primum, non fuit pictor, quia ars picturæ sicut et sculpturæ erat tunc prohibita Judæis, ut testantur Philo lib. de Decalogo, et lib. de Delegatione ad Caium, Joseph lib. 17 Antiquit. c. 8, et Origenes qui lib. 4 contra Celsum dicit : « In civitatem eo- « rum (Judæorum) nullus pictor admittitur, « nullus statuarius, legibus hoc totum genus « arcentibus, ne qua occasio præberetur ho- « minibus crassis, neve animi eorum avoca- « rentur de cultu ad res humanas per hujus- « modi illecebras. » Si secundum, non potuit Lucas depingere ad vivum quos nunquàm viderat, quod saltem de Christo certum est ; non enim est credibile hominem ethnicum venisse è Syriâ Jerosolymam, ut hominem sibi ignotum et cui non credebat depingeret.

Obj. 4° contra secundam partem concl. : Isaias c. 53, de Christo dicit : *Non est species ei neque decor, et vidimus eum et non erat aspectus, et desideravimus eum : despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum.* Ergo. — Respondeo juxta SS. Patres, hæc esse intelligenda non de naturali corporis Christi formâ, sed de tempore passionis, quo tot Judæorum injuriis dehonestatus erat, ut vix hominis speciem referret ; vel, ut interpretatur S. Th. ibid., Isaias locutus est in personâ impiorum, prænuntians eorum convicia in Christum in cruce pendentem conjecta.

Articulus II.

Utrum Christus debuerit agere vitam solitariam et austeram?

Dico 1°: Christus non debuit vitam solitariam agere, sed debuit conversari cum hominibus. (Q. 40, a. 1, o.)

Prob. Christus debuit hoc vitæ genus eligere quod conveniret fini Incarnationis : atqui fini Incarnationis non conveniebat vita solitaria, sed vita communis cum hominibus : ergo. Prob. min.: 1° Christus incarnatus est ad manifestandam veritatem : ergo non debebat se occultare vitam solitariam agens, sed in publicum procedere prædicando. 2° Christus incarnatus est ut peccatores salvos faceret : ergo, inquit S. Chrysost. in cap. 1 ad Timoth., licet in eodem loco manendo posset ad se omnes attrahere ut ejus prædicationem audirent, non tamen hoc fecit, præbens nobis exemplum ut perambulemus et requiramus pereuntem, sicut pastor ovem perditam, et sicut medicus accedit ad infirmum. 3° Venit Christus ut per eum habeamus accessum ad Deum, ut dicitur Rom. 5 : ergo conveniens fuit ut cum hominibus familiariter conversando, daret omnibus fiduciam ad se accedendi. Unde dicitur Matth. 9 : *Factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes discumbebant cum Jesu et discipulis ejus.* (Quod exponens S. Hieron. ibid. dicit: « Videbant publicanum à peccatis ad meliora conversum, locum invenisse pœnitentiæ; et ob « id etiam ipsi non desperant salutem. »

Dico 2°: Christus non debuit austeram vitam eligere, quia, ut dictum est, congruum erat fini Incarnationis ut Christus non ageret solitariam vitam, sed cum hominibus conversaretur. At qui cum aliquibus conversatur, convenientissimum est ut se eis in conversatione conformet, secundùm illud Apost. 1 Cor. 9 : *Omnibus omnia factus.* Ergo convenientissimum fuit ut in cibo et potu communiter se, sicut alii, haberet. Et ideò de illo dicitur Matth. 11 : *Venit Filius hominis manducans et bibens*, quia utebatur cibo et potu communi sicut alii, cùm è contra Joannes dictus sit non *manducans neque bibens*, quia illo victu quo Judæi utebantur non utebatur. Neque tamen existimandum est Christum mollem et delicatam vitam egisse, sed moderatam suo fini accommodatam.

Obj. 1°: Christus multò magis prædicavit perfectionem vitæ quàm Joannes : atqui Joannes austeram vitam duxit, ut suo exemplo homines ad perfectionem vitæ provocaret : ergo. — Respondeo Christum in suâ conversatione exemplum perfectionis dedisse in omnibus quæ per se pertinent ad salutem : ipsa autem abstinentia cibi et potûs non per se pertinent ad salutem, secundùm illud Rom. 14 : *Non est regnum Dei esca et potus;* sed utraqua vita est licita et laudabilis secundùm diversitatem conditionum, ut scilicet à communi hominum consortio segregatus abstinentiam servet, et ut in societate positus communi vitâ utatur. (Ibid. ad 1.)

Obj. 2° : Christus habuit tantùm unicam vestem, et incedebat nudis pedibus, contra usum communem Judæorum : atqui hæc pertinent ad austeritatem vitæ : ergo. Prob. prima pars maj. Christus Matth. 10, prohibet ne discipuli duas tunicas habeant; et Marci 6, *ne induerentur duabus tunicis :* ipse autem dubio procul faciebat quod discipulis præcipiebat. Ergo. Prob. secunda pars maj. 1° Matth. 10, prohibet Apostolis portare calceamenta; 2° in partitione vestium Christi à militibus, nihil de calceis; 3° Magdalena non potuisset lavare pedes Christi calceati. Ergo. — Respondeo : Nego maj. Ad prob. primæ partis, certum est Christum plures habuisse vestes, nimirùm tunicam inconsutilem et alias vestes quas partiti sunt milites. Insuper Joan. 13 dicitur : *Surgens à cœnâ, posuit vestimenta sua;* aliquod indubiè retinebat, ne nudus appareret. Non ergo Christus prohibuit habere simpliciter duas vestes, sed habere plures vestes ejusdem rationis, volens nimirùm ut præter vestes quibus induti erant dùm proficiscebantur, alias non deferrent, quas, prioribus sordescentibus, induere possent; quo etiam sensu intelligitur illud Luc. 3 : *Qui habet duas tunicas*, scilicet ejusdem generis, *det non habenti* unam tanquàm superfluam.

Ad primam prob. secundæ partis maj., resp. prohiberi apostolis uti calceis totum pedem tegentibus, non sandaliis, ut patet Marci 6. Ad secundum, resp. calceamenta Christi comprehensa fuisse sub nomine vestimentorum, vel, quia vilia, contempta fuisse. Ad tertium : Nihil obstat dicere Magdalenam detraxisse calceos aut sandalia Christi ut ejus pedes lavaret.

Articulus III.

Utrùm conveniens fuerit Christum pauperem vitam ducere, et secundùm legem conversari?

Dico 1° : Christum decuit in hoc mundo

pauperem vitam ducere. (Ibid. a. 3, o.) 1° Quia hoc erat congruum prædicationis officio propter quod venerat ; oportet enim prædicatores verbi Dei, ut sedulò vacent prædicationi, à secularium rerum curâ esse omninò absolutos, quod facere non possunt qui divitias possident. Unde ipse Christus apostolos ad prædicandum mittens, dicit eis Matth. 10 : *Nolite possidere aurum neque argentum.* 2° Ne si Christus divitias habuisset, cupiditati ejus prædicatio adscriberetur. Unde S. Hieron. in cap. 10 Matth. dicit quòd, « si discipuli ejus divi-« tias habuissent, viderentur non causâ salu-« tis hominum, sed causâ lucri prædicare. » 3° Ut tantò major virtus divinitatis in conversione orbis ostenderetur, quantò per paupertatem videbatur abjectior.

Dices 1° : Christus debuit eligibilissimam vitam assumere : atqui eligibilissima vita est quæ est mediocris, inter paupertatem et divitias : dicitur enim Prov. 3 : *Mendicitatem et divitias ne dederis mihi ; tribue tantùm victui meo necessaria.* — Respondeo : Nego. min. Ad prob. Ideò Salomon non petiit à Deo neque divitias neque paupertatem, quia sunt homini occasio peccandi, divitiæ superbiendi, paupertas furandi et mentiendi, imò et perjurandi : hæc autem ratio non currebat pro Christo. Insuper non quælibet paupertas est furandi et perjurandi occasio, sed sola illa quæ est contraria voluntati, ad quam vitandam homo furatur et perjurat : paupertas autem voluntaria, qualem assumpsit Christus, hoc periculum non habet. (Ibid. ad 1.)

Dices 2° : Exteriores divitiæ ad usum corporis ordinantur, quantùm ad victum et amictum : atqui Christus in victu et amictu communem vitam duxit secundùm modum aliorum quibus convivebat : ergo videtur quòd in divitiis et paupertate communem vivendi modum servare debuerit, et non uti maximâ paupertate. — Respondeo : Nego conseq., quia potest aliquis communi vitâ uti quantùm ad victum et amictum, non possidendo divitias, sed à divitibus necessaria accipiendo, quod circa Christum factum est ; dicitur enim Luc. 8, quòd *mulieres quædam sequebantur eum, ministrantes ei de facultatibus suis.* Unde S. Hieron. in c. 27 Matth. dicit : « Consuetudinis Judaicæ fuit, nec du-« cebatur in culpam more gentis antiquo, ut « mulieres de substantiâ suâ victum atque ve-« stitum præceptoribus suis ministrarent ; « sed quia hoc scandalum facere poterat in na-« tionibus, Paulus se abjecisse commemorat. » Sic ergo communis victus poterat esse sine sollicitudine impediente prædicationis officium, non autem divitiarum possessio.

Si petas qualis et quanta fuerit Christi paupertas, — respondeo quòd interdùm habuerit aliquarum rerum dominium in communi, id est, cum collegio Apostolorum. Ita definivit Joan. XXII, in Extravag. *Quia quorumdam.* Et hoc conformiter S. Script., Joan. cap. 4, vers. 8, cap. 6, vers. 5, cap. 12, v. 6, c. 13, v. 29, ubi legitur collegium Apostolorum habuisse loculos, quos servabant in usum tempore necessitatis.

Interdùm verò Christus nullarum rerum habuit dominium etiam in communi. Ita declaravit Nicolaus IV, cap. *Exiit,* de verb. Signific. in 6, etiam conformiter S. Scripturæ, tum Matth. 8, ubi legitur : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet ;* tum Luc. 8, ubi *sequebantur eum mulieres quæ ministrabant ei de facultatibus suis.*

Utrùm verò mendicitatem exercuerit, — respondeo non exercuisse ex professo et regulariter. Sequitur ex dictis ; regulariter enim vel habebat loculos in communi, vel ei ministrabatur à mulieribus eum sequentibus. Probabile est tamen petiisse aliquando id quo indigebat, quod est mendicare, ut in triduo quo remansit in Jerusalem sine parentibus Luc. 2, et quando petiit aquam à muliere Samaritanâ, Joan. 1, et aliàs. Ita S. Th. Opuscul. contra impug. Relig., c. 7.

Dico 2° : Quamvis Christus non esset legi subjectus, convenienter tamen illam servavit ; 1° ut legem approbaret ; 2° ut eam observando in seipso consummaret et terminaret, ostendens quòd ad ipsum erat ordinata ; 3° ut Judæis occasionem calumniandi subtraheret ; 4° ut homines à servitute legis liberaret, secundùm illud Galat. 4 : *Misit Deus Filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.* (Ibid. a. 4, o.)

Dices : Christus sabbato curavit hominem, et ei mandavit tollere lectum suum : atqui id videtur prohibitum lege sabbati, quâ præcipiebatur ut nihil operis in eo fieret : ergo. — Respondeo : Nego min. : 1° Quia lege sabbati prohibebatur tantùm opus humanum, non divinum, quale erat sanatio miraculosa hominis. 2° Quia istâ lege non prohibebantur opera quæ erant de necessitate salutis etiam corporalis, Luc. 13 et 14. 3° Quia non prohibebantur opera quæ pertinent ad cultum Dei, Matth. 12. Quòd autem Christus mandavit paralytico ut

suum lectum portaret, ad cultum Dei pertinebat, nempe ad manifestationem et confirmationem miraculi in laudem virtutis divinæ.

Articulus IV.

De tentatione Christi in deserto

Matth. 4 legitur : *Ductus est Jesus à Spiritu in desertum, ut tentaretur à diabolo.* Dicitur ductus *à Spiritu*, suo scilicet seu Spiritu sancto. Dicitur, *ut tentaretur à diabolo*, non quòd Christus activam diaboli tentationem intenderet, sed tantùm eam permitteret et exciperet in loco ad eam opportuno. Potuit autem Christus quærere occasionem tentationis, quia inde nullum ipsi imminebat periculum peccandi, quod de nobis dici non potest; et ideò nos occasionem tentationis non quærere, sed fugere debemus.

Quærimus itaque circa hanc Christi tentationem, 1° utrùm fuerit conveniens eum tentari; 2° quandonam fuerit tentatus; 3° an diabolus ipsum portaverit supra pinnaculum templi, an tantùm duxerit.

Dico 1° : Conveniens fuit Christum tentari : 1° propter nostram cautelam, ut nullus quantumcumque sanctus, se putet securum et immunem à tentatione; 2° propter exemplum, ut scilicet nos instrueret qualiter tentationes diaboli vincamus; 3° ut fiduciam præberet recurrendi in tentationibus ad ipsum, qui sicut nos fuit tentatus (Q. 41, a. 1, o).—Dices : Tentare est experimentum capere, quod non fit nisi de re ignotâ : atqui Christus et ejus divinitas erat nota dæmonibus; dicitur enim Luc. 4, quòd non sinebat dæmones loqui, quia sciebant ipsum esse Christum : ergo. — Resp. quòd dæmones ab initio et ante tentationem non sciebant Christum esse Messiam et Filium Dei; ideò enim eum tentaverunt ut id explorarent; unde dicebat tentator : *Si Filius Dei es.* Postea verò evidentiâ signorum coacti, ipsum aliqualiter ut Messiam et Filium Dei agnoverunt, non tamen pro certo; cùm enim simul viderent in eo signa infirmitatis humanæ, inde, adjuncto pravo affectu, accipiebant occasionem dubitandi. (Ib. ad 1.)

Dico 2° : Tres tentationes visibiles, quas referunt Matth. et Lucas, nonnisi post jejunium quadraginta dierum factæ sunt. Patet ex Matth. 4 : *Cùm jejunâsset*, inquit, *quadraginta diebus et quadraginta noctibus*, ab omni scilicet cibo abstinens, *postea esuriit, et tunc accessit ad eum tentator*, nempe visibili specie; propter istam enim esuriem suspicatus est diabolus ipsum esse purum hominem, qui non potuit plusquàm Moyses et Elias protrahere jejunium, unde audaciam assumpsit ipsum visibiliter per tentationem aggrediendi. (Ibid. a. 3, o.)

Nihil obstat tamen quominùs ipsum diabolus, licet non visibilis, aliis modis tentaverit durante jejunio, puta insolitè mutando aerem, incitando bestias ut ipsi essent molestæ, etc., quo sensu dicit auctor hic ad 2, ex Ven. Bedâ : « Dominus tentabatur quadraginta diebus et « quadraginta noctibus. »

Dico 3° : Utrùm diabolus portaverit Christum super pinnaculum templi, an tantùm duxerit, problema esto.

Fuisse portatum videtur innui his verbis Matth. 4 : *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi.* Atque ita sentiunt S. Greg. Hom. 16 in Evang. et Ven. Beda in Lucam. Non fuisse autem portatum, sed sponte secutum fuisse diabolum ductorem, innuit Lucas, cap. 4, ubi sic scribit : *Duxit illum diabolus in montem excelsum;* et postea : *Duxit illum in Jerusalem.* Unde auctor, a. 1 hujus q. ad 2, dicit ex Origene : « Christus sequebatur diabolum, ad ten- « tationem quasi athleta procedens. » Nec obstat verbum *assumpsit*, apud Matth.; dicitur enim de Christo Matth. 16 : *Assumens eum Petrus*, et cap. 17 : *Assumit Jesus Petrum*, etc., ubi non est sermo de transportatione. Similiter non obstat verbum *statuit;* qui enim aliquem in certum locum deduxit, dicitur illum in hoc loco statuisse.

Juxta hanc sententiam, dicendum Christum, ut vitaretur inquisitio vel scandalum aspicientium, effecisse ut à nemine videretur, idque inscio diabolo. (Ib. a. 4, ad 7.)

Si autem petas quomodò diabolus Christo in monte constituto ostenderit omnia regna mundi, — respondeo ostendisse demonstrando digito varias terræ partes in quibus ista regna sunt posita, simulque exponens eorum magnificentiam.

Dissertatio octava.

DE DOCTRINA ET MIRACULIS CHRISTI, NECNON DE EJUS TRANSFIGURATIONE.

(*D. Th. QQ.* 42, 43, 44, 45.)

Articulus primus.

De doctrinâ Christi

Quæstio est 1° utrùm convenienter Christus

solis Judæis prædicaverit, et non gentilibus ; 2° utrùm omnia publicè docuerit.

Dico 1° : Conveniens fuit prædicationem Christi tam per ipsum quàm per apostolos à principio solis Judæis exhiberi. Et ideò Matth. 15, dicit : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domûs Israel.* (Q. 42, a. 1, o.)

1° Ut ostenderet per suum adventum impleri promissiones antiquitùs factas Judæis, et non gentilibus. 2° Quia hoc exigebat debitus ordo, ut Judæis qui erant Deo propinquiores per fidem et cultum unius Dei, priùs doctrina proponeretur, et per eos transmitteretur ad gentes, sicut etiam in cœlesti hierarchiâ per superiores angelos ad inferiores divinæ illuminationes proveniunt. 3° Ut Judæis auferret calumniandi materiam. « Oportebat, inquit S. Hieron. in « cap. 10 Matth., primum adventum Christi « nuntiari Judæis, ne justam excusationem ha- « berent, dicentes, ideò se Dominum ejecisse, « quia ad gentes et Samaritanos Apostolos mi- « serit. »

Dices : Christus venit in lumen et salutem non solùm Judæorum, sed etiam gentium : ergo non solùm Judæis, sed etiam gentibus debuit prædicare. — Respondeo quòd Christus fuerit in lumen et salutem gentium per discipulos suos, quos ad prædicandum gentibus misit. (Ib. ad 1.)

Cæterùm quamvis Christus per seipsum solis Judæis principaliter et ex officio prædicaverit, et ideò Rom. 4 dicitur *minister circumcisionis ;* ne tamen gentiles viderentur omninò negligi et spes salutis eis præcludi, quibusdam, ob excellentiam fidei et devotionis eorum prædicavit, ut Chananeæ Matth. 5, Samaritanæ et Samaritanis Joan. 4. (Ib. ad 3.)

Dico 2° : Christus omnia publicè docuit. Constat ex Evangelio Joan. 18 : *Ego palam locutus sum in mundo,* etc., et : *In occulto locutus sum nihil.* — Explicatur : Tripliciter alicujus doctrina potest tradi in occulto : uno modo ex intentione docentis, qui intendit doctrinam suam non manifestare multis, sive propter invidiam, sive propter inhonestatem eorum quæ docet : neutrum potuit contingere in Christo. Secundo modo doctrina alicujus dicitur tradi in occulto, quia paucis proponitur ; nec sic Christus docuit in occulto, quia omnem doctrinam suam vel turbæ toti proposuit, vel omnibus discipulis in communi, et quidem eâ intentione ut omnibus illam communicarent. Tertio modo aliqua doctrina dicitur esse in occulto quantùm ad modum docendi, quatenùs obscurè proponitur : hoc sensu potest dici quòd Christus aliqualiter docuerit in occulto, quatenùs parabolis utebatur ad annuntiandum mysteria spiritualia Judæis, ad quæ percipienda non erant idonei vel digni : et tamen melius erat eis sic tegumento parabolarum spiritualium doctrinam audire, quàm omninò eâ privari. Harum tamen parabolarum apertam et nudam veritatem Dominus discipulis exponebat, per quos deveniret ad alios qui essent idonei ; et ex hâc parte non erat occulta.

Articulus II.

Utrùm Christus suam doctrinam scripto tradiderit? Ubi de mutuis Abgari ad Jesum et Jesu ad Abgarum Epistolis.

Docet hic S. Th., ibid. a. 4, o, Christum doctrinam suam scripto non tradidisse ; tum quia ille est excellentior doctor qui cordi quàm qui chartæ suam doctrinam imprimit ; tum quia sic significatum est tantam esse doctrinæ excellentiam, ut scripto tota contineri non possit.

Verùm refertur ab Eusebio, lib. 1 Hist. cap. 13, Epistola Jesu ad Abgarum regem Edessæ in Syriâ responsalis ad Epistolam Abgari. Hæc utraque Epistola sic legitur apud Euseb. cit. ex versione Christophorsoni.

Epistola Abgari ad Jesum.

« Abgarus, princeps Edessæ, Jesu Salvatori « propitio, qui in confiniis Jerusalem in carne « apparuit, salutem.

« Insignes illas virtutes et curationes quæ « abs te sine medicamentis et sine herbis factæ « sunt, auditione accepi ; cæcos enim, ut fama « est, videre efficis, claudos ambulare ; lepro- « sos mundas, spiritus immundos et dæmones « ejicis ; eos etiam qui diuturnis morbis pressi « sunt sanas ; mortuos denique ad vitam revo- « cas. Quæ quidem cùm de te audivissem, de « duobus hisce alterum verum esse cogitabam, « te aut Deum esse et è cœli fastigio delapsum, « aut Dei Filium saltem, qui ista tam stupenda « edas miracula. Quapropter hæc ad te scripsi, « magnoperè precatus ut laborem ad me acce- « dendi susçipere, hunc que, quo crucior, mor- « bum curare non graveris. Etenim audio Ju- « dæos tibi obstrepere malevolè, et velle libenter « te aliquo magno malo afficere. Est mihi ci- « vitas perexigua quidem, sed ornata sanè et « illustris, quæ utrique nostrûm rerum neces- « sariarum suppeditabit satis. »

Epistola Jesu ad Abgarum.

« Abgaro, beatus es qui, cùm non videris, in « me tamen credidisti ; de me enim scriptis « proditum est, eos qui me viderunt in me non « credere, ut hi qui me non viderunt credant « et vitam consequantur. Quod scribis ad me, « te velle ut ad te veniam, eas res quarum « gratiâ sum missus, debeo hìc necessariò « obire, quas cùm plenè perfecero, ad eum « recipi qui me misit : quo simul ac assumptus « fuero, aliquem ex discipulis meis mittam « ad te, qui morbo quo tantoperè torqueris fa- « ciat medicinam, et vitam tibi tuisque imper- « tiat. »

Quæstio est itaque inter eruditos non parùm controversa, an illæ duæ epistolæ sint genuinæ, an apocryphæ et suppositiliæ.

Dico : Istæ duæ epistolæ videntur nobis apocryphæ et suppositiliæ. Prob. 1° ex Gelasio papâ, qui in concilio Romano septuaginta episcoporum, sic de illis pronuntiavit : « Epistola Jesu « ad Abgarum regem apocrypha. Epistola Ab « gari ad Jesum apocrypha. »

Respondet Serrius Exercit. 46, post Baronium ad annum 31, declaratam fuisse à Gelasio Epistolam Christi ad Abgarum apocrypham, quia non est posita in canone Scripturarum sacrarum.

Sed contra, Gelasius in concilio Romano declaravit Epistolam Jesu ad Abgarum apocrypham, eodem sensu quo declaravit Epistolam Abgari ad Jesum apocrypham, ut patet ex terminis : atqui non declaravit Epistolam Abgari ad Jesum apocrypham, eò quòd non esset posita in canone Scripturarum sacrarum ; de hoc enim non erat quæstio, sed quia erat incerti auctoris, vel dubiæ et suspectæ fidei ; est enim hæc communis significatio vocis *apocryphum* : ergo idem censendum de Epistolâ Jesu ad Abgarum.

Prob. 2° : Illa Epistola est evidenter supposititia, in quâ inducitur Christus citans verba Evangelii de se scripti ; nullum enim Evangelium fuit scriptum nisi post ascensionem Christi : atqui in hâc Epistolâ inducitur Christus citans verba Evangelii de se scripti : ergo. Prob. min. ex verbis Epistolæ : « Ab- « gare, inquit Christus, beatus es, qui cùm « non videris me, in me credidisti ; de me enim « *scriptis proditum est,* eos qui me viderunt in « me non credere, ut qui me non viderunt « credant et vitam consequantur. » Atqui hoc nullibi reperitur scriptis proditum nisi in Evangelio, præsertim Joan. 20, ubi refertur Christus exprobrans incredulitatem Thomæ et dicens : *Beati qui non viderunt et crediderunt.*

Prob. 3° : S. Augustinus lib. de Consensu Evang. cap. 7, et S. Thomas post ipsum hìc art. 4, docent Christum nihil absolutè scripsisse. Hæc sunt verba S. Aug. loco citato : « Sed illud priùs discutiendum est, quod solet « nonnullos movere, cur ipse Dominus nihil « scripserit, ut aliis de ipso scribentibus ne- « cesse sit credere ; hoc enim dicunt illi vel « maximè pagani, qui Dominum ipsum Jesum « Christum culpare aut blasphemare non au- « dent, eique attribuunt excellentissimam sa- « pientiam, sed tamen tanquàm homini ; disci- « pulos verò ejus dicunt magistro suo ampliùs « tribuisse quàm erat..... Cùm ergo quærunt « quare ipse non scripserit, videntur parati « fuisse hoc de illo credere quod de se ipse « scripsisset, non quod alii de illo pro suo ar- « bitrio prædicâssent. »

Si dicas cum Serrio, SS. Aug. et Th. loqui de scriptionibus paulò fusioribus, quibus sua gesta et suam doctrinam complexus esset, non verò de Epistolâ quatuor linearum, quâ missurum se duntaxat discipulum monet, qui sanitatem Abgaro laboranti restituat, -- respondeo Christum hâc Epistolâ non solùm monere se missurum discipulum ad sanandum Abgarum, sed etiam prædicare sua gesta et miracula atque suam divinitatem, dùm approbando Epistolam Abgari in quâ hæc continentur, dicit : « Abgare, beatus es, qui cùm non « videris me, in me tamen credidisti ; de me « enim scriptis proditum est, eos qui me vide- « runt in me non credere, ut hi qui me non « viderunt credant et vitam consequantur. » Quid expressius potuisset scribere pro asserendâ suâ divinitate, et quid amplius exoptare potuissent apud S. Aug. pagani, qui Jesu de se scribenti credere erant parati ?

Confirmatur : 1° Si istæ Epistolæ visæ fuissent Patribus genuinæ, illas procul dubio Arianis opposuissent, cùm apertum contineant divinitatis Verbi testimonium : nullus tamen illas opposuit. 2° Vix credibile est Christum non mandâsse alicui discipulorum ut illum principem ad ret, sicut promittit in Epistolâ, sed Thomam post mortem Christi misisse Thadæum ut fidem Christi prædicaret prout fert historia. 3° Quomodò tam honorificam Christo legationem omnes Evangelistæ omiserunt ? 4° Item, quo pacto Epistola Abgari Christo in Judæâ commoranti scripta, Edessam

reversa est? Fert enim historia illam repertam fuisse cum Epistolâ Jesu in archivis Edessenorum.

Obj.: Eusebius, auctor quarti seculi, lib. 1 Hist. cap. 13, has Epistolas integras refert, atque ait se eas descripsisse ex tabulario urbis Edessenæ, et de verbo ad verbum è Syriacâ linguâ in Græcam vertisse. S. Ephrem Syrus et Ecclesiæ Edessenæ diaconus eod. seculo has Epistolas in suo testamento etiam laudat. Sequenti seculo, Darius comes Ep. ad S. Aug. quæ est inter Augustinianas 23, olim 203, harum etiam Epistolarum meminit. Adstipulantur Procopius lib. 2 de Bello Persico, cap. 12, Evagrius lib. 4 Hist. cap. 26, Nicephorus lib. 2, cap. 7, et alii. — Respondeo Eusebium et S. Ephrem non satis expendisse fidem illorum monumentorum, aut si expenderint, in eorum censurâ fuisse deceptos; magis enim in hâc parte standum judicio Ecclesiæ quæ has epistolas declaravit apocryphas, et rationibus allatis, quàm privatis historicis, præsertim cùm inter alias rationes propter quas concilium Romanum declaravit historiam Eusebii apocryphum, hæc una fuit, inquit Cano lib. 11 de Locis theologicis c. 6, quòd has Epistolas in suâ Historiâ retulerit.

Quantùm ad alios, cùm secuti sint Eusebium et S. Ephrem, non majorem merentur fidem. Adde quòd Darius comes non assertivè, sed ex incertâ famâ loquatur : « Fertur, inquit, sa- « trapæ seu regis potiùs cujusdam Epistola, » etc. Unde nec S. Aug. inde motus est ut huic Epistolæ fidem adhiberet, ut patet ex tertiâ probatione.

A fortiori rejicienda est tanquàm fabulosa altera narratio præcedenti addita à scriptoribus posterioris ætatis, de imagine Christi linteo impressâ, et ab ipso Christo regi Abgaro missâ; de eâ enim nullum exstat monumentum antiquitatis, et silent Eusebius et S. Ephrem, quam certè non omisissent, si cum Epistolis reperta fuisset in tabulario urbis Edessenæ. Neque refert de eâ imagine fieri mentionem in actis septimæ synodi œcumenicæ; notum est enim quædam documenta dubia, imò et falsa, his actis fuisse inserta pro tuendo imaginum cultu.

Articulus III.

De miraculis Christi

Considerandum hìc 1° de miraculis Christi in generali, deinde in particulari : circa primum, an conveniens fuit ut faceret miracula; quando incœpit facere miracula; et an sufficienter probent ejus divinitatem : circa secundum, an convenienter fecerit miracula circa dæmones, cœlestia corpora, homines et creaturas irrationales.

Dico 1° : Conveniens fuit ut Christus faceret miracula. (Q. 453, a. 1, o.)

Prob. Duplex est finis miraculorum. Primus et principalis est ad confirmandam veritatem supernaturalem quam aliquis docet; cùm enim ea quæ sunt fidei humanam rationem excedant, non possunt per humanas rationes probari, sed oportet ut probentur per argumentum divinæ virtutis; ut dùm aliquis facit opera quæ solus Deus facere potest, credantur ea quæ dicuntur esse à Deo : sìcut cùm aliquis defert litteras annulo regis signatas, creditur ex voluntate regis processisse quod in illis continetur. Alter finis miraculorum est ad ostendendam sanctitatem seu præsentiam Dei in homine per gratiam Spiritûs sancti, ut dùm scilicet homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam. Atqui utrumque circa Christum erat hominibus manifestandum, scilicet, quòd Deus erat in eo per gratiam, non adoptionis, sed unionis, et quòd ejus doctrina supernaturalis esset à Deo : ergo convenientissimum fuit ut Christus miracula faceret. Unde ipse dicit Joan. 10 : *Si mihi non vultis credere, operibus credite*; et 5 : *Opera quæ mihi dedit Pater ut faciam, ipsa sunt quæ testimonium perhibent de me,*

Dico 2° : Non erat conveniens ut Christus per se visibiliter agens, operaretur miracula ante perfectam ætatem. Consequenter primum miraculum quod sic visibiliter agens operatus est, fuit conversio aquæ in vinum in Canâ Galilææ, juxta illud Joan. 2 : *Hoc fecit initium signorum Jesus in Canâ Galilææ.* (Ibid. a. 3, o.)

Prob. Christus fecit miracula præcipuè in confirmationem suæ doctrinæ : ergo non debuit ante miracula facere quàm docere incipere. Subsumo : Atqui non debuit docere ante perfectam ætatem, ut supra diximus ad q. 39, dùm de ejus baptismo. Ergo.

Dixi, *per se visibiliter agens;* quia licet miracula quæ contigerunt in ejus nativitate et probabiliter in ingressu Ægypti etiam ipse fecerit, non tamen visibiliter agens illa operatus est.

Dico 3° : Christi miracula sufficienter probant ejus divinitatem : 1° Quia secundùm speciem considerata, transcendunt omnem potestatem creatæ virtutis. 2° Quia quantùm ad

modum, ea facit Christus, non orando ex indigentiâ, sicut alii, sed propriâ virtute et ex imperio : unde Luc. 6, dicitur quòd *virtus de illo exibat et sanabat omnes.* Quòd ergo verba orationis aliquando adhibuerit, id fecit non ex necessitate, sed ad exempla et instructionem nostram. 3° Quia hæc miracula faciebat in testimonium veritatis suæ doctrinæ, quâ dicebat se Deum esse.

Hæc itaque tria, non seorsim sumpta, sed simul juncta, probant ipsum esse Deum. Ex eo enim quòd Christus fecerit miracula, præcisè non sequitur ipsum esse Deum ; sed sequitur ex eo quòd ea fecerit in testimonium suæ divinitatis ; cùm enim miracula sint testimonia divina, certò probant esse vera ea in quorum confirmationem fiunt ; alioquin Deus esset testis falsitatis, quod est impossibile.

Dico 4° : Christus convenienter fecit miracula : 1° Circa substantias spirituales, ejiciendo dæmones è corporibus ; tum quia id erat prænuntiatum Zachar. 13 : *Spiritum immundum auferam de terrâ ;* tum ad ostendendum quòd excluderet dæmonum potestatem ab hominibus credituris in eum ; 2° circa cœlestia corpora, ut contigit tempore passionis in defectione solis, ut ostenderet se esse Deum, qui solus potest immutare cœlestia corpora ; 3° circa homines, eos sanando et resuscitando, ut ostenderet se esse omnium universalem et spiritualem salvatorem ; 4° circa creaturas irrationales, ut ostenderet omnia esse sibi subjecta. (Q. 44, a. 1, 2, et 3, et 4, o.)

Articulus IV.

De Christi transfiguratione.

Quæritur hìc 1° in quo sita fuerit transfiguratio Christi ? 2° an convenienter transfiguratus fuerit ? 3° an convenienter adhibiti fuerint testes ? 4° ubi peracta fuerit. (Q. 45, a. 1, ad 1.)

Dico 1° : In eo posita fuit transfiguratio Christi, quòd manente omninò immutatâ corporis et faciei substantiâ et figurâ, splendorem clarissimum ad instar solis emiserit. Ita S. Hieron. in cap. 17 Matth., Tertull. lib. de Resurrect. carnis, S. Th. hìc cit. Idque conformiter S. Scripturæ, Matth. 17, dicenti : *Et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix.* Ubi quamvis Matth. et alii Evangelistæ mentionem tantùm faciant faciei, verisimile est tamen totum corpus eodem splendore resplenduisse, eosque per faciem tanquàm per partem corporis magis aspectabilem totum corpus intellexisse : sic saltem sentiunt S. Hieron. in cap. 17 Matth., S. Ambros. de Symbolo cap. 22, et S. Aug. lib. 22 de Civit. cap. 9.

Dices : Transfigurari est figuram mutare : ergo non mansit immutata faciei Christi figura. — Respondeo quòd, cùm figura sit penes superficiem et extremitates corporis, ea quæ pertinent ad superficiem, ut color et claritas, aliquo modo ad aliquam figuram pertinent.

Adde quòd non sit eadem significatio hujus vocis *transfiguratio* in sacris Scripturis ac in scriptis profanis. Sic Satanas dicitur se transfigurare in angelum lucis, ex eo solùm quòd quædam bona in speciem suggerat hominibus ut eos decipiat. Sic 2 Corinth. 11, pseudo-apostoli dicuntur *se transfigurare in apostolos Christi*, ratione similis ministerii externi.

Porrò hæc claritas corporis Christi transfigurati fuit claritas gloriæ, qualem habebunt corpora beatorum post resurrectionem, non quidem per modum qualitatis permanentis, sed per modum passionis transeuntis. Et quamvis divinitati Christi et ejus animæ beatæ secundùm se deberetur, quia tamen Christus assumpsit, secundùm præsentem dispositionem, animam beatam in ordine ad Deum tantùm, et non in ordine ad corpus, sed è contra assumpsit corpus passibile non assumptis dotibus gloriæ, ideò hæc ejus claritas censenda est miraculosa, sicut agilitas dùm ambulavit super aquas, et subtilitas dùm exivit ex utero clauso B. Virginis.

Dico 2° : Convenienter Christus fuit transfiguratus : 1° Ut ostenderet finem ad quem perventurus erat per crucem ; 2° ut de cordibus apostolorum crucis scandalum tolleret ; 3° ut illos cæterosque fideles ipse gloriâ, cujus tenuis radius fulgebat, ad adversa quæque toleranda excitaret. (Ib. a. 1, o.)

Dico 3° : Convenienter inducti sunt testes transfigurationis, tum ex hominibus qui præcesserunt Christum, tum ex his qui eum secuti sunt. Quia transfigurari voluit ut gloriam suam hominibus ostenderet et ad eam desiderandam eos provocaret, ut modò dictum est : atqui ad gloriam æternæ beatitudinis adducuntur homines per Christum, non solùm qui post eum fuerunt, sed etiam qui eum præcesserunt : ergo conveniens erat ut de præcedentibus ipsum testes adessent et de sequentibus.

Dico 4° : Ex præcedentibus convenienter

inducti sunt testes Moyses et Elias; ex sequentibus Petrus, Joannes et Jacobus. (Ibid. ad 8 et 4.)

Prob. prima pars. 1° Quia, cùm turbæ dicerent Christum esse Eliam aut Jeremiam aut unum ex Prophetis, capita Prophetarum secum ducit, ut saltem hinc appareat differentia servorum et Domini. 2° Quia Moyses legem dedit, Elias pro gloriâ Domini æmulator fuit: unde ex hoc quòd simul cum Christo apparent, excluditur calumnia Judæorum accusantium Christum tanquàm transgressorem legis et blasphemum, Dei sibi gloriam usurpantem. 3° Ut ostenderet se potestatem vitæ et mortis habere et esse judicem vivorum et mortuorum, per hoc quòd Moysem jam mortuum et Eliam adhuc viventem secum ducit. 4° Quia, sicut Lucas dicit, loquebantur cum eo de excessu quem completurus erat in Jerusalem, id est, de passione et morte suâ: et ideò ut super hoc animos discipulorum confirmaret, inducit eos in medium qui se pro Deo morti exposuerunt; nam Moyses cum periculo mortis se obtulit Pharaoni, Elias verò regi Achab. 5° Quia volebat ut discipuli æmularentur Moysis mansuetudinem et zelum Eliæ.

Prob. secunda pars. Petrus, Joannes et Jacobus erant potiores inter Apostolos: Petrus quidem in dilectione quam habuit ad Christum et in potestate sibi concessâ; Joannes in privilegio amoris quo à Christo diligebatur, propter suam virginitatem et propter prærogativam evangelicæ doctrinæ; Jacobus propter prærogativam martyrii inter Apostolos. Adde conveniens fuisse hos habere testes suæ gloriæ, quos habiturus erat testes suæ infirmitatis et agoniæ in horto. (Ib. ad 4.)

Attamen illis prohibuit aliis nuntiare quod viderant ante suam resurrectionem; ne vel audientibus incredibile appareret pro rei magnitudine, vel à populo impediretur passio Christi.

Dico 5°: Communis opinio est, Christum fuisse transfiguratum in monte Thabor, qui est mons excelsus in Galilæâ. Ita sentiunt S. Hieron. Epist. 27 ad Eustoch. de Epitaphio Paulæ, S. Cyrill. Hierosol. Catechesi 12, S. Damasc. Serm. de Transfig., Beda de Locis sanctis cap. 17, Patres concilii Flor. sess. 1, et alii.

Dissertatio nona.

DE PASSIONE CHRISTI

(*D. Th. Q. 46.*)

ARTICULUS PRIMUS.

De necessitate, convenientiâ et acerbitate passionis Christi.

Dico 1°: Non fuit simpliciter et absolutè necessarium Christum pati; poterat enim Deus, apud quem non est impossibile omne verbum, alio modo salvare hominem. Erat tamen necessarium secundùm quid, scilicet, ex suppositione finis et ordinationis divinæ, quia Deus ordinaverat ut Christus pateretur, et ut sine ejus passione non salvaretur genus humanum. (Q. 46, a. 1, et 2, o.)

Dico 2°: Convenientissimum fuit Christum pati ad liberationem generis humani. (Ibid. a. 3, o.)

Prob. Tantò aliquis modus est convenienter ad assequendum finem, quantò per ipsum plura concurrunt quæ expediunt fini: atqui ex hoc quòd Christus passus est propter liberationem hominis, plura concurrunt ad ejus salutem præter liberationem à peccato: ergo. Prob. min. 1° Per hoc homo cognoscit quantùm Deus ipsum diligat, et inde provocatur ad eum diligendum, in quo perfectio salutis humanæ consistit. 2° Quia per hoc dedit nobis exemplum obedientiæ, humilitatis, constantiæ, justitiæ et cæterarum virtutum, quæ in ejus passione elucent, et quæ sunt necessariæ ad humanam salutem. 3° Quia inde major est inducta homini necessitas se à peccato immunem servandi, cùm se tanto pretio, scilicet Christi sanguine, redemptum cogitat, secundùm illud 1 Cor. 6: *Empti estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro.* 4° Quia hoc ad majorem hominis dignitatem cessit, ut sicut homo mortem meruit, ita homo moriendo mortem superaret.

Dico 3°: Convenientissimum fuit Christum pati in cruce. (Ibid. a. 4, o.)

1° Ad exemplum virtutis: sunt enim homines qui, quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen mortis horrescunt: ut ergo nullum genus mortis homini rectè viventi metuendum esset, Christus, cui de blasphemiâ accusato, secundùm legem Judæorum, non crucifixio, sed lapidatio debebatur, in cruce mori voluit, quo supplicio, inter

omnia genera mortis quæ in hâc vitâ inferuntur ex lege vel usu, nullum est exsecrabilius et formidabilius, sive ignominiam sive dolorem spectes. Quantùm ad ignominiam, patet, quia apud Romanos nonnisi famosi latrones, apud Judæos verò ex usu recenti, secundùm Philonem l. de Special. leg., nonnisi homicidæ supplicio crucis plectebantur. Quantùm ad dolorem, etiam patet, tum quia cruciarii configuntur in locis nervosis, ubi maximè viget sensus tactûs, et ipsum pondus corporis pendens continuò dolorem auget; tum propter diuturnitatem cruciatûs, cùm non statim moriantur. Unde Cicero Orat. in Verrem : « Facinus est, inquit, vincire civem Romanum, « scelus verberare, prope parricidium necare; « quid dicam in crucem tollere ? Verbo satis « digno res tam nefaria exprimi nullatenùs potest. » 2° Conveniens erat ut peccatum commissum esu ligni vetiti repararetur in ligno : unde illud Ecclesiæ : *Ut qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur;* item, *et medelam ferret, hostis unde læserat.* 3° Quia id genus mortis indicat universalem salvationem generis humani, quatenus crux in quatuor extremitates partita significat virtutem et providentiam illius qui in eâ pependit, ubique diffusam. 4° Quia hoc genus mortis multis figuris respondet. 1° Humanum genus à diluvio arca lignea liberavit; 2° Moyses virgâ ligneâ mare divisit, Pharaonem prostravit, populum Dei salvavit, et salutarem undam de petrâ elicuit; 3° idem Moyses, ligno in aquam misso, aquam amaram in dulcem commutavit; 4° lex Dei arcæ ligneæ creditur : ut his omnibus ad lignum crucis per quosdam gradus veniatur.

Dico 4° : Certum est Christum non sustinuisse omnes passionum species quæ ab hominibus inferri possunt; non enim fuit igne combustus, nec gladio percussus, nec excoriatus, etc. Sustinuit tamen omnes passiones quantùm ad genus, hoc scilicet sensu quòd passus sit ab omni hominum genere, in omni bono humano, in omnibus membris et in omnibus sensibus corporis. (Ibid. a. 5, o.)

Passus est ab omni genere hominum, scilicet à gentilibus et Judæis, à masculis et feminis, ut patet de ancillis accusantibus Petrum; à principibus et popularibus, à familiaribus et notis, ut patet de Judâ proditore et Petro eum negante. Passus est in omni bono humano, in suis amicis eum deserentibus, in famâ per blasphemias contra eum prolatas, in honore et gloriâ per irrisiones et contumelias ei illatas, in rebus suis per hoc quòd vestibus sit spoliatus, in animâ per tristitiam, tædium et timorem, in corpore per vulnera et flagella. Passus est in omnibus membris, in capite pungentium spinarum coronam, in manibus et pedibus fixionem clavorum, in facie alapas et sputa, in toto corpore flagella. Passus est denique secundùm omnem sensum : secundùm tactum flagellatus et clavis confixus, secundùm gustum felle et aceto potatus, secundùm olfactum in loco fœtido cadaverum appensus patibulo, secundùm auditum lacessitus vocibus blasphemantium et irridentium, secundùm visum videns matrem et discipulum quem diligebat flentes.

Dico 5° : Si considerentur simul omnes causæ doloris Christi, ejus dolor fuit intensivè major omnibus doloribus præsentis vitæ. (Ibid. a. 6. o.)

1° Dolor vel est sensibilis causatus ex aliquo nocivo, vel est interior causatus ex apprehensione alicujus nocumenti, et dicitur tristitia. Causa autem doloris sensibilis in Christo fuit corporis læsio acerbissima, tùm propter generalitatem passionis, cùm propter genus mortis, ut dictum est duabus præcedentibus conclusionibus. Doloris interioris causa fuit, primò omnia peccata generis humani, pro quibus satisfaciebat patiendo, singulariter peccata Judæorum et aliorum in ejus morte delinquentium; secundò etiam amissio vitæ corporalis, quæ naturaliter est horribilis naturæ humanæ. 2° Potest considerari magnitudo doloris Christi ex perceptibilitate patientis, secundùm animam et secundùm corpus. Nam secundùm corpus Christus erat optimè complexionatus, cùm ejus corpus fuerit miraculosè formatum virtute Spiritûs sancti, et ideò in eo maximè viguit sensus tactûs, ex cujus perceptione sequitur dolor; anima etiam secundùm vires interiores efficacissimò apprehendit omnes causas tristitiæ. 3° Magnitudo doloris Christi potest considerari ex doloris et tristitiæ puritate, atque privatione omnis lenitivi. Nam in aliis patientibus mitigatur et dolor exterior et tristitia interior ex aliquâ consideratione rationis per quamdam derivationem seu redundantiam à superioribus ad inferiores : quod in Christo non fuit, quatenùs mentem et imaginationem non avertit à consideratione illorum quæ tristitiam causare possunt; sed ea omnia attentè consideravit, et simul dimisit unicuique tormentorum agere, et unicuique virium agere et

pati quod illis proprium est, ita ut unus actus non impediret alium; nec gaudium unius partis redundaret in aliam; idque maximè, quia passionem illam et dolorem voluntariè assumpsit propter liberationem generis humani à peccato, et ideò tantam doloris quantitatem assumpsit, quæ esset proportionata magnitudini fructûs qui inde sequebatur.

Ex his igitur omnibus causis simul consideratis, manifestè apparet quòd dolor Christi fuerit intensivè maximus dolorum præsentis vitæ. Dicitur, *ex omnibus causis simul consideratis*, quia si una tantùm causa consideretur, posset in aliquibus esse major dolor. Dicitur, *præsentis vitæ*, quia hìc non agitur de pœnis inferni et purgatorii; licet sectarii dixerint blasphemando, Christum illas sustinuisse in hâc vitâ.

Articulus II.

Variæ passionis Christi circumstantiæ breviter expenduntur. De Judâ proditore.

Petes 1° quantum fuerit proditionis pretium Judæ à Judæis constitutum. — Respondeo juxta S. Scripturam, Matth. 26, constitutos fuisse triginta argenteos. Sed difficultas quid intelligatur per triginta argenteos. Per triginta argenteos vulgò intelliguntur triginta denarii: unde communiter dicitur Christum venditum fuisse triginta denariis; et sic intelligit S. Ambros. l. de Spiritu sancto, c. 18. Denarius autem apud Hebræos æquivalebat decem circiter assibus monetæ gallicæ, et sic Christus venditus fuisset quindecim circiter libris Gallicis.

Verùm interpretes communiùs et probabiliùs per *argenteum*, intelligunt siclum, si non specie monetæ, saltem valore; sicque videtur intelligendum ex collatione S. Scripturarum. Etenim 3 Reg. 10, ubi narratur emptio à Salomone facta quadrigarum et equorum, dicitur quadrigam quamlibet emptam *esse sexcentis siclis*, equum quemlibet *centum quinquaginta siclis*; lib. autem 2 Paral. c. 1, ubi eadem historia refertur, quadriga quælibet dicitur empta *sexcentis argenteis*, et equus quilibet *argenteis centum quinquaginta*: ubi argenteus et siclus pro eodem habentur; sicque passim usurpat S. Hieron. in versione S. Scripturæ. Siclus autem argenti, alio nomine stater, juxta communem æstimationem eruditorum qui hâc de re scripserunt, valebat duas drachmas Hebraicas, quatuor Atticas, seu quatuor denarios, seu quatuor solidos; uno verbo quadraginta circiter asses; unde Christus venditus fuit sexaginta circiter libris Gallicis.

Oppones 1° illud Amos cap. 2°: *Super tribus sceleribus Israel et super quatuor non convertam eum, pro eo quòd vendiderit pro argento justum, et pauperem pro calceamentis*; hoc est, tam vili pretio, ut vix sufficiat emendis calceamentis: hoc autem dictum de venditione Christi intelligitur: ergo non triginta siclis, sed triginta denariis venditus fuit. — Respondeo quòd si iste locus litteraliter intelligatur, neque etiam triginta denariis venditus fuit; superant enim pretium calceamentorum. Est itaque figurata locutio ad magis exprimendam vilitatem pretii respectivè ad dignitatem rei venditæ: sicut apud eumdem Amos cap. 8 dicitur: *Possideamus pauperes pro calceamentis*; id est, habeamus pauperes pro re vili.

Oppones 2°: Romæ in ecclesiâ S. Crucis et alibi ostenduntur nummi ex iis quibus venditus est Christus: atqui non superant valorem viginti assium: ergo. — Respondeo in primis non constare esse veros nummos quibus venditus est Christus. Et dato id constare, nihil inde evinci potest contra nos; ante omnia enim probandum foret integram summam triginta argenteorum fuisse Judæ solutam eâdem specie monetæ, et non pluribus minutioris monetæ integram summam conflatam fuisse: id autem certò quis scit?

Petes 2° quo genere mortis obierit Judas. — Respondeo: Juxta Matth. 27: *Laqueo se suspendit.* Et Act. 1: *Suspensus crepuit medius, et dispersa sunt omnia viscera ejus.*

Verùm Græci referunt ex Papiâ, Joannis Evangelistæ discipulo, Judam suspendio vitam non finivisse, sed dejectum ex arbore supervixisse, tum postea corpore adeò inflatum ut progredi non posset, et ex curru pertranseunte compressum fuisse, ita ut effunderentur ejus viscera; et sic explicant locum Act.

Verùm non constat ullatenùs hæc esse ex Papiâ. Et aliunde sensus obvius S. Scripturæ est quòd in vel ex suspendio crepuerit medius, *suspensus crepuit medius*, sive ex violentiâ strangulationis, sive ex permissione divinâ, sive ex eo quòd ceciderit super ventrem, qui ideò crepuit.

Petes 3° ex quâ patriâ ortus sit Judas. — Respondeo ortum esse ex urbe *Cariot*; et ideò dictus est *Iscariotes*, quasi vir *Cariot*, seu vir natus *Carioti*; *is* enim Hebraicè idem sonat ac *vir*. Cùm autem fuerit duplex civitas *Cariot*, una in tribu Juda, Jos. 17, altera in tribu Ephraim,

Amos 2 et Jerem. 48; incertum est ex quâ sit oriundus proditor. S. Hieron. existimat ortum esse ex *Cariot* Ephraim; quâ ratione, non explicat: ipsi tamen subscribunt plures interpretes.

DE FLAGELLATIONE.

Joannis 19 legimus: *Apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit.* Matth. 27: *Jesum flagellatum tradidit eis.* Marci 15: *Tradidit Jesum flagellis cæsum.* Monet autem Lucas cap. 23, hanc pœnam Christo à Pilato fuisse inflictam, non ut delicto debitam, sed ut hoc supplicio deliniret furorem Judæorum, et sic Christum à morte eriperet.

Petes 1° an virgis, an funiculis nodosis, an loris Christus fuerit flagellatus. — Respondeo id non adeò liquere; flagellum enim est terminus communis, significans sive virgas, sive funiculos, sive lora. Id unum notandum est, quòd jure Romano ff. de Pœnis, l. *Significans*, l. *Porcia* et l. *Sempronia*, flagellatio per virgas esset pœna liberorum, flagellatio autem per funiculos seu lora esset pœna servorum. Verisimile est autem Pilatum virum Romanum ad modum servorum supplicium Christum addixisse.

Petes 2° quantus fuerit numerus plagarum Christo inflictarum. — Respondeo id pariter incertum esse. Quidam dixerunt excessisse quinque millia; sed quâ specie veri non apparet. Nam 1° Pilatus more Romano indubiè processit in suo judicio: more autem Romano taxabatur à judice numerus plagarum, et unus tantùm lictor flagellationis ministerium obibat, juxta illud solemne apud Romanos: « Age, lictor, colliga manus, caput obnubito, virgis « cædito. » Non potuit autem unus lictor tam brevi spatio tot plagas infligere; non enim Pilatus principes sacerdotum et plebem clamoribus Christi necem deposcentes diu remoratus est. 2° Corpus humanum non potest naturaliter tot millibus plagarum supervivere; et cùm juxta hujus sententiæ patronos hæ plagæ essent omnes sanguineæ, totius corporis sanguis his non sufficisset. Quantum verò numerum plagarum determinaverit Pilatus, ignoratur. Equidem secundùm legem Judæorum, non poterat excedere quadraginta, sed Romano jure nihil erat determinatum. Cæterùm cùm milites injussi et ex propriâ malitiâ post flagellationem imposuerint Christo coronam spineam, et ipsum ludibrio habuerint, non negaverim quin, contra legis et judicis determinationem, plures ad flagellationem concurrerint, et numerum plagarum determinatum aliquousque auxerint.

Petes 3° an Christus semel tantùm fuerit flagellatus. — Respondeo quosdam comminisci Christum duas flagellationes sustinuisse, quia ex formulâ judicii Romani omnes cruciarii ante crucifixionem flagellabantur. At præcesserat in Christo flagellatio paulò ante, unde ulteriorem non jussit Pilatus; quod inde patet, quia cùm in procinctu crucifixionis fieri deberet, nihil de eâ referunt Evangelistæ, qui tamen nullam crucifixionis circumstantiam omittunt.

Petes 4° quomodò Christus fuit flagellatus. — Respondeo: Quamvis secundùm legem, Deuter. 25, v. 3, Judæi prostratos humi flagellabant, attamen Christus ligatus ad columnam fuit flagellatus: ita referunt S. Greg. Nazianz. Conc. 1 in Julian., S. Hieron. in Epist. 27, S. Paulinus Epist. 34, Beda de Locis sanctis cap. 13, Greg. Turon. de Glorià Martyrum, cap. 2. Eaque columna visitur Romæ in templo S. Praxedis martyris.

DE CORONA SPINEA.

Unicum est dubium, ex quâ materiâ fuerit contexta. Communior sententia est contextam fuisse, nonex juncis marinis, sed ex spinis rubi vel sentis. 1° Quia « spina propriè loquendo, inquit Calepinus, est aculeus sentis vel rubi, « quo pungimus. » 2° Quia juncus marinus nullam sive in fuste sive in ramis spinam habet, sed solùm ejus acumina in formam spinarum desinunt. 3° Quia non est verisimile milites agentes Jerosolymis, quæ longè distat à littore maris, habuisse ad manum juncos marinos, benè autem spinas ex rubis vel sentibus circa urbem crescentibus.

Verùm his rationibus benè suadentibus opponitur corona spinea Salvatoris, quam S. Ludovicus magno pretio ex barbarorum manibus redemit, et quæ nunc magnâ veneratione Parisiis colitur; hanc enim asserunt ex juncis marinis esse compactam, nec solum frontem cingere ad instar diadematis, sed totum caput ad instar pilei tegere. Hæc, inquit Serrius, omnes Parisini testabuntur. Quæ si vera sint, corruunt rationes congruentes, et quæ alibi ostenduntur spinææ coronæ Dominicæ, habendæ erunt ut suppositiliæ, quod omnibus suadere haud facile puto.

DE SENTENTIA MORTIS IN CHRISTUM LATA.

Quidam opinati sunt Pilatum non tulisse

sententiam mortis in Christum, sed tantùm cum dimisisse arbitrio Judæorum. At obstat quòd, Pilato dicente Judæis : *Accipite eum vos, et secundùm legem vestram judicate eum,* illi recusârunt, dicentes : *Nobis non licet occidere quemquam;* sive hoc dicerent ratione solemnitatis paschalis, sive quia agnoscebant ademptam sibi à Romanis hanc potestatem, quam tamen postea usurpârunt in occisione S. Stephani. Nisi dicas cum quibusdam, id ipsis permitti à Romanis circa crimina suâ tantùm lege prohibita. Unde Pilatus sedens pro tribunali, *adjudicavit fieri petitionem illorum;* hoc est, Jesum crucifigendum pronuntiavit, prout illi petebant.

Si quæras cur Judæi Jesum de blasphemiâ accusatum crucifigendum postulaverint, cùm secundùm eorum legem, Levit. 24, blasphemi non crucifigendi, sed lapidandi erant, — respondeo crucifigendum postulâsse, quia cùm essent Romanis subjecti, et à judice Romano sententiam requirerent, formulas judicii Romani sequi debebant : apud Romanos autem frequens erat crucis supplicium, nusquàm lapidatio. Aliunde non de solâ blasphemiâ accusabatur, sed etiam de crimine læsæ majestatis, quòd se faceret regem, et prohiberet dare tributum Cæsari.

DE CRUCIS BAJULATIONE ET VERONICA.

Prolatâ à Pilato in Jesum mortis sententiâ, exuitur chlamyde derisoriâ, et propriis induitur vestibus. Crux cui affigendus erat, super humeros ejus imponitur : id enim erat ex formulâ judicii Romani, ut crucifigendus crucem suam portaret saltem usque ad egressum urbis : quò cùm pervenit Christus, milites *Simonem quemdam hominem Cyrenæum angariaverunt ut tolleret crucem ejus,* Matth. 27. Quia verò Lucas 23, dicit milites imposuisse Simoni crucem portare post Jesum, multi opinantur ambos simul portâsse, Christo præeunte et partem superiorem portante, Simone sequente et partem inferiorem bajulante, sicque solent repræsentare pictores. Verùm reclamant SS. Patres, qui communiter docent Christum onere liberum prævisse, et Simonem solum eo onustum secutum fuisse.

Christum ad locum supplicii pergentem comitatæ sunt piæ mulieres plangentes et lamentantes. Fertur autem unam ex eis nomine *Veronicam* sudarium Christo obtulisse, ut faciem sudore et sanguine madentem absergeret, atque illud à Christo statim recepisse ejus facie impressâ insignitum. Duplex hìc occurrit quæstio : prima de ipso facto, an sit verum; secunda, de ipsâ personâ, an vocetur *Veronica.*

Circa primum, tam in Evangelio quàm in SS. Patribus et scriptoribus ecclesiasticis usque ad seculum undecimum, altum est de eo silentium. Quòd enim Marianus Scotus, auctor undecimi seculi, laudet in hanc rem Methodium, ignoratur quis sit iste Methodius et quando vixerit; non enim est magnus ille Methodius Tyriorum episcopus, cùm nihil simile legatur in ejus scriptis, et fabulæ quas ex suo Methodio narrat Marianus tanto viro tribui nequeunt. Ab undecimo seculo plures scriptores ecclesiastici, Marianus Scotus, Lucius dexter, Petrus diaconus, Baronius et alii, imò summi pontifices Nicolaus IV, Clemens VI, VII, VIII et Greg. XIII, suis diplomatibus testantur hanc sacram imaginem servari et coli Romæ in basilicâ Vaticanâ. Quapropter factum neque negare neque asserere ausim.

Quantùm ad personam quæ dicitur *S. Veronica,* neque antiqui neque recentiores quos modò citavimus, illam agnoscunt. Equidem hi ipsam imaginem sudario impressam vocant *Veronicam,* sed non mulierem imaginem gestantem. Inde igitur videtur natus error, quòd *Veronica* Græcè idem est ac *vera icon,* seu *vera imago;* et cùm vulgus audiret nomen *Veronicæ,* existimavit esse nomen non imaginis sudario impressæ, sed mulieris illam gestantis, atque hinc dixerunt *sanctam Veronicam.*

DE CRUCIS MAGNITUDINE ET FORMA.

Crucis longitudinem ad quindecim pedes, latitudinem ad octo ascendisse multorum est opinio, sed infundata. Obstat enim 1° quòd Christus multo sanguine in flagellatione et coronatione eâdam nocte fuso debilitatus, non potuisset solus illam ferre usque ad exitum urbis; 2° quia titulus crucis tribus linguis scriptus in tabellâ non admodum amplâ qualis nunc videtur Romæ, et characteribus haud magnis, vix aut ne vix in tantâ altitudine legi potuisset à prætereuntibus. Dicendum ergo videtur crucem fuisse humilem, octo, aut ad summum decem pedum, prout moris erat pro hominibus vulgaribus, qualem Judæi et Romani reputabant nostrum Christum, utpote fabrum et fabri filium; viris enim eminentioris statûs cruces eminentiores parabantur.

Major est difficultas de formâ crucis. Baronius ad annum 34, scribit ex S. Irenæo lib. 2,

c. 42, Tertull. Apolog. c. 6, S. Ambros. Serm. 55, S. Aug. Tract. 118 in Joan., et ex sensu universæ Ecclesiæ, ut constat ex antiquis imaginibus, crucis Christi hanc fuisse formam, ut summa pars pali super transversum lignum emineret; putatque de his ambigere, insaniæ potiùs quàm inscitiæ adscribendum esse.

Verumtamen crucem Christi habuisse tantùm tres extremitates et referre figuram litteræ T, cui postmodùm adjectus titulus in tabellâ, quartam extremitatem ostenderit, contendit Serrius exercitat. 53, etiam ex Tertull. lib. 3 cont. Marcion. dicente : « *Ipsa littera* « *Græcorum* T, *nostra autem T, species crucis* « *est.* » Ex S. Hieron. in c. 9 Ezech., ubi dicit : « Antiquis Hebræorum litteris, quibusque « hodiè Samaritæ utuntur, extrema T crucis « habet similitudinem. » Idem S. Paulinus Epist. 2 ad Severum, Sozomenus lib. 7, c. 15, Rufin. l. 2, c. 29; sed et maximè Innoc. III, sermone habito in conc. Lateran., ubi dicit : « T est ultima littera Hebraici alphabeti, ex- « primens formam crucis, qualis erat antequàm « Domino crucifixo Pilatus titulum suppone- « ret. »

Rationem addit laudatus Serrius, scilicet, si in eminenti desuper pali parte titulus fuisset affixus, dùm Helena Constantini mater tres cruces, scilicet Christi et latronum, disjectumque seorsim titulum invenit, eruitque, nullo hominis redivivi portento fuisset opus ad discernendum è quâ Dominus pependisset, cùm vel ipsa effixi olim tituli clavorum vestigia atque foramina in summâ ligni parte exstantia prodidissent. Verùm hæc ratio non cogit; potuit enim tabella tituli summitati crucis, non clavis, sed uncis adjici; vel equidem clavis affigi, sed in summitate alterius stipitis seu columnæ supereminentis à retro supremam extremitatem crucis, ut agnoscit ipse Serrius factum in figurâ crucis quam propugnat.

Quantùm ad Patres laudatos pro primâ sententiâ, dicit idem scriptor intelligendos esse de titulo recto, crucis palo superaddito, in modum columnæ separatæ, quo fit quadrata forma, fiunt quatuor extrema et quatuor dimensiones crucis, ut loquuntur laudati Patres. Verùm juxta hanc explicationem, quidem crux apparebit quadrata, quatuor extremorum et quatuor dimensionum; at reverà non erit in se talis, sicut tamen esse dicunt SS. Patres. Irenæus cit. : « Ipse habitus crucis, inquit, fines « et summitates, id est, extremitates, habet « quinque, duos in longitudinem, duos in la- « titudinem, et unum in medio, ubi requiescit « qui clavis configitur. » S. Aug. cit. : « Lata « est quippe in transverso ligno..... longa est « à transverso ligno usque ad terram..... alta « est in cacumine quod transversum lignum « sursùm versùs excedit. » Habet itaque utraque sententia suos patronos ex SS. Patribus : primæ autem favet sensus communis fidelium, fatente ipso Serrio.

Insuper habemus ex verbis Irenæi cit., in medio crucis lignum breve seu sedile fuisse fixum, cui insiderit crucifixus. Idem testatur S. Justinus in Dial. cum Tryph. : « In medio « crucis, inquit, defixum est lignum, quod « etiam ut cornu eminet, in quo vehuntur et « insident qui crucis supplicium subeunt. » Idem Tertull. l. 2 contra Marcion. Majori certitudine constat suppedaneum scabellum in infimâ parte crucis fuisse aptatum, cui crucifixi pedes suppositi affigerentur. Ita S. Greg. Turon. l. de Glorià Martyr. c. 6 : « In stipite recto, « inquit, foramen factum manifestum est, pes « quoque parvulæ tabulæ in hoc foramen in- « sertus : super hanc verò tabulam tanquàm « stantis hominis sacræ affixæ sunt plantæ. » Et Innoc. III, Serm. de Martyre uno : « Fuerunt « autem, inquit, in cruce Dominicâ ligna qua- « tuor, stipes erectus et lignum transversum, « truncus suppositus et titulus superpositus. » Atque ita exhibent antiquæ crucifixi imagines.

DE CRUCIFIXIONE.

Solet depingi Christus cruci humi prostratæ et jacenti affixus, tum magno conatu cum cruce elevatus. Attamen probabile est cruci jam erectæ et terræ cuneis infixæ fuisse affixum; sic enim ferebat usus gentilium, apud quos erant familiares hæ loquendi formulæ : *Tollere in crucem, agere in crucem, ascendere in crucem;* unde rex Darius, Esd. l. 1, c. 6, statuit ut *omnis qui hanc mutaverit jussionem, tollatur lignum de domo ipsius, et erigatur, et configatur in eo.* Et S. Athan. Serm. de Pass. dicit de Christo : *Venit ad locum ubi erat illi ascendenda crux.*

Certum autem videtur non tribus tantùm, sed quatuor clavis Christum fuisse cruci affixum. 1° Quia sic ferebat usus Romanorum, ut discimus ex Plauto in Mustellaneo, dicente : *Affigantur his pedes, his brachia.* 2° Id testantur SS. Patres, Greg. Turon., l. de Glorià Martyr. c. 6 : « Clavi Dominici, inquit, quòd « quatuor fuerint, hæc est ratio : duo sunt

« affixi in palmis, et duo in plantis. » S. August. l. Meditat. c. 6 : « Immaculata Christi « vestigia divis confixa clavis, » 3° S. Brigitta, l. 7, c. 7, refert id sibi revelatum ; et Wadingus in Annalibus Minorum ad annum 1224, testatur S. Francisci stigmata quatuor clavos repræsentare. 4° Huic sententiæ suffragantur Theodoretus, Ruffinus et Cassiodorus, qui inventionem S. crucis ab Helenâ Constantini matre referentes, dicunt clavos alios freno equino, alios galeæ Constantini fuisse insertos : supponunt ergo fuisse quatuor. Denique hanc sententiam tenent Scaliger, Causobonus et plures alii.

Christum omninò nudum è cruce pependisse, ac ne velatis quidem partibus quas naturalis pudor in nobis obtegi jubet, non pauci sentiunt, ob testimonia SS. Patrum qui passim scribunt Christum fuisse in cruce nudum sicut nascimur, sicut cœlum petemus, sicut protoparentes fuerunt in Paradiso : inter quos S. Ambros. l. 10 in Lucam, dicit Christum nudum ascendisse in crucem talem « *quales* « *nos auctore Deo natura formavit, et qualis* « *Adam in Paradiso habitavit.* »

His non obstantibus, in hanc sententiam ægrè descendo : si enim, juxta illius patronos, pictores sint laudandi qui Christum renes velo cinctum nobis exhibent, quia, inquiunt, in hoc pudori consulunt ; quomodò Christus, ipse puritatis auctor et amator, pudori non consuluisset, sed suum corpus omninò nudum oculis tot spectantium etiam mulierum exhibuisset, præsertim cùm corpus naturale nudum longè magis offendat pudorem quàm ejus imago? Malim ergo interpretari SS. Patres de nuditate paulò latiùs acceptâ, quâ quisque dicitur nudus qui omnibus vestimentis exuitur, licet genitalibus coopertis aliquo tenui velamine, quod inter vestimenta non computatur. Atque ita sibi revelatum fuisse scribit S. Brigitta, l. 1, c. 10, et l. 7, c. 70.

DE LATRONIBUS CUM CHRISTO CRUCIFIXIS.

Sicut Christus pro nobis maledictum crucis factus est, sic pro omnium salute inter noxios quasi noxius crucifigitur, juxta illud Isai. 53 : *Et cum sceleratis reputatus est.* Voluit insuper ut in ipsâ specie patibuli monstraretur illa discretio omnium hominum quæ fiet in judicio generali : unde communiter censent Patres bonum latronem fuisse à dextris et malum à sinistris Christi ; et S. August. Tract. 31 in Joan. : « Ipsa crux, inquit, si attendas, tribunal fuit ; « in medio enim judice constituto, unus qui « credidit liberatus, alius qui insultavit damnatus est : jam significabat quid facturus « est de vivis et mortuis, alios posituras ad « dextram, alios verò ad sinistram. » (Q. 46, a. 11, o.)

Corrigendus est hic error popularis, quo multi credunt hos latrones non clavis fuisse cruci affixos, sed funibus alligatos, et ita plerùmque depinguntur ; repugnat enim 1° vox *crucifixionis*. 2° Si solus Christus fuisset clavis affixus, Helena Constantini mater facilè ejus crucem ex foraminibus clavorum à crucibus latronum distinxisset, neque opus fuisset miraculo hominis redivivi ex ejus contactu ad eam dignoscendam.

Difficultas est an unus tantùm latro, an uterque Christum blasphemaverit. Matthæus c. 27 dicit : *Latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Idem Marcus, c. 15. Lucas verò c. 23, dicit unum tantùm blasphemâsse, altero increpante et suscipiente partes Christi.

Hinc multi Patres dixerunt utrumque ab initio blasphemâsse, unum postea ex divinâ inspiratione resipuisse. At id videtur minùs probabile. 1° Quia si ipse paulò antea blasphemâsset, quomodò potuisset exprobrare alteri, ut habetur apud Lucam : *Neque tu times Deum, quòd in eâdem damnatione es? Et nos quidem digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit.* 2° Quia debuisset blasphemiæ veniam petere à Christo, priusquàm peteret admitti in regnum ejus, quod tamen non legitur fecisse.

Probabiliùs itaque cum aliis Patribus, quorum dux est S. Aug. l. 3 de Consensu Evang. c. 16, dicimus Matthæum et Marcum dixisse *latrones* indefinitè per syllepsim, ponendo numerum pluralem pro singulari, ut adnotarent, non numerum, sed conditionem blasphemantis. Et hæc loquendi formula non est infrequens in sacris Scripturis. Sic Matth. 2 : *Mortui sunt enim qui quærebant animam Pueri*, cùm tamen de uno Herode loqueretur. Sic Exodi 32 : *Hi sunt dii tui, Israel*, cùm tamen de solo vitulo aureo sit sermo.

Latronem pœnitentem nonnisi in cruce fuisse conversum, sive ex visis prodigiosis tenebris, sive potiùs ex inspiratione gratiæ, communis est SS. Patrum sententia. S. Aug. lib. 4 cont. Donat., c. 22, et alibi, refert narrationem suo tempore vulgatam, scilicet, latronem pœnitentem aquâ fluente è latere Christi tanquàm salutari baptismo fuisse perusum : cui tamen narrationi fidem integram

non adhibet S. Doctor, et benè; verisimiliter enim latro confractis cruribus erat mortuus antequàm Christi latus aperiretur, ex Joan. c. 19. Insuper non indigebat baptismo ad salutem, cùm tunc nondùm esset in præcepto; et aliunde Christus virtutem suam sacramentis non alligavit. Dixit illi Christus : *Hodie mecum eris in paradiso,* Luc. 23 : non terrestri, tali enim paradiso non indiget anima separata; non cœlesti, seu cœlo empyreo, nondùm enim erat apertum, sed generaliter in loco seu statu felicitatis ex clarâ Dei visione, quæ intuitu mortis Christi statim atque exspiravit concessa est patribus in limbo et latroni pœnitenti.

DE LOCO ET TEMPORE CRUCIFIXIONIS.

Constat ex Evangelio Christum crucifixum fuisse Jerusalem, non quidem in ipsâ civitate, sed extra portam in suburbio, hoc est, in monte Calvariæ, Hebraice Golgotha. Et utrumque fuit conveniens.

Primùm, quia 1° Jerusalem erat locus à Deo electus ad sacrificia sibi offerenda, et hæc sacrificia figurabant passionem Christi quæ est verum sacrificium. 2° Quia cùm virtus passionis ejus ad totum mundum diffundenda erat, pati voluit in medio terræ habitabilis tunc agnitæ, id est, in Jerusalem, quæ dicitur umbilicus terræ. 3° Quia maximè convenichat ejus humilitati, ut sicut turpissimum genus mortis elegit, ita in loco celeberrimo confusionem pati non recusaret. 4° Ut ostenderet à principibus populi Judaici exortam esse iniquitatem occidentium ipsum. (Ibid. a. 10, o.)

Conveniens etiam fuit ut extra portam pa teretur. 1° Ut veritas responderet figuræ : nam vitulus et hircus qui solemnissimo sacrificio ad expiationem totius multitudinis offerebantur, extra castra comburebantur, Levit. 16. Unde Apost. Heb. 13 dicit : *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra; propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* 2° Ut per hoc daret nobis exemplum exeundi à mundanâ conversatione, unde ibidem subditur : *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* 3° Ut dicit S. Chrisost. de passione, noluit Dominus pati sub tecto nec in templo Judaico, ne putaretur pro illâ tantùm plebe oblatum sacrificium salutis; et ideò foras civitatem, foràs muros, ut scias sacrificium esse commune.

Occurrit hìc quæstio, unde huic monti, in quo Christus passus est, *Calvariæ* nomen? S. Th. hìc ad 2, docet ex S. Hieron. in c. 27 Matth., sic dictum, non à capite seu Calvariâ Adæ qui esset ibi sepultus, sed à capitibus ibi decollatorum; erat enim locus supplicii communis apud Jerosolymitanos. Huic sententiæ subscribunt Isidor. l. 15 Originum cap. 1, Ven. Beda in cap. 27 Matth. Attamen contrariam opinionem tenent S. Cyprian. Tract. de Resurr. Christi, Orig. Tract. 15 in Matth., Epiphan. Hæresi 46, S. Aug. Serm. 71 de Temp., S. Chrysost. Hom. 84 in Joan., S. Athan. l. de Passione, S. Ambros. l. 5 Epist. 19, Tertull. l. 2 Concionum cont. Marcion., etc., voluntque Adam in hoc monte fuisse sepultum et ab ejus capite seu cranio fuisse dictum *Calvariæ.* Quod autem prima sententia opponit, Adam fuisse sepultum in *Hebron,* antea dictum *Cariath-Arbe,* juxta illud Josue 14: *Nomen Hebron antea vocabatur Cariath-Arbe, Adam maximus ibi inter Enacim situs est;* respondetur nomen *Adam* non semper significare primum parentem, sed esse quandoque nomen commune significans quemcumque hominem, vel potiùs hìc esse nomen proprium alicujus gigantis ex stirpe Enac patris gigantum, ut sonant ipsa verba : *Maximus inter Enacim.* Idque suadet ipsum nomen civitatis *Cariath-Arbe,* id est, civitas Arbe. Fuit enim Arbe, Josue 15, pater Enac patris gigantum, et habitavit in Hebron. Unde Joseph l. 5 Antiquit. c. 2, testatur temporibus suis monstrari in Hebron ossa gigantum, qui fuerant ibi sepulti, adeò magna, qualia vix credant qui non viderunt. Cæterùm ad aliquam conciliationem utriusque sententiæ, nihil vetat dicere hunc montem fuisse dictum *Calvariæ,* tum à capite Adæ ibi sepulti, tum à capitibus ibi decollatorum.

Quantùm ad tempus crucifixionis, constat ex his quæ dixi de tempore institutionis Eucharistiæ in tract. de Euchar. diss. 2, a. 3, Christum fuisse crucifixum lunâ decimâ quintâ, hoc est, feriâ sextâ, et non lunâ decimâ quartâ seu feriâ quintâ, ut volunt Græci. Quâ autem horâ? Marcus, 15, dicit horâ tertiâ, Joannes, 19, dicit horâ quasi sextâ. Et utrumque verum est; dividebant enim Judæi diem in quatuor horas : prima incipiebat ab ortu solis usque ad nonam; secunda, quæ dicebatur tertia, à nonâ ad duodecimam; tertia, quæ dicebatur sexta, à duodecimâ ad tertiam; quarta, quæ dicebatur nona, à tertiâ usque ad occasum solis seu

sextam. Christus itaque crucifixus fuit sub finem horæ tertiæ, id est, paulò ante meridiem, deòque horâ tertiâ et quasi sextâ.

DE APERTIONE LATERIS.

Joannes 19, narrat quòd cùm milites latronum crura fregissent, *ad Jesum cùm venissent, ut viderunt jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lanceâ ejus latus aperuit, et continuò exivit sanguis et aqua.* Hunc militem fuisse Longinum nomine, qui postea martyr occubuit, tenet communis opinio; sicque insertum legitur in pluribus martyrologiis Latinis et in Menelogio Græcorum. « *Cæsareæ in Cappadociâ*, inquit Martyrologium Romanum, *passio* « *Longini militis, qui latus Domini lanceâ perfo-* « *râsse dicitur.* » Hanc communem opinionem impugnat Baronius ad annum Christi 34, n. 131, tanquàm ex apocryphis scriptis haustam; vultque Longini nomen tribuendum esse non militi latus Christi aperienti, sed centurioni Christum è cruce pendentem Filium Dei visis prodigiis confitenti. Baronio subscribit Tillemontius, et ex parte Serrius; vultque iste hunc errorem natum ex sinistrâ intelligentiâ textûs Græci, eò quòd lanceæ nomen, Græcè λόγχη aliquantò corruptum, *Longi* seu *Longini* militis nomen imperitè creditum sit; quasi Evangelistâ dixisset: *Unus militum Longinus Christi latus aperuit.* Verùm non video his satis efficaciter elevari auctoritatem martyrologiorum, Romani scilicet, Usuardi et Adonis, Menelogii Græcorum, Surii, S. Bonaventuræ et aliorum, communisque sensûs fidelium, apud quos miles qui Christi latus lanceâ aperuit dicitur Longinus, qui postea martyrium pro Christo subiit.

Censuræ Baronii subscribimus quoad aliud, quod quidam ex apocryphis reverà scriptis narrant et ibidem refert Annalium Parens, scilicet, hunc militem esse cæcum et ex aquâ et sanguine è latere Christi in ejus oculos saliente visum miraculosè recepisse. Id planè fabulosum agnoscimus; quis enim credat militem cæcum à Romanis adhibitum fuisse custodem reorum, et ipsum certo ictu perforâsse latus Christi, ut probaret an esset mortuus?

Item hunc militem pictores effingunt plerùmque equo insidentem, fortè quòd putent peditem non potuisse attingere latus Christi ex altâ cruce pendentis. Sed perperàm; ostendimus enim supra crucem Christi non altam, sed humilem et mediocrem fuisse, qualem scilicet viribus et sanguine exhaustus ferre potuit, cujus ideò latus pedes oblongâ lanceâ attingere potuit. Adde, apud Romanos pedites et non equites lanceis seu hastis usos fuisse, ut constat ex Tito Livio lib. 4.

Restat inquirere utrùm fluxus aquæ ex latere Christi fuerit miraculosus. Negant medici, contendentes in pericardio imo et in pleurâ contineri aqueum humorem, qui ex alterutro læso per lanceam naturaliter effluxit. Attamen miraculum agnoscunt SS. Patres, Ambros., Aug., Cyrillus Alex., et alii; fortè quia non aqueus humor, sed vera aqua effluxit, et non simul sanguini mixta, sed successivè post sanguinem fluxit.

DE MARIA MATRE JESU JUXTA CRUCEM STANTE.

Stabat juxta crucem Jesu Mater ejus, inquit Joannes 19. Stabat, inquam, non ejulans, non indecorè se gerens, non exanimis humi jacens, aut inter adstantium brachia collapsa; sed licet lacrymosa et dolorosa, erecto tamen animo et voluntati divinæ perfectè conformi, probè sciens hoc sacrificio opus salutis humanæ consummandum esse. Unde S. Ambros. lib. de Instit. virg., cap. 7, ait: « Stabat juxta « crucem Mater, et fugientibus viris stabat « intrepida. » Ita communiter interpretes antiqui et recentiores; quamvis S. Bonaventura et S. Laurentius Justin. contrarium scripserint, sed probabiliter delusi apocrypho libello de lamentatione B. Virginis S. Bernardo supposito.

DE TORTORIBUS CHRISTI.

Serrius acriter contendit ministros passionis Christi tam in flagellatione quàm in crucifixione fuisse Brutios, nunc Calabros; quia, inquit, cùm primi à Romanis ad Annibalem defecissent, hâc pœnâ mulctati sunt ut reorum essent tortores: ex quo infert huic ferali ministerio erga Christum à Romano judice damnatum inserviisse. Verùm esto hanc pœnam olim in Brutios fuisse latam; utrùm tamen duraret adhuc tempore passionis Christi, non constat. Imò constat tempore Tertulliani non ampliùs fuisse in usu; tradit enim lib. de Coronâ militis, cujuscumque nationis milites huic ministerio inservire, dùm suadens homini christiano ne militet, dicit: « Et vin- « cula, et carcerem, et tormenta, et supplicia « administrabit; nec suarum ultor injuria- « rum. »

DE PRODIGIIS CHRISTO IN CRUCE PENDENTE FACTIS, ET PRIMO DE TENEBRIS.

Primum inter prodigia quæ Christo è cruce pendente contigerunt, fuerunt tenebræ, quæ ab horâ sextâ ad nonam, hoc est, à meridie ad tertiam pomeridianam factæ sunt super universam terram, Matth. 27, Marci 15, Lucæ 23. Circa quod duplex occurrit difficultas : prima, quomodò istæ tenebræ fuerunt inductæ, an per veram eclypsim quæ fit per interpositionem lunæ ad solem, an per miraculosam radiorum solis subtractionem seu extinctionem lucis, seu per oppositionem alicujus alterius corporis opaci; secunda, an istæ tenebræ fuerunt diffusæ per totum quà latè patet orbem.

Quantùm ad primam difficultatem, S. Dionysius Areopagita Epist. ad Polycarpum, tradit fuisse veram et propriè dictam, sed præternaturalem eclypsim; sic enim, loquens de Apollophane philosopho, dicit : « Eramus « unà ambo et stabamus ad Heliopolim (civitas « est Ægypti), ac cernebamus, nec inopinatò, « cùm luna se soli objiciebat; nec enim con- « junctionis tempus erat; rursùsque cum eâ- « dem ab horâ sextâ ad vesperam se mediæ « solis lineæ præter naturæ ordinem oppone- « bat. » Idem habet Epist. ad eumdem Apollophanem. Ejusdem opinionis est S. Aug. epist. 80 ad Hesychium. Scio plures hodiè non moveri auctoritate S. Dionysii, quippe qui contendunt opera quæ sub ejus nomine circumferuntur esse illi supposita et ab aliquo auctore quinti seculi fuisse consarcinata, quod non est hujus loci discutere. Unum duntaxat observabo, auctorem hunc quinti seculi debuisse impudentem, mendacem et effrontem impostorem esse, cùm multa de se narret quæ nonnisi vero Dionysio Areopagitæ conveniunt, ut quòd fuerit discipulus S. Pauli, quòd solis eclypsim Christo patiente viderit, quòd cum Apostolis adfuerit funeribus B. Virginis, quòd scripserit ad S. Joannem Evangelistam, ad Titum, ad Timotheum et ad Polycarpum, etc. Habere autem auctorem istorum operum ut impudentem, mendacem et effrontem impostorem, obstant ipsa opera, quæ nonnisi sanam doctrinam, pietatem et sanctimoniam spirant. Plura alia videri possunt apud Baronium, Spondanum, Natalem Alexandr., et alios contra ævi nostri criticos. SS. Cyprianus, Hieron. et Theophilactus censent has tenebras contigisse, non per veram et propriè dictam eclypsim, sed vel miraculosâ extinctione lucis, vel oppositione alicujus alterius corporis opaci. Et videtur hæc sententia communior apud interpretes.

Quantùm ad secundam difficultatem, stando sententiæ S. Dionysii et S. Aug. de verâ et propriè dictâ eclypsi per interpositionem lunæ, dicendum videtur has tenebras per universum orbem non fuisse diffusas, sed per Palæstinam tantùm et regiones vicinas, qualis erat Ægyptus. Cùm enim luna sit longè sole et terrâ minor, impossibile est ut lunæ interpositione sol obscuretur respectu totius orbis. Unde, juxta hanc sententiam, quod Evangelium dicit tenebras factas esse *in universam terram*, intelligendum est accommodatè de universâ terrâ Judææ et regionum vicinarum, sicut cùm Lucæ 2 dicitur : *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*, non intelligitur totus quà latè patet orbis, sed iste tantùm cui imperabat Augustus. Vel dicendum id fuisse dictum per hyperbolem.

Stando verò aliorum sententiæ, nihil obstat quominùs dicamus tenebras per totum quà latè patet orbem fuisse diffusas.

At si ita sit, inquies, quomodò fieri potuit nullum scriptorem ex gentilibus harum tenebrarum mentionem fecisse? — Respondeo Phlegontem, Adriani imperatoris libertum, in Historiâ quam scripsit per Olympiades, harum tenebrarum meminisse. Hujus verba refert Eusebius in Chronico; et ex Eusebio S. Hieron. etiam in Chronico. Hæc sunt : « Quarto autem anno ducentesimæ se- « cundæ Olympiadis, magna et excellens inter « omnes quæ ante eam acciderunt, defectio so- « lis facta est. Dies horâ sextâ ita in tenebrosam « noctem versus est, ut stellæ in cœlo visæ « sint, terræque motus in Bithyniâ Nicææ ur- « bis multas ædes subverterit. » Idem refertur in Chronico Alexandriæ. Idem Eusebius in Chronico ibid. refert adhuc alia monumenta ethnicorum, quæ narrant tenebras et motus terræ tempore passionis Christi; dicit enim : « Quo tempore passionis Christi et in aliis « ethnicorum commentariis hæc ad verbum « scripta reperimus : solis facta defectio et « tenebræ super universam terram. Bithynia « terræ motu concussa, et in urbe Nicænâ « ædes plurimæ corruerunt. Quæ omnia iis « congruunt quæ in passione Salvatoris acci- « derunt. » Tertullianus in Apologetico, eumdem Phlegontem vel alium gentilem indicans,

dicit : « Eodem quidem momento dies, me-« dium orbem sole signante, subducta est; « deliquium utique putaverunt, qui id quoque « super Christum prædicatum nescierunt. Et « tamen eum mundi casum relatum in archivis « vestris habetis. » Similiter S. Lucianus in Actis sui martyrii apud Rufinum, gentiles alloquens : « Perquirite, inquit, in annalibus « vestris, et invenietis temporibus Pilati, « fugato sole, interruptum tenebris diem. »

Malè me habet quòd Serrius Phlegontis testimonium futilibus, ut mihi videtur, rationibus religioni eripere conetur. Vult ergo incertum esse Phlegontem scripsisse de obscuratione solis quæ contigit moriente Christo : 1° quia Origenes dicit quòd hoc testimonium « neminem sapientem movere posset » ; 2° quia Phlegon non dicit suum solare deliquium lunâ plenâ contigisse; 3° quia silet de eo ad tres horas perdurâsse; 4° quia narrat terræ motus Nicææ in Bithyniâ factos; silet de terræ motibus factis in Palæstinâ; 5° dicit has tenebras contigisse anno quarto olympiadis ducentesimæ secundæ, quæ est morientis Christi incerta epocha. — Resp. ad primum, Origenem contra Celsum Phlegontis testimonium urgere. Aliunde quidquid sit, uni Origeni prævalent Eusebius, S. Hieron., Tertull., Lucianus, Chronicon Alexandriæ, etc. Ad secundum : Utquid Phlegon meminisset pleni-lunii, cùm non asserat has tenebras contigisse per veram et propriè dictam eclypsim ex interpositione lunæ ad solem, ut imaginatur Serrius? dicit simpliciter Phlegon : « Defectio solis « facta est; » sive autem sol obscuretur per interpositionem lunæ, sive alterius corporis, sive subtractione radiorum aut exstinctione lucis, semper est defectio solis. Sed esto Phlegontem intellexisse veram et propriè dictam eclypsim ex interpositione lunæ, non notavit pleni-lunium, sive quia in monumentis ex quibus id exscripsit non invenit notatum defectu scientiæ astrorum in scriptoribus, sive quia ipse Phlegon in hâc scientiâ parùm versatus non attendit an hæc eclypsis esset naturalis vel supernaturalis. Quidquid sit, hâc difficultate non sunt moti Eusebius, S. Hieron. et alii quos citavimus. Ad tertium : Nego consequens : quasi verò ex omissione unius circumstantiæ neganda sit substantia facti. Ad quartum : Phlegon potuit scire motus terræ factos in Bithyniâ et ignorare factos in Palæstinâ. Ad quintum : Epocha mortis Christi, secundùm communem opinionem, est tempus notatum à Phlegonte, scilicet annus quartus olympiadis ducentesimæ secundæ, qui incidit cum anno decimo octavo imperii Tiberii et trigesimo tertio anno æræ communis, quo mortuus est Christi.

DE SCISSIONE VELI.

Matth. 27, legitur : *Jesus autem clamans voce magnâ, emisit spiritum; et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsùm.* Similiter Marcus 15.

Juxta Josephum de Bello Judaico erat duplex velum : unum exterius, quod separabat atrium in quo consistebat populus, à Sancto, seu loco in quo sacerdotes sacra munia obibant; alterum interius, quod separabat Sanctum à Sancto sanctorum in quod introibat summus pontifex semel in anno. Agnoscunt pariter hoc duplex velum Origenes Tract. 74 in Matth., et Hieron. Ep. ad Hebidiam 150, q. 8; idque significat Paulus Heb. 9, v. 3, dicens : *Post velamentum autem secundum,* etc. Iidem ibidem docent velum exterius, non interius fuisse scissum. Verba sunt Hieron. cit. : « Quærendum quod velum templi scissum sit, « exterius, an interius. Mihi videtur in pas-« sione Domini illud velum esse conscissum, « quod in tabernaculo et in templo foris posi-« tum fuerat et appellatur exterius. Quia nunc « ex parte videmus et ex parte cognoscimus : « cùm autem venerit quod perfectum est, tunc « et velum interius disrumpendum est, ut « omnia quæ nunc nobis abscondita sunt, do-« mûs Dei sacramenta videamus. » Equidem quidam alii Patres, Cyrillus, Lactantius, Leo magnus, Beda, etc., censent velum interius quod separabat sanctum à sancto sanctorum, fuisse scissum : sed fortè quia non distinguebant duplex velum.

Quid autem mysterii habeat veli scissio? Præter jam dicta ex S. Hieron. de veli exterioris scissione, circa scissionem veli indistinctè varii varia protulerunt. Quidam dixerunt eâ significari velamen legalium sacrificiorum et cæremoniarum morte Christi esse dissolutum et revolutum, ita ut etiam ethnici luce Evangelii jam clarè videant quæ tot Judæorum figuris adumbrabantur; alii, abrogationem ac veluti dissolutionem Synagogæ; alii, Judaici populi dissipationem atque divisionem; alii, passionem Christi esse finitam et animamà corpore esse separatam; alii, luctum templi vestem suam more Judaico conscindentis; alii demùm,

jam apertam esse viam cœli, ut exponit Apost. Heb. 9, v. 8.

DE MOTU TERRÆ.

Subjungit immediatè Matth. : *Et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.* Hunc terræ motum non fuisse universalem probabilius est, cùm de illo ut tali sileant omnes scriptores tam sacri quàm profani ; sed fuit duntaxat in Judæâ et in aliquibus provinciis vicinis, ut in Bithyniâ, teste Phlegonte, de quo supra. Idem censendum est de scissione petrarum et apertione monumentorum, quæ isto terræ motu factæ sunt. De iis qui tunc surrexerunt dicam infra, dùm de resurrectione Christi.

DE MAGNO PANE.

Eusebius lib. 5 Præparationis cap. 9, narrat ex Plutarcho lib. 1 de Defect. Orac., quosdam navigantes circa insulas Enchinadas audivisse vocem ex insulâ Praxis clamantem, *magnum Pana esse mortuum*, eâdemque voce jussum Thamo navis gubernatori ut id denuntiaret ac proclamaret, dùm esset juxta Palodem in Cypro ; quod cùm ipse fecisset, magnâ voce clamans : *Magnus Pan mortuus est*, subitò innumerabilium gemitus et clamores auditi sunt. Hæc cùm Tiberio Cæsari renuntiata essent, is accitos philosophos interrogavit quisnam esset iste Pan, qui responderunt sibi videri cum esse qui ex Mercurio et Penelope natus esset. At quomodò tunc mortuus esset iste Pan, qui longè ante jam obierat? Neque potest intelligi de dæmone, qui cùm sit purus spiritus, morti non subjacet.

Aliter ergo intellexerunt scriptores ecclesiastici. Baronius per mortem Panis intelligit mortem Christi, qui est verus Pan, hoc est, universorum Dominus. Sed repugnare videtur Christum constituisse nuntios suæ mortis, scilicet dæmones, quos noluit habere præcones suæ divinitatis, Luc. 4, et voluisse indigitari nomine infamis Ægyptiorum idoli. Veriùs intellexit Eusebius per mortem Panis, eversionem regni dæmonis morte Christi illatam, idque convenienter instituto Plutarchi, qui ibi agit de defectione oraculorum. Et hæc probabiliora sunt, supposità veritate historiæ, cui, licet à pluribus receptæ, plures etiam fidem detrectant, aut saltem nolunt eam habere quidquam commune cum morte Christi. Quod nos sub dubio relinquimus.

Dissertatio decima.

DE CAUSA EFFICIENTE PASSIONIS CHRISTI, ET EJUS CAUSALITATE ET EFFECTIBUS.

(D. Th. QQ. 47, 48 et 49.)

ARTICULUS PRIMUS.

De causâ efficiente passionis Christi.

Quæritur hìc 1° utrùm Christus fuerit ab aliis occisus, an à seipso ; 2° ex quo motivo se passioni tradiderit ; 3° utrùm Pater eum tradiderit ad patiendum ; 4° utrùm conveniens fuerit ut pateretur à gentilibus vel potiùs à Judæis ; 5° utrùm ejus occisores eum cognoverint ; 6° quàm grave fuerit eorum peccatum. Pro quorum resolutione,

Dico 1° : Persecutores Christi fuerunt causa directa illius mortis, quia causam sufficientem mortis ei intulerunt cum intentione occidendi et effectu consequente ; ex illâ enim causâ mors est subsecuta. (Q. 47, a. 1, o.) Christus autem fuit causa indirecta suæ mortis, quatenùs vim illatam suo corpori non impedivit, prout poterat, sed acceptavit. Et hoc sensu verum est quod dicit Joan. 10 : *Nemo tollit animam meam à me*, invito scilicet, *sed ego pono eam*

Dices : Qui ab aliis occiduntur, paulatim debilitatâ naturâ deficiunt, et maximè hoc apparet in crucifixis, qui, ut ait S. Aug. 5 de Trinit. c. 13, *longâ morte cruciantur*, Atqui hoc non accidit Christo, nam *clamans voce magnâ emisit spiritum*, Matth. 27. Ergo. — Respondeo, quòd ut Christus ostenderet quòd passio illata per violentiam, ejus animam non eripiebat, nisi in quantum vellet, naturam corporalem in suâ fortitudine conservavit, saltem quantùm ad hoc ut in extremis positus voce magnâ clamaret, quod inter alia miracula mortis computatur. Unde Marci 15 : *Videns Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirâsset*, ait : *Verè hic homo Filius Dei erat.* (Ibid. ad 2.) Quod autem auctor addit ibidem, id fuisse etiam mirabile quòd citiùs mortuus sit aliis qui simili passione afficiebantur, non intelligit fuisse miraculum, quasi anima corpus deseruerit priusquàm adesset causa sufficiens mortis ; sed intelligit id fuisse mirabile iis qui ignorabant teneram ejus complexionem, secundùm quam vulnera citiùs in eo causârunt mortem quàm in aliis. Et hâc de cau-

sâ, *mirabatur Pilatus si jam obiisset*, Marci 15.

Dico 2° : Christus ex obedientiâ mortuus est. (Ibid. a. 2, o.) Constat ex Joan. 10, ubi ipse Christus dicit : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterùm sumendi eam; et hoc mandatum accepi à Patre meo*, scilicet ponendi animam meam et sumendi eam. Item ibid. 14 : *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio : surgite, eamus hinc*, scilicet ad locum passionis. Item ex illo Philip. 2 : *Factus est obediens usque mortem.* Id autem erat conveniens justificationi hominum, ut sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constitutisunt multi, ita per unius obedientiam justi constituerentur multi, ut dicitur Rom. 5.

Dices : Christus mortuus est ex charitate, secundùm illud Ephes. 5 : *Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis.* Ergo. — Respondeo, quòd eâdem ratione Christus passus est ex charitate et obedientiâ, quia et ipsa charitatis præcepta erga Deum et homines ex obedientiâ implevit, et obediens fuit ex charitate ad Patrem præcipientem. Plura de rigoroso præcepto moriendi Christo imposito require in tract. de Incarn. diss. 18, art. 4,

Dico 3° : Deus Pater tradidit Christum passioni, juxta illud Rom. 8 : *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et hoc triplici modo. 1° Quia suâ æternâ voluntate præordinavit passionem Christi ad humani generis liberationem; non quidem decernendo ullas actiones Judæorum erga Christum, quatenùs erant peccaminosæ, sed decernendo Christum pati à Judæis, ejusque passionem ordinando ad nostram redemptionem. 2° In quantum ei inspiravit voluntatem patiendi pro nobis infundendo charitatem. 3° Non protegendo eum à passione, sed exponendo persequentibus. (Ibid. a. 3, o.)

Dico 4° : Conveniens fuit ut Christus à Judæis pati inciperet, et postea, Judæis tradentibus, per manus gentilium ejus passio finiretur. Quia sic in ipso modo passionis Christi præfiguratus est ejus effectus; primò enim passio Christi effectum salutis habuit in Judæis, quorum plurimi in morte Christi baptizati sunt, Act. 2 et 3; deinde Judæis prædicantibus, effectus passionis Christi transivit ad gentes. (Ibid. a. 4, o.)

Dico 5° : Primates Judæorum, qui eorum principes dicebantur, cognoverunt Christum esse Messiam in Lege promissum; videbant enim in eo omnia signa quæ prophetæ futura prædixerant de Messiâ. Nec obstat quòd Luc. 22, illis interrogantibus an Jesus esset Christus, responderit ipse Christus : *Si vobis dixero, non credetis* : vel enim intelligendum est de Christo ut Filio Dei, ut patet ex interrogatione alterâ versu seq. : *Tu ergo es Filius Dei?* vel dicuntur non credere, quia licet signis patentibus convicti essent, voluissent tamen et conabantur ex perversitate cordis ea infirmare. Minores seu plebeii qui mysteria S. Scripturæ non noverant, non plenè cognoverunt esse Christum seu Messiam. Licet enim aliqui eorum in eum crediderint, multitudo tamen non credidit. Et si aliquando dubitaverint an ipse esset Christus, propter signorum multitudinem, postea tamen decepti à suis principibus fuerunt, ut non crederent eum esse Christum. Neutri autem cognoverunt esse Deum et Filium Dei naturalem, juxta illud Joan. 16 : *Non noverunt Patrem neque me;* cum hoc tamen discrimine, quòd ignorantia majorum non excusaret eos absolutè à crimine, quia erat crassa et quodammodò affectata; videbant enim evidentia signa divinitatis ipsius, sed ex odio et invidiâ in ipsum ea pervertebant, et verbis ejus quibus se Dei Filium asserebat, credere nolebant, unde ipse Christus de eis dicit Joan. 15 : *Si non venissem et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et postea subdit : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius facit, peccatum non haberent.* Si quidam Patres, ut S. Chrysost. et Beda, dicant eos agnovisse esse Filium Dei, vel loquuntur de Filio Dei, non per naturam, sed per excellentiam gratiæ singularis; vel intelligunt eos cognovisse verum Dei Filium, quatenùs evidentia signa hujus rei habebant, quibus tamen propter odium et invidiam assentire noluerunt, ut eum cognoscerent esse Filium Dei. (Ibid. ad 1.)

Dico 6° : Peccatum crucifigentium Christum fuit gravissimum. In principibus quidem, tam ex genere seu objecto, quia erat contra Deum, seu contra eum quem poterant et debebant scire esse Deum, quàm ex parte peccantium, quia maximâ malitiâ illud admiserunt. In popularibus autem, ex genere tantùm; minuebatur enim ex parte illorum propter ignorantiam. (Ibid. a. 6, o.) Dixi, *gravissimum peccatum,* id est, valdè grave, non autem gravissimum, comparatè ad omnia alia peccata, quia odium Dei, blasphemia, et similia quæ sunt formaliter contra Deum, graviora sunt quàm

quæ sunt formaliter contra humanitatem et materialiter tantùm contra divinitatem, quale fuit peccatum crucifigentium Christum, ut docet auctor, infra, q. 80, art. 5. Quamvis enim odissent Christum, eum tamen odio habebant formaliter ut hominem tantùm, non formaliter ut Deum, quem ignorabant, licet vincibiliter.

Articulus II.

Quomodò passio Christi operata sit nostram salutem.

Dico 1° : Passio Christi operata est nostram salutem per modum meriti. Quia Christus habuit gratiam, quæ est principium meriti, non tantùm ut singularis homo, sed ut caput aliorum ; ideòque per voluntariam passionem, non solùm sibi, sed suis membris meruit salutem. (Q. 48, a. 1, o.)

Dices : Christus ab instanti suæ conceptionis meruit nobis salutem ; singulæ ejus actiones ab initio conceptionis fuerunt infiniti valoris : atqui superfluum est aliquem iterùm mereri quod jam antea meruerat : ergo. — Respondeo : Distinguo maj. : Christus ab initio suæ conceptionis meruit nobis salutem, attento valore operum, concedo ; attentâ Dei ordinatione, nego. Quamvis ergo singulæ Christi actiones ab instanti conceptionis essent infiniti et plusquàm sufficientis valoris ad redemptionem nostram, Deus tamen illas non ordinaverat ad redemptionem nostram absque passione, propter rationes quas deduximus, art. 1, diss. præced., concl. 2. Unde independenter à passione non conferebant jus absolutum et perfectum ad salutem, ideòque salus nostra tribuitur passioni.

Dico 2° : Passio Christi operata est salutem nostram per modum satisfactionis, quia Christus patiendo exhibuit ut caput nostrum Deo aliquid majus quàm exigeret recompensatio totius offensæ generis humani : 1° propter magnitudinem charitatis ex quâ patiebatur ; 2° propter dignitatem vitæ suæ quæ erat vita Dei et hominis quam ponebat ; 3° propter generalitatem passionis et magnitudinem doloris assumpti, ut explicuimus art. 1, diss. præced. concl. 4 et 5. Hæc autem à supposito divino, à quo procedebant, habebant valorem infinitum tam satisfactorium quàm meritorium. Quantùm ad has duas conclusiones, vide quæ fusè dixi in tract. de Incarnat. diss. 19, de merito et satisfactione Christi.

Dico 3° : Passio Christi operata est nostram salutem per modum sacrificii, quia fuit oblatio rei sensibilis cum sui immutatione, facta in honorem Deo proprium, hoc est, in recognitionem supremi illius dominii et ad ipsum placandum ; hoc enim est propriè sacrificium. (Ibid. a. 3, o.) Quod autem hìc dicit auctor ex S. Aug. l. 10 de Civit., c. 6, omne opus bonum quod agitur ut charitate inhæreamus Deo, esse verum sacrificium, intelligendum est quòd sit verum sacrificium veritate fructûs et excellentiâ, non veritate essentiæ. Vide plura de passione Christi ut sacrificio in tract. de Incarnat. diss. 19, art. 4, prob. 2, et diss. 20, art. 3.

Dico 4° : Passio Christi operata est nostram salutem per modum redemptionis, quia fuit sufficiens et superabundans satisfactio pro peccato et reatu pœnæ, ut dictum est. Atqui satisfactio quâ quis satisfacit sive pro se, sive pro alio, pretium quoddam est quo seipsum vel alium redimit à peccato et pœnâ : ergo redemptio. Unde Matth. 20 : *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis ;* et Rom. 3 : *Justificati sumus per redemptionem quæ est in Christo Jesu.*

Dices : Nullus emit vel redimit quod suum esse non desiit : atqui homines nunquàm desierunt esse Dei : ergo. — Respondeo : Distinguo minorem : Homines nunquàm desierunt esse Dei quoad subjectionem ejus potestati, concedo ; quoad unionem per charitatem, nego. Per peccatum enim facti sumus Deo inimici et ab eo secundùm affectum divisi, atque servituti diaboli subjecti.

Inferes : Ergo pretium redemptionis nostræ solvendum et offerendum erat diabolo et non Deo. Prob. illatio : Quicumque emit aut redimit aliquid, pretium solvit ei qui possidet : atqui ex solutione præcedenti diabolus homines possidebat, utpote ejus servituti subjectos, ut dictum est : ergo. — Respondeo : Nego illationem. Ad prob. distinguo min. : Diabolus homines possidebat ut tortor seu minister, ex permissione et ordinatione Dei, concedo ; ut judex seu princeps propriâ auctoritate, nego. Ad quorum intelligentiam, observandum est quòd homo peccando obligatus erat Deo et diabolo. Quantùm enim ad culpam Deum offenderat, et diabolo consentiens se ei subdiderat : unde ratione culpæ non erat factus servus Dei, sed potiùs ab ejus servitute recedens diaboli servitutem incurrerat, Deo ut principe offenso justè id permit-

tente; sed quantùm ad pœnam, principaliter homo erat obligatus Deo sicut summo judici, diabolo autem tanquàm tortori. Quamvis ergo diabolus teneret hominem sub servitute et quantùm ad pœnam et quantùm ad culpam, quia tamen sic erat quantùm ad culpam ex permissione Dei per illam offensi, et quantùm ad pœnam ex justâ ejus ordinatione, ita ut diabolus esset tantùm in iis minister, ideò non illi, sed Deo pretium redemptionis erat solvendum et offerendum. (Ibid. ad 2 et 3.)

Dico 5° : Christo homini proprium est esse redemptorem strictè sumptum; quia redimere strictè et propriè, est de suo solvere pretium liberationis : atqui solus Christus solvit rigorosè de suo pretium nostræ liberationis, fundendo scilicet vitam et sanguinem suum : ergo. (Ibid. a. 5, o.) Dixi, *redemptorem strictè sumptum,* quia si latiori sensu dicatur redemptor is qui est prima causa et auctor redemptionis, dando eum qui solvit, inspirando illi voluntatem solvendi, et cum illo ad omne opus redemptionis operando : hoc sensu tota Trinitas nos redemit; hæc enim dedit nobis Christum hominem, inspiravit illi voluntatem patiendi, et omnes actiones redemptionis humanæ in eo operata est. Et ideò auctor dicit quòd « esse immediatè redemptorem, proprium sit « Christi in quantum est homo : quamvis ipsa « redemptio possit attribui toti Trinitati, sicut « primæ causæ. »

Dices 1° : Merita sanctorum nobis applicantur per indulgentias, in remissionem pœnarum peccatis nostris debitarum : ergo dici possunt nostri redemptores. 2° Sancti dicuntur nostri mediatores, Galat. 5 : ergo et redemptores. 3° Moyses Act. 7, dicitur redemptor. Ergo.— Respondeo ad primum, merita sanctorum non nos à culpâ et pœnâ æternâ, sed temporali tantùm liberare, idque nonnisi præsuppositâ redemptione per Christum factâ, et ideò neque secundùm rigorem justitiæ. Quando autem dicimus esse proprium Christo esse redemptorem, intelligimus de redemptione à culpâ et pœnâ æternâ, atque secundùm rigorem justitiæ. Et hinc pateti responsio ad secundum, quia in mediatione non importatur æqualitas et rigor justitiæ, sicut in redemptione. Ad tertium, Moyses dictus est redemptor, non respectivè ad culpam et pœnam æternam, sed ad captivitatem Ægyptiacam, à quâ Israelitas liberavit. Neque id fuit propriè redimere, cùm nihil fuerit solutum pro liberatione.

Dico 6° : Passio Christi, hoc est, humanitas Christi, ut aliquando subjecta passioni, salutem nostram operatur efficienter, quia est instrumentum divinitatis. Sic intelligendum esse auctorem cùm dicit passionem Christi causare efficienter nostram salutem, constat, quia ad efficientiam realem et physicam requiritur existentia causæ : non autem ampliùs existit passio Christi; et ita se explicat S. Doctor, q. seq. a. 1, in fine corp. (Ibid. a. 6, o.)

Articulus III

De effectibus passionis Christi.

Dico 1° : Per passionem Christi liberati sumus à peccato, quatenùs Christus, sicut dictum est art. præced., ut caput nostrum per passionem tanquàm per pretium redemit nos et membra sua à peccatis; sicut si homo per aliquod opus meritorium quod manu exercet, redimeret se à peccato quod pedibus commisisset. Sicut enim corpus naturale est unum ex membrorum diversitate consistens, ita tota Ecclesia, quæ est mysticum corpus Christi, computatur quasi una persona cum suo capite, quod est Christus. (Q. 49, a. 1, o.)

Cæterùm conclusionem sic intellige, non quòd passio Christi actu efficaciter omnes homines liberet à peccato; quot sunt enim qui adhuc in eo permanent! sed quòd sit causa universalis sufficiens ad redemptionem peccatorum totius generis humani, quæ tamen, ut effectum habeat, debeat applicari : sicut si medicus præpararet medicinam omnis generis morborum sanativam, nullum sanaret nisi applicatâ seu sumptâ. (Ibid. ad 3 et 4.)

Ex hâc concl. sequitur 1° quòd per passionem Christi liberati simus à potestate diaboli, in cujus servitutem incideramus per peccatum. Sequitur 2°, sublato peccato, nos liberari à pœnâ æternâ illi debitâ. Sequitur 3°, nos esse Deo reconciliatos, solutâ causâ inimicitiæ, quæ erat peccatum. Sequitur 4°, apertam nobis esse januam cœli, sublato impedimento ad ejus ingressum, quod est peccatum. Has omnes sequelas intellige ad sensum datum conclusionis, scilicet, passionem Christi esse causam universalem quæ sit sufficiens ad hos omnes effectus, quos tamen ut actu operetur, debet applicari per sacramenta et bona opera.

Dico 2° : Christus per suam passionem meruit exaltari. Pro quo vide tractatum de Incarnatione, dissert. 19.

Dissertatio undecima.

DE MORTE, SEPULTURA ET DESCENSU CHRISTI AD INFEROS.

(*D. Th. QQ.* 50, 51 *et* 52.)

Articulus primus.

De morte Christi.

Occurrunt in hoc articulo discutienda : 1° an conveniens fuerit Christum mori ; 2° an per mortem divinitas fuerit separata à corpore ; 3° an ab animâ ; 4° an in triduo mortis Christus fuerit homo ; 5° utrùm ejus corpus fuerit idem numero vivum et mortuum ; 6° utrùm mors ejus aliquid operata sit ad nostram salutem. Ad quorum resolutionem,

Dico 1° : Conveniens fuit Christum mori : 1° ut satisfaceret pro nobis, qui propter peccatum adjudicati eramus morti ; 2° ut ostenderet veritatem naturæ assumptæ ; si enim post conversationem cum hominibus, subitò sine morte evanuisset, ab omnibus crederetur phantasma ; 3° ut moriendo nos à timore mortis liberaret ; 4° ut resurgendo à mortuis, et virtutem suam ostenderet quâ mortem superavit, et nobis spem resurgendi à mortuis daret. Unde Apostolus, 1 Cor. 15 : *Si Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodò quidam in vobis dicunt quòd resurrectio mortuorum non est?* Confer dissert. 9, art. 1, c. 2. (Q. 50, a. 1, o.)

Dico 2° : In morte Christi divinitas non fuit separata ab ejus corpore ; sed ipsi mansit hypostaticè unita, ita ut non esset alia hypostasis Verbi Dei et carnis post mortem.

Prob. 1° : Quod per gratiam Dei conceditur ut quid naturâ suâ permanens, nunquàm absque culpâ revocatur ; unde Rom. 11, dicitur quòd sine *pœnitentiâ sunt dona Dei.* Sic gratia adoptionis per quam homines sanctificantur, nunquàm perditur sine culpâ. Atqui gratia unionis per quam divinitas est unita carni Christi in personâ, multò major est gratiâ adoptionis, et etiam magis permanens ex suî ratione, quia hæc ordinatur ad unionem personalem : gratia autem adoptionis ad quamdam unionem affectualem, neque in Christo fuit aut potuit esse ullum peccatum : ergo. 2° Ea quæ sunt humanæ naturæ, non dicuntur de Filio Dei nisi ratione unionis hypostaticæ : atqui de Filio Dei dicitur quod convenit corpori Christi post mortem, scilicet, esse sepultum, ut patet ex Symbolo fidei, in quo dicitur quòd Filius Dei sit *passus, mortuus et sepultus:* ergo divinitas non fuit in morte separata à corpore. Neque etiam fuisse in triduo mortis separatam à sanguine fuso, dixi in tract. de Incarn. dissert. 7, a. 2, in fine. (Ibid. in a. s. o.)

Dico 3° : In morte Christi divinitas non fuit separata ab ejus animâ. 1° Quia anima unita est Verbo Dei per prius et immediatius quàm corpus, siquidem corpus fuerit unitum mediante animâ seu ratione animæ ; Christus enim assumpsit naturam humanam : corpus autem per animam pertinet ad naturam humanam. Atqui in morte Christi divinitas non fuit separata à corpore, ut dictum est : ergo multò minùs ab animâ. 2° De Filio Dei prædicatur quod est animæ, scilicet, quòd descenderit ad inferos : atqui, ut dictum est, ea quæ sunt naturæ humanæ, non dicuntur de Filio Dei, nisi ratione unionis hypostaticæ : ergo.

Dico 4° : Erroneum est dicere Christum in triduo mortis esse hominem, quia cùm sit verè mortuus, anima ejus à corpore separata est, in quâ separatione sita est mors et destructio humanitatis, sicut in eorum unione sita est humanitas. Neque etiam in triduo mortis propriè fuit Christus ; quia Christus dicit suppositum existens in naturâ divinâ et humanâ ; tunc autem natura humana desierat per separationem animæ à corpore, ut dictum est. Poterat tamen per synecdochen dici Christus, sicut etiam nunc dicimus : S. Petrus.

Dico 5° : Corpus Christi vivum et mortuum fuit idem numero absolutè, quia aliquid dicitur idem numero absolutè, quod est idem supposito : corpus autem Christi vivum et mortuum fuit idem supposito, ut patet ex dictis. Non fuit tamen idem numero omninò et totaliter, quia vita quam amisit in morte, est de essentiâ corporis viventis : unde non fuit idem numero secundùm speciem naturæ humanæ. (Ibid. a. 5, o.)

Si petas utrùm corpus Christi mortuum manserit sine formâ substantiali ; — resp. probabiliùs negativè, sed assumpsisse formam cadaveris humani, quia secundùm principia philosophiæ, materia non potest naturaliter esse sine formâ, nec videtur hìc necessitas adstruendi miraculum.

Inferes 1° : Ergo est diversitas corporis ;

2° ergo Verbum dimisit aliquando quod assumpsit. — Respondeo ad primum, esse diversitatem corporis ratione novæ formæ, et ideò non esse idem numero secundùm speciem naturæ humanæ, ut dictum est; remanet tamen idem supposito. — Respondeo ad secundum : Nihil repugnat quòd Christus dimiserit id quod non fuit principaliter assumptum, ut fuit forma cadaverica.

Dico 6° : Mors Christi in facto esse nihil operata est ad nostram salutem per modum meriti, quia Christus tunc mortuus, erat extra statum merendi. Si autem per mortem in facto esse intelligamus carnem mortuam, potuit operari efficienter ad nostram salutem, quia remanebat instrumentum divinitatis sibi unitæ. (Ibid. a. 6, o.)

Articulus II.

De sepulturâ Christi.

Dico 1° : Convenienter Christus fuit sepultus, tum ad comprobandam veritatem mortis; non enim aliquis in sepulcro ponitur, nisi quando jam de veritate mortis constat : tum quia per hoc quòd Christus de sepulcro resurrexit, datur spes resurgendi per ipsum his qui sunt in sepulcro. (Q. 51, a. 1, o.)

Dico 2° : Convenienti modo Christus fuit sepultus. (Ibid. a. 2.) Juxta Matth. 27 et Joan. 19, Joseph ab Arimathæâ cum Nicodemo 1° corpus Christi unxit centum libris aromatum ex myrrhâ et aloes, emptis à Nicodemo; 2° involvit syndone mundâ; 3° posuit in monumento suo novo; 4° hoc monumentum erat in horto vicino; 5° excisum erat in petrâ; 6° advolvit magnum saxum ad ostium monumenti. Hæc autem omnia dicimus convenienter facta.

1° Corpus Christi aromatibus myrrhæ et aloes conditur convenienter moribus Judæorum, qui sic solebant condire corpora, ut diutiùs conservarentur illæsa. In hujusmodi autem officiis quæ mortuis exhibentur, mos cujuslibet gentis est servandus, inquit S. Aug, Tract. 120 in Joan. (Ibid. ad 2 et 3.) 2° Involvitur sindone mundâ ad decentiam honestatis. (Ibid. ad 3.) 3° Sepelitur in monumento alieno, ut qui domum in vitâ non habuit, post mortem quoque in alieno sepulcro reconderetur; item in monumento novo, in quo scilicet nemo antea positus fuerat, ne alius ibi sepultus resurrexisse fingeretur et crederetur. (Ibid. ad 4.) 4° Hoc monumentum erat in horto, quia nemo sepelicbatur in urbe. 5° Excisum erat in petrâ, sic disponente divinâ providentiâ, ne si ex lapidibus fuisset exstructum, suffossis fundamentis, vel dirutis, et repositis lapidibus, raptum à discipulis fingeretur. Si etiam in terrâ fuisset sepultus, dicere poterant : Suffoderunt terram et furati sunt eum. 6° Advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, iterùm contra calumnias resurrectionis, ut sine plurimorum auxilio reserari non posset monumentum. (Ibid. a. 3, o.)

Dico 3° : Corpus Christi mansit incorruptum in sepulcro, ad ostensionem divinæ virtutis, et ne crederetur mortem ejus fuisse ex infirmitate naturæ et non voluntariam; corruptio enim cujuscumque corporis provenit ex infirmitate naturæ illius corporis, quæ non potest ampliùs corpus continere in unum.

Dico 4° : Christus fuit convenienter unâ die et duabus noctibus in sepulcro. (Ibid. a. 4, o.) Ratio est, quia istud tempus requirebatur et sufficiebat ad probandam veritatem mortis Christi, ut dicam de ejus resurrectione. (Q. 53. a. 2, o.)

Dices : Matth. 12, dicit Christus : *Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; ita Filius hominis erit in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.* Ergo. — Resp. hìc tres dies et tres noctes, scilicet naturales, intelligenda esse per synecdochen, sumendo partem pro toto. Sic ergo primus dies et prima nox computantur ab extremitate diei feriæ sextæ, quâ Christus mortuus et sepultus est, usque ad mediam noctem sabbati; secundus dies et secunda nox, à mediâ nocte sabbati usque ad mediam noctem diei dominicæ; tertius dies et tertia nox, à mediâ nocte diei dominicæ ad auroram ejusdem diei, quâ Christus resurrexit.

Articulus III.

De descensu Christi ad inferos.

Occurrunt hìc explicanda : primum, an anima Christi realiter et substantialiter, et non tantùm secundùm effectum descenderit in infernum; secundum, an convenienter descenderit; tertium, in quem infernum descenderit; quartum, utrùm aliquam moram ibi traxerit; quintum, utrùm SS. patres ab inferno liberaverit; sextum, utrùm etiam damnatos et pueros in peccato originali defunctos; septimum, item et an animas purgatorii.

Dico 1° : Christus, hoc est, anima Christi

realiter et substantialiter descendit ad inferos, et non tantùm secundùm effectum et operationem. (Q. 52, a. 1.)

Prob. 1° ex Symbolo Apostolorum, in quo dicitur : *Descendit ad inferos*, quod obviè et naturaliter intelligitur de descensu reali et substantiali, et non secundùm effectum tantùm, sicque intelligit communis sensus fidelium. (2-2, q. 1, a. 9, ad 4.) Hujus autem non meminit Symbolum Nicænum, quia supposuit expressum in Symbolo Apost., et nullus tunc error circa hunc articulum exortus erat qui indigeret novâ expressione. 2° Psalm. 15 : *Non relinques animam meam in inferno* : quod Petrus Act. 2, de Christo interpretatur. 3° Ephes. 4 : *Quòd autem ascendit, quid est? nisi quia et descendit primùm in inferiores partes terræ.* Inferiora autem terræ, inquit S. Hieronym., infernus accipitur. Eo modo ergo juxta Apost. Christus descendit in infernum, quo modo ascendit in cœlum ; realiter autem et substantialiter ascendit in cœlum. Ergo. 4° Tandem hanc doctrinam tradunt concil. Lateran. sub Innoc. III, cap. *Firmiter*, de SS. Trinitate, Symbolum dictum S. Athanasii, S. Ignat. Epist. ad Trallianos; Nazianz. Orat. 2 de Resurr. ; Nyssenus, Orat. 1 ; S. Aug. Epist. 57 et 99, et alii.

Dices cum Durando : 1° Anima separata non potest moveri localiter; 2° substantia spiritualis non est in loco nisi per operationem : atqui anima Christi separata nullam habebat operationem in inferno : ergo. — Respondeo ad primum, quòd anima Christi non descenderit ad inferos eo genere motûs quo corpora moventur, sed eo genere motûs quo angeli moventur. (Ille a. 1, ad 3.) Ad secundum, nego min. : Anima enim Christi ut instrumentum divinitatis operata est in inferno, expellendo tenebras exteriores, et hunc locum illuminando. (In 3, d. 22, q. 2, a. 2, q. 1.)

Dico 2° : Conveniens fuit ut Christus descenderet in infernum. (Q. 52, a. 1, o.) 1° Quia homo per peccatum incurrerat non solùm mortem corporis, sed etiam descensum ad inferos : ergo sicut fuit conveniens ipsum mori ut nos liberaret à morte, ita conveniens fuit eum descendere ad inferos ut nos ab illo liberaret : cum hoc tamen discrimine, quòd mors illi pœna fuit, non descensus ad inferos, quia per mortem opus redemptionis consummatum erat, et superabundanter satisfactum divinæ justitiæ : unde descendendo ad inferos, assumpsit quod nobis pœna erat, sed non ut pœnam sibi, nec sub ratione pœnæ. Observandum semel pro semper quòd, cùm dicimus Christum nos liberâsse à morte corporis, non est sensus quòd nos liberaverit à necessitate moriendi; morimur enim omnes, sed à necessitate permanendi in morte, quia resurgemus. Et hoc sensu Christus dicitur habère imperium mortis, et mortem moriendo vicisse, juxta illud Oseæ 3 : *Ero mors tua, ô mors.* 2° Quia conveniens erat ut victo diabolo per passionem, vinctos ejus, qui detinebantur in inferno, eriperet, secundùm illud Zach. 9 : *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos suos de lacu.* 3° Ut sicut potestatem suam ostendit in terrâ vivendo et moriendo, ita etiam potestatem suam ostenderet in inferno ipsum visitando et illuminando, ut sic in nomine Jesu omne genu flectatur, non solùm cœlestium, sed etiam infernorum, Philipp. 2.

Dico 3° : Christus non descendit in infernum damnatorum secundùm præsentiam realem, quia juxta SS. Patres, Hieron. in cap. 4 Epist. 99 et alios, idcò Christus descendit ad inferos, ut eos qui ibi detinebantur consolaretur et liberaret; nullum autem ex inferno damnatorum consolatus est et liberavit, ut dicam modò. Insuper infernus damnatorum non erat locus conveniens Christo. Descendit ergo in infernum damnatorum secundùm effectum tantùm, eos arguendo et convincendo de suâ infidelitate et malitiâ; idque per modum locutionis aut manifestationis, quæ inter spiritus non impeditur ex distantiâ loci.

Obj. Dicitur ex ore divinæ sapientiæ, quæ est Christus, Eccl. 24 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ.* Atqui inter inferiores partes terræ computatur infernus damnatorum : ergo. — Respondeo quòd Christus, qui est Dei sapientia, penetravit omnes inferiores partes terræ, non localiter secundùm animam omnes circumeundo, sed effectum suæ potentiæ aliqualiter ad omnes extendendo. (Ibid. ad 1.)

Repones : Ephes. 4, Christus dicitur descendisse ad inferiores partes terræ, hoc est, ad infima terræ, ubi est infernus damnatorum. Ergo. — Respondeo 1° solutione præcedenti. 2° Totus infernus in quem descendisse Christum agnoscimus, licet non in omnes sinus inferni, respectu hujus loci, vocatur infimus et profundissimus.

Instas : Act. 2, Petrus dicit : *Quem* (Christum) *Deus suscitavit solutis inferni doloribus, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.*

Atqui dolores inferni sunt in inferno damnatorum : ergo. — Respondeo 1° : In textu Græco loco *inferni* legi *mortis*, juxta quem sensus est eum suscitâsse Christum, ipsum solvendo à doloribus seu pœnâ et miseriâ mortis, et vitæ restituendo. — Respondeo 2° : Retinendo lectionem Vulgatæ, Christus solvit dolores inferni, liberando patres, non à pœnâ sensûs quam non patiebantur, sed à pœnâ damni quam patiebantur ex dilatione gloriæ. Potest etiam dici quòd solverit aliquas animas purgatorii à pœnâ sensûs et damni, de quo infra, et hoc sensu intelligendi sunt SS. Patres. Juxta quem distinguenda est minor. Additur : *Juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*, vel *eâ*, quia juxta divinum decretum, Christus non debebat manere in morte, neque in inferno. (Ib. ad 2.)

Urgebis : 1 Petri 3, dicitur quòd Christus *his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe, cùm fabricaretur arca.* Atqui increduli erant in inferno damnatorum pœnam damni et sensûs patientes; atque illic agi de descensu Christi ad inferos constat ex cap. seq., ubi dicitur : *Mortuis evangelizatum est* : ergo. — Respondeo in hoc textu sermonem esse de his qui, ut ait Petrus, *fuerant aliquando increduli*, sed tamen in infidelitate non permanserant. Noe enim diluvium annuntiante, non omnes in suâ incredulitate perierunt, sed quidam pœnitentes ab incredulitate conversi sunt, licet in pœnam infidelitatis prioris aquis diluvii perierint; et hi erant vel in limbo patrum, vel potiùs in purgatorio, quia limbus non dicitur carcer, sed sinus Abrahæ : his ergo prædicavit Christus et evangelizavit, nuntiando ipsis se esse eorum redemptorem.

Dico 4° : Sicut corpus Christi fuit unâ die et duabus noctibus in sepulcro, tantumdem ejus anima mansit in inferno, scilicet usque ad momentum resurrectionis, ita ut simul anima exiret de inferno et corpus educeretur de sepulcro. Unde Ecclesia in benedictione cerei paschalis cantat : *Hæc nox est in quâ Christus ab inferis victor ascendit.* Atque ita sentiunt Patres, S. Irenæus lib. 5 adversùs Hæres. cap. 31, S. Nyss. Orat. 1 de Resurr., Tertull. lib. de Animâ cap. 55, et alii.

Dico 5° : Christus descendens ad inferos, liberavit SS. patres, 1° exhibendo eis, statim à morte suâ, claram divinitatis visionem, quâ hucusque privati fuerant, nondùm soluto redemptionis nostræ pretio, deinde eos è loco inferni educendo. Et hoc est quod dicitur Zach. 9 : *Tu verò in sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua.* Et Coloss. 2 : *Exspolians principatus et potestates*, scilicet infernales, auferendo justos, *traduxit eos* ab hoc loco tenebrarum in cœlum. Consentiunt veteres, Tertull. lib. de Animâ c. 55, S. Aug. Hom. 57, S. Greg. Hom. 22 in Evang., S. Hieron. in cap. 2 Jonæ. Hinc canit Ecclesia : « O verè digna hostia, per quam « fracta sunt tartara, redempta plebs captiva- « ta, reddita vitæ præmia. » (Ibid. a. 5, o.)

Dico 6° : Christus descendens ad inferos, nullum damnatorum liberavit, quia cùm Christus in hoc descensu ageret per virtutem suæ passionis, eos solos liberavit quos passioni suæ conjunctos invenit per fidem charitate informatam : damnati autem vel non habuerunt fidem de passione Christi, vel illi non fuerunt finaliter conjuncti per charitatem. (Ibid. a. 6, o.)

Neque refert quòd virtus passionis Christi nunc se extendat etiam ad eos qui sunt in peccato. Disparitas est, quòd secundùm divinas ordinationes in præsenti vitâ sit locus conversioni et transmutationi à culpâ ad gratiam, secùs post mortem; quia damnati sunt confirmati in malo, sicut beati in bono. Hinc illud : *Ubi ceciderit arbor, ibi manebit.*

Propter eamdem rationem, pueri qui cum originali peccato decesserunt, non fuerunt per Christum liberati. (Ibid. a. 7, o.)

Dico 7° : Christus suo descensu ad inferos non liberavit omnes animas à purgatorio. (Ibid. a. 8, o.) Prob. : Descensus Christi ad inferos liberatorius fuit in virtute passionis : virtus autem passionis non habuit tunc majorem virtutem quàm nunc habeat : atqui nunc non liberat omnes animas quæ sunt in purgatorio, sed tantùm eas, vel quæ sunt sufficienter purgatæ, vel quibus passio Christi, quæ est velut causa universalis, applicatur per satisfactiones justorum viventium, vel per sacramenta novæ legis ad hoc divinitùs instituta : porrò descensus Christi ad inferos, neque fuit satisfactorius, neque medium divinitùs institutum ad applicandam virtutem suæ passionis omnibus animabus in purgatorio tunc existentibus : liberavit ergo duntaxat eos qui erant sufficienter purgati, vel etiam qui dùm viverent meruerunt ex congruentiâ per fidem et devotionem ad mortem Christi, ut eo descendente liberarentur. (Ibid. et ad 1 et 2.)

Dices : 1° Eccles. 24, Sapientia dicit : *Illuminabo omnes sperantes in Domino.* 2° S. Aug. in Psalm. 35, docet omnes animas electorum per Christi descensum ab inferno esse liberatas. 3° Antiqui Patres dùm loquuntur de justorum liberatione, nullos excipiunt nisi impios. Ergo. — Respondeo quosdam propter hæc momenta censere quòd, licet descensus Christi per se non liberaverit omnes animas purgatorii, id tamen tunc præstiterit ex privilegio quasi ex indulgentiâ plenariâ. Hæc sententia non est improbabilis : non cogunt tamen nos ejus momenta recedere à sententiâ auctoris. — Unde ad primum : Per illuminationem non necessariò intelligitur absoluta liberatio, sed quædam consolatio et novum gaudium de gloriâ post purgationem statim accipiendâ. Ad secundum : S. Aug. ibi loquitur de animabus in sinu Abrahæ existentibus, id est, de justis. Ad tertium : Similiter dici potest antiquos Patres loqui de justis in limbo, quos nihil à gloriâ retardaret, nisi communis reatus naturæ ex peccato originali.

Dissertatio duodecima.

DE RESURRECTIONE CHRISTI.

(D. Th. QQ. 53, 54 et 55.)

Ante omnia observandum est resurrectionem Christi fuisse pluries in veteri Testamento prænuntiatam verbis et factis. *Verbis.* Gen. 49 de Judâ dicitur : *Requiescens accubuisti ut leo et quasi leæna; quis suscitabit eum?* Quod de resurrectione Christi interpretatur S. Ambros. lib. de Benedict. Patriarch. cap. 4, S. Aug. l b. 12 cont. Faust. cap. 42, et alii. Psal. 2 : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quibus verbis utitur Paulus Act. 13, ad probandam resurrectionem Christi. Psal. 15 : *Non relinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quod tam ipse Paulus ibid. quàm Petrus, Act. 2, intelligunt de resurrectione Christi. Sophoniæ 3 : *Expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum.* Quod S. Aug. lib. 18 de Civit. c. 33, interpretatur pariter de resurrectione Christi. Oseæ 3 : *In die tertiâ suscitabit nos.* Quod idem S. Aug. ibid. cap. 28, S. Bernard. Serm. 1 de Resurr., Tertull. contra Judæos interpretantur de resurrectione Christi. *Factis.* Plura enim figuratè gesta sunt in prænuntiationem resurrectionis Christi futuræ, ut in Isaac immolando et tamen servato, in Joseph educto de carcere tertio anno; de quibus Prosper lib. 1 Prædictionum c. 17 et 29; in Jonâ tertiâ die de ventre ceti prodeunte, quod suæ sepulturæ et resurrectionis tertiâ die fuisse figuram testatur ipse Christus, Matth. 12 et 16. Hinc Apost., 1 Corinth. 15, jure dicit : *Christus resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas.*

ARTICULUS PRIMUS

Utrum necessarium fuerit Christum resurgere.

Necessarium intellige, non simpliciter, sed ex suppositione divinæ ordinationis, prophetiarum, meritorum Christi et nostræ utilitatis.

Dico : Necessarium fuit Christum resurgere, propter quinque rationes in Scripturis fundatas. (Q. 53, a. 1, o.)

1° Ad commendationem divinæ justitiæ, ad quam pertinet exaltare illos qui se propter Deum humiliant, secundùm illud Lucæ 1 : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* Quia igitur Christus, propter charitatem et obedientiam erga Deum, se humiliavit usque ad mortem crucis, oportebat ut exaltaretur à Deo usque ad gloriosam resurrectionem. Unde ex ejus personâ dicitur Psal. 138 : *Tu cognovisti,* id est, approbâsti *sessionem meam,* id est, humilitatem et passionem, *et resurrectionem meam,* id est, glorificationem in resurrectione, ut exponit Glossa.

2° Ad fidei nostræ instructionem, quia per Christi resurrectionem, propriâ virtute et in signum suæ divinitatis factam, confirmata est fides nostra circa ejus divinitatem : ut enim dicitur 2 Corinth. ult. : *Etsi crucifixus est in infirmitate; sed vivit in virtute Dei,* id est, suâ ; et ideò 1 Corinth. 15 dicitur : *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides nostra.* Non quòd fides nostra, etiamsi Christus non resurrexisset, absolutè loquendo, non potuisset esse vera et utilis ad salutem, sed supponendo ea quæ prædicta erant de ejus resurrectione, et quod ipse sæpè promiserat se resurrecturum, si reverà non resurrexit, falsum docuit homines et eos decepit, ideòque inanis est prædicatio Apostolorum, inanis et fides nostra, quia utraque falsa.

3° Ad sublevamen spei nostræ, quia dùm videmus Christum, qui est caput nostrum, resurgere, speramus et nos resurrecturos. Unde dicitur 1 Corinth. 15 : *Si Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodò quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?*

4° Ad informationem vitæ fidelium, secundùm illud Rom. 6 : *Quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Et infra : *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur; ita et vos existimate mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo.*

5° Ad complementum nostræ justificationis; quia sicut per hoc quòd mala sustinuit, humiliatus est moriendo, ut nos liberaret à malis : ita glorificatus est resurgendo, ut nos promoveret ad bona, secundùm illud. Rom. 4 : *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* Non tamen hoc sensu quòd ejus resurrectio meruerit justificationem nostram, non enim erat opus viatoris; neque quòd esset duntaxat exemplar nostræ justificationis : sed quia si Christus non resurrexisset, justitiam quam per passionem nobis promeruerat non essemus assecuti; erat enim in divinis decretis sic ordinatum, ut non daretur Spiritus sanctus, nec mitterentur Apostoli ad prædicandum, neque nobis applicaretur generaliter passionis fructus, nisi post resurrectionem, juxta illud Lucæ 4 : *Oportebat enim Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum.* Et illud Joan. 7 : *Nondùm erat Spiritus datus, quia Jesus nondùm erat glorificatus.*

Articulus II.

De die et horâ quâ Christus resurrexit.

Christum tertiâ die à morte suâ resurrexisse, indubitata fides est sæpè in S. Scripturis asserta : utrùm autem id sit convenienter factum ?

Dico 1° : Conveniens fuit Christum resurgere tertiâ die. (Ibid a. 2, o.) Prob. Resurrectio, ut dixi. art. præcedenti, necessaria fuit ad instructionem fidei nostræ : est autem fides nostra de divinitate et humanitate Christi; non enim sufficit alterum sine altero credere : atqui ad hoc quòd confirmaretur fides de veritate divinitatis ipsius, oportuit quòd citò resurgeret, et ejus resurrectio non differretur usque ad finem mundi : ad hoc autem quòd confirmaretur fides de veritate humanitatis et mortis ejus, oportuit moram esse inter mortem et resurrectionem ; si enim statim post mortem resurrexisset, videri posset quòd ejus mors vera non fuerit, et per consequens nec resurrectio vera : ad veritatem autem mortis manifestandam, sufficiebat quòd usque ad tertiam diem ejus resurrectio differretur, quia non contingit quin infra hoc tempus in homine qui mortuus videtur, cùm vivat, appareant aliqua indicia vitæ : ergo.

Dico 2° : Tertia dies quâ Christus resurrexit, fuit prima hebdomadæ, quæ apud nos est dies dominica, diluculo seu sub aurorâ. (Ib. ad 3.) Quantùm ad diem, patet, 1° quia cùm ex dictis constet esse mortuum die sextâ hebdomadæ et resurrexisse tertiâ die sequente, consequens est quòd resurrexerit primâ die hebdomadæ. 2° Quia mulieres quæ dicuntur in Evangelio venisse ipsâ præfatâ die summo mane ad sepulcrum, invenerunt jam resurrectionem factam ; dicuntur enim venisse unâ seu primâ sabbati, id est, primâ die hebdomadæ; quia nomine sabbati apud Judæos, non solùm significatur septima dies quieti destinata; sed etiam tota hebdomada septem diebus constans, ut patet ex illo Luc. 18 : *Jejuno bis in sabbato,* id est, in hebdomadâ; impossibile est enim jejunare bis in unâ die.

Quantùm ad horam, Christum resurrexisse diluculo seu sub aurorâ, communis est sententia SS. Patrum, Aug. in Enarrat. 2 in Ps. 26, et l. 4 de Trinit. c. 6; Hilarii can. 33 in Matth. ; Prudentii in Hymno ad Galli cantum, S. Th. hic et q. 51, a. 4, et aliorum scholasticorum in 3, d. 22. Item est sensus communis Ecclesiæ, quæ cantat cum S. Ambrosio in hymno paschali : « Aurora lucis rutilat... cùm « Rex ille fortissimus... victor surgit de fu- « nere. » Item, ét quod præcipuum est, videtur expressum in S. Scripturâ, Marci ult., his verbis : *Surgens autem mane primâ sabbati;* Græcè : *Cùm surrexisset mane.* Adde quòd si resurrexisset ante illucescentem diem, non fuisset tribus diebus et tribus noctibus in corde terræ, ut dicitur Matth. 12. Quando ergo S. Hieron. q. 6 ad Hebidiam, dicit Christum resurrexisse horâ quâ ipse voluit, et quæ nulli mortalium est cognita, intelligendus est de instanti resurrectionis; aurora enim decurrit per plura instantia.

Obj. 1° : Matth. 28, dicit mulieres venisse ad sepulcrum vespere sabbati : ergo non post sabbatum. — Respondeo per vesperam sabbati apud Matth. intelligi ipsam noctem quæ sequitur sabbatum ; apud Hebræos enim sæpè tota nox vocatur *vespera,* et totus dies *mane,* ut patet Genes. 1 : *Factus est vespere et mane dies primus.* Sensus ergo Matthæi, qui alludit ad duplex sabbatum, de quo supra, est : Vesperâ seu nocte sequente sabbatum, quæ lu-

cescit in primâ sabbati seu primâ die hebdomadæ, conformiter ad textum Græcum, in quo sic legitur : *Tardè post sabbatum; eâ die quæ lucescit in primam sabbati.*

Obj. 2° : Joannes, 20, dicit Mariam Magdalenam venisse ad sepulcrum, *cùm adhuc tenebræ essent* : ergo non diluculo, seu sub aurorâ. — Respondeo : Nego consequens : 1° Quia juxta S. Aug. l. 3 de Consensu Evang. in diluculo, cùm dies incipit tantùm illucescere, nondùm omninò sunt expulsæ tenebræ, et sic potest dici, *cùm adhuc tenebræ essent.* 2° Quia juxta eumdem ibid., mulieres egressæ sunt de domibus suis cùm adhuc tenebræ essent; sed quia hortus in quo sepultus jacebat Christus, erat extra civitatem situs ad occidentem, ad illum non pervenerunt nisi orto jam sole, ut dicit Marcus 16. Intellige tamen ortum solem, non de corpore solis super horizontem, sed de primis radiis tenebras depellere incipientibus.

Quomodò autem Christus, si surrexerit tertiâ die summo mane, manserit tribus diebus et tribus noctibus in sepulcro, ut dicitur Matth. 12, diximus diss. præced. art. 2, in fine.

Articulus III.

De Christo primo omnium resurgente et aliis cum ipso resurgentibus.

Dico 1° : Quamvis plures ante Christum resurrexerint resurrectione imperfectâ, quæ est liberatio à morte actuali tantùm; ipse tamen primus omnium resurrexit resurrectione perfectâ, quæ est liberatio non solùm à morte actuali, sed etiam à necessitate, et, quod plus est, à possibilitate moriendi; resurrexit enim ad vitam immortalem : unde, 1 Cor. 15, dicitur : *Christus resurrexit primitiæ dormientium;* Coloss. 1 : *Qui est principium primogenitus ex mortuis;* Apocal. 1 : *Primogenitus mortuorum.* (Ibid. a. 3, o.) Quantùm ad secundam partem tituli, Matthæus c. 27, postquàm significavit Christum in cruce animam egisse, inter varia prodigia quæ tunc contigisse narrat, dicit : *Et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt, et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.* Ubi Evangelista, occasione apertionis monumentorum quæ contigit Christo moriente ex terræ motu, ponit per anticipationem resurrectionem mortuorum ante resurrectionem Christi, cùm tamen nonnisi post illam aut cum illâ facta sit, ut patet ex eo quod subjungit : *Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus..... apparuerunt multis;* absurdum enim foret dicere eos triduò vivos mansisse in sepulcris sive clausis sive apertis. Item cùm finis resurrectionis eorum esset ut apparendo hominibus Christi resurrectionem testarentur, si non apparuerunt nisi post Christi resurrectionem, nec ante illam resurrexerunt. Quinam autem fuerint sancti qui cum Christo resurrexerunt, non dicit S. Scriptura; sed verisimile est, ut tenet communior opinio, fuisse illos qui specialem respectum habuerunt ad Christum, fueruntque illustriores ejus figuræ, ut Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, David, Melchisedech, etc., et etiam nonnullos recens defunctos, ut Zachariam, Joannem Baptistam, Simeonem, etc., quia cùm hi essent Judæis noti, aptiores erant ut testarentur illis Christum resurrexisse, et ipsum esse suæ resurrectionis auctorem.

Verùm gravior difficultas est utrùm ad vitam immortalem resurrexerint, et, ascendente Christo in cœlum, ipsi etiam cum suis corporibus in cœlum ascenderint; an è contra iterùm mortui sint et ad sepulcra sua redierint, communem resurrectionem exspectaturi. Primam sententiam tenent S. Ignat. Epist. ad Magnesianos, Orig. in cap. 27 Matth., Euseb. l. 4 Demonst. Evang. c. 12, S. Ambros. super Luc. et alii. Secundam amplectuntur S. Aug. Epist. 99 ad Evod., S. Chrysost. Hom. 28 in Epist. ad Heb.; Theodoret. cap. 11 ejusdem Ep., S. Greg. Mag. lib. 1 Moral. in Job, S. Th. hìc, art. 3, ad 2, quamvis junior oppositum tenuerit in 4, d. 43, art. 3. Huic secundæ sententiæ aliquantò mihi probabiliori subscribens,

Dico 2° : Qui cum Christo resurrexerunt, iterùm mortui sunt et ad sua sepulcra redierunt, secundò resurrecturi in fine mundi (Ibid. ad 2.)

Prob. 1° : Apost. Heb. 11, dicit justos veteris Testamenti non consecuturos consummatam felicitatem, quæ in glorificatione animæ et corporis sita est, nisi nobiscum, seu communi cœtu fidelium in generali resurrectione. *Hi omnes,* inquit, *testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid meliùs disponente, ut non sine nobis consummarentur.*

Respondet 1° Sylvius, id verum esse communiter et salvo privilegio. — Sed contra, omninò gratis et absque ullo fundamento fingitur hujusmodi privilegium pro his qui sur

rexerunt cum Christo, imò contra dictum Apostoli. Etenim inter eos qui surrexerunt cum Christo, verisimillimum est, ut diximus, fuisse Abraham, Isaac, Jacob, Moysem, Davidem, etc., et tamen illis non fuisse concessum privilegium consummatæ felicitatis ante generalem resurrectionem expressè tradit Apost. dicens : *Et hi omnes* (quos scilicet nominavit in toto capite ; nominavit autem Abraham, Isaac, Jacob, Moysem, Davidem, etc.) *non acceperunt repromissionem.*

Respondet 2° Apostolum posse intelligi de solâ gloriâ animæ, quam patres antiqui non acceperunt sine nobis, id est ante statum novæ legis. Sed contra Apost. loquitur de felicitate consummatâ : *Non sine nobis consummarentur :* felicitas autem consummata in glorificatione corporis simul et animæ sita est.

Prob. 2° : Davidem fuisse de numero justorum qui cum Christo resurrexerunt, jam dictum est : et adhùc ipsum fuisse in sepulcro post ascensionem Domini, constat ex Apostolo Petro, qui Act. 2, die Pentecostes Judæis probat hæc verba Psalmi 15 : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, de Davide non esse dicta ; *quòniam*, inquit, *defunctus est et sepultus est, et sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem.* Quæ ratio nihil probaret, nisi intelligatur continens cum contento, id est, sepulcrum in quo tunc esset corpus Davidis jam corruptum.

Respondet Sylvius quòd sepulcrum quod jam diu continuerat corpus Davidis, esset sufficiens argumentum corruptionis illius, etiamsi fortè, cùm Apost. Petrus illa diceret, non tunc illud contineret.

Sed contra 1° : Si corpus Davidis non erat tunc in sepulcro, nihil evincebat Petrus ; quia etsi David statim à morte surrexisset, et caro ejus non vidisset corruptionem, posset nihilominùs illud monumentum manere. 2° Si sepulcrum vacuum Davidis esset sufficiens argumentum ejus corruptionis, quia illud continuerat, pariter sepulcrum Christi vacuum, quod erat tunc apud Judæos et est adhuc in terrâ, esset sufficiens argumentum corruptionis illius, et retorquere potuissent Judæi in Petrum dicendo : Ergo de illo dictum non est : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

Prob. 3° : Inter eos qui suscitati sunt cum Christo, fuit indubiè Joannes Baptista : atqui caput ejus servatur Romæ : ergo. 4° Communis sensus fidelium est, neminem præter Christum et B. Virginem cum corpore cœlos ascendisse.

Obj. cum laudato Sylvio : 1° Sancti qui cum Christo resurrexerunt, non convixerunt cum aliis hominibus, nec omnibus apparuerunt, sed aliquibus tantùm, quod est proprium corporum gloriosorum. 2° Surrexerunt in testimonium resurrectionis Christi, quæ fuit ad vitam immortalem. 3° Connaturale est animæ beatæ uniri corpori immortali. 4° Nullum alioquin eis collatum fuisset beneficium, sed potiùs pœna. Ergo.

Respondeo ad primum, sanctos qui resurrexerunt cum Christo, non convixisse cum aliis, quia ad hoc non fuerunt suscitati, sed duntaxat ut essent testes resurrectionis Christi. Non apparuerunt omnibus, quia non omnibus se conspicuos exhibuerunt. Cæterùm esto inde inferretur quibusdam corporum gloriosorum qualitatibus fuisse ex speciali privilegio donatos, has habuerunt non per modum habitûs permanentis, sed per modum dispositionis transeuntis, qualiter habuit Moyses in transfiguratione. — Ad secundum : Fuerunt sufficientes testes resurrectionis Christi per suam resurrectionem realem, nec ad hoc erat necesse ut parem cum Christo immortalitatem consequerentur. — Ad tertium : Connaturale est animæ beatæ in omnibus subjici divinæ ordinationi, et uniri corpori quomodò et quando ipsi placuerit. — Ad quartum : Resurrectio sanctorum facta est non tam in illorum gratiam, quàm in gratiam resurrectionis Christi. Neque secunda mors illis fuit pœna, quia contigit sine ullâ vi et sine ullo dolore, sed simplici separatione animæ à corpore.

Petes utrùm Christus fuerit causa suæ resurrectionis. — Respondeo : Christus secundùm divinitatem fuit causa efficiens principalis suæ resurrectionis ; instrumentalis autem secundùm humanitatem, seu quatenùs anima et corpus erant instrumentum divinitatis ; causa denique meritoria fuit per suam passionem. (Ibid. a. 4, o.)

Articulus IV.

De qualitate Christi resurgentis.

Quatuor hìc occurrunt expendenda : primum, an Christus resurgendo verum et idem corpus resumpserit ; secundum, an integrum ; tertium, an gloriosum ; quartum, an cum cicatricibus. Pro quorum resolutione,

Dico 1° : Christus resurgendo verum et idem corpus resumpsit ; alioquin non fuisset vera resurrectio, illud enim resurgere dicitur, quod cecidit : corpus autem Christi per mortem ce-

cidit, quatenùs anima quæ erat formalis ejus perfectio, fuit ab eo separata : ergo ut esset vera ejus resurrectio, oportuit ut verum et idem corpus iteratò eidem animæ uniretur. (Q. 54, a. 1, o.)

Dices 1° : Verum corpus non potest esse simul cum alio corpore in eodem loco : atqui corpus Christi post resurrectionem fuit simul cum alio corpore in eodem loco, dùm intravit ad discipulos januis clausis, Joan. 20. Ergo. 2° Verum corpus ab oculis intuentium non evanescit, nisi fortè corrumpatur, quod tamen contigit Christo, Luc. ult. 3° Cujuslibet veri corporis est determinata figura; sed corpus Christi apparuit discipulis in aliâ effigie, Marci ult. Ergo.

Respondeo ad primum, penetrationem hanc factam fuisse miraculosè virtute divinitatis unitæ, quæ, servatâ quantitate, potest ab eâ separare ejus proprietatem, qualis est impenetrabilitas. Ad secundum : Hæc est dispositio corporis gloriosi, quale habuit Christus, sicut mox dicam, ut sit omninò subjectum spiritui, ita ut omnis actio corporis subdatur spiritûs voluntati. Quòd autem aliquid videatur, fit per actionem visibilis in visum; et ideò quicumque habet corpus glorificatum, in potestate suâ habet videri quando vult, et non videri quando non vult. Hoc tamen habuit Christus, non solùm ex conditione corporis gloriosi, sed etiam ex virtute divinitatis, per quam fieri potest ut corpora etiam non gloriosa miraculosè non videantur. Dicitur ergo quòd Christus ab oculis discipulorum evanuit, non quòd corrumperetur aut resolveretur in aliqua invisibilia, sed quia suâ voluntate desiit ab eis videri, sive præsens, sive abscedens velociter per dotem agilitatis. — Ad tertium : Christus in resurrectione nullatenùs mutavit vultûs effigiem, quantùm scilicet ad lineamenta; nihil enim in ipso inordinatum erat; sed sicut in potestate ejus erat ut corpus suum videretur vel non videretur, ita in potestate ejus erat ut ex ejus aspectu formaretur in oculis intuentium vel forma gloriosa, vel non gloriosa, vel commixta, vel qualitercumque se habens. Adde quòd modica differentia sufficiat ad hoc quòd aliquis videatur in aliâ effigie apparere. (Ibid. ad 3.)

Dico 2° : Corpus Christi resurrexit integrum; quia fuit ejusdem naturæ in resurrectione ac erat ante mortem, ut dixi superiùs, licet alterius gloriæ : unde quidquid ad naturam corporis humani pertinet, ut sunt ossa, carnes, sanguis et alia hujusmodi, totum fuit in corpore Christi resurgentis. Specialis est difficultas de sanguine, an totum qui effusus est in passione resumpserit. Pro quo vide tract. de Incarn. diss. 7, art. 2, concl. 2, præsertim obj. 2, ubi resolvimus resumpsisse totum sanguinem, moraliter loquendo de sanguine qui sit necessarius ad integritatem corporis, non physicè loquendo de quibusdam minimis particulis sanguinis, sine quibus stat integrum corpus. Altera difficultas est de præputio, an illud resumpserit. Respondi negativè in præsenti tract. diss. 5, a. 7; vide.

Dico 3° : Corpus Christi resurrexit gloriosum. (Ibid. a. 3, o.) Ante probationem, notandum corporis gloriosi quatuor qualitates numerari à theologis, scilicet claritatem, impassibilitatem seu incorruptibilitatem, subtilitatem et agilitatem, juxta illud Apost. 1 Cor. 15 : *Sicut stella differt à stellâ in claritate, sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in glorià; seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Dicimus itaque corpus Christi resurrexisse his quatuor qualitatibus instructum.

Prob. : 1° Resurrectio Christi fuit exemplar et causa nostræ resurrectionis : atqui sancti in resurrectione habebunt corpora gloriosa, ut patet ex Apost. cit. Ergo multò magis corpus Christi resurgentis fuit gloriosum. Patet consequentia, quia causa est potior causato et exemplar exemplato. 2° Christus per humilitatem passionis meruit gloriam resurrectionis. 3° Anima Christi à principio suæ conceptionis fuit gloriosa per fruitionem perfectam divinitatis, ut supra dixi : fuit autem dispensativè factum ut ab animâ gloria non redundaret in corpus, ut mysterium redemptionis nostræ suâ passione impleret : ergo peracto hoc mysterio passionis et mortis Christi, statim anima in corpus resurrectione resumptum suam gloriam derivavit.

Dices 1° : Corpora gloriosa sunt propter claritatem fulgentia : atqui corpora fulgentia videntur secundùm rationem lucis et non secundùm rationem coloris, qualiter tamen visum est corpus Christi; visum est enim sicut priùs videbatur : ergo. 2° Corpus Christi in resurrectione fuit palpabile, Luc. ult.; ergo corruptibile; quod enim palpatur corrumpi necesse est, inquit S. Greg. Hom. 26 in Evang., et patet, quia palpabile constat qualitatibus elementaribus, ratione quarum est tangibile.

3° Corpus quod manducat et bibit, est animale et alterabile : atqui Christus post resurrectionem manducavit et bibit cum discipulis : ergo.

Respondeo ad primum quòd, sicut in potestate hominis glorificati est ut corpus ejus videatur vel non videatur, ut dictum est primâ concl., ita in potestate ejus est ut claritas ejus videatur vel non videatur : unde potest in suo colore sine aliquâ claritate videri. Et hoc modo Christus discipulis suis post resurrectionem apparuit. (Ibid. ad 1.) Adde quòd, cùm omne quod recipitur in aliquo, ad modum recipientis recipiatur, fulgor qui ab animâ derivatur in corpus gloriosum, recipitur secundùm colorem humano corpori naturalem, sicut vitrum diversimodè coloratum recipit splendorem ex illustratione solis, secundùm modum sui coloris. — Ad secundum : Equidem quod est palpabile, est naturaliter corruptibile propter rationem datam : sed ratione dotis gloriosæ fit supernaturaliter incorruptibile. — Ad tertium : Christus manducavit et bibit, non quasi indigens potu et cibo ad nutritionem, sed ut sic naturam corporis resurgentis adstrueret; et ideò non sequitur quòd fuerit ejus corpus animale et alterabile. Fuit tamen vera comestio, quia per instrumenta naturalia corporis animati : non sic comestio angelorum in assumptis corporibus, ut patet Tob. 12. Si quæras quò evaserit cibus et potus, respondeo evasisse vi caloris naturalis in aerem et vapores, eo modo quo sol absumit aquas, non ut sibi uniat, sed ut in aerem et vapores resolvat. (Ibid. ad 3, et q. 55, a. 6, ad 1.)

Dico 4° : Christus convenientissimè resurrexit cum cicatricibus. Quod intellige non de nudis signis et vestigiis vulnerum, sed de ipsis patentibus et apertis foraminibus. Quod patet ex hoc quod dicit Christus Thomæ, Joan. 20 : *Infer digitum tuum hùc, et vide manus meas; et affer manum tuam, et mitte in latus meum.* (Ibid. a. 4, o, et ad 2.)

Id itaque convenientissimum fuit, 1° propter gloriam ipsius Christi, et ut reportati triumphi insignia permanerent; 2° ad confirmandum corda discipulorum circa fidem suæ resurrectionis, utque eos convinceret idem corpus resurrexisse quod fuerat crucifixum; 3° ut Patri pro nobis supplicans et apertas cicatrices ostendens, veluti perpetuum sacrificium offerret; 4° ut in extremo judicio has cicatrices hominibus judicandis ostendat, justis quidem ut incentivum gratitudinis et amoris, reprobis verò in exprobrationem et ignominiam.

Si dicas, aperturas vulnerum contrariari integritati corporis, quia per eas discontinuatur corpus (ibid. ad 2), — respondeo quòd, licet illa apertura vulnerum sit cum quâdam solutione continuitatis, totum hoc tamen compensatur per majorem decorem gloriæ, ita ut corpus non sit minùs integrum, sed magis perfectum.

Petes utrùm Thomas non tantùm viderit, sed etiam tetigerit vulnera Christi. (Ibid.) — Affirmat auctor ex S. Leone. Idem tradunt S. Ambros. in c. ult. Luc., S. Aug. l. 4 de Trinit. c. 3, S. Greg. Hom. 26 in Evang., et alii. An autem cæteri Apostoli etiam tetigerint, dùm Luc. 24 dictum est eis : *Palpate et videte*, incertum est.

Articulus V.

De manifestatione resurrectionis.

Vertitur hìc in quæstionem, 1° utrùm Christus debuerit per se manifestare suam resurrectionem omni populo, et non tantùm aliquibus ; legimus enim Act. 10, quòd se manifestaverit *non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo;* 2° utrùm fuisset conveniens quòd discipulis videntibus resurgeret ; 3° cui primo apparuit ; 4° utrùm post resurrectionem debuerit continuò conversari cum illis. Sequuntur quædam quæstiunculæ.

Dico 1° : Christus post resurrectionem non debuit se omnibus promiscuè manifestum exhibere, quia quæ sunt supernaturalia et excedunt lumen humanum, nec nisi lumine gratiæ cognoscuntur, qualis fuit resurrectio Christi, non solent omnibus revelari, sed aliquibus tantùm, per quos deinde aliis manifestentur. (Q. 55, a. 1, o.) Simili fermè ratione non debuit resurgere discipulis videntibus, quia, secundùm ordinem à Deo institutum, quæ supra naturam sunt denuntiari solent hominibus per angelos. (Ibid. a. 2, o.) Dixi, *solent*, quia aliter aliquando fit, nec dubium est Apostolos plura circa mysteria Trinitatis, Incarnationis et alia accepisse immediatè à Christo vel à Spiritu sancto.

Si petas utrùm ipsi custodes saltem viderint Christum resurgere, respondebo negativè, tum ex ratione datâ, tum quia ex S. Scripturâ primò Magdalenæ apparuit, ut dicam modò ; tum quia custodes dicuntur exterriti, non visione Christi resurgentis, sed angeli descendentis de cœlo, terram concutientis et

lapidem revolventis, ad ostendendum sepulcrum vacuum mulieribus. Et esto fuerint tunc vigiles custodes, in potestate gloriosi corporis Christi erat se exhibere videndum cui vellet.

Dico 2° : Pia et probabilis est sententia quæ dicit Christum à mortuis resurgentem primò apparuisse B. Virgini matri suæ. Ita docent Rupertus abbas, Albertus Magnus, S. Bonaventura et plures recentiores ; atque ita suadet pius Filii in amantissimam Matrem affectus. Ad id quod opponitur ex Marci 16 : *Surgens mane primâ sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ,* respondetur τὸ, *primò*, non significare prioritatem absolutam, sed secundùm quod, scilicet, *primò* inter discipulos, testes et nuntios resurrectionis, vel primò inter apparitiones ab Evangelistis relatas.

Dico 3° : Æquè ad minus probabile est Christum resurgentem primò apparuisse M. Magdalenæ, Quia τὸ *primò*, in textu Marci simpliciter positum, videtur secundùm sensum obvium importare prioritatem absolutam. Unde Ecclesia in officio S. Mariæ Magdalenæ cantat : « Celsi meriti, Maria, quæ « Solem verum resurgentem videre meruisti « mortalium prima. »

Confirmatur 1° ex SS. Patribus Aug., Cyrillo, Bedâ et aliis, qui, dùm apparitionum Christi ordinem et numerum recensent, primam omnium Magdalenæ factam constanter ponunt ; 2° ex silentio Evangelistarum circa istam apparitionem factam B. Virgini. Hæc tamen duo non multùm urgent. Ad primum enim responderi potest, Patres loqui tantùm de apparitionibus recensitis ab Evangelistis. Ad secundum, Evangelistas non recensuisse omnes Christi apparitiones, ut patet ex 1 Corinth. 15, et mox dicam.

Dico 4° : Christus post suam resurrectionem non debuit continuè conversari cum discipulis. (Ibid. a, 3, o.) Quia circa resurrectionem Christi duo erant discipulis declaranda, scilicet, ipsa veritas resurrectionis, et gloria resurgentis. Ad veritatem autem resurrectionis sufficiebat quòd pluries ei apparuerit, cum eis familiariter conversatus fuerit, comederit, biberit et se iis palpandum exhibuerit. Ad gloriam resurgentis manifestandam, non conveniebat ut continuè cum eis conversaretur sicut priùs fecerat, ne videretur ad talem vitam resurrexisse qualem priùs habuerat, scilicet mortalem. Unde Luc. ult. dicit eis : *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm essem adhuc vobiscum,* id est, cùm essem adhuc in carne mortali in quâ estis vos.

Petes 1° quot fuerint Christi apparitiones. — Respondeo decem referri ab Evangelistis, juxta observationem S. Aug. lib. 3 de Consensu Evang. in fine ; quinque ipsâ die resurrectionis, alias postea. (Ibid ad 3.) Prima itaque facta est Magdalenæ, Marci ult. Joan. 20 ; secunda mulieribus è sepulcro redeuntibus, Matth. 28 ; tertia Petro ; duobus enim discipulis redeuntibus ex Emmaûs dixerunt alii simul congregati : *Surrexit Dominus verè et apparuit Simoni*, Luc. 24 ; quarta, discipulis euntibus in Emmaûs, Luc. ult. ; quinta, cùm Dominus intravit ad discipulos ianuis clausis, absente Thomâ, Luc. 24, Joan. 20 ; sexta, die octavâ iterùm discipulis præsente Thomâ, Joan. 20 ; septima, ad mare Tiberiadis, Joan. 21, qui vocat eam tertiam, scilicet, ex his quæ factæ fuerant pluribus discipulis simul, vel tertiam inter eas quas ipse recensuit ; octava, undecim discipulis in monte Galilææ, ubi constituerat illis Jesus, Matth. 28 ; nona, *novissimè recumbentibus undecim Apostolis* Jerosolymis, Marci ult. ; decima denique ipsâ die ascensionis in monte Oliveti prope Bethaniam, Luc. 24 et Act. 1. Circa nonam difficultas est : plures enim volunt hanc apparitionem fuisse ultimam ex his quæ factæ sunt die resurrectionis, proinde quintam, idque videtur innui in textu ; postquàm enim Marcus narravit apparitionem factam Magdalenæ et duobus discipulis euntibus in Emmaûs, quibus cæteri non crediderunt, immediatè subjungit : *Novissimè*, græcè *postea, recumbentibus illis undecim apparuit, et exprobravit incredulitatem eorum*, etc. Neque verisimile est Christum ipso suæ ascensionis die exprobrâsse incredulitatem Apostolis, quia jamdiu antea crediderant. Neque obstat tunc non fuisse undecim Apostolos, sed decem tantùm ; Thomas enim aberat, ut dictum est, et etiam adfuisse alios ex discipulis, quia à nobiliori parte consessus vocabatur *undecim* virorum, eò quòd post Judæ discessum collegium Apostolorum tot constabat capitibus. Juxta hanc sententiam, non improbabilem, erunt tantùm novem apparitiones ab Evangelistis relatæ.

Petes 2° ubi Christus esset extra tempus harum decem apparitionum. — Respondeo verisimiliter fuisse aliquando cum dilectissimâ Matre, aliquando cum patribus quos æternâ beatitudine donaverat ; certò autem aliquando cum discipulis. Præter enim has decem appa-

ritiones ab Evangelistis recensitas, plures alias factas esse ipsis discipulis ad eorum consolationem et instructionem constat, partim, ut jam dixi, ex Apost. 1 Cor. 15, ubi refert apparitionem factam quingentis fratribus simul, deinde Jacobo, de quibus tamen nulla est mentio apud Evangelistas; partim ex illo Act. 1 : *Per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei;* id est, de rebus Ecclesiam spectantibus; non enim omnia scripta sunt, inquit Auctor ex Joanne.

Petes 3° quis sensus horum verborum Christi ad Magdalenam Joan. 20 : *Noli me tangere; nondùm enim ascendi ad Patrem;* cùm tamen paulò post permiserit se tangi à mulieribus redeuntibus è sepulcro, et probabiliter à Magdalenâ quæ fortè in reditu eas attigerat? — Respondeo sensum litteralem horum verborum esse hunc : Ne nunc moreris in mei amplexu et pedum osculis, sed vade citò et nuntia fratribus meis meam resurrectionem; erit tibi postea sufficiens tempus satisfaciendi tuo desiderio; *nondùm enim ascendi*, pro *ascendo, ad Patrem;* id est, non decrevi tam citò ascendere ad Patrem et à vobis discedere. Permisit autem paulò post aliis mulieribus illum tangere, sed breviter et non morando, sicut volebat facere Magdalena præ sui amoris fervore, et secundùm quod antea consueverat.

Petes 4° quoties Magdalena et aliæ mulieres accesserunt ad sepulcrum. — Respondeo bis accessisse; in primo accessu non viderunt Christum, sed angelos tantùm, qui dixerunt eis illum resurrexisse, atque id nuntiarent discipulis; quod et fecerunt, Luc. 24, v. 9, 10 et 23. In secundo accessu viderunt Christum, Magdalena prope sepulcrum, aliæ mulieres in viâ dùm redirent è sepulcro, qui pariter dixit eis ut id nuntiarent fratribus suis; quod etiam fecerunt, Joan. 20, Marci 16, v. 10, Matth. 28, v. 10.

Articulus VI.

De veritate resurrectionis Dominicæ.

Dico 1° : Christus variis testimoniis et argumentis, seu signis sensibilibus sufficienter probavit veritatem suæ resurrectionis. (Ibid. a. 6, o, et ad 1.) Prob. : Christus veritatem suæ resurrectionis probavit, 1° testimonio S. Scripturarum, Luc. ult.; 2° testimonio angelorum; 3° se oculis discipulorum corporaliter præsentem exhibendo in eâdem effigie, conversantem, manducantem, bibentem cum illis, seque ab eis palpandum cum suis cicatricibus præbendo; 4° asserendo seipsum esse, atque hanc assertionem miraculis confirmando, ut ingressu ad eos januis clausis, subitaneo discessu ab eorum oculis, stupendâ capturâ piscium, ascensione suâ in cœlum, etc. Adde alia miracula quæ tempore vitæ fecit in assertionem suæ doctrinæ, cujus caput erat resurrectio futura.

Dices : Angeli sæpè apparuerunt hominibus in specie humanâ, atque cum illis conversati sunt, manducaverunt et biberunt, et tamen non erant veri homines : ergo apparitiones Christi insufficienter probant ejus resurrectionem. — Respondeo : Quamvis apparitiones Christi seorsim sumptæ non sufficerent ad probandam veritatem resurrectionis, sufficiunt tamen junctæ aliis argumentis, scilicet testimonio S. Scripturarum et angelorum, atque assertioni Christi miraculis confirmatæ; cùm enim miracula sint à Deo, repugnat ejus veracitati et bonitati facere miracula in assertionem falsi, ex quo homines invincibiliter in errorem inducerentur. Porrò angeli qui apparuerunt in effigie humanâ, non asseruerunt se esse veros homines, et si asseruissent, non sunt patrata miracula ut hoc crederetur.

Dico 2° : Veritas resurrectionis Christi invictissimè probatur testimonio Apostolorum. In primis Act. 2, ipsâ die Pentecostes, Petrus in medio Jerusalem toti plebi annuntiat resurrectionem Christi, quâ unâ prædicatione convertuntur ad Christum tria millia Judæorum. Paulò post Act. 3 et 4, pariter in medio Jerusalem prædicat cum Joanne Christum resurrexisse, hujus facti se testes asserunt, et in hujus assertionis veritatem insigne miraculum edunt, sanando claudum ex utero matris, qui quotidiè sedebat ad portam Templi ut peteret eleemosynam; atque inde convertuntur quinque millia virorum. Stant coram principibus sacerdotum, Sadducæis et Pharisæis, à quibus interrogati quâ virtute aut quo nomine istud miraculum fecerint, respondit Petrus se fecisse in nomine Jesu Christi. *Quem*, inquit, *vos crucifixistis, quem Deus suscitavit à mortuis.* Prohibent ipsis sacerdotes et magistratus ne ultra *loquerentur et prædicarent in nomine Jesu. Petrus verò et Joannes respondentes dixerunt ad eos : Si justum est in conspectu Dei vos potiùs audire quàm Deum, judicate; non enim possumus quæ vidimus et audivimus, non loqui. At illi comminantes dimiserunt eos.*

Quid huic testimonio opponere potest humana ratio? Resumamus singula : 1° Ad unam Petri prædicationem publicam quòd Christus re-

surrexerit, convertuntur tria millia Judæorum; ad alteram, quinque millia : quâ virtute, nisi divinâ ? Vera ergo prædicabat Petrus. 2° Quâ iterùm virtute sanatus est claudus ex utero matris in confirmationem prædicationis Petri ? Non diabolicâ, diabolus enim non potest facere vera miracula ; et esto posset, non faceret in destructionem sui imperii : ipsum autem maximè intererat ut non crederetur Christus resurrexisse : ergo virtute divinâ. Deus autem non facit miracula in assertionem falsi, ut jam dixi. 3° Quare principes et magistratus non arguunt Apostolos falsi, objicientes quòd ipsimet furati sint corpus Jesu, ut jusserant antea publicari per custodes ? Quare eos non cogunt istud corpus reddere ? Hoc solo res confecta fuisset, et impostura Apostolorum palam declarata. 4° Tandem quo motivo Apostoli antea tremuli et occulti propter metum Judæorum, nunc sub periculo vitæ suæ toti plebi resurrectionem Christi annuntiant, et coram magistratibus constanter asserunt, indictum de eâ re silentium contemnunt, si sciant reverà Christum non surrexisse ?

2° Matthæus suum Evangelium et in eo historiam mortis et resurrectionis Christi scripsit octavo circiter anno post mortem Christi, adjunctis pluribus factis publicis, ut quòd moriente Christo velum templi sit scissum, quòd terra tremuerit, petræ scissæ, monumenta aperta, quòd post resurrectionem corpora defunctorum pluribus apparuerint, quòd sacerdotes et magistratus signâssent ostium sepulcri et munierint custodibus, quos postea induxerunt, numeratâ pecuniâ, ut testarentur ipsis dormientibus corpus Christi ab ejus discipulis fuisse sublatum : hæc, inquam, facta publica et toti Jerosolymæ nota narrat Matthæus, quando vivebant adhuc innumeri testes oculati et auriti qui, si falsa dixisset, extemplò ipsum mendacii arguissent; et tamen nemo illi tunc contradixit, aut certè proferatur auctor hujus ætatis, quo constet ipsi et aliis Evangelistis eadem narrantibus, ab aliquo fuisse contradictum.

3° Cùm certum sit corpus Christi in sepulcro revoluto lapide tertiâ die non fuisse inventum, fatendum est vel ipsum resurrexisse, vel ab aliquibus fuisse furtim sublatum. Hoc secundum dici non potest, cùm principes Judæorum omnem curam adhibuerint ne posset auferri, obsignantes scilicet ostium sepulcri et apponentes illi milites custodes. Ast, inquiunt, discipuli Jesu illud furtim sustulerunt, custodibus dormientibus (id enim ut testarentur custodes, dederunt principes illis pecuniam, ut jam dixi). Verùm hoc putidum figmentum apertè refluunt sequentia : 1° Dormientes testes adhibent, quod risu potiùs quàm seriâ refutatione dignum est ; quomodò enim rescire potuerunt quod ipsis dormientibus factum est? 2° Post vulgatam Christi resurrectionem, Apostoli adhuc diu manserunt Jerosolymis; si sustulerant corpus Jesu, quare principes Judæorum ab illis illud non repetierunt et spectandum populo non proposuerunt ? hoc enim solo facto famam de Christi resurrectione penitùs abolevissent. 3° Quis credat Apostolos, viros simplices, rudes, meticulosos et ad vocem ancillæ trepidantes, ausos fuisse subripere corpus Jesu præsentibus custodibus, quos, etiamsi supponas dormientes, levissimum murmur excitare potuisset ? Non poterat autem sine gravi strepitu revolvi magnus lapis ab ostio monumenti. Si dicas, Apostolos cuniculos subterraneos egisse, et terrâ suffossâ corpus Christi ab imâ parte sepulcri subripuisse, ad quod non attenderunt custodes ; contra est, quòd sepulcrum non in terrâ, sed in rupe fuerit excisum : impossibile autem erat absque immenso labore, magno strepitu et longissimo tempore, rupem ab imo scindere, sic, ut per scissuram extraheretur corpus. Et dato id fieri potuisse non excitatis custodibus, remansissent in scissâ rupe furti indicia, quæ nullâ arte, neque terrâ ingestâ, neque insertis lapidibus potuissent explorationi Judæorum subduci; sicque apertè fraudem discipulorum cognovissent, nec fabulam de custodibus dormientibus excogitâssent. Insuper dicant quis revolvit lapidem magnum ab ostio monumenti ? viderant enim custodes revolutum lapidem ; viderant angelos stantes ad sepulcrum, quorum aspectu territi fugerunt, atque totum factum ac vacuum sepulcrum magistratibus denuntiârunt. Porrò utquid opus erat agere cuniculos subterraneos ab imâ parte sepulcri, cùm superiùs esset omninò apertum ?

4° Tandem dato, quod omninò incredibile est, Apostolos potuisse quovis modo subripere corpus Christi, quis credat eos id voluisse ? Quo enim motivo inducti fuissent ut absque ullâ spe præmii fingerent atrocissimum mendacium resurrectionis, quo toti generi humano illuderent, et Judæorum odium in se concitarent, illudque cum famæ, bonorum et vitæ periculo sustinerent ? Is sanè insanos fuisse credat, quisquis eos id attentâsse credit.

Concludamus igitur cum S. Aug. contra Judæos : « Aut sepultum reddant, aut resurgentem nobiscum adorent. »

Petes utrùm resurrectio Christi sit causa nostræ resurrectionis. — Respondeo esse causam efficientem, instrumentalem et exemplarem resurrectionis nostrorum corporum et nostrarum animarum. (Q. 56, a. 1, et 2, o.) Est causa efficiens, non ut est actus qui statim transiit, sed quatenùs, secundùm quam Christus resurrexit, est instrumentum divinitatis conjunctæ ad suscitanda corpora nostra et justificandas nostras animas. Est autem causa exemplaris, quatenùs corpore et animâ conformamur Christo resurgenti. (Ibid. a. 1 et 2.)

Dissertatio decima tertia.

DE ASCENSIONE CHRISTI ET MISSIONE SPIRITUS SANCTI.

(*D. Th. QQ.* 57 *et* 58.)

ARTICULUS PRIMUS.

De ascensione Christi secundùm se.

Supposità fide de ascensu Christi in cœlum, de quo pluries S. Scriptura, subjicitur examini, 1° utrùm conveniens fuerit Christum ascendere in cœlum ; 2° cur post quadraginta dies; 3° quâ virtute ascenderit; 4° quis fuerit terminus ascensûs ; 5° qui effectus et fructus illius.

Dico 1° : Conveniens fuit Christum ascendere in cœlum, 1° quia locus debet esse proportionatus locato : cœlum autem est locus incorruptionis : terra, generationis et corruptionis : atqui Christus post resurrectionem habebat corpus incorruptibile : ergo. 2° Quia mortis et inferorum victori ac triumphatori hæc sedes regia debebatur. 3° Ad augmentum fidei, quæ est de non visis ; ad sublevamen spei, quia per hoc quòd Christus ut caput nostrum ascendit in cœlum, dedit nobis ut suis membris spem illùc perveniendi ; unde ipse dicit : *Vado parare vobis locum.* Item ad incentivum affectûs charitatis in cœlestia ; unde Apost. Coloss. 3 : *Quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in dexterâ Dei sedens ; quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram.* 4° Ut ostenderet doctrinam suam non esse terrenam, sed cœlestem ; regnum suum non esse temporarium, sed æternum ; et ut mittendo Spiritum sanctum doctrinæ suæ confirmatorem, probaret eum ab ipso procedere. Confer concl. quintam. (Q. 57, a. 1, o, et ad 3.)

Dico 2° : Christus convenienter ascendit in cœlum post quadraginta dies à resurrectione : 1° Ut efficacius probaret veritatem resurrectionis. 2° Ut absentiam quadraginta horarum quâ moriendo discipulos afflixerat, præsentiâ quadraginta dierum compensaret ; ab horâ enim nonâ feriæ sextæ quâ mortuus est Christus, ad auroram diei dominicæ quâ resurrexit, numeramus quadraginta circiter horas. 3° Ut sicut Deus Moysi post transitum maris Rubri se visendum exhibuit per quadraginta dies, ut ipsum de mysteriis legis instrueret : sic Christus post transitum maris suæ passionis voluit se per quadraginta dies visendum exhibere Apostolis, ut ipsos de dogmatibus, sacramentis, sacris ritibus, de quibus silet Evangelium, instrueret : unde Act. 1 dicitur : *Per quadraginta dies apparens eis et loquens de regno Dei,* id est, de rebus ad Ecclesiam pertinentibus. (Ibid. ad 4.)

Dico 3° : Christus ascendit propriâ virtute : 1° divinâ, quia est verus Deus ; 2° virtute animæ moventis, prout vult corpus glorificatum et dote agilitatis præditum. (Ad 3, o.)

Dices : Matth. ult. dicitur quòd *Dominus Jesus postquàm locutus est discipulis, assumptus est in cœlum.* Et Act. 1 : *Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Atqui quod assumitur et elevatur, ab alio videtur moveri : ergo. — Respondeo quòd, sicut Christus dicitur propriâ virtute resurrexisse, et tamen est suscitatus à Patre, eò quòd eadem sit virtus Patris et Filii, ita etiam Christus propriâ virtute ascendit in cœlum, et tamen à Patre est elevatus et assumptus. Nec obstat quòd dicatur : *Et nubes suscepit eum ;* non enim sensus est quòd nubes eum sustentaverit et elevaverit, sed quòd subduxerit ab oculis discipulorum ; et ideò dicitur : *Nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Apparuit autem ista nubes in signum divinitatis, sicut gloria Dei Israel apparebat super tabernaculum in nube. (Ib. a. 4, ad 4.) Statim verò ac subduxit eum nubes, cùm antea pedetentim elevaretur, ut meliùs à discipulis observaretur, uno quasi momento ad instar fulguris immensa cœlorum spatia penetravit, et ad cœlorum verticem pervenit.

Dico 4° : Probabile est Christum sic ascendisse super omnes cœlos, ut pedibus contingat convexum supremi cœli, et totus sit extra cœlos, conformiter S. Scripturæ dicenti Eph. 4 : *Ascendit super omnes cœlos ;* et Heb. 7 : *Pontifex... excelsior cœlis factus.* Hanc senten-

tiam tenet S. Th. hìc a. 4, et post ipsum Cajet. Suares, à Lapide, etc. Attamen est ad minus æquè probabile Christum ascendisse duntaxat ad supremam partem cœli empyrei, et totum in eo esse ; idque etiam conformiter S. Scripturæ, Marci ult. et Act. 1 : *Assumptus est in cœlum ;* Act. 3 : *Quem oportet cœlum suscipere.* Et Psal. 10, cœlum dicitur *sedes Dei.* Atque hanc sententiam tenet S. Th. in 3, d. 22, q. 3, a. 3, dicens : « Non dicitur ascendisse super « cœlos, quia extra cœlum empyreum sit, sed « quia in altissimam partem cœli empyrei as- « cendit. » Quem sequuntur Sylvester, Paludanus et communiùs recentiores. Neque sanè textus laudati pro primâ sententiâ, neque aliqua ratio nos cogunt collocare Christum toto corpore extra cœlum.

Ad primum ergo textum, Eph. 4 : *Ascendit super omnes cœlos*, respondeo, cum S. Th. ultimo citato, intelligendum esse quòd in altissimam cœli partem ascendit ; sicut dicimus ascendisse super arborem vel super turrim, non solùm qui verticem transcendit, sed etiam qui altiores ramos vel gradus conscendit, etsi infra verticem hæreat. Ad secundum : Dicitur *Pontifex excelsior cœlis factus ;* id est, pontifex puritate superior cœlestibus spiritibus, *qui non habet necessitatem quotidiè quemadmodùm sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre,* ut immediatè subdit Apost. Vel dicitur *excelsior cœlis factus,* quia penetravit omnes cœlos usque ad summum, et sedens ad dexteram Patris, supremum in rebus obtinet locum et imperium.

Dico 5° : Effectus seu fructus ascensionis Christi sunt partim ea quæ recensuimus in primâ concl., tanquàm motiva illius, scilicet augmentum fidei, spei et charitatis, et missio Spiritûs sancti ; insuper apertio regni cœlorum, quorum introitus peccato protoparentis erat nobis occlusus ; item officium advocati quod Christus pro nobis erga Patrem exercet, juxta illud 1 Joan. 2 : *Advocatum habemus ad Patrem, qui etiam interpellat pro nobis ;* denique manifestatio suæ supremæ potestatis, majestatis, gloriæ, triumphi, adimpletionis omnium prophetiarum, ac munificentiæ in omnes homines, quos omnis generis donis, gratiis, signis, miraculis cumulat, juxta illud Ephes. 4 : *Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.*

Articulus II.

De tempore et loco ascensionis Christi, necnon de ejus sessione ad dexteram Patris.

Dico 1° : Christus ascendit in cœlum quintâ maii, quæ hoc anno incidit in feriam quintam. Prob. Christus crucifixus est feriâ sextâ, quæ erat vigesima quinta martii ; surrexit die tertiâ, quæ erat dominica dies, vigesima septima ejusdem martii ; in Act. Apost. c. 1, numerantur quadraginta dies à die resurrectionis ad diem ascensionis. Ergo contigit ascensio quintâ maii, feriâ quintâ hebdomadæ.

Dico 2° : Probabile est Christum ascendisse in cœlum circa meridiem seu paulò post, quia Lucas Act. 1, postquàm dixit : *Et convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissum Patris ;* paulò post subdit : *Videntibus illis elevatus est.* Per τὸ *convescens,* intelligitur prandium, quod solet accipi circa meridiem. Scio quosdam loco *convescens,* legere, *conversans,* sed insistimus Vulgatæ.

Dico 3° : Christus ascendit in cœlum ex monte Oliveti. Prob. Lucas Act. 1, postquàm retulit ascensionem Domini coram discipulis, subjungit : *Tunc reversi sunt Jerosolymam à monte qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter.*

Si dicas, eumdem Lucam c. ult. Evangelii scribere : *Eduxit discipulos suos foràs in Bethaniam, et elevatis manibus benedixit eis ; et factum est, dùm benedixit illis, recessit ab eis et elevatus est ;* — respondeo hæc cum præcedentibus minimè pugnare, quia Bethania erat in declivio montis Oliveti sita : transivit ergo Jesus Bethaniam, atque inde ascendit montem, unde et in cœlum elevatus est. Testantur S. Hieron. de Locis Hebraicis, S. Aug. Tract. 47 in Joan. ; S. Paulinus Nolanus Epist. 11 ad Severum Sulpitium, Beda de Locis Sanctis c. 7, etc., Christum in monte impressisse terræ pedum vestigia constanter permanentia, et templum ibi ab Helenâ Constantini matre exstructum nunquàm potuisse contegi. Hæc sunt S. Hieronymi verba loco cit. : « Mons Oliveti ad « orientem Jerosolymæ, torrente Cedron in- « terfluente, ubi ultima vestigia Domini humo « impressa, hodièque monstrantur : cùmque « terra eadem quotidie à credentibus hauria- « tur, nihilominùs tamen eadem sancta vesti- « gia pristinum statum continuò recipiunt. « Denique cùm ecclesia, in cujus medio sunt, « rotundo schemate et pulcherrimo opere con- « deretur, summum tantùm cacumen, ut per- « hibent, propter Dominici corporis meatum, « nullo modo contegi et concamerari potuit ; « sed transitus ejus à terrâ ad cœlum usque « patet apertus. »

Dico 4° : Probabilius est ascendenti Christo

præter Apostolos adfuisse præsentes B. Virginem matrem Jesu, et ejus cognatos cum aliis mulieribus, quia Lucas Act. 1, postquàm descripsit ascensionem Christi coram Apostolis, et dixit eos regressós Jerusalem introîsse cœnaculum, immediatè subdit : *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et Mariâ matre Jesu, et fratribus ejus :* quo contextu innuitur hos ultimos rediisse cum Apostolis è monte Oliveti post ascensionem Christi, et huic adfuisse cum illis.

Dico 5° : Sedere ad dexteram Patris convenit Christo quà Deo et quà homini, diverso tamen modo. (Q. 58, a. 1, 2, 3, o.) Prob. Dextera Patris non sumitur hìc corporaliter sensu Antropomorphitarum, quasi in Deo sint humana membra ; sed metaphoricè pro divinis bonis, scilicet, et gloriâ divinitatis, æternâ beatitudine, atque regnandi et judicandi potestate. Ünde sedere ad dexteram Patris, est tranquillè et immobiliter possidere divina bona, nempe gloriam divinitatis, æternam beatitudinem et regalem et judiciariam potestatem. Atqui Christus quà Deus possidet essentialiter gloriam divinitatis, æternam beatitudinem atque regalem et judiciariam potestatem, ita ut τὸ, *ad*, quod est transitivum, respectivè ad Christum quà Deum, importet tantùm distinctionem personarum et ordinem originis, non gradum naturæ vel dignitatis, in quo est æqualis Patri : Christus autem quà homo excellenter possidet præ cæteris creaturis æternam beatitudinem atque regalem et judiciariam potestatem ; unde Joan. 5 dicitur : *Dedit ei Pater judicium facere, quia Filius hominis est.* Ergo.

Ex primâ parte conclusionis colliges, non posse dici de Patre quòd sedeat ad dexteram Filii et Spiritûs sancti, neque de Filio quòd sedeat ad dexteram Spiritûs sancti, quia neque Pater à Filio et Spiritu sancto, neque Filius à Spiritu sancto habent originem ; posse verò dici de Spiritu sancto quòd sit ad dexteram Patris et Filii, quia ab utroque habet originem.

Ex secundâ parte conclusionis colliges, sedere ad dexteram Patris, esse proprium Christo quà homini, quia est in excellenti possessione divinorum bonorum præ cæteris creaturis, etiam angelicis. Unde Apost. Heb. 11 : *Ad quem enim angelorum dixit aliquando : Sede à dextris meis ?*

Quando ergo legimus de sanctis quòd regnabunt cum Christo et sedebunt super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel, intelligendum est hos regnaturos et judicaturos gradu longè inferiori ad Christum, et tanquàm ejus ministros.

Dices : Dextera est locus dignioris, sinistra inferioris : si ergo Christus sit à dextris Patris, Pater est ab ejus sinistris : quomodò ergo Christus non est dignior Patre ? — Respondeo hâc metaphorâ non significari Christum respicere Patrem tanquàm sinistrum, sed tanquàm medium in supremo throno collocatum, ad cujus dexteram assideat qui est illi proximus : sic 3 Reg. 2, legimus Salomonem matrem suam sibi ad dexteram collocâsse, primo scilicet post regem loco.

Articulus III.

De missione Spiritûs sancti.

S. Lucas Act. 2 sic narrat : *Et cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes,* scilicet centum ferè viginti, de quibus dixerat cap. præced., *pariter in eodem loco,* scilicet cœnaculo, *et factus est repentè de cœlo sonus tanquàm advenientis spiritûs vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes, et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquàm ignis, seditque supra singulos eorum : et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.*

Ad quorum elucidationem, subjicimus hìc examini, 1° de quâ pentecoste loquatur Lucas, an de Judaicâ, an de Christianâ, proinde quâ die descenderit Spiritus sanctus ; 2° quid intelligatur per *dispertitas linguas ;* 3° de effectibus missionis Spiritûs sancti, et præcipuè de dono linguarum ; 4° qui hos effectus receperint.

Dico 1° : Probabilius est Lucam locutum fuisse de pentecoste Judaicâ, non de christianâ ; quia tunc nondùm erat instituta pentecostes christiana ut distincta à Judaicâ.

Si dicas, saltem institutam fuisse tunc cùm hæc scriberet Lucas, anno scilicet circiter vigesimo octavo post Christum ; adeòque dùm ait Spiritum sanctum illapsum esse dùm complerentur dies pentecostes, intellexisse dies pentecostes quæ jam suâ ætate celebrabatur ; — respondeo : Nego assumptum, quia ipse Lucas Act. 20, dicit Paulum *festinâsse ut, si possibile sibi esset, diem pentecostes faceret Jerosolymis :* intelligit autem pentecosten Judaicam, non christianam, quia christiana ubique celebrari poterat, Judaica autem Jerosolymis tantùm : consequenter dùm Lucas scriberet Acta Apost., nondùm erat instituta pentecostes christiana ut distincta a Judaicâ. Hinc sequitur descensum Spiritûs sancti contigisse

die sabbati, non die dominicâ, quia quinquaginta dies pentecostes Judaicæ numerabantur à paschate Judaico, non à primâ die, sed à secundâ, quando offerebatur novus manipulus hordeaceus, ut scribit Josephus lib. 3 Antiq. c. 10. Secunda autem dies paschatis hoc anno erat sabbatum, ideòque abhinc quinquagesimus erat etiam sabbatum.

Si dicas, oblationem primi manipuli hordeacei dilatam fuisse hoc anno ad diem sequentem, quæ apud nos est dominica, quia metere sabbato non licebat : unde numerando quinquaginta dies à tertiâ die paschatis, quinquagesima erit dominica; — respondeo : Nego assumptum. Ad prob. distinguo : Metere sabbato messe communi non licebat, concedo, quia erat opus servile; messe particulari manipuli hordeacei ad offerendum Deo in templo, nego, quia non censebatur opus servile, sed actus religionis : sicut exstruere ignem in domibus privatis, erat opus servile lege prohibitum, secùs exstruere in templo : idque asserit R. Moyses in Commentariis super Misna.

Confirmatur consectarium. Petrus Act. 2, probat Apostolos ipsâ die descensûs Spiritûs sancti variis linguis loquentes, non esse ebrios, ut dicebant quidam ex adstantibus, quia erat tantùm hora diei tertia, scilicet, ab ortu solis more Judaico computata, id est, hora circiter nona matutina more nostro : *Non, sicut vos æstimatis*, inquit, *hi ebrii sunt, cùm sit hora diei tertia.* Atqui hæc ratio nihil probaret si non ponas descensum Spiritûs sancti sabbato, sed die sequenti : ergo. Prob. min. Ideò Apostoli non poterant sabbato esse ebrii horâ nonâ matutinâ, quia cùm hâc die offerretur sacrificium solemne, non licebat sumere cibum antequàm esset consummatum, ut scribit Josephus in Vitâ suâ; consummabatur autem circa horam sextam seu meridiem : aliis autem diebus quibus non offerebatur sacrificium solemne, licitum erat quâvis horâ manducare. Si ergo non sabbato, sed sequenti die, quâ solemne sacrificium non offerebatur, et erat ideò licitum quâvis horâ manducare et bibere, illapsus sit Spiritus sanctus, imbellis erat ratio Petri, cùm non sit impossibile, imò nec rarum, homines esse ebrios circa horam nonam matutinam, quin etiam aliquando summo mane videamus ebrios.

Atque ex verbis Petri citatis habes descensum Spiritûs sancti contigisse horâ ab ortu solis tertiâ, id est, horâ circiter nonâ matutinâ, ut dixi : unde canit Ecclesia : « Dùm « hora cunctis tertia, repentè mundus intonat, « orantibus apostolis, Deum venisse nuntiat. »

Dico 2° : Per dispertitas linguas, intelligimus, juxta communem sententiam interpretum et fidelium, linguas velut igneas distributas supra singulorum capita, inferiùs coalescentes, sed superiùs divisas ob suam agilitatem et velocitatem, ut solet flamma vel sponte suâ vel vento agitata. Atque hic est sensus obvius et naturalis horum verborum : *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquàm ignis, seditque*, scilicet ignis, vel, si vis, Spiritus sanctus sub symbolo linguæ velut igneæ, supra singulos eorum. Paradoxum itaque existimamus dicere cum Serrio Exercitat. 62, per dispertitas linguas intelligendas esse illorum ipsorum adstantium linguas in ore proprio hiante visas velut igneas et in duas partes scissas. Mirum sanè fuisset et risu dignum spectaculum quòd ad sonum tanquàm venti flantis, omnes adstantes centum ferè viginti, eodem simul motu oris hiantis concitati linguas suas velut igneas et dissectas exhibuissent. Unicum et futile hujus exoticæ opinionis fundamentum profert laudatus scriptor, scilicet, quosdam Patres per linguas dispertitas intelligere divisas et dissectas, atque legere : Visæ illis linguæ divisæ sicut ignis. Verùm quid inde? Et nos etiam dicimus divisas super singulorum capita et dissectas in parte superiori ad modum flammulæ vento agitatæ, ut dixi in conclusione.

Dico 3° : Effectus missionis Spiritûs sancti fuerunt : 1° augmentum gratiæ sanctificantis; 2° septem dona quæ vulgò dicuntur Spiritûs sancti, ab Isaiâ, cap. 11, enumerata: scilicet dona sapientiæ, intellectûs, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis et timoris Domini, de quibus vide S. Th. 1-2, q. 68; 3° duodecim fructus ex his donis promanantes, quos recenset Apostolus Galat. 6, his verbis : *Fructus autem Spiritûs est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*, de quibus vide S. Th. ibid. q. 70; 4° gratiæ gratis datæ, quas novem recenset Apostolus 1 Cor. 12, his verbis : *Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum; alii fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum; alii prophetia; alii discretio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum.*

Dico 4° : Donum linguarum sic fuit collatum singulis apostolis, ut et variis nationum linguis loquerentur, et etiam, quandoque unâ linguâ loquentes, à variarum nationum populis audirentur. Prob. prima pars. Act. 2 dicitur : *Cœperunt loqui variis linguis.* 2 Cor. 14, Apostolus dicit : *Omnium vestrùm linguâ loquor;* omnium scilicet qui ex variis mundi partibus Corinthum confluebant. Marci 16, id futurum promiserat Christus, *ut linguis loquerentur novis.* Confirmatur. Evangelicæ prædicationi non sufficiebat ut Apostoli audirentur à diversis nationibus, sed etiam necesse ut illas loquentes audirent; aliàs non potuissent cum illis miscere colloquia : ergo earum linguas callebant. Prob. secunda pars : Quandoque unus Apostolus pluribus diversarum linguarum hominibus loquebatur, à quibus audiebatur, ut contigit Petro ipsâ die Pentecostes, Act. 2, v. 14. Atqui, licet variis linguis instructi, non poterant tamen multis simul loqui, sed unâ tantùm. Ergo. Insuper non videtur negandum Apostolis quod legimus concessum novissimis temporibus S. Vincentio Ferrerio, S. Ludovico Bertrando, S. Antonio Patavino et aliis.

Dices : Si singuli Apostoli aliarum nationum linguas calluissent, aut si loquentes unâ linguâ à diversis nationibus audirentur, non indiguissent interpretibus : atqui secundùm SS. Patres, Irenæum, Melitonem, Hieron., Clementem Alex. et alios, Marcus fuit interpres Petri et Titus Pauli : imò ipse Paulus, 2 Cor. 11, fatetur se *imperitum sermone* Græco: ergo. — Respondeo : Distinguo maj.: Non indiguissent interpretibus idiomatis, concedo; sententiarum, nego. Cùm enim apostoli ex impetu Spiritûs sancti aliquando sublimia et obscura proferrent, horum explicatio interpretibus relinquebatur. Quòd autem Apostolus dicat se *imperitum sermone*, intelligendum est, non de ignorantiâ idiomatis, sed de elegantiâ et ornatu; donum enim linguarum non conferebat Apostolis ut eleganter loquerentur, ne crederetur homines attrahi ad fidem elegantiâ et ornatu sermonis; sed ut loquerentur intelligibiliter, quantùm opus erat, ut docet auctor 2-2, q. 176, art. 1, ad 1.

Dico 5° : Non solùm Apostoli, sed omnes qui erant in cœnaculo centum ferè viginti, acceperunt donum linguarum et alios affectus Spiritûs sancti; dicitur enim Act. 2 : *Repleti sunt omnes*, qui erant in cœnaculo, *Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis.* Neque sanè iis negandum est quod ipsis gentilibus ad fidem conversis concedebatur; legimus autem Act. 10, gentiles ad fidem conversos Apostolorum ministerio, hâc gratiâ fuisse donatos.

Appendicula

De actis Pilati circa gesta et miracula Christi, ad Tiberium imperatorem missis.

Agnoscimus cum eruditis Acta et Epistolam quæ nunc apud nos circumferuntur sub nomine Pilati ad Tiberium de gestis et miraculis Christi, esse apocrypha et falsa. Hujus furfuris sunt, Epistola quam exhibet Hegesippus quarto vel quinto seculo; altera quam refert Sixtus Senensis lib. 2 Bibliothecæ sanctæ; altera quam edidit Florentinus in notis et exercitationibus ad Apostolorum indiculum; altera quam Bollandistæ referunt ad quartam februarii; altera denique quam profert D. Fabricius ex bibliothecâ Colbertinâ; utpote in quibus sunt plura apertæ falsitatis indicia, sed et maximè Acta impia et blasphema de gestis Christi sub nomine Pilati ad Tiberium missa, jussu Maximini imperatoris in odium Christi et ejus religionis fabricata.

Quæstio est ergo utrùm independenter ab his omnibus Actis et Epistolis, Pilatus reverà renuntiaverit Tiberio gesta et miracula Christi, tam quæ vivens operatus est, quàm quæ in ejus morte et post ejus mortem contigêre; atque his motus Tiberius tentaverit apotheosim Christi apud senatum Romanum.

Dico : Probabilissimum est Pilatum nuntiâsse Tiberio Cæsari gesta et miracula Christi, ejus mortem et resurrectionem, atque inde Tiberium tentâsse apotheosim Christi apud senatum Romanum.

Prob. testimonio veterum scriptorum fide dignorum. S. Justinus Martyr, qui occubuit anno 150, Apologiâ secundâ ad Antoninum imperatorem, priùs enarratis Christi miraculis, dixit : « Hæc ita gesta esse cognoscere potes ex actis quæ sub Pilato sunt scripta. » Et posteà : « Et quòd ista fecerit Christus ex eis « quæ sub Pilato sunt conscripta Commentaria, cognoscere potestis. »

Tertullianus in Apologetico contra gentes c. 5 : « Apud vos, inquit, de humano arbitratu divinitas pensitatur. Nisi homini Deus « placuerit, Deus non erit. Homo jam Deo « propitius esse debebit, Tiberius ergo, cu-

« jus tempore nomen christianum in seculum « introivit, annuntiatum sibi ex Syriâ Palæ- « stinâ, quæ illic veritatem ipsius divinitatis « revelaverat, detulit ad senatum cum prærо- « gativâ suffragii sui; senatus quia non ipse « probaverat, respuit. Cæsar in sententiâ per- « mansit, comminatus periculum accusatori- « bus Christianorum. » Et cap. 21, præmissis gestis et miraculis Christi, subdit : « Ea omnia « super Christo Pilatus, et ipse jam pro suâ « conscientiâ christianus, Cæsari tunc Tiberio « nuntiavit ; sed et Cæsares credidissent super « Christo, si aut Cæsares non essent seculo « necessarii, aut si et christiani potuissent « esse Cæsares. »

S. Lucianus martyr sub Decio, videtur eadem Acta indicare, cùm diceret ad præsidem : « Consulite annales vestros, et invenietis Pilati « temporibus, dùm pateretur Christus, mediâ « die fugatum solem et interruptum diem. »

Eusebius seculo quarto, lib. 2 Hist. c. 2 : « Cùm, inquit, per omnem jam locum de re- « surrectione et mirabilibus Domini Jesu « Christi, et de ascensione ejus ad cœlum felix « fama loqueretur, ac per omnium aures beati « hujus rumoris volveretur opinio : quoniam « antiqui moris erat apud Romanos ut provin- « ciarum judices, si quid fortè novi in his quas « regebant provinciis accidisset, vel principi, « vel senatui nuntiarent; ut ne ex his quæ « gerebantur ignorare aliquid viderentur. De « resurrectione à mortuis Domini et Salvatoris « nostri Jesu Christi, quæ jam in omnem lo- « cum fuerat promulgata, Pilatus Tiberio prin- « cipi refert; sed et de cæteris mirabilibus « ejus, et ut post mortem, cùm resurrexis- « set.... plurimis jam Deus esse crederetur. « Tiberius quæ compererat retulit ad senatum. « Senatus autem sprevisse dicitur, pro eo « quòd non sibi priùs hujus rei judicium fue- « rit delatum, sed auctoritatem suam prævenit « vulgi sententia : lex etenim erat antiquitùs « designata, ne quis apud Romanos Deus ha- « beretur, nisi senatûs decreto atque sententiâ « firmatus. Porrò autem pro vero hoc erat « quod gerebatur, ne divina virtus humanis « putaretur assertionibus indigere. Cùmque « secundùm ea quæ supra diximus renuisset « senatus, Tiberius tamen tenuit sententiam « suam, ut ne quid adversùs doctrinam Chri- « sti contrarium moliretur. » Idem in Chronico ad annum 37.

S. Chrysost. Hom. 26 in Epist. 2 ad Cor. : « Romanorum senatus, inquit, hanc potesta- « tem habebat, ut deos crearet atque conscri- « beret. Quippe cùm res omnes à Christo « gestæ nuntiatæ sunt, Romam misit is qui « Judæorum nationi prærat, sciscitans ex « ipsis num eum quoque Deum creare placeret. « Id verò illi recusârunt, quòd iniquo atque « infenso animo ferrent, ante decretum suum « atque sententiam, crucifixi potentiam afful- « gentem, universum orbem ad suî cultum et « venerationem attraxisse. »

Eadem scribunt Paulus Orosius lib. 7 Hist. cap. 4, S. Greg. Turonensis lib. 1 Hist. cap. 24, et Nicephorus lib. 2 Hist. cap. 8. Tot autem ac tantis viris fidem detrectare temerarium est.

Dices cum Tanaquillo hæretico : 1° Tertullianus, quem alii secuti sunt, hausit quæ scripsit ex Actis apocryphis Pilati. 2° Non est verisimile Tiberium gentilem tentâsse apotheosim Christi apud senatum Romanum. 3° Si hoc tentâsset, non ausus fuisset senatus illi resistere. — Respondeo ad primum, 1° Justinum esse antiquiorem Tertulliano, à quo proinde nihil accipere potuit ; neque Justinum neque Tertullianum, neque Lucianum tam malè famæ et religioni suæ consuluisse, ut fidenter provocarent Romanos ad eorum archiva et annales, quibus, si minùs vera dixissent, facilè falsitatis argui potuissent.

Ad secundum : Verisimillimum est Tiberium licet gentilem, Christi virtutibus et prodigiis motum, tentâsse ejus apotheosim apud senatum Romanum. Adrianus gentilis erat, Alexander Severus gentilis erat, et tamen, teste Lampridio in Vitâ Adriani, templa Christo erigere decreverant, à quo eos deterruerunt idolorum sacerdotes.

Ad tertium : Non mirum si senatus voluntati Tiberii, quantùm ad Christi apotheosim, non consenserit ; eâ enim erat animi moderatione erga senatum, teste Suetonio, ut eum suæ sententiæ acquiescere recusantem ægrè non ferret, ubi putabatur adesse justa ratio : multæ verò rationes justæ videbantur senatui, Christi apotheosim rejiciendi. Prima est quam referunt auctores laudati, quòd inconsulto senatu jam ut deus coleretur, cùm tamen ad senatum pertineret deos creare. Secunda, quia cùm Christus deberet coli solus, omnes alii dii suâ sede fuissent expellendi. Tertia, quia Romani tunc opibus et imperio florentes, à Christi humilitate et paupertate abhorrebant, eosque pudebat venerari ut deum quem vir Romanus infami crucis supplicio

affixerat. Sed et mentes nostras altiùs erigentes, dicamus cum quibusdam ex laudatis auctoribus, id divino consilio factum fuisse, ne Christus ad instar falsorum numinum divinitatem ab hominibus accipere videretur, neve christiana religio senatûs Romani judicio atque præsidio fundata ac propugnata censeretur.

Hic lectorem monitum velim quòd, quamvis in hoc tractatu non paucas celeberrimi viri R. P. Hyacinthi Serry opiniones ex ejus Exercitationibus impugnaverim, ipse tamen etiam in quibusdam aliis mihi fuerit adjumento. Juvat enim reddere cuique quod suum est, nec laboribus alienis velle gloriari.

MONITUM.

Cùm ad calcem tractatûs de Incarnatione appendicem subjecimus de cultu Sacrosancti Cordis, negativa potissimùm dedimus argumenta. Non verò satis foret errorem repulisse, nisi positiva subsequeretur veritatis expositio, ideòque duos scriptores inter recentiores illustrissimos hìc exscribemus, videlicet DD. P. Perrone et J. de Galliffet, episcopum Cenomanensem, qui rem obiter, sed luculenter tractârunt. Utriusque opera crebris editionibus quas obtinuêre prorsùs digna sunt, valdèque lectores hortamur ad ea sibi comparanda; ibi brevitatem, *actualitatem* et puritatem doctrinarum invenient.

DE DEVOTIONE ERGA SACRATISSIMUM COR JESU.

(Auctore R. P. Perrone.)

CULTUS SACRATISSIMI CORDIS JESU, PROUT AB APOSTOLICA SEDE PROBATUS EST ATQUE IN ECCLESIA CATHOLICA FREQUENTARI CONSUEVIT, PIUS EST, ET OMNI SUPERSTITIONIS LABE IMMUNIS.

Hæc propositio est *certa*, ut patet tum ex censurâ latâ à Pio VI, in constitut. *Auctorem fidei*, ad propos. 62 synodi Pistoriensis, his verbis conceptâ : « Doctrina, quæ devotionem « erga sacratissimum cor Jesu rejicit inter de- « votiones, quas notat (synodus) velut novas, « erroneas, aut saltem periculosas; intellecta « de hâc devotione, qualis est ab Apostolicâ « Sede probata, *falsa, temeraria, perniciosa,* « *piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem* « *injuriosa;* » tum ex censurâ quâ perstringitur prop. 63. Item in eo quòd cultores cordis Jesu hoc etiam nomine arguit (synodus), quòd non advertant sanctissimam carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut præcisione à divinitate, adorari non posse cultu latriæ. Quasi fideles cor Jesu adorarent cum separatione vel præcisione à Divinitate, dùm illud adorant, ut est cor Jesu, cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione, aut præcisione à divinitate adorabile fuit in sepulcro, *captiosa, in fideles cordis Christi cultores injuriosa.*

Ex his verò censuris deprehendimus 1° objectum cultûs de quo disserimus esse *ipsum cor Jesu,* id est, cor personæ Verbi incarnati; 2° cultum qui specialiter cordi Jesu defertur, esse supremum, seu latriæ, quo nempe personam Verbi incarnati adoramus, à quâ nullatenùs cor separatur aut separari potest; 3° cultum istum qualis ab Apostolicâ Sede probatus est, omni prorsùs esse superstitione immunem.

Cum ejusmodi *objecto* confundi aut permisceri nequit *motivum* ejusdem cultûs. Quod quidem motivum multiplex est, ac 1° quidem quia istud sanctissimum cor exhibitum est à Christo ipso tanquàm piarum suarum affectionum sedes, quas nos ab ipso mutuari vult, dicens, Matth. 11, 29 : « Discite à me quia mitis sum et humilis corde; » 2° quia cor ex communi hominum sensu, et recepto ac universali loquendi usu à Scripturâ ipsâ consecrato est symbolum amoris, ac propterea cor Jesu est symbolum immensæ illius charitatis et amoris, quo tot ac tanta Christus pro nobis fecit ac perpessus est ad nos redimendum, ac illud potissimùm, quòd pro nobis instituit SS. Sacramentum corporis et sanguinis sui quo pascimur ac potamur. 3° Quia per hoc sanctissimi cordis symbolum vehementer fideles incalescunt tum ad recolendam Christi morientis passionem, tum ad rependendum eidem Christo amorem et grati animi sensum pro tot beneficiis quibus ab eo affecti et cumulati sunt. Atque hæc sunt, quæ substantiam, ut ita dicam, ac spiritum seu animam ejusmodi

devotionis seu cultûs constituunt, prout toties Romani pontifices declarârunt.

Nunquàm propterea in hoc cultu objectum à motivo separari aut dispesci debet ut plenus ille habeatur. Exurgit enim hic cultus ex utroque objecto *materiali*, ut vocant, et *formali* simul sumptis, seu colitur cor Jesu *in se*, ac prout est *amoris symbolum*. Cor enim verum et reale seu physicum est subjectum ejusdem symboli, quod quidem symbolum sine ipso vero corde concipi nequit. Objectum autem formale, seu motivum rationem suppeditat quare cor potiùs, quàm aliud corporis Christi membrum à fidelibus colatur et adoretur, seu cur fideles dirigant speciali modo cultum suum ad cor, quatenùs in ejusdem Christi corpore reperitur seu in *totalitate* cum cæteris partibus coexistit, et in personâ Verbi subsistit.

Quibus ad tollendam omnem æquivocationem et præoccupandas difficultates enucleatis, reliquum est, ut veritatem enuntiatæ propositionis vindicemus. Ad hoc porrò conficiendum tria ostendamus oportet, primò cor Jesu in se, seu prout corporea pars est carnis Christi (quod vidimus ab Apostolicâ Sede probatum ex censurâ prop. 43 syn. Pistoriensis constituere objectum materiale hujus cultûs) esse supremo latriæ cultu adorandum; deinde objectum formale, seu motivum ejusdem cultûs certum suppeditare fundamentum, quo speciali ratione dirigatur adoratio ad cor Jesu prout symbolum est ejus in nos immensæ charitatis; tertiò demùm hunc specialem cultum, qui cordi Jesu defertur, tum ratione suî, tum ratione symboli pium esse atque omni prorsùs superstitionis labe immunem. Quæ quidem singillatim breviter ac perspicuè ostendimus.

Ad primum autem quod attinet, facilè evincitur : de fide enim est, ut ex demonstratis constat, unionem hypostaticam immediatè cum totâ Christi humanitate, ac singulis ejusdem humanitatis partibus factam esse, imò hypostaticam unionem Verbi cum humanitate esse rationem formalem quâ humanitas ipsa ac singulæ ejus partes subsistant ac existant in rerum naturâ, seu in concreto. Ergo tum humanitas, tum singulæ ejusdem humanitatis partes colendæ sunt cultu latriæ ob divini Verbi personam, cujus propriæ factæ sunt. Sanè triduo mortis Christi tam ejus anima, quàm ejus corpus et sanguis, etsi ab invicem separata essent, colenda erant cultu latriæ ob unionem, quæ semper extitit cum ipsâ divinâ personâ in quâ subsistebant. Hoc adeò evidens est ex fidei principiis, ut vel ipsi acerrimi impugnatores devotionis cordis Jesu id fateri ultrò debuerint (1), atque ante ipsos hanc catholicam veritatem enuntiaverat præstantissimus theologus Sylvius dùm affirmavit « carnem, et animam Christi, et membra corporis ejus adoranda esse adoratione latriæ, » in 3 p. q. 6, apud Gerd. op. cit. p. 340. Ergo.

Ad *alterum* verò quod spectat, eâdem facilitate adstruitur : etenim illud suppeditare certum fundamentum specialis cultûs erga aliquam determinatam partem cujusdam objecti censendum est, quòd ita hanc partem à reliquis distinguit, ut pro eâ talia militent rationum momenta, quæ æquè pro reliquis non valent, neque iis communia sunt. Sanè hoc principio ducta Ecclesia probavit cultum *quinque Plagarum* Redemptoris solemni officio, ac missâ peculiari in cujus orat. post comm. sic orat sacerdos : « Ut qui vulnera D. N. J. C. hodiè devotè colimus. » Nil aliud autem est vulnus lateris, ut in eo hæreamus, quod propiùs cor attingit, nisi latus ipsum vulneratum; et ideò hunc cultum probavit Ecclesia, quia etsi includantur hæ partes vulneratæ in toto objecto, quod est corpus Jesu, tamen habent specialem mysticam significationem, et militant pro iis specialia rationum momenta, seu motiva, quæ æquè in reliquis non inveniuntur. Tale porrò esse motivum, quo speciali ratione cor Jesu præ reliquis corporis ipsius membris determinatè sit colendum, patet tum ex eo quòd Christus ipse, ut vidimus, cor suum velut piarum suarum affectionum sedem exhibuerit, tum proinde ex eo quòd cor aptissimum symbolum sit immensæ illius charitatis, quâ Christus dilexit nos, et seipsum tradidit pro nobis, quæ quidem charitas à fidelibus sub hoc symbolo speciali ratione recolitur. Ad hanc porrò memoriam excitandam potissimùm intenderunt summi pontifices in hujus cultûs approbatione, prout probârunt festum quinque Plagarum, aliaque festa, quæ ad specialem quamdam Christi corporis partem referuntur ob mysticam illam significationem quam præ se ferunt, quæque peculiarem exhibent in speciali eo cultu defixam recordationem mysterii cujuspiam, insignisve cujusdam redemptionis beneficii.

(1) Sic enim Blasius in opusc. quod *De festo cordis Jesu, dissertatio commonitoria*, 1771, inscribit, cap. 12 : « Cor Jesu, inquit, propriè et per se sumptum ob hypostaticam unionem capax est adorationis latriæ. »

Postremum, ex iis quæ nobis probanda proposuimus, scilicet ejusmodi cultum pium esse, atque ab omni superstitione immunem, non est nisi corollarium, quod necessariò consequitur ex præmissis. Nam si cor Jesu, nempe cor personæ Verbi incarnati adorari debet cultu latriæ; si ob mysticam significationem sedis amoris et charitatis cujus cor symbolum est, licet in ipsum determinatè specialem cultum dirigere, prout determinatè in quamdam corporis partem dirigitur in cultu *quinque vulnerum;* omninò sequitur cultum sacratissimi cordis Jesu qualis ab Apostolicâ Sede probatus est et in Ecclesiâ receptus, pium esse atque ab omni superstitione immunem.

Notandum denique est cum clarissimo Gerdilio, quòd cùm singularis pars, in quam adoratio dirigitur, non adoretur, nisi propter unionem hypostaticam cum personâ Verbi, profectò intelligitur in adoratione, quæ huic parti exhibetur, adorari ipsam Verbi personam, atque adeò Christum totum, cujus persona alia non est nisi persona Verbi. Quo fit, ut cùm Christus totus in eâ sui corporis parte adoratur, nullo pacto ab ejus partis adoratione amota et exclusa intelligi debeat humanitatis totius adoratio. Et reverà, nemo unquàm reperietur pius cordis Jesu cultor, qui dùm cor Jesu adorat, utpote est cor Jesu, in eo adorationis cultu non intendat personam ipsam Christi, atque adeò divinitatem ejus, totamque sacrosanctam humanitatem comprehendere. Ob speciale tamen motivum, ut sæpiùs diximus, quod militat pro corde Jesu, tum ratione sui, tum ratione symboli, determinatè dirigitur cultus ad ipsum cor, quin reliquæ partes, quæ toti insunt, excludantur. Hinc patet nullam oriri posse suspicionem aut divisionis, aut exclusionis in ejusmodi cultu, prout sibi adversarii fingunt. Confer Gerd. op. cit. p. 348, ubi genuinum sensum aperuit verborum Pii VI, quibus nonnulli pravè usi sunt, quæ continentur in Rescripto dato ad Pistoriensem episcopum Ricci.

Quibus si accedat non posse quempiam verum catholicum superstitionis damnare cultum in universâ Ecclesiâ receptum et innumeris propè spiritualibus privilegiis et indulgentiis auctum et cumulatum à summis pontificibus ab iisque summoperè commendatum, cujusmodi esse constat cultum cordis Jesu, apertè colligitur et planè patet propositum nostrum ac veritas assertæ propositionis. Confer Gerd. op. cit. p. 372, seqq. Confer etiam Faure, *Saggi teologici per formare un errata corrige.* Saggio II. Lugano 1773; necnon Emm. Marques *Defensio SS. cordis Jesu,* Venet. 1781. Jo. Fel. Henr. Fumel in op. « Il culto dell' amor divino, ossia la divozione al SS. Cuore di Gesù. Trad. dal franc. corredata di annotazioni da Luigi Mozzi, » Bologna 1782. His omnibus præiverat P. Joseph de Gallifet S. J. « De cultu sacrosancti cordis Dei ac D. N. J. C. in variis christiani orbis provinciis propagato. » Romæ 1726.

Difficultates.

I. Obj. : 1° Cultus cordis Jesu, prout à S. Sede probatus est, non habet pro objecto nisi solam Christi charitatem sub sensibili cordis symbolo exhibitam; perperam igitur et contra ejusdem S. Sedis apertam declarationem cor ipsum reale, materiale, seu physicum Christi Jesu adstruitur tanquàm ejusdem cultûs objectum. 2° Sanè in hujus festi decreto sacra rituum Congregatio declarat per ejusmodi cultum « *symbolicè* renovari memoriam illius divini amoris, quo Unigenitus Dei Filius « humanam suscepit naturam; » Decret. S. Rit. Congreg. 6 Febr. 1765. 3° Quod clarius adhuc in lectionibus hujus festi inculcatur illis verbis : « Quam charitatem... ut fideles sub sanctissimi cordis symbolo devotiùs ac ferventiùs recolant; ejusdemque fructus uberiùs « percipiant, Clemens XIII pontifex maximus « ejusdem sanctissimi cordis festum quibusdam petentibus ecclesiis celebrare permisit, » lect. 3 secundi noct. 4° Quare de solo cultu symbolico exponit card. Gerdilius sensum quo sacra rituum congregatio et Rom. pontifex approbârunt ejusmodi devotionem, Grégoire Hist. des sectes religieuses, loc. cit. Ergo.

Resp. ad primum : Nego; illum enim cultum probavit S. Sedes, quem probandum simpliciter petierunt episcopi regni Poloniæ, et archiconfraternitas sub hoc titulo cordis Jesu in Urbe erecta. Jam verò, fatentibus ipsis adversariis, episcopi Poloniæ et archiconfraternitas in Urbe non petierunt approbationem cultûs symbolici, sed cultûs veri et physici cordis Jesu seu *propriè sumpti* (1); respondit enim S. Rituum Congregatio : « Annuendum precibus censuit. » Rursùm ille cultus à S. Sede probatur, quem aliàs probare recusaverat, dicendo : *Prævio recessu à decisis;* atqui cultus quem probare recusaverat, iisdem ad-

(1) En verba Blasii ex ejus Diss. commonit. Prolus. p. 15 et 16 : « Petitum fuit Officium « et Missa pro cultu *cordis propriè sumpti.* »

versariis fatentibus, non est cultus symbolicus, sed cultus cordis propriè sumpti (2). 3° Suo decreto non aliud intendit S. congregatio quàm *ampliare* cultum jam longè latèque in Ecclesiâ receptum. En rursùm decreti verba : « Simul- « que intelligens (S. Congreg.) hujus officii et « missæ celebratione non aliud agi, quàm *am-* « *pliari cultum jam institutum ;* » jam verò, iisdem adversariis fatentibus, cultus *receptus* non erat symbolicus, sed veri et carnei cordis Jesu. Ita Blasius. « Porrò, inquit, cultus cordis carnalis Jesu non nudiustertiùs, sed seculo superiore vertente duxit exordium à revelatione, quæ facta perhibetur in Galliis V. Margaritæ Alacoque. Revelationem ex ore ejusdem excepit P. La Colombière Soc. Jesu... de institutione hujus festi non multò post agi cœptum est ; » ib. Prolus. p. 12. 4° Si qua adhuc superfuisset dubitatio circa sensum S. Sedis, sublata est ex censurâ, quam retulimus prop. 63, synodi Pistoriensis. 5° Demùm evincitur ex ipsâ agendi ratione adversariorum, qui non aliâ de causâ profitentur se impugnare ejusmodi cultum, quàm quòd per ipsum introducatur divisio in Christi humanitate, ut ex dicendis magis patebit. Falsum igitur est quod adversarii assumunt.

Ad secundum, sive ad primam prob. distinguo : *Symbolicè* nempe per *cor Jesu,* quod est amoris symbolum, concedo; independenter ab ipso corde propriè dicto, nego. Vidimus enim adorari cor Jesu prout symbolum est charitatis, ideòque tum *ratione suî* tanquàm objectum materiale, tum *ratione symboli* tanquàm objectum formale, seu motivum. Non alium porrò esse sensum citati decreti patet per se, et ex toto contextu. Ejusmodi enim tenoris est rescriptum S. Congr. datum die 26 jan. 1765. Instantia petitionis *Polona*, concessionis officii et missæ propriæ in honorem SS. cordis Jesu.—« Resp. Congregatio *pro* « *gratiâ,* pro episcopis regni Poloniæ, qui spe- « cialiter supplicârunt, necnon pro archicon- « fraternitate sub tit. SS. cordis Jesu. » Die verò 6 febr. ejusd. anni relatum rescriptum excepit decretum ejusd. Sac. Congregat. typis vulgatum his verbis : « Instantibus pro con- « cessione officii et Missæ SS. cordis Jesu ple- « risque reverendissimis episcopis regni Polo- « niæ, necnon confraternitate Urbis hoc sub « titulo erecta, Congregatio S. Rituum habita « die 26 januarii hujus anni (1765), probè no- « scens cultum cordis Jesu jam hodiè esse per « omnes ferè catholici orbis partes, foventibus « earum episcopis, propagatum, sæpè etiam à « Sede Apostolicâ decoratum millenis indul- « gentiarum Brevibus datis ad innumeras pro- « pemodùm confraternitates sub titulo cordis « Jesu canonicè erectas, simulque intelligens « hujus officii et missæ celebratione non aliud « agi quàm ampliari cultum jam institutum, et « symbolicè renovari memoriam illius divini « amoris, quo Unigenitus Dei Filius humanam « suscepit naturam, et factus obediens usque « ad mortem, præbere se dixit exemplum ho- « minibus quòd esset mitis et humilis corde : « his de causis referente eminentiss. et reve- « rendiss. D. Card. episc. Sabinensi, audito « R. P. D. Cajetano Forti promotore fidei, « prævio recessu à decisis sub die 30 julii 1729, « annuendum precibus censuit episcoporum « regni Poloniæ, et dictæ archiconfraterni- « tatis Urbis, deliberatura deinde de officio et « Missâ ritè approbandis. Quod quidem Con- « gregationis votum per me Secretarium re- « latum SS. D. N. Clem. P. XIII. Sancti- « tas sua, hujus etiam decreti tenore perle « cto, in omnibus approbavit, hâc die 6 febr. « 1765. »

Resp. ad tertium seu ad secundam prob. : Nego. Etenim ex adductis verbis, sanctissimum cor Jesu est symbolum sub quo fideles devotiùs ac ferventiùs recolunt Christi Jesu charitatem ; jam verò symbolum est realiter distinctum à re quæ per symbolum refertur, cùm nihil possit esse symbolum suî ipsius ; ergo dùm conceditur festum cordis Jesu, conceditur festum cordis ejus realis et propriè dicti ut symboli amoris et charitatis. Talem autem et non alium sensum esse ejusmodi verborum magis patet ex eo quod ibi dicitur : « Quibusdam petenti- « bus ecclesiis ; » porrò nulla ecclesia petierat festum cordis symbolici, sed omnes, ut ostendimus, petierant festum veri ac realis cordis Christi. Denique id ipsum manifestum fit tum ex ipsâ lectione S. Bernardi, quæ in tali festo recitatur, in quâ sermo est de corde Christi *vulnerato*, tum ex ejusdem Officii hymnis. Sic enim S. Bernardus, seu potiùs ignotus auctor *Vitis mysticæ* seu *Tractatûs de passione Domini,* cujus verba proferuntur in lect. 3 secundi nocturni festi SS. cordis Jesu, quæ ita se habent ; « Ad hoc enim perforatum est latus « tuum.... ad hoc vulneratum est cor tuum...

(2) Audiatur iterùm Blasius : « S. Congregatio an. 1697, 1727 et 1729, abstinendum censuit à concessione officii et missæ pro cultu cordis propriè sumpti. » Ibid.

« et propterea vulneratum est, ut per vulnus « visibile vulnus amoris invisibile videamus. » Inter opp. S. Bernard. edit. Mabillon. vol. 2, col. 447. In hymn. verò ad vesp. :

Percussum ad hoc est lanceâ
Passumque ad hoc est vulnera,
Ut nos lavaret sordibus,
Undâ fluente et sanguine.

Et in hymno ad Laudes :

Te vulneratum charitas
Ictu patenti voluit,
Amoris invisibilis
Ut veneremur vulnera.

Quæri hìc potest ab osoribus cordis Jesu, an aqua et sanguis fluxerint ex corde symbolico, et num cor symbolicum fuerit lanceâ percussum et vulneratum?

Ad quartum : Nego. Adversarius, qui id asserere non erubescit, aut nunquàm legit opusculum Gerdilii, in quo clarissimus auctor propugnat censuram Pii VI adversùs notas Felleri, aut apertè mentitur.

II. Obj. : Nisi dicatur probatus à S. Sede cultus cordis symbolici, plura sequerentur absurda, ac 1° introduceretur cultus materialis ac directus ad unam determinatam partem adorabilis Christi corporis; 2° induceretur nestorianismus per divisionem adorationis uniuscujusque naturæ, ac propterea tribueretur altera adoratio Deo et altera homini, quùm Ecclesia definierit unicam adorationem Verbi incarnati esse admittendam; 3° Dei cultus foret secundarius et concomitans cultum novæ hujusce devotionis (Grég. l. c.).Ergo. Respondeo : Nego antecedens. Ejusmodi enim absurda commentitia sunt, quæque ab adversario finguntur. Etenim

Non sequitur primum absurdum de cultu, ut vocat, *materiali;* alioquin *materialis* quoque vocandus esset cultus qui sacrosanctæ Christi Domini humanitati defertur, quod à fide catholicâ abhorret. Si igitur materialis dici nequit cultus istius humanitatis, quare materialis censenda erit adoratio, quâ ejusdem humanitatis partes coluntur, cùm fundamentum seu ratio formalis talis adorationis sit unio hypostatica quæ immediata facta est cum toto corpore et singulis partibus ejus? Audiatur Sylvius in 3 p. q. 25, art. 2 : « Quare « simpliciter, inquit, dicendum est carnem « et animam Christi, sicut et membra corporis ejus, adoranda esse adoratione latriæ, « quæ quidem eis debetur ratione hypostasis « Verbi Dei, à quâ et in quâ sustentantur. » Adoratur enim *cor Dei* seu personæ Verbi. Adde hanc propositionem utpote *injuriosam* cultoribus cordis Jesu fuisse proscriptam in Const. *Auctorem fidei;* hinc à nullo sincero catholico teneri potest.

Non sequitur secundum, induci nempe nestorianismum per duplicem adorationem Dei et hominis. Hæc enim non est nisi calumnia toties repulsa, ac demùm damnata pariter in synodo Pistoriensi, quæque à nobis præoccupata est cùm statum quæstionis aperiremus. Siquidem unâ eâdemque adoratione colitur cor divini Verbi incarnati, seu potiùs persona Christi in corde suo.

Non denique sequitur tertium. Si enim unâ eâdemque adoratione colitur Deus-homo in corde suo, eâ ratione quâ diximus, et ostendimus adorandam cultu latriæ Christi humanitatem *in se,* licet non *propter se,* sed propter Verbum per quod et in quo eadem humanitas subsistit, et ita subsistit, ut sine tali subsistentiâ nec concipi possit in rerum naturâ ejusmodi humanitas, jam patet quàm stultum sit asserere ex cultu cordis Jesu consequi cultum Dei fore secundarium. Qui hoc objiciunt, non advertunt se pariter impetere cultum qui tribuitur Christi corpori et sanguini in Eucharistiâ. Cùm enim unâ eâdemque adoratione Christi humanitas adoretur cum divinitate, non potest distingui objectum primarium et secundarium ejusmodi cultûs. Sed recolantur superiùs dicta in prop. anteced.

III. Obj. : Saltem purgari nequit hic cultus à superstitione. Nam non intelligitur, 1° quomodò adoranda sit pars, quæ jam adoratur in toto, nempe in Christi corpore; 2° quomodò dirigatur cultus ad cor, quin introducatur divisio, ac quædem laniatio et discerptio in ejusdem Christi corpus? 3° quare potiùs cor coli debeat, quàm oculi, pedes, manus, etc.? ut arguebat sapientissimus pontifex Benedictus XIV. 4° Sed falsum præterea est, quod assumitur ab hujus cultûs patronis, cor esse affectionum sedem; exploratum siquidem apud recentiores physiologos est in systemate nerveo residere principium sensationum et motuum qui à voluntate pendent. Voluntas enim in nervos agit ac per eos anima sentit; nervi, autem ut plerique contendunt, originem ducunt à medullâ spinali, ut vocant, seu, ut aliis placet, à cerebro, juxta alios à diaphragmate repeti debent, nullatenùs verò à corde. Etenim cor non est nisi musculus, qui systemati sanguineo inservit. Ex ejusmodi verò

opinionum diversitate non ineptè quispiam quærit num non expediat festum instituere sacræ *glandulæ*, sacri *cerebri*, etc., ex quo eorum cultores *cerebellistæ*, aut *pinealistæ*, etc., nuncuparentur. 5° Si his addatur ejusmodi cordis Jesu cultum incognitum planè fuisse toti antiquitati, 6° ejus introductionem turbas ubique excitâsse, 7° ter à sacrâ Rituum Congregatione rejectum demùm nonnisi machinationibus factiosorum cessisse, ut eum permitteret; 8° patebit jure merito inter superstitiosas devotiones hunc cultum esse recensendum, ejusque patronos *cordicolas*, seu *cardialatras*, *sectarios* dictos esse. Ita Grégoire p. 248, seq. Ergo.

Respondeo : Nego antecedens ; ad primam prob., dicimus eâdem ratione coli cor Jesu, quâ speciali cultu donantur *sacra vulnera*, nempe ob mysticam significationem immensæ charitatis Christi, ac cætera motiva, quæ superiùs recensuimus. Confer card. Gerdil. op. cit. p. 374, seqq., notâ 1, ubi ostendit nullum posse ab adversariis discrimen afferri inter cultum à S. Sede jam antea probatum *quinque vulnerum* et cultum cordis Jesu, prout spectatur ut pars humanitatis Christi, seu organum peculiare ; summâque sedulitate disjicit, quæ ab iisdem discrimina excogitata sunt, ut hujus argumenti vim eluderent. Id ipsum dici potest de cultu pretiosissimi Christi sanguinis, aliisque ejusmodi festis, quæ officio ac missâ propriâ celebrantur.

Ad secundum : Nego. Sed, ut pariter exposuimus, unâ eâdemque indivisibili ac individuâ adoratione adoratur Christus, seu Verbi persona incarnata in corde suo, quin vel cætera membra corporis Christi excludantur. Nam adoratur cor in humanitate quæ subsistit in divinâ Verbi personâ. Confer Muzzarelli *Dissertaz. intorno alle regole da osservasi per parlare e scrivere con esattezza e con proprietà sù la divozione e sul culto dovuto al ss. cuore di G. C.* Româ 1806, in quâ clarissimus auctor hoc argumentum plenè evolvit.

Ad tertium, resp. : Quia pro pedibus, manibus, etc., illud non militat peculiare motivum mysticæ significationis aut charitatis symboli quod militat pro corde. Falsum porrò est quod dicitur de Bened. XIV, cùm debuisset dici Prosper Lambertinius, qui hæc objiciebat cùm promotoris fidei officio fungeretur, ac propterea ex proprio munere contrarias partes sustinens, ut in ejusmodi causis fit. Totam actorum seriem ipsemet refert in eo mio opere de *Beatif. et Canonizat. Sanctorum* lib. 4, p. 2, c. 3, n. 19, seqq. Cæterùm Benedictus XIV, nempe summus pontifex pluribus indulgentiis ditavit cultores cordis Jesu, et ejusmodi cultum semper fovit atque promovit. Cujus rei fidem faciunt tum archiconfraternitas SS. cordis Jesu in Urbe instituta à B. Leonardo à Portu Mauritio, atque ab eodem pontifice approbata, cui præterea nomen dedit, tum litteræ quas in formâ *Brevis* dedit Galliarum reginæ an. 1748, tum plures indulgentiæ ab eo concessæ cultoribus cordis Jesu. Hinc patet fraus quâ primùm usus est episc. Ricci dùm scripsit : « Che il gran. Pontefice Benedetto XIV, ci assicura, che la Chiesa ricusò per trè volte di prestarsi ai fautori e promotori di questa divozione, non avendo mai permesso, che s'introducesse la festa ; » postea verò alii eum imitati sunt.

Ad quartum : Nego suppositum; siquidem veram rationem attulimus ex mysticâ significatione, seu amoris et charitatis symbolo quod præ se fert cor, et quia Christus ipse *velut* piarum affectionum suarum sedem cor suum proposuit. Itaque non dicitur *absolutè* cor esse affectionum sedem, sed quòd tanquàm affectionum sedes exhibeatur à Christo. Non est propterea cur salebrosam physiologicam quæstionem attingamus, utrùm cor reipsà sedes affectionum sit ac *sensitivitatis*, ut vocant, necne, cùm nihil referat ejusmodi quæstio ad institutum nostrum, quod ab illâ est omninò independens. Hinc cætera ruuntquæ adversarius congerit ex nuperioribus physiologis circa diversas sententias in quas ipsi distrahuntur circa originem nervorum et sensitivitatis sedem ; nec nisi falsâ suppositione innixus potuit ore profano asserere quod non ineptè quispiam quærat, an non meliùs foret festum instituere *sacræ glandulæ*, etc. Sanè nunquàm Deus præcepit hominibus ut eum diligerent ex *toto cerebro*, ex *toto diaphragmate*, etc., sed præcepit ut diligant eum *ex toto corde*.

Ast neque istud concedendum est quod auctor is pro certo sumit physiologiam nobis adversari. Rata enim apud recentiores physiologos hæc sunt. 1° Cor omnium musculorum corporis nostri nobilissimum esse, cùm organum præcipuum sit, imò centrum systematis vascularis, seu sanguinei, atque, ut modò loquî amant, *irrigatorii*, quòd unà cum systemate nerveo præest vitæ corporis animalis. Confer clarissimum Laurent. Martini *Lezioni di fisiologia*, Torino 1827, lez. 43, *sistema sanguigno*

tom. 4. 2° Juxta certissimas anatomicas observationes ac repetita experimenta, cor magnâ nervorum copiâ instructum esse. Nonnulli physiologi dubitârunt utrùm cor nervis esset instructum; Beherendsius ulteriùs progressus prorsus nervos cordi negavit, at clarissimus Scarpa magnam nervorum cardiacorum copiam ita demonstravit, ut jam nemo inveniatur, qui de hâc re quæstionem moveat, aut dubium. Vide ib. et lez. 42, *Sistema nervoso*. 3° Omnes nervei systematis partes suam habere efficaciam, existere per se; neque à cerebro, aut spinali medullâ omnimodè pendere (1), ac propterea, quod consequens est, cordis actionem neque à cerebro, neque à medullâ spinali dimanare; excitari tamen, si stimuli hisce partibus applicentur, cùm omnes partes ejusdem systematis amicè inter se conspirent, et aliæ aliis partem suæ efficientiæ communicent, omnesque ad totius systematis actionem aliquid conferant (2). 4° Exploratum præterea apud eosdem est cor præ ceteris musculis incitabilitate, ut loquuntur, contractilitate, irritabilitate, atque exquisitiori quâdam sensitivitate donari ob nervos, quos vocant sympathicos, quibus abundat. Hinc 5° motus cordiacos animi affectionibus ac passionibus, præsertim si vividiores eæ sint, ita subesse, ut subitò cor vel subsiliat lætitiâ, vel angatur mœrore; ac propterea ejusmodi motus cardiacos solâ pathematum animi vi et efficaciâ perverti, totumque irrigatorium systema perturbari (3); quòd si pathema vehemens et constans fuerit, morbosam affectionem et organicum interdùm vitium in corde ingenerari, quandoque verò et mortem ipsam, ut suo loco pathologi docent (1). Hæc autem aliaque non pauca consultò à nobis prætermissa, ne in alienam provinciam excurrere videamur ad theologum non pertinentem, et à quâ, ut diximus, cultus iste nullo modo pendet, satis evincunt, cor animi affectionibus maximè affici eo ipso quòd in nerveo systemate sensitivitatis et affectionum sedes collocatur, ac sub hoc respectu verè cor dici et esse affectuum organum et instrumentum præcipuum, imò et sedem (2).

Ad quintum, distinguo : Quoad festi celebrationem, concedo; quoad rem ipsam, nego. Alioquin innumeræ propè ejusmodi devotiones hoc prætextu excludi ac respui deberent, quæ cum primùm peculiari festo et officio cohonestabantur, novæ erant. Confer Marques. cit. p. 1. consect. propos. 9, art. 4. Addehanc difficultatem æquè premere cultum cordis symbolici, quem tamen adversarius cum suis commendat.

(1) Confer eumdem lib. lez. 47, *Muscoli*, tum in op. *Elementa physiologiæ*, Taurini 1835, lib. 1, pag. 25-31, ubi affert experimenta Wilsonii, ex quibus constat cordis actionem neque à cerebro, neque à medullâ spinali dimanare. Plures enim nervi è gangliis prodeunt; sic plerique nervi cardiaci ex ganglio sub corde posito originem habent. Ex his patet quibus meliùs competat *cerebellistæ*, aut *pinealistæ* denominatio, an nobis scilicet, qui plerosque nervos cardiacos ex gangliis repetimus cardiacis et respectivo plexu, an verò Grégoire, qui omnes nervos repetit cum suis à cerebro, aut encephalo, et medullâ spinali, in quo non meliorem physiologum, quàm theologum se præbet.

(2) Ibid. tum p. 23, seq., ubi Bichati, Richerandii aliorumque hypotheses falsitate laborare ostendit, qui nervei systematis sensiferi centrum in encephalo collocant.

(3) Ibid. p. 31. Vide præterea *Dictionnaire abrégé des sciences médicinales*, Milan. 1825, art. *passion*, p. 357, seqq., necnon *Physiologie des passions*, par J. L. Alibert. Paris. 1825, duobus vol. in-8. Ex ejusmodi perturbatione quam systema irrigatorium ab animi affectionibus patitur, explicatur sudor sanguineus Christi Domini in horto, de quo S. Luc. 22, 44; nam systole et diastole, quæ duos præcipuos constituunt cordis motus qui sanguinis circuitioni inserviunt, perturbatæ sunt in functionibus suis, et anormales effectæ phænomenon illud produxerunt. Haud me latet Hilarium Pictav. lib. 10 de Trin. n. 41, prodigiis accensere ejusmodi sudorem sanguineum, dùm scribit : « Contra naturam est sudare sanguinem. » Verùm non modò Aristoteles in Hist. anim. lib. 3, cap. 19, et de animal. partibus, lib. 3, c. 5. Galenus, seu quisquis auctor est libri de *Utilitate respirationis*, Theophrastus Eresius in tract. *de Sudoribus*, sed etiam post restauratas litteras in Italiâ Collius *de Sanguine Christi*, Greg. Leti in vitâ Sixti V, lib. 6. Saporitius in Ephemeridibus Germanicis an. 1712, in Galliâ Maldonatus in Matth. 26, 37. Fagonius facultatis parisiensis medicus in thesi an. 1665. Marvillius Miscellanearum tom. 3. Tuanus *Historiarum* lib. 2, in Germaniâ Schenckius observat. 138, lib. 6; in Helvetiâ Conradus Lycostenes in *Prodigiorum ac ostentorum Chronico*, aliique viri docti non pauci suis temporibus mares ac feminas vel morbo sollicitatos, vel animi mœrore confectos, sanguine sudâsse, sive quòd ipsi viderint, sive diligenter exploratâ veritate testantur. Vide Calmetum dissert. de sanguineo Christi Sudore. Quæ ideò attulimus, quia mirificè rem nostram confirmant.

(1) Confer inter alios cit. Dictionarium, l. c. p. 354, et Allan Burns *Osservazioni sopra più frequenti malattie del cuore*, trad. dall' inglese. Milano 1816.

(2) Non quatenùs cor centrum est systematis irrigatorii, sed, ut diximus, ob quantitatem et qualitatem nervorum quibus instructum est.

Ad sextum, distinguo : Ex parte Jansenistarum eorumque gregalium, concedo ; ex parte piorum Catholicorum, saltem postquàm ab Apostolicâ Sede probatus est, nego. Quot oppositiones non sustinuit festum Conceptionis B. Virginis? Vide P. Victor à Cabal. O. Min. ref. in opere de superstitiosâ timiditate vitandâ. Quod festum Corporis Christi? Sanè de posteriori hoc festo apud Bollandianos legitur : « Festivitatem illam positam fuisse in ruinam « et resurrectionem multorum, et in signum « cui contradiceretur, *innumerabiles* habuisse « contradictores et atrocissimos impugnatores. » In vitâ B. Julianæ Leodiensis ad diem 5 april. lib. 2, cap. 3, edit. Antuerp. pag. 461 ; integrum caput illud legi meretur. Egregiam navârunt operam in promovendo ac tuendo hoc festo PP. inclyti Ord. Præd. qui propterea plurimorum invidiam subierunt. Quid inde? Festum Corporis Domini à S. Sede probatum perseverat, et nomina impugnatorum, utpote in pulvere exarata, levioris auræ impetu perierunt ; idem contigit et continget de festo SS. cordis Jesu deque ejus impugnatoribus. Loquor autem de iis qui sedis Apostolicæ decretis restiterunt.

Ad septimum, distinguo : Et hæc agendi ratio ineluctabile est documentum summæ prudentiæ, cautelæ ac maturitatis, quibus commendatur S. Rituum Congregatio, concedo ; aliquid officit ipsius causæ merito, quando approbata est, nego. Et sic cætera concidunt, quæ de machinationibus postulatorum adjecta sunt, inter quos auctor quem impugnamus ipsum involvit piissimum Rom. pontificem Clementem XIII. « Dans le temps, inquit, « qu'on poursuivait cette affaire, on se demandait à Rome : Quels sont les solliciteurs? et « tout bas, on se disait : C'est le pape. » Ita hic inverecundus Jansenista, et episcopus *conventionalis*, de cujus notitiis biographicis, obstinatâ pervicaciâ in schismate usque ad mortem, ob quam ei denegata sunt sacramenta, de ejusdem præterea funere et scandalis, quæ inde orta sunt, confer *l'Ami de la Religion*, an. 1831, vol. 66, in respectivis articulis.

Ad octavum, distinguo : Eâdem ratione quâ Catholicos lacessebant Apollinaristæ, dùm eos vocabant *anthropolatras* seu *hominicolas*, concedo ; jure merito, nego. Mirum est non animadvertisse ejusmodi homines partium studio abreptos se per hanc appellationem causam communem agere cum Apollinaristis, qui præterea eadem fermè argumenta urgebant adversùs Catholicos Christi humanitatem prout subsistit in divinâ Verbi personâ adorantes, quæ factiosi isti impugnatores urgent adversùs cultum cordis Jesu. Vide Petav. lib. 15, cap. 3, seqq., et Gerdil. op. cit.

(Perrone, Prælect. Theol. tract. de Incarn., part. 2, cap. 4, prop. 2)

De Cultu
IMMACULATI CORDIS MARIÆ, MATRIS DEI JESU.

(AUCTORE J. DE GALLIFFET.)

CAPUT IV.

Appendix de cultu sanctissimi et immaculati Cordis Mariæ *Matris Dei* Jesu.

Constituto semel in Ecclesia, afflante Spiritu sancto, cultu ac festo Cordis Jesu ; consequens erat ut, ejusdem Spiritus instinctu, constitueretur adhuc cultus et festum Cordis Mariæ. Hæc porro consequentia quam justa sit, ac divinis consiliis consentanea, apparebit ex sequenti animadversione, qua capitis hujus initium facere operæ pretium erit. Nulla certe Mariæ gloriosior, nulla servis illius jucundior ac gratior accidere potest. Scilicet, Christus Jesus immenso Matris amore ductus, eam sibi in rebus omnibus conjunctissimam ac similliman esse voluit ; et quantum licuit effecit, perpetua rerum suarum cum illa communicatione. Bona quippe omnia sibi propria, modo quodam mirabili, cum matre, omni tempore, omni loco, omni rerum statu ita divisit, ac partitus est, ut id omne quod ipse natura sua ac proprio jure possidet, illud idem Mater ipsa, filii gratia ac communicatione possideat, quantum naturæ creatæ fragilitas patitur. Prærogativas dico, qualitates, nomina, titulos, privilegia, virtutes, perfectiones, divitias, gloriam, potentiam, imperium, ac denique, quod hic peculiariter intendimus, honores omnes ab Ecclesia delatos. Rem hanc, hominum sane et Angelorum attentione et admiratione dignissimam, atque a finem a nobis intentum, ut videbitur, accommodatam, paulo attentius perpendamus. Oculos itaque mentis, si placet, in Mariam convertamus : hancque ipsius cum filio indissolubilem

conjunctionem, primo, ante secula condita inspiciamus. Nimirum in decretis divinæ Providentiæ : cujus primum ac præcipuum opus, Jesus ipse utique fuit, simul cum Virgine Matre. Hæc, ab æterno ante omnem creaturam, simul cum filio præcognita, prælecta, prædestinata. Hæc, cum filio causa finalis saltem secundaria productionis rerum omnium : nam omnia propter Filium et propter Matrem simul, condita esse, indicant cuncta illa Sapientiæ loca, quæ cùm a Patribus, tum ab Ecclesia Mariæ constanter adaptantur. *Prodivi primogenita ante omnem creaturam. Dominus possedit me in initio viarum suarum.... ab Æterno ordinata sum.... nondum erant Abyssi et ego jam concepta eram... quando præparabat cœlos aderam* (nimirum ut causa finalis). *Cum eo eram cuncta componens*, etc.

Mirum sane accidere debet, quod ista divinæ Sapientiæ oracula, Verbum æternum proprie respicientia ; Mariæ, ab ipsa veritatis magistra Ecclesia, palam ac publice accommodentur : præsertim quum ejusmodi publica accommodatio, non sine peculiari Spiritus sancti Ecclesiam assidue dirigentis inspiratione, facta fuisse credenda sit. Quid vero Spiritus sanctus, quid Ecclesia significare voluere, dum eisdem præcise coloribus ac lineamentis Matrem adumbrarunt, quibus Filius a divina sapientia in Scripturis effingitur : nisi hanc quam dicimus admirabilem Filii cum Matre conjunctionem, ac similitudinem in omnibus tum creationis operibus, tum redemptionis mysteriis : communem quodammodo utrique tribuentes potestatem, ac dominationem super omnes creaturas ; communemque influxum gratiarum ad salutem et perfectionem conducentium ?

Jam si eamdem sanctissimam Virginem post rerum productionem considerare pergas, conjunctionem illam seu similitudinem cum Filio, ab ipso statim mundi exordio, ac deinceps in toto veteri Testamento expressam perpetuo reperies : in promissionibus Patriarchis à Deo factis : in oraculis Prophetarum : in figuris ac symbolis antiquæ legis. In his enim pene omnibus Mariam invenies cum Filio promissam, prænuntiatam, figuratam.

Verum hæc conjunctio nusquam admirabilior apparuit, quam in lege nova : in ipsa videlicet rerum prædictarum ac promissarum executione. Hic velim consideres Verbi incarnati mysteria omnia, Incarnationis, Nativitatis, Infantiæ, etc., in omnibus ac singulis Matrem ita cum Filio junctam reperies, ut nihil esse conjunctius possit. In Incarnatione, Verbum divinum se in Matris visceribus menses novem ita condidit, ut rem unam et eamdem, juxta humanum loquendi morem, cum illa quodammodo constituere visus sit. Infantiam totam inter brachia Matris transegit, virgineo sinu perpetuo fotus, affixusque sacris uberibus. Vitam privatam cum Matre 30 ipsos annos consumpsit, eodem tecto, eadem mensa, iisdem bonis, eadem fortuna utens : imo Matris imperio, filiorum more, subditus et obediens. Ecquæ major aut magis intima conjunctio esse, aut etiam fingi possit? Similem plane reperire est in aliis omnibus Christi seu prædicantis, seu patientis, seu resurgentis mysteriis. Etenim labores omnes suos, dolores, opprobria, gaudia, ita Filius Matri communicavit, ut omnia sibi cum illa esse communia, semper et ubique voluerit, et ostenderit.

Sed ad majora transeamus : hanc Mariæ cum Filio assimilationem contemplemur in virtutibus, perfectionibus, prærogativis, nominibus, titulis, qualitatibus, privilegiis, potestate, imperio, gloria, ac demum in honoribus ab Ecclesia utrique delatis. Et primo quidem in virtutibus. Jesum itaque ex una parte considera, hominum omnium humillimum, mitissimum, patientissimum, obedientissimum, castissimum, innocentissimum, charitate ac misericordia plenissimum, denique sanctissimum : ex alia Mariam conspice Filio in eisdem virtutibus ita similem, ut ipsa quoque homines omnes humilitate, mansuetudine, patientia, obedientia, castitate, innocentia, charitate, misericordia, sanctitate, infinito quodam intervallo vincat ac superet.

2° In titulis ac qualitatibus. Vide quam exacte respondeant Matris qualitates ac tituli, qualitatibus ac titulis Filii. Jesus Rex noster : Maria Regina nostra. Jesus Dominus noster : Maria Domina nostra. Jesus advocatus et mediator noster : Maria advocata ac mediatrix nostra. Jesus Pater noster : Maria Mater nostra. Jesus spes nostra, vita nostra, refugium nostrum, auxilium et solatium nostrum : Maria spes nostra, vita nostra, dulcedo nostra, refugium, solatium, et auxilium nostrum, etc.

3° In prærogativis ac privilegiis. Jesus natura impeccabilis : Maria impeccabilis gratia. Jesus omni peccato tum originali tum actuali jure proprio immunis : Maria immunitate eadem singulari privilegio gaudens. Jesus auctor gratiæ. Maria Mater gratiæ. Jesus misericordiæ Pater : Maria misericordiæ Mater. Jesus virgo : Maria virgo. Jesus in sepulchro incorruptus : Maria eadem post mortem prærogativa donata. Jesus a mortuis tertia die resurgens : Maria eodem dierum spatio ipsa quoque a mortuis rediviva.

Jesus in cœlum corpore et anima ascendens : Maria eodem modo in cœlos assumpta. Jesus ad dexteram Patris sedens : Maria ad dexteram Filii collocata. Jesu omnis potestas a Patre data : Mariæ omnis quoque a Filio potentia concessa. Pater gloriam omnem suam et imperium cum Filio divisit : Filius hanc ipsam gloriam et imperium Matri secum voluit esse communia.

4° Denique in honoribus ab Ecclesia Jesu ac Mariæ delatis : quod ad rem hujusce capitis propriam proxime pertinet. Scilicet nullum est obsequii aut officii genus ab Ecclesia ad honorem Filii institutum, cui simile ad Matrem venerandam inductum non reperiatur. Orbem terrarum mentis oculis perlustra, et cum debita admiratione animique voluptate recognosce, nullam esse mundi partem, ubi Jesu nomen cognitum ac prædicatum sit ; quin ibidem Mariæ nomen simul cum Filii nomine annuntiatum quoque fuerit. Nullam esse gentem quæ Jesum Dei Filium agnoverit, quin Mariam indivisim Dei Matrem confessa, ac venerata sit. Templum nullum Jesu consecratum fuisse ; in quo monumentum aliquod ad Mariæ gloriam constitutum non invenatur. Neminem in Ecclesia extitisse, qui amore Jesu singulariter arserit, quin ardore simili erga Mariam incensus fuerit : quod omnium Sanctorum exempla declarant. Ut omnino dicere liceat, Jesum neque coli, neque amari voluisse sine perpetuo Matris consortio. Cerne, ut Mariæ nomen in ore fidelium, a nomine Jesu inseparabile sit. Ut Matris præconia cum Filii laudibus quotidie in divinis officiis misceantur et confundantur. Ut mysteria omnia vitæ Christi, ab incarnatione incipiendo usque ad Ascensionem, totidem solemnitatibus ab Ecclesia celebrentur : et quomodo idem honor, cunctis mysteriis vitæ sanctissimæ Matris, a Conceptione ad Assumptionem, similiter deferatur. Nullam demum in Ecclesia exoriri novam festivitatem, nullum officium, aut exercitium ad honorem et cultum Filii ; quin similis continuo festivitas, officium, aut exercitium ad honorem et cultum Matris excitetur, et inducatur : exemplo sint, festivitates Nominis Jesu : Nominis Mariæ. Gaudiorum Jesu : Gaudiorum Mariæ. Excellentiarum Jesu : Excellentiarum Mariæ. Dolorum et Passionis Jesu : Dolorum et Passionis Mariæ. Quod in aliis similibus celebritatibus, et exercitiis, constanter et absque variatione in Ecclesia factitatum, attentus quisque lector reperiet. Ergo, ut tandem id quod intendimus, quodque initio hujusce capitis asseruimus, concludamus : semel instituto cultu ac festo Cordis Jesu, consequens erat juxta consuetam Spiritus sancti in Ecclesia gubernanda Providentiam, ut similis cultus seu festum ad honorem Cordis Mariæ institueretur.

Et vero ita factum esse gaudemus : jam enim suavissimus ille Cordis Mariæ cultus, tota Europa una cum cultu Cordis Jesu propagatus est. Imo ita rem Jesus disposuit, ut primum templorum omnium, in suimet Cordis honorem excitatum (quod fuit Constantiis castris in Normannia in seminario Episcopali), illud idem in honorem Cordis Mariæ simul dedicatum sit : atque uno eodemque momento, utrique sanctissimo Cordi simul et indivisim honos adhiberi cœperit. Namque ibidem, in amborum honorem, festum solemni pompa per octiduum celebratum est : constitutaque confraternitas sacris Cordibus assidue colendis destinata : quam Clemens X, Sum. Pont., brevi Indulgentiarum decoravit, an. 1674, die 4 octob. Pontif. 5. Clemens IX eumdem favorem jam impertierat, anno 1668, 28 april. Abbatiæ regiæ S. Cæsarii in civitate Arelatensi : in qua singulis annis, Cordis Mariæ festum solemni ritu celebratur. Ex eo vero tempore, sanctissimus ac suavissimus cultus in aliis plurimis civitatibus, Provinciis, ac Regnis dilatatus est; in Gallia, Belgio, Germania, Polonia, Bohemia, Lituania. In Ecclesiis tum secularibus, tum regularibus virorum ac mulierum : ut patebit ex indice brevium Indulgentiarum variis confraternitatibus, sub illo sacro nomine constitutis, a summis Pontificibus concessorum : quem sub finem secundæ partis exhibebimus. Demum hoc loco omittendum non est ordinem S. Benedicti in Gallia, officium divinum ad honorem Cordis Mariæ proprium ac peculiare concinnasse, sub ritu 2 class. 8 Februarii recitandum : quemadmodum de Corde Jesu supra retulimus. Quod, ex additamento Breviarii hujus Ordinis proprii, Parisiis apud Petrum de Bats via Jacobea edito, certissime constat.

Jam si rationibus agendum sit, ad persuadendum quanta sit hujusce cultus erga Cor Mariæ soliditas, æquitas, suavitas, utilitas, sanctitas, non aliis certe utemur argumentis, quam illis ipsis quæ superius attulimus, quum de Corde Jesu disseruimus. Etenim ubi a Corde Jesu discesseris, quid demum reperies aut sanctius, aut dulcius, aut nobilius, aut sublimius quam Cor Mariæ ? Quod quum simillimum sit Cordi Jesu ; quidquid de hujus excellentia dictum est, c. 1, l. 2, Cordi Mariæ accommodatum, ejus quoque excellentiam commendabunt. Sive enim hanc excellentiam metiri velis ex dignitate personæ : sive ex perfectione animæ, cui Cor

conjunctum est; sive ex gratiis infusis : sive ex virtutibus, quarum sedes est atque origo: sive ex functione, ad quam factum destinatumque est, nimirum ut amore Jesu ineffabili, indesinenter ac in æternum arderet : sive demum ex gloria, quam suis affectionibus Deo creat: evidens est, nihil existere inter puras creaturas, seu in cœlo, seu in terra, hoc virgineo corde perfectius, pretiosius, sanctius, excellentius, Deo et Jesu Christo gratius. His adde nihil esse nostri amantius, aut in nos beneficentius. Agitur enim de Corde Matris nostræ, Dominæ nostræ, Reginæ nostræ, Advocatæ nostræ, Auxilii nostri, Refugii nostri, Consolationis nostræ. Agitur de Corde amore nostri gladio doloris transfixo, cunctosque Cordis Jesu dolores pro nostra salute susceptos, affatim participante. Hæc si quis attente consideraverit, ac luce divina perfusus perpenderit, sentiet profecto fatebiturque, nihil esse veneratione, et amore nostro dignius, sanctissimo Corde Mariæ. O si venter qui Jesum portavit beatus est, si beata ubera quæ lactaverunt, ac proinde veneratione dignissima, quid, amabo, dicendum de Corde, quod amavit?

Cogita nunc, si Pater æternus in cultu Cordis Filii sui, ut supra vidimus, tantopere sibi complacet, dubitari non posse quin ei gratissimus etiam accidat cultus Cordis Mariæ : ob mutuam utriusque sanctissimi cordis conformitatem. De Jesu vero, quis dubitet venerationem Cordis sanctissimæ ac dilectissimæ Matris adhibitam, ipsi debere esse gratissimam : quum in eo sacrosancto Corde amore sui ineffabiliter incenso, super omnia creata suavissime conquiescat?

Neque desunt ad hæc confirmanda exempla Sanctorum; imo etiam divinæ revelationes. In operibus B. Mechtildis, de cujus eximia sanctitate supra diximus, hæc habentur, lib. 1, c. 54 : « Post hæc datum est ei salutare Cor Virginis « gloriosæ, in his septem articulis, in quibus « nobis utillissimum fuit præ omnibus cordibus, « post Christum : et 1° in desiderio quod præ « omnibus Patriarchis et Prophetis maxime ha- « buit ad Christi humanitatem. 2° In amore, « quia per amorem ardentissimum et humilli- « mum Mater Dei est effecta. 3° In dulcissima « pietate, qua tam affectuose parvulum Jesum « enutrivit. 4° In studiosa conservatione verbo- « rum Christi. 5° In exemplo patientiæ passio- « nis Christi. 6° In sedula oratione et desiderio « pro Ecclesia. 7° Quod quotidie proficit in cœlo « apud sanctissimam Trinitatem nostra deside- « ria promovere. »

In revelationibus S. Gertrudis hæc de Corde Mariæ leguntur, lib. 4, c. 3: Videbatur blandus ille ac floridus puellulus (Jesus), æterni Patris Filius unicus, Cor matris Virginis cum summa voluptate sugere. Quo dabatur intelligi, quod sicut Christi humanitas virgineo lacte nutriebatur, ita ejus divinitas suavissime in hoc innocentissimo et amantissimo Corde conquiescebat, eoque frui delectabatur.

Eodem lib. 4, c. 12, hæc referuntur. Tempore Matutini, dum cantaretur *Ave Maria*, visum est illi (Gertrudi) tres quasi rivulos prorumpere, unum ex Patre æterno, alterum ex Filio, tertium ex spiritu Sancto, qui Cor Virginis Matris penetrarunt : ex quo deinde egredientes, cum vehementi impetu, unde primo processerant, revertebantur. Quo influxu sanctissimæ Trinitatis in beatam Virginem significabatur, eam post Patrem esse potentissimam, post Filium sapientissimam, post Spiritum sanctum benignissimam.

Vidimus supra, venerabilem illam Matrem Mariam de Incarnatione, Dei donis, ac virtutibus eximiis ornatissimam, solitam esse, Cor Mariæ a Corde Jesu in suo cultu nunquam disjungere; sed utrumque simul, instinctu divino, venerari : utens apud Jesum Corde Mariæ, eadem ratione, qua Corde Jesu apud Patrem æternum uti consueverat. Fuit mos B. Hermanni, Ordinis S. Dominici, singulis diebus Cor Mariæ salutare, ejusque in honorem Salutat. angelicam recitare. Denique Virgo illa Parodiensis, de qua toties mentio facta est, Cordis Jesu studiosissima, simili prorsus affectu Cor Mariæ complectebatur. Hinc haud dubie P. Claud. La Colombière suum erga Cor Mariæ studium hausit: ut patet ex oratione, quam ad sacrosancta Corda Jesu et Mariæ, in exercitiorum suorum diario conscripsit.

Nos itaque his exemplis atque rationibus adducti, cultum sacrosancti Cordis Mariæ, a cultu divinissimi Cordis Jesu ne separemus; Cor utrumque sanctissimum æque ac suavissimum intimis præcordiis complectamur, veneremur, diligamus : utrique nos totos tradamus et consecremus. Adeamus ad Patrem æternum per Cor Jesu : ad Jesum vero ipsum per Cor Mariæ. Per Cor Jesu reddamus Deo Patri quæ infinitæ illius majestati, justitiæ, misericordiæ debemus. Per Cor Mariæ reddamus Filio, quæ infinitæ illius dignitati, clementiæ, beneficentiæ, benevolentiæ et amori immenso debemus. Omnia a Patre æterno impetrabimus per Cor Jesu : a Jesu ipso per Cor Mariæ cuncta pariter consequemur.

BREVISSIMUM TRACTATUS DE INCARNATIONE

COMPENDIUM,

Ad usum eorum quibus doctrinam christianam fideli populo tradere et explicare munus incumbit.

Ex omnibus scientiis quibus operam dare solent homines, nulla est quam non dignitate solùm et suavitate, sed etiam utilitate atque necessitate non vincat illa facilè quæ circa Christum versatur. Enimverò cùm *nullum aliud sit sub cœlo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, præter Jesum Christum, qui unus est mediator Dei et hominum*, Act. 4, et 1 Tim. 2, cùmque *hæc sit vita æterna, ut cognoscant solum Deum verum, et quem misit Jesum Christum*, Joan. 17, quis non statim videat cæteras cognitiones, quæcumque sint, si cum istâ conferantur, parvi esse faciendas? Hinc S. Bernardus serm. 43 in Cant.: « Sublimior, inquit, philosophia est « scire Jesum; » ante ipsum verò Apostolus, 1 Cor. 2: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum.* Hæc sufficiunt ad demonstrandum quanto in pretio ab omnibus fidelibus, et præsertim ab Ecclesiæ ministris, habendum sit, quod hìc tractandum suscipimus argumentum. Non animus est de omnibus, quæ in ipso tractatu de Incarnatione agitantur, quæstionibus in præsenti compendio disserere, sed de iis tantùm, quæ ad fidem vivam et operantem excitandam, fovendamque pietatem maximè sunt idoneæ; quas etiam non multis prosequemur sermonibus, verùm tantummodò delibabimus, quantùm satis est, ut verbi divini præcones haud obscurè videant, amplam sibi in augustissimo Incarnationis mysterio ad dicendum patere materiam, et veluti præ oculis habeant quid præsertim his de rebus ad populum dicere conveniat. Ut autem non inordinatè et confusè discurrat oratio, agemus 1° de Incarnatione propriè dictâ, 2° de humani generis redemptione et reparatione.

Sectio prima.

DE INCARNATIONE PROPRIÈ DICTA.

In hâc sectione duo dicenda occurrunt, 1° quænam sit Incarnationis natura, 2° qui ex ipsâ fructus prodierint.

CAPUT PRIMUM.

De naturâ Incarnationis.

Ut clarè pateat Incarnationis natura, seorsìm demonstrandum est, Christum esse 1° Deum, 2° hominem, 3° Hominem-Deum, seu unicam personam duas naturas, divinam et humanam, simul complectentem.

ARTICULUS PRIMUS. — *Christum esse Deum.*

Jam fusiùs demonstratum est in tractatu de SS. Trinitate Christum esse Deum, proindeque inutile esset diutiùs nunc immorari in proferendis rationum momentis, quibus ejus divinitas evincitur. Hìc tantummodò addere juvat, luculentissimas et concionibus accommodatissimas ejusdem argumenti haberi probationes, 1° in prophetiis quas ipse Christus edidit, 2° in stupendâ penitùs patrandorum miraculorum facultate, quam sibi monstravit inesse, et in discipulos suos copiosissimè effudit; 3° in eminenti vitæ sanctitate atque integritate, quâ se constanter præbuit omnibus conspicuum; 4° tandem in religionis institutione ac perpetuâ inter persecutiones et adversa duratione.

ARTICULUS II. — *Christum esse hominem.*

Tria sunt in humanitate Christi consideranda, nempe illius veritas, origo et dotes eximiæ.

1° Christus verè atque realiter homo est similis nobis, id est, ex corpore terrestri, humano, ac, dùm in terris ageret, passibili, et animâ rationali, inter se conjunctis, subsistens. Ita docet catholica fides, quam si quis temerè violaverit, absque dubio in æternum peribit.

2° Sacratissima hæc humanitas non communi ortu venit ad vitam, sed singulari prorsùs et omninò mirabili, quippe quam in in-

violatæ Virginis sinu ipse finxit Spiritus sanctus. Quis igitur dignis cœlestem hanc originem laudibus celebrare queat?

3° Quod autem spectat illius dotes, nulla eas lingua, non humana tantùm, sed etiam angelica, enarrare sufficiat. Si ad facultates intellectuales attendas, intelligentiam nempe, imaginationem, memoriam, etc., *in* Christo *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi*, Coloss. 2; si verò ad facultates morales, voluntas ejus, omnium sicut dives est plenitudine gratiarum, ita cunctarum cumulatâ complexione virtutum exornatur; cor autem non tam bonitate affluere dici debet, quàm ipsamet esse bonitas atque inexhausta charitas. Quid dicam de miro admodùm concentu quo præclaræ istæ dotes et facultates inter se cohærent? Quanta inde exurgit pax et harmonia! quanta felicitatis ubertas! quanta pulchritudo! quantus decor! Hic est enim de quo Propheta dicebat, Psal. 44: *Speciosus formâ præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis.... Propterea unxit te Deus oleo lætitiæ præ participibus tuis.*

Articulus III. — *Christum ita esse Deum et hominem, ut ambæ naturæ in unicam personam coeant.*

1° Dogma catholicum est ambas Christi naturas hypostaticè secum invicem colligari, id est, adeo arctâ et intimâ unione, ut una sit ex duabus persona. Hujus etiam conjunctionis vinculum ita validum est, ut in omni æternitate disrumpi nequeat. O mira humanitatis elevatio et exaltatio, quæ ascendens super omnes angelos et archangelos, super Cherubim et Seraphim, super omnes denique creaturas possibiles, ita Deo proximavit, ut in eodem throno cum ipso consideat!

2° Quantùmvis arctus sit utriusque naturæ nexus, distincta tamen et inconfusa utraque remanet, absque damno aut imminutione suarum facultatum et proprietatum; unde fit ut unaquæque actionibus sibi propriis vacare possit. At verò, cùm virtute divinæ hujus unionis, humana natura non suî, sed personæ Verbi sit juris et dominii, quidquid agit, ipsi Verbo rectè et meritò adscribitur, proindèque verè dici potest Deum esse passum atque mortuum, et alia hujusmodi; et vicissim, ob eamdem rationem, ex Verbi divini personâ in actiones humanitatis pretium infinitum refunditur. Itaque Verbum sua divina nobis communicavit, et nostra misera et humana sibi assumpsit. Quàm amandus negotiator, qui tradit sublimia, ut accipiat infima! O admirabile commercium, quo Deus suscipit infirmitates nostras, suas nobis largiturus virtutes! O inæstimabilis dignatio charitatis! Suam dejicit majestatem, ut nostram vilitatem promoveat!

CAPUT II.

De fructibus qui ex Incarnatione prodierunt.

Incarnationis fructus spectant vel Deum, vel beatam Virginem Mariam, ve cæteros homines, vel angelos, vel totam denique naturam.

§ 1. *Qui fructus in Deum ex Incarnatione redundârint.*

1° Ex Incarnatione Dei cognitio latîùs per orbem diffusa est. Antequàm *Verbum caro fieret et habitaret in nobis*, Deus universo penè orbi inauditus erat et ignotus: falsorum numinum cultus omnem terram invaserat, secumque invexerat cunctorum scelerum catervam; ex quo autem unigenitus ejus Filius, *in similitudinem hominum factus, cum hominibus conservatus est, plenus gratiæ et veritatis*, illius nomen usque ad remotissimas orbis plagas pervenit. Incarnatio fuit veluti fons quidam, unde perennia luminis et veritatis flumina undequaquè eruperunt, et oculi cæcorum aperti sunt ad videndam Dei majestatem humanæ imbecillitati sese attemperantem; à summo enim cœlo egressa in terras descendit, et *vidimus gloriam ejus*, nec fuit qui se à claritate ejus absconderet. Illi etiam quibus antea notus erat, ab illo tempore plurimùm in ejus cognitione profeceruut. Etenim quamvis summæ ejus perfectiones in rerum universitate, quasi in immensâ tabulâ, adumbratæ cerni possent, aliquâ tamen obscuritate involutæ, non dilucidè intelligebantur; in incarnato autem Verbo radiosæ omnium oculis coruscant, unde canit Ecclesia, Præfat. Nativit.: *Per incarnati Verbi mysterium nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit*; et: *Deum visibiliter cognoscimus.*

2° Hominum amor in Deum nova inde suscepit incrementa. Quàm pauci enim antea puro in Deum amore ferebantur! Homo beneficiis ejus undique circumdatus et cumulatus, vix ea recogitabat, nedùm gratum se atque memorem præberet, et cor humanum, ad Creatorem diligendum comparatum, totum ferè se creaturis amandis tradiderat. Nunc

autem, cùm *Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus Deum, charitas* ejus vehementer stimulat nos, concitat nos, *urget nos*, rapit nos. Verbum quippe incarnatum quid est, nisi infinita Dei bonitas, benignitas, misericordia cæteræque perfectiones sese aspectabili specie hominum sensibus accommodantes? Porrò quis sic nos amantem posset non redamare? Quis tantis illecebris non traheretur? Quis illius ignis, quem misit in terram, vim et ardorem effugeret? Hinc sumpserat originem flamma illa cœlestis quæ animos Apostolis, martyribus, aliisque sanctis accendebat, et eos ad tot et tam præclara facinora patranda impellebat, ex quibus tantum decus in Ecclesiam redundavit.

3° Denique multò perfectior Deo exhibitus est cultus. Cùm omnes creaturæ finitæ sint, tantoque ab eo distent intervallo, ut pro nihilo reputentur, nullis infinitæ suæ dignitati accommodatis honoribus coli Deus poterat. At verò Christus, utpote qui Deus simul et homo est, non impar existit, qui Deo dignum prorsùs cultum exhibeat; singulis enim ejus actionibus pretium inest aliquâ ratione infinitum. Quantum ergo decus, quantus honor in Deum resultavit ex iis omnibus operibus quæ peragere dignatus est! Præterea non per se tantùm Christus digniùs coluit Deum, sed etiam homines, tum exemplis, tum cœlestibus documentis instituit, ad illum in spiritu et veritate adorandum. Imò verò ipsos sibi inenarrabili unione coaptavit, ut merita sua in illos transfunderet, eorumque actionibus divina quædam accresceret dignitas.

§ 2. *Qui ex Incarnatione in Mariam fructus redundârint.*

Si Verbum Dei non humanam assumpsisset naturam, sacratissima Virgo divinæ maternitatis honore nequaquàm esset amplificata; et, quandoquidem ex divinâ illâ maternitate fluunt omnes ferè prærogativæ quibus divinitùs decorata est, communem humanæ conditionis sortem profectò in omnibus subiisset; idcircò pro inæstimabili stolâ innocentiæ, quâ à primo conceptionis instanti donata est, turpissimâ originalis peccati labe, tanquàm vestimento, ignominiosè fuisset induta, non secùs ac cæteri Adæ posteri. Quantùm igitur in cœlis nunc sibi gratulari debet de peractâ Incarnatione, quippe cùm quidquid sibi gloriæ singularis inest, quidquid dignitatis, quidquid gratiæ, quidquid sanctitatis, quidquid felicitatis, quidquid tandem cœlestis doni, non alio ex fonte dimanat.

§ 3. *Quos fructus Incarnatio humano generi contulerit.*

In memoriam revocandum est hìc non agi de fructibus redemptionis, sed Incarnationis propriè dictæ. Porrò nemo non videt ingentem gloriam hominibus accedere ex eo quòd propria ipsorum natura ad tantum honoris gradum evecta sit, ut ad dexteram Dei sedeat. Quanta insuper luminis flumina, ad dispellendam errorum caliginem, rectæque vitæ monstrandam semitam, ex manifesto adventu illius qui lux vera est, latè per orbem profluxerunt! Quanta gratiarum plenitudo inde in homines exundavit! O natura humana, à summo gloriæ fastigio in imam dejecta priùs miseriam, exulta et lauda, quia misertus est tuî qui fecit te! Inclinavit cœlos et descendit, ut te in profundo humiliationis jacentem excitaret, ad altiorem quàm antea promoveret dignitatem, et splendidiorem capiti tuo coronam imponeret.

§ 4. *Qui fructus ex Incarnatione angelis advenerint.*

Dubitari non potest quin accidentale quoddam gloriæ et felicitatis augmentum ex sacratissimo hoc pietatis atque amoris sacramento angelis additum fuerit. Hinc enim penitiùs inducti sunt in cognitionem divitiarum bonitatis et sapientiæ Dei. Hinc novo exultationis sensu perfundi debuerunt, quòd tandem non indignum cultum Deus nactus esset; et hæc sanè causa est cur, nascente Christo, primi cantarent: *Gloria in altissimis Deo!* Quod verò subdunt: *Et in terrâ pax hominibus*, argumento est eos plurimam inde sumpsisse lætitiam, quòd Dei erga homines benevolentia restitueretur, et sic affulgeret spes, fore ut hi in sedes angelorum defectorum succederent. Ecquos quidem alios hujusmodi congratulatio, magis quàm cœlites decebat, qui in ipso charitatis sinu feliciter quiescentes, toti in charitatem veluti transformantur?

§ 5. *Quem ex Incarnatione fructum natura corporea perceperit.*

Lætentur cœli, et exultet terra, exclamat Psaltes regius, psal. 95; *commoveatur mare et plenitudo ejus: gaudebunt campi et omnia quæ in eis sunt: tunc exultabunt omnia ligna sylvarum à facie Domini, quia venit.* Sexcenta alia

hujusmodi in divinis Scripturis reperire est. Quid autem hæc sibi volunt? Quid est quòd prophetæ creaturas, sensu etiam carentes, ad plausum et exultationem de Salvatoris adventu tam frequenter invitent? Nulla sanè luculentior assignari ratio potest, nisi quòd tantus honor ex Verbi incarnati mysterio toti naturæ addatur, ut, si posset fieri, omnibus gaudiis lætabunda exultaret. Enimverò vanitati jamdudùm subjecta, et à constituto sibi divinitùs fine per hominum nequitiam et pravitatem aversa, gemebat sub servitute corruptionis hujus, ac veluti pudore suffusa, divini odii pondus sibi reformidare videbatur. At ubi Unigenitus qui est in sinu Patris descendit de cœlo, ut omnia instauraret, et ad laudem sui referret Auctoris, caput, si dicere fas est, erigere debuit natura, sentiens infinitum propè decorem inde sibi affundi, atque adeò blandis ac benevolis oculis se jam à Creatore aspiciendam, multò etiam magis quàm ab initio, quando *vidit cuncta quæ fecerat, et erant valdè bona,* Gen. 1. Quid enim Dei aspectibus dignius esse posset, quod spectaculum ipsi jucundius et delectabilius, quàm iste orbis, Verbi æterni jam præsentiâ et possessione locuples? Quibus magis delectaretur laudibus, quàm illis, quæ inde, proprio mediante Filio, jam ad ipsum ascendunt? Hic est quippe divinus naturæ mediator atque interpres; hic est quasi vinculum quo creaturæ, à Deo jamdiù sejunctæ, iterùm cum ipso colligantur, ut significabat Apostolus, ubi dicebat: *Omnia vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei,* 1 Cor. 3.

Sectio secunda.

DE HUMANI GENERIS REDEMPTIONE ET REPARATIONE.

Naturalis ordo postulat ut agamus 1° de humani generis statu post lapsum, 2° de ratione quâ erectum sit et reparatum.

CAPUT PRIMUM.

De statu humani generis post lapsum.

Ob tria potissimùm lugendus omninò erat lapsi hominis status, nempe 1° quòd bonis immensis spoliatus esset; 2° quòd innumeris circumvallatus malis; 3° quòd inde emergendi nulla ipsi facultas relinqueretur.

§ 1. *Quibus bonis homo spoliatus fuerit per lapsum.*

Vix homo Dei legem infringere ausus est, cùm è summo honoris fastigio, in quod fuerat evectus, nullâ morâ dejicitur. Quamdiù pes ejus ambulavit iter rectum, inæstimabili cordis innocentiâ, candidissimâque justitiæ stolâ, tanquàm gloriæ et decoris vestimento, induebatur, atque adeò dilectus Deo suo erat; ipsius menti illucebat puræ veritatis lumen indeficiens; voluntati autem inerat summa integritas ingenuusque candor; universæ cupiditates placidè acquiescebant in ejus arbitrio; denique non proprium tantummodò corpus, sed tota etiam rerum natura supremo ipsius dominatu tenebatur. Hinc verò nunquàm exhaurienda pacis et gaudii abundantia ipsi affluebat, et ad felicitatis cumulum certa spes vitæ æternæ et summè beatæ affulgebat. Verùm, proh dolor! statim ut hausit mortiferum peccati virus, ereptis sibi omnibus, repentè concidit, veluti rex è solio deturbatus.

§ 2. *Quibus malis circumvallatus homo post lapsum fuerit.*

Quæ lingua humana enarrare queat quanta malorum cohors in hominem à Deo deficientem ingruerit? Horrida peccati labes ejus animæ inhærens eam turpiter commaculat. Hinc obstrepere terribiles Dei minæ, et ira impendere pavitanti; tanquàm vinculis constrictum diabolus durissimæ servituti addicere; in eum debacchari effrenatæ cupiditates; terror illum invadere; agitare perturbatio; vehementissima in vitium proclivitas voluntatem ejus depravare; mortis non tantùm naturalis, sed etiam æternæ, formido insectari; caligo densissima ipsius menti offundi, ita ut jam ignoret tum leges naturæ, cujus dominium habere natus erat, tum suas ipsius proprietates atque facultates. En paucissimis summa malorum quibus homo post peccatum opprimitur.

§ 3. *Quòd homini ex tantis malis nulla superesset emergendi ratio.*

Si homini tot et tantis malis obruto aliqua spes emergendi remansisset, esset sors ejus minùs lugenda; at verò omnis via evadendi penitùs præcluditur. Divinæ scilicet justitiæ debebantur læsi honoris non impar satisfactio, æqua sceleris admissi expiatio, et justum redemptionis pretium, ut homo à servitute eximeretur: porrò quis non videat hæc omnia facultates humanas plurimùm excedere? Quem honorem parem injuriæ Deo exhiberet homo, cujus omnes actiones non modò finitæ et admodùm exiles, sed etiam multis sæpiùs inqui-

natæ maculis, et pœnâ dignæ existebant? Quibus verò, nisi æternis inferorum supplicîis, tantum scelus expiaretur, si nulla, præter hominem, victima suppeteret? Quodnam denique pretium daret homo ad se redimendum, et jura in æternam hæreditatem recuperanda, cùm nihil ex se haberet nisi exiguum, nisi pollutum et contaminatum, nisi jure jam debitum? Hæc igitur omnia præstare solum poterat ens infinitum simul et sciens infirmitatem, id est, Deus-Homo. At certè quî talem sibi vadem affuturum spe præsumeret, quandoquidem Deus ille ipse erat, cui injuria esset illata, cujusque manus ultionem intentaret? Sola ergo plenaque salutis desperatio homini superesse videbatur. In hunc miserabilem vitæ statum peccando deturbatus fuerat.

CAPUT II.

De ratione quâ lapsus homo erectus sit et reparatus.

Hîc tria sunt diligenter expendenda, 1° quâ ratione Christus nos à malis liberaverit atque redemerit; 2° quomodò ipsius merita et venia quam comparavit nobis applicari queant; 3° quænam documenta ex istâ reparatione homines haurire possint.

Articulus primus. — *Quâ ratione Christus nos redemerit et à malis liberaverit.*

Ad hominum reparationem quatuor præstitit Christus: 1° Omnia debita nostra in se suscepit; 2° illa planè exsolvit; 3° redemptionis nostræ pretium dedit; 4° infinitas alias nobis promeruit gratias.

§ 1. *Quòd Christus debita nostra in se susceperit.*

Christus miseram humani generis sortem vehementer dolens, sese mediatorem inter Deum et homines libentissimo animo interposuit, ut eorum reconciliationem perficeret. In tanto autem negotio pactum quoddam intercessisse videtur Deum inter et Christum; et quidem hujusmodi, ut homines in gratiam et spem recuperandæ salutis admitterentur, si Christus, se pro ipsis vadem atque sponsorem constituens, eorum vices subire, et satisfaciendi munus suscipere vellet. Ad has conditiones, duras licet, *propter nimiam charitatem suam quâ dilexit nos*, descendere non dubitavit piissimus Salvator, ut docet Apostolus ad Hebræos 10, post Psaltem regium: *Ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti... Holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio,.... ut faciam, Deus, voluntatem tuam..... In quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.* Hæc omnia ad amussim prædixerat Isaias 53, ubi de Christo manifestè loquitur: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur.* Vides pacti conditiones propositas? Vide nunc à Christo acceptas: *Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.... Iniquitates eorum ipse portabit.... Ipse peccata multorum tulit.* Denique hæc est totius pactionis conclusio et exitus: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.*

Itaque Christus in se assumpsit nostra peccata atque debita, et maledictio quæ nobis impendebat ad ipsum transiit; nec enim nos redimeret de maledicto, nisi fieret pro nobis maledictum, Galat. 3. O inæstimabilis dignatio charitatis Christi, qui ita *dilexit me, ut traderet semetipsum pro me!* O incomprehensa æterni Patris bonitas ac misericordia, qui *sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*

§ 2. *Quòd Christus debita nostra planè exsolverit.*

Infinita propemodùm erant hominis erga Deum debita; at Christus nullum reliquit quod non exsolveret. Homo videlicet insolenti tumens superbiâ, contra augustissimam Dei majestatem ausus erat insurgere; *Christus* autem *humiliavit semetipsum*, exinanivit semetipsum et in mediis opprobriis versari voluit atque immergi: homo obedientiam recusaverat; Christus *factus* est *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis:* homo, neglectis officiis, in iis rebus totus erat, quibus delectari posset; Christus *in laboribus fuit à juventute* suâ, et tota vita ejus crux fuit et martyrium: homo usque adeò insanierat amore divitiarum, ut pro Deo eas haberet; Christus *cùm esset dives, pro nobis egenus factus est*, neque *ubi caput reclinaret habere* voluit: homo in omnibus sese volutaverat sceleribus et flagitiis; Christus ad cunctarum virtutum studia constanter incubuit: homo morte se dignum præbuerat; Christus omnium crudelissimæ et ignominiosissimæ morti se sponte obtulit, et in hoc præcipuè nostrorum debitorum solutio perfecta est; enimverò ut omnia plenissimè et simul exsolveret, dedit semetipsum in victimam piacularem et placationis sacrificium; ita enim se humiliando et patiendo, et læsæ majestati dignam injuriæ illatæ compensatio-

nem honorisque instaurationem præbebat, et pœnas dabat ultrici justitiæ, expiando sceleri debitas. Audiamus veteris novique Testamenti oracula quid de tanto hoc sacrificio profata fuerint. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras*, ait Isaias 53, *attritus est propter scelera nostra*. Huic mirè consentit S. Petrus 1 Epist. 2 : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*. Verùm nihil expressius et luculentius esse potest, quàm quod ait multis in locis S. Paulus, Hebr. 9 : *Ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.... Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Et cap. 10 : *Unam pro peccatis offerens hostiam unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*. Item Ephes. 5 : *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis*. O verè digna cœlo victima ! O plenissima, sufficientissima et superabundantissima satisfactio!

§ 3. *Quòd Christus redemptionis nostræ pretium dederit.*

Non solùm homo læsæ Dei majestati satisfactionem et ultrici justitiæ pœnas debebat, sed etiam in custodiam Satanæ traditus æternæ addictus erat servituti, omniaque jura ad cœlestem hæreditatem amiserat; solutis igitur debitis, dari pretium redemptionis, et quidem rebus emendis minimè dispar, exigebatur. Porrò ipsâ eâdem morte suâ fusoque sanguine Christus pretium istud abundanter præstitit. Sic enim legitur apud S. Matth. 20 : *Filius hominis venit..... dare animam suam redemptionem* (Græcè pretium redemptionis) *pro multis ;* et Thess. 2 : *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Unde S. Paulus, 1 Cor. 2 : *Empti estis pretio magno*, inquit, id est, sanguine Christi, ut explicat S. Petrus 1 Ep. 2 : *Scientes quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis;.... sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi*. O anima christiana, tanti vales !

§ 4. *Quòd Christus alias multas nobis gratias promeruerit.*

Non satis erat hominibus quòd, dato pretio, ipsis via pateret ad cœlum, nisi insuper præstò essent gratiæ, quibus juvantibus, illùc pervenire possent. Operosa enim res est frangere cupiditates et à virtutis semitâ non declinare ; nec ullus hominum ad id pertingere valet, juxta catholicam fidem, nisi subsidio gratia veniat. Quid quòd opera etiam bona, sed solis naturæ viribus et sine gratiæ supernaturalis auxilio peracta, nullum jus ad æternam mercedem conferant ? Absit autem ut piissimus Salvator, apud quem est infinita misericordia, suum opus reliquerit imperfectum, nec nobis, non sufficientem modò, sed et copiosam redemptionem comparaverit! Neque nos moveat quòd omnes ejus actiones jam fuerint destinatæ sive ad debita nostra exsolvenda, sive ad pretium redemptionis suppeditandum ; nam cùm illis valor inesset infinitus, nequaquàm à merito vacuæ esse poterant. Quantos igitur gratiarum thesauros eum nobis promeruisse dicendum est per tot actiones liberas, quas à primo conceptionis instanti usque ad mortem edidit ! Tanta hæc meritorum copia satis superque esset ad mille, si existerent, mundos salvandos atque ditandos. Quid igitur mirum, si Ecclesia tam magnâ liberalitate indulgentias in filios suos profundat, quandoquidem infinitæ opes ipsi paratæ sunt ?

Articulus II. — *Quâ ratione nobis applicari queat Christi reparatio.*

Certâ equidem et inconcussâ fide tenendum ab omnibus est Christum pro nobis satisfecisse læsæ Dei majestati ultricique justitiæ, nostræ etiam contulisse redemptionis pretium, tandem inexhaustam gratiarum copiam nobis promeruisse ; verùm non ideò nostræ salutis opus ita perfectum et absolutum habendum est, ut nihil jam supersit quod agere debeamus. Mors Christi non omninò ab æternæ mortis servitute nos liberavit ; sed carceris in quo detinebamur *portas confregit* nostraque disrupit vincula, ut, si libet, evadere valeamus : non in sempiternæ felicitatis regnum introduxit nos ; at præclusum antea nobis patefecit aditum : non nostrorum peccatorum maculas abluit ; verùm sanguinem exhibuit quo mundari facilè possimus ; denique non ab operibus bonis nos fecit immunes ; sed gratias promeruit quarum ope benè agere nobis liceat. Quapropter si quis non inutilem sibi esse velit Christi reparationem, superest ut, oblato utens gratiæ auxilio, peccati labem in sanguine Christi abstergat, à crudelissimæ mortis aufugiat imperio, cœlumque conscendere bonis operibus enitatur.

At verò hæc omnia, quæ agere unumquemque oporteat, itane omnibus prompta sunt, ut nullus sit, cujus facultatem excedant? Exceptis infantibus ante baptismum decedenti-

bus, quibus gratias ad id necessarias non dari certum est, licet tamen à Deo destinentur et præparentur, omnibus adest præsens auxilium, quo si uti velint, præstantiora dona recipiant, ut ad difficiliora valeant pertingere. Nemini autem plenam salutem sperare fas est, qui non Christi gerat imaginem, ipsique, tanquàm capiti, uniatur per gratiam sanctificantem. Hujus porrò gratiæ inenarrabile donum non nisi per baptismum, saltem in voto, potest obtineri. Sed quando quis ad hoc pervenerit ut mystico corpori Dei Salvatoris inseratur, copiosissimâ ditatur participatione divinæ ipsius vitæ atque meritorum, quam etiam magis ac magis augeri continget, si ejus exemplis ac virtutibus imitandis incumbat, si non desistat ab oratione, si tandem ad sacramenta, quæ fontes sunt gratiarum uberrimi, summâ cum pietate et religione sæpiùs confugiat.

ARTICULUS III. — *Quænam documenta ex humani generis reparatione hauriri queant.*

Infiniti essemus, si universa exponeremus sigillatim documenta, quæ Christus, humani generis lapsum reparando, non sermone (de quo nunc quæstiò non agitur), sed opere inculcavit; singulæ enim divinæ ejus vitæ actiones et circumstantiæ ad docendum manifestè destinantur. Itaque cùm intra fines arctissimos continere debeamus orationem, paucissimis indicabimus quid præcipuè discendum nobis suggerant ea quæ Christus ad nostram redemptionem et reparationem operatus est.

1° Autem nihil excellentissimo illo crucis sacrificio aptius excogitari potest, ad commonstrandum quanta sit Dei majestas, cui talis deberetur læsi honoris satisfactio; quàm incomprehensibilis justitia, quæ nunquàm placaretur, nisi expiando crimini divina sese offerret victima; quàm inviolabilis sanctitas, quæ tanto peccatum odio prosequeretur, ut nisi illud sacratissimo dilueretur Christi sanguine, nequaquàm homines in æternum in gratiam reciperet; quàm in immensum effusa charitas, quæ Patrem ad Filium suum tradendum pro nobis, Filium verò ad durissimas Salvatoris partes suscipiendas impelleret; quàm tandem inscrutabilis sapientia, quæ misericordiæ atque justitiæ jura ita componeret, ut aptissimè sibi invicem conciliarentur!

2° Nullâ etiam ex re tam apertè peccati malitia declaratur, quàm ex eo quòd fuso tantùm divino sanguine expiari potuerit. Quantùmvis enim disertè teterrimam ejus nequitiam æterna inferni supplicia prodere videantur, multò disertiùs clamat mors Christi acerbissima. O utinam quantùm pravitatis in se habeat peccatum homines metiri velint ex crucis patibulo, et non ex brevissimo instanti quo admitti solet!

3° Nullibi insuper dilucidiùs quàm in incarnati Verbi passione, apparet, quantæ sint æternæ cœli deliciæ, quas moriendo nobis comparare non dubitavit, quantique sempiternæ damnationis horrores, quos, tam duris susceptis laboribus, à nobis voluit avertere. Quis nunc non intelligat quanto in pretio salus habenda sit, in quanto etiam anima humana?

4° Si quis ad totam Christi agendi rationem attendere velit, manifestè perspiciet quibus conditionibus nunc via nobis pateat ad cœlum. Oportuit nimirùm ut Filius Dei dilectus *in laboribus* esset *à juventute* suâ, ad studia cujuslibet virtutis, quantùmvis arduæ, animum intenderet, denique biberet calicem passionis, *et ita intraret in gloriam suam;* quantò igitur magis necesse est ut homo innumeris peccatis obnoxius *abneget semetipsum, tollat crucem suam* et cum Christo compatiatur, si cum ipso cupiat conglorificari!

5° Hùc demùm accedit, quòd ex vitâ Salvatoris perspectum habemus quàm parvi facere nos oporteat perituras hujus mundi divitias, fluxa gaudia atque caducos honores, siquidem ille tantoperè hæc omnia despexit atque reprobavit, cùm facilè iis decorari potuisset.

Hæc potissimùm in tractatu de SS. Incarnationis mysterio sunt, de quibus sermonem ad populum haberi posse aut debere arbitramur. Vix ea delibando attigimus; sed ne quis inde colligendum putet infœcundam jejunamque hanc esse materiam. Nulla enim fortassis in totâ Religione est, in cujus tractatione eloquentia sacra tantis sese opibus atque splendoribus conspicuam præbere valeat. At verò non nostrum est, sed concionatoris munus, quæ strictim tantùm indicavimus, ea fusiùs evolvere, validioribus confirmare argumentis et rationibus, demùm convenientibus ornamentis illustrare (EDITORES.)

INDEX RERUM.

Columnâ

WITASSII VITA. 9-10

TRACTATUS DE SANCTISSIMA TRINITATE. *Ibid.*

PRIMA DISSERTATIO PRÆVIA. De quibusdam vocibus quæ in præsenti tractatu sæpiùs recurrunt. *Ibid.*

SECUNDA DISSERTATIO PRÆVIA. De incomprehensibilitate augustissimi SS. Trinitatis mysterii nequaquàm mirandâ. 16

Caput primum. Si quæ nobis incomprehensibilia et impossibilia videntur esse, potest Deus facere, multò magis esse ut unum illum trinumque esse tantò minùs illi pugnet, quantò magis repugnat nobis. Ex Patribus primùm Græcis. 17

Caput II. De eodem ex Patribus Latinis, posse Deum ea facere, et multò magis esse, quæ nobis impossibilia videntur; adeòque nec pugnare, ut credatur à nobis Unus esse et Trinus. 33

Caput III. Ex sanctis Patribus demonstratur, de sanctissimâ Trinitate non tam demonstrationes et intelligentias nobis suppetere, quàm earum conatus et rudimenta quædam. De unitatis summæ ineffabili magnitudine, quæ proinde trinitas est. Ex patribus Latinis. 44

PRÆFATIO. 53 54

DE SANCTISSIMA TRINITATE. 55-56

QUÆSTIO PRIMA. De sanctissimæ Trinitatis mysterii notitiâ. *Ibid.*

Articulus primus. An hoc mysterium solâ ratione duce cognosci ac probari possit. *Ibid.*

Variæ opiniones. *Ibid.*

Assertio prima. Non potest solius rationis ope, citra fidei auxilium, demonstrari mysterium SS. Trinitatis. 57

— II. Demonstrari non potest mysterium hoc, etiam positâ fide. 66

— III. Ne probabiliter quidem ratione adstrui potest hoc mysterium. 68

— IV. Positâ semel fide, nonnullæ in rebus creatis imagines reperiri possunt, quæ mysterium SS. Trinitatis aliquatenùs adumbrent, et animum ei jam fide adhærentem in assensu sistant. *Ibid.*

Articulus II. An mysterium sanctissimæ Trinitatis Judæis et gentilibus, saltem quibusdam, ante Christum notum fuerit. 69

Sectio prima. An Judæis olim fuerit notum mysterium SS. Trinitatis. *Ibid.*

Assertio prima. Judæis olim revelatum est mysterium SS. Trinitatis. 70

— II. Patriarchæ, prophetæ, aliique viri insignes mysterium SS. Trinitatis noverunt. 71

— III. Quædam esse potuit olim in aliquibus scribis et doctoribus Judæorum levis et obscura notitia distinctionis duarum saltem personarum SS. Trinitatis, sed in plerisque nulla fuit. 72

— IV. Judæorum vulgo ignotum erat mysterium SS. Trinitatis. 73

Sectio II. An gentilibus, saltem quibusdam, notum fuerit mysterium SS. Trinitatis. 75

Assertio prima. Inter gentiles ne philosophi quidem mysterium hoc cognoverunt. 76

— II. Si quid philosophi de Deo dixerunt ipsiusque Verbo, quod ad Ecclesiæ fidem accedere videatur, id aut ex sacris sive veteris, sive novi Testamenti libris, aut ex Judæorum et Christianorum colloquiis hauserunt. 80

QUÆSTIO SECUNDA. De variis erroribus quibus impugnatum fuit mysterium SS. Trinitatis. 81

Articulus primus. Quinam olim SS. Trinitatis personas confuderint. *Ibid.*

Articulus II. Quinam personarum SS. Trinitatis substantias separaverint. 84

Sectio prima. Quinam trium simul personarum consubstantialitatem sustulerint. 85

Sectio II. Quinam secundæ personæ seu Christi divinitatem impetierint, et ipsius cum æterno Patre consubstantialitatem violaverint. 88

Sectio III. Quinam adversùs Spiritûs sancti divinitatem et consubstantialitatem pugnaverint. 97

QUÆSTIO TERTIA. De divinarum personarum distinctione ac numero. 99

Articulus primus. An plures sint in Deo personæ distinctæ *Ibid.*

Assertio. Sunt plures in Deo, cæque non nomine tantùm, sed reipsà distinctæ personæ. *Ibid.*
Objectiones. 102
Articulus II. Quot sint in Deo personæ. 106
Assertio. Tres sunt in Deo personæ. *Ibid.*
Objectiones. 131
Quæstio quarta. De SS. Trinitatis consubstantialitate. 144
Articulus primus. An Pater æternus per sese sit Deus. *Ibid.*
Assertio. Pater est per se Deus. *Ibid.*
Articulus II. An Filius sit verè Deus, et Patri consubstantialis. 146
Sectio prima. An Christus ante Beatam Mariam virginem extiterit. 147
Assertio. Christus penès aliquam sui partem et naturam potiorem extitit antequàm ex Mariâ virgine oriretur. *Ibid.*
§ 1. Argumenta primi generis, quæ indefinitè probant ante Beatam Mariam virginem extitisse Christum. *Ibid.*
Argumentum primum, ex Christi descensu in terram incarnationis causâ. *Ibid.*
— II. Ex incarnationis descriptione. 161
1° Ex Joannis Evangelii capite primo. *Ibid.*
2° Ex Epistolâ primâ Joannis. 170
3° Ex Epistolâ ad Philippenses. 171
§ 2. Argumenta secundi generis, quæ certum temporis articulum designant, quo Christus ante assumptam ex Beatâ Virgine carnem extiterit. *Ibid.*
Argumentum primum, è Joannis Baptistæ tempore petitum. *Ibid.*
— II. È tempore prophetarum. 172
— III. È tempore Moysis. 174
— IV. È tempore Abraham. 177
— V. È tempore veterum patriarcharum, et ex apparitionibus Dei, quæ in Scripturis narrantur. 179
— VI. È tempore creationis mundi. 191
— VII. È tempore ante mundum. 203
Sectio II. An Christus ab æterno fuerit. 207
Assertio. Christus ab omni æternitate fuit. *Ibid.*
Argumentum primum, è descriptione Sapientiæ, Proverb. 8, 22. 208
— II. Ex Micheæ de Messiâ vaticinio. 212
— III. Ex comparatione Christi cum Melchisedech, Hebr. 6, 7. 215
— IV. Ex incarnationis descriptione, Joan. I epist. c. 1, v. 1. 219
— V. Ex Christi de se et Joannis de Christo testimonio in Apocalypsi. 220
Sectio III. An Christus sit verus Deus, æterno Patri consubstantialis. 224
Assertio. Christus est verus Deus, æterno Patri consubstantialis. 225
§ 1. Argumenta primi ordinis, ex nominibus Deo propriis. 226
Argumentum primum, ex nomine Jehovæ. *Ibid.*
— II. Ex nomine El. 239
— III. Ex nomine Θεοῦ seu Dei. 249
§ 2. Argumenta secundi ordinis, ex naturâ Dei propriâ, quæ Christo tribuitur. 255
Argumentum primum, ex Isaiæ cap. 6. *Ibid.*
— II. Ex Isaiæ cap. 35. 259
— III. Ex Epistolâ ad Galatas, cap. 4, v. 8. 262
— IV. Ex Epistolâ ad Philippenses. cap. 2, v. 6. 263
§ 3. Argumenta tertii ordinis, ex divinis proprietatibus quæ Christo tribuuntur. 272
Argumentum primum, ab existendi necessitate. *Ibid.*
— II. Ex immutabilitate. 273
— III. Ex immensitate. *Ibid.*
— IV. Ex æternitate. *Ibid.*
— V. Ex omnis boni plenitudine. *Ibid.*
— VI. Ex rerum omnium scientiâ, et secretorum cordis notitiâ. *Ibid.*
— VII. Ex omnipotentiâ. *Ibid.*
— VIII. Ex supremâ majestate. 274
§ 4. Argumenta quarti ordinis, è divinis operationibus, quæ Christo adscribuntur. *Ibid.*
Argumentum primum, ex creatione rerum. *Ibid.*
— II. È rerum conservatione. 275
— III. È concursu ad agendum necessario. *Ibid.*
— IV. È peccatorum remissione. *Ibid.*
— V. È gratiæ subministratione. 276
— VI. È gloriæ concessione. *Ibid.*
§ 5. Argumenta quinti ordinis, è cultu divino, qui in Scripturis Christo tribuitur. *Ibid.*
Argumentum primum, ex adoratione. *Ibid.*
— II. Ex fide. 281
— III. Ex spe. *Ibid.*
— IV. Ex charitate. *Ibid.*
— V. Ex invocatione. 282
Objectiones. *Ibid.*

Sectio IV. De Ecclesiæ traditione circa Christi divinitatem et ipsius cum Patre æterno consubstantialitatem. 306

Assertio. Ecclesia catholica ab Apostolorum ævo ad synodum usque Nicænam perpetuò, non modò Christum ante Beatam Mariam virginem extitisse, sed etiam æternum ac verum Deum æterno Patri consubstantialem esse, credidit. 310

Argumentum primum, ex Patrum testimoniis, aliisque historiæ ecclesiasticæ monimentis per singula secula digestis ad synodum usque Nicænam. *Ibid.*

È seculo primo : Barnabas. *Ibid.*

Hermas. 312

Clemens Romanus. 314

È seculo II : Ignatius martyr. 317

Plinius Junior. 319

Symphorosa martyr. *Ibid.*

Sancta Felicitas et ejus filii. 320

Lucianus. *Ibid.*

Melito Sardicensis episcopus. 321

Polycarpus. *Ibid.*

Justinus martyr. 323

Tatianus. 343

Miltiades. 345

Athenagoras. *Ibid.*

Epipodius martyr. 348

Theophilus Antiochenus. 349

Irenæus. 353

Clemens Alexandrinus. 359

Victor, Romanus pontifex. 363

E seculo III : Caius Ecclesiæ Romanæ presbyter. 364

Tertullianus. 365

Origenes. 390

Hippolytus Portuensis. 401

Auctor Constitutionum Apostolicarum. 403

Cyprianus. 404

Novatianus. 405

Gregorius Thaumaturgus. 407

Dionysius Alexandrinus. 409

Dionysius, Romanus pontifex. 413

Patres synodi Antiochenæ. 414

Theognostus. 418

Pierius. 419

Methodius martyr. *Ibid.*

È seculo IV : Arnobius. 420-421

Lactantius 422

Lucianus Antiochenus 424

Pamphilus martyr. 425

Eusebius Cæsariensis. 426

Argumentum II, ex synodo Nicænâ, et Patrum eâ posteriorum testimonio, propriàque Arianorum confessione. 447

Objectiones, ex Liberio, summo pontifice. 455 456

Ex Osio Cordubensi. 464

Ex concilio Ariminensi 465

È ratione. 470

Sectio V. An is de Christi divinitate articulus saluti necessarius sit. 473

Assertio. Hoc de Christi divinitate dogma inter præcipuos ac saluti necessarios fidei articulos est recensendum. 475

Probatur 1° ex naturâ veræ religionis et primario Decalogi præcepto. *Ibid.*

2° Ex naturâ christianæ religionis, et baptismi conditione. 477

3° Speciatim ex necessitate fidei in Christum Dominum Jesum, non modò ut in Christum seu Messiam et legatum Dei, sed etiam ut in verum et unicum Dei Filium, uno verbo, ut in Deum. 481

4° Patrum auctoritate. 48

5° Perpetuo Ecclesiæ usu. 490

6° Ratione. 491

Objectiones. *Ibid.*

Articulus III. An Spiritus sanctus sit verè Deus æterno Patri consubstantialis. 495

Sectio prima. An Spiritus sanctus sit persona. 496

Assertio. Spiritus sanctus non est accidens aut mera Dei efficacia, sed vera ac propriè dicta persona. *Ibid.*

Probatur 1° ex locis quæstione III prolatis. *Ibid.*

2° Ex actionibus personarum propriis. *Ibid.*

3° Ex iis locis ubi Spiritus sanctus unà cum Patre et Filio veris utique personis conjungitur. 498

4° Ex locis ubi Spiritus sanctus à donis spiritualibus distinguitur, tanquàm eorum fons, auctor, principium ac causa. *Ibid.*

5° Iis omnibus momentis quibus ostenditur Spiritum sanctum esse Deum. *Ibid.*

Objectiones. 49

Sectio II. An Spiritus sanctus sit persona divina Patri et Filio consubstantialis. 501

§ 1. Argumenta primi ordinis, è Scripturarum auctoritate. *Ibid.*

Argumentum primum, è nominibus et naturâ Dei. *Ibid.*

— II. Ex attributis divinis. 502

— III. Ex operibus Deo propriis. 503

— IV. Ex cultu ipsi debito. 504

§ 2. Argumenta secundi ordinis, ex

traditione. 504
Argumenta generalia, ex variis Ecclesiæ consuetudinibus, ejusque judicio. *Ibid.*
Argumenta specialia, ex disertis Patrum testimoniis. 506
Objectiones. 508
Articulus IV. An trium personarum unica numero sit natura. 511
Assertio. Una numero in tribus personis natura est. *Ibid.*
Objectiones 516
Quæstio quinta. De divinis processionibus. 521
Articulus primus. De nomine et naturâ divinarum processionum. *Ibid.*
Articulus II. De existentiâ et numero processionum divinarum. 524
Assertio prima. Est in Deo processio. *Ibid.*
— II. Duæ sunt in Deo processiones. 527
— III. Non sunt in Deo plures quàm duæ processiones. 529
Articulus III. De divinarum processionum proprietatibus. 532
Assertio. Divinæ processiones sunt immanentes, substantiales, necessariæ, æternæ, metaphysicæ, et omnis imperfectionis expertes. *Ibid.*
Articulus IV. De principiis divinarum processionum. 534
Notanda. *Ibid.*
Assertio prima. Non potest dici propriè essentia essentiam, natura naturam, substantia substantiam generare et producere in Deo. 537
— II. Natura divina, præcisis per mentem intellectu et voluntate, non est per sese principium divinarum processionum. 539
— III. Solæ relationes non sunt principia divinarum processionum. 542
— IV. Intellectus et voluntas sunt principia proximà divinarum processionum. 543
— V. Intellectus et voluntas non sunt productivæ substantiarum ac personarum. 545
— VI. Relationes adjunctæ intellectioni et volitioni essentialibus, non sunt comprincipia influentia, sed tantùm conditiones ad productionem necessariæ. 547
Articulus V. De discrimine processionis Filii ac Spiritûs sancti. *Ibid.*
Sectio prima. An generatio dici debeat Verbi processio, et quidem sola. 548
Assertio prima. Processio Verbi dicenda est generatio. 548
— II. Sola Verbi processio dici debet generatio. 549
Sectio II. Cur sola processio Verbi dicenda sit generatio, non autem Spiritûs sancti. 550
Notanda. 551
Variæ opiniones. 553
Assertio prima. Filius eò non censetur genitus, quòd à Patre naturam fœcundam accipiat, nec naturæ similitudo generationis definitione expressa, in ejusmodi fœcunditate sita est. 554
— II. Non ideò Verbi processio dicitur generatio, quòd sit secundùm naturam; processio verò Spiritûs sancti non item, quòd sit secundùm voluntatem. 556
— III. Multò minùs propositæ difficultati faciunt satis, qui respondent Filii processionem seipsâ esse generationem, et Spiritûs sancti processionem seipsâ esse spirationem. *Ibid.*
— IV. Filius non ideò dicitur genitus quòd à Patre procedat, ut ipsius imago per mentem expressa. 557
— V. Verbum divinum non est propterea Filius Dei, quòd per intellectum procedens, vi originis istius intellectionem accipiat actualem, tanquàm propriam Dei naturam. 558
— VI. Positâ communi philosophandi ratione, nulla probabilior causa afferri potest, cur Verbum divinum sit Filius, non verò Spiritus sanctus, quàm quòd Verbum divinum per intellectum procedat, vi suâ in naturâ assimilantem, Spiritus autem sanctus per voluntatem, cujus eadem proprietas non sit. 558
Quæstio sexta. De divinarum personarum proprietatibus ac relationibus. 564
Articulus primus. An admittendæ sint in singulis personis divinis quædam proprietates, et in quo illæ positæ sint. *Ibid.*
Assertio prima. Admittendæ sunt in singulis personis quædam proprietates, quibus illæ constituantur ac distinguantur. *Ibid.*
— II. Personarum ejusmodi proprietates, quibus illæ constituuntur ac distinguuntur, sunt relationes ipsis peculiares. 566
Articulus II. De existentiâ, essentiâ, perfectione et numero divinarum rela-

tionum. 568
Assertio prima. Relationes divinarum personarum sunt reales. *Ibid.*
— II. Divinæ relationes sunt reales etiam secundùm esse *ad*. 570
— III. Relationes illæ sunt perfectiones. *Ibid.*
Articulus III. De distinctione divinarum relationum cùm à se invicem, tùm ab essentiâ. 572
Assertio prima. Relationes divinæ cum essentiâ comparatæ ab eâ realiter non distinguuntur. *Ibid.*
— II. Relationes originis ab oppositis sibi realiter distinguuntur. *Ibid.*
— III. Relationes divinæ ab iis quæ tantùm disparatæ sunt, realiter non distinguuntur : v. g., paternitas et filiatio non distinguuntur à spiratione activâ. *Ibid.*
Articulus IV. De officio divinarum relationum. 573
Assertio prima. Pater non constituitur per innascibilitatem, seu ingeniti rationem. 575
— II. Divinæ personæ non constituuntur per origines. *Ibid.*
— III. Eædem omninò relationes constituunt ac distinguunt divinas personas. 576
— IV. Relationes secundùm esse *ad* consideratæ non constituunt nec distinguunt divinas personas. 577
— V. Divinæ personæ constituuntur ac distinguuntur per relationes secundùm esse *in* spectatas. *Ibid.*
Quæstio septima. De divinarum personarum notionibus. 579
Articulus primus. An quædam admittendæ sint in Deo notiones. *Ibid.*
Assertio. Admittendæ sunt in divinis personis notiones. 580
Articulus II. Quot notiones divinarum personarum admittendæ sint. 581
Assertio prima. Quinque sunt notiones admittendæ, scilicet innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa, et spiratio passiva. 582
— II. Non sunt plures quàm quinque notiones. 585
Quæstio octava. De iis quæ personis divinis communia sunt. 588
Articulus primus. An omnia divinitatis attributa tribus personis communia sint 590
Assertio prima. Omnes absolutæ proprietates divinitatis tribus personis sunt communes. 590
— II. Sunt quædam proprietates absolutæ, quæ certis personis specialiter attribui meritò possint, v. g., Patri omnipotentia, et quæ hinc consequuntur ; Filio sapientia, et quæ ejusdem sunt generis ; Spiritui sancto bonitas, charitas, et quæ ad eumdem ordinem spectant. *Ibid.*
Articulus II. An una sit trium personarum existentia absoluta, an triplex etiam relativa. 592
Assertio prima. Est quædam in Deo existentia absoluta et communis. *Ibid.*
— II. Non sunt variæ ac distinctæ pro numero personarum existentiæ relativæ. *Ibid.*
Articulus III. An triplex sit subsistentia relativa ; an etiam una communis et absoluta. 594
Assertio prima. Tres sunt in Deo subsistentiæ. 595
— II. Illæ tres subsistentiæ sunt relativæ. 596
— III. Non est admittenda in Deo quarta subsistentia, quæ absoluta sit et communis. 597
Articulus IV. De circuminsessione divinarum personarum. 602
Assertio. Admittenda est divinarum personarum circuminsessio. *Ibid.*
Quæres undenam propriè ac proximè repetenda sit illa divinarum personarum circuminsessio. 604
Articulus V. De missione divinarum personarum. 605
Quæres 1° an divinis omnibus personis mitti competat. *Ibid.*
2° Quid sit missio. *Ibid.*
3° An missio sit quid notionale et certis personis proprium, an commune toti Trinitati. 606
4° An personæ ab iis solis mittantur, à quibus procedunt. *Ibid.*
5° Quotuplex sit missio. 607
6° An Filius et Spiritus sanctus mitti invisibiliter dicantur, quoties in animis hominum aliquid operantur. *Ibid.*
7° An in hujusmodi missione invisibili mittantur tantùm penès dona ab iis profecta, an etiam penès substantiam, ita ut nova et inexplicabilis inde exsurgat divinarum istarum personarum, quoad substantiam, cum animâ unio. *Ibid.*
Quæstio nona. De divinis personis

sigillatim. 608
Articulus primus. De Patris personâ. *Ibid.*
Articulus II. De personâ Filii. 615
Sectio prima. De variis Filii nominibus. *Ibid.*
Sectio II. Ex quarum rerum cognitione Verbum procedat. 615
Assertio prima. Verbum divinum procedit ex cognitione divinæ essentiæ et attributorum ipsius absolutorum. 616
— II. Verbum præterea procedit ex cognitione Patris, seu ex notitiâ quam de se ipso habet Pater. *Ibid.*
— III. Verbum procedit etiam ex cognitione sui ipsius ac Spiritûs sancti. 617
— IV. Verbum divinum procedit ex cognitione rerum possibilium. 619
— V. Verbum procedit etiam ex cognitione futurorum. 620
Articulus III. De personâ Spiritûs sancti. 624
Sectio prima. De nominibus Spiritûs sancti. *Ibid.*
Sectio II. An sicut ex Patre, ita ex Filio procedat Spiritus sanctus. 626
Caput primum. De origine et progressu hujus controversiæ. 627
Caput II. Quid de Spiritûs sancti processione à Filio sit statuendum. 630
Assertio. Spiritus sanctus à Filio procedit. *Ibid.*
Caput III. An, si Spiritus sanctus à Filio non procederet, ab ipso distingueretur. 641
Assertio. Spiritus sanctus à Filio non distingueretur, si ab ipso non procederet.
Caput IV. An rectè addita sit Symbolo Constantinopolitano vocula, *Filioque*. 644
Assertio. Rectè addita est Symbolo vocula, *Filioque*. *Ibid.*
Caput V. Quandónam hæc additio, *Filioque*, facta sit. 650
Assertio prima. Hæc vocula non est à concilio Constantinopolitano in symbolum inserta. 651
— II. Hæc additio non est Damasi pontificis. *Ibid.*
— III. Non est facta hæc additio in numerosâ quâdam Latinorum synodo circa tempora concilii VI. *Ibid.*
— IV. Non est facta hæc additio consensu utriusque Ecclesiæ in VII synodo. *Ibid.*
— V. Ineunte V seculo, hoc vocabulum ab Hispanis in proprias fidei professiones inferebatur. 652
— VI. Apud eosdem Hispanos in symbolo Constantinopolitano extabat sub finem VI seculi, ac publicè decantari tunc apud eos cœpit, idemque mos deinceps obtinuit. *Ibid.*
— VII. Tam additio, quàm decantandæ additionis consuetudo, ab Hispanis ad Gallos et Germanos VIII saltem seculo manaverunt. *Ibid.*
— VIII. Nono ineunte seculo, utrumque apud Gallos frequentabatur; nondùm autem erat in usu Romæ. 653
— IX. Sub finem seculi IX, sedes Apostolica additionem istam in symbolum admiserat. *Ibid.*
— X. Symbolum idem anno 1014 sub Henrico I imperatore et Benedicto VIII summo pontifice Romæ decantari cœpit. 654
— XI. Sub Gregorio X in concilio Lugdunensi, anno 1274, eadem hæc additio utriusque Ecclesiæ consensu probata est. *Ibid.*
Caput VI. An Pater et Filius sint unum idemque principium Spiritûs sancti. *Ibid.*
Assertio. Pater et Filius sunt unum Spiritûs sancti principium. *Ibid.*
Quæstio decima. De loquendi ratione in exponendo sanctissimæ Trinitatis mysterio observandâ. 657
Articulus primus. Quâ ratione efferri possint ac debeant nomina substantiva concreta. 658
Articulus II. Quomodò efferri debeant nomina adjectiva. 659
Appendix prima. 659-660
Caput primum. Nec unitati Dei fœcunditatem, nec fœcunditati unitatem officere. *Ibid.*
Articulus primus. Deum esse unitatem ipsam summè fœcundam. Ex Patribus Græcis. 661
Articulus II. De eodem ex Patribus Latinis. 670
Caput II. Divinarum personarum unitatem esse omnium perfectissimam, cùm sit reciproca immeatio, atque adeò consubstantialitas. 683
Appendix secunda. Compendium tractatûs de SS. Trinitate, ad usum eorum quibus doctrinam christianam fideli populo tradere et explicare munus in-

cumbit. 698
Sectio prima. De necessitate docendi ea quæ ad SS. Trinitatem aliaque mysteria et dogmata pertinent. 699
Sectio II. Quid in sacris concionibus dicendum sit de SS. Trinitatis mysterio. 704
Caput primum. Quid dicendum circa mysterii naturam. *Ibid*
Articulus primus. Quid dicendum circa SS. Trinitatem generatim consideratam. 705
§ 1. Quid dicendum circa divinæ naturæ unitatem. *Ibid.*
§ 2. Quid dicendum circa personarum trinitatem. 706
Articulus II. Quid dicendum circa speciales singulis personis proprietates. 710
§ 1. Quid de Patre dicendum. *Ibid.*
§ 2. Quid dicendum de Filio. 712
§ 3. Quid dicendum sit de Spiritu sancto. 715
Conclusio primi capitis. 716
Caput II. Quid SS. Trinitati à fidelibus debeatur. 717
Articulus primus. Quid de fide sanctissimæ Trinitatis dicendum. *Ibid.*
§ 1. De fidei SS. Trinitatis necessitate. *Ibid.*
§ 2. De fidei SS. Trinitatis congruentiâ cum ratione. *Ibid.*
§ 3. De utilitate fidei SS. Trinitatis. 719
Articulus II. Quid dicendum de spe in SS. Trinitatem. 720
Articulus III. Quid de amore erga SS. Trinitatem dicendum. *Ibid.*
Articulus IV. Quid dicendum de SS. Trinitatis imitatione. 721
§ 1. De imitatione SS. Trinitatis generatim. *Ibid.*
§ 2. De imitatione singularum personarum. 722
Sectio III. De ratione docendi ea quæ ad SS. Trinitatis mysterium pertinent. 723
LEIBNITZII VITA. 749-750
SECTIO PRIMA. DEFENSIO TRINITATIS PER NOVA REPERTA LOGICA, contra Epistolam Ariani. 751-752
SECTIO II. DUÆ EPISTOLÆ AD LOEFLERUM, DE TRINITATE ET DEFINITIONIBUS MATHEMATICIS CIRCA DEUM, SPIRITUS, etc. 757-758
Epistola prima. *Ibid.*
Epistola secunda. 763
REMARQUES sur le livre d'un antitrinitaire Anglais, qui contient des considérations sur plusieurs explications de la Trinité. 765 766
MONITUM. 769-770
TRACTATUS DE CULTU SANCTORUM. *Ibid.*
Prœmium. *Ibid.*
Caput primum. De variâ cultûs acceptione et divisione. 771
Caput II. De religiosi sanctorum cultûs honestate ac pietate. 776
Propositio. Pius et omni idololatriæ labe immunis est religiosus sanctorum cultus. 777
Difficultates. 782
Caput III. De sanctorum invocatione. 786
Propositio prima. Licita ac utilis est sanctorum invocatio, quod ex sacris litteris inprimis evincitur. 790
Difficultates. 795
Propositio II. Eadem veritas ex traditione et Ecclesiæ praxi ostenditur. 796
Difficultates. 802
Caput IV. De reliquiarum cultu. 809
Propositio. Sanctorum reliquiæ et monumenta utiliter ac piè à fidelibus honorantur. 810
Difficultates. 815
Caput V. De sacrarum imaginum usu ac veneratione 822
Propositio prima. Sacrarum imaginum usum ac venerationem licitam ac piam esse sacræ litteræ ostendunt. 823
Difficultates. 824
Propositio II. Usus ac veneratio sacrarum imaginum ex traditione evincitur. 829
Difficultates. 834
Caput VI. De cruce. 846
Propositio. Omni superstitione vacat tum cultus quem Catholici Cruci Dominicæ ejusque imagini deferunt, tum usus crucis signi, quod passim ab ipsis usurpatur. 847
Difficultates. 85.
BEAUDEAU VITA. 851-852
ANALYSE DE L'OUVRAGE DU PAPE BENOIT XIV SUR LES BÉATIFICATIONS ET CANONISATIONS. 853-854
LIVRE PREMIER, qui contient des principes généraux et des notions préliminaires. *Ibid*
Chapitre premier. De l'origine des canonisations, ou des honneurs déférés dans l'Eglise primitive aux SS. Martyrs,

et depuis aux SS. Confesseurs. 854
Chapitre II. De l'autorité du Pape dans les canonisations. 856
Chapitre III. De la soumission qu'on doit aux jugements de béatifications et canonisations. 859
Chapitre IV. Du culte autorisé par la béatification et la canonisation. 860
Chapitre V. De la congrégation des Rites. 861
Chapitre VI. Des anciennes formalités. 865
Chapitre VII. Des nouvelles formalités. 867
Chapitre VIII. Des solennités d'une canonisation, et des dépenses qu'elles exigent. 870
LIVRE SECOND, qui contient le détail des formalités judiciaires. 873
Chapitre premier. Des procédures de l'ordinaire en général. *Ibid.*
Chapitre II. Des décrets d'Urbain VIII, dont l'observation doit être prouvée. 876
Chapitre III. Du cas privilégié. 879
Chapitre IV. Des deux instances sur la renommée publique de vertus et de miracles. 882
Chapitre V. De l'examen des ouvrages, et de la commission apostolique. 884
Chapitre VI. Des commissaires apostoliques, et de la reprise d'instance. 888
Chapitre VII. Des preuves et des témoins. 892
LIVRE TROISIÈME, qui traite des fondements de la sainteté, c'est-à-dire des vertus héroïques et du martyre. 895
Chapitre premier. Du degré d'héroïsme nécessaire aux vertus des Saints. *Ibid.*
Chapitre II. Des vertus théologales, et du degré d'héroïsme qu'elles doivent avoir dans les Saints. 898
Chapitre III. Des vertus morales, et du degré d'héroïsme qu'elles doivent avoir dans les Saints. 902
Chapitre IV. Des vertus d'état, et du degré d'héroïsme qu'elles doivent avoir dans les Saints. 907
Chapitre V. Du martyre. 909
LIVRE QUATRIÈME, qui traite des preuves de la sainteté, c'est-à-dire des miracles et des grâces extraordinaires. 913
Chapitre premier. Des miracles en général. *Ibid.*
Chapitre II. Caractères des vrais miracles. 916
Chapitre III. Des miracles par rapport aux causes de béatification ou de canonisation. 921
Chapitre IV. Des grâces extraordinaires. 924
Chapitre V. Epilogue. 926
APPENDICE. N° premier. Taxe des avocats et procureurs qui sont employés dans les procédures des béatifications et des canonisations, renouvelée par la congrégation des Rites et approuvée par N.-S.-P. le Pape Innocent XI, le 15 octobre 1678. 931
N° II. Taxe du notaire de la congrégation des Rites, pour tous les actes qu'il doit dresser dans un procès de béatification ou de canonisation, approuvée le même jour que la précédente. 933
N° III. Taxe de l'imprimeur de la chambre Apostolique et des correcteurs pour l'édition des mémoires qu'on distribue dans les procès de béatification et de canonisation, avec la taxe des interprètes qu'on commet pour les actes écrits en langue étrangère. 936
N° IV. Protestations prescrites par notre S.-P. le Pape Urbain VIII, pour être mises à la tête et à la fin des livres qu'on fait imprimer sur la vie, les vertus et les miracles des serviteurs de Dieu, qui ne sont ni béatifiés, ni canonisés. 938
N° V. Formules du serment qu'on fait prêter aux juges et aux témoins. 939
THOMASSINI VITA. 941-942
DE ADVENTU CHRISTI. CUR IN MEDIO ANNORUM, SIVE IN PLENITUDINE TEMPORUM, NON MATURIUS, NON TARDIUS, NATURA SE NOSTRA INDUERIT DEUS VERBUM. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. Eccur Verbum caro factum sit in medio annorum, seu in plenitudine temporum. Ac primò inquiritur quo Dei consilio et quo hominum compendio lex ante gratiam præstructa sit. *Ibid.*
CAPUT II. Consilio medicinæ, et merito sanguinis Christi, legem olim dispensatam esse, ex eo rursùm demonstratur, quòd etiam nunc post Christi adventum eadem ratio medicinæ perduret, et ante legem ac sub lege priùs simus quàm sub gratiâ. 960
CAPUT III. Timore priùs sub lege

pueritiam quamdam humani generis regendam fuisse, quàm charitate per Christum ejus juventa imbueretur, nec aliter etiam nunc consuli singulis post Christi adventum. 975

Caput IV. Temporalibus priùs Dei beneficiis inescandam fuisse humani generis pueritiam, quàm æternis juventa ejus cumularetur. Temporalia æternorum umbris et figuris honestanda fuisse. 996

Caput V. Quæ hactenùs de humani generis pueritiâ, legis, timoris et temporalis mercedis imbuendâ tirociniis, et ita ad Christum manuducendâ, disputata sunt uno ex Augustino, reliquorum Patrum astipulatione muniuntur. 1011

Caput VI. Præceptis minoribus ante informanda erat humani generis pueritia per sapientiæ servos, quàm majoribus ab ipsâ per sese sapientiâ imbueretur juventus. 1055

Caput VII. Insuefacienda erat primùm gens humana per figuras et umbras, postea per corpus proprium contrectare Deum et contueri. 1076

Caput VIII. Sacramentorum corporalium multitudine et obscuritate domandum primò fuit interim, dùm puerascit genus humanum, et ita Christo initiandum. 1084

Caput IX. Non potest Christus nisi adumbratus à mortalibus teneri : quocirca et Mosaicis sacramentis etsi umbraticis, continebatur, et nostris, etsi verioribus, adhuc tamen obumbratur. 1106

Caput X Caro ipsa Christi, quæ novi Testamenti summa hic interim beatitas est, vel asportanda hinc fuit, vel hìc velanda, ut non carnaliter, sed spiritaliter, et qualiter etiam à patriarchis et prophetis diligi poterat, diligeretur. 1134

Caput XI. Tota veteris Testamenti et Scriptura et dispensatio, quædam erat Incarnatio Verbi adumbrata, et ea quæ puerili pietati sufficeret. 1148

Caput XII. In Scriptura et dispensatione veteris Testamenti nunquàm latuit charitas veritatis, nusquàm non adfuit; id porro unum, id totum Christus, id salus est. 1169

Caput XIII. Verbum Deus ante carnem suam ad omnes ubique gentium extra Israelem populos visis congruis veniebat, et præcoquis futuræ Incarnationis suæ beneficiis quibusdam irrorabat. 1187

Caput XIV. Christus non universis tantùm, sed singulis etiam hominibus venit; singulis nascitur, crescit, moritur, resurgit, ideòque non semel, sed semper venit, et etiam nunc, cùm venerit jam, venturus exspectatur. 1231

Caput XV. Christus in Ecclesiâ sponsâ et ipse sponsus et sponsa, caput et membra, justitia et justorum universitas, ab exordio ad exitum usque sæculi, semper venit et semper veniet. 1264

Caput XVI. Solvitur objectio et quædam in speciem conflictatio inter SS. Patres, aientes modò orbem lege et timore ante fuisse præparandum; modò expectandum ut summa vis morbi tum fureret, ut tunc medicus in orbem ægrum adveniret. 1296

Monitum. 1303-1304

BILLUART vita. 1305-1306

TRACTATUS DE MYSTERIIS CHRISTI ET BEATÆ VIRGINIS. *Ibid.*

Dissertatio prima. De beatissimâ Virgine Mariâ, matre Christi. *Ibid.*

Articulus primus. De sanctificatione beatæ Mariæ Virginis. *Ibid.*

Articulus II. De B. Virginis parentibus, ortu, educatione et oblatione in templo. 1309

Articulus III. De virginitate B. Mariæ. 1310

Articulus IV. De voto virginitatis a Deiparâ emisso. 1315

Articulus V. De matrimonio B. Virgnis cum S. Joseph. 1319

Articulus VI. De annuntiatione B. Virginis. 1326

Articulus VII. De morte Deiparæ. 1326

Articulus VIII. De assumptione B. Virginis. 1330

Dissertatio secunda. De conceptione Christi. 1332

Articulus primus. De conceptione Christi secundùm se. *Ibid.*

Articulus II. Ex quâ tribu et familiâ ortus sit Christus. 1335

Articulus III. De genealogiâ Christi. 1338

§ 1. Conciliantur inter se binæ Christi genealogiæ. 1339

§ 2. Conciliantur binæ Christi genealogiæ cum veteri Testamento. 1342

Articulus IV. De modo et ordine conceptionis Christi, necnon de perfectione prolis conceptæ. 1345

Articulus V. De peregrinatione B. Virginis in montana Judææ ad visitandam cognatam suam Elisabeth. 1347

Dissertatio tertia. De nativitate Christi. 1349

Articulus primus. De nativitate Christi secundùm se consideratâ. *Ibid.*

Articulus II. De circumstantiis nativitatis Christi. 1353

§ 1. De loco Christi nascentis. *Ibid.*

§ 2. De tempore Christi nascentis. 1357

Dissertatio quarta. De manifestatione Christi nati. 1358

Articulus primus. Utrùm manifestatio Christi nati convenienter facta fuerit. *Ibid.*

Articulus II. De Magis Christi nascentis adoratoribus. 1360

Articulus III. De tempore adventûs Magorum. 1365

Dissertatio quinta. De legalibus circa puerum Jesum servatis, de fugâ in Ægyptum, de cæde infantium, necnon de instituto vitæ Christi usque ad suum baptisma. 1368

Articulus primus. De Christi circumcisione. *Ibid.*

Articulus II. De purificatione B. Virginis et oblatione pueri Jesu in templo. 1372

Articulus III. De fugâ in Ægyptum. 1378

Articulus IV. An et quæ miracula patrata sint ingrediente Jesu in Ægyptum? 1381

Articulus V. De cæde infantium et vitæ Christi instituto usque ad suum baptisma. 1385

Dissertatio sexta. De Joanne baptizante et Christo baptizato. 1387

Articulus primus. De Joanne baptizante. *Ibid.*

Articulus II. De Christo baptizato. 1389

Dissertatio septima. De modo conversationis Christi, necnon de ejus tentatione in deserto. 1392

Articulus primus. Quæ fuerit humana faciei et corporis Christi forma? *Ibid.*

Articulus II. Utrùm Christus debuerit agere vitam solitariam et austeram. 1395

Articulus III. Utrùm conveniens fuerit Christum pauperem vitam ducere, et secundùm legem conversari. 1396

Articulus IV. De tentatione Christi in deserto. 1399

Dissertatio octava. De doctrinâ et miraculis Christi, necnon de ejus transfiguratione. 1400

Articulus primus. De doctrinâ Christi. *Ibid.*

Articulus II. Utrùm Christus suam doctrinam scripto tradiderit. Ubi de mutuis Abgari ad Jesum et Jesu ad Abgarum Epistolis. 1402

Articulus III. De miraculis Christi. 1405

Articulus IV. De transfiguratione Christi. 1407

Dissertatio nona. De passione Christi. 1410

Articulus primus. De necessitate, convenientia et acerbitate passionis Christi. *Ibid.*

Articulus II. Variæ passionis Christi cir-

cumstantiæ breviter expenduntur. De Juda proditore. 1413
De flagellatione. 1415
De coronâ spineâ. 1416
De sententiâ mortis in Christum latâ. *Ibid.*
De crucis bajulatione et Veronicâ. 1417
De crucis magnitudine et formâ. 1418
De crucifixione. 1420
De latronibus cum Christo crucifixis. 1421
De loco et tempore crucifixionis. 1425
De Mariâ Matre Jesu juxta crucem stante. 1426
De tortoribus Christi. *Ibid.*
De prodigiis Christo in cruce pendente factis, et primo de tenebris. 1427
De scissione veli. 1430
De motu terræ. 1431
De magno Pane. *Ibid.*
DISSERTATIO DECIMA. De causâ efficiente passionis Christi, et ejus causalitate et effectibus. 1432
Articulus primus. De causâ efficiente passionis Christi. *Ibid.*
Articulus II. Quomodo passio Christi operata sit nostram salutem. 1435
Articulus III. De effectibus passionis Christi. 1438
DISSERTATIO UNDECIMA. De morte, sepulturâ descensu Christi ad inferos. 1439
Articulus primus. De morte Christi. *Ibid.*
Articulus II. De sepulturâ Christi. 1441
Articulus III. De descensu Christi ad inferos. 1442
DISSERTATIO DUODECIMA. De resurrectione Christi. 1447
Articulus primus. Utrum necessarium fuerit Christum resurgere? *Ibid.*
Articulus II. De die et horâ quâ Christus resurrexit. 1449
Articulus III. De Christo primo omnium resurgente, et aliis cum ipso resurgentibus. 1451
Articulus IV. De qualitate Christi resurgentis. 1454
Articulus V. De manifestatione resurrectionis. 1458
Articulus VI. De veritate resurrectionis Dominicæ. 1461
DISSERTATIO DECIMA TERTIA. De ascensione Christi et missione Spiritûs sancti. 1465
Articulus primus. De ascensione Christi secundùm se. *Ibid.*
Articulus II. De tempore et loco ascensionis Christi, necnon de ejus sessione ad dexteram Patris. 1467
Articulus III. De missione Spiritûs sancti. 1470
APPENDICULA. De actis Pilati circa gesta et miracula Christi, ad Tiberium imperatorem missis. 1474
MONITUM. 1477-1478
DE DEVOTIONE ERGA SACRATISSIMUM COR JESU. (Auctore R. P. Perrone.) *Ibid.*
Cultus sacratissimi Cordis Jesu prout ab Apostolica sede probatus est, atque in Ecclesia catholica frequentari consuevit, pius est, et omni superstitionis labe immunis. *Ibid.*
Difficultates. 1482
DE CULTU IMMACULATI CORDIS MARIÆ MATRIS DEI JESU. (Auctore J. De Galliffet.) 1491-1492
BREVISSIMUM TRACTATUS DE INCARNATIONE COMPENDIUM, ad usum eorum quibus doctrinam christianam fideli populo tradere et explicare manus incumbit. 1499-1500
SECTIO PRIMA. De Incarnatione proprie dicta. *Ibid.*
Caput primum. De natura Incarnationis. *Ibid.*
Articulus primus. Christum esse Deum. *Ibid.*
Articulus II. Christum esse hominem. *Ibid.*
Articulus III. Christum ita esse Deum et hominem, ut ambæ naturæ in unicam personam coeant. 1501
Caput II. De fructibus qui ex Incarnatione prodeunt. 1502
§ 1. Qui fructus in Deum ex Incarnatione redundârint. *Ibid.*
§ 2. Qui ex incarnatione in Mariam fructus redundârint. 1503
§ 3. Quos fructus Incarnatio humano generi contulerit. 1504
§ 4. Qui fructus ex Incarnatione angelis advenerint. *Ibid.*
§ 5. Quem ex Incarnatione fructum natura corporea perceperit. *Ibid.*
SECTIO SECUNDA. De humani generis redemptione et reparatione. 1505
Caput primum. De statu humani generis post lapsum. *Ibid.*
§ 1. Quibus bonis homo spoliatus fuerit per lapsum. *Ibid.*
§ 2. Quibus malis circumvallatus homo post lapsum fuerit. 1506
§ 3. Quod homini ex tantis malis nulla superesset emergendi ratio. *Ibid.*
Caput II. De ratione quâ lapsus homo erectus sit et reparatus. 1507
Articulus primus. Quâ ratione Christus nos redemerit et à malis liberaverit. *Ibid.*
§ 1. Quòd Christus debita nostra in se susceperit. *Ibid.*
§ 2. Quòd Christus debita nostra plane exsolverit. 1508
§ 3. Quòd Christus redemptionis nostræ pretium dederit. 1509
§ 4. Quòd Christus alias multas nobis gratias promeruerit. *Ibid.*
Articulus II. Quâ ratione nobis applicari queat Christi reparatio. 1510
Articulus III. Quænam documenta ex humani generis reparatione hauriri queant. 1511
INDEX RERUM. 1513-1514

FINIS TOMI OCTAVI THEOLOGIÆ.

DATE DUE

BR60 .T44 1939 v.8
Theologiae cursus
completus

240.184
M 53
v8

Migne, J. P.
Theologiae Cursus Completus

Date Due

240.184
M 53
v8

Migne, J. P.
Theologiae Cursus Completus

DATE	ISSUED TO

BR60 .T44 1939 v.8
Theologiae cursus
completus

Southern Evangelical Seminary
3000 Tilley Morris Road
Matthews, NC 28105

DEMCO

SOUTHERN EVANGELICAL SEMINARY
3 7387 00071 2610